F. LUCII FERRARIS

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA.

Digitized by Google

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

F. LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI, ORD. MIN. REG. OBS. S. FRANCISCI, LECTORIS JUBILATI, EXPROVINCIALIS EXAMIN. SYNODALIS AC S. O. CONSULTORIS,

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA.

EDITIO NOVISSIMA, MENDIS EXPURGATA,

NOVIS AD SINGULAS FERE VOCES ADDITAMENTIS NOVISQUE ARTICULIS LOCUPLETATA. TUM PECULIARIBUS SUMMARIIS, TUM GENERALI MATERIARUM INDICE INSTRUCTA, ADJECTA AD CALCEM CUJUSCUNQUE VOLUMINIS ABSOLUTISSIMA APPENDICE EX OMNIUM SS. CONGREGATIONUM DECRETIS QUÆ VEL IN ANTEACTIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR, VEL DEINCEPS USQUE AD PRÆSENS LATA SUNT, JUXTA VOCUM HUJUSCE BIBLIOTHECÆ SERIEM DIGESTIS;

OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATIÆ MONTIS CASINI,

PATRONO ET AUSPICE VIRO EMINENTISSIMO

ALOISIO S. E. R. CARDINALI LAMBRUSCHINI

EPISCOPO SABINORUM,

SANCTISSIMI D. N. GREGORII XVI P. M.

A PUBLICIS NEGOTIIS ET A BREVIBUS, ETC., ETC.

ACCURANTE RURSUM ET INNUMERIS NOTIS LOCUPLETANTE J.-P. MIGNE.

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS QUARTUS.

VENEUNT 8 VOL. 60 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM, INVIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

Digitized by Google

205.01
FER
1852

Rec. July 25, 1901.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS.

G

GABELLA, GABELLARIUS.

SUMMARIUM.

1. Gabella unde dicta? — 2. Gabella, Dacia, Talea, Passagium, Pontivegium, Guidagium, et hujusmodi sunt species certi tributi, et exactionis, et præcipuorum horum tributorum, et exactionum nomina, et significata hic recensentur. — 3. Appellantur istæ exactiones, seu contributiones, aliquando tributum, et quare? — 4. Tributum stricte sumptum quid sit? — 5. Tributum dividitur in ordinarium et extraordinarium, et quid sit utrumque? — 6. Tributum adhuc dividitur in tributum, quod imponitur personis, et in tributum, quod imponitur rebus. — 7. Aliquando *Vectigal*, et quid sit? — 8. Aliquando *Portorum*, et *Portorium*, et quid sit? — 9. Aliquando *Guidagium*, seu *Pedagium* et quid sit? — 10. Aliquando *Census*, et quare? — 11. Aliquando *Collectæ*, et quare? — 12. Aliquando *Præstantiæ*, et quare? — 13. Aliquando *Stipendium*, et quare? — 14. Aliquando *Gabella* et quid sit? — 15. Dicta nomina licet ad diversa tributa significanda imposita sunt, usu tamen confunduntur, et hic nomine *Gabellæ* intelligimus quodcunque tributum seu quascunque exactiones, quocunque nomine appellentur. — 16. Ad justitiam Gabellarum tres potissimum conditiones requiruntur. — 17. Assignatur prima Conditio. — 18. Assignatur secunda Conditio. — 19. Si causa sit perpetua, perpetua etiam potest imponi Gabella; si vero causa sit solum temporalis, et transitoria, ea cessante, debet etiam cessare Gabella. — 20. Assignatur tertia conditio. — 21. Imponentes Gabellas novas sine dictis conditionibus præter restituendi obligationem, incurrunt excommunicationem. — 22. Assignantur plures casus, in quibus Principes non solum gravissime peccant, sed etiam ipso facto Excommunicationi subjacent, et ad restitutionem tenentur. — 23. Defraudantes Gabellas peccant pro materiæ quantitate graviter, vel leviter, et ad restitutionem tenentur. — 24. Subditi, et quicunque alii negotiatores secundum graves doctores obligantur in conscientia solvere Gabellas antequam petantur ab Exactoribus. — 25. Affertur ratio pronostra conclusione. — 26. Non solum subditi, sed etiam exteri tenentur ad solvendas justas Gabellas. — 27. Emens ab eo, a quo scit defraudari Gabellas certo justas, si vere cooperatur defraudationi, tenetur ipse Gabellam solvere pro Venditore, secus si non cooperetur. — 28. Quando certe, aut satis probabiliter constat Gabellas in toto, vel ex parte injuste esse impositas, tunc potest quis eas, vel ex toto, vel ex parte subterfugere, et defraudare. Imo potest insuper ut occulta compensatione, casu, quo in foro externo cogeretur ad solvendum. — 29. Quando est dubium de justitia Gabellarum, sive dubium sit negativum, sive positivum, non datur in conscientia obligatio eas solvendi. — 30. Affertur, et solvitur instantia. — 31. Affertur consilium gravium doctorum pro praxi Confessariorum. — 32. Gabella antiquitus solvebatur ob translationem cadaveris de uno loco ad alterum, et id duravit apud Romanos usque ad tempus Imperatorum Valentiniani, Theodosii, et Arcadii. — 33. Prædicti Imperatores Gabellam abstulerunt. Unde nunc de jure communi, quando corpora transferuntur de uno ad alterum locum, ut ibi tumulentur, in transitu per Oppida, vel Parochias, seu in pontibus Vectigal, seu Portorum, seu quamcunque aliam Gabellam nullimode exigere licet. — 34. Idem dicendum de Parochis prætendentibus aliquam portionem, seu stipendium percipere in translatione cadaveris per ipsorum Parochias. — 35. Gabellarii, seu Dohanerii, exigentes Gabellam in excessu, tenentur ad restitutionem, et possunt puniri. — 36. Neque consuetudo prætorita excusat. — 37. — Reliqua *usque ad n.* 61 satis summarie referuntur in Decretis adductis. — 62 ad 65. De Gabella sine Beneplacito Apostolico imposita venditoribus laicis super rebus ad victum necessariis.

(1. Gabella descendit a *Gabbia* voce Syriaca significante Publicanos, qui conducebant vectigalia exigenda, et Ministros eorum; apud Romanos quidem functionem honestissimam, quæ nonnisi equestri Ordini conferri soleret; apud Judæos autem, et Græcos infensissimam, et plane invidiosam, ut eorum libertati contrariam; Spondan. ann. 31, n. 26; Nicol. in Flosculis, verb. *Gabella*, num. 1. (2. Gabella. Dacia, Talia, Passagium, Pontivegium, Guidagium, et similes voces, quæ apud Italos sunt species certi tributi, et exactionis, nemo ignorat esse ab interpretibus e trivio sermonis Italici collectas; Lexicon Calvini, verb. *Gabella*. Unde quia multi sunt modi exigendi tributa, et hæc variantur ex personis, a quibus exiguntur, ex rebus, de quibus solvuntur, ex titulis, propter quos petuntur, ex tempore, ex loco, ex quantitate et aliis pluribus circum-

Digitized by Google

stantiis; ideo innumera videntur esse genera tributorum veterum et novorum, quorum præcipuorum nomina, et significata ad uberiorem notitiam hic recensentur.

(3. Appellantur igitur istæ exactiones, seu contributiones aliquando *Tributum*, sic dictum a contributione, vel ex eo quod militibus tribuatur; Ulpian. *de Verbor. significat.* lib. 77, in fine, et Festus lib. 17, Lexicon Calvin. verb. *Tributum*. Unde tributa, postquam Augustus cum populo provincias partitus est, appellari cœpta sunt, quæ bello victæ Provinciæ populo quotannis pendebant; Lexicon Calvin. loc. cit. (4. Tributum stricte sumptum est pensio, quæ subditis imponitur Principi solvenda ad hoc, ut statum suum tueri, et communibus utilitatibus, ac necessitatibus congrue prospicere possit; Est in re communis. (5. Dividitur in ordinarium et extraordinarium. Ordinarium est, quod singulis annis ad dictum finem ex lege nova vel antiqua in certa quantitate solvitur. Extraordinarium est, quod non in singulis annis, nec aliis certis, ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus, ex mandato Principis juxta determinationem ejusdem a subditis solvi debet; prout plerumque fit tempore belli. Hujusmodi extraordinaria tributa alias vocantur Exactiones, Talia, seu Taleæ, ita ut horum omnium nomine aliud non significetur, quam extraordinaria pensio, seu Tributum; ut Alciat. super verb. *Extraordinariam* in l. *Placet, de Sacrosanct. Ecclesiast.* Calvin. in Lexico Juridic. verb. *Talea*, ubi etiam dicit, quod Talea pro exactione est barbarum prorsus vocabulum, natum e schola imperitorum Latinitatis, cui multa id genus similia debemus. (6. Tributum adhuc subdividitur in duo membra. Unum est, quod singulis personis, seu capitibus nulla habita ratione facultatum ponitur, et *capitatio* vocatur, cujus impositio modica solet esse, cum a singulis etiam minimæ fortunæ famulis et famulabus præstetur. Alterum vero, quod secundum æstimationem bonorum, quæ quivis possidet, taxatur et imponitur; leg. 3. ff. de Censibus, leg. 42, ff. de Pact. leg. 32, in fine *de Usufructu*.

(7. Aliquando *Vectigal*, quod est id, quod rebus Civitatis invectis, vel evectis publico solvitur, Alciat. *in commentar.* ad leg. inter publica, ff. de Verb. signific. Calvin. in cit. Lexico, verb. *Vectigal*. Vectigalium jus proprie dicitur redditus, qui Principi, vel Reipublicæ pro evectione, et invectione mercium in compensationem salvi conductus, ac reparationem viarum, ac pontium in certo loco penditur; Ita cum aliis Calvin. loc. cit. (8. Aliquando *Portorium*, et hoc Vectigal est, non tantum, quod in portu, sed et quod in transitu pontis pro exportandis mercibus solvitur; l. 203, ubi vide Gæddeum, ff. de Verb. signif. l. 3. Cod. *de Vectigal.* l. 60, § 1, ff. locat. unde publicani, qui hoc Vectigal redemerunt, Portitores dicuntur; *Portorium* rerum venalium dixit Cic. *in Pison.* et cum aliis Calvin. in cit. Lexico, verb. *Portorium*. (9. Aliquando Guidagium, et est illud, quod

transeuntes dant pro salariandis illis hominibus, qui secure deducunt per loca, vel alias loci securitatem præstant; Glossa in cap. *Quanquam*, in princ. de censib. in 6, quod idem stricte loquendo significat *Pedagium*. *Guidagia* enim sunt quasi *Pedagia;* cap. in citat. cap. *Quanquam*, de censibus in 6. Calvin. *Super quibusdam* 26 *de Verb. significat.* Joan. Andr. in cit. Lexico verb. *Guidagia*, Schardius verb. *Pedagium*. Unde capiens *Pedagium*, seu *Guidagium* debet dare salvum conductum, et territorium ejus tenere securum, adeo ut teneatur ad resarciendum damnum, si transeuntes a raptoribus, vel aliis vias infestantibus, damnum patiantur; Calvin. in cit. Lexico verb. *Pedagia*, cum Archidiacono, et Baldo ibi citat. Schardius verb. *Pedagium*, Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 39, num. 39, et alii. Guidagium, seu Pedagium, est quod datur alicui pro securo conducto transeundi per terram alicujus; c. *de Raptoribus* 36. part. 3. Calvin. loc. cit. verb. *Guidagium*. (10. Aliquando *Census*, quia censebantur singulorum facultates ad ejus solutionem; Card. de Lugo de Just. et Jure disp. 36, num. 2. (11. Aliquando *Collectæ*, quia colliguntur a singulis, (12. seu *Præstantiæ*, quia præstantur; Lugo loc. cit. (13. Aliquando *Stipendium*, quia per stipes colligitur; Lugo loc. cit. (14. Aliquando *Gabella*, et est illud tributum, quod in Civitatibus, et Pagis pro certis rebus, vino, cerevisia, frumento, carnibus, vel aliis mercibus solvitur; Calvin. in citat. Lexico Juridic., verb. *Gabellæ*. (15. Dicta tamen nomina, licet ad diversa tributa significanda imposita sint, usu tamen confunduntur, et uno nomine cætera Tributa, seu Gabellas, Gabellarum Communitatis nominibus significare solemus. Unde hic pro nomine *Gabellæ* intelligimus quodcunque Tributum, seu quascunque Exactiones quocunque nomine appellentur.

(16. Ad justitiam Gabellarum, Tributorum, et hujusmodi tres potissimum conditiones requiruntur: Communis. (17. Prima est, ut legitima auctoritate imposita sint. Unde Gabellas, Tributa, et hujusmodi imponere, et exigere possunt soli Principes supremi in terris suis alium Superiorem non agnoscentes, aut ii, qui a supremis Principibus privilegio, aut legitima consuetudine jam præscriptam facultatem has Gabellas, Tributa, et hujusmodi imponendi, consecuti sunt; Communis, ac certa, argum., cap. *Innovamus*, 10, *de Censibus*, etc. *Super quibusdam* 25, *de verb. signific.* (18. Secunda est justa causa, videlicet Principis decens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate, et meritis in Rempublicam: Necessitas, seu magna utilitas communis Reipublicæ: Expunctio debitorum pro communi necessitate, seu utilitate Reipublicæ contractorum, et hujusmodi; Communis. (19. Si causa necessitatis, vel utilitatis sit perpetua, v. g. conservatio murorum, pontium, custodia civitatis, et hujusmodi, perpetua etiam potest imponi Gabella, Tributum, et hujusmodi. Si vero causa sit solum temporalis et transito-

Digitized by Google

ria, ut defensio contra hostem tempore belli, reparatio constructorum per hostes, et hujusmodi, tunc ea causa cessante, debet cessare etiam Gabella, Tributum, et hujusmodi; Communis, ac certa. (20. Tertia conditio est modus debitus imponendi Gabellas, et Tributa, ut videlicet exactio, seu contributio non sit nimia, sed moderata, et juxta mensuram causæ vel necessitatis, ob quam contribui debet, et secundum proportionem facultatum singulorum, ut non alii plus, alii minus graventur, quam justum sit; Communis.

(21. Imponentes Gabellas novas, nova Pedagia, et hujusmodi sine dictis conditionibus, præter restituendi obligationem incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut expressis verbis habetur in § 5 ejusdem Bullæ, ibi: « Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a Jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt. » (22. Unde hic juvat adducere ad litteram, quæ habet Reiffenstuel lib. 3, Decr., tit. 39, numer. 42, ibi: Colliges, principes non tantum gravissime peccare, sed etiam ipso facto Excommunicationi subjacere, ac insuper ad restitutionem teneri; I. Quoties sine justa causa publica nova Tributa, Vectigalia, Gabellas, vel alias Exactiones, qualitercunque eas baptizent, imponunt subditis. II. Si plus exigunt, quam causa ipsa requirit. III. Si causa justa cessante continuant, nisi nova emergat. IV. Si antiqua Tributa, aut Vectigalia augent, absque justa causa. V. Si antiqua, et extraordinaria Tributa, aut Vectigalia per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem præsentem tollendam, peccant etiam. VI. Si nimiis, et excessivis luxu, pompa, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis, etc., omnino exhauriant ærara, vel etiam debitis Cameram gravent, ut quavis urgente necessitate cogantur statim indicere nova Tributa, Vectigalia, Gabellas, et id genus Exactionum, cum alia antiqua Tributa, et Ærarium ad tollendas similes necessitates, vel omnino sufficientia fuissent, vel certe cum magno sublevamine pauperum multum contribuere potuissent. Et in hoc habent, quod multum attendant consiliarii et confessarii principum, ne alias vel muti canes, vel adulantes politici, vel displicere timentes, et se, et principes in æternum perdant, simulque miseros subditos plurimis, iisque gravibus oneribus, et exactionibus emungant. Certo severe scribunt de hac materia cuncti doctores: hactenus Reiffenstuel.

(23. Defraudantes Gabellas, Tributa, Vectigalia, et alia hujusmodi peccant pro materiæ quantitate graviter, vel leviter, et ad restitutionem tenentur; Est communior, et re ipsa vera sententia DD. et signanter hanc tenent Lugo disp. 35, sect. 4. Lessius, libr. 2, cap 33, dub. 2, num. 8. Molina, disp. 674. Layman, l. 3, tract. 3, part. 1, cap 3, num. 5. Covarruv., in cap. *Peccatum, de Regul. Juris* in 6. part. 2, § 5, num. 1 et 5. Diana part 1. tract. de *Legibus resolv.* 19. Navarr., *in Manual.* cap 17.

La Croix, lib. 3, part. 2, num. 269. Sanchez, l. 2, consil., cap. 4. dub. 1, numer. 8. Sporer, tr. 5, in dical. cap. 5, num. 150. Gabriel, Silvest., Cajetan., Medina, Sotus, Sayrus, Corduba, Turrianus, Vega, aliisque congestis, Suarez, l. 5 *de Legibus*, cap. 18. Vasquez *de Restit.* cap. 6, § 2, dub. 2. Alfonsus de Castro, l. 1 *de Lege pœnali*, cap. 9 et 11, ubi dicit, conclusionem adeo esse certam, ut contraria doctrina sit error, Reiffenstuel loc. cit. num. 45, (24. ubi dicit, esse communissimam aliorum contra Angelum, Henricum, Durandum, aliosque satis graves doctores dicentes subditos non obligari in foro conscientiæ solvere ejusmodi Gabellas, et Tributa, antequam petantur ab exactoribus, quia ut volunt ipsi, lex pœnalis non obligat in conscientia nisi ad pœnam post judicis condemnationem; lex autem Gabellarum, Vectigalium, et hujusmodi solvendarum pœnalis est, quia magistratus intentio esse videtur, ut subditi, vel negotiatores, aut Gabellas, et Vectigalia solvant, aut si non solvisse deprehendantur, pœnam solvant, quæ communiter debet esse pœna commissi, caducitatis, seu confiscationis mercis. Nec per hoc derogatur bono communi, nam unus defraudans deprehensus abunde solvet pro viginti occulte elapsis, et hanc sententiam tenent etiam Tabiena verb. *Pedagium* concl. 3, Beja part. 2, cas. 12, et in eamdem inclinant Sotus lib. 3, q. 6. art 7. in fin. Toletus lib. 5. c, 65, et probabilem censet Lessius lib. 2, cap. 33, num. 55, Bonac. *de Restit. disp.* 2, q. 9, punct. 1, num. 3, et alii.

(25. Ratio autem nostræ conclusionis est, quia justitia commutativa obligat semper in conscientia etiam antequam petatur debitum: Justæ autem Gabellæ, justa Tributa, et Vectigalia sunt debita Principi ex justitia commutativa, tanquam jure naturæ debitum stipendium ad suum statum, et bonum publicum sustinendum, justitia enim commutativa postulat, principi publica onera compensari ab iis quorum gratia sustinet ea, quia *dignus est operarius mercede sua.* Tum quia lex, vel mandatum superioris justum obligat in conscientia juxta certissimam apud Covarruv. in cap. *Peccatum, de Regul. Juris* in 6, part. 2, § 5, num. 1, juxta illud Pauli ad Roman. 13. ibi: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt, itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt.* Adeoque justæ Gabellæ, et justa tributa, Vectigalia, et hujusmodi præcepta a justa lege principis sunt in conscientia solvenda; tum etiam quia obligatio solvendi gabellas justas, justa Tributa, Vectigalia, et hujusmodi est de jure divino, adeoque obligat in conscientia; ad Romanos enim cap. 13 dicitur expresse: *Ideo enim, et tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui Vectigal, Vectigal;* et Matth. 21;

Digitized by Google

Christus ipse, quæstione facta de hac materia, ostenso sibi Numismate census dixit : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Imo non tantum verbo, sed et exemplo, docuit, justas Gabellas, et justa Tributa, Vectigalia, et hujusmodi esse solvenda, dum Matth. 17 pro se et Petro tributum solvit.

(26. Non solum subditi, sed etiam exteri tenentur ad solvendas justas Gabellas, Vectigalia, Pedagia, Guidagia, quia quoad usum Pontium, Fontium, viarum, et hujusmodi, Gabella etiam exteris ideo imposita justificatur, cum ad illorum etiam utilitatem cedat. Sic recte Medina, Suarez, Vasquez, Azorius, Filiucius, aliique cum Sanchez d. 45, num. 9. Bonacina loc. cit., num. 4. La Croix lib. 3, part. 2, num. 275. (27. Emens ab eo, a quo scit defraudari Gabellas certe justas, si vere cooperatur defraudationi, tenetur ipse Gabellam solvere pro venditore, quia Gabella est onus reale, quod cum merce transit ad ementem, et ipse, ratione suæ vere cooperationis, esset causa damni, adeoque tenebitur resarcire in defectu Venditoris; Communis. Si vero non cooperetur, sed tantum permittat, Molina, Lessius, Bonacina, Dicastil. dub. 9, Sanchez dub. 12, Sporer loc. cit., num. 151 et alii, dicunt non teneri, quia Gabella non est stricte onus reale gravans mercem, sed merx tantum est veluti hypotheca obligata pro Gabella, si fiat excussio, et intentetur actio.

(28. Quando certo, aut satis probabiliter constat, Gabellas, Tributa, et hujusmodi ex toto, vel ex parte injuste esse imposita, tunc potest quis ea, vel ex toto, vel ex parte subterfugere, et defraudare. Imo potest insuper occulta compensatione uti, casu, quo in foro externo, uti ordinarie fit, ad solvendum cogeretur; sic Layman, lib. 3, tract. 3, part. 1, cap. 3, n. 5. Molina, disp. 674, Silvester verb. *Gabella* 3, q. 3, art. 14, Reiffenstuel, lib. 3, decretal., tit. 39, n. 43, et post alios Sporer, loc. cit., num. 152, dicens ita pro certo tenere omnes. Et ratio est, quia unicuique jure naturæ concessum est damnum suum injustum impedire, vel resarcire, quatenus licite fieri potest, in eo autem casu exactiones Gabellarum injustarum, seu quorumcunque injustorum Tributorum subditi patiuntur damnum injustum, quod alia ratione impedire non possunt, nisi subterfugiendo solutionem, vel si jam solvere coacti sint, occulte compensando, dummodo serventur conditiones justæ compensationis, ut patet ex dictis verb. *Compensatio*, adeoque, etc. (29. Quando est dubium de justi-

tia Gabellarum, Tributorum, et hujusmodi, sive dubium sit negativum, dum scilicet dubitatur de tali justitia, absque eo, quod sit aliqua ratio probabilis pro, aut contra, sive dubium sit positivum, dum scilicet dubitatur de tali justitia, ex eo quod pro utraque parte sint rationes probabiles, non datur in conscientia obligatio ea solvendi. Ita communior, et verior, ac in praxi tuta sententia, quam tenet Lugo *de Just. et Jure* disp. 36, sect. 6, Sanchez, lib. 2 Consil. cap. 4, dub. 6, Molina, disp. 674, n. 6 et 9, Azorius, par. 3, cap. 22, quæst. 7, Diana, part. 7, tract. 17, resol. 59, Sporer loc. cit., num. 154. Reiffenst. loc. cit., n. 44. Cajet, Silvester, Medina, Armilla, Gabriel, Corduba, et communis fere omnium, teste Cardin. de Lugo loc. cit. arg. cap. *Pervenit* 5 *de censibus*, et cap. *Quanquam* 4, eodem in 6, et ratio est quia in dubio debiti melior est conditio possidentis, arg. cap. *In pari* 65, *de Reg. juris in* 6, et ei, qui petit, incumbit probatio debiti. In proposito autem subditus possidet adhuc bona fide res suas, et princeps petit Gabellas, tributa, et hujusmodi, ut sibi debita, adeoque, donec a principe probetur justitia Gabellarum, Tributorum, et hujusmodi, subditus non tenetur solvere.

(30. Nec valet objicere, quod in dubio justitiæ legis, et præcepti præsumendum est pro justitia, et parendum Legislatori juxta communem. Non valet, inquam, quia verum quidem est, quod in dubio justitiæ legis, et præcepti præsumendum est pro justitia, et parendum Legislatori, quando non agitur de ipso Legislatoris interesse proprio, qui tunc præsumi potest partialis, aut quando non agitur de interesse ipsius subditi, seu inferioris, cujus, rem suam possidentis meliori, et potiori conditioni præjudicari non debet. Et in nostro casu præsumptio non stat pro ipso Legislatore, cum, ut patet, agatur de ipsius interesse, et etiam de interesse subditi meliori, et potiori conditione adhuc bona fide res suas possidentis. Tum quia novæ Gabellæ, Tributa, Pedagia, et hujusmodi damnantur, et rejiciuntur tum in Jure civili; leg. *Non solent*, Cod. *Vectigalia nova;* tum in Jure Canonico, cap. *Quanquam 4, de Censibus* in 6, ibi : Quanquam Pedagium, Exactiones, tam Jure Canonico, quam Civili regulariter merito sint damnatæ, adeoque solvendæ non sunt, quando de eorum justitia aperte non constat; argum. cap. *Pervenit* 5, *de Censibus*, eo quod contra ipsas Gabellas, Tributa, et hujusmodi militet utrumque jus, tam Civile, quam Canonicum per textus mox citatos (1) (31. Hinc pro

(1). Videat hic prudens lector, num Censores ferre æquo animo possint doctrinam numeris 28, 29 et 30 expositam? Fac enim in dubio de justitia tributorum licere, aut dolo solutionem declinare, aut quidquid solutum sit occulte compensare, ubi tunc principes securi esse poterunt de suis ex solutione tributorum proventibus? Cum enim plerumque justæ causæ, quæ principem ad tributa exigenda movent, occultæ sint, atque populo incognitæ, et cum pauci ex plebe sint homines, qui justam agnoscere, ac decernere tributorum causam valeant; nec aliunde desint qui causa etiam incognita, tributorum injustitiam prædicent, facile erit, si non omnibus, plerisque saltem de tributorum justitia dubitare. Quamobrem pauci semper erunt in Republica homines, qui se ad tributa solvenda obligatos credant. Ubi ergo tunc esset debitum præcepto principis obsequium? Ubi debita eidem subjectio? Nam semel facta populo, ob dubium in ejus mente ortum de tributorum injustitia, libertate, statim princeps veluti tyrannus contemnitur, ac animus debitam ei subjectionem exuit : satius ergo est asserere cum Antoine de justitia et jure cap. 5, qu. 17, in dubio de justitia tributorum solvendum omnino

Digitized by Google

praxi Confessariorum placet referre consilium. Molina tom. II *de Justitia* disp. 673, num. 9, valde laudatum a Cardinal. de Luca citat., disp. 36, section. 4. numer. 43, a Sporer loc. cit., num. 156, La Croix loc. cit., num. 282, et ab aliis, et est, quod quando evidenter, vel satis probabiliter non constat de justitia Gabellæ, Tributi, et hujusmodi, monendi sunt pœnitentes, ut solvant, et non defraudent, ne nimis laxentur habenæ in præjudicium Reipublicæ, et in spretum legum, et præceptorum Supremorum Principum. Post factum autem, et post jam defraudatas Gabellas, et hujusmodi in ipso dubio, et incertitudine justitiæ ipsarum non sunt cogendi pœnitentes ad restitutionem, ne nimis graventur, et illaqueentur animæ, cum ex mille in similibus casibus vix unus restitutionem faciat. Unde ut refert Card. de Lugo loc. cit. et ex ipso Rosignolus *de Restitutione* 1, prænot. XI, sub num. 14, potentissimus Hispaniarum rex Philippus II, ministris conquerentibus contra fraudentes Gabellas, Vectigalia, et hujusmodi, sic respondit : *Sinite eos, furantur enim de suo.*

(32. Gabella, Vectigal, seu Portagium, quamvis antiquitus solveretur ob translationem cadaveris de uno loco ad alterum, juxta l. *Funeris* 37, ff. *de Relig. et sumpt. fun.* ibi : *Vectigalia*, idque duraverit apud Romanos usque ad tempus Imperatorum Valentiniani, Theodosii, et Arcadii, quapropter bene carpit Romanos Xiphilinus in Nerone, ibi : « Scitis quantum pendamus pro mortuis ? Romanis solis etiam mortui vivunt, ut aliquid ex his accipiant, neque enim mori licet apud eos sine tributo, et multa ; » Besoldus, *de Ærario publico* cap. 4, § 17, Pancirol., *in Thesauro*, lib. 3, c. 31, Cujacius observ., lib. 5, cap. ult., et lib. 11 observ., cap. 21, Petrus Gregorius *de Republica* lib. 3, cap. 6, a num. 21. (33. Prædicti tamen Imperatores lege lata hæc Vectigalia abstulerunt, liberumque reliquerunt corpora de uno ad alium locum transferre ; in l. ult. Cod. *de Relig. et sumpt. funer.* Unde de jure communi loquendo, quando corpora de uno ad alium locum transportantur, ut alibi funerentur aut tumulentur, in transitu per oppida, vel parochias, per quas corpus transfertur, vel in pontibus, Vectigal, seu Portagium nullimode licet exigere, ex d. l. ult. Cod. *de Relig. et sumpt. funer.*, ubi Vectigal pro transferendo corpore de uno ad alium locum percipere expresse interdicitur. Et sic non posse exigi Gabellam pro extractione, introductione, vel transitu cadaveris, reprobatis contrarium sentientibus, nervose probat Cardin. de Luca *de Regal.* disc. 166, occasione prætentionis excitatæ pro cadavere Card. Giberti Borromæi, qui obiit in oppido Neptuni, et transportatus fuit ad Urbem, et in fine testatur ita vivæ vocis oraculo decisum fuisse a S. M. Alexandri VII, occasione ejusdem prætentionis Dohaneriorum pro translatione cadaveris infantis Margaritæ de Sabaudia, quæ in Urbe pie decedens Assisii sepulturam elegerat, quem aliis adductis sequitur Add. ad Pamphil., dec. 323, num. 9, Ursaya *Institut. crimin.* lib. 8, num. 40, et late sic etiam tenet cum plurimis aliis Amostaz. tom. II, lib. 6, *de Causis piis*, a num. 40, ubi sub num. 44 subjungit, quod cadavera ad mercimonium trahere, et quæstum de eis percipere odiosum est, cap. *Quæsita* 12, et cap. *Postquam* 13, caus. 13, quæst. 2. (34. Unde nulla valet consideratio, ut simile Portagium, seu Vectigal percipi possit in translatione cadaverum ; et num. 45 addit similiter esse dicendum de Parochis volentibus aliquam portionem, seu stipendium percipere ex translatione cadaveris per ipsorum Parochias, hoc enim nullo jure decretum est. Vide verb *Cadav.*, num. 15, ubi affertur ad id decretum Sacræ Congr. Immunitatis.

(35. Gabellarii, seu Dohanerii, exigentes Gabellam in excessu, tenentur ad restitutionem, et possunt puniri ; l. *Locatio aliæ licitatio* 9, § *Quod illicite*, ff. *de Publicanis*, et l 3, Cod. *Vectigalia nova*, per quæ Jura deciditur, Publicanum exigentem Gabellam in excessu, et ultra modum, teneri ad restitutionem, quinimo, et puniri posse disponit, textus in l. 4, Cod. *Vectigalia nova*, Bajard. ad Clar, § *Furtum*, Galeot. respons. fiscal. 10, num. 17, cum seqq. Card. de Luca lib. 2, Regalibus, disc. 71, n. 4. (36. Neque consuetudo præterita excusat, quoniam ista tanquam contra legem censenda est potius corruptela, frequenter, et de facili per hujusmodi Publicanos, et Gabellarios, seu Dohanerios induci solita, ideoque ubi etiam, non per ipsosmet, sed per prædecessores introducta esset, id operari posset excusationem a delicto, et pœna, non autem a restitutione exacti ; Franc. Marc. dec. 421, Fachin. consil. 61, lib. 2, Guittier. *de Gabell.*, qu. 3, num. 14, apud quos cæteri. Hinc, ut recte notat Sporer loc. cit., n. 144, cautissime debent procedere Confessarii

esse, « quia in dubio justitiæ debet præsumi pro justo præcepto superioris possidentis jus præcipiendi et exigendi tributa, quod jus est altius, et majus jure, quod habent subditi in bona quæ possident. » Præterea Princeps sæpe habet causas occultas. « Imo etiamsi essent evidenter injusta sive ex toto, sive ex parte, tamen solvenda sunt, cum exiguntur, ad vitandum scandalum, ac perturbationem publicam, ob quam causam quisque juri suo cedere debet. » Hæc quantum ad solutionem : ad compensationem vero quod attinet, satis notum est ex iis quoque, quæ Auctor exposuit ubi de compensatione tractavit, compensationem permitti non posse, nisi in casu certo. Dubium ergo de tributorum injustitia satis non est ad compensationem hujusmodi permittendam. Accedit etiam, doctrinam hanc perniciosam Reipublicæ esse, cum fovendo adversus ipsam occultam compensationem, ad occulta eidem inferenda damna homines alliciat ; ut consideranti patet.

Ex iis facile etiam est agnoscere, tutam non esse doctrinam num. 31 expositam. Si enim subditi, etsi dubitant de tributorum injustitia, solvere illa tenentur ob superius allatas rationes, cogendi a Confessario sunt ad restitutionem ii qui subterfugiis solutionem declinaverint. Neque enim ex difficultate, quam patitur pœnitens ad restituendum, moveri Confessarius debet ad eum absolvendum a restitutione. Confessarius enim Judex est, qui cogere pœnitentem debet ad suum cuique tribuendum.

Digitized by Google

circa Gabellarios, Teloniarios, et similes Officiales, qui inscio principe propria auctoritate certas expensiones sibi exigunt, et in consuetudinem deducunt, nunquam, aut difficulter abrogandam. Quamvis enim aliquando excusari videantur ob justam causam, vel compensationis ob defectum stipendii, vel extraordinarii laboris, et molestiæ, vel quod homines benevolentia, vel gratitudine ultro liberaliter donare videantur, omnia tamen periculosa, et caute trutinanda a Confessario; (37. hæc Sporer. Gabella carnis noviter imposita non est solvenda a Clericis; eadem Sac. Congr. Immun. in Asculana, 30 Maii 1628, lib. 1 Decr. Pauli, pag. 94.

(38. Gabella vini, vulgo *della Foglietta*, non est solvenda vendentibus vinum in Civitate Lauretana, nisi venditores sint caupones, vel ut dicitur *diano da mangiare*, etc. Nec huic resolutioni obstat Const. Clementi VIII, super extinctione recentiorum Victualium; ead. Sacra Congreg. Immun. in Lauretana, 18 Julii 1629, lib. 1 Decr. Pauli, p. 145.

(39. Clerici et Ecclesiastici vendentes vinum recollectum in propriis bonis minutatim in suis domibus, non tenentur ad Gabellam vulgo dictam *della Foglietta*, et cognitio fraudum, quæ desuper fieri possunt, spectat ad Judicem Ecclesiasticum; ead. Sac. Congreg. Immun. in Ravennaten., Spoletana, et aliis 25 Septemb. 1627, l. 1 Decret. Paul., pag. 67, Nolana, 26 Januarii 1644, lib. 3 Decret. Paul., pag. 218, Theatina, 15 Martii 1661, lib. Decret. Rocci, pag. 123, Faventina, 25 Januarii 1677, lib. 2 Decret. Altovit., pag. 1338.

(40. Sacra Congreg. inhærendo decretis aliàs factis censuit personas Ecclesiasticas tam Sæculares, quam Regulares vendentes vinum minutatim in propriis locis, et domibus, recollectum in eorum bonis non teneri ad solutionem Gabellæ etiam vigore Constit. Sixti V, dummodo ibidem non dent, ut vulgo dicitur, *da mangiare, e non faccino Bettole*, a quibus debent abstinere ratione honestatis Clericalis; cognitionem autem fraudum, quæ desuper committi possunt, spectare ad Judicem Ecclesiasticum; ead. Sacra Congregat. Immun. in Asculana 23 Jan. 1646, lib. 3 Decr. Pauli, p. 268.

(41. Ecclesiastici non tenentur ad solutionem Gabellæ dictæ *della Foglietta* pro vino vendito in propriis domibus minutatim, et recollecto in eorum bonis, cum Communitas nunquam appaltaverit dictam Gabellam juxta præscriptum Bullæ Sixti V, sed solum juxta quædam Capitula Communitatis; ead. Sacr. Congr. Immun. in Auximana 2 April. 1680, lib. 2 Decr. Alt., pag. 1954. (42. Item non tenentur ad Gabellam pro vino minutatim vendito, et pignus desuper factum est iis restituendum; eadem Sacr. Congregat. Immun. in Callien. 1 April. 1704, lib. 3 Decr. Vallemani, pag. 568.

(43. An Ecclesiastici vendentes vinum minutatim possint permittere, ut ementes bibant vinum emptum, dum degunt in eorum Cellis Vinariis, seu Anditis, et ibi manducent res comestibiles per ipsos emptores secum latas? Sac. Congreg. respondit: Serventur litteræ Sac. Cong. Sublevaminis sub die 4 Junii 1656, in Tudertina, quibus hoc cavetur, et dicitur esse facere (ut vulgo aiunt) Betulam; ead. Sac. Congreg. Immun. in Faventina 5 Martii 1697, lib. 2 Decret. Vallem., p. 78, in Tolentina 15 Aprilis 1699, ibi p. 215, in Firmana 19 Augusti 1704, lib. 3. Decret. Vallem., p. 605. (44. Quare Ecclesiastici, vel se abstineant a venditione Vini minutatim cum permissione ementibus manducandi, vel solvant Gabellam dictam *della Foglietta*; eadem Sacr. Congregat. Immun. in Camerien. 4. Decembris 1680, lib. 2 Decret. Altov., pag. 2105.

(45. Vinum Ecclesiasticorum non potest vendi in caupona sine solutione Gabellæ dictæ *della Foglietta*; ead. Sac. Congr. Imm. in Senogalien. 12 Julii 1678, lib. 2 Decr. Altov., pag. 1612.

(46. Pro vino recollecto in propriis bonis, quod Canonici Lateranenses faciunt vendere in domo per eos conducta, solvi non debet Gabella dicta *della Foglietta*, si ibi non vendantur comestibilia ad edendum; ead. Sacra Congregat. Immun. in Ravennaten. 1 Decembr. 1738, lib. 3 Decr. Paul., p. 81.

(47. Vinum, quod ab Ecclesiasticis traditur ad vendendum, assignata certa mercede ei, qui curam habet vendendi, debet esse omnino exemptum a quacunque Gabella pro vino imposita; ead. S. Cong. Immun. in Ulixipon. 1 Decemb. 1638, lib. 3 Decr. Paul., pag. 82.

(48. Canonici non tenentur ad Gabellam pro eo quod minutatim vendant vinum absque comestibilibus; eadem Sac. Congr. Immun. in Lauretana 27 Julii 1654, lib. 2 Decr. Paul., p. 193.

(49. Personæ Ecclesiasticæ sive vendentes, sive ementes vinum minutatim non comprehenduntur sub Gabella imposita vendentibus et ementibus vinum; ead. Sac. Congreg. Immun. in Nolana 12 Julii 1649, lib. 4 Decr. Paul., pag. 113. (50. Gaudere debent exemptione a Gabella vini, tam personæ Ecclesiasticæ vendentes, quam ementes ab illis; ead. Sac. Congreg. Immun. in Taurinen. 11 Sept. 1634, lib. 2 Decret. Paul., pag. 202. Conversana 14 Junii 1653, lib. 3 Decr. Paul., pag. 5.

(51. Taxatio quoque exemptionis, seu Franchitiæ super oneribus vini, et molituræ singulis Ecclesiasticis assignandæ, non spectat ad Judices Laicos, nec cognitio controversiarum, quæ illorum occasione oriri possunt, sed ad Judicem Ecclesiasticum: prævio tamen beneplacito Apostolico; taxatio insuper vini et frumenti non est facienda pro singulis tantum Ecclesiasticis; sed etiam pro omnibus qui vivunt expensis Ecclesiasticorum; ead. Sac. Congregat. Immun. in eadem Taurinen.

(52. Rata, seu portio vini spectans ad Ecclesiasticos est duntaxat exempta ab oneribus, cognitio vero super hujusmodi portione spectat ad Judicem Ecclesiasticum. Ad obviandas fraudes committendas ab Ecclesia-

Digitized by Google

sticis, quarum cognitio spectat ad Judicem Ecclesiasticum, pro opportuna provisione prohibere potest Ecclesiasticis, ne recipiant in propriis Cellis vinariis vinum laicorum nec proprium vinum reponant in Cellis vinariis laicorum; eadem Sac. Congr. Immun. in eadem Taurinen. (53. Vina recollecta in Feudis Ecclesiasticis excipiuntur ab oneribus; in eadem Taurinen.

(54. Personæ Ecclesiasticæ gaudent exemptione a Gabella vini dummodo non adsit fraus; eadem Sacr. Congr. Immun. in Januen. 9 Aprilis 1647, lib. 4 Decret. Paul., pag. 10.

(55. Bannimenta laicalia super venditione vini non possunt comprehendere Ecclesiasticos; eadem Sacra Congr. Immun. in Laycien. 30 Jun. 1632, lib. 2 Decret. Paul., p. 130.

(56. Absque solutione ullius Gabellæ Episcopus potest vendere vinum propriæ mensæ, dummodo nihil indecens intercedat; eadem. Sacr. Congreg. Immun. in Asculana 5 Apr. 1672, lib. 1 Dec. Altov., p. 677.

(57. Episcopus tueatur jura Ecclesiasticorum vendendi vinum minutatim recollectum in eorum bonis, vel in propriis domibus, vel in apothecis in civitate ad hunc effectum electis, et per laicos ad hunc effectum deputatos contra Edictum Gabellariorum prohibens cuicunque recipere vinum ad effectum vendendi sine eorum licentia; ead. Sac. Cong. Immun. in Callien. 14 April. 1693, lib. 1 Dec. Vallem., pag. 17.

(58. Ecclesiasticus Faventinus, introducens Ravennam proprium vinum, partim per aquam, partim per viam terræ, tenetur tantum ad Gabellam vini introducti per aquam; eadem Sac. Congr. Immun. in Faventina 20 Novemb. 1685, lib. 3 Decret. Altov., pag. 509.

(59. Ecclesiastici medio eorum juramento assignent quantitatem vini recollecti per ipsos in propriis bonis; et deinde consignent attestationem mulioni de vino, quod extrahetur, ad evitandas fraudes; ead. Sac. Cong. Immun. in Faventina 4 Maii 1688, lib. Decr. Martel., pag. 282.

(60. Denegatur facultas petita, quod Ecclesiastici teneantur consignare notam vini deputato Civitatis ad effectum illud apprætiandi, etiamsi adsint conditiones, quod pretium debeat esse justum, et Ecclesiastici non teneantur solvere Gabellam, et etiamsi una cum Ordinario consenserint; ead. Sac. Congr. Immun. in Salernitana 26 Febr. 1636, lib. 2 Decret. Paul., pag. 245.

(61. Quoad exemptionem a Gabella vini, ut dicitur *a minuto*, dantur D. Nuncio Litteræ ad instar earum quæ datæ fuerunt Episcopo Lucano sub die 26 Novembris 1655, quibus ei injungebatur, ut prohiberet Regularibus suæ jurisdictionis, ne venderent comestibilia, sive cruda sæcularibus quovis prætextu, sub pœnis sibi benevisis; ead. Sac. Cong. Immun. in Neapolitana 12 Martii 1695, lib. 1 Decret. Vallem., p. 177.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(62. De Gabella sine beneplacito apostolico imposita venditoribus laicis super rebus ad victum necessariis, puta carne, vino, etc., an ea lædere censeatur Immunitatem Ecclesiasticam, hic non incongrua est quæstio.

(63. Examinavit eam ex professo clar. mem. Card. Lanfredinus occasione talis Gabellæ, anno 1730, impositæ a Senatu civitatis Ulissiponen. auctoritate Regis; et affirmativam tenuit sententiam, idque quia licet Gabella non sit imposita Personis Ecclesiasticis, sed Laicis, onus tamen novæ illius Gabellæ afficit non minus Ecclesiasticos quam Laicos; et hoc quia res illæ, æque Ecclesiasticis ac Laicis sunt necessariæ, et ab omnibus cariori pretio sunt emendæ propter impositum Gabellæ onus. Læsa autem dicitur Ecclesiastica libertas, etiamsi indirecte et tacite graventur Ecclesiastici, præsertim post ß. Cœnæ, in qua Summus Pontifex excommunicationem fert in principes, qui Ecclesiasticis etiam indirecte Gabellas imponunt.

(64. Idque procedere ait, etiamsi Gabella, de qua disseritur, imposita sit ob communem utilitatem tam Laicorum, quam Ecclesiasticorum. Hæc enim communis utilitas justam præbere valet causam impetrandi a Summo Pontifice facultatem gravandi etiam Ecclesiasticos, nequaquam vero potis est sustinere Gabellam sola auctoritate Magistratus sæcularis impositam. Consule mox laudatum Auctorem *Respons. Ecclesiast.* 25 per tot.

(65. Cæterum si agatur de Gabella absque Apostolico Beneplacito imposita supra aliis rebus; licet ejus onus per accidens afficiat Ecclesiasticos, non dicitur lædere libertatem Ecclesiasticam, adeoque sustinetur; idem Auctor, ubi supra num. 11, ibi; « Atque hinc facile declinatur auctoritas Molinæ quem specialiter laudat Theologus Lusitanus in tract. 2, disp. 663, n. 2, ubi agens de vectigali nuncupato *Alcavala*, quod Laicis impositum est, pro venditione rerum tam mobilium, quam immobilium, probat eam non repugnare Ecclesiasticæ immunitati per hoc, quod Clerici eas res ementes cariori pretio emere cogantur. Etenim observandum est, quod cum Rex Alphonsus XI, ad Mauros ex Hispaniis depellendos cogitaret deimperando tributo, quod a Nobilibus, non autem a plebe solvendum esset, Nobiles, ut suam a tributis exemptionem servarent illæsam, obtulerunt se soluturos trigesimam, aut vigesimam partem pretii rerum omnium, quæ venderentur, indeque ortum est vocabulum *Alcavala*, id est : *Alquovala;* atque ita fieri cœpit sub anno 1341. » « Promptum itaque est intelligere, quod in origine impositionis hujus tributi non venit in mentem cogitatio, et desiderium gravandi Clericos, sed sincera et bona fide fuit duntaxat cogitatum de exigendo hoc tributo a Laicis, ex pretio ad eos perventuro, dum res suas venderent. Idcirco autem Molina inquit momenti non esse quod ratione talis oneris per accidens augeatur pretium, quo indiscriminatim res illæ emuntur sive a Laicis sive a Clericis, prout etiam contigit in portoriis,

Digitized by Google

sive Gabellis, quas mercatores solvunt pro transvectione mercium venalium, cum in his vectigalibus imponendis vero non alter habeatur respectus, quam ad ipsos mercatores, qui negotiationis causa merces asportant; ideoque per accidens fit : quod inde augeatur pretium, quodque etiam Clerici emptores earum mercium idem pretium solvant, quod Laici, prout eo exemplo utitur ipse Molina. »

GEOMANTIA

Vide verb. Superstitio, *num.* 17

GRADUS AFFINITATIS, ET CONSANGUINITATIS.

Vide verb. Affinitas, *art.* 2, *n.* 14. *Et verb.* Impedimenta matrimonii, *art.* 1 *a n.* 32.

GRÆCI.

SUMMARIUM.

1. Græcæ Ecclesiæ ritus et consuetudines nequeunt immutari, inconsulta Sede Apost. — 2. 5. Græci Italiæ et Insularum adjacentium subjiciuntur Episcopis Latinis, quorum in Diœcesibus degunt. — 6. 7. De Græcorum filiis baptizandis.—8. 12. De Græcorum Ordinationibus. — 13. 16. De Græcis Clericis conjugatis. — Græci Laici communicari possunt sub specie azymi in Ecclesia Latina, ubi desit Eccl. Latina. —17. In Sacram. administratione libris a sede Apost. approbatis uti debent. — 18. De præcedentia Græcorum et Latinorum. — 19. 33. Et alia ad rem

(1. Græcæ Ecclesiæ laudabiles consuetudines, jejunia, ritusque immutari nequeunt inconsulta Sede Apostolica; Bened. XIV, tom. 1 Constit. 87, incip. *Demandatam*, § 3.

(2. Græci Italiæ et Insularum adjacentium subjiciuntur Ordinariæ Jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcoporum Latinorum, in quorum Diœcesibus manent; idem Constit. 57. incip. *Et si Pastoralis*, § 9. (3. Ita tamen ut iidem Episcopi Vicarium Græcum retineant pro negotiis et causis Græcorum; idem *ibidem*. (4. Quemadmodum Metropolitanus pro causis Græcorum vigore Appellationis ad se delatis Judicem Græcum deputare debet; *ibidem*. (5. Si vero proprium Ordinarium Græcum habeant, ab Episcoporum Latinorum jurisdictione et visitatione exempti esse debent; idem *ibid.*

(6. Græcorum filii quo ritu baptizari debeant, vide verb. *Baptismus*. (7. Infantes Græcorum ad ejus Parochi jurisdictionem pertinent, cujus ritu sunt baptizati; Laud. Pontifex incip. Const. 57, § 2.

(8. Græcorum Ordinationes in Italia duobus Episcopis delegantur; uni Romæ commoranti, et alteri in Calabria in Collegio Corsino; idem *ibidem*, § 7. (9. Exclusis schismaticis Episcopis, et etiam Latinis, quantumvis locorum Ordinariis; idem *ibidem*; (10. Prædicti tamen Episcopi ad Ordinationes Græcorum deputati, nullam habent ordinariam jurisdictionem : nec ordinare possunt aliquos absque dimissoriis Ordinariorum, præter Alumnos Collegii Corsini; idem, *ibid.* (11. Tam ipsi quam alii quicunque Episcopi Græci Latinos ordinare prohibentur, sub pœna suspensionis; id. *ib.*

(12. Græci ordinati ritu Latino cum dispensatione Apostolica, promoveri possunt ad reliquos Ordines ritu Græco. Si vero ordinati fuerint ritu Latino absque dispensatione, coguntur remanere in ritu Latino, maxime si post susceptos Ordines latine vixerint; idem *ibid.*, § 7.

(13. Græcis Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis permittitur retentio uxoris, quam ante Ordinem Sacrum duxerint unicam, et virginem. (14. Si vero bigami sint, ad Sacros Ordines promoveri non possunt. (15. Et si post Ordines susceptos Matrimonium contrahant, separandi sunt, et ab Ordine deponendi; idem *ibidem*, § 7.

(16. Græci Laici communicari possunt sub specie azymi in Ecclesia Latina, ubi desit Ecclesia Græca. Nunquam vero Latini sub specie fermentati; idem *ibid.*, § 6. (17. Græci non aliis Libris Ecclesiasticis in Sacramentorum administratione, et Missis, Divinisque Officiis celebrandis uti possunt, nisi iis qui per Congregationem a S. Sede Apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti, typisque impressi fuerint; idem *ibid.*, § 9.

(18. Græcorum, et Latinorum præcedentiæ desumi debent a dignitate personali, ab Ordine, et antianitate; idem Constitut. 57, incip. *Et si Pastoralis*, § 9. (19. Græco-Melchitæ Latino ritu baptizati de præterito eligere possunt, quo ritu vivere velint. (20. In posterum vero sic baptizati, Græcum ritum sequi tenentur; idem Constitut. 87, incip. *Demandatam*, § 18.

(21. Græca lingua legitur Evangelium, et Epistola in Missa Pontificali Papæ. (22. Et id olim fiebat per Monachos Basilianos Cryptæ Ferratæ; donec ad Alumnos Collegii Græci munus istud translatum est; (23. idem tom. 2 Constitut. 33, incip. *Inter multa*. (24. Græci sine ullo proprii Ritus detrimento Latinorum Antistitum jurisdictioni subsunt; id. *ib.*

(25. Apud Græcos gradus octavus consanguinitatis, vel affinitatis respondet quarto gradui apud Latinos. Et in hujusmodi gradu Matrimonia prohibentur; idem cit. Constit. 57, incip. *Et si Pastoralis*, § 8.

(26. A Græcis in Sacris Ordinibus constitutis recitari debent horæ Canonicæ; idem *ib.*, § 7.

(27. Græci in Latinorum Episcoporum Diœcesibus commorantes impediri non debent, ne suis ritibus vivant; idem Constitut. incip. *Allatæ sunt*, § 13. (28. A Græcis, et Orientalibus ritibus non licet ad latinum transire absque dispensatione Apostolica; idem *ibid.*, § 21. (29. Græci, qui ritus suos ita sectantur, ut latinos damnent tanquam improbos, sunt hoc ipso hæretici; idem *ibid.*, § 22. (30. Græci non sunt a Latinis

Digitized by Google

Ecclesiis arcendi, ubi præsertim propria carent Ecclesia; idem *ibidem*, § 41.

(31. Uxores ante ordinationem ad Ordines sacros acceptas jure retinent Græci Sacerdotes; idem Constitut. incip. *Allatæ sunt*, § 13 et 22. Vide supra num. 13 ad 15.

(32. Italo-Græcis duo constituti sunt Græci Episcopi, qui eosdem ad Ordines promoveant; idem Constit. incipien. *Allatæ sunt*, § 15. Constitutiones pro Italo-Græcis editæ Græcos Græcis Episcopis subjectos non afficiunt; idem *ibid.*, § 15 et 16. Nec ipsis Italo-Græcis licet sine dispensatione Apostolica

ad latinum ritum transire; idem *ibid.*, § 21.

(33. Italo-Græci mentionem Romani Pontificis in Missa facere debent, idem Constitut. incip. *Ex quo primum*, § 17. Italo-Græci quoad commemorationem in Missa habendam, latinam disciplinam sequi tenentur. Ideoque nec Episcoporum, nec Patriarcharum Orientalium commemorationem facere debent in Sacrificio Missæ, *ibid.*, § 21. Italo-Græci Kalendario novo uti debent : attamen quandoque ex peculiaribus circumstantiis iisdem permissus est veteris Kalendarii usus; idem dict. Constitut. *Allatæ sunt*, § 45.

GRASSATOR, GRASSATIO.

SUMMARIUM.

1. Quis sit Grassator. — 2. Grassator non gaudet immunitate Ecclesiæ. — 3. 7. Quid requiratur ut privetur immunitate Ecclesiæ. — 8. Si, sex homicidiis commissis, Grassator assumpserit habitum Laici in Religione, annuente Sanctissimo, exuto habitu, conceditur justitiæ sæculari. — 9. Quando non probantur homicidia, extractus est restituendus. — 10. Gaudet immunitate, si delictum non est commissum in publica via. — 11. Quid decreverit S. Congreg. Immunit. — 12. In causa Grassationis datur Gubernatori facultas examinandi personas Ecclesiasticas. — 13. Constitutio Benedicti XIII circa prædicta.

(1. Grassator viarum, quamvis a multis cum latrone confundatur, stricte tamen loquendo, unus differt ab alio. Nam Grassator dicitur ille, qui in itineribus frequentatis, aut stratis publicis prædæ causa homines violenter, absque tamen occisione, aggreditur. Ita desumitur ex Bulla Gregorii XIV, incip. *Cum alia*, § 3, ibi : « Viarum Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediantur, » ubi, ut vides, nulla fit mentio de occisione. Latro autem publicus dicitur ille, qui violenter cum armis homines aggreditur, et spoliat cum occisione; Ameno, *de Pœnis* tit. 9, § 6, *Latrocinium* 3 et 4, Reiffenstuel, lib. 3 Decret., tit. 49, num. 34. Officialis Curiæ *quoad Immunitatem Eccl.* n. 4, et alii passim. Concordat et distinctionem inter Latrones et Grassatores facit l. *Capitalium* 28, § 10, ff. *de Pœnis*, ibi : « Grassatores, qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur. »

(2. Tam Grassator viarum, quam publicus latro non gaudet immunitate Ecclesiastica : *cap. inter alia*, 6 *de Immunit. Eccles.*, Gregor. XIV Constit. incip. *Cum alias*, et novissime Bened. XIII Const. incip. *Ex quo*.

(3. Grassator viarum, ut careat immunitate Ecclesiastica, requiritur I. ut non una tantum, vel altera vice, sed sæpius grassetur, et homines aggrediatur. II. Ut auferendi causa id fiat. III. Ut in itineribus frequentatis, ac stratis publicis hoc agat. IV. Ut de hoc constet notorietate Juris, vel facti; Reiffenst. *loc. cit*, *num.* 94, et alii passim, et sic sæpius decrevit Sac. Congregat. Immunit., ut patet in sequentibus decretis.

4. Grassatores non privantur Immunitate Ecclesiastica, nisi reiteratis vicibus delictum Grassationis commiserint; ead. Sacr. Congregat. Immun. in Beneventana 20 Novembr. 1640, lib. 3 Decret. Paul., pag. 133.

(5. Imo de Jure requiritur trina Grassatio ad hoc, ut quis privetur Immunitate Eccles. ead. Sacr. Congreg. Immunit. in Aprutina 14 Novembr. 1645, libr. 5 Decret. Paul., pag. 252.

(6. Et insuper requiritur plena, et concludens probatio quoad trinas Grassationes, ut quis privetur privilegio Immunitatis; eadem Sacr. Congr. Immunit. in Lauden. 7 Novembr. 1651, lib. 4 Decret. Paul., pag. 163.

(7. Verumtamen justificatis pluribus Grassationibus in publicis viis commissis extractus immunitate non gaudet, et consignandus est Curiæ sæculari; ead. Sac. Congr. Immun. in Brugnaten. seu in Florentina 11 Martii 1681, lib. 2 Decr. Altov., pag. 2165.

(8. Grassator publicus, qui commiserat sex homicidia, et postea assumpserat habitum Laici in Religione, carceratus ab Episcopo ante professionem, annuente Sanctissimo, exuto habitu Regulari, conceditur justitiæ sæculari; eadem Sac. Congregat. Immunit. in Mediolanen. 16 Septembr. 1625, lib. script. vet., pag. 71.

(9. Quando vero legitime non probantur prætensæ Grassationes, extractus est restituendus; ead. Sacr. Congreg. Immun. in Cremonen. 2 Maii 1691, lib. Decr. Rocci, pag. 232, in Fesunala 11 Sept. 1685, lib. 3 Decr. Altov., pag. 485.

(10. Sic quando delictum non est commissum in publica via, gaudet reus Immunitate; eadem Sac. Cong. Immun. in Albinganen. 22 Junii 1627, lib. 1 Decret. Paul., pag. 33.

(11. Mandatur Nuntio, ut constito quod Reus commiserit unicam Grassationem, reintegrata Ecclesia, annuat pro pœna extraordinaria, citra pœnam tamen sanguinis; ead. Sac. Congr. Immunit. in Neapolitana 2 Decembr. 1666, lib. 1 Decretal. Altov., p. 75.

(12. In Causa Grassationis annuente Sanctissimo datur Gubernatori facultas examinandi personas Ecclesiasticas, et Ministros Religionis Hierosolymitanæ, eosque cogendi in casu retinentiæ etiam per alium (modo sit Clericus) cum solita præservatione, et procedendi contra easdem personas, dummodo denuntientur; eadem Sac. Congr.

Digitized by Google

Immunit. in Viterbien. 19 Februar. 1695, lib. 1 Decret. Vallem. pag. 172.

(13. Supradicta autem modo sunt corrigenda, et regulanda juxta novissimam dispositionem Bened. XIII Constitut. incip. *Ex quo*, § 3, ubi sic præcise statuit : « Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit ut publicis latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, et Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur? Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes unicam tantum grassationem in via publica aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, et Grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus et declaramus. »

GRATIA, UT EST DONUM DEI

SUMMARIUM.

1. Gratia generatim capta quid sit? — 2. Gratia per respectum ad finem ad quem datur; dividitur in Gratiam gratis datam, et in Gratiam gratum facientem; et quæ est utraque. — 3. Gratiæ gratis datæ novem sunt species, et enumerantur. — 4. Gratia gratum faciens alia est habitualis, et alia actualis, et quæ sit utraque? — 5 Gratia habitualis sanctificans est duplex. Prima scilicet, et secunda, et quæ sit utraque? — 6. Gratia sanctificans actualis est triplex, scilicet excitans, seu prævenions, adjuvans, seu concomitans, subsequens, seu complens. — 7. Gratia excitans seu prævenions quid sit? — 8. Gratia adjuvans, seu concomitans quid sit? — 9. Gratia subsequens, seu complens quid sit? — 10. Gratia excitans dividitur in sufficientem et efficacem, et quæ sit utraque? — 11. Homini lapso datur interior Gratia mere sufficiens, quæ defectu consensus liberi arbitrii frustratur effectu a Deo ultimate intento. — 12. Adducitur, et solvitur instantia. — 13. Adducitur et solvitur alia instantia. — 14. Adducitur, et solvitur adhuc alia instantia. — 15. Gratia sufficiens datur omnibus. — 16. Homo potest cum gratia Divina, quæ nulli deest, omnia Dei præcepta observare. — 17. Facienti quod in se est ex viribus gratiæ Deus non denegat Gratiam. — 18. Nullatenus autem potest homo solis naturæ viribus Gratiam actualem etiam salutis initialem consequi. — 19. Gratia æqualis potest esse respectu unius sufficiens, et respectu alterius efficax. — 20. Imo aliquando convertuntur, qui minorem habent Gratiam, et non convertuntur, qui habent majorem. — 21. Gratia in actu secundo redditur efficax per cooperationem voluntatis humanæ elevatæ per Gratiam adjuvantem. — 22. Efficacitas Gratiæ potest spectari in actu primo et in actu secundo. — 23. Gratia Divina non necessitat voluntatem humanam ad bonum. — 24. Reliqua de Gratia, remissive. — 25. Subnectuntur duæ Appendices, in quarum prima agitur de vitio, atque eorum crimine agitur, qui Bajanismi et Jansenismi catholicas opiniones insimulant; in altera vero principaliores opiniones designantur, quæ notari erroris nequeunt.

(1. Gratia est donum Dei gratis homini concessum ex meritis Christi, reddens hominem Deo gratum, vel capacem eliciendi opera ad finem ultimum supernaturalem conducentia; Est in re communis. (2. Gratia, per respectum ad finem ad quem datur, dividitur in Gratiam gratis datam, et in Gratiam gratum facientem. Gratia gratis data specifice sumpta est illa, quæ præsertim ad aliorum utilitatem et salutem procurandam homini a Deo conceditur; Est in re communis. Gratia gratum faciens est illa, quæ ad ipsius recipientis salutem, et Dei gratiam obtinendam primario conceditur. (3. Gratiæ gratis datæ novem sunt species, quas enumerat Apostolus *I* ad Corinth. XII, ibi : ***Per spiritum alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*** (4. Gratia gratum faciens alia est habitualis, et alia actualis. Habitualis est qualitas supernaturalis inhærens permanenter homini, ipsumque formaliter et intrinsece sanctificans reddendo ipsum Deo gratum. Gratia actualis est aliqua motio in nobis divinitus excitata, qua transeunter illustratur intellectus ad bonum et malum cognoscendum, vel pulsatur voluntas ad illud prosequendum, et istud fugiendum in ordine ad beatitudinem. Gratia habitualis sanctificans est duplex : ***Prima*** scilicet, et ***secunda***. ***Prima*** Gratia dicitur, qua homo peccator primo justificatur, atque ex inimico amicus Dei constituitur, inde dicta ***prima***, quia nullam aliam gratiam habitualem præsupponit, cum ipsa immediate sit expulsiva peccati mortalis, et talis gratia prima per se confertur per Sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet, et Pœnitentiam. (5. Gratia ***secunda*** dicitur Gratiæ prioris augmentum, et omnis gratia sanctificans habitualis præsupponens in suscipiente primam, seu est illa, quæ confertur homini jam in Gratia constituto, indeque dicta ***secunda***. Et talis Gratia secunda per se confertur per sacramenta vivorum, scilicet Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, Extremam Unctionem et Matrimonium. Item talem gratiam secundam acquirimus meritorie per omnem actum meritorium, factum scilicet in statu Gratiæ.

(6. Gratia sanctificans actualis est triplex, scilicet excitans, seu prævenions, adjuvans, seu concomitans, subsequens, seu complens. Hæc Gratiæ divisio desumitur ex Scriptura Sacra; nam prævenientis fit mentio Ps. XX : ***Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*** Concomitantis *I* ad Corinth. X : ***Laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*** Et subsequentis Ps. XXII : ***Misericordia tua subsequetur me.*** Hujus triplicis Gratiæ meminit Concilium Trident. sess. 5, cap. 16, ubi sic dicit : « Ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera antecedit semper, et concomitatur, et subsequi-

Digitized by Google

tur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. » (7. Gratia excitans, vel prævenions est supernaturalis motio animæ ad bonum aliquod volendum, vel malum fugiendum; dicitur enim *excitans*, quia excitat hominem velut dormientem; dicitur *præveniens*, quia voluntatem prævenit; dicitur *antecedens*, quia antecedit consensum nostrum. (8. Gratia concomitans, seu adjuvans est illa, per quam Deus cum volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur ad illud volendum, et exsequendum, ad quod prævie excitavit. Hocque colligitur ex S. Augustino lib. *de Gratia et Liber. Arbitr.*, cap. 13, ibi. « Ut velimus, inquit, sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. » Dicitur enim *concomitans*, quia concomitatur liberum voluntatis usum; dicitur *adjuvans*, quia hominem jam motum, aut excitatum adjuvat ad bonum opus actu perficiendum, vel malum evitandum; dicitur *cooperans*, quia actionem bonam, ad quam Deus prævie excitavit, nobiscum coefficit. (9. Gratia subsequens, seu complens est illa, quæ liberum voluntatis consensum sequitur, corroborat et confirmat; de hac gratia loquitur S. Augustinus in *Enchirid.* cap. 32, ubi postquam de gratia prævenionte dixisset: *Nolentem prævenit, ut velit*, de subsequente subdit: *Volentem subsequitur, ne frustra velit.* Dicitur enim *subsequens*, quia subsequitur justificationem, et dat homini justificato, ut in sanctitate accepta confirmetur, ac perseveret; dicitur *complens*, quia corroborando hominem justificatum tribuit operi bono cœpto ultimam perfectionem, et complementum, ne justus iterum fiat impius, et ne a tali bono opere cœpto deficiat, et cadat; unde S. Fulgentius l. 1, *ad Monimum* cap. 11, de subsequente sic sumpta, sicuti et de præveniente, præclare ait: « Prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius.... prævenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat. »

(10. Gratia excitans dividitur in sufficientem et efficacem. Gratia sufficiens specifice sumpta est illa, quæ licet præbeat vires sufficientes ad ponendum effectum, ad quem ultimate datur, non ponitur tamen defectu consensus ex parte hominis. Efficax vero est illa, quæ semper et infallibiliter infert effectum ultimate intentum, et cooperationem liberi arbitrii. Utriusque hujus Gratiæ meminit Scriptura: de Sufficienti *II* ad Corinth. xv, ibi: *Sufficit tibi, Gratia mea:* et ad Philipp. iv, ibi: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Efficacem commemorat Ezechiel. cap. 26, ibi: *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis;* et Paulus ad Philippen. ii, ibi: *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* (11. Homini lapso datur interior Gratia mere sufficiens, quæ defectu consensus liberi arbitrii frustratur effectu a Deo ultimate intento. Est certissima apud Catholicos contra Pelagianos, qui Gratiam omnem rejecerunt, et contra Calvinum et Lutherum, qui omnem gratiam efficacem esse voluerunt, et ita efficacem, ut voluntas juxta Calvinum nonnisi rapta et necessitata operetur, imo juxta Lutherum, ut in actibus bonis mere passive se habeat nihil operando, et contra Baium et Jansenium, qui ultimus lib. 3, *de Gratia Christi* c. 3, dicit Gratiam sufficientem esse monstrum quoddam singularis gratiæ. Veritas nostræ conclusionis patet clare ex pluribus locis Scripturæ; Isaiæ enim v sic dicitur: *Habitatores Hierusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, quid debui ultra facere vineæ meæ, et non feci? Exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas;* ubi, ut vides, populus habebat gratiam interiorem, qua bene operari poterat; illa autem gratia non erat efficax, quia non habuit effectum, quoniam loco uvarum, fecit labruscas: ergo erat sufficiens, adeoque homini lapso datur interior gratia mere sufficiens, cui resistitur; Matthæi xxiii sic habetur: *Hierusalem, quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos; et noluisti*; Isaiæ lxv et ad Romanos x sic dicitur: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem*; Proverb. i: *Vocavi et renuistis*; Actor. vii: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*; *II* ad Corinth. vi: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* ex quibus aperte patet, dari gratiam sufficientem ad salutariter operandum, alias non posset juste Scriptura viam salutis negligentes increpare, et patet etiam, non omnem gratiam esse efficacem, nam inutiliter hortaretur Apostolus Corinthios, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Hinc merito Innocentius X in Constitut. incip. *Cum occasione*, damnavit ut hæreticam sequentem propositionem Jansenii secundam in ordine: « *Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, » et dict. Innocentii Constitutionem una cum aliis confirmavit, et innovavit Clemens XI Constitut. incip. *Vineam Domini Sabaoth;* ex qua damnata propositione aperte constat, et sequitur, quod Gratiæ aliquando resistatur, si autem resistitur, non est efficax, adeoque tantum sufficiens.

(12. Nec valet objicere illud Joan. vi ubi expresse dicitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum*, quod D. Augustinus lib. *de Prædestin. Sanctorum*, c. 8, intelligit de tractione efficaci, adeoque gratiam sufficientem non dare posse ire ad Deum, et consequenter esse superfluam. Non valet, inquam, quia supposito, quod fiat ibi mentio tractionis efficacis, distinguitur antecedens. *Nemo potest*, etc., absolute loquendo, negatur antecedens: omnis enim habens gratiam sufficientem potest absolute credere, et sequi Christum, cum nihil aliud requiratur ex parte Gratiæ. *Nemo potest*, etc., ex suppositione quod Deus viderit non venturum, conceditur antecedens, sed nihil inde contra nos.

(13. Item non valet objicere illud ad Romanos ix, ubi dicitur: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, quod non posset dici, si daretur Gratia, cui homo posset consentire, vel dissentire, quia in tali casu esset etiam volentis. Non valet, inquam,

Digitized by Google

quia respondetur distinguendo antecedens. Non est volentis ex propriis viribus, conceditur antecedens. Non est volentis quatenus Gratia excitati, et adjuti, negatur antecedens. Item non valet objicere, quod Deus nihil facit frustra, sed frustranea est gratia sufficiens, cum nunquam habeat effectum, adeoque, etc., (14. Non valet, inquam, quia respondetur distinguendo minorem. Est frustranea ex parte Dei, negatur minor; semper enim habet effectum proximum, et generalem, ad quem Deus illam tribuit, qui est instruere homines de mediis necessariis ad salutem, ipsisque præbere sufficientem illius obtinendæ potentiam. Est frustranea ex parte hominis potentis et nolentis ex sua malitia ipsi assentiri, conceditur minor. Unde gratia sufficiens de se nobis bona est utilis, proficua, medicinalis, cum det homini omnia, quæ ad actum primum completum sunt necessaria, ita ut nihil aliud requiratur ex parte Dei, ut quis possit plane operari salutariter. Hinc merito Alexander VIII, die 7 Decembris 1690, damnavit inter alias sequentem propositionem 6, in ordine : « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere, a Gratia sufficienti libera nos, Domine. »

(15. Gratia sufficiens datur omnibus ; *Est communis* inter Catholicos contra Calvinum et alios hæreticos, et habetur clare ex variis Scripturæ locis; Joan. enim I dicitur expresse : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod omnes Patres de lumine Gratiæ intelligunt; et signanter S. Augustinus lib. 1. de Genes. contra Manich., cap. 3, ubi sic dicit : « Illud autem non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda, quæ Deum credunt, et ad ejus præcepta servanda convertuntur, quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; » ad Rom. VIII, ibi : *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? I* ad Timoth. II, ibi : *Omnes homines vult..... ad agnitionem veritatis venire, et* II ad Timoth. II, ibi : *Deus vult omnes homines salvos fieri*; Psal. XVIII, ibi : *Non est qui se abscondat a calore ejus ;* Ezech. XXII, ibi : *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, et alibi sæpe consimiliter. (16. Homo potest cum Gratia Divina, quæ nulli deest, omnia Dei præcepta observare ; est communis inter Catholicos contra hæreticos nostri temporis, et habentur clare ex S. Scriptura Matth. II, ibi : *Jugum meum suave est, et onus meum leve*; Lucæ c. I, de Zacharia et Elisabeth dicitur : *Erant justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini*; *I* Joan. V, ibi : *Mandata ejus gravia non sunt*; ad Philipp. IV, ibi : *Omnia possum in eo qui me confortat*, et sæpe alibi consimiliter.

(17. Facienti quod in se est ex viribus Gratiæ, Deus non denegat Gratiam ; est communis, et colligitur ex Zach. I, ibi : *Convertimini ad me*, nempe per Gratiam prævenientem, *et convertar ad vos* per Gratias ulteriores, et tandem per Gratiam reconciliantem et justificantem ; Unde S. Thom. in q. disp., q. 14, *de Fide*, art. 11, ad 1, sic ait : « Si aliquis nutritus in Silvis, vel inter bruta animalia ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, scilicet cum auxilio gratiæ, certissime est tenendum, quod et Deus per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicuti misit Petrum ad Cornelium, » et idem S. Doctor qu. 14, *de Veritate*, art. 11, ad 2, expresse dicit : « Si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet in eo, quod est nobis necessarium. » (18. Nullatenus autem potest homo solis naturæ viribus Gratiam actualem etiam salutis initialem consequi. Est contra Pelagianos, et Semipelagianos, et habetur clare ex variis Scripturæ locis, Joan. VI, sic dicitur : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ;* item Joannis XV, habetur : *sine me nihil potestis facere; II* ad Corinth. III, sic dicitur : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, et similiter alibi sæpe : Unde S. Augustinus lib. II contra duas Epist. Pelagian., cap. ult., sic expresse concludit : « Nemo potest bonum inchoare sine Domino, » et S. Bernadus tract. *de Gratia et Liber. Arbitr.* vers. finem sic præcise dicit : « A Deo sine dubio fit salutis exordium, nec per nos, nec nobiscum. »

(19. Gratia actualis potest esse respectu unius sufficiens, et respectu alterius efficax. Colligitur clare ex S. Scriptura; Matthæi enim II sic præcise habetur : *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio egissent pœnitentiam* : quibus verbis Christus ostendit quod si Gratiæ eædem, quæ sunt concessæ habitantibus Corozaim, et Bethsaidæ, concessæ fuissent Tyriis et Sidoniis, certe cum illis egissent pœnitentiam, adeoque eadem Gratia fuisset efficax respectu Tyriorum, et sufficiens respectu aliorum. (20. Imo aliquando convertuntur illi, qui minorum habent Gratiam, et non convertuntur, qui majorem habent, ut colligitur ex Matth. XII, ubi Christus Judæos reprehendens dicit : *Viri Niniviæ surgent in Judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ* : Jonæ autem prædicatio fuit minor Gratia in Ninivitis, quam in Judæis, multa, et maxima Dei auxilia, adeoque Ninivitæ cum minori Gratia conversi sunt, et non Judæi cum majori. Tum quia certum est, aliquos superiores Angelos cecidisse, minores vero perseverasse in Gratia ; Gratia autem fuit major in superioribus, cum Gratia Angelis data sit cum proportione ad naturam. (21. Sic etiam probabile est, Judam accepisse majores Gratias pluribus prædestinatis. Hinc deducitur Gratiam in actu secundo reddi efficacem

Digitized by Google

per cooperationem voluntatis humanæ elevatæ per Gratiam adjuvantem, uti colligitur ex *II* ad Corinth. VI, ubi Apostolus clamat nobis ne in vacuum Gratiam Dei recipiamus; ibi: *Exhortamur, ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*; quibus verbis videtur clare monere, ut demus efficaciam Gratiæ, adeoque pendet a cooperatione nostra, non quidem nude, sed elevata per Gratiam adjuvantem, et hoc est conforme Concilio Tridentino sess. 6, can. 4, ubi asseritur esse in potestate liberi arbitrii consentire, vel dissentire vocationi: sic enim liberi arbitrii cooperatio reddit Gratiam efficacem, et concordat ratio, quia non alia ratione Gratia in actu secundo dicitur efficax, nisi quia voluntas consentit, et non aliunde est inefficax, nisi quia voluntas dissentit, adeoque, etc. (22. Dicitur autem notanter *Gratia in actu secundo*, quia efficacitas Gratiæ potest spectari in actu primo, hoc est, in quantum potest habere suum effectum, et sic Gratia habet efficacitatem in actu primo ab ipso Deo, qui ideo concedit illam homini, ut per illam operetur voluntas nostra. Et potest etiam considerari in actu secundo, in quantum scilicet suum effectum obtinet, et de efficacitate Gratiæ sic sumpta in actu secundo procedit conclusio.

(23. Gratia non divina necessitat voluntatem humanam ad bonum, nam voluntas Gratiæ resistere potest: Est communis inter Catholicos contra Calvinistas, Lutheranos et Jansenistas, et habetur clare ex Sacræ Scripturæ locis: Proverb. I, ibi: *Vocavi, et renuistis*; Actorum VII, ibi: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*; ad Romanos X, ibi: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem*; Matth. XXIII, ibi: *Quoties volui congregare filios tuos..... et noluisti? II* ad Corinth. VI, ibi: *Exhortamur ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*; Genes. IV, ibi: *Sub te erit appetitus tuus. et tu dominaberis illius*; Ecclesiastici XXXI, ibi: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus*, et sæpe alibi consilimiter. Accedit ratio, quia si homo non esset liber, non posset mereri, nec demereri, nec præmiari, nec puniri, quare Scotus in 1, dist. 30, inquit: « Negantes libertatem exponendos esse tormentis, quousque credant possibile esse eos non torqueri. » Hinc Innocentius X, in Constitut. incip. *Cum occasione*, damnavit ut hæreticam sequentem Jansenii propositionem, secundam in ordine: « Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur, » et, ut falsam, et hæreticam damnavit etiam hanc sequentem, quartam in ordine: « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium Fidei, et in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. » (24. Reliqua de Gratia quære apud Theologos.

APPENDIX PRIMA

In Articulo de Christi Gratia plura in Auctore desiderantur; et quæ exposita sunt, unius Scotistarum Scholæ opiniones indicant, et inter hæreticos stabilire videntur Auctores illos Catholicos, qui negantes dari Gratiam sufficientem obcæcatis et obduratis hanc dari omnibus negant; ac præterea talia argumenta ab eodem adhibita sunt ut quis suspicari facile possit, reprehendere eum voluisse Thomistarum, et Augustinianensium de Gratia efficaci opiniones. Hac de causa duas hasce addidi Appendices; in hac prima de vitio, atque eorum crimine agam qui Bajanismi, et Jansenismi catholicas opiniones insimulant (2); *in altera vero principaliores opiniones designabo, quæ notari erroris nequeunt.*

(25. Venio itaque ad grave eorum crimen explicandum, qui Thomistas, Augustinianos, et Theologos saniores morum regulas edocentes, Jansenismi accusant. Principio vero statuo, gravem esse culpam in re gravis momenti Apostolicæ Sedi non obtemperare, ejusque præcepta sub onere sanctæ obedientiæ, et sub gravissimis pœnis imposita palam contemnere. Id enim Catholicis est omnino exploratum. Videamus modo Apostolicæ Sedis Decreta et Constitutiones. Mitto latas in causa Baii Constitutiones, atque rem ex Innocentii XI decreto exordior. Is itaque die 2 Martii, anno 1679: « Omnibus in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ut tam in libris imprimendis, ac mss. quam in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscunque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede, re cognita, supra iisdem propositionibus judicium proferatur. » Deinde Innocentius XII, die 6 Januarii anni 1684, decreto suo sancivit, « Ne quis traducatur invidioso nomine Jansenismi, nisi prius legitime constiterit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse, ac tenuisse. » Vides Apostolicæ Sedis præcepta. Parent ne decretis, præceptisque hujusmodi, qui Thomistas, Augustinianos, ac Theologos eorum opinionibus non faventes Jansenianos palam prædicant; sed rem persequamur. Satis nota est celeberrima Constitutio, quæ incipit *Unigenitus*. Cum ea promulgata nonnulli Quesnellianismi, et Jansenismi insimulare cœpissent assertores Gratiæ per se efficacis, ac saniores morum regulas edocentes, re ad Clement. XI, Pont. Max., delata anno 1718, V Kalendas Septembris, Constitutionem edidit, cujus initium est *Pastoralis*, in qua ad eos coercendos, qui Scholarum opiniones cum damnatis in Bulla *Unigenitus* propositionibus confundebant; « Cæterum, inquit, in hoc ipso præpostero judicio consuetum calumniandi modum non derelinquunt, nisi enim excæcaret eos malitia eorum, ac nisi deligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam, et libere in

(2) Scilicet opiniones, quæ in catholicorum Theologorum scholis palam ac libere docentur, ac defendantur. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

Catholicis Scholis, etiam post editam a nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis, et non viderunt solem lucidissimæ veritatis (3). » Cum vero hæc satis non fuerint ad eos compescendos, qui partium studio incitati, atque superbiæ spiritu ducti, proprias alienis opinionibus præponere, et de adversariis victoriam, ac veluti reportatum triumphum canere student, Clemens XII, die 2 Octobris, anno 1733, novam Constitutionem edidit, quæ incipit, *Apostolicæ providentiæ officio*, in qua celeberrimæ Constitutionis *Unigenitus* mentione præmissa, in hunc modum loquitur : « Nos paterna quoque sollicitudine inhærentes magnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis offusas nondum ex quorumdam mentibus satis esse discussas, sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, censuræ laudatæ Constitutionis doctrinam Sanctorum Augustini, et Thomæ de divinæ Gratiæ efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas faciamus, universis, et singulis Christi fidelibus, quacunque dignitate, etiam Episcopali, et majori fulgentibus, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, et sub canonicis pœnis mandamus, ne disputantes, aut docentes, sive in Scholis, sive in concionibus, sive scriptis editis, sive aliter propositiones defendant, aut enuntient, quæ antedictas Novatorum calumnias firmare et promovere possint. Mentem tamen eorumdem Prædecessorum perspectam habentes, nolumus aut per nostras, aut per ipsorum laudes Thomisticæ Scholæ delatas, quas iterato nostro judicio comprobamus et confirmamus, quidpiam esse detractum cæteris Catholicis Scholis diversa ab eadem in explicanda divinæ Gratiæ efficacia sentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam, et libere ubique etiam in hujus Almæ Urbis luce docuerunt et propugnarunt. Quamobrem fel. record. Pauli V, et aliorum prædecessorum nostrorum ad restinguendum dissensionum fomitem vestigia prosequentes, et saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque nostra omnibus et singulis superius expressis interdicimus, et prohibemus sub iisdem pœnis, ne vel scribendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione notam, aut censuram ullam theologicam iisdem Scholis diversa sentientibus inurere, aut eorum sententias conviciis, aut contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum ac pronuntiandum censuerit. Pacem siquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcipit, inter Catholicæ Ecclesiæ filios fovere et communire debemus, et curamus, ut conjunctis diversarum licet Scholarum studiis firmius sit adversus errorris insidias præsidium. »

Accedunt etiam Litteræ in forma Brevis Benedicti XIII, ad universos Fratres Ordinis Prædicatorum adversus calumnias doctrinæ SS. Augustini et Thomæ intentatas, quarum initium est *Dimissas preces*. In iis itaque habetur : « Eos qui Constitutione *Unigenitus* damnatam Augustinianam, et Thomisticam doctrinam asseverant, Apostolicæ auctoritati detrahere » atque ita concluditur : « Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris de Gratia præsertim per se, et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis Sanctis Doctoribus Augustino, et Thoma se hausisse, et Verbo Dei, summorumque Pontificum et Conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse commendabili studio Schola vestra gloriatur. Cum igitur bonis et rectis corde satis constet ipsique calumniatores, nisi dolum sequi velint, satis perspiciant, SS. Augustini, et Thomæ inconcussa, tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictæ Constitutionis censuris esse perstricta : ne quis in posterum eo nomine calumnias struere et dissensiones tenere audeat, sub canonicis pœnis districte inhibemus. Pergite porro Doctoris vestri opera sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurrere ac per certissimam illam Christianæ doctrinæ regulam sacrosanctæ Religionis veritatem, incorruptæque disciplinæ sanctitatem tueri ac vindicare, » etc.

En Apostolicæ Sedis decreta, præcepta, ac latas in contemptores pœnas. At quæ sub præcepto, et in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub canonicis pœnis vetita sunt, ea gravem præ se obligationem ferre, nemo ignorat. Ita vero Apostolica Sedes vetat Jansenismi notare opiniones, quæ in Scholis a Thomistis et Augustinianis traduntur, quæ palam Romæ sub Pontificis oculis docentur, et propugnantur, et quæ ab auctoribus Catholicis proponuntur, dummodo per legitimam causam probatum non sit, sensum illas involvere damnatorum errorum. Quis ergo non videt, peccare eos, qui invidiosis hujusmodi nominibus viros catholicos traducunt, ac publicos etiam esse Apostolicæ Sedis contemptores?

At convicia et calumniæ hujusmodi non solum inobedientiæ et contemptus Apostolicæ Sedis reatum habent, sed injuriam maximam secum ferunt, ac alia quamplurima quæ peccatum augeant. Nam crimen hæreseos maximum est, ac maximam secum fert infamiam. Ergo gravissima viro præsertim Ecclesiastico, vel Regularium Ordini injuria fit, dum hæreticus prædicatur, et gravissimum peccatum hujusmodi convicium est. Accedit præterea odium, quod inde sequitur, et publicæ inter Ecclesiasticos viros inimicitiæ atque lites; quæ res Po-

(3) Vide testimonium ex Clementis XI vita a Petro Pollidoro descripta allatum, tom. II, verb. *Constitutio Unigenitus*, num. 2. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

pulo Christiano sunt maximo scandalo, atque hæreticis occasionem præbent contemnendi Ecclesiam Catholicam, fidemque Orthodoxam. Quænam vero etiam apud benigniores Theologos doctrina est, quæ a gravissima culpa mala hæc valeat excusare? Non solum enim charitas in re gravissima, sed etiam justitia manifeste læditur, ut ex iis, quæ de Charitate, et Justitia disputata sunt, manifestum est.

Dicet vero aliquis, non posse opiniones illas censura notari, sed fas esse Theologo, qui in opposita sententia versetur, Thomisticas vel Augustinianas opiniones ita confutare, ut ex earum opinione Bajanismum, vel Jansenismum consequi argumentetur. Ut enim cuique licet omni argumentorum genere contrarias opiniones refellere, ac proprias tueri, ita etiam licitum cuique erit ob absurda, quæ inde sequerentur, opiniones illas rejicere, quia veris illis constitutis, veras quoque astruere oporteret Baii, Jansenii, Quesnellique theses.

Non nego, licite id fieri posse, imo et quandoque hujusmodi oppositiones plurimum conferre censeo ad exponendum Catholicum dogma, et ad aperiendum explicandumque discrimen, quod inter damnatas ab Ecclesia propositiones, et Catholicorum opiniones intercedit. Quamobrem si servatis Charitatis legibus, ac eo tantum animo hujusmodi argumenta urgeantur, ut veritas magis magisque clarescat, et ut certi inter damnatam doctrinam, atque orthodoxas opiniones limites detegantur, laude digni Theologi haberentur. Sed si fallaces illas ratiocinationes, quas adhibent, tanti faciant, ut certos se esse jactitent, opiniones illas, Baianas, Jansenianasque esse, atque ita prædicent, tum peccant revera contra Apostolicæ Sedis præceptum, et apostolicam Sedem contemnunt cum pluris faciant privatam eorum opinionem, quam illius judicium et mandatum: peccant etiam contra charitatem et justitiam, quia lædunt quam maxime famam proximi sui, illumque ad odium et dissidia talia provocant, ut maxima inde in Christiano populo scandala sequantur; ac demum Catholicæ Religioni plurimum obsunt, tum ob honorem, quem præbent damnatis sectis dum cum iisdem Theologos nostros sentire prædicant, tum ob derisionem, cui apud illas sectas exponunt judicium Ecclesiæ, quod veluti iniquum traducitur, quasi in illis damnasset, quod in aliis tolerat, ac aperte permittit; tum denique quia ita difficiliorem faciunt errantium conversionem. Hæc vero tanti mihi momenti semper visa sunt, ut non modo convicia hæc, sed etiam hujusmodi argumentandi rationem horruerim. Neque enim facile fieri posse censeo ut ita argumentando scandalum apud simpliciores præcaveri possit, et ut animus, in eo, qui ita agit, desit in opinionem contrariam, illiusque assertores invidiam conciliandi. Accedit etiam argumenta hujusmodi mera esse sophismata, posita jam definitione Ecclesiæ, quæ decrevit opiniones illas a damnatis erroribus esse omnino diversas. Ecquis enim ignoret, in re Theologica purum purumque sophisma esse ratiocinium illud, quo probari quid jam contenditur, quod judicio Ecclesiæ adversetur? Quis ergo dicat non perverse agere, qui usu sophismatum violant charitatem, scandala creant, et ad minus periculo se se exponunt lædendi in re gravissima famam proximi, et contemnendi Ecclesiam?

Denique muneri desunt suo scholastici illi qui hujusmodi ratiocinandi rationem adhibent. Nam Scholasticæ Theologiæ institutum, ac Theologi officium est explicare orthodoxa dogmata, Novatorum adversus ea sophismata solvere, ac discrimen ostendere, quod inter proscriptos errores et catholicorum opiniones intercedit. Hac enim unice de causa Theologia Scholastica utilis dici potest; quodnam enim aliud est bonum, quod ejus usu Religioni atque Ecclesiæ afferri possit? Nunquid ingenii ostentatio, gloriosa apud homines, aut seria occupatio, quæ otium excludat? At propria duo Ecclesiæ malum potius quam bonum afferunt, tertium vero inutile prorsus est, nisi ex occupatione illa quidpiam erui valeat, quod Religioni prosit. Age vero, qui tanto conatu student Thomisticas, vel Augustinianas, aut aliorum Catholicorum hominum opiniones Jansenianas ostendere, an non potius confundere orthodoxas opiniones cum erroribus videntur, quam discrimen detegere, et explicare? An non favent potius, quam noceant errori proscripto, dum illum cum Catholici hominis opinione confundendo, occasionem Novatoribus præbent sub velo orthodoxæ opinionis tegendi errores ac hæreses? Ubi tunc est bonum, quod Ecclesiæ affert Theologia Scholastica? Nam ita potius errori quam veritati catholicæ præsidio est. Nec dici potest, obscuram hac in re materiam esse; etenim Ecclesiæ definitio, quæ Scholarum opiniones immunes ab errore declarat, perspicua est. Theologi Thomistæ et Augustiniani perspicue explicant discrimen inter proprias, et damnatas sententias, atque id egregie quoque tuentur. Ut ii ergo id faciunt, cur conjunctis viribus adversus errorum insidias ex horum etiam principiis agere Theologi reliqui non poterunt? Ita sane prudentiores omnes faciunt, dum contra Semipelagianos disputando, eos constituta quoque *scientia media* confutant, etsi hæc hujus aliquando erroris insimulata fuerit. Quare ergo Thomistica, vel Augustiniana, aut quacunque alia constituta hypothesi refellendi non erunt Lutherani Jansenianique? Hac via Catholicorum honori, Ecclesiæque bono consulitur, et conjunctis viribus ut Apostolica Sedes jubet, hæreses impugnantur. Hæc quantum ad Monitum: quoad explicationem Catholicarum opinionum, earumque a Janseniano errore discrimen, vide sequentem Appendicem.

ADDITIONES EX ADDITIONE BARBIELLINIANA.

Ad ea quæ affert auctor sub num. 29 per-

Digitized by Google

tinent Benedicti XIV litteræ in forma Brevis ad Facultatis Theologicæ Tolosanæ Decanum cæterosque ejusdem Facultatis Professores, anno 1753 datæ. Cum enim in Urbe Montepessulana propugnata fuisset Thesis his verbis expressa : « Prædeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati. » Facultas Theologica Tolosana rogata, ut suam de illa sententiam ferret, hoc de illa judicium tulit : « Judicium Doctrinale Facultatis Theologicæ Academiæ Tolosanæ contra Thesim non ita pridem in urbe Montepessulana propugnatam. » Rogata Facultate Theologica Academiæ Tolosanæ, ut suam de Thesi sequenti dicat sententiam. « Prædeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte Creaturæ. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati. » Ad hujus lectionem obstupuit Sacra Facultas, nec sine dolore audivit, vulgatam adeo apud Doctores Catholicos doctrinam, qualis est Prædeterminationis physicæ sententia, his deturpari notis, quibus acerbiores vix ullæ contra Manichæos et Calvinistas adhiberi possent. Quapropter censuit Sacra Facultas, hanc Thesim temere prorsus appositam fuisse, florentissimæ in Ecclesia Scholæ injuriam ferre iniquissimam, Pontificisque ac regis sanctionibus de pace in Scholis Catholicis servanda, fugiendisque censuris ac conviciis, quibus offendi utrinque possent, plurimum adversari. Actum Tolosæ die 8 Augusti, labentis anni 1752, in Conventu et Scholis S. Patris Augustini, ubi Comitia Sacræ Facultatis celebrari solent. Josephus Julien de Roubignac Sacræ Facultatis Decanus.

De Mandato DD. Decani et Magistrorum Sacræ Facultatis Tolosanæ.

Fondes Secretarius. Hoc autem judicium Benedictus XIV approbavit his litteris : « Dilectis Filiis Josepho Julien de Roubignac, Facultatis Theologicæ Tolosanæ Decano; cæterisque ejusdem Facultatis Professoribus Tolosan. Benedictus Papa XIV, Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« A Felicis Recordationis Clemente XII, nostro immediato Prædecessore, in suis Apostolicis litteris expeditis die 2 Octob. 1733, quarum initium est *Apostolicæ Providentiæ*, occasione disputationum in Catholicis Scholis vigentium in explicanda divinæ gratiæ efficacia, ita sancitum est; nec primum id ab eo sancitum est, cum illud ipsum ab aliis suis et nostris Prædecessoribus, jam sancitum fuisset : *Quamobrem Felic. Record. Pauli V*, « et aliorum Prædecessorum nostrorum, ad extinguendum dissensionum fomitem, vestigia prosequentes, et saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque nostra omnibus et singulis superius expressis (singulis scilicet Christi fidelibus) interdicimus et prohibemus sub iisdem pœnis, ne vel scribendo, vel docendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione, notam, aut censuram ullam Theologicam iisdem

scholis diversa sentientibus, inurere, aut earum sententias conviciis et contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum vel pronuntiandum censuerit. » Porro ex hoc nemo est, qui non videat Sacræ vestræ Theologicæ Facultatis sapientiam, sanam Doctrinam, atque justitiam, dum die 8 Augusti anni 1752 proscribendam censuit Thesim sequentibus verbis conceptam : « Prædeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati. » Hæc sunt quæ exponenda censuimus. dum vestris, dilecti Filii, litteris scriptis Idibus Martii currentis anni 1753, respondemus. Et tibi, aliisque professoribus Theologicæ Facultatis Tolosanæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 16 Martii 1753, Pontific. nostri anno 12. »

APPENDIX ALTERA.

In qua discrimen ostenditur inter Catholicas opiniones et Jansenianam hæresim ; ut vero clarior res fiat, exponuntur varii hominis status ad Gratiam comparati.

Status hic sumitur pro conditione illa, sub qua humana Natura ad suum ultimum finem juxta Providentiæ leges comparata concipitur : quo sensu ii, qui ultimum finem possident, eoque fruuntur in statu termini; qui vero per virtutes ac bona opera ad illud pervenire contendunt in statu viæ positi dicuntur. Dum hominem spectamus veluti in via positum, per quam juxta providentiæ ordinem ad finem pervenire studeat, triplicem distinguimus ipsius statum, hoc est, innocentiæ, naturæ lapsæ, et naturæ per Christi gratiam reparatæ. Status innocentiæ ille est, in quo fuit Adamus a Deo positus a doloribus, miseriis ac morte immunis, cum ea naturæ integritate per quam sensus affectusque perfectæ rationis imperio subesset, et cum originali justitia ac gratia sanctificante. Status naturæ lapsæ misera est illa Adami posterorum conditio, qui nondum per Baptismum ab originaria, quæ ex eodem Adamo trahitur, culpa liberati sunt. Status denique naturæ reparatæ is est, in quo sunt homines Christi gratia liberati et redempti. Atque ii status sunt, in quibus revera homo aut fuit, aut nunc est. Disputari quoque solet de statibus, qui non fuere : sed esse possent, qui possibiles appellantur, et inquiri : I. Num possibilis sit status puræ naturæ, in quo homo sine vitio, et sine Gratia esset, subjectus tamen infirmitatibus, aliisque miseriis, quibus nunc sumus obnoxii? II. Num possibilis sit status naturæ integræ, in quo supernaturali auxilio careret homo, nec ad supremam esset beatitudinem elevatus, sed iis naturæ præsidiis donaretur, quibus immunis fieret a nostris miseriis, ac per naturales virtutes iis respondentem beatitudinem comparare sibi posset. III. Denique num possibilis sit status naturæ lapsæ, non reparandæ,

Digitized by Google

in quo fuisset homo post Adæ peccatum, si Deus infinita sua misericordia eum non liberasset. De iis ergo statibus primum dicendum est.

Atque a recensendis proscriptis erroribus exordior. Pelagiani initio v Ecclesiæ sæculi negantes peccatum, Adamum dixere ita a Deo conditum, ut nunc homines nascuntur, sine ullo naturæ adjutorio, et sine supernæ Gratiæ auxilio. Horum hæresim excitavere iterum sextodecimo sæculo Sociniani, originariam culpam negantes, ac docentes Adamum mortalem, ac iis omnibus obnoxium conditum fuisse miseriis, quibus nos premimur. Iis proxime accedunt Arminiani, qui juxta Limborchii explicationem, in Adamo nullum supernaturale donum, nullamque indebitam prærogativam cognoscunt, licet scientia aliqua ei in illo statu necessaria donatum fuisse asserant, eaque rectitudine, qua nec inordinata concupisceret nec concupiscere posset, quia cum lex tunc non esset, liberrimus voluntatis usus sine culpa erat; et licet contra Pelagianos, ac Socinianos doceant, a morte futurum fuisse immunem, virtute fructus arboris vitæ, quo in Paradiso uti potuisset, statuunt nihilominus, hominem viribus naturæ, quas etiam in præsentia habet, Deo ultimo fini, ac superno bono proportionatum esse, ac ad illius possessionem pervenire posse; et Adamum peccato suo, secluso pravo exemplo, nihil prorsus homini nocuisse.

Contra vero Calvinus, Lutherus, Baius, Jansenianique, hominem ob Adami peccatum, ita vitiatum in natura, ac depravatum efficiunt, ut non tantum qualibet indebita in eo prærogativa desideretur, sed etiam naturales, ac propriæ ipsius virtutes, ac perfectiones, quibus ante illius peccatum Deo ita proportionatus erat, ut solis naturæ viribus cognoscere, amare, ac bono libertatis usu facile Deum consequi potuisset. Dicam paucis, omnia concessa Adamo bona, integritatis, justitiæ, innocentiæ, quibus a passionibus, infirmitate, ac morte immunis erat, et facile virtutem sectari, sancteque vivere poterat, naturæ fuisse proprietates, et appendices tradunt. In eo ergo cum Pelagianis, Socinianisque conveniunt, quod hominem omni bono spirituali, ac superna gratia destitutum, initio a Deo conditum asserant, et quod solæ ei naturæ vires ad finis consecutionem sufficerent; dissident vero, quia nunc nonnullis naturæ proprietatibus, et perfectionibus spoliatum asserunt. Ita vero Calvinum docuisse, verba hæc satis aperte declarant, quæ a Bellarmino recensentur *de Gratia primi hominis*, c. 1: « Ergo animam hominis Deus mente instruxit, qua bonum a malo, justum ab injusto discerneret: ac quid sequendum, vel fugiendum sit præeunte rationis luce videret. Hinc adjunxit voluntatem penes quam est electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio. » Vide nullam fieri supernaturalis gratiæ mentionem, sed libertatis tantum per peccatum amissæ, et naturalis cognitionis per istud obtenebratæ, ut ipse alibi exponit; Lutherus vero *Commentar.* in III Genes. caput, clarius loquitur, quia postquam dixit, « justitiam non fuisse quoddam donum, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adæ esset, diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, » subdit, « Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant. » Et infra, « Porro hæc probant, originalem justitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scolastici delirant. » In eamdem abiere hæresim Baius, ejusque sectatores. Vide Baii propositiones circa Gratiam Angelorum, et primi hominis, 1, 3, 7, 9, 21, 23, 24, 27, 65, 66, in quibus asserit Angeli primique hominis *merita* non recte vocare *Gratiam;* felicitatem, quam consecuti sunt Angeli, quamque perseverando assecutus esset Adam, non *Gratiam*, sed *mercedem* fuisse; *merita* primi hominis *munera* fuisse creationis, ac exaltationem humanæ *naturæ* in divinæ consortium, id est justitiam, et sanctificationem, sive in Filii Dei adoptionem, naturalem dicendam esse, non supra naturæ ordinem, atque indebitam; naturalem itidem, sive juxta naturæ conditionem fuisse immortalem. Denique irridet theologos dicentes, Adamum supernaturalibus, et gratuitis donis ac auxiliis indiguisse, ut fide, spe, et charitate Deum coleret. Hæc vero cum ita se habeant, quis non videt, Baium cum Calvino, ac Luthero sensisse, hominem a Deo initio formatum cum debitis ipsius naturæ perfectionibus, ea fuisse mente, ac libertate præditum, qua bonum malumque discernere, sancte vivere, ac æternam adipisci beatitudinem potuisset, si vellet; quave perfecte corpus, ejusque motus deprehenderet, ac nutu suo facile regeret, corpus denique habuisse, nec infirmitatibus, nec morti obnoxium? Ita sane ipsius sententiæ declarant, atque ita expositæ illæ fuere a celebrioribus theologis, scilicet a Bellarmino *de Grat. primi hominis* lib. 1, cap. 1, ab Aloysio Turriano in tract. contra Baium, cap. 1, § 1, a Vasquesio, a Suaresio proleg. 6, *de Grat.* cap. 2, n. 5, a Ripalda, Goneto, Estio, Francisco Macedo, aliisque. Hoc vero posito, quis non videt, turpiter eos errare, qui censeant, cum Baio sentire, negantes possibile statum puræ naturæ quia hic propos. 55 dixerat: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur? » Nam Baius puram naturam hominis eam credidit, quæ in Adamo fuit, nunc vero non puram, sed depravatam, vitiatam, ac in naturalibus corruptam ob peccatum esse, et a Deo vitiatam fieri non potuisse naturam asserit (4). At qui

(4) Quæ Baii mens in hac controversia fuerit, ex propositione ejusdem, num. 79, eruitur, quæ est hujusmodi: « Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari sine justitia originali. » Quæ quidem propositio cum S. Thomæ doctrina aperte pugnat. Hic enim in lib. 1, I. sententiarum dist. 31, quæst. 1, art. 2, ad 3, inquit: « Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogaretur·

Digitized by Google

negant inter Catholicos, naturam puram a Deo creari potuisse, ex aliis principiis id erunt, quæ non sunt improbata, ut infra ostendemus. Redeo nunc ad rem.

Neque dubitari potest, quin in eadem cum Baio hæresi fuerit Jansenius damnati illius systematis propugnator acerrimus, cum recensendo Adamitiæ culpæ consecraria ea doceat, quæ ex pravis Baii principiis sequuntur, de quibus infra dicemus. Interim indicare sufficiat Quesnellianas illas theses, quæ eumdem errorem præseferunt. Sunt vero 34, 35, 36, 37, in quibus declarat, Adami gratiam, quæ sequela fuit creationis, debitam adhuc integræ naturæ fuisse, et humana duntaxat produxisse merita; ac discrimen designando, quod gratiam status innocentiæ, atque Christi Gratiam intercessit, ait illam quemque *in propria persona* recipere debuisse, hanc vero *in persona Christi;* ac illam, sanctificando hominem in semetipso, fuisse *ei proportionatam;* hanc vero, nos in Christo sanctificando, omnipotentem esse, ac Dei Unigenito Filio dignam. Quæ sane perspicue designare videntur, voluisse Quesnellium astruere integritatem, ac sanctitatem, cæterasque Adami prærogativas, naturæ nondum per culpam depravatæ, inseparabilem conditionem, ac debitas proprietates fuisse. Id vero ne gratis videatur assertum, celebres nonnullos theologos indicandos censui, qui rem ita explicaverunt. Vide Jacobum Fontanam tom. 1 Constitut. *Unigenitus propugnatæ* pag. 747 et seq. Instructionem editam, ac probatam post comitia Cardinalium, Archiepiscoporum, et Episcoporum Galliæ anno 1714. Henricum Cardinalem Bissy in tractat. Theologico advers. Quesn. etc. Gregorium Selleri S. R. E. Card. in principio tom. VI, aliosque theologos.

Habes itaque hæreses contra catholica de statu innocentiæ dogmata, quæ credere nos cogunt, Adamum in illo fuisse statu positum, supernaturali Gratia instructum, per quam in sanctitate et justitia constituebatur, et a morte, miseriisque immunem; nec denique concupiscentiæ, et passionibus subjectum, cum affectus rationis imperio omnino subditi essent. Dum hæc intacta maneant, nil est quod in Scholasticorum opinionibus reprehendas, quæ versantur, vel circa instans, in quo fuit illi Gratia collata vel circa distinctionem originalis justitiæ a charitate; vel circa necessitatem originalis Gratiæ per se efficacis, ultra sufficientem, vel circa naturam habitus supernaturalis auxilii, aliudve simile. Dum enim statuas habuisse supernaturale auxilium, sine eo nil agere potuisse, quod ad æternam felicitatem conferret, ac liberum sub hoc auxilio mansisse, fides nostra sarta tecta servatur, sive dicas, Gratiam sanctificantem habuisse, et sufficientem qua bene agere posset, si vellet; sive auxilium efficax ultra sufficiens ad salvandam dependentiam a Deo, necessarium ei fuisse ad agendum opineris; sive putes supernam dilectionem divinitus eidem inspiratam, ac in eo permanentem charitatem fuisse, qua sanctus Deoque charus esset, et qua si vellet, bene agere, ac in accepta justitia perseverare potuisset, quin etiam novo auxilio adjuvaretur, sive alio modo Scholasticis etiam ignoto explices inhærentem, aut permanentem in eo sanctitatem, et justitiam, et supernum adjutorium, sine quo bene agere, ac perseverare non poterat. Idem de integritate, aliisque privilegiis dicas; nam modo rationis in affectus imperium astruas, ac immunem illum a morte fuisse concedas, nil vetat, quominus vel in Gratia supernaturali, vel in naturali rectitudine vim illius imperii constituas, et quominus una, vel altera hypothesi, qua id contigerit ratione demonstres; sicut liberum cuique est investigare, quo infirmitatibus modo, et morte futurus fuisset immunis, dum tamen legem fateatur, qua a moriendi necessitate liberabatur.

Pauca nunc de statu puræ naturæ dicemus idque ex eo quod Sporerius, sive illius supplementi auctor, aliique confidenter asserant, Baianos, Janseniauosque esse, qui hunc possibilem negant, sed ducti principiis superius a nobis expositis, quæ sunt hæreseos ab Ecclesia notata. Si ergo theologi sunt, qui principia illa improbent, ac alia via adstruere conentur, vel Deum hominem concupiscentiæ rationi rebelli subjectum condere initio non potuisse, vel debuisse etiam illum supernaturali gratia donare, cur damnati erroris contra Apostolicæ Sedis sententiam arguuntur? Sunt vero quamplures, qui hominem fieri potuisse, qualis nunc nascitur, negent, ac nonnulli etiam, qui attenta divina Providentia, nequidem sine Gratia condi posse propugnent. Ex iis autem nemo cum Jansenianis convenit in damnatis erroribus. Ii enim, ut vidimus, integritatem justitiamque originalem, et sanctitatem debitas naturæ proprietates astruebant. Contra vero Augustiniani, aliique theologi orthodoxi, hæc indebita homini esse, ac sanctitatem gratuitum donum supernaturale fatentur; negant vero posse hominem fieri concupiscentiæ subjectum; quia hunc effectum peccati ad peccatum inclinantem, et contra naturam esse hominis rationalis juxta SS. Augustinum et Thomam opinantur (5). Quid vero in hoc est revelationi, ac definitioni Ecclesiæ contrarium?

Dicent fortasse, damnatam esse Baii propositionem, quæ hominem fieri potuisse negat, sicut nunc nascitur. Sed jam dixi, quo sensu hæc proscripta fuerit, ac celebriores theologi asserunt, hanc unam ex illis esse, quæ aliquo pacto defendi possunt; licet attentis Baii principiis jure meritoque proscripta in eo fuerit. Videatur Petrus

quia hoc ex principiis naturæ consequitur: non tamen iste defectus in eo rationem culpæ, et pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. » Confer S. Augustinum *de Dono perseverantiæ* cap. 11. (Edit. Barbiell.)

(5) Si quis SS. Augustini, ac Thomæ Opera soluto a præjudiciis animo evolverit, plane intelliget rectene, an secus ad eosdem provocent, qui *naturæ puræ statum* repugnare negant. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

Mansius *de Peccato originali* quæst. 4, ubi plurima profert ex Augustino, Thoma, Bonaventura, Alensi, aliisque theologis qui probant concupiscentiam esse ab appetitu sensitivo distinctam, ac perversam affectionem, sive qualitatem, quæ Deum auctorem habere nequeat (6). Accedit etiam quod si ex illa fas esset inferre, potuisse revera Deum hominem facere qualis nunc nascitur cum nunc peccato nascatur infectus, ita quoque fieri potuisse oporteret, quo nil absurdius (7).

Alii vero censent, non solum fieri a Deo non posse hominem concupiscentiæ subjectum, sed nec etiam supernaturali Gratia destitutum; non quod hæc naturæ sit debita, cum donum sit gratuitum, et supernaturale, sed quia posito homine ad imaginem Dei formato, ac amante Deum, atque in ipsum veluti in ultimum finem suum tendente, illumque appetente, Providentiæ ordo postulat, ut ea ipsi concedantur, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria; et sicut alii theologi teneri Deum ex Providentiæ lege asserunt ad unicuique dandum in hoc statu auxilia sufficientia Redemptoris, quibus possint homines expedite, et proxime mandata servare; quæ tamen auxilia etsi ex illa lege debita, ad veram tamen Gratiam pertinere tuentur; ita isti quod hominis naturam exigere asserant imaginem Dei, innatum Dei clare videndi appetitum, et esse non possit, quin Deum amet, quem tamen nequit sine Gratia diligere, nequidem ut naturæ auctorem, in quocunque statu ex Providentiæ, et justitiæ lege homini Gratiam Conditoris deberi opinantur, ut mandata servare, Deum auctorem suum diligere, ac optatam beatitudinem consequi valeat.

Opinio hæc novatorum supra expositam hæresim detestatur, atque in tribus fundatur principiis, in quibus theologi pro libito disceptare salva fide possunt: nam asserunt I. Hominem natura sua ad imaginem Dei esse. II. Fieri non posse, quin indito naturæ appetitu feratur in Deum ipsius auctorem, ac finem clare videndum. III. Amare non posse Deum nequidem ut naturæ auctorem, quin superna gratia a creaturis, et supra seipsum elevetur, ac dirigatur in Deum propter se amabilem. Hæ vero opiniones sunt, quæ revelatis principiis, et Ecclesiæ definitionibus non adversantur, et quæ in scholis catholicis semper (8) apud nonnullos viguere. Ex hujusmodi principiis erunt, Deum condito homine rationali, vi suæ providentiæ, debere illi Gratiam conferre, qua suum auctorem diligere possit, servare mandata, et in finem suum pervenire; qua Gratia is, qui est natura servus, adoptatur, ut licita serviat, et suum dominum colat, et jus habeat ad illam hæreditatem, sine qua beatus esse non possit. Ubinam hæc opinio ab Ecclesia proscripta est? Imo Apostolica Sedes ut improbat eos, qui contrariam, quæ communior est, Pelagianismi et Manichæismi cum Jansenio insimulant, ita eos reprehendit, qui hanc Jansenianismi accusant. Atque hæc una ex illis Scholæ opinionibus est, quæ a Catholicis etiam Romæ sub oculis Pontificis propugnatur: Mitto enim Contensonium celebrem e Dominicana familia teologum, aliosque, qui editis jam operibus variis in locis puræ naturæ statum impossibilem tradidere Cardinalis Norisius, Fulgentius Belelli, et Laurentius Berti Romæ hanc propugnaverunt opinionem, ac in editis in lucem Operibus asseruere, et eamdem traditam vidi ac publice propugnatam, non solum in schola Augustinianensium, sed etiam a Monachis Cassinensibus in Monasterio S. Calixti, et a Viro Clarissimo Antonio Francisco Vezzosi Clerico Reg. in Conventu S. Andreæ de Valle. Sed hæc satis de statu innocentiæ, et naturæ puræ.

Disputandum nunc est de statu naturæ lapsæ, hoc est de misera illa conditione, in qua humanum genus ob Adami culpam nunc reperitur, spoliatum nempe naturæ indebitis donis; miseriis, quibus premimur, concupiscentiæ, potestati Dæmonis, Deique indignationi subjectum, ac Adamitica ipsa culpa per generationem propagata infectum. Orthodoxa fides docet, omnes homines ex Adamo propagatos, etiam ex Fidelium parentibus ortos, originali peccato infectos nasci, esse jure ad æternam felicitatem privatos, filios iræ, atque vindictæ, et æternæ damnationi obnoxios. Hæreticorum nonnulli, ut Pelagiani, Sociniani et Arminiani, originale peccatum negant. Lutherani vero, Calviniani, ac Janseniani, nimium illius effectus extollunt. Nam per istud liberum arbitrium omnino exstinctum prædicant, ac rationem misere obtenebratam, depravatamque ipsam naturam. Ad Lutheranos, Calvinianosque quod spectat, præter quam quod peccatum originale in concupiscentia formaliter positum asserunt, quæ etiam in baptizatis remanet, aiunt, Baptismum tegere tantum, aut radere, non vero tollere originale peccatum, et editi contra eosdem in Concilio Tridentino Canones palam faciunt, docuisse etiam perditum omnino Adami culpa fuisse liberum arbitrium. In quam hæresim abiisse quoque Baium, Jansenium, atque Quesnellium, eorum damnatæ propositiones ostendunt, ex quibus constat, in homine post Adami peccatum libertatem deesse indiffe-

(6) Hæc testimonia ad ea exigenda sunt, in quibus controversiam de qua agitur, tractant, ne pugnantia tradidisse existimentur, quod eorum doctrina, et gravitate indignum esset. Vide Cl. de Rubeis Tractatum Theologicum *de Peccato Originali* cap 51, seqq. (Edit. Barbiell.)

(7) Nihil quidem hoc absurdius. Verum ecquis unquam theologorum fuit, qui, cum hominem potuisse a Deo creari initio, qualis nunc nascitur, defenderet, *peccato infectum* creari potuisse tueretur. Quis verba illa *qualis nunc nascitur*, de defectibus, qui *rationem culpæ, et pœnæ non haberent*, intelligenda esse non declaravit? (Edit. Barbiell.)

(8) Vellem, ut nunquam *tò semper* theologo et docto et amico, dum viveret, meo excidisset. Quibus enim testimoniis confirmari, quod tam confidenter affirmari potest? (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

rentiæ, ad merendum, et demerendum satis esse, ut a coactione immunis sit, nec requiri ut a necessitate antecedente, et inevitabili sit liber. Hinc aiunt, peccare homines damnabiliter, etiam in iis, quæ vitare nequeunt, indeliberatos concupiscentiæ motus esse vera peccata; impossibilia Deum jubere, ac hominibus quoque justis impossibilia esse aliqua Dei præcepta, atque iis similia, quæ clariora fient eorum exposita hæresi.

Omnes ergo novatores isti aiunt, Adamum per voluntarium peccatum dona naturæ debita amisisse, et inter alia libertatem indifferentiæ; et claram cognitionem eorum, quæ ad jus naturæ pertinent. Quamobrem ignorantia eorum, quæ ad naturæ legem pertinent, et agendi, peccandique necessitas, atque concupiscentia rebellis, veluti voluntarie in Adamo volitæ reputantur. Ideoque invincibilis juris naturæ ignorantia a culpa non excusat, indeliberati concupiscentiæ motus peccata sunt contra præceptum *Non concupisces*, et operationes omnes, quamque necessariæ, ut sunt opera omnia Infidelium, secundum hypothesim Jansenianam, sunt peccata quia necessitas illa, qua inevitabiliter fiunt ex voluntaria, et libera Adami culpa, cum quo nos quoque peccavimus, orta est, ac remanet in homine, etiam postquam per Baptismum sit originale peccatum sublatum.

Itaque homo post Adami peccatum libertatem amisit, ac necessarie agit quæcunque operatur. Quamobrem spectari juxta novatores hujusmodi debet, veluti agens necessarium, delectatione ad ea, quæ operaturus sit, determinandum. Itaque sicuti bilanx determinatur pondere, et sicut lanx quæ majori premitur pondere necessario inclinatur, ita necessarie in eam trahitur partem hominis voluntas, in quam major delectatio urgeat. Hæc est vera Janseniane hæresis imago a Luthero, et Calvino delineata, sed a Baio, Jansenio atque Quesnellio veluti aliquo velo obducta. Videant vero ii, qui Augustinianos, ac Thomistas Jansenianismi insimulant, num jure horum de libertate hominis sententia, cum Jansenii systemate confundatur? Nam ii omnes fatentur per Adami peccatum attenuatas quidem esse liberi arbitrii vires, sed manere adhuc indifferentiæ libertatem.

Sed antequam ad aperiendum discrimen veniamus, quod inter hos novatores, catholicosque theologos intercedit, observare necesse est, tria alia illos statuere, quæ sunt cum recensito errore connexa; scilicet amissam cum libertate fuisse naturalis scientiæ cognitionem, castumque amorem Dei integræ naturæ debitum, ac loco istius dominantem cupiditatem successisse. Cum vero in homine necessitas, ignorantia legis, et vitiosa cupiditas ob peccatum insint libere in Adamo commissum, asserere non verentur, ad peccatum et demeritum agendi necessitatem non obesse, sed libertatem sufficere libere in Adamo amissam, eamdemque ob causam peccata esse, quæ ex ignorantia etiam invincibili contra naturæ legem fiunt, atque dominantis concupiscentiæ motus.

Hæc basis est Janseniani systematis. Ut vero pessimas, quæ inde nascuntur, consecutiones, intelligere valeamus, duo illi amores, sive duæ illæ delectationes exponendæ sunt, quibus veluti pondere necessario flectitur, agiturque voluntas. Sunt ii duo amores: amor mundi, qui vitiosa cupiditas, ac terrena quoque delectatio dicitur; et amor Dei, sive charitas a Deo inspirata. Nullam in homine actionem esse contendunt, quæ aut ex vitiosa illa cupiditate, aut ex charitate perfecta non oriatur. Quamobrem, quæ ex charitate non sunt, ea omnia ex cupiditate, ideoque vera peccata esse prædicant. Hinc omnia opera Infidelium, et peccatorum cum ex charitate non sint, veluti ex vitiata radice prodeuntia infecta esse, atque peccata aiunt: Hinc vel ipsum timorem gehennæ, quo peccator ad conversionem disponitur, actusque reliquos, qui a charitate non oriantur, cujusque generis sint, vera peccata esse definiunt. Hac de causa, aiunt liberum arbitrium sine sanctificante Gratia nihil nisi peccatum operari posse, atque Gratiam omnem extra dominantem charitatem, etiam sufficientem, excludunt. Hæc indicasse sufficiat, ut inde concludere clare possim, toto cœlo Thomistarum, Augustinianensium, aliorumque theologorum opiniones, ab horum novatorum erroribus dissidere. Nam ut incipiam a libero arbitrio.

Quis ex his est, qui Adami peccato exstinctum asserat? Nunquid illud perimit Gratia efficax? At hæc infirmo, et attenuato arbitrio a Deo datur, ut illud roboret, adjuvet, perficiat, modo tantum ejusdem indoli consentaneo, libero scilicet, cum libera sit illius indoles; Gratia enim efficax quæ lapsis hominibus datur, medicinalis est, neque præsumi potest, peritum medicum cognitio ægroti morbo medicinam porrigere, qua illum occidat. Quis ergo credat, meum divinum medicum cui arbitrii infirmitas cognita est congruam medicinam non porrigere? Si Adami peccatum non exstinxit arbitrium, nunquid medicina divina illud interficiet? « Si non occiditur per vulnerantem, » inquit Prosper, « nunquid per medentem? » Quod medicus gravi infirmitati, natura sua efficax remedium porrigat ideone ægroti natura detrimentum accipiet? Paucis dicam, efficax Gratia actio est Dei omnipotentis, qui non tollere, sed roborare, juvare, perficere vult libertatem; ergo perficit, non minuit, non exstinguit; alioquin effectus infinitæ causæ virtuti non responderet. Dices: intellectu difficile est, qua ratione id cum arbitrio concilietur. At mysterium est, ut ait S. Augustinus, quid ergo mirum?

Hæc vero non ad Thomistas tantum, sed etiam ad Augustinianos pertinent. Si enim medicinalis efficax gratia a Deo ad perficiendum libertatis usum destinata est, sive hæc præmotio dicatur, sive divina inspiratio sive dilectio prævia, ac victrix, semper Dei actio est, atque effectum parit, quem Deus vult. Quid si dicant moralem necessitatem afferre præviam prædominantem delectationem? Quis unquam hanc proscripsit opinionem?

Digitized by Google

Sed ut os obstruatur imperitis nonnullis quibus Sorbonicus ille Tournelius imposuit, dum asseruit delectationem superiorem, seu relative victricem, basim constituere Jansenii systematis, paulo fusius rem agam. Opinio hæc, damnata jam Janseniana hæresi, propugnata fuit a Basilio Pontio, Augustino Burgensi, Mansio, Macedo, Haberto, Cardinali Lauria *iterum iterumque impresso Romæ* 1770, *per Barbiellinum*, Cardinali Norisio, aliisque; et Romæ sub oculis Pontificis Summi tradita, et propugnata fuit ab Augustinianis, et monachis Cassinensibus, ac asserta, et typis tradita a Laurentio Berti, aliisque. Nunquid passa id fuisset Apostolica Sedes, cujus judicio Janseniana hæresis damnata fuit, si res ita se haberet, ut Tournelius asserit; imo pluries hæc doctrina expensa fuit, ac post illius examen, Norisius cardinalis renunciatus fuit, ac Berti laudatus. Sed annon Molinianı ipsi propugnant Gratiam relativam, comparatam malitiæ gradibus, quæquæ respectu Syriorum est efficax seu victrix, et respectu Corozaitarum inefficax est (9)? Nunquid hæc a Jansenianis differt, quia Gratiam, non vero inspirationem, lumen cœleste, sanctam delectationem vocant? At hic non est de nominis appellatione contentio. Itaque cum jam sit notum, Jansenium exstinctum asserere arbitrium per peccatum Adami, jam patet fundamentum systematis: ac delectatio illa victrix in Jansenio non potest libertatem, quæ non est, tollere, sed naturam necessarie operantem flectere debet; ut ab aliis vero usurpata, juvat, fovet, perficitque libertatem, ut alia quæcunque efficax Gratia.

Dissident præterea Thomistæ, Augustiniani, aliique ab istis novatoribus: Quia isti præter dominantem charitatem, nullam aliam Gratiam agnoscunt, ac sufficientem damnant. Contra vero Thomistæ sufficientem astruunt, quæ vere potentiam perficit, ac dat posse operari, atque hanc ab efficaci diversam statuunt, concessamque asserunt non prædestinatis tantum, sed catholicis, hæreticis, ac etiam infidelibus, licet nonnulli eorum cum aliis catholicis sentiant non dari parvulis decedentibus in utero matris ac obcæcatis nonnullis peccatoribus, et infidelibus. Qua in re consentientes quoque habent Augustinianos, qui Gratiam sufficientem, usurpata ab Augustino phrasi, etiam parvam vocare solent, quod concupiscentiæ conatus non vincat: Differunt vero isti a Thomistis, quia sine novo auxilio hanc satis esse aiunt ad orandum, si homo velit, ut Gratiam uberiorem ad vincendum aptam obtineat.

Aliud est Augustinianæ doctrinæ caput, quod cum damnatis erroribus aliqui imperiti

confundunt, quod scilicet ii doceant hominem teneri ad actiones suas humanas in Deum ultimum finem dirigendas, nec posse eas ita in Deum referre sine Gratia. At a Jansenianis, Baianisque hæc opinio differt, cum Augustiniani dicant, tantum vel actu, vel virtute in Deum referendas; cum astruant, præsto esse infidelibus, et peccatoribus etiam, saltem non obcæcatis, Gratiam, qua ita actiones dirigant suas; cum fateantur, non ita esse mentem ab originali culpa depravatam, ut motus aliquos bonos natura sua habere non possit, ac non habeat, et ut Gratia destituta necessarie ad peccandum trahatur. Nam beatitudinis amor, qui in natura est, bonus est naturæ motus, et si qui sint actus, qui ad Deum non referantur juxta Augustinianos, non sunt mali, ac lethalia peccata, quæ ab infecta dominante cupiditate inficiantur, sed mali tantum dici possunt ob defectum rectæ ordinationis, ac fere semper culpa venialis, ac levissima sunt. Rursum gehennæ metum in pœnitente bonum, ac salutarem fatentur, et novatores hac in re validissime confutant, licet asserant esse præterea ad justificationem obtinendam necessariam initialem charitatem qua, et Deum pœnitens diligere incipiat, et sese a creatura avertere atque convertere ad Creatorem. Hanc opinionem censura notari posse vetuit Apostolica Sedes, ut videre est in superiore appendice. Vides ergo quam late distent catholicorum opiniones a damnatis sententiis.

Sed unum adhuc monendum superest scilicet, notandos non esse catholicos, qui salva fide, qua credimus hominem justificari per Gratiam eidem inhærentem, Gratiam ei necessariam esse ad bene agendum etiam ad initium fidei, eamque iis conferri omnibus quos supra diximus, atque hanc arbitrii libertatem juvare, et roborare, non adimere; diverso a recepto in scholis modo supernaturalium donorum, et Gratiæ interioris naturam explicent. Nam id Philosophi potius munus est modum declarantis, quo actiones nostræ fiant, habitusque in anima insit, quam theologi revelationem unice proponentis, atque consecutiones ex ea deducentis. Quis ergo reprehendat illos, qui sanctificari animam per charitatem asserant, et charitatem esse vel Dei in nobis permanentem actionem, vel inspiratam divinitus dilectionem, quæ naturam elevet, elevatam ad Deum amandum, ejusque amorem augendum inclinet, adjuvetque etiam ut vere actu diligatur Deus, vel Dei amore quidquam agatur? Si hæc salva libertate fiant, quid est, quod damnari possit, præsertim cum aliæ etiam

(9) Qui Molinæ, ac Suaresii systematis principia tenent, Theologum hoc ipsis reponentem facile eludent. Respondebunt enim cum Suarezio, lib. 4 *de Divina Gratia* cap. 6, num. 11: « Licet vocatio congrua sit necessaria ad efficaciam auxilii, illa tamen congruitas in re ipsa non est omnino antecedens, seu præveniens usum libertatis, sed est consequens, et ab arbitrio pendet. Et ideo quod vocatio non sit congrua in his, qui tantum auxilium sufficiens recipiunt, causa est in ipsis: possent enim facere, ut vocatio esset congrua, si vellent gratiæ cooperari, prout revera possent. Unde attente considerandum est, aliud esse, quod in potestate hominis sit facere, ut Deus ipsi tribuat vocationem quam prævidet futuram congruam, aliud esse, quod in potestate hominis sit facere, ut vocatio sufficiens, quæ illi datur, sit congrua. Nam secundum dicimus esse in potestate hominis, idque sufficit, ac necessarium est, ut auxilium sit vere sufficiens. Primum autem revera non est in hominis potestate, sed in sola divina dispositione ac libertate. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

divinæ in homine Gratiæ operationes, juxta definitam ab Ecclesia doctrinam explicentur? Dum necessitas Gratiæ salvatur ad initium fidei, ad sanctitatem, ad credendum, speрandum, agendumque ut oportet, libertas una cum Gratia operante, et mysterium in concilianda Gratia cum libero arbitrio, salva fides ac Ecclesiæ doctrina est.

GRATIA, UT EST GRATIOSUM RESCRIPTUM.

SUMMARIUM.

1 ad 3. Quomodo revocetur Gratia a Papa concessa. — 4 ad 5. Et Gratia facta ad beneplacitum concedentis. — 6. Et Gratia concessa ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. — 7. Et Gratia facta ad beneplacitum personæ et dignitatis. — 8. Et Gratia concessa cum clausula, *donec revocaverimus, donec aliud duxerimus ordinandum*, et hujusmodi. — 9 ad 11. Quomodo Gratia Papæ robur accipiat. — 12. Scriptura autem, seu Litteræ Apostolicæ requiruntur tantum ad probationem gratiæ. — 13. Optimum dictum Gonzalez circa hoc. — 14. Gratia concessa per Pontificem prædecessorem absque expeditione Bullarum, est exsequenda per successorem expeditis litteris sub forma : *Rationi congruit.* — 15. Talis Regula suffragatur tantum quoad Pontifices nominatos. — 16. Hæc regula, desumpta fuit ex jure communi. — 17. Novus Papa solum testatur de Gratia concessa. — 18. An ista expeditio requirat, ut supplicatio sit signata tempore antecessoris. — 19. Cui consignandæ sint supplicationes signatæ statim mortuo Papa. — 20 ad 23. De Gratia concessa cum clausula : *Ex nunc prout ex tunc.* — 24 ad 26. Quando Gratia dicatur conditionalis, et quomodo cesset. — 27 ad 31. Quomodo regulanda sit. — 32. De Gratia alicui concessa præterquam in certo casu. — 33. De Gratia concessa cum aliqua limitatione. — 34. De Gratia concessa cum clausula : *dummodo tempore datæ præsentium non fuerit alteri Jus quæsitum.* — 35. De Gratia Apostolica facta sine præjudicio alterius. — 36. Clausulæ præservativæ reddunt gratiam conditionalem. — 37 ad 52. De Gratia *Si neutri*, ejusque conditionibus. — 53 ad 60. De Gratia *in forma dignum*, ejusque affectibus. — 61 ad 71. De Gratia derogatoria Jurispatronatus in totum. — 72 ad 80. De Gratia pro præsentato cum derogatione medietatis vocum. — 81 ad 89. De Gratia *Si neutri*.

(1. Gratia, quam Papa concesserit, eo mortuo non revocatur, etiamsi adhuc res integra maneat; c. *Si super Gratia* 9. *de Offic. deleg.* in 6, ibi. « Ipsa Gratia, licet nondum sit in ejus exsecutionem processum, morte non perimitur concedentis : » cap. *Si cui* 36 de Præbend. eo lem in 6, ibi : « Hujusmodi concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non exspirat, etiam re integra per obitum concedentis. » Gonzal. ad regul. 8, Cancellar. gloss. 12, in princ. numer. 32 et seq., ubi in pluribus exemplis hoc ipsum demonstrat, Barbosa *de Offic. et Potest. Episcop.* lib. 1, num. 8. Card. de Luca *de Pension.* disc. 1, num. 25. Reiffenstuel lib. 1 Decretal., tit. 3, num. 230, ubi testatur de communi circa Gratiam jam factam, ut supponit nostra conclusio. (2. Secus autem circa Gratiam faciendam, id est quando Rescriptum Apostolicum continet Gratiam primum faciendam, sed concessam non in proprium recipientis litteras, sed in alterius duntaxat favorem, quia tunc ejusmodi Gratia facienda exspirat morte concedentis re adhuc integra, textu expresso in cit. cap. *Si cui* 36 *de Præbend.* in 6, § final. ibi : « Secus si super provisione certæ personæ facienda sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, Gratiam vel favorem, illa quidem exspirat omnino : si concedens re integra moriatur. » (3. Et ratio disparitatis est clara, quia circa gratiam jam factam, seu quando Rescriptum Apostolicum continet *Gratiam factam*, jam illi, cui talis Gratia facta est, fuit jus acquisitum, quod non decet ei amplius auferri ratione solius mortis concedentis. E contra vero *circa Gratiam faciendam*, seu quando Rescriptum Apostolicum continet *Gratiam primum faciendam*, nulli adhuc jus quæsitum fuit; unde nullum est inconveniens, quod talis Gratia veluti primum facienda exspiret morte concedentis re adhuc integra, seu cum in ejusdem exsecutione necdum cœptum est procedi.

(4. Gratia facta ad beneplacitum concedentis, durat, donec ille eam revocaverit, quia istud beneplacitum nulli subjacet legi adnotat. in leg. *Fideicommissa*, § *Quamquam*, ff. *de Legat.* ubi glossa verb. *Voluerit*, Natt. consil. 508, num. 5, vol. 3, Cokhier *de Jurisd. ordinaria in exempt.* part. 3, q. 5, num. 3. Barbosa, clausula 8, num. 2, et alii passim. (5. Aut donec ipse concedens moriatur, quia morte voluntas solvitur, et exstinguitur, textu expresso in cap. *Si gratiose* 5 *de Rescriptis*, ibi : « Hujusmodi Gratia per ejus obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino exstinguitur) eo ipso exspirat. » Et sic communis doctorum cum Barbosa loc. citat. et Reiffenstuel loc. cit., num. 260. Card. de Luca disc. 48, num. 4. (6. Gratia concessa ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, aut interim, dum Sedes Apostolica voluerit, non exspirat morte Papæ concedentis, sed opus est expressa revocatione, textu expresso in d. cap. *Si gratiose*, ibi : « Secus autem si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum Gratia concedatur prædicta, » tunc enim quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata. Sic etiam communis cum præcitatis. (7. Si Gratia fieret, et concederetur ad beneplacitum personæ, et dignitatis, quæ perpetua est, aliqui volunt, quod præponderet dignitas, et sic quod illa Gratia minime exstinguatur morte concedentis, cum dignitas sit perpetua. Ita Joan. Andr. in d. cap. *Si gratiose* num. 6, in fine. Alii autem volunt; quod præponderet nomen, quod præcedit, et sic quod gratia non exstinguatur, si præcedat nomen dignitatis; arg. cap. *Quoniam* 14 *de Offic. et Potest. Judic. Delegat.* quia dignitas non moritur, neque variatur per mortem, et variationem personæ; cit. cap. *Si gratiose* 5. *de Rescriptis in* 6. et quod exstinguatur, si præcedat nomen personæ, quia tunc sequitur personam, et veluti accessoria exstinguitur cum persona, arg. cap. *Privilegium personale* 7. *de Regul. Juris* in 6.

Digitized by Google

et cap. *Accessorium* 42. *de Regul. Juris* etiam in 6. Et sic tenent Imola in d. cap. *Si gratiose;* ut eum referunt Dominicus ibid. num. 6. et Franch. in fine, et Barbosa loc. cit. num. 6. (8. Gratia concessa cum clausula *donec revocaverimus, donec aliud duxerimus ordinandum*, et hujusmodi, durat perpetuo, nisi a concedente, vel successore ipsius revocetur neque exspirat morte concedentis. Sic Barbosa claus. 43, num. 21, Theodor. de Rub. in singul. Rotæ tom. 2, par. 4, claus. 290. Reiff. loc. cit. num. 263. Menochius *de Arbitr. Judic.* lib. 1, quæst. 69, num. 12, citans communem aliorum contra Bartolum. Et ratio est, quia ad revocationem requiritur actus positivus contrarius, qualis non habetur per solam mortem concedentis, nam aliud est voluntatem cessare, et aliud eam revocare: prius sit per mortem; l. 4, ff. *Locati*, posterius autem requirit factum quoddam, nempe novam dispositionem, et expressionem ipsius revocationis, Menochius consil. 360, num. 9, cum aliis. Barbosa loc. cit. Reiffenstuel loc. cit.

(9. Gratia solo verbo Papæ perficitur etiam litteris non expeditis; cap. *Inquisitionis* 25, qu. 1. Clement. dudum, *de Sepulturis* § ult. Archidiacon. Jo. Andr. in procem. 6. Decretal. Felin. in cap. *In nostra* in fin. *de Rescript.* Pyrrhus Corrad. *Prax. dispens. Apostolic.* lib. 1, cap. 6, n. 4. Rota part. 1, recent. decis. 585, num. 2, par. 7, decis. 218, n. 7, par. 8, dec. 79, num. 21. (10. Gratia recipit robur et virtutem suam, et regulatur a sola signatura Papæ a die ejusdem datæ; Rota part. 2, decis. 327, n. 1 et seq. p. 8, decis. 70, n. 17, p. 17, dec. 270, n. 4, p. 18, to. 2, dec. 469, n. 5, p. 19, tom. 2, decis. 648, num. 4. (11. Gratia Papæ per solam signaturam perficitur; Rota part. 6, decis. 38, num. 80 et seq. part. 17, decis. 270, num. 5. (12. Scriptura autem, seu litteræ Apostolicæ requiruntur tantum ad probationem Gratiæ; Rota locis mox citatis, Mascard. *de probationibus* concl. 843, num. 10. Pyrrhus Corrad. loc. cit. n. 7. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. (13. Glossa 2, n. 47, ubi dicit, quod in lingua Principis stat Gratia, et in scriptura testimonium, et in exsecutione commodum (10). (14. Gratia concessa per Pontificem prædecessorem absque expeditione Bullarum, est exsequenda per successorem expeditis litteris sub forma: *Rationi congruit*. Card. Petra tom. 5, in comment. in Constit. 1, Pii II, n. 12, ubi tradit etiam tenorem talium litterarum; Rota part. 12, decis. 121, n. 5, et habetur ex Regula decima Cancellariæ, in qua super litteris non expeditis solet concedi facultas expeditionis pro gratiis factis, et non expeditis a duobus antecessoribus Pontificibus tantum. (15. Unde Regula tantum quoad nominatos Pontifices suffragatur, quia cæteri non nominati exclusi censentur Amyden. *de Stylo Datariæ* lib. 1, cap. 21, numer. 14. Card. Petra loc. cit. num. 15, et alii passim (11).

(16. Hæc regula Cancellariæ, seu hic modus expediendi litteras ab antecessore, seu antecessoribus non expeditas, desumptus fuit ex jure communi, in cap. *Litteris, de Rescriptis*. Ex quo canone arguunt DD. Pontifices successores ex congruenti ratione deberi exsequi gratias, quas concesserunt prædecessores, et morte prævenit exsequi non potuerint. Barbosa in cap. *Litteris* num. 5. Mandos. *in Regula de Litteris in forma*, Rationi congruit, *expediendis*, quæst. 2. n. 5. Rosa *de exsecut. Litterarum Apostolicarum* part. 1, c. 2, n. 19. et sequens. Card. Petra loc. cit. num. 16. (17. Hinc novus Papa nullam facit gratiam de novo, sed solum testatur de Gratia concessa, vel exsequitur eam, juxta verba Gregorii IX. in cit. cap. *Litteris*, ibi: « Cum factum prædecessoris nostri potius, quam nostrum, fuerimus prosecuti. » (18. An ista expeditio requirat,

(10) Huic opinioni contraria videtur Cancellariæ praxis. « In Regula enim 27. de non judicando juxta « formam supplicationum, sed litterarum expedi- « tarum habetur. Cum ante confectionem litterarum « gratia sit informis..... Judices vel in Romana « Curia, vel extra eam existentes, et quicunque « alii non juxta supplicationum signaturam super « quibusvis impetrationibus, sed juxta litterarum « super iisdem impetrationibus, et concessionibus, « confectarum tenores, et formas judicare debent. « In Regula 31. non valeant commissiones causa- « rum nisi litteris expeditis. Statuitur quod omnes com- « missiones causarum obtentu, vel occasione concessio- « num duntaxat gratiarum apostolicarum de beneficiis « ecclesiasticis, super quibus litteræ Apostolicæ confe- « ctæ non fuerint ac processus desuper habendi nullius « sint roboris, vel momenti. Demum Regula 52 ut nulli « suffragetur dispensatio nisi litteris confectis addit, « quod gratia cujuscunque dispensationis nulli cui- « quam in judicio vel extra suffragetur, antequam « super ea litteræ Apostolicæ sint confectæ. » Hinc factum est, ut per solam signaturam cum informis reputetur gratia, executioni nequeat demandari, et irrita remanet exsecutio facta sine litteris pergamenis gothica manu conscriptis, et signo plumbeo communitis, vel sine authentico earum transumpto. Quinimo ipso jure vacare dicitur beneficium illud, cujus possessio sit absque litteris Pontificiis capta, ut ex Constit. *Sanctissimus in Christo Julii III* inter suas

30. juxta *Bullar. Mainard.* tom. IV, part. 1, pag. 306, coll. 2, in fin. Paulus III antea sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibuit Officialibus transumptorum concessionem litteris non expeditis. *Constit.* 64 *Bullar. Mainard.* tom. IV, part. 1, pag. 248. Nullius pariter roboris declaratur Cathedralium et Abbatialium Ecclesiarum capta possessio absque litteris Apostolicis, ut luculenter definivit Urbanus VIII in extravagant Injunctæ 1. de Electione. (Edit. Barbiell.)

(11) Ex citata « Regula Cancellariæ 10 de litteris in forma *Rationi Congruit* expediendis » successores Pontifices solent sex mensium spatium præfigere ad expediendas litteras pro gratiis a prædecessore concessis, quinimo in multis gratiis ad evitandas fraudes apponi solet ex Datariæ Stylo clausula « quod infra tres menses proximos litteræ Apostolicæ desuper expediri debeant; » Rigant. in dictam Regul. 10, num. 65. Ex edicto vero speciali Datariæ obtinentibus beneficia, sive simplicia, sive residentialia solet præfigi terminus sex mensium ad expediendas litteras, quibus peractis eadem beneficia possunt ab aliis jure impetrari; Rigant. loc. c. num. 72. Gagliard. *de Benefic. Eccles.* cap. 10 *de Collat.* § 7. Ad Ecclesias tamen Cathedrales pro litterarum expeditione unius integri anni spatium concedi tradit; Fagnan. et Thomassin. apud eumdem Rigant. l. c. n. 74. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ut supplicatio sit signata tempore antecessoris, vel sufficiat si Gratia sit facta solo verbo Papæ, variant doctores; Rebuffus ad Regul. 10. Cancellar. numer. 8, dicit vidisse hujusmodi litteras expeditas per successorem super Gratia viva voce facta ab antecessore, sed jure probata; Mandos. loc. cit. qu. 11, affirmat in Gratia etiam verbo facta, si Papa statim moriatur, vel æger fiat usque ad mortem, ut expediantur istæ litteræ in forma, *Rationi congruit*; Secus si diu supervivat, quia sibi imputet impetrans, si supplicationem signari omiserit; Glossator antiquus hujus Regulæ decimæ numer. 2, quem sequitur Amyden. loc. cit. num. 18, dicit non posse expediri has litteras, nisi in Gratia per supplicationem signata. Corrad. vero citatus a Card. Petra loc. cit. num. 21, dicit, quod si Papa mandaverit expediri, Jure expedirentur sub ipso, sed ex Stylo non solent expediri hæ litteræ, nisi signata fuerit supplicatio tempore antecessoris; quia mora non obtinendi supplicationem signatam debet impetranti nocere, quia ex Regula 25, Juris in 6. *Mora sua cuilibet est nociva*, et idem docet Rosa loc. cit. num. 25, Card. Petra loc. cit. sub num. 21, ubi dicit, quod vere si deberent expediri litteræ hujusmodi, super Gratia solo verbo facta, plures fraudes occurrere possent pro probanda tali Gratia per testes, aut alio modo. (19. Hinc inolevit mos, quod supplicationes signatæ statim mortuo Papa consignentur Collegio Cardinalium sigillatæ, ut præsententur futuro Pontifici, et sic supplicatione signata Gratiæ non exspirant morte Papæ concedentis, etiamsi litteræ expeditæ non sint, sed sunt expediendæ per Papam successorem sub dicta forma, *Rationi congruit*. Rota part. 18, tom. III, decis. 808, num. 15. Card. de Luca *de Pensionibus*, disc. 44, numer. 6. Rota loc. cit. numer. 18 et 20. Card. Petra loc. cit. sub numer. 21, et alii passim.

(20. Gratiam non suspendit Clausula, *Ex nunc prout ex tunc*, quando est apposita in collatione de vacanti, secus si de vacaturo.

Cassad. decis. 3, num. 15, *de Præbend.* Crescent. dec. 7, num. 13 et 19, *de Conces. præbend.* Achill. decis. 7, num. 4, *de Renunc.* et fuit dictum in una Illerden. Canonicatus 25 Octobris 1597, coram Cardin. Pamphil. ut referunt Mart. claus. 54, num. 2. Aloysius Ricc. in Collect. dec. part. 1. Collect. 753, in princip. Barbosa claus. 61, num. 5. (21. Dicta enim clausula operatur, quod unum tempus alteri inesse dicatur. Rota part. 3, dec. 770, num. 3, part. 5, tom. I, decis. 350, num. 9, et communis Doctorum cum Barbosa loc. cit. num. 6. (22. Gratia exspectativæ concessa cum clausula *Ex nunc prout ex tunc*, retrotrahitur ad tempus datæ ipsius Gratiæ; Felin. in c. *Licet causam* num. 6, *de Probat.* Alexander consil. 211. n. 13, unde perinde est, ac si Papa tempore datæ primam Gratiam contulisset; Crescent. dec. 4, lib. 2, alias decis. 7, num. 13, *de Concession. præbend.* Ferret. consil. 314, num. 7, lib. 2. Barbosa loc. cit. num. 7. Rota in Anconitana Canonicatus 8 Octobris 1592, coram Penna. (23. Gratia ita dicitur perfecta, si Papa concordat exspectativam de beneficio vacaturo cum clausula : *Ex nunc prout ex tunc*, ut non exspiret morte concedentis, ut fuit dictum in una Calaguritana Canonicatus 1 Junii 1591, coram Penna, cujos meminerunt Gonzalez ad Regul. 8, Cancellar. Gloss. 12, num. 42, vers. *Sic etiam* Lotter *de Re beneficiar.* lib. 1, quæst. 29, num. 34. Barbosa loc. cit. num. 9 (12).

(24. Gratia conditionalis exspirat per mortem Papæ concedentis ante illius purificationem. Card. de Luca *de Pension.* disc. 1, num. 14. (25. Gratia dicitur conditionalis per tacitam conditionem, *si preces veritati nitantur*. Rot. p. 13, dec. 353, num. 1. (26. Dicitur etiam conditionalis emanata cum clausulis, *Ut asseris, Dummodo Constito, Si ita est, et hujusmodi aliis* Rota part. 5, tom. 1, dec. 142, n. 5, part. 7, dec. 157, n. 3, et part. 17, dec. 41, num. 2, part. 19, tom. 1, dec. 379, num. 2. (27. Gratia concessa sub aliqua conditione, regulari debet ab ipsa

(12) Exspectativas omnes sustulit Concilium Tridentinum session. 24. cap. 19 de Reformatione. « Decernit sancta Synodus Mandata de providendo, et « Gratias, quæ exspectativæ dicuntur nemini amplius « etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, et aliis « singularibus personis, etiam sub nomine indulti, « aut ad certam summam vel alio quovis colore « concedi; nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ « quæcunque Gratiæ ad vacatura, nec indulta ad « alienas Ecclesias, vel Monasteria alicui etiam ex « Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus concedantur, et hactenus concessa abrogata esse censcantur. » Et Cancellariæ Regula 21 ita statuit : « Si « quis supplicaverit sibi de beneficio quocunque « tanquam per obitum alicujus, licet tunc viventis « vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet : provisio, et quævis dispositio etiam vigore « alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ « nullius sint roboris vel momenti. » Harum constitutionum vigore si quis aliquod beneficium ante ipsius vacationem jam vacare per obitum exposuerit, duplici coercetur pœna, nullum videlicet ad illud acquirit jus, quamvis gratia collationis post obitum fortasse prodiverit, quod intelligendum est quando a die obitus beneficiati ad diem resignationis Gratiæ tantum temporis spatium non intercessit, quod sufficiat ad habendam quodammodo notitiam vacationis, ex Regul. Cancellariæ 30, ibique Rigant. num. 1. Fleury lib. 2, Instit. jur. canon. cap. 21. Gagliard. de Benefic. Eccles. cap. 6, § 7. Deinde sit inhabilis ad postulandum etiam post secutam vacationem per Ecclesiasticas censuras jure communi sancitas. Gagliard. de Benefic. Eccles. c. 6, § 6. Quæ Regula indistincte in collationibus etiam Ordinariorum aut Legati Apostolici locum habet, ut ex communi DD. sententia testatur Rigant. in Regul. 21, num. 17, seq. et in Regul. 30, num. 26 et seq. Ab his tamen Constitutionibus exceptos volunt Equites Hierosolymitanos; Loter. de Re benefic. lib. 2, q. 15, num. 44. Rot. cor. Langet. decis 618, num. 13 et 14; quæ tamen exceptio non satis rationi jurisque principiis conveniens videtur. Cum enim exspectativa votum captandæ mortis in se contineat, quod est contra bonos mores, non video cur hoc nonnullis concedi debeat dum cæteris omnibus prohibitum est, dummodo in expetentibus hoc modo comendas hoc votum excludatur. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

conditione; Rota part. 11, dec. 206, num. 6, p. 14, dec. 536, n. 86, (28. ad quem effectum requirit præcisam, et concludentem justificationem; Rota part. 7, dec. 157, num. 3, p. 12, dec. 341, n. 2, p. 14, dec. 15, n. 12, p. 19, tom. I, decis. 379, num. 9 et 10. (29. Et interim stat in suspenso, nec capi potest alia provisio, donec per necessarias probationes verificetur. Rota part. 10, decis. 122, num. 21, part. 19, tom. I, dec. 379, num. 10. (30. Hinc fit quod Gratia conditionalis cessat, cessante vel non purificata conditione; Rota part. 4, tom. I, decis. 184, sub num. 1, decis. 641, num. 2, part. 7, decis. 237, n. 5, part. 11, dec. 187, n. 11, part. 14, decis. 88, num. 14, part. 15, dec. 147, n. 19, part. 16, dec. 186, num. 4, p. 18, tom. II, decis. 416, num. 5. (31. Purificata vero conditione, perinde est ac si ab initio simpliciter emanasset; Rota part. 13, decis. 62, num. 17.

(32. Gratia alicui concessa, præterquam in certo casu, si ille casus evenerit, cessat; Rota part. 14, dec. 536, num. 124. Et Gratia concessa cum aliqua limitatione subsistit, donec venerit casus limitationis, et interim dicitur pura; Rota ibid. num. 518. (33. Gratia concessa cum clausula: *dummodo tempore datæ præsentium non fuerit alteri jus quæsitum*, constito quod alter habeat legitimum jus, resolvitur, ac si non fuisset concessa; Rota part. 9, tom. I, dec. 254, num. 9. (34. Prout Gratia Apostolica facta sine præjudicio alterius habetur pro non facta, si ex ea aliquod præjudicium resultet; Rota part. 4, tom. II, dec. 260, num. 13 et seq. par. 18, tom. II, dec. 495, num. 10. (35. Facta enim cum præservativa juris alterius, vel sine derogatione eidem tertio præjudicare non potest; Rota part. 18, tom. I, dec. 139, num. 12. (36. Et in omni casu clausulæ præservativæ reddunt Gratiam conditionalem, et præservant jus alteri ex antecedenti provisione quæsitum; Rota p. 19, t. II, dec. 566, n. 21.

(37. Per Gratiam *Si neutri* acquiritur Beneficium, quando neuter litigantium super illud jus habet; Barbosa clausula 164, num. 2, cum aliis ibi citatis. (38. Gratia *Si neutri* est conditionalis dummodo scilicet per eventum litis apparuerit neutri jus competere; Rota part. 4, tom. I, dec. 220, num. 6. (39. Gratia *Si neutri* ita pendet a futuro litis eventu ut antequam operetur effectum suum, debeat exspectari dictus eventus; Barbosa d. clausula 164, num. 5, cum multis ibi citatis; Rota part. 2, dec. 726, num. 3. Et interim nullum jus tribuit, non impleta conditione, seu non impleto tali eventu; Rota p. 19, t. 1, dec. 223, n. 18. (40. Gratia *Si neutri* non habet locum, nisi quando Beneficium est litigiosum, lite nondum exstincta; Gonzal. ad Regul. 8, Cancellar. Gloss. 32, num. 4, Azor. Instit. moral., part. 2, lib. 7, cap. 72. Barbosa loc. citat. num. 6. (41. Imo Gratia *Si neutri* requirit litem de tempore datæ Gratiæ; Garcias *de Benefic.* part. 6, cap. 2, num. 212 et seq. Mantic. decis. 56, n. 1. Verall. decis. 34, num. 1 et sequent. par. 2, et resolutum fuit in *Gerundensi Hebdomadariæ* 13 Junii 1602, *coram Patriarcha Pamphilio* impressa per Farinac. decis. 456, n. 1, p. 2. recent. Sicuti enim piscis nequit esse sine aqua, ita nec Gratia *Si neutri* sine lite, ut fuit dictum a Rota in Salamantina Archidiaconatus 16 Junii 1581, coram Rubeo. (42. Unde Gratia *Si neutri* non conceditur pro lite movenda; Barbosa loc. cit., num. 8. Verall. decis. 34, num. 4, part. 2, et fuit resolutum a Rota in Verdun. Canonicatus impressa per Nicol. Garciam *de Benefic.* par. 1, cap. 3, num. 44. (43. Gratia *Si neutri* ut suffragetur, debet, ultra litem, verificari duplex conditio, videlicet, quod Beneficium vacet, et quod neutri jus competat; Barb. d. clausula 164, n. 4, cum multis ibi citatis; Rota p. 2, dec. 726, n. 1. (44. Quibus probatis, scilicet vacatione Beneficii, lite inter provisos, et non jure utriusque, habet exsecutionem paratam; Rota p. 12, dec. 298, n. 12, p. 17, dec. 298, n. 1.

(45. Satis autem probatur lis, seu Beneficium esse litigiosum ex commissione causæ appellationis, ex citatione cum inhibitione, et illius exsecutione; Rota part. 2, decis. 81, num. 1, et dec. 455, num. 1. (46. Non jus impetrantis probatur ex ipsiusmet impetrantis confessione, et ex non justificatione prioris Gratiæ; Rota part. 2, dec. 699, num. 2, et dec. 736, num. 6, pag. 5, tom. I, dec. 58, num. 3. (47. Beneficii vacatio probatur per mortem ultimi legitimi possessoris, et non factam adhuc de illo ullam legitimam canonicam provisionem. Unde, ad hoc ut sit valida Gratia *Si neutri*, debet fieri mentio illegitimæ, et non Canonicæ provisionis adversarii, seu ipsius intrusionis, et fructuum malæ perceptionis. Flamin. *de Resignat.* lib. 2, quæst. 3, num. 43. Barbosa loc. cit. num. 12. Rota p. 2, decis. 105, sub num. 1. In Gratia *Si neutri* attenditur data, non autem expeditionis tempus; Rota par. 11, decis. 124, num. 52. (48. Gratia *Si neutri* debet præsentari infra novem menses, et pro illius exsecutione instari, alias remanet nulla; Rota part. 18, to. I, decis. 237. nu. 11. (49. Item debet intimari, quando agitur de privatione; Rota par. 2, decis. 99, n. 4. (50. Verum, ut dicatur intimata, sufficit eum, contra quem agitur fuisse citatum ad dicendum contra Gratiam; Rot. ibidem. (51. Gratia *Si neutri* non est subreptitia, ex eo, quod non sit facta mentio, quod collitigans sit provisus Apostolicus; Gregor. dec. 150, per totum, (52. ubi num. 3 dicitur, quod hæc gratia ex Stylo Datariæ conceditur proviso Apostolico etiam contra alium provisum Apostolicum; et num. 6, quod non est præjudicialis, quia non habet locum, nisi data invaliditate Gratiæ partis adversæ; Barb. l. c. n. 16 et 17.

(53. Gratia *in forma dignum* non est conditionalis, quia illa verba *quatenus idoneus reperiatur*, respiciunt qualitatem idoneitatis, quæ de jure inest, et potius sonat in monitionem, et instruunt Executorem, ut intelligat, qualis esse debeat ille cui providet, et sic non reddunt Gratiam conditionalem, quoad ejus substantiam, sed tantum respectu exsecutionis, et provisionis faciendæ, quæ est

Digitized by Google

dilata in tempus, postquam idoneus repertus fuerit. Licet enim ista conditio impediat exsecutionem Gratiæ, donec constet de idoneitate impetrantis, tamen non impedit acquisitionem, si in rei veritate impetrans sit habilis, et sic ista suspensio est circa exsecutionem, non circa acquisitionem juris, cum qualitas idoneitatis sit pura, et certa in rerum natura, licet a nobis ignorata, antequam examinaretur, et conditio de præterito, vel præsenti non suspendit; l. *Cum ad præsens*, ff. *Si certum petatur*, l. *Institutio talis*, ff. *de Condition.* Sic Barbosa clausula 16, n. 1, Rot. part. 4, tom. III, dec. 539, n. 1, p. 10, dec. 122, n. 19, par. 17, dec. 116, num. 11 et 12. Et quod talis Gratia non sit conditionalis quoad substantiam, sed suspensiva solum exsecutionis, donec constiterit provisum esse dignum, resolutum fuit a Rota p. 1, dec. 711, num. 2. (54. Clausula enim *in forma dignum* posita in Gratia, operatur ut Beneficium habeatur pro collato, remanente solum suspensione circa exsecutionem ratione examinis, et collationis ab exsecutore faciendæ Rota par. 16. decis. 141, num. 33. (55. Hinc ubi hujusmodi Gratia *in forma dignum* sit justificata, tribuit non solum jus ad rem, sed etiam in re; Rota par. 17, dec. 207, num. 46.

(56. Secuta morte provisi *in forma dignum*, antequam dignus repertus, seu declaratus fuerit, Beneficium non vacat per mortem illius, sed per mortem ultimi possessoris; Barb. d. claus. 56, n. 7, cum aliis ibi citatis; Rota p. 5, to. 2, dec. 549, n. 21, et dec. 569, n. 25. (57. Gratia *in forma dignum* censetur facta a die ejus datæ, ita ut excludat gratiam alterius postmodum impetratam; Rot. part. 2, decis. 523, num. 3. Quando Gratia est concessa *in forma dignum*, exsecutor fit mistus: Garcias *de Benefic.* par. 6, cap. 2, num. 126 et 127, ubi citat varias decisiones Sac. Rotæ; Barb. loc. cit. n. 8, ubi adducit etiam varias Sac. Rotæ decisiones. (58. Unde ab exsecutore cum ista clausula *in forma dignum* appellare licet, et possessio interim capta, est attentata; sic sæpe fuit resolutum in Sacra Rota et signanter in una S. Agathæ Gothorum, et Zamorensi Beneficiorum, et in Nullius Sacristiæ 26 Octob. 1601, coram Penna, et in Barchinonen. Parochialis 10 Decemb. 1601, coram Card. Sacrato, et dec. 701, sub num. 2, p. 1, recent. apud Barb. loc. cit, num. 9. (59. Hoc tamen est intelligendum, quando alius est in possessione, vel adest legitimus contradictor, tunc enim datur appellatio propter præjudicium possessoris; secus quando nullus est in possessione, nec adest legitimus contradictor; Rota part. 4, tom. 2, decis. 333, n. 5 et sequent. Barbosa loc. cit. n. 10, ubi adducit alias decisiones Sac. Rotæ, et testatur de communi. (60. Provisus per Sedem Apostolicam *in forma dignum* de Canonicatu, cujus Ordinem requisitum jam habet, examinandus non est ab ordinario super litteratura, seu idoneitate scientiæ; ii vero qui sacros Ordines nondum susceperunt, examinandi sunt, an illa habeant adjumenta doctrinæ, quæ ex præscripto Sacri Concilii Tridentini necessaria sunt illi Sacro ordini,

qui Canonicatui, quem consequi volunt, erit annexus. Sic decisum fuisse a Sac. Cong. Concilii referunt Garcias *de Benefic.* p. 6, cap. 2, num. 234, Barbosa *de Canonic. et Dignitatibus*, cap. 13, n. 7 et 8, et in Summa Apostolicar. decision. verb. *Examen, Examinare*, num. 10, Fagnan. lib. 1, *Decret.* in cap. *Accepimus* 13, *de Ætate et qualit.* n. 14, ubi dicit, sic a Sacra Congreg. Conc. fuisse responsum Card. Borromeo.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(61. De Gratia *derogatoria Jurispatronatus in totum*, de Gratia *pro præsentato cum derogatione medietatis vocum*, tum de Gratia *Si neutri*, quæ concedi quotidie a Dataria solent haud abs re videtur pauca hic adnotare.

(62. Ut locus esse queat *Gratiæ derogatoriæ jurispatronatus in totum*, ante vacationem Beneficii lis debet inter Patronos pendere, tum nemo ex ipsis debet existere in pacifica quasi possessione præsentandi.

(63. Ad primum requisitum quod attinet, litis pendentia satis probatur ex præcedenti instantia facta coram Judice competenti, quod jus præsentandi ad instantem pertineret cum productione nonnullorum, eaque instantia intimata aliis Patronis. (64. Minimeque obstat si citati non comparuerint, quia ad hujus gratiæ validitatem non est necessaria litis contestatio, sed sufficit eam fuisse introductam. (65. Maxime si Summo Pontifici expressa fuerit simplex hæc litis introductio. (66. Pariter, nec obstat si a litis introductione effluxerint triginta et amplius anni, quia instantia de jure Canonico est perpetua, et pro exstincta non habetur, nisi vel supervenerit sententia illius exstinctionem decernens, vel cum lapsu temporis concurrat malum jus Actoris. Confer de his omnibus Rotam in Camplen. Capellaniæ 28 Novemb. 1725, cor. clar. mem. Millin.

(67. Cæterum si instantia non fuerit legitime intimata, vel reproducta, deest requisitum pendentiæ litis; Rot. in Colonien. Parochialis de Vineberg. 16. Janu. 1747, cor. bon. mem. Vicecom. (68. Idem est si fuerit affectate introducta; Rot. in Januen. Jurispatronatus 27 Martii 1748 et 15 Junii ejusdem anni cor. Illustris. Molin. (69. ubi quod lis re judicata sublata, non est subjectum Gratiæ derogatoriæ jurispatronatus in totum, etiam obtenta commissione restitutionis in integrum, si elapsis centum annis nihil actum sit.

(70. Alterum requisitum est, quemadmodum supra innuimus, ut nullus Patronus existat in pacifica quasi possessione præsentandi. Cæterum si sit Patronus, qui in pacifica quasi possessione præsentandi existat, cessat ratio reservationis reposita in incertitudine personæ præsentare debentis, adeoque frustra impetratur Gratia derogatoria jurispatronatus in totum, quum non intendat Summus Pontifex præjudicium illi irrogare; Rot. in dict. Colonien. Parochialis de Vittemberg. 17 Januar. 1746, cor. bon. mem. Vicecom.

(71. Intemige tamen si existat ex *persona propria*, non item *ex persona sui Auctoris;*

Digitized by Google

Rot. in dict. Camplen. Capellaniæ 28 Novembris 1746, coram clar. mem. Millin. In jurepatronatus vero familiari suffragari, et quasi possessionem præsentandi Auctoris ad impediendam dictam Gratiam, responditidem Sacrum Tribunal, in Compostellana Parochialis S. Thirsi 8. Martii 1755, coram bon. mem. Nunez, et 12 Febr. 1745, cor. bon. mem. Vicecomit. Hæc de Gratia *derogatoria jurispatronatus in totum.*

(72. Ad Gratiam vero *pro præsentato cum derogatione medietatis vocum* satis est fuisse præsentatum a Patronis existentibus in quasi possessione præsentandi pro medietate ad formam ultimi status. (73. Quinimo potest obtineri hæc Gratia ante hanc præsentationem, sufficitque quod ea intra quadrimestre superveniat; Rot. in Papien. Beneficii 4 Maii 1744, coram Illustrissimo Thunn, et 15 Mart. 1749, cor. R. P. D. Clemente Impress. Romæ, typis Barbiellini 1781, et in Colonien. Vicariæ 12 Jun. 1750, cor. R. P. D. Canilliac.

(74. In hac Gratia quasi possessio Auctoris prodest successori, qualecunque sit juspatronatus.

(75. Nec attenduntur exceptiones quamcunque indaginem admittentes; Rot. in dict. Camplen. Capellaniæ 28 Novembris 1746, cor. clar. mem. Millin.

(76. Validitati hujus Gratiæ non obstat sententia super institutione alterius præsentati lata jam ab Ordinario. (77. Diversum tamen esset si Ordinarius gratificationem illi concessisset. (78. De cætero si gratificatio, et Gratia præseferant datam ejusd. diei, præsumptio est pro anterioritate Gratiæ, nisi concludenter probetur, quod per aliquod spatium ejusdem diei Ordinarii sententia præcesserit; Rot. in Colonien. Personatus 22 Novembris 1743, cor. b. m. Nunez, et 25 Januar. 1745, cor. Illustriss. Caprar. Almæ Urbis Gubernatore, et 14 Februar. 1746, coram R. P. D. Canilliac, et 13 Martii 1747, cor. bo. mem. Vicecom.

(79. Nec obstat, si reticeatur alterum præsentatum a Patrono habente medietatem jurispatronatus esse filium ejusdem, dummodo his, qui dictam Gratiam obtinuit, sit consanguineus et agatur de jurepatronatus hæreditario, Rota. in dict. Colonien. Personatus. (80. Quod si præsentatus a Patronis habentibus medietatem jurispatronatus, sit insuper unus ex Patronis, dicta Gratia vitiatur ex ejus reticentia, Rot. in Tuden. Parochialis de Luvaderes 9 Maii 1749, et in confirmatoria 29 Novembris ejusdem anni 1749, cor. Illustrissim. Molin.

(81. Restat, ut verba faciam de Gratia *Si neutri*. Ejus requisita sunt non jus utriusque et litis pendentia. (82. Quoad vero illum, qui impetrat Gratiam hanc, hoc ipso quod eam impetrat, fatetur nullum sibi jus competere, ut dixit Rot. in Mindonien. Parochialium 15 Februar. 1748, cor. bon. mem. Lana.

(83. Lis per renunciationem sublata ineffica est ad sustinendam dictam Gratiam. (84. Idque etiamsi affectate renovata sit. (85. Quando autem dici possit affectate renovata, vide apud Rot. in Colonien. Parochialis 22 Januarii 1748, cor. R. P. D. Clemente impress. Romæ, typis Barbiellini 1781.

(86. An Gratia hæc impetrari queat a Tertio? Affirmandum videtur secundum ea, quæ firmavit Rot. in Cæsenaten. Vicariæ 14 Maii 1727, cor. b. m. Gamaches.

(87. Quando et ex quibus clausulis dicta Gratia impetrata dici queat ad majorem cautelam, adi Rotam in Vercellen. Capellaniæ 29 Nov. 1720, et in confirmatoria 5 Junii 1722, coram bon. mem. Foscar.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(88. Quando hæc Gratia conceditur alteri ex litigantibus appellatur Gratia *Si neutri :* quando vero conceditur extraneo tunc vocatur Gratia *Si nulli* Rigant. in Reg. XXIX, § 1, n. 135. Quid vero dicendum si alter ex collitigantibus moriatur lite adhuc pendente? Hoc casu ad omnes exstinguendas lites Apostolica Sedes solet collitigantem in jura adversarii vel naturaliter, vel civiliter defuncti subrogare, ne novus ei superveniat adversarius. « Hinc Regula XXIX de subrogandis collitigantibus statuit : quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio Ecclesiastico collitigantem in jure vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit subrogari contigerit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dict. adversarium postquam illud per triennium pacifice possederit lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure sive tunc vacet, vel cum vacaverit, impetrationes, vel concessiones etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare per viventium beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus tanquam collitigantibus in eorum juribus facilius subrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, et subrogatio vel Gratia *Si neutri*, *Si nulli*, seu *novæ provisionis* aut *perinde valere* taliter impetranti nullatenus suffragetur. Quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsan perpetratis etiam usque ad definitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret, ibique » Rigant. et Gagliard. *de Benefic. Eccles.*, cap. 5, § 61, 62, 63, præsertim in notis.

(89. Supra facta est mentio Gratiæ *perinde valere*, quam concedi sciendum est, ut prædefuncti Pontificis Gratiæ infra annum concessæ reconvalescant, ubi aliqua occurrat dubitandi ratio, quod ob vitium subreptionis aliumque defectum ipsæ nullitatis vitio laborent, sine tamen præjudicio juris alteri interea quæsiti. *Regul. XII :* « Omnes et singulas a Romano Pontifice prædecessore

Digitized by Google

infra annum ante diem ejus obitus concessas Gratiæ et justitiæ litteras temporibus debitis earum exsecutoribus seu judicibus non præsentatas omnino revalidat, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ quoad hoc plenarie restituit. »

GUBERNATOR.

SUMMARIUM.

1 ad 16. Plura afferuntur Decreta ex Sacra Rituum Congregatione. — 17 ad 88. Et ex Sacra Immunitatis Congregatione.

(1. Gubernator non comprehenditur sub nomine Magistratus Civitatis; Sac. Congr. Rit. in Alexandrina 15 Mart. 1608, in 4, dubio teste Sellio in select. Canon. cap. 27, num. 18. Barbosa in *Summa Apostolicar.* decision. verb. *Gubernator*, num. 1.

(2. Gubernatori provinciæ non debet textus Evangelii osculandus porrigi; Sac. Congr. Rit. in Cusentina 17 Junii 1614, et in Tropien. 3 Junii 1617, ubi quod nec etiam debet in processionibus simul cum Episcopo incedere, quas refert Sellius d. cap. 27, n. 30.

(3. Gubernator civitatis Lauretanæ præcedit juxta consuetudinem Vicario Generali; Sac. Cong. Rit. in Lauretana 9 Maii 1609, quam citat Sellius d. cap. 27, num. 31.

(4. Gubernator, et magistratus recusantes contra solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem, debitis remediis cogendi sunt, ut accedant; Sacr. Congr. Rit. in Fanen. 1 Sept. 1607, penes Antonin. Dianam *Moral. resol.* p. 5, in fine, in *Collect. declaration.* n. 49. Lezanam in sum. q. *Regular.* tom. III, verb. *Ecclesia*, num. 18.

(5. Gubernator civitatis non debet habere sedem seu locum in choro, nec supra, nec inter canonicos, sed omnino extra chorum in loco decenti; Sac. Cong. Rit. in Signina 4 Junii 1615, referente Sellio dict. c. 26, num. 32.

(6. Gubernator civitatis debet habere sedem pro audienda concione apud Episcopum, quæ tamen non sit major, nec pulchrior sede ipsius Episcopi, et neutra sit coloris rubri; Sac. Congreg. Rit. in Perusina 3 Octobris 1615, cujus meminit Ald. in compend. Canon. resol. l. 1, t. 16, n. 59.

(7. Gubernatori prælato solita sedes cum strato in Ecclesia paranda est; Sac. Congr. Rit. in Fulginaten. 30 Januar. 1610, apud Aldan. d. tit. 16, num. 71.

(8. Gubernator civitatis, quæ est caput provinciæ, thurificandus est, et pacem habere debet ante vicarium episcopi, etiam absente episcopo; in aliis vero minoribus civitatibus post episcopum thurificari, et pacem habere debet, sed absente Episcopo ei præfertur vicarius; Sac. Cong. episcop. et Regular. sub die 30 Junii 1592, quam adducit Aldan. d. tit. 16, num. 62.

(9. Gubernator status, ubi viget consuetudo, thurificandus est ante barones, et curatos ecclesiarum; Sac. Cong. Rit. in Gotian. in Sardinia 5 Julii 1613, teste Aldan. d. tit. 16. num. 63.

(10. Gubernator protonotarius cum habitu prælatitio, id est rochetto, et mantelletta divinis assistens, thurificandus est ante canonicos immediate post episcopum; Sac. Cong. Rit. in Fanen. 5 Julii 1603, attestante Aldan. d. tit. 16. num. 61.

(11. Gubernator dignissimus, et perpetuus thurificandus est immediate post episcopum, et ante canonicos etiam paratos; Sacr. Congreg. Rit. in Alexandrina 15 Mart. 1607, in resp. ad 4, dub. penes Sell. d. c. 27, n. 34, et Barb. *Summa Apost. dec.* verb. *Gubernator*, n. 41.

(12. Gubernator civitatis etiam non prælatus, thurificandus est immediate post canonicos assistentes, ante alios canonicos; absente vero episcopo, immediate post vicarium generalem; Sac. Cong. Rit. in Faventina 9 Maii 1606, et in Fanen. 1 Septembris 1607, apud Sellium d. cap. 27, num. 35, etiamsi Gubernator sit uxoratus; ead. S. Congr. in Faventina 17 Novemb. 1607, cujus meminit idem Sellius d. cap. 27, num. 36.

(13. Gubernatores civitatum Sedis Apostolicæ quando sunt referendarii, et prælati, et utuntur rochetto, post Episcopum, et assistentes, ante canonicos juxta consuetudinem thurificandi sunt; Sac. Congr. Rit. in Cæsenaten. 7 Decemb. 1601, quam refert Aldan. d. titul. 16, num. 65.

(14. Gubernator thurificari debet post dignitates et canonicos tam ecclesiæ Cathedralis quam Collegiatæ; Sac. Cong. Rit. in Complen. 28 Jan. 1612, quam citat Aldan. d. tit. 16, num. 66.

(15. Gubernator civitatis thurificandus est duplici, non triplici ductu thuribuli; Sac. Congr. Rit. in Civitatis Ducalis 11 Novemb. 1614, apud Sellium d. c. 27, n. 38.

(16. Gubernatores Capitulares electi a Capitulo, Sede vacante, non debent præcedere decano, et canonicis aliis ipsis dignioribus; Sac. Congr. Rit. in Elboren. 25 Januar. 1603, de qua Sellius d. cap. 27, n. 39. Licet ad ipsos tantum, et non ad decanum, et alios canonicos non electos pertineat decidere, et votare in his, quæ pertinent ad curam ei commissam; ead. Sacr. Congregat. in d. Elboren. 5 Julii 1603, penes Sellium d. cap. 27, num. 30.

(17. Gubernator, judex, et alii ministri non possunt prohibere exsecutoribus Curiæ laicæ, quo minus exsequantur, monitoria, et mandata Curiæ Eccles. etiam nulla ab eis petita licentia, seu assensu; Sac. Cong. Imm. in Macerat. 2 Septemb. 1664, lib. *Decret. Rocci*, p. 587, in Vercell. 30 Junii 1632, lib. 2 *Decr. Paul.*, pag. 131.

(18. Gubernator debet permittere episcopo liberum usum Birruariorum, et carcerum laicalium; ead. S. Cong. Immunit. in Civitatis Castellanæ 19 Julii 1679, lib. 2 *Dec. Altoviti*, pag. 1800.

Digitized by Google

(19. Quare Gubernator carcerans Balivum Curiæ laicæ, eo quod ei præsentasset præceptum Curiæ episcopalis, excommunicatur; ead. Sacr. Cong. Imm. in Sutrina 13 Jan. 1703, lib. 3 *Decret. Vallem.* pag. 468.

(20. Gubernator denegans claves carcerum communium Curiæ ecclesiasticæ, graviter reprehenditur; ead. Sac. Cong. Immun. in Civit. Castellanæ 28 Februarii 1662 lib. *Decr. Rocci*, pag. 386.

(21. Gubernator pariter reprehenditur graviter, et acriter pro carceratione Birruarii Curiæ episcopalis, et ipsi injungitur, ut sine mora eum relaxet cum refectione damnorum; ead. Sac. Congr. Immun. in Camerinen. 9 Mart. 1649, lib. 4 *Decr. Paul.* pag. 73.

(22. Gubernator non potest cogere colonos bonorum patrimonialium episcopi admittendum eorum animalia pro servitio, et reaptatione viarum, nisi habeat a Sancta Sede facultatem specialem; ead. Sac. Cong. Imm. in Macerat. 15 Decembr. 1654, lib. 5 *Decret. Paul.*, pag. 60.

(23. Nec potest prohibere notariis, et officialibus Curiæ episcopalis, quin exercere possint officia publica Communitatis; eadem Sacra Congr. Imm. in Firmana 8 Aprilis 1631, lib. 2 *Decret. Paul.*, pag. 74.

(24. Gubernator declaret per suum Edictum circa damna data non esse cogendos Ecclesiasticos ad dandas querelas pro damnis datis in bonis ecclesiasticis in Curia Gubernatoris; ead. Sacr. Cong. Immun. in Massana 2 Junii 1693, lib. 1 *Decret. Vallem.* pag. 50.

(25. Non potest, nec debet episcopus permittere clericum incedentem in habitu, et tonsura gerere vices Gubernatoris laici absentis; eadem Sac. Congreg. Immun. in Civitatis Plebis 24 Januarii 1651, lib. 4 *Decret. Paul.*, pag. 97.

(26. Gubernator contra eum, qui in fraudem reassumpsit habitum clericalem, potest prosequi causam quoad bona, non autem quoad personam; eadem Sac. Congr. Immun. in Reatina 12 Sept. 1629, lib. 2 *Decr. Paul.*, p. 6, in Nullius S. Laurentii in Campo 17 Decembris 1630, lib. 2 *Decr. Paul.* pag. 68.

(27. Injungitur Gubernatori, ut faciat suos Birruarios excommunicatos parere, alias illos removeat; ead. Sac. Cong. Immun. in Maceraten. 16 Junii 1651, lib. 4 *Decret. Paul.*, pag. 163.

(28. Facto verbo cum Sanctissimo, injungitur Gubernatori, ut non impediat, quatenus episcopus procedat ad pœnas spirituales contra Birruarium, qui clericum offendit, etiamsi Gubernator prævenerit in captura; ead. Sac. Congreg. Immun. in Macerat. 20 Junii 1656, lib. 5 *Decr. Paul.*, p. 100.

(29. Gubernator non habet potestatem visitandi molendina Ecclesiasticorum, nec molestandi Molitores afflictuarios eorumdem; eadem Sac. Cong. Immun. in Verulana 2 Octobris 1691, lib. *Decret. Grim.*, pag. 18.

(30. Nec visitandi Furnos Ecclesiasticorum; vide verb. *Furnus*, num. 15.

(31. Gubernator tenetur declarare in suo Edicto, quo prohibetur indistincte, ne quis possit emere, et vendere frumenta absque ejus licentia, non comprehendi Ecclesiasticos. Ead. Sacr. Congreg. Imm. in Guardien. 6 Augusti 1695, lib. 1 *Decr. Vallem.*, p. 208.

(32. Non potest impedire, seu punire Larvatos die festo de licentia episcopi. Ead. Sacr. Congregat. Immun. in Civitatis Castellanæ, 6 Februar. 1694, d. lib. pag. 102.

(33. Gubernatori, quamvis sit clericus conjugatus, datur facultas procedendi contra personas ecclesiasticas, et quomodocunque exemptas, nec non examinandi; easque in casu renitentiæ cogendi cum solita præservatione. Ead. Sac. Cong. Imm. in Perusina 2 Junii 1703, lib. 3 *Decret. Vallem.*, p. 492.

(34. Item, quamvis non sit Clericus, datur facultas procedendi contra Clericum. Eadem Sacr. Congregat. Immun, in Amerina 24 Martii 1688, lib. *Decret. Martelli*, pag. 257.

(35. Jussu Sanctissimi aliquando episcopus consignat Gubernatori corpus delicti. Ead. Sac. Cong. Immun. in Aquipendii 11 Decembris 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 160, et alibi.

(36. Injungitur Gubernatori, qui mandaverat carcerari reum in loco immuni, ut ipse una cum aliis ministris suæ Curiæ omnino adeant episcopum pro absolutione a censuris incursis, et simul injungitur episcopo, ut benigne illos recipiat, et dictum Gubernatorem, et magistratum absolvat privatim, alios vero officiales inferiores publice in forma Ecclesiæ consueta. Ead. Sacr. Congregat. Immun. *in Narnien.* 4 Augusti 1627, ib. 1 *Decret. Paul.*, fol. 59.

(37. In casu occisionis mulieris cum fœtu, Sanctissimus tribuit Gubernatori facultatem procedendi, et injungit Curiæ Archiepiscopali Firmi, ut consignet carceratum eidem Gubernatori. Ead. Sac. Cong. Immun. in Asculana, seu Firmana 15 Maii 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.* pag. 121.

(38. Ad tuendam publicam quietem a bannitis et facinorosis datur Gubernatori Asculi facultas procedendi contra personas ecclesiasticas, tam sæculares quam regulares, et quovis alio titulo privilegiatas, easque examinandi, et cognandi absque incursu irregularitatis; ead. Sac. Congr. Immun. *in Asculana* 20 Octobris 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 152. Etiam extra jurisdictionem. Ead. Sac. Cong. Immun. in ead. 1 Martii 1695, d. lib., pag. 175.

RECENSENTUR ALIQUI GUBERNATORES EXCOMMUNICATI.

(39. Datur episcopo Narnien. facultas absolvendi privatim Gubernatorem, ejusque Cancellarium ob carcerationem cujusdam rei habilitati a Curia episcopali ad habendam Civitatem loco Carceris; impositis pœnitentiis salutaribus, ac de consensu patris; et quatenus hæc sit absens a d. Civitate, recipiat idoneam cautionem de reficiendis damnis juxta summam liquidandam. Ead. Sac. Cong. Immun. *in Narnien.* 7 Nov. 1693, l. 1 *Decr. Vallem.*, pag. 85.

(40. In honorem Festi Paschalis absolvitur cum reincidentia Gubernator, et Ministri Curiæ Laicalis, eo quia processerunt in qua-

Digitized by Google

dam causa clerici conjugati, et carcerarunt successive ejus consanguineos ob recursus ab ipso factos ad Curiam episcopalem, dummodo non existant in aliqua actuali læsione immunitatis Eccles. et se obligent de parendo mandatis Papæ. Ead. Sac. Cong. Immun. in Policastren. 30 Martii 1694, lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 114.

(41. Episcopus absolvat cum reincidentia Gubernatorem civitatis N. qui violenter posuit, ut dicitur, *un Banco* in Ecclesia, quatenus judicet dignum tali gratia, et pro sua prudentia id expediens judicaverit. Ead. Sacr. Congr. Immun. *in Isernien.* 30 Octob. d. anni, et lib., pag. 154.

(42. Gubernator, et Satellites, qui carcerarunt Balivum Curiæ episcopalis, absolvuntur in forma privata, et abolitis prius actis factis per Curiam laicalem, et refectis damnis ob d. carcerationem ipsi illatis. Ead. Sac. Cong. Immun. in Imolem. 10 Jan. 1690, lib. *Decret. Mar.* pag. 561. (43. Item absolvuntur Gubernator, et complices ob recognitionem corporis delicti factam in Ecclesia absque facultate Apostolica. Ead. Sac. Cong. Immun. in Nullius S. Marci 21 Nov. 1693, l. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 87. (44. Idem Gubernator, qui propria auctoritate extrahi fecerat ab Ecclesia cadaver ad effectum recognoscendi corpus delicti. Ead. Sac. Congreg. Immun. in Portuen. eadem die pag. 87.

(45. Idem Gubernator Atini, Ministri, et exsecutores Curiæ laicalis ob carcerationem, et læsionem clericorum. Ead. Sac. Cong. Immun. in Atini 17 April. 1694, d. lib., pag. 119. (46. Insuper ob carcerationem cursoris Curiæ episcopalis. Ead. Sac. Cong. Immun. ibidem. (47. Præterea sustinentur contra dictum Gubernatorem, eo quod vulneravit cursorem dict. Curiæ. Ead. Sacr. Cong. Immun. ibid. (48. Rursus idem Gubernator absolvitur impositis gravibus pœnitentiis salutaribus, quia carceraverat duos clericos Salvaticos. Ead. Sac. Cong. Immun. in ead. 9 Junii 1695, d. lib., pag. 200.

(49. Contra Gubernatorem Minerbinen. episcopus procedat ad aggravationem censurarum super earum contemptu, et procedat etiam juridice super edicto læsivo libertatis ecclesiasticæ, ex eo quia prohibebat sæcularibus emere, et recipere panem franchitiarum ecclesiasticis debitarum. Ead. Sacra Congregat. Immunit in Minerbinen. 6 Novembris 1694, lib. 1 *decret Vallem.* pag. 155.

(50. Et injungitur Nuncio Apostolico, ut instet apud d. Proregem, ut condigne puniat Gubernatorem pro publicatione præfati edicti. Ead. Sacr. Congregat. Immunit. ibid. (51. Rursus contra præfatum Gubernatorem denuo proceditur ad aggravatorias ob spretum censurarum. Ead. Sacr. Congr. Immun. in ead. 8 Decem. d. anni, et lib., pag. 160.

(52. Prævia consignatione carceratorum in manibus Curiæ ecclesiasticæ, præstita cautione de in omnibus parendo mandatis Ecclesiæ, datur facultas absolvendi d. Gubernatorem cum reincidentia post mensem, quatenus se gesserit cum debito respectu erga censuras, saltem ab initio Quadragesimæ. Ead. Sac. Congr. Immun. in ead. 26 Martii 1691, d. lib. pag. 179.

(53. Denuo injungitur episcopo, ut procedat prout de jure contra Gubernatorem d. civitatis, et alios pro edictis læsivis ecclesiasticæ libertatis, et ut supra num. 12 pro extractione a loco immuni, in reliquis ad ulteriora procedat super spretu censurarum. Ead. Sac. Congr.. in ead. 19 Aprilis d. anni, et lib. p. 183.

(54. Insuper quia carceraverat duos Clericos Salvaticos, datur facultas eumdem absolvendi, constito de reintegratione Ecclesiæ, et prævia obligatione de non incurrendo amplius in similia, et impositis gravibus pœnitentiis salutaribus. Ead. Sacra Congr. Immun. in ead. d. anni, et lib., pag. 200.

(55. Gubernatorem Carinolen. ejusque Ministros prævio deposito penes personam eccl. summæ exactæ a custode animalium clerici, carcerati, eo quia clericus non obedierat edicto edito circa animalia, episcopus absolvat cum reincidentia, quatenus humiliter petat. Ead. Sac. Cong. Immun. in Carinolen. 19 Jul. 1695, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 203. (56. Insuper contra eumdem procedat super spretu Censurarum. Ead. S. Cong. Immun. in ead. 6 Aug. d. anni, et lib., pag. 207.

(57. Constito de reparatione Ecclesiæ violatæ ob extractionem confugiti in eamdem, arbitrio episcopi absolvitur private Gubernator, alii vero in forma consueta, prævio tamen consensu omnino interesse habentium, qui sunt in Diœcesi, et prævia cautione de reficiendis damnis, et parendo mandatis Ecclesiæ. Ead. Sacra Congregat. Immun. in Theanen. 4 Junii 1695, d. lib., pag. 193.

(58. Sic Gubernator Avellinen. absolvitur private, ejus autem minister publice ob carcerationem clerici. Ead. Sacr. Cong. Immun. in Avellinen. 8 Maii 1694, d. lib., pag. 21.

(59. Gubernator Verulanus, seu ejus Curia excommunicatur, quia visitavit Molendina Ecclesiasticorum, et carceravit molitores afictuarios eorumdem. Ead. Sacr. Congr. Immun. in Verulana 2 Octobr. 1691, lib. *Decret.*, *Grim.*, p. 18, in Vigilien. 12 Nov. 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.*, pag. 627.

(60. Gubernator Castri Turris absolvitur, dummodo revocet præceptum factum officialibus Confraternitatis de non egrediendo a d. loco, nisi soluta dote quibusdam mulieribus debita ab ipsa Confraternitate; et revocet omnia alia læsiva libertatis ecclesiasticæ. Ead. Sacr. Congreg. Immun. in Alatrina 13 Decemb. 1692, l. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 10.

(61. Proceditur contra Gubernatorem retinentem fructus cujusdam Beneficii. Ead. Sacra Congreg. Immun. in Aquilana 1 Januar. 1695, d. lib. pag. 165.

(62. Attenta reintegratione Ecclesiæ, et prævio consensu Partis, ac juramento de non incurrendo amplius in similia, absolvitur Gubernator cum suis ministris ob carcerationem clerici, et sequestrationem rerum ejusdem. Ead. Sacr. Congreg. Immun.

Digitized by Google

in Materanen. 12 Nov. 1695, lib. 1 *Decr. Vall.*, pag. 227.

(63. Item constito de reintegratione, et cum supradictis conditionibus absolvitur Gubernator private, sed servata forma, alii vero in forma consueta, qui carceraverant custodes animalium clerici. Ead. Sacr. Congr. Imm. in Carinolen. 17 Decemb. d. anni, et lib., pag. 235.

(64. Gubernator, ejusque ministri absolvuntur cum reincidentia, prævia cautione de parendo mandatis Ecclesiæ, et quatenus humiliter, et personaliter petant. Ead. Sacr. Congregat. Immun. in S. Severinæ 17 Decembris d. anni, et lib., pag. 236.

(65. Attenta abolitione actorum, et prævia obligatione de abstinendo a similibus, absolvitur Gubernator, qui processum formaverat contra Sacerdotem; Sacr. Congr. Immun. in Asculana 31 Augusti 1700, lib. 2 *Decret. Vallem.*, pag. 311.

(66. Præmissis consuetis conditionibus, et facta obligatione de servando in posterum debitum respectum Immunitati, et jurisdictioni Ecclesiasticæ, absolvitur Gubernator cum suis ministris ob carcerationem clerici. Ead. Sacra Congreg. Immun, in Nepesina 18 Septembris d. anni, et lib., pag. 314.

(67. Gubernator Frosinonis absolvi potest a confessario; ejus autem ministri absolvantur ab episcopo privative ob carcerationem detentorum in carceribus laicis vigore mandati Curiæ episcopalis. Ead. Sacr. Congr. Immun. in Verulana 3 Augusti 1695, lib. 1 *Decr. Vallem.*, pag. 138.

(68. Locumtenens Frosinonis, eo quod testem examinatum in Curia ecclesiastica super loci immunitate carceraverat, jubetur accedere ad Urbem. Ead. Sac. Cong. Immun. in Verulana 14 Januar. 1698, lib. 2 *Decret. Vallem.*, pag. 133.

(69. Locumtenens positis solitis conditionibus absolvitur in forma Ecclesiæ consueta ob perquisitiones in ecclesia factas. Ead. Sac. Cong. Imm. in Hydruntina 9 Februarii 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 105.

(70. Imposita aliquali eleemosyna arbitrio episcopi absolvitur Locumtenens Oppidi N. qui extraxerat ab Ecclesia homicidam, præcise ad vitandum tumultum populi acriter concitatum. Ead. Sac. Congr. Immun. in Aquen. 26 Septemb. 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 148.

(71. Gubernator Placentiæ in Hispania aliorum auxilio confugam violenter ab ecclesia extraxit, ac per civitatem publice fustigatum in ecclesiam reposuit, Constito autem, quod idem Gubernator, et alii abstinuerint ab exercitio quorumcunque munerum, et se gesserint in omnibus tanquam censurati per mensem, et prævia satisfactione partis, et quatenus oratores humiliter petant, datur episcopo facultas absolvendi Gubernatorem in sacello episcopali in forma ecclesiæ, alios vero in ecclesia, servata forma pariter, soluta prius tamen per Gubernatorem eleemosyna in summa duplarum 100, et per alios omnes in summa duplarum viginti quinque, eroganda in aliquo patenti opere in reparationem injuriæ Ecclesiæ illatæ, arbitrio episcopi. Ead. Sac. Cong. Imm. in Placentina Hisp. 18 Augusti 1699, lib. 2 *Decr. Vallem.*, pag. 240.

(72. Gubernator, Magistratus, et alii censurati ob violentias Ecclesiæ illatas in violenta collocatione scamni, prævia remotione ejusdem scamni, absolvuntur arbitrio Episcopi etiam in forma privata, si humiliter petant. Ead. Sac. Cong. Imm. in Isernien. 1 Martii 1695, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 174.

(73. Gubernatori Urbis nulla competit jurisdictio in civilibus contra clericos, et loca pia. Benedict. XIV. tom. I. Constitut. 115. incip. *Romanæ Curiæ* § 23. (74. Exceptis causis mercedis, et summæ infra secuta 25, etiamsi adsit obligatio cameralis. Idem ib. § 24.

(75. Gubernatore civitatis, aut loci ditionis ecclesiasticæ decedente, non licet magistratibus, sive consiliis subrogare Pro-Gubernatorem. Idem Constitut. 117 incip. *Ad populorum* § 1. (76. Non obstante quacunque consuetudine, aut quasi possessione. (77. Nisi doceant de expresso privilegio a Sede Apostolica sibi concesso. Idem ib. § 7 et 8.

(78. Gubernatoribus prælatis civitatum ditionis ecclesiasticæ decedentibus, subrogantur ipso facto eorum locumtenentes cum facultatibus et emolumentis. Idem ib. § 1. (79. Gubernatoribus non prælatis substituuntur similiter procuratores fiscales. (80. Idem ibid. § 2 et 3. Gubernatoribus a præfectis sive aliis Gubernatoribus dependentibus subrogari jubetur aliquis Pro-Gubernator. Item ibid. § 4. (81. In Legationibus Romandiolæ et Ferrariæ hujusmodi subrogatio pertinet ad cardinales legatos, sive præsides provinciarum. (82. In Legationibus autem Bononiæ, et Urbini spectat ad eos, ad quos pertinet deputatio Gubernatorum. Idem ib. § 5, 6.

(83. Gubernatoris Urbis Tribunal certo judicum, et notariorum numero constare debet, quibus omnibus certa emolumenta assignantur a Bened. XIV, t. 2, Const. 44, incip. *Rerum humanarum.* (84. Iisdem certa summa annua attribuitur pro expensis commissionum, ex qua si quid reliquum fuerit in fine anni, inter omnes æqualiter dividendum erit. Idem ibid. (85. Gubernatori Urbis prohibetur ullum Judicem, Notarium, aut substitutum admittere supra numerum a Pontifice statutum. Idem ibid. (86. Gubernator Urbis cibaria taxare debet pro judicibus, et commissariis ad commissiones prodeuntibus; et idem annua scuta centum loco præmii partiri potest inter eos, qui digniores se præstiterint. (87. Idem ibid. Gubernatori Urbis S. R. E. vice-camerario concessum est Rochettum per Urbem deferre, et Lemniscos nigros equorum capiti appensos habere. Idem *in Appendice* num. 5, pag. 30.

(88. Gubernatorum per ditionem ecclesiasticam constitutorum controversiæ cæremoniales cum episcopis definiuntur, et assignantur certæ cæremoniales Leges, quas

Digitized by Google

erga Episcopos servare jubentur. Idem tom. 1, Constit. 18, incip. *Quod Apostolus*, et tom. 2, *in Appendice* n. 2. pag. 11 et sequent.

ubi ad longum adducuntur, et ibi brevitatis gratia videndæ relinquuntur.

GUIDACIUM, seu PEDACIUM.

Vide verbo Gabella, *n.* 9

GULA.

SUMMARIUM.

1. Gula quid sit. — 2. Quinque sunt modi, quibus peccatum Gulæ solet committi, et assignantur.— 3. Præpropere, quando quis dicatur peccare peccato Gulæ. — 4. Laute, quando peccetur. — 5. Nimis, quando peccetur. — 6. Ardenter, quando peccetur.— 7. Studiose, quando peccetur.— 8. Gula, comessatio, potatio ordinarie per se est solum peccatum veniale. — 9. Per accidens tamen potest evadere peccatum mortale multipliciter. — 10. Illicitum est comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. — 11. Satietas potest duo significare, et quomodo. — 12. Ebrietas quid sit. — 13. Ebrietas formalis, et voluntaria est peccatum mortale. — 14. Probabilius licitum est se inebriare ex præscripto medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud remedium. — 15. Varii alii contrarium sentiunt. — 16. Sic probabilius licitum est se inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam, dummodo absit scandalum, neque cedat in contemptum Religionis, et virtutis. — 17. Multi alii contrarium sentiunt. — 18. Alterum inducere, seu provocare ad illicitam ebrietatem semper est peccatum ex genere suo mortale. — 19. Sic peccant caupones, si inebriandos, plura vendendi ac lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocant. — 20. Imo mortaliter peccant caupones, qui potum ministrant his, quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. — 21. Judex, qui inebriat reum, ut sic inducat ad fatendum crimen, dupliciter peccat. — 22. Si quis reum ad mortem damnatum et rite dispositum inebriaret eo fine, ut cruciatus, et mortem non sentiret, peccaret graviter. — 23. Injuste detentus in carcere non peccat inducendo custodes ad materialem ebrietatem. — 24. Peccat tamen, si inducat ad ebrietatem formalem, etiamsi adesset periculum mortis. — 25. Si autem juste detinetur in carcere, peccat, licet ad materialem tantum ebrietatem inducat. — 26. Si grave malum non possit aliter impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem materialem. —27. An hoc casu liceat eum inducere ad ebrietatem formalem ipsi voluntariam, et culpabilem? variant doctores. — 28. Qui ebrietate scit se solere percutere uxorem, filios, aliosque domesticos, aut damna inferre aliis, peccat etiam contra pietatem, aut justitiam, si se inebriet, et tenetur ad damna causata. — 29. Bibere in sanitatem aliorum potest esse licitum, et reipsa nihil aliud contineat, quam sanitatis apprecationem. — 30. Si autem per talem potum intenderet, et vellet quis inducere Deum ad sanitatem alteri dandam, esset peccatum superstitionis. — 31. Suadetur principibus, ne permittant hujusmodi vinaria vota pro salute fieri. — 32. Gulæ filiæ sunt quinque, scilicet: hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. — 33. Quid intelligatur per hebetudinem mentis, et quale sit peccatum. — 34. Quid intelligatur per ineptam lætitiam, et quale sit peccatum. — 35. Quid intelligatur per multiloquium, et quale sit peccatum.— 26. Quid intelligatur per scurrilitatem, et quale sit peccatum. — 37. Quid intelligatur per immunditiam, et quale sit peccatum.

(1. Gula est inordinatus, seu immoderatus appetitus, ususque cibi ac potus. *Est in re communis.* (2. Quinque sunt species: seu modi, quibus peccatum Gulæ solet committi; Sic S. Gregorius l. 3. *Moral.*, cap. 17, ibi: « Quinque modis Gulæ vitium tentat, aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, aliquando lautiores cibos quærit, aliquando quæ sumenda sunt accuratius præparari appetit, aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram necessitatis excedit, aliquando in ipso æstu immensi desiderii peccat. » S. Gregorium sequitur D. Thomas 2. 2, 9. 184, art. 4, et communis aliorum, et prædicti quinque modi comprehenduntur in hoc versu a S. Thom. l. c. adducto:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

(3. *Præpropere* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando tempora indigentiæ prævenit. Unde si in die jejunii notabiliter prævenïat tempus ordinarium refectionis sine necessitate, peccat mortaliter, si autem aliis diebus, vel nimis mane, vel ante orationem, vel sæpius, quam deceat, comedat, et bibat, peccat solum veniâliter. Hic juvat adducere duos sequentes veteres versus.

Qui semel est, Deus est; homo qui bis; bestia qui ter;
Qui quater Dæmon; qui quinquies est sua Mater.

(4. *Laute* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimia sollicitudine quærit cibos pretiosos, delicatos, aut particulares, et similiter pretiosiora, et delicatiora vina ex sola Gulæ aviditate. Si autem propter infirmi consolationem, principis, amicorum, seu conjunctorum adventum, convivii occurrentiam, vel ordinariam sese lautius certis diebus recreandi consuetudinem quærantur cibi pretiosiores, delicatiores, et rariores, nullum ordinarie committitur peccatum. Unde S. Augustin., l. 3, *de Doctrina Christiana*, cap. 12, sic ad rem dicit: « In omnibus talibus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissima Gulæ flamma in vilissimum ardescat. » Idem ait S. Gregorius l. 38 *Moral.*, cap. 14: « Neque enim cibus, inquit, sed appetitus in vitio est, unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus; et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. »

(5. *Nimis* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimiam et immoderatam cibi et potus quantitatem absorbet; quia tamen difficile est limites debitæ comestionis et potationis non excedere, cum venter sit exactor inquietus, nisi temperantiæ frenum ei injiciatur; unde S. Gregorius l. 30 *Moral.*, c. 14, dicit: « Quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid voluptas suppetat, ignoratur. » Ideo de-

Digitized by Google

bet unusquisque complexionem suam consulere, et inde sibi regulas præscribere, semper in mente retinens id quod dicit Card. Bona *in Manud. ad cælum* c. 4, § 1, scilicet quod pauci sunt infirmi, quos Gula ad ægritudinem non adegerit, et ibidem § 1, in fine, quod *Gula multo plures occidit quam gladius*. Unde recte poeta, prout refert Ursaya in *Miscellaneo sacro et profano*, verb. *Gula*:

Gulæ pone metas, ut sit tibi longior ætas.

(6. *Ardenter* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando cibum, et potum nimis avide sumit, quod contingere potest etiam in cibis, et potionibus vilioribus, ut patet experientia in Esau, qui nimis avidus lenticulæ fratris sui Jacob pro ea primogenita sua stulte commutavit. Unde S. Augustinus, l. x *Confess.*, c. 31, ait : « Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis... Scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum. »

(7. *Studiose* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimis accuratam, et exquisitam in ciborum condimentis præparationem exquirit : Unde Hugo, *de Disciplina* c. ult., dicit : « Quidam sunt, qui præparandis cibis nimium studium adhibent, infinita decoctionum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo calida, modo cocta, modo essa desiderant, et tanta sollicitudine præparantur, ut devoratis jam quatuor, aut quinque ferculis prima non impediant, novissima, semper novos sapores desiderant instar feminarum prægnantium..... ad irritandam autem Gulam hæc fiunt, non ad sustentandam naturam; ad aviditatem explendam, non ad necessitatem supplendam. »

(8. Gula comessatio, potatio ordinarie per se est solum peccatum veniale, quia nimirum excessus non enormis in re alias indifferenti, vel licita, nonnisi venialis culpa est. Sic S. Augustinus serm. 4, in die Animarum l. 10, ubi ait : « Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere noverit, » et S. Thomas, 2 2, quæst. 148, art. 2, sic dicit : « Si vero in vitio Gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum... est peccatum veniale. »

(9. Per accidens tamen potest evadere peccatum mortale multipliciter. I. Ratione enormis excessus, et deformitatis contra virtutem temperantiæ qua homo statum naturæ rationalis enormiter et horrende deturbat, maxime qui scienter et ordinarie se insarcit, et ingurgitat usque ad vomitum, et qui ex proposito comessat, et potat in excessu, ut vomat; talis enim Gula, comessatio, et potatio ad Roman. XIII, Galat. V, I. Petr. IV, et in Epistola Judæ, 12, inter peccata mortalia enumeratur. II. Ratione scandali : dicit enim Apostolus I ad Cor. VIII : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. III. Ratione gravis nocumenti corporis, ut qui ex nimia comessatione et potatione prævidet aut prævidere debet contracturum se morbum notabilem, ut enim dicitur Ecclesiastic. XXXVII : *Propter crapulam multi perierunt*. IV. Ratione gravis nocumenti animæ, ei cum quis advertit ex nimia ingurgitatione sibi causari graves morbos, libidinosos, quibus ordinarie consentire solet. V. Ratione impotentiæ servandi præcepta graviter obligantia, ut solvendi debita, alendi familiam, studendi in judice, aut advocato, ubi res urget et hujusmodi. VI. Ratione ultimi finis positi in cultu ventris, ut faciebant olim Epicurei, de quibus Apostolus ad Philippens. III. dicit : *Quorum Deus venter est*; et ad Roman. XVI : *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*.

(10. Illicitum est comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. Innocentius enim XI, die 2 Maii 1679, expresse damnavit sequentem propositionem inter alias ordine 8 : « Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. » (11. Hic ad damnatæ propositionis (12*) intelligentiam est advertendum, quod satietas potest duo significare, vel comestionem et potationem talem, qua satisfit fami et siti; vel talem, quæ fiat in majori quantitate quam requirit sustentatio. Si sumatur primo modo, comedere et bibere usque ad satietatem, nullum est peccatum; si secundo modo, est peccatum. Si ex Augustino tom. X, serm. 4, in die Animarum; ex S. Gregorio lib. XXX *Moral.*, c. 17; ex S. Isidoro relato, et secuto à S. Thoma, 2-2, q. 148, art. 4, probat Cardenas in 2 Crisi dissert. 7, n. 26. Sanctus enim Augustinus l. c. sic ait : « Quoties aliquis in cibo, et potu plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit. » S. Gregorius loc. cit. ait, committi peccatum Gulæ, cum quis *in ipsa quantitate sumendi mensu-*

(12*) Damnata ab Innocentio XI propositio eo videtur exposita consilio ab Auctore nostro, ut licitum esse velit intendere delectationem, quæ capitur ex cibo et potu moderato; quemadmodum a Sanchesio, Escobario, Moya, aliisque benignioribus theologis propugnatur. Cum solam cibi vel potus quantitatem respicere propositionem illam contendat, facile est intelligere Ferrarium nostrum opinari improbatam a Summo Pontifice non esse delectationem, quam pro fine habeat ultimo comedens, et bibens ad satietatem. Sed quis æquo animo ferat hanc interpretationem? Voluptas sane, et sapor cibi et potus peccatum non est, quia *non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis*, inquit Augst. lib. IV, *contra Julian.*, cap. 14, sed qui manducant et bibunt ob solam voluptatem semper peccant, saltem venialiter; nam inordinatus tunc est eorum appetitus quo fruuntur utendis, ideoque peccatum Gulæ, juxta traditam definitionem. Audiatur S. Thom., 2-2, quæst. 189, art. 2 : « Homines, inquit, Gulæ dediti, ventri suo, tanquam ultimo fini famulantur; » ut Rom. XVI ait Apostolus : *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed ventri*. Item ad Philippen. III : *Quorum Deus venter est*. « *Si vero in vitio* » *Gulæ*, subdit idem doctor, « intelligatur inordinatio concupiscentiæ, secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationem ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. » (NOTA ROMANI THEOLOGI.)

Digitized by Google

ram necessitatis excedit; S. Isidorus loc. cit. affirmat peccare gulosum, dum excedit in cibo, *secundum quantum;* S. Thomas l. cit., in dicto versu dicit: quod committitur peccatum Gulæ, cum quis *nimis* comedit.

(12. Ebrietas est excessus voluntarius in potu, voluptatis gratia factus usque ad privationem usus rationis. Est in re communis. (13. Ebrietas formalis et voluntaria est peccatum mortale. Est communis cum S. Thoma, 2-2, q. 150, art. 2, et habetur ex sacra Scriptura: ad Galatas enim v: *Ebrii excluduntur a regno Dei;* et Isaiæ v, legitur: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam... Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Væ autem non usurpat Scriptura, nisi contra peccatum mortale. (14. Probabilius licitum est se inebriare ex præscripto medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud medium. Et ratio est, quia sicuti licitum est se in perpetuum privare brachio, vel pede, ut servetur totum corpus, ita multo magis ad breve tempus usu rationis; non enim est inebriatio formalis, quia non est voluptatis gratia, ut requiritur ex data definitione, sed materialis, ut ex justa causa, cum talis ebrietas sit reipsa necessaria ad conservationem vitæ (13). Sic tenent Silvester, verb. *Ebrietas*, q. 2. Sa, eod. verb., num. 4. Armilla, eod. verb., num. 5. Naldus, eod. verb., num. 2. P. Ledesma, tract. 23, cap. 3. Navarr., cap. 23, n. 119. Tolet., lib. VIII, cap. 61. Tanner., 2-2, d. 3, q. 4, n. 53. Diana, p. 6, tract. 7, resolut. 44. Bonacina, t. II, d. ult. quæst. 1, part. I, propos. 1, n. 3. Alv., 1, 2. d. 147, n. 6. Reginald., lib. XII, cap. ult., num. 55. Baldell., lib III, d. 30, num. 23. Rayn., *de Virt. et Vit.* lib. VI, sect. 2, cap. 6, num. 113. Joan. Pontius, d. 22, q. 12, num. 103. Stephan., tit. 1, d. 5, num. 76. Loth., tract. 18, art. 8. Ilsung., tract. 4, d. 1, num. 54. Layman, lib. III, sect. 4, num. 5. Busembaum lib. v, dub. 5, art. 2. Sporer., t. I, tract. 1, cap. 7; sect. 2, n. 62. La Croix, l. v, n. 311, aliique plurimi citati ab ipso num. 309. (15. Varii autem alii cum Mendo d. 13, q. 24. Henno, tom. I, tract. 1, *de Peccatis actualib.*, disp. 4, art. 3, conclus. 1, et apud ipsum S. Antoninus, Silvius, et alii sustinent contrarium, quia, dicunt ipsi, ebrietas est intrinsece mala, et per se loquendo est peccatum mortale, adeoque nunquam potest esse licita. At revera ebrietas est solum intrinsece mala, cum est facta *voluptatis gratia*, non autem cum est facta ex justa causa, qualis est conservatio vitæ non alio medio conservabilis.

(16. Sic probabilius licitum est se inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam, dummodo absit scandalum, neque cedat in contemptum religionis, et virtutis temperantiæ a Christianis servandæ. Et ratio est, quia, si ad redimendam vitam a tyranno fas est sibi ipsi manum, vel pedem amputare, cur non etiam rationis usum ad breve tempus sibi adimere? Lessius, lib. IV, cap. 3, d. 4. num. 37. Layman., loc. cit., n. 5. Busembaum, loc. cit., 3. Azor., Reginald., Baldell., La Croix, et alii. (17. Contrarium tamen sentiunt multi alii nitentes, pro se adducere divum Augustinum, serm. 232, *de Tempore*, ubi sic habet: « Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. » Sed S. Augustinus, ut exponunt Lessius, Dicastill., Illsung. apud La Croix loc. cit., num. 311, loquitur de casu, quo in contemptum religionis, vel virtutis bibendum esset, quod et concedit etiam nostra conclusio. Fateor tamen contrariam opinionem esse vere probabilem, quinimo Henno loc. cit., conclus. 2, dicit esse communem contra paucos.

(18. Alterum inducere, seu provocare ad illicitam ebrietatem, semper est peccatum ex genere suo mortale. Sic S. Augustinus, serm. 231, *de Tempor.*, ubi sic habet: « Certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere laudem meretur ex crimine... Oh infelicitas generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebriosos, et luxuriosos amplius quam oportet, cogunt bibere, et ante ostium pauperibus petentibus, vel unum calicem dissimulant dare... Quando animalia ducuntur ad aquam, ubi saturaverunt sitim suam, etiamsi supra aquam ipsam diutius teneantur, expleta siti bibere nolunt omnino, nec possunt; considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sint... Et quod pejus est, aliqui clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus bibere quam expedit... Si et te, et alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. » Sic S. Ambrosius *de Elia, et*

(15) Ebrietas jure naturali, et divino prohibita est. Itaque a supremo Medico, in cujus manu salus et vita hominis est, omnino damnatus. Quis ergo medicorum pro medicina præscribat, quod supremus vitæ Dominus exsecratur? Docet utique sanctus Thomas largiorem potum sanitatis causa sumi posse ad vomitum excitandum, sed subdit 2-2, quæst. 150, art. 1 ad 3, « Nec tamen ad vomitum requiritur, quod sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat; et ideo propter hanc causam non excusatur aliquis ab ebrietate. Sed abstineo ab ulteriori confutatione; quia casus chimæricus est; nequé enim designari morbus potest, cujus necessaria et unica medicina ebrietas sit, sicut morbi occurrunt in brachio, vel alio membro, quos sola membri amputatio curare, et sanare possit. Quamobrem frustra in ebrietatis favorem hæc ac iis similes opiniones excogitatæ a Probabilistis fuere; neque tutæ haberi possunt opiniones, quas Auctor infra recenset num. 16, 23 et 26, quas conferre juvat cum doctrina S. Cæsarei serm. 295, *in Appendice oper. S. Augustini:* « *Solent* inquit, ebriosi, ut dicant: Persona potens me coegit ut amplius bibam: et in convivio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, et quod implere noluimus, non potuisse nos dicimus.... Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibes aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. » Item serm. 292: « Qui alterum cogit ut se, plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem occideret. » (Nota Rom. Theologi.)

Digitized by Google

jejunio, c. 13 et 14, graviter tales reprehendit, qui ad vini haustus se mutuo provocant, verisimiliter prævidentes in se, vel altero ebrietatem secuturam esse. Et S. Augustinus, citat. serm. 231, *de Tempore*, sic expresse ad rem loquitur : « Qui enim alterum cogit, ut se plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. » (19. Sic graviter peccant caupones, si inebriandos, plura vendendi, ac lucrandi prætextu ad potum continuandum provocent, nam si teste Apost. ad Romanos I, digni sunt morte, non tantum qui male agunt, sed etiam qui male agentibus consentiunt, a fortiori digni erunt morte, qui alios ad male agendum provocant, et inducunt. Communis. (20. Imo mortaliter peccant caupones, qui potum ministrant iis, quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. Communis et certa, teste Henno, loc. cit., artic. 4, conclus. 1.

(21. Judex, qui inebriat reum, ut sic inducat ad fatendum crimen, dupliciter peccat; primo peccat tantum, et eo genere peccati, quantum, et quo illi, qui illicite aliquem ad ebrietatem provocant. Secundo peccat etiam contra justitiam, quia vult ab invito extorquere confessionem, quare gravi injuria illum afficit; arg. *Qualiter*, et *Quando* 17, *de Accusat.* Hinc ex illa scientia, utpote illegitima nec juridica illicite procederet ad torturam vel ad sententiam; Baldell., lib. v, disp. 30, num. 29. Lessius, l. II, cap. 29, dub. ult., n. 173. Clarus, in Practica criminali, q. 55. Glossa, et DD. in l. penult., ff. *de Quæst.* (22. Si quis reum ad mortem damnatum, et rite dispositum inebriaret eo fine, ut cruciatus et mortem non sentiret, peccaret graviter, quia hic non est finis potus, neque est ratio sufficiens tollendi rationem pro eo tempore quam maxime necessariam. Dicastill., lib. I, *de Justitia et jur.*, disp. 3, dub. n. 11, 146. Fanner., t. III, disp. 2, qu. 6, dub. 8. Gobat., tom. II, c. 13, n. 38, et alii. (23. Injuste detentus in carcere non peccat inducendo custodes ad materialem ebrietatem cum in tali casu ex quo ebrietas ipsis custodibus non sit voluntaria, ipsi inculpabiliter inebrientur, et aliunde injuste detentus utatur jure suo ad se liberandum a tali injustitia sine propria, et custodum culpa. (24. Peccat tamen, si inducat ad ebrietatem formalem, etiamsi adesset periculum mortis, quia est intrinsece malum inducere aliquem directe ad peccatum, quidquid contradicere videatur Lessius, l. IV. *de Justitia*, c. 3, n. 53, et Baldellus, l. v, disp. 30. (25. Si autem juste detinetur in carcere peccat, licet ad materialem tantum ebrietatem inducat, partim quia inducit ad aliquid de se malum, partim quia est causa injusta gravium malorum quæ patientur custodes. Gobat. t. II, c. 13, num. 30. La Croix, lib. v, c. 3, dub. 5, art. 2, num. 332, et alii.

(26. Si grave malum non possit alia via impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem materialem ei penitus involuntariam, ut scilicet præter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur, v. g. præbendo tali homini vinum fortissimum, seu medicatum, cujus vi ignorata inebrietur, et sic omittat grave illud malum jam ideatum, et præparatum, exempli gratia proditionem urbis, incendium communium et publicarum scripturarum, abductionem, seu deprædationem publici ærarii, et hujusmodi. Tunc enim videtur adesse justa causa sic eum materialiter inebriandi, et aliunde non induceretur ad peccatum formale, cum talis ebrietas esset ipsi penitus involuntaria. Sic Lessius, lib. IV, cap. 3, dubit. 4, num. 37. Sanchez, lib. II *de Matrimon.* d. 11. Busembaum, lib. v, cap. 3, art. 2, num. 5. Diana, Medina, Gobat., et alii. (27. An autem hoc casu liceat eum inducere ad ebrietatem formalem ipsi voluntariam, et culpabilem, variant doctores. Lessius, loc. cit., n. 32, affirmat : quia, inquit, licet suadere, et inducere ad minus malum, ut impediatur majus. Rectius tamen negant Arsdechin., in q. q. singul., q. 11. Burgh., cent. 3, caus. 68. Layman., l. III, sect. 4, n. 6. Busembaum, loc. cit., et alii. (28. Qui in ebrietate scit se solere percutere uxorem, filios, aliosque domesticos, aut damna inferre aliis, peccat etiam contra pietatem, aut justitiam, si se inebriet, teneturque compensare damna in tali ebrietate aliis illata, cum sint satis prævisa in causa, neque adhibeatur sufficiens et requisita præcautio Gobat., t. I, tract. 5, c. 19, sect. 1. La Croix, l. v, n. 334, et alii passim.

(29. Bibere in sanitatem aliorum, v. g. regum, principum, magnatum, amicorum, et hujusmodi est mos satis antiquus, ut ex Ovidio, Horatio, atque aliis ostendit Fornerus, l. III, *de temulentiæ Malo*, cap. 16, et potest esse laudabilis et licitus, si reipsa nihil aliud contineat, quam sanitatis apprecationem, cum sit consuetudo usitatissima in conviviis etiam clericorum, et religiosorum modestiæ laude non carentium, dummodo tamen non interveniat in similibus potationibus aliqua ad vini haustus mutua provocatio cum solito periculo ebrietatis; ut ad rem S. Augustinus, et S. Ambrosius adducti supra sub num. 18. (30. Si autem per talem potum intenderet, et vellet quis inducere Deum ad sanitatem alteri dandam, esset peccatum superstitionis, quia esset actum per se indifferentem, et non spectantem ad Dei gloriam velle movere, et inducere Deum ad aliquid faciendum, quod est superstitiosum, cum ex S. Thoma, 2-2, q. 93, art. 2, in corpore, et communi aliorum, actus superstitionis exerceatur, quoties ad Dei gloriam facimus aliquid, quod Dei gloriam non pertinet. Tum quia potest esse peccatum, cum tales propinationes sæpissime fiant ex sola adulatione, et talia pocula ut plurimum ebibentur cum præsentissimo periculo lædendi mentem, sanitatemque propriam, vel alienam; unde, ut refert Gobat., tom. II, tract. 5, cap. 14, sect. 8, num. 68, scite scripsit quidam sibi notus medicus :

Quo tibi potarum plus est in ventre salutum,
Hoc minus a potis hisce salutis habes.

Digitized by Google

Hinc S. Ambrosius *de Elia et jejunio* cap. 7, sic ait : « Quid autem obtestationem potantium loquar? Quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute imperatorum, et qui non biberit, sit voti reus in devotione. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant! » (31. Unde Fornerus loc. cit., cap. 19, suadet principibus, ne permittant hujusmodi vinaria vota pro sua salute fieri, ne Deus irritatus peccatis quæ intervenire solent, morbo potius illos plectat, quam sanitate donet. Vid. Gobat., loc. cit., sect. 8, per tot. La Croix loc. cit., num. 327. Forner., loc. cit., cap. 19.

(32. Gulæ filiæ quinque assignantur a S. Gregorio, l. III. *Moral.*, c. 17 (alias 31), a S. Thoma 2-2, q. 148, art. 6, in corp., S. Antonino, part. 6, tit. 6, cap. 4, ante § 1, et sunt : Hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. (33. *Per hebetudinem mentis* intelligitur obfuscatio intellectus orta ex ciborum et poculorum fumositate, caput perturbante, atque impediente operationes intellectus ac rationis, ut non possint penetrare ea quæ cæteroquin possent, ac deberent, et ideo monuit Christus Luc. XXI : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate.* Unde S. Joan. Chrysost., hom. 44 *in Joan.*, sic ait : « Nihil Gula perniciosius, nihil ignominiosius est; hæc obtusum, et crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc excæcat intellectum, nec sinit, ut quidquam perspiciat. » Tunc solum per eam aggravatur malitia Gulæ, quando per eam impeditur cognitio illorum, quæ quis scire debet, v. g. necessaria ad salutem, et necessaria ad recte fungendum officio proprio, et hujusmodi; S. Anton. loc. citat.; Baldell. *Theolog., moral.*, lib. III, disp. 2, n. 1, et alii. (34. *Per ineptam lætitiam* intelligitur lætitia vaga, et incomposita, reddens hominem inaniter hilarem, et eum excitans ad stulte, obscœne aut infamatorie loquendum, ad ridicule saltandum, ludendum, et hujusmodi. Unde Exodi XXXII dicitur : *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere*, et S. Gregorius lib. I *Moral.*, cap. 4 (alias 5), sic ait : « Pene omnes epulas comitatur voluptas, nam cum corpus in refectionis delectationem resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. » Ordinarie loquendo non excedit peccatum veniale, nisi adhibeantur gestus, saltus, aut verba ad grave peccatum inducentia, vel grave malum causantia. (35. *Per multiloquium* intelligitur certa quædam superflua loquacitas, per quam augetur mortaliter Gulæ malitia, quando potus, vel cibus ingestus causa est gravis detractionis, secretorum revelationis, et hujusmodi. Unde Prov. X dicitur : *In multiloquio non deerit peccatum.* (36. *Per scurrilitatem* intelligitur certa jocularitas, qua excitatur risus per verba inhonesta, aut etiam per actus exteriores inhonestos; S. Thom. loc. cit., art. 6; S. Anton. l. cit., § 5. Unde S. Chrysost., homil. 57 *ad popul.*, sic ait : « Ubi ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illic dæmones choros agunt, » etc. Scurrilitas si sit in materia indifferenti, cum solo excessu in jocis et facetiis, est solum venialis. (37. *Per immunditiam* intelligitur inordinata emissio quarumcunque superfluitatum, sive per vomitum, sive per pollutionem; S. Thomas, loc. cit., art. 6. Gobat. tom. II, tract. 5, cap. 23, num. 209. Unde Apostol. ad Ephes. V dicit : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, et sanctus Hieronymus, epist. 83 *ad Oceanum*, sic habet : « Venter mero æstuans cito despumat in libidines; in vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. » Ordinarie immunditia est solum peccatum veniale, potest tamen esse mortale, si inde sequatur notabile damnum in corpore, vel bonis fortunæ, aut aliorum scandalum; aut ex excessivo potu, et cibo intendatur, et directe procuretur voluntaria pollutio.

H

HABITUS.

SUMMARIUM.

1 Habitus non facit Monachum, sed Professio regularis. —2. Ut Professio regularis faciat verum Monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre Habitum Monachalem, aliter Professio est invalida. — 3. In Habitu Sæculari nequit fieri Novitiatus. — 4. Habitus Novitiorum est triplex pro diversitate Religionum, et assignatur. — 5. Deferre habitum Novitiorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem Professionis, sed sufficit deferre Habitum Religionis, seu Professorum. —6. Novitius deferens per annum Habitum Religionis, completo integro anno probationis censetur tacite professus, si Habitus, quem defert, sit patenter indistinctus ab Habitu Professorum et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ. — 7. Secus autem, si Habitus Novitiorum sit patenti distinctione distinctus ab Habitu Professorum. — 8. Nec requiritur protestatio ad hujusmodi Professionem præcavendam. — 9. Nec nocent antiqua Jura, quia censentur correcta per Clementinam *Eos, qui*, 2 *de Regularibus*. —10. Habitus Religionis debet patenter deferri, non autem occulte. — 11. Potest autem Religiosus Habitum occulte deferre, seu etiam deponere, et alium inducere absque ulla culpa, si id faciat ex aliqua justa et rationabili causa. —12. Religiosus dimittens temere Habitum suæ Religionis, est ipso facto excommunitatus.—13. Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrendam hanc excommunicationem, cum fit animo vacandi et sine rationabili causa, secus si ex justa causa. — 14. Religiosus temere exiens a Claustro cum Habitu ita abscondito, ut a circumstantibus cognosci nequeat cujus Ordi-

Digitized by Google

nis sit Religiosus, incurrit dictam Excommunicationem. — 15. Religiosus dimittens Habitum temere, sed intra Claustra, non incurrit dictam Excommunicationem. — 16. Non incurrit dictam Excommunicationem Religiosus qui intra, vel extra septa ex quadam levitate dimittit Habitum suæ Religionis ; et assignantur varii casus. — 17. Nec etiam dictam censuram incurrit, si Habitum dimittat ad finem domestice manendi per totam diem in Camera, vel alibi, dummodo Sæcularium conspectui non se exhibeat. — 18. Nec item incurritur dicta Censura propter dimissionem Habitus, si fiat animo adeundi pro brevi tempore ad lupanar, vel aliud turpius peragendum. — 19. Religiosus tenetur semper portare Habitum suæ Religionis. — 20. Verum ly *semper* debet intelligi moraliter. — 21. Religiosus an teneatur deferre, seu tenere proprium Habitum, et dormire cum ipso sub culpa, et sub qua, usque ad n. 22. — 23. Habitum suorum Ordinum debent deferre Regulares ad cardinalatum assumpti. — 24. Sic episcopus Regularis tenetur portare Habitum suæ Religionis. — 25. Episcopi, et Cardinales Regulares, quamvis peccent, si sine causa Habitum Religionis deponant, non incidunt tamen in dictam Excommunicationem latam in cap. *Ut periculosa*. — 26. Habitu Clericorum Sæcularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti ; nunc autem quoad Habitum Episcoporum et Cardinalium Regularium, attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII quæ affertur. — 27. Habitus, et color peculiaris fuit præscriptus pro discretiva visibiliter servanda in quolibet Ordine Regulari. — 28. Quam diversitatem Habitus, et præceptum servandi formam illius juxta præscriptum a Constitutionibus procedere etiam quoad Moniales, decrevit Sacra Congr. Concilii. — 29. Una Religio non debet, nec potest assumere Habitum alterius Religionis. — 30. Clerici sæculares nequeunt deferre Habitum Regularium, et e contra. — 31. Pueri quoque sexto ætatis suæ anno expleto non possunt amplius neque ex devotione Habitum Religiosum deferre, sed ipsum debent statim deponere. — 32. Novitio exeunti non est restituendus Habitus Religionis, sed illius pretium. — 33. Præfinitur tempus pro illis, qui Habitu Tertiariorum recepto cum Claustralibus habitant, et pœnæ in Superiores transgressores, usque ad n. 35. — 36. Prohibentur disputationes super vera forma Habitus Sancti Francisci. — 37. Interdicuntur libri omnes tractantes de vera forma Caputii. — 38. Insuper inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus asseritur latam formam Habitus esse eamdem, qua ipsi usi fuerunt, etc. — 39. Suspenduntur quoque, et prohibentur Imagines Sancti Augustini, et Sancti Nicolai de Tolentino, et aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis impressæ et depictæ a Fratribus discalceatis Augustinianis in eorum Habitu. — 40. Imagines Domini nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum nequeunt sculpi, aut pingi cum Habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, seu alio modo in Ecclesia Catholica inconsueto, et jam sic sculptæ et pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi, et mandantur ab Ecclesiis, et ab aliis locis quibuslibet amoveri, et deleri sub gravissimis pœnis. — 41. Habitum Fratrum Mendicantium osculantibus sunt concessæ Indulgentiæ, et quæ ? — 42. Tales Indulgentias lucrari possunt iidem Regulares. — 43. Eligentes mori, et sepeliri cum Habitu Fratrum Minorum, et respective Monialium S. Claræ, et Sororum Tertiæ Regulæ lucrantur inter alias Indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam sufficit Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. — 44. Eligentes sepeliri in aliquo Habitu Religiosorum sive Minorum, sive aliorum, debent, ut lucrentur Indulgentias, recipere habitum a Superiore illius Religionis, cujus est Habitus, vel ab alio de cujus mandato. — 45. Volentes sepeliri cum Habitu Religiosorum non est de necessitate, quod tumulentur in Ecclesiis eorum, quorum est Habitus, sed possunt sepeliri ubi sepulturam elegerint. — 46. Corpora volentium sepeliri cum prædicto Habitu possunt deferri ad sepulturam sine alio pallio, vel tegumento superimposito, non obstante quacunque ordinatione, vel prohibitione Ordinariorum locorum, etiam sub Censuris facta. — 47. Sæculares utentes Habitu Religiosorum ignominiose in ludis vel in lasciviis, peccant mortaliter, et incurrunt graves pœnas, et possunt puniri etiam per Judices Sæculares. — 48. Sic mortaliter peccaret, qui Habitum traderet ad lusum profanum, aut ad facinus exsequendum. — 49. Moniales tempore Bacchanalium recreationis gratia nequeunt dimittere proprium Habitum et assumere alium Sæcularem, præsertim virilem. — 50. Femina non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et si hoc fiat sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, erit tantum peccatum veniale, alias mortale ; et si fiat ex necessitate, nullum erit peccatum. — 51. Habitum, et Tonsuram deferre tenentur Clerici beneficiati, non solum in sacris constituti, sed etiam in Minoribus, et Tonsurati sub pœna privationis ipso facto beneficiorum, et pensionum, absque alia monitione. — 52. Habitum decentem, atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus, vel pensiones ex Beneficiis Ecclesiasticis excedentes valorem 60 ducatorum auri de camera. — 53. Habitum dimittens Clericalem potest illum iterum reassumere, non obstante Irregularitate superveniente, et Ordinarii prohibitione. — 54. Clericalis vestis Laicis Curialibus permittitur præter Collare, quod sit a Collari Clericorum diversum. — 55. Cætera usque ad num. 63, non indigent summario, cum satis summarie referantur in decretis adductis. — 64. Utens Habitu honorifico alicujus, ab eo inhiberi potest. — 65. Habitus parvi an benedici debeant a Parochis, vel a Religiosis postea introductis in eadem Parochia ? — 66. Canonici Regulares Lateranenses obtinentes ex Indulto Apostolico Beneficium sæculare, an teneantur deferre Habitum Regularem. — 67. Alia concernentia Habitum Clericalem *remissive*. — 68. Alia concernentia Habitum Religiosum, *remissive*. — 69. Habitus quoad Tertiarios, *remissive*.

(1. Habitus non facit Monachum, sed Professio regularis, textu expresso in cap. *Porrectum* 13 *de Regularibus*, ibi : « Cum Monachum non faciat Habitus, sed Professio regularis, » et in capit. ex part. 22, eodem titul., ibi : « Cum habitus non faciat Monachum, sed Professio regularis ; » et est communis doctorum sententia cum Glossa in cit. cap. *Porrectum*, verb. *Non facit Habitus*. (2. Ad hoc tamen, ut Professio regularis faciat verum Monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre Habitum Monachalem, seu Regularem, aliter professio est invalida. Conc. Trid. cap. 15, sess. 25, *de Regularibus*, et sic tenent communiter doctores, et Glossa in cap. final., verb. *Habitus*, 17 quæst., et in cap. *Super eo*, *de Regularibus*, ubi expresse dicit probationem debere fieri in Habitu Monachali, et cap. *Statuimus*, *de Regularibus* ; « alioquin, inquit, non posset probare austeritatem Monachalem, quæ magna ex parte in vestibus consistit. » (3. Et quod in habitu sæculari nequeat fiori Novitiatus, expresse decrevit Sacr. Cong.

Digitized by Google

Episcop. et Regul. in una Senogallien. 17 Aprilis 1602, et una Mediolan. 25 Octobr. ejusd. anni 1602.

(4. Habitus Novitiorum est triplex pro diversitate Religionum, ac Constitutionum earum, et consuetudinis, ut bene advertit Glossa communiter recepta in Clement. *Eos qui* 2 *de Regularibus*, verb. *Deinceps*. Primo enim in aliquibus Religionibus est penitus indistinctus ab Habitu professorum, de quo in cap. *Statuimus* 23, *de Regularibus*, et in cap. *Is qui* 1, in 6. Secundo in nonnullis Religionibus est quidem distinctus, sed latenter seu non patenter, ut si Habitus Professorum soleat benedici, non Habitus Novitiorum; cit. cap. *Statuimus* 23, *de Regularibus*, et cit. cap. *Is qui* 1, *de Regularibus*, in 6. Tertio in pluribus Religionibus est patenter, et manifeste distinctus ab Habitu Professorum; cap. *Constitutionem* 3, de *Regularibus* in 6, v. g. quia Habitus Novitiorum est albus, Professorum vero niger, vel quia habet alia externa patentia signa, uti in mea Religione, et Provincia, ubi ad Novitiorum Habitus appenduntur petia ad distinctionem Habitus professorum. (5. Deferre Habitum Novitiorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem Professionis, sed sufficit deferre Habitum Religionis seu professorum, quia etsi de jure communi Canonico Novitiatus debeat omnino, et simpliciter fieri in habitu Regulari, ut dicit Glossa in cap. *Si quis* 3, claus. 17, quæst. 2, in verb. *Habitus*, et habetur in cap. 1, *Super eo, de Regularibus*, ibi : *Religionis Habitum susceperunt*, et cap. *Statuimus* 23, eod. tit. ibi : *Ante susceptum Religionis habitum*. Nihilominus in citatis locis nihil specie dicitur de Habitu Novitiorum, sed tantum de Habitu Religionis, qui æque se extendit ad Habitum Novitiorum, et Professorum etiamsi inter se reperiantur in aliqua Religione distincti. Quis enim diceret, quod in mea Religione, et Provincia Habitus delatus per integrum annum Novitiatus, solum ex quo non habuerit appensa supradicta parvula petia, non sufficeret ad validitatem Professionis expressæ, concurrentibus omnibus aliis requisitis? Tum quia ex supradictis in pluribus Religionibus Habitus Novitiorum est penitus indistinctus ab Habitu Professorum, ut in specie de suo præclarissimo Ordine Prædicatorum testatur doctissimus Donatus *in Praxi rerum Regul.* tom. II, tract. 10, q. 23, num. 1, dicens, quod Novitiorum et Professorum est unus, et idem omnino habitus, sola benedictione distinctus, et tamen validissimæ sunt Professiones. Unde secundum jura supracitata debet intelligi Concilium Tridentinum in cap. 15, sess. 25, *de Regularibus*, ibi : « Nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum (*supple* Religionis) in probatione steterit, » ut bene advertit Suarez tom. III *de Relig*, lib. xv, *de ingressu* cap. 14, num. 10 Donatus tom. IV, tract. 11, quæst. 4, num. 4, et patet ex eo, quia per Trident. loc. cit. non aufertur Professio tacita, quæ incurritur per annalem probationem factam cum habitu Professorum cap. *Ad nostram* 8, *de Regularibus*; et Clementin. *Eos qui* 2, *de Regularibus*, et notat Pellizar. in tract. *de Monialibus*, ant. 2, sect. 2, qu. 13, num. 40. Donatus loc, cit. n. 4, et sic respondit sac. Cong. Concil. ut refert Armendar. in addit. ad recompilat. LL. Navarræ, lib. VII, tit. 18, *de Relig*. n. 6. Navarr. in sua *Lucerna Regul.*, verb. *Professio*, n. 24.

(6. Hinc Novitius deferens per annum Religionis Habitum, completo integro anno probationis, censetur tacite professus, si Habitus, quem defert, sit patenter indistinctus ab Habitu Professorum, et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ Clement. *Eos qui* 2, *de Regularibus*, per expressa verba infra adducenda; Donatus tom. II, tract. 10, quæst. 22, num. 1, cum aliis infra citandis. (7. Secus autem si Habitus Novitiorum sit patendi distinctione distinctus ab Habitu Professorum, nempe in colore, forma, et scissura, prout in Ordine Minorum; habetur utriusque conclusionis decisio expressa in cit. Clement. *Eos qui* 2, *de Regularibus*, ibi : « Eos, qui deinceps in discretionis constituti ætate Novitiorum Habitum in aliqua Religione per annum portaverint, hoc ipso Religionem illam decernimus esse professos. Nisi hujusmodi Habitus in colore, scissura, vel forma se distinctum patenter exhibeat ab Habitu Professorum; » sic Silvester, verb. *Relig.*, 3 quæst., 19, vers. 3, *Inducitur*. Navarr. *de Regularib.*, consil. 41, num. 1, in 1 edition. et comm. 4, eodem tit. num. 72 et 74. Rodriquez in *Compend. resolut.* 101, in fin. Donat. loc. cit. num. 2, et alii. (8. Nec requiritur protestatio ad hujusmodi Professionem præcavendam; Miranda tom. I *Manual. Prælat.*, q. 24, art. 10, in fine, quia ipsummet signum, quod patenter defertur, et quod a Professis distinguit, est sufficientissima protestatio. Panormit. in cap. *Ex parte*, et cap. *Postulasti*, *de Regularibus*; Donat. loco citato, num. 3. (9. Nec nocent antiqua Jura, quia censentur correcta per dictam Clementin. *Eos qui* 2, *de Regularibus*. Donat. loc. cit., n. 5. Imo Silvester loc. cit., Donat. loc. cit., dicunt, quod talis delatio quantumcunque producta etiam ad centum annos, nunquam talem Professionem inducet.

(10. Habitus Religionis debet patenter deferri, non autem occulte; nullus enim Religiosus de jure communi potest habitum sui Ordinis dimittere, ut constat ex cap. *Ut periculosa* 2, *Ne Clerici vel Monachi* in 6, et ex Tridentino sess. 29, *de Regularibus* cap. 19, in fin., ubi sic expresse habetur : « Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suæ Religionis, » et sic docet Navarr. lib. III *de Regul.*, consil. 51, num. 3, et consil. 53, num. 1. Donat. tom. I, tract. 3, num. 3, et alii passim. (11. Potest autem Religiosus Habitum occulte deferre, seu etiam deponere, et alium induere absque ulla culpa, dum transiturus est per loca Infidelium, vel Hæreticorum cum periculo vitæ, aut ob metum servitutis, verberum, vel alterius gravis incommodi, et ut evadat incolumis, neque cognoscatur ab hostibus ipsum ad necem insectantibus, et hujus-

Digitized by Google

modi; arg. cap. *Deus qui* 11, *de vita et honestate Clericor.*, sicuti ob similes rationabiles et justas causas potest Clericus occulte deferre suum Habitum Clericalem, et alium induere; Barbosa in Clementin. *Quoniam* 2, *de vita et honestate Clericor.* Portell. verb. *Habitus*, § *Additio*, num. 1. Reiffenstuel, lib. III, *decret.* tit. 1, n. 113 et 117. Bonacina tom. III, *de Censuris*, disp. 3, q. 6, punct. 6, num. 2. Sanchez, Cajetan., Aragon., et alii communiter, post Glossam in cap. *Clericus* 5, *de vita et honestate Cleric.*, verb. *Relaxaverint*, ubi id declarat exemplo Clerici, qui a Papa reprehensus, quod sine Tonsura, et Habitu Clericali Romam accessisset, sequentibus versiculis se excusavit :

Tutius ut peterem Laici sub imagineRomam,
Fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.

(12. Religiosus dimittens temere Habitum suæ Religionis est ipso facto excommunicatus, textu expresso in cap. *Ut periculosa* 2, *Ne Clerici vel Monachi* in 6, ibi : « Ut periculosa evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque Religionem tacite, vel expresse professus in scholis, vel alibi temere Habitum Religionis suæ dimittat; nec accedat ad quævis studia litterarum, nisi a suo prælato cum consilio sui Conventus, vel majoris partis ejusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa : si quis autem horum temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. » (13. Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrendam hanc excommunicationem, cum sit animo vagandi, et sine rationabili causa, secus si ex justa causa; Barbosa in d. cap. *Ut periculosa*, num. 5. Suarez tom. V, disp. 23, sect. 4, n. 27 et 29. Sanchez in *Præcepta Decalogi*, tom II, lib. VI, cap. 8, num. 41, et alii passim. (14 Religiosus temere exiens a Claustro cum Habitu ita abscondito, ut a circumstantibus cognosci nequeat, cujus Ordinis sit Religiosus, incurrit dictam excommunicationem, quia licet non dimittat Habitum materialiter, dimittit tamen formaliter, in quantum est talis Religionis potestativus, et sine illo, sive dimisso, sive abscondito non cognoscitur quod sit hujus vel illius Religionis; Bannes 2, 2, quæst. 12, art. 1, qu. 3, dub. 2, conclus. ultim. Cajetan. in *Summ.*, verb. *Excommunicatio* cap. 61. Donat. prax. *Rerum Regul.* tom. I, part. II, tract. 6, quæst. 8. Navarr. in Manual. cap. 27, num. 131. Suarez tom. IV, lib. III, cap. 5, num. 12. Rodrig. tom. I, quæst. 30, art. 2. Sanch. loc. cit., cap 8, num. 63, et cum variis aliis Barbosa loc. cit., sub num. 5.

(15. Religiosus dimittens Habitum temere, sed intra Claustra, non incurrit dictam excommunicationem, quia ipsa incurritur ob dimissionem Habitus factam ad finem libere vagandi, ut aperte habetur in principio ipsius cap. *Ut periculosa*, ibi : « Ut periculosa evagandi materia subtrahatur, » et cessante causa finali Legis, cessat legis dispositio; l. *Adigere* § 2, ff. *de Jure patronat.* maxima si sit pœnalis, ut est ista, de qua agitur, cum Lex pœnalis sit potius restringenda, quam amplianda; arg. c. *Odia* 15, et c. *In pœnis* 49, *de Regul. Juris* in 6. Talis autem Religiosus in nostro casu, dum existit intra septa Monasterii, ut supponitur, non potest dici, quod actu vagetur extra illud, adeoque non incurrit dictam pœnam, seu Excommunicationem. Donat. loc. cit. quæst. 9, per tot. Angelus, verb. *Excommunicatio* 7, casu 27, et alii. (16. Non incurrit dictam Excommunicationem Religiosus, qui intra, vel extra septa ex quadam levitate dimittit Habitum suæ Religionis, verb. gr. ut quietius dormiat, melius studeat, expeditius currat, aut saltet, aut lapidem projiciat, ut Habitum purget, vel accommodet, ut se in balneo melius lavet, et hujusmodi; quia non censetur facta dimissio Habitus ex contemptu legis; Suarez tom. V, *de Censur.* dist. 23, sect. 4, numer. 29. Donat. loc. cit., quæst. 7, num. 2. Sanchez loc. cit., cap. 8, num. 55. Sayr. lib. III, cap. 33, numer. 13 et 14. Barbosa loc. cit. n. 7 et 8, et alii apud ipsum. (17. Nec etiam dictam Censuram incurrit, si Habitum dimittat ad finem domestice manendi per totam diem in Camera, vel alibi, dummodo sæcularium conspectui non se exhibeat, quia talis dimissio Habitus non dicitur facta ad finem vagandi; Cajetan. verb. *Excommunicatio*, cap. 61. Donat. loc. cit., qu. 7, n. 3, et alii. (18. Nec item incurritur d. Censura propter dimissionem Habitus, si fiat animo adeundi pro brevi tempore ad lupanar, vel ad aliquid turpius peragendum; Sanchez loc. cit., cap. 8, num. 56. Donat. loc. cit. quæst. 7, n. 3. Barbosa loc. cit., n. 9, et alii (14).

(19. Religiosus tenetur semper portare Habitum suæ Religionis, ut colligitur ex c. *Sanctimonialis virgo* 24, dist. 23, ibi : « Intalibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est Professioni et Sanctimoniæ aptis; » et cap. *Vidua* 15, 20, quæst. 1, ibi : « Tunc accepta a Sacerdote apta Religionis Professioni veste, in quocunque loco consistens constanter eo utatur. » Cum enim Habitus sit signum protestativum propriæ Religionis, astringuntur Professi illum semper, et in omni occasione portare, ex Conc. Trid. sess. 14, cap. 6. (20. Verum ly *semper* debet intelligi moraliter, hoc est seclusis causis rationabilibus occultandi, vel dimittendi Habitum Religionis propriæ, ut sunt illæ assignatæ sub num. 11, et aliæ consimiles; Donat. loc. cit., q. 5, *per totum*. (21. An autem Religiosus teneatur deferre proprium Habitum etiam in lecto, et dormire cum ipso sub culpa ? Respondent doctores, quod de Jure communi non licet Religioso Professo dormire sine Habitu absque peccato, nisi ab eo excusetur ex aliqua causa rationabili, ut colligitur expresse ex c. *Vidua*. 15,

(14) Non video, cur non incidat in censuram dimittendo Habitum ad breve tempus propter pravum illum finem : dimissio enim Habitus eo, tunc animo fieret, quo liberius concupiscentiæ et libidini serviret. (NOTA ROM. THEOL.)

Digitized by Google

caus. 20, quæst. 1, ibi : *Seu in lectulo quiescens*, et cap. *Sanctimonialis virgo* 24, dist. 23, cujus verba relata sunt sub num. 10. (22. An autem dormire sine Habitu sit peccatum veniale, seu mortale; relictis brevitatis gratia diversis doctorum opinionibus, quorum aliqui volunt esse peccatum veniale, et alii esse peccatum mortale, maxime si sit cum scandalo; Respondeo cum sapientissimo Donato loc. cit., quæst. 10, n. 6, quod ad hoc dignoscendum unusquisque Religiosus debet attendere tenorem suæ Regulæ, et particularium Constitutionum sui Ordinis; quæ si de hoc quod quæritur, nihil dicant, recurrendum est ad jus commune, nempe ad d. cap. *Vidua* 15, caus. 20, quæst. 1, et cap. *Sanctimonialis virgo* 24, dist. 23, quæ duo capitula, cum non sint præceptiva, sed consultiva, et inter consilium, et præceptum magni intersit, videtur dicendum, quod dormientes sine Habitu, dempto contemptu, et scandalo, non peccent ne quidem venialiter, etsi alias sint castigandi.

(23. Habitum suorum Ordinum debent deferre Regulares ad cardinalatum assumpti Gregor. XIV. Const. incip. *Sanctissimus*, et Bened. XIII, Const. incip. *Custodes*. (24. Sic Episcopus Regularis tenetur portare Habitum suæ Religionis; *Communis* cum Henriq. in *Summa*, lib. x, cap. 32, § 5, et cap. 33, in fine Valent. 2, 2, disp. 10, quæst. 3, punct. 8. Azor. part. I, lib. XII, cap. 7, quæst. 4. Bartholomæus a S. Fausto in *Thesauro Relig.*, lib. VI. quæst. 199. Barbosa super Trident. sess. 25, *de Regularibus*, c. 19, num. 38. Lessius *de Justitia* lib. II, cap. 40, dubit. 14, n. 113. Petrus de Ledesma in *Summa*, part. II, tract. 32, cap. 3, ad fin. Fr. Joan. a Cruce *de Statu Relig.* lib. I, cap. 7, dubit. 4. Sanch. in *Præcepta Decalogi* tom. II, lib. VI, cap. 6, num. 22, et ex multis probat Rodrig. *Addition. ad Summ.*, verb. *Episcopus*, cap. 68, conclus. 6, maxime ex Concilio Lateranensi, et addens Sixtum V semper gestasse Habitum Regularem Ordinis, ut de facto vidimus etiam hisce nostris temporibus Benedictum XIII semper eum gestasse, et citat Cæremoniale Papæ Clementis VIII, ubi jubetur, quod Episcopus Monachus non portet rochettum, sed vestes coloris sui Habitus Regularis, cum birreto nigro, et galero circum circa fibrato viridis coloris. Et sic novissime statuit sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Benedictus XIII, cit. Constit. incip. *Custodes*, relata per extensum a D. Ursaya tom. VI, p. 2, disc. 37, n. 6, ubi multa ad rem; quæque etiam a nobis ad litteram afferentur infra sub n. 26.

(25. Episcopi autem, et Cardinales Regulares, quamvis sine peccent si causa Habitum Religionis deponant, non incidunt in Excommunicationem latam a Bonifacio VIII, in cit. cap. *Ut periculosa* 2, ne Clerici, vel Monachi in 6, quia Episcopi, et Cardinales licet teneantur deferre Habitum suæ Religionis, et certe peccarent si talem Habitum non deferrent, ut docet Cardin. Petra tom. IV, *Comment.* in Constit. 2 Eugenii IV, num. 22, et tom. V, in Constit. 9 Sixti IV, sub num. 17, tamen

sunt extra Religionem, quo ad vim coactivam, ita ut requiratur mentio specialis eorum, et non possint venire sub nomine, et turma Professorum, de quibus loquitur Bonifacius VIII, in cit. c. *Ut periculosa*, quotiescunque elevati fuerint ad dignitatem Episcopalem; maxime quia cessat causa et ratio *textus* ne vagentur Professi extra obedientiam Superiorum Habitum dimisso, quod non est verificabile in Regularibus Episcopis, et Cardinalibus; Passerin. tom. I, *de Statu homin.*, quæst. 185, art. 8, num. 142. Diana, part. II, tract. 2, de *dub. Regul.* resolut. 50. Card. Petra, tom. V, *Comment.* in Constit. 9 Sixti IV, num. 17. Barbosa super Trident. sess. 25, *de Regularib.* cap. 19, n. 39. Azorius l. c., lib. XII, c. 17, q. 4. Sanchez l. c. cap. 6, n. 23. Bartholomeus a S. Fausto loc. c. q. 200. Fr. Emman. tom. II, q. 58, art. 3. Sanctarell., *de Apostasia* c. 1, n. 15. Bonacina, et alii passim, contra Majol, *de Irregul.* lib. II, cap. 1, num. 13. Fulv. Pacianum, cons. 132, num. 42, vol. I. Surd. *de Aliment.* tit. 8, privileg. 79, num. 10. Henriq. lib. x, cap. 33, in fin. et alios existimantes Episcopum Regularem omittentem Habitum, et assumendo illam albam et candidam vestem; quæ ab Episcopis exterius defertur, incurrere excommunicationem latam contra Monachos deponentes proprium Habitum in cit. cap. *Ut periculosa* 2, *Ne Clerici vel Monachi* in 6. (26. Habitu Clericorum Sæcularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti; Leo X Constitut. incip. *Dudum*. Nunc autem quoad concernentia Habitum, et varia alia Episcoporum, et Regularium, attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII, quæ ut ab omnibus percipiatur, hic ad litteram datur.

BENEDICTUS PP. XIII.

Custodes super muros Hierusalem a Christo Domino constituti, de omnibus Sacrorum virorum Ordinibus in eo, quo decet, sanctioris disciplinæ splendore servandis magnam vigilantiam, et sollicitudinem gerere debemus; tum vero illud nobis incumbit, ut qui e Regularium Monachorum, et Mendicantium institutis ad onus Episcopale admoventur, majoris observantiæ, et virtutum specimine gregi sibi subjecto præluceant, primævique instituti, cui nomen dederunt, insignia more majorum perpetuo retineant non solum in monastica, et regulari professione, sed etiam in specialibus indumentis, inque rasili tonsura ad planitiem cutis in summo capite circumducta, vel eo gyro, et forma, quibus quisque, ut sui Ordinis Regularis, Monastici, et Mendicantis peculiaribus signis, pridem solemni ritu vitam Deo consecraverat.

Mœrorem, quem jamdudum animo premimus, celare diutius non possumus, nec debemus, quippe quem post nostram humilitatem ad summum Apostolatum evectam, præsulum doctrina, et pietate præstantium expostulationes auxerunt, nimirum quod

Digitized by Google

nonnulli Episcopi ex Regularium, Monachorum, et Mendicantium familiis assumpti reperiantur qui brevioribus vestimentis pristinæ suæ professioni minime congruis, sed quibus tantum inferiores clerici sæculares uti soleant, se in ipsa etiam civitatum frequentia palam spectandos pati non erubescant, laneasque tunicas a suorum Ordinum conditoribus præscriptas, et eorumdem vitæ sanctimoniæ quodammodo consecratas induere detrectantes, etiam contra Cæremonialis Episcoporum sanctiones, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris probatas, summa omnium admiratione vestes sericas præferant, eo quoque impudentiæ, sui status plane immemores, progressi, ut albas chirothecas ad ostentationem gerant, inque Pontificalibus Ecclesiæ functionibus, unde omnis arrogantiæ typhus, et fucus abesse debet superpelliceum Episcopis Monachis, vel ex Ordinibus Mendicantium proprium abjicientes, rochettum Præsulum ex Clericis sæcularibus, vel regularibus assumptum temere adhibeant, nec defuerit, qui colores a suo instituto omnino abhorrentes in exterioribus vestibus jactare non dubitaverit. Hæc quam dedeceant Episcopos, qui ex Monachorum, et Mendicantium regulis non sine spiritus Apostolici afflatu conscriptis, modestiam Sacerdotalem nunquam ex suis animis oblitterandam, cæterasque virtutes aliis propinandas haurire debuissent, quosque in majori gradu, quo Spiritus Sanctus eos posuit, auctas retinere oporteret, non jam nostris verbis dicemus, ne ipsi, qui regulam Ordinis Fratrum Prædicatorum, quam professi fuimus, et profitemur, quique onus Episcopale per totos quinquaginta annos sustinentes ejusdem nostri Ordinis sacros ritus, disciplinamque, Deo juvante, in omnibus observare studuimus, ex privato affectu loqui videamur : sed suis verbis dicent Romani Pontifices, qui nobis in eorum locum longe dispari merito suffectis exempla, quæ sectari debeamus, reliquerunt. Dicent Concilia ab iisdem probata, auctorum Ecclesiasticorum, quos honoris causa Patres, Doctoresque appellamus, documenta memorabunt.

Ut ergo a primis, hoc est a Romanis Pontificibus ordiamur, inclytæ record. Innocent. Papa III, Pennensem Episcopum Ordinis Cisterciensis, olim Abbatem, propterea graviter objurgavit, quod post acceptum Episcopatum « in sui Ordinis injuriam ageret in pluribus, ut apostata, et propriæ conditionis oblitus, picturata sella, et chirothecis sericatis uteretur, amplo se galero coronaret, et Cisterciensis Ordinis observantias non custodiret, a quibus eum Pontificalis dignitatis susceptio non absolveret, » sed earumdem onus ei magis augeret. Si ad Conciliorum statuta evolvenda hinc processerimus, nobis se offerret Canon. 27 Concil. œcumenici VIII, seu Constantinopolitani IV decernens, illos, qui Monasticam vitam amplexi, « Episcopalem meruerunt honorem, conservare schema, et amictum Monasticorum indumentorum, et ipsam beatam vitam, nullamque habere potestatem deponendi jam dictum schema propter typhum, arroganteu voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum. Postremo Episcopum, qui Monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigendum, aut deponendum statuit. » Hæc rata habuit Canon. 16 Concil. OEcumenici XII, sive Lateranensis IV, sub jam dicto Innoc. Papa III definiens, *Episcopos Monachos deferre Habitum Monachalem.* Hoc idem postea sanxit Synodus Londinensis ab Otthobono S. R. E. Diacono Cardinali S. Hadriani, et Apostolicæ Sedis Legato celebrata, cujus Canon 5, « iis, qui de Monasteriis, vel de regularibus locis in Episcopos sunt assumpti ; vel de cætero assumentur, suum deferre Habitum regularem » speciatim indicit. De inconvenientia, et dedecore Habitus splendidi in Episcopis sæcularibus, eoque magis in regularibus, exstat Canon. 16 Concil. Nicæni II. Sed nostrorum temporum regulares Episcopos instruentem audiamus Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ diaconum de B. Fulgentio Ruspensi Episcopo testantem, Episcopatum sine aliqua ambitione ab illo susceptum, « nec ita factum Episcopum, ut esse desisteret Monachus, sed eum, accepta Pontificis dignitate, professionis præteritæ servasse integritatem, nunquam pretiosa vestimenta quæsivisse, orario, sicuti Episcopi, nunquam usum, sed pelliceo cingulo, tanquam Monachum. » Nec vero soli Episcopi, sed et ipsi Romani Pontifices eadem Religione se obstringi voluerunt. De Magno enim Gregorio intelligimus una cum ejus corpore inventum baltheum, « qui speciem propositi regularis, olim a S. Benedicto statuti, manifestaret. » De Eugenio III legimus « laneam tunicam carni ejus adhæsisse, et diebus ac noctibus cuculla vestitum intus Monachi Habitum retinere, extra se Pontificem, et moribus, et vestibus exhibere consuevisse. » Denique Doctor Ecclesiæ B. Thomas Aquinas, ob sanctioris doctrinæ excellentiam *Angelici* elogio cognominatus, cujus hodie festa recolimus, diserte docuit : « Si qua sunt in regularibus observantiis, quæ non impediant Pontificale Officium, sed magis valeant ab perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, et alia hujusmodi ; ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus ; et per consequens ad portandum Habitum suæ Religionis, qui est hujus obligationis signum. »

Hæc in sacris receptisque Ecclesiæ Codicibus de exteriori amictu, et habitu Episcopi regularis sancita reperimus, quæ nostrates ejusdem disciplinæ Episcopi sibi dicta meminerint. Rasilem capitis coronam in orbem expressam ad humilitatem docendam regulæ Monasticæ, constitutiones, usus, et consuetudines statutis anni temporibus earumdem Sacris alumnis renovandam præscribunt : quos postea Episcopali charactere insignitos ea maxime distinguendos nemo in dubium vocaverit. Hæc tamen, quæ ex venerandis Ecclesiæ monumentis adduximus, cum per humanam corruptelam, nisi eis occurratur, nobis ipsis spectantibus, in desuetudinem

Digitized by Google

abire videantur, hac nostra Constitutione Apostolica, firmum robur perpetuis futuris temporibus habitura, ea omnia confirmantes, et renovantes statuimus, atque sancimus, ut ex Monastico, Regulari, et Mendicantium instituto ad Episcopalem, seu quamcunque aliam dignitatem, etiam S. R. E. Cardinalatum jam evecti, et in posterum evehendi, universis, et singulis suæ Regulæ Officiis, et obligationibus, quæ Pontificale, sive cujuscunque alterius dignitatis, aut Cardinalatus Officium minime impediant, perpetuo subsint, et proinde sui Monastici Ordinis, sive alterius regulæ Mendicantium insignia, et propria indumenta lanea, suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque, et ad cutis planitiem in summo vertice, vel eo gyro et forma expressam coronam præferant, quibus antea cum intra eorumdem regular. Ordinum claustra Deo militarent, ex solemni sua professione insignia induere, et coronam præferre tenebantur, a cujus professionis obligationis per munus Episcopale neutiquam absolvuntur, aut ullo pacto eximuntur. Propterea hujusmodi Episcopis ex familiis Regularium, Monachorum, et Mendicantium assumptis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, et mandamus ut omnia, et singula præsentibus litteris nostris hactenus recensita undequaque observare non differant. Si vero, quod absit, hoc agere contempserint, vel neglexerint, eos pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda tandiu innodatos esse declaramus, donec a contumacia resipiscentes ejusdem suspensionis relaxationem meruerint obtinere.

Quia vero pastoralis nostræ sollicitudinis est non solum excusare pro optimo statu, et conservatione Regularis observantiæ in Religiosis viris, qui ex Monasticis, et Mendicantibus institutis ad onus Episcopale assumuntur; sed etiam prospicere, ne illi, qui ex his cæterisque universis Religiosis Ordinibus ad ejusmodi gradum evecti Ecclesia sibi commissa postmodum se abdicaverint, ita vivant, ut, qui eos primum in claustris Monasteriorum, deinde in culmine Episcopali conspexerant, quique ipsos demum curarum Episcopalium oneri subductos visuri essent, eis objicere nullo modo possint, quod ideo ad Episcopatum irrepserint, ut hac via Regularem observantiam deferentes extra sua claustra, quasi nullum unquam Religiosum Ordinem professi, vitam ducerent; hæc animum nostrum, omnium quorumcunque Ordinum regularium honoris amantissimum permovent, ut Apostolica auctoritate approbemus, confirmemus, et tanquam præsentibus inserta habeamus Decreta duo ab antecessoribus nostris fel. recordat. Alexandro VII, die 20 Julii anno Domini 1622, et Clemente XI, die 11 Junii 1715, vulgata quibus Decretis Regulares ad transmarinos Episcopatus, sive Vicariatus Apostolicos translati, vel etiam Ecclesiarum administratores, aut visitatores creati, quotiescunque in locis, et Ecclesiis sibi in Episcopalis dignitatis collatione assignatis minime resederint, vel Episcopatum dimiserint, aut munere suo perfuncti fuerint, seu quomodocunque a Schismaticis, vel infidelibus impediti munus Episcopale exercere non possint, jubentur ad pristina suorum Ordinum claustra reverti cum reliquis confratribus suis sub eodem instituto Religiosam vitam ibidem acturi.

Hujusmodi autem Episcopis tam pio disciplinæ regularis instinctu ad suos redeuntibus Apostolica largitate concedimus, ut in sua Provincia quodcunque Ordinis sui Cœnobium et Monasterium, ubi commode, et Religiose degere possint, sibi pro libitu eligant; ideoque volumus, et præcipimus, ut illorum præsides et Superiores Regulares, congruas eis et honestas cellulas in cœnobiis et Monasteriis ab eisdem electis assignent. Itaque Monachis, Mendicantibus, et cujuscunque Ordinis Regularibus, qui onere Episcopali sibi imposito deinceps quomodocunque etiam ultro se abdicaverint, præcipimus, eosque monemus in Domino, ut ad suorum Ordinum cellulas ultro quoque regrediantur; qua in re sanctitate, et Doctrina illustrium et magnorum Præsulum exempla eis imitanda proponimus, Cœlestini Papæ V antecessoris nostri, Gregorii Nazianzeni, Petri Damiani, aliorumque ob virtutes sacerdotales omnium sæculorum præconiis maxime dignorum Antistitum; ut interim sileamus legationibus, et muneribus clarum Ardicinum juniorem a Porta Aleriensem Episcopum, et S. R. E. Presbyterum Card. tituli Pammachii, a felicis recordationis Innocentio Papa VIII renuntiatum. Is enim, annuente Pontifice, dimissis dignitatibus, vetus propositum in Sacrum Camaldulensium Eremum confugiendi resumere, atque ultro exsecutioni mandare sanctum existimavit. Ubi vero, quod minime credimus, iidem regulares paternis nostris monitis aures accommodare noluerint, his nostris perpetuum robur habituris decernimus, volumus, et præcipimus, ut Monachi, Mendicantes, et cujuscunque alterius instituti Regulares, specialissima etiam mentione digni, qui Episcopatu sibi pridem collato quacunque causa se in posterum abdicare permissique fuerint, claustra suæ Religionis repetere omnino teneantur, et debeant; iis tantum exceptis, qui a nobis, sive a Romanis Pontificibus antecessoribus, aut successoribus nostris obtinuissent, vel obtinebunt facultatem expressam vivendi extra claustra sacro alicui muneri, quod cum vita claustrali exerceri non posset, ex peculiari voluntate nostra, vel eorumdem antecessorum, aut successorum nostrorum speciatim addicti: quod quidem munus respiciat servitium, et obsequium nostrum, vel successorum nostrorum, sive hujus S. Apostolicæ Sedis. Eis autem, vel eorum cuilibet, qui hanc Constitutionem violare tentaverint, vel eam quomodocunque neglexerint, omni usu Pontificalium, etiam cum facultate, et permissione cujuscunque Episcopi exercendorum, penitus et undequaque interdicimus; sique perseveraverint in contumacia non redeundi ad

Digitized by Google

claustra, post annum sint eo ipso suspensi a Divinis.

Omnia vero, et singula Romanorum Pontificum Decreta, Conciliorum Canones, Patrum dicta, sententias, regulas, Constitut. Usus, Consuetudines, statuta his nostris litteris memorata, post maturam hac de re habitam deliberationem, ex certa scientia, auctoritate nostra confirmamus, innovamus, et stabilimus, inque plenario robore perpetuis futuris temporibus servanda sancimus, præsentesque semper validas fore, sicque et non aliter per quoscunque Judices semper judicari, interpretari, et definiri debere statuimus. Quidquid autem secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus privilegiis, concessionibus, ordinationibus, aliisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, confirmationis, innovationis, sanctionis, declarationis, suspensionis, præcepti, decreti, interdicti, et voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septingentesimo vigesimo quinto, nonis Martii Pontificatus nostri anno secundo.

P. card. prodatarius F. Oliverius.

(27. Habitus, et color peculiaris fuit præscriptus pro discretiva visibiliter servanda in quolibet Ordine Regulari; Passerin., *de Statu hom.* tom. II, q. 187, art. 6, num. 13, et 17; alii passim. (28. Quam diversitatem habitus, et præceptum servandi formam illius juxta præscriptum in Constitut. procedere etiam quo ad Moniales, sub Regula approbata per Sedem Apostolicam viventes, præcise resolvit Sacr. Cong. Concil. 27 April. 1686, in Romana delationis Habitus. (29. Unde una Religio non debet, nec potest assumere Habitum alterius Religionis, et ad hoc variæ Religiones obtinuerunt expressa privilegia a S. Sede, ne eorum Habitus ab aliis assumeretur; uti de PP. Prædicatoribus referunt Constitut. Gregor. IX et Innocent. IV, ambæ incip. *Quia confusio Habitus;* Gregor. XI, incip. *Virtute conspicuos;* Clem. VIII et Alexand. VII, ambæ incip. *Ex injuncto Nobis*, et Benedicti XIII, incip. *Pretiosus in conspectu*, et de Minoribus Gregor. IX Constit., incip. *Regularem vitam;* Clem. IV Constit. incip. *Virtute conspicuos;* Urban. VIII Constit. incip. *Cum sicut*, et de mandato Innocent. XI, ad instantiam Procuratorum Generalium Ordin. Minor. de Observantia Reformator., et Cappuccinor. Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. 21 Martii 1686, et novissime Benedicti XIII Constitut. incip. *Alias emanarunt*, edita ad instantiam Procuratoris Ordinis Minorum de Observantia, quæ ad litteram cum alia Urbani VIII refertur sub verb. *Eremita*, num. 20. Et eodem privilegio gaudent omnes Regulares Ordines, sive per speciales concessiones Apostolicas, sive per communicationem; Rodrig. q. 76, art. 1, Portell. *Dub. Regul.*, verb. *Habitus*, num. 6, et alii passim.

(30. Et sic per eamdem rationem prohibitus est Clericis Sæcularibus Habitus Regularium, et Regularibus Habitus Clericorum sæcularium. Hinc in Concil. Aquisgrani anno 816, apud Gonzalez in c. *Intellexímus*, n. 4 *de Stat. et qualit.* habetur: « Reprehensibilem, et Ecclesiastica moderatione dignum apud plerosque Canonicos comperimus casum, eo quod contra morem Ecclesiasticum cucullas, quibus solis Monachis utendum est, induant; cum utique illorum Habitum usurpare non debeant, a quorum professione quodammodo distant, quia sicut eis indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimium inhoneste, et valde indecorum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. » Cuculla enim est talaris vestis, *Flochus* dicta, propria est distinctiva Monachorum. Clementin. *Ne in agro, de statu Monachorum;* Gonzalez in cit. cap. *Intellexímus* 11, n. 4. *de Stat. et qualit.*, et cum aliis. Card. Petra loc. cit., num. 14. (31. Pueris quoque sexto ætatis suæ anno expleto non licet, neque possunt ex devotione, Habitum Religiosum deferre, sed ipsum debent statim deponere, prout sub die 10 Januarii 1627 fuit rescriptum Neapoli Cardinali Boncompagno, ut per extensum refert Lantusch., *Theatr. Regul.*, verb. *Habitus*, n. 1. (32. Novitio exeunti non est restituendus Habitus Religionis, sed illius pretium. Sic decisum fuisse à S. Cong. Conc. referunt Navarius in *Lucerna Regul.*, verb. *Habitus*, num. 6. Barbosa in *Sum. Apostolic. dec.*, eod. verb. *Habitus*, n. 9. Lezana in *Sum. qq. Reg.* tom. I, cap. 25, num. 38.

(33-35 Super admissione ad Habitum, ejusdemque concessione Tertiariis cum Claustralibus habitantibus, servari debet decretum Congr. super Statu Regulárium, quam licet Innocentius XII, sub die 4 Augusti 1698, Const. *Debitum* exstinxerit et suppresserit; singulas tamen facultates eidem quomodocunque a Prædecessoribus concessas, illis exceptis, quas Congregationi super disciplina Regulari, præfatis Litteris institutæ impertitus est, in Congregationem Episcoporum et Regularium transtulit, ex speciali mandato Sanct. mem. Clementis X, sub die 16 Maii 1675, ea de re editum tenoris qui sequitur

DECRETUM.

Etsi decretis Sacræ Congregationis super statu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentii X et Alexandri VII jampridem editis pro Novitiis recipiendis, statutum sit ut omnes, qui ad Habitum probationis se recipi postulaverint, diligenter examinentur, ac vota secreta probentur, quotquot idonei reperti fuerint, ætate, aliisque requisitis, ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum ac Statutorum Ordinis; nec quispiam censeatur habilis ad hujus-

Digitized by Google

modi Habitum suscipiendum; ut Clericus, nisi annum ætatis suæ decimum quintum, neque ut Conversus, nisi annum vigesimum expleverit: nihilominus in pluribus Religionibus Italiæ, et Insularum adjacentium, aliquibus abhinc annis introductum est, ut recipiantur adolescentes laici non quidem pro Conversis, ut annum probationis incipiant, et finito tempore Novitiatus admittantur ad Professionem, sed pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, eisque tradatur Habitus, ut vocant sine Caputio illis dari consueto, ut sic inserviant alicui Religioso particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter; et multoties pueri, et adolescentuli recipiantur in Monasteriis non ut Novitii, sed ut hospites, seu postulantes se recipi pro Clericis ad Habitum probationis, et parva veste induti plures menses, quinimo et annos, sic detinentur intra Claustra, donec compleverint annum ætatis decimum quintum, Clericis ut supra præscriptum, ad annum Novitiatus inchoandum: idque prætextu, ut interea fiat experimentum de ipsorum indole, et aptitudine ad Religionem; et aliquando etiam in eadem veste iidem pueri, et adolescentuli admittantur in Novitiatibus, et cum Novitiis degant ad hoc, ut eorum voces pueriles in Choro cum vocibus Professorum misceantur, dum Divina peraguntur Officia.

Quoniam vero secundum Canonicas Sanctiones, et Juris regulas, cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, et memorati abusus irrepserint in fraudem Legis, et elusionem Decretorum ut supra editorum in Religionum dispendium, ac non sine multorum admiratione, et scandalo; idcirco ead. Sac. Congr. ut in dies crescat in Ecclesia Dei Sacrarum Religionum splendor, et veneratio, ex speciali mandato Sanct. D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ X, hoc præsenti decreto in virtute Sanctæ Obedientiæ præcepit omnibus, et singulis Superioribus Generalibus, provincialibus, et Localibus quorumcunque nomine, ac titulo appellatis, quorumcunque Ord. et Congr. tam mendicantium, quam non mendicantium, ut de cætero neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, aut Commissis, vel servientibus, nec pro hospitibus, seu postulantibus, vel Cantoribus, aut alio quocunque nomine nuncupatis, aut quovis prætextu vel causa, aut quæsito colore recipiant, seu admittant ad Habitum intra Claustra, nisi vigesimum ætatis suæ annum expleverint, omnesque sic receptos, seu admissos (iis tantum exceptis, qui completa ætate annorum quindecim pro Clericis, seu Choristis in Habitu Novitiorum annum probationis agunt) a Monasteriis, seu Domibus Regularibus omnino amoveant et ejiciant infra terminum duorum mensium, inchoandum a die intimationis præsentis Decreti faciendæ Procuratoribus eorumdem Ordinum, et Congregationum in Romana Curia existentibus.

Quod si prædicti Superiores præsenti Decreto per omnia non parucrint, aut in aliqua ejus parte contravenerint, pœnam privationis Dignitatum et Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, et passivæ ipso facto absque alia declaratione incurrant, non obstantibus quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ 16 Maii 1675.

(36. Prohibentur disputationes super vera forma Habitus S. Francisci; cum enim in dies orirentur lites inter Patres Conventuales, et Cappuccinos circa veram formam Habitus, et Caputii Seraphici Ordinis, Urbanus VIII, die 14 Decembris 1630, mandavit eisdem « sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, nec non privationis vocis activæ, et passivæ, aliisque etiam corporalibus arbitrio Sanctitatis suæ pœnis, ne audeant de cætera voce, vel scripto de hujusmodi materia tractare, donec ab eadem Sanctitate sua aliter fuerit ordinatum. » Joannes Antonius Thomasius S. Roman. et Universal. Inquisition. Notarius sic apud Lantusch., *Theatr. Regul.*, verb. *Habitus*, num. 11. (37. Interdicuntur libri omnes tractantes de vera successione Filiorum S. Francisci, et vera forma Caputii. Alexander enim VII fieri mandavit sequentia decreta, et in Indice librorum prohibitorum apponi videlicet: « Libri omnes impressi, et qui inconsulta Sac. Congregat. imprimentur, tractantes controversiam de vera, et non interrupta successione Filiorum S. Francisci, et de vera forma Caputii ejusdem, prohibentur sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis die 20 Junii 1658. (38. Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus dicitur formam Habitus, qua depicti sunt, esse eamdem qua ipsi usi fuerunt, vel in quibus asseritur in hoc, vel illo Ordine S. Francisci esse veram, legitimam, et non interruptam ejusdem sancti Patris in Filios successionem, inhærentes decreto alias edito die 20 Junii 1658 prohibentur. Romæ, 20 Novembr. 1663. »

(39. Suspenduntur quoque, et prohibentur Imagines S. Augustini, S. Nicolai de Tolentino, et aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis impressæ, et depictæ a Fratribus Discalceatis Augustinianis in eorum Habitu, prout in Decreto Sacr. Rit. Congr. edito die 19 Decemb. 1627, quod ab Urbano VIII approbatur, et confirmatur Constit. incip. *Exponi nobis*, l. 240, tom. V *Bullar.* Ex post tamen dicta suspensio et prohibitio fuit revocata per varia posteriora Pontificia Rescripta de quibus vide quæ adducuntur in verb. *Imagines*, sub num. 39, ubi inter alia occurrit Rescriptum Benedicti XIII, specialiter attendendum. (40. Prohibentur sculpi, aut facere pingi Imagines Domini Nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum et Sanctarum cum Habito peculiari alicujus Ordinis Regularis, seu alio modo in Ecclesia Catholica incon-

Digitized by Google

sueto, et jam sic sculptæ, aut pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi et mandatur ab ecclesiis, et aliis locis quibuslibet amoveri et deleri. Et Regulares, et Moniales parere negligentes possunt a locorum Ordinariis et Legatis Apostolicis juris remediis, et etiam Censuris Ecclesiasticis, et aliis arbitrio eorum ad observantiam cogi, et quoad loci Superiores etiam privationis Officii, ac vocis activæ, et passivæ pœnis compelli. Sic expresse statuit Urbanus VIII, 15 Mart. 1642, Const. incip. *Sacrosancta Tridentina*, l. 163 *Bullar.* Cherub. tom. IV.

(41. Habitum Fratrum Mendicantium osculantibus concessit Joan. XXII quinque annos, et totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis, qui sunt dies 2075. Sic referunt Cassarub., verb. *Indulgentia quod ad Sæculares*, § 9, num. 6; Fr. Emanuel. *Quæst. Regul.* t. II, quæst. 76, artic. 10; Laurent. de Peyrinis *de Privileg. Regul.*, ad Constitut. Sixti *IV*, num. 5; Barbosa in *Suum. Apostol. decis.* verb. *Habitus*, numer. 5, et alii passim (15) (42. Talem Indulgentiam lucrari possunt iidemmet Regulares, quia conceditur omnibus Christifidelibus Habitum osculantibus, inter quos Fratres deterioris conditionis esse non debent; nec Indulgentia hæc revocata est per Paulum V, quia non est concessa Fratribus immediate, sed omnibus etiam sæcularibus; Lantusch., *Theatr. Regular.* verb. *Habitus*, num. 10. (43. Cum Habitu Fratrum Minorum morientibus, vel cum eo sepeliri eligentibus, Clemens IV, Nicolaus III et Urbanus V concesserunt remissionem tertiæ partis omnium peccatorum; Cassarub. in *Compend. Privileg.*, verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares*, § 6, num. 1, 2 et 3. Leo X concessit Indulgentiam plenariam morientibus cum Habitu Fratrum Minorum, vel cum Habitu Sororum Tertiæ Regulæ Sancti Francisci sub obedientia Ministrorum Generalis, et Provincialium degentium, ad quam lucrandam declaravit idem Pontifex sufficere, Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. Casarrub. loc. cit., num. 6, 7 et 8, et Alexander VI concessit, ut mulieres suscipientes ante mortem, vel post mortem, Habitum S. Claræ, habeant talem relaxationem peccatorum, qualem habeant viri pro Habitu Fratrum Minorum; Casarrub. loc. cit., num. 5.

(44. Eligentes sepeliri in aliquo Habitu Religiosorum sive Minorum, sive aliorum habentium eadem privilegia per speciales concessiones, aut per communicationem, debent, ut lucrentur Indulgentias, recipere Habitum a Superiore illius Religionis, cujus est Habitus, vel ab alio, cui ille duxerit committendum, et non ab aliis quavis auctoritate fulgentibus; Sixtus IV in Bulla aurea. Unde prædictum Habitum dare non potest particularis Frater subditus, neque Confessarius Monialium, neque quivis alius, nisi id sibi a Prælato concedatur, Portell., *Dub. Regul.* verb. *Habitus*, additio ad additionem, et verb. *Sepultura*, num. 6. Non autem est necesse, ut Habitum petentes dent aliquam eleemosynam Fratribus pro Habitu, quia Bullæ Pontificiæ illas indulgentias concedentes nihil loquuntur de obligatione dandi eleemosynam pro illo. Rodriguez tom. II, *Quæst. Regul.*, q. 76, artic. 10, ad fin. Portell. l. cit., verb. *Habitus*; Lantusch., loc. cit., num. 6.

(45. Volentes sepeliri in Habitu Religiosorum, non est de necessitate quod tumulentur in Ecclesiis eorum, quorum est Habitus, sed possunt sepeliri, ubi sepulturam elegerint; prout eorum relinquitur arbitrio a Leone X, Constit. incip. *Dum intra*, ibi: « Volentes quoque sepeliri in Habitu eorumdem Fratrum in Claustro non degentes, sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint. » (46. Sixtus IV statuit quod corpora volentium cum prædicto Habitu sepeliri, deferantur ad sepulturam sine alio pallio, vel tegumento super imposito; non obstante quacunque Ordinatione, vel prohibitione Ordinariorum locorum, etiam sub censuris facta. Sic refert Casarrub. loc. cit., verb. *Sepultura*, n. 15. *Vide* verb. *Vestis*, n. 17.

(47. Sæculares utentes Habitu Religiosorum ignominiose in ludis, vel in lasciviis, peccant mortaliter, et per l. *Authentica*, *de Sanctiss. Episc.*, § ult., plectuntur exsilio, et insuper incurrunt alias pœnas civiles, et possunt puniri etiam per Judices Sæculares; Silvester verb. *Habitus*, § 5. Portel. l. c., verb. *Habitus* num. 3. et alii. (48. Sic mortaliter peccaret, qui Habitum traderet ad lusum profanum, aut ad facinus exsequendum; Sanctorus in *Compend.*, verb. *Habitus*, n. 3, ex Constit. Ordinis cap. 2, Statut. 71, quæst. 4. (49. Hinc locorum Ordinarii, aliive Prælati Regulares non debent dare licentiam, nec permittere, quod Moniales tempore Bacchanalium, recreationis gratia, dimittant proprium Habitum, et assumant alium Sæcularem, præsertim virilem, ut S. Cong. Episc. et Regul. rescripsit Episcopo Ferrar. 27 Aprilis 1654. (50. Femina enim non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et si hoc fiat sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, erit tantum peccatum veniale; alias mortale; Deuteronom. enim. c. XXII, v. 5, sic expresse habetur: *Non induatur mulier veste virili, nec vir utatur veste feminea; abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc*; nullum tamen erit peccatum si hoc faciat ex necessitate, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam* 1, quæst. 7; cap. *Omnes* 1, de fer., cap. *Consulisti* 3, *de Celebrat. Missar.* In qualibet enim dispositione necessitas intelligitur excepta; cap. *Licet*, *de Pœnit. et Remiss.*

(51. Habitum, et Tonsuram deferre tenentur Clerici Beneficiati non solum in sacris constituti, sed etiam in Minoribus, et Clericali Tonsura insigniti, sub pœna privationis ipso facto, ipsoque jure Beneficiorum, et pensionum absque ulla monitione ac Judicis decreto, sed Beneficia ipsa libere aliis conferri possunt, et pensiones cassatæ et exstinctæ dicuntur: Sixt. V, Constitut. 92, incip.

(15) Vide tamen dicta verb. *Indulgentia*, art. 5, *n.* 48. (EDIT. BARBIEL.)

Digitized by Google

Cum Sacrosanctum. (52. Habitum decentem, atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus, vel pensiones ex Beneficiis Ecclesiasticis excedentes valorem 60 ducat. auri de camera; idem Sixtus V, in d. Constit. *Cum Sacrosanctum.* (53. Habitum dimittens Clericalem potest illum reassumere, non obstante irregularitate superveniente, et Ordinarii prohibitione; Sacr. Congregat. Concil. in Mazarien. 27 Jun. 1630, et in Regien., 29 Nov. 1692, apud Monacell. tom. IV, supplement. ad tom. II, num. 199. (54. Clericalis vestis Laicis Curialibus permittitur, præter Collare, quod sit a Collari Clericorum diversum; Benedict. XIII, in Concilio Romano, tit. 16, cap. 4, ibi : « Laicis vero Curialibus, cum sæpe sit eis in Palatio nostro Apostolico versandum, sæpissime etiam cum Cardinalibus, et Prælatis agendum, togam Clericalem nigram communem facimus; et Collaria Clericorum propria, sive rotundæ sint formæ, sive quadratæ, penitus prohibemus eisdem, et prohibita jam sibi esse sciant, tenore servato nostri Edicti die 22 Januarii 1725 expediti. »

(55. Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassumptionem Habitus Clericalis, et Episcopus procedat prout de jure; Sacra Congregat. Immunit. in una Civitatis Ducalis 10 Martii 1699, lib. I *Decr. Vallem.* pag. 206. (56. Clericus reassumens Habitum post commissum homicidium gaudet privilegio quoad personam tantum; ead. Sacra Cong. Immunit. in Gravinen. 7 Jul. 1699, d. ib., pag. 230.

(57. Item Clericus, qui post renuntiationem Clericatus inquisitus a Curia Laica, denuo reassumpsit Habitum, gaudet privilegio quoad personam tantum; eadem Sacra Congregat. Immunit. in Spoletana 20 Novemb. 1696, lib. II *Decr. Vallem.*, p. 49.

(58. Similiter Clericus, qui per duas vices renuntiavit privilegio Clericali, et ista renuntiatio acceptata fuit ab Ordinario, potest denuo reassumere Habitum, et gaudere; eadem Sac. Congreg. Immun. in Marsicen. 22 Apr. 1692, lib. *Dec. Grim.*, pag. 121.

(59. Inquisitus de pluribus delictis, et obligatus ad ratiocinia ob officium Syndici Communitatis, de consensu Episcopi reassumens Habitum Clericalem, licet habeat uxorem, et filios, gaudet quoad personam, non quoad bona; eadem Sac. Cong. Immunit. in Sorana 2 Junii 1695, lib. I *Decret. Vallem.*, pag. 51.

(60. Item gaudet privilegio Fori Clericus reassumens Habitum, postquam exercuit officium Notarii, administravit publicum Archivium, ac alia officia Laicalia; ead. Sac. Congr. Immun. in Narnien. 30 Sept. 1798, lib. II. *Decr. Vallem.*, pag. 178.

(61. Clericus conjugatus soluto Matrimonio rite potuit reassumere Habitum cum Decreto Episcopi; eâd. Sac. Congreg. Immun. in Anglonen. 19 Augusti 1693, lib. II *Decr. Vallem.*, pag. 169.

(62. Archiepiscopo injungitur ut adducat rationes cur deneget reassumptionem Habitus Clericalis; eadem Sac. Congr. Immun.

in Tranen. 2 Decemb. 1692, lib. I *Decr. Vallem.*, pag. 8.

(63. Quidam Episcopus denegans, seu impediens reassumptionem Habitus adduxit sequentes causas.

I. Quod toto tempore habiti Matrimonii cum Virgine, et unica non incesserit in Habitu.

II. Quod non posset promoveri ad superiores Ordines ob imperitiam, et podagræ morbum.

III. Quod non reddiderit rationes administrationum locorum piorum juxta Ordines Episcopi.

IV. Quod exercuerit macellum et laridariam.

V. Quod esset Usurarius.

At cum primæ tres causæ militent in promovendis, non in promotis, duæ autem ultimæ non justificentur; Sac. Cong. pronuntiat : Orator utatur jure suo quoad reassumptionem Habitus; ead. Sac. Congr. Immun. in una Civitati Ducalis 13 Jan. 1699, lib. II *Decr. Vallem.*, pag. 197.

(64. Utens Habitu honorifico alicujus, ab eo inhiberi potest; Ursaya *Instit. Crimin.* tit. 10, § 4, num. 77. Abbas, in *Catal. Glor. Mund.* pag. 1, consider. 32 et seq. Menoch. *de Arbitr.* cas. 18, n. 23 et seq., l. II. Ursel. *Conclus. legal.* 171, num. 8, et alii passim. (65. Benedictio parvorum Habitum facienda est a Patribus Carmelitis in illis locis, in quibus Conventum habent, etiamsi ante fundationem dictorum Conventuum facta fuisset a Parochis, vel a Capellanis Confraternitatum; A quibus pariter Patribus facienda est Processio in die Dominica infra Octavam propriæ Festivitatis cum facultate tamen Confratribus illam associandi, vel faciendi aliam Processionem posteriori die. Vertente enim controversia inter Patres Carmelitas discalceatos Loci Biumi Varasii, et Confraternitatem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo super d. Confraternitatis translatione ad Ecclesiam prædictorum Patrum, eaque delata ad Sac. Congreg. Episcop. et Regul. prodiit die 13 Sept. 1707 rescriptum : *Confraternitatem non esse transferendam, et cum SS. profunatione*, et quia præfata Confraternitas benedictionem parvorum Habituum, qui distribui solent a Patribus Carmelitis, impugnare, et Processionem similiter fieri solitam quolibet anno in Festivitate Beatæ V. ad sui libitum celebrare prætendebat, hinc pro parte dictorum Patrum die 1 Martii 1709 posita causa in dicta Sacra Congreg. Episcop. et Regul. per Emin. Card. Corsinum, ex post Clement. XII, Summum Pontificem, fuit rescriptum : « Benedictionem et distributionem parvi Habitus spectare in posterum ad Superiorem Conventus Patrum Carmelitarum, et quoad Processionem videatur particulariter. »

Reproposita vero die 22 Junii ejusdem anni 1728 fuit rescriptum : « Quoad benedictionem, et distributionem Habitus parvi persistendum in decisis. In reliquis, ad Emin. Archiepiscop. pro concordia. »

Tertia tandem vice iterum proposita die 10 Aprilis 1710 rescriptum fuit : « Quoad

Digitized by Google

benedictionem, et distributionem Habitus parvi persistendum in decisis 1 Martii et 22 Jun. 1708. »

« Quoad Processionem vero, illam faciendam prius esse die Dominica infra Octavam per Patres Ordinis cum facultate Confratribus, vel illam associandi, vel aliam Processionem alia die posteriori faciendi. » Sic refert Ursaya tom. III, part. I, disc. 24, ubi egregie rem tractat suo more per totum.

(66. Cum quidam Canonicus Regularis Lateranensis obtinuisset Indultum Apostolicum retinendi Beneficium Parochiale cum Clausula *servata forma decreti Clementis X* dubitatum fuit : primo an teneatur deferre Habitum Regularem, tam in functionibus Ecclesiasticis, quam extra Ecclesiam. Et secundo, an eidem competat regressus, seu reintegratio ad bona renuntiata occasione Professionis Regularis ; et Sac. Congreg. Concilii in Firmana 23 Maii 1722 censuit : ad primum, ad mentem ut servaretur solitum ; ad secundum, affirmative quoad usum tantum ; sic refert Card. Petra tom V. *Comment. ad Constitut. 9, Sixti IV*, sect., unic. sub n. 5.

Habitus viatorius ad formam Habitus per Prælatos et Familiares Pontificis extra Urbem gestari soliti, servato tamen nigro colore, advocatis Consistorialibus conceditur a Bened. XIV, tom. I, Constit. 106 incip. *Inter conspicuos*, § 13.

(67. Alia quoad Habitum Clericalem ; *vid.* verb. *Clericus*, art. 1. (68. Quoad Habitum Religiosum, *vid.* verb. *Apostata. Conventus. Novitius.* (69. Quoad Habitum Tertiarii, *vid.* verb. *Tertiarii*.

HÆREDITAS.

SUMMARIUM.

1. Hæreditas quid sit ? — 2. Tota Hæreditas a Jure vocatur As, et nisi aliter exprimat Testator, dividitur in duodecim partes, sex uncias, quæ singulæ pro numeri diversitate diversa sortiuntur nomina, quæ assignantur. — 3. Hæreditatis nomine veniunt omnes et singulæ res, jura, et commoda, sive parva, sive magna defuncti, quæ Hæres titulo Hæreditatis acquisivit, vel acquirere potuisset, item omnes actiones activæ utiles ad aliquid prosequendum, vel acquirendum. — 4. Appellatione Hæreditatis veniunt omnia bona ubique existentia, tam mobilia, quam stabilia, et etiam omnia credita, tam activa, quam passiva, et pariter Juspatronatus. — 5. Non veniunt tamen Hæreditatis nomine Legata, et minus Prælegata. — 6. Hæreditatis petitio quid sit. — 7. Adire Hæreditatem aliud non est, quam se pro hærede declarare, seu Hæreditatem amplecti, agnoscere, vel admittere. — 8. Aditio Hæreditatis variis modis contingere potest, scilicet verbis, factis, aut aliis signis, etc. — 9. Hæreditatem adire potest omnis, qui se obligare potest. — 10. Ad hoc, ut Hæreditatem adire quis possit, debet ei prius ex testamento, vel ab intestato esse delata Hæreditas, ac sufficienter constet, quod adire volens sit certo Hæres. — 11. Hæreditas ad hoc, ut transmittatur ad hæredes hæredis, debet prius esse adita, excepto casu, quo hæres *suus* nondum adiit Hæreditatem. — 12. Per aditionem Hæreditatis acquirit quis jus, et dominium omnium rerum hæreditariarum, quas defunctus habuit. — 13. Nec requiritur, quod earum possessionem actu, et corporaliter accipiat. — 14. Possessio tamen ipsa non acquiritur per solam aditionem Hæreditatis, nisi quis eam naturaliter apprehendat. — 15. Aditio Hæreditatis transfert in hæredem omnem obligationem defuncti, et si vires Hæreditatis excedat, casu quo non fecerit inventarium, vel sine beneficio legis, et inventarii Hæreditatem adierit. — 16. Hinc post aditionem Hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta Legata, et Fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen ut detrahere possit a Legatis, non tamen piis, *Falcidiam*, vel a Fideicommissis *Trebellianicam*, si fecit inventarium. — 17. Hæreditas repudiari, vel adiri debet, alias habetur pro derelicta. — 18. Pro parte acceptari, et pro parte repudiari non potest. — 19. Repudiatio Hæreditatis est Hæreditatis jam delatæ recusatio, seu rejecto, vel non admissio. — 20. Hæreditatem repudiare potest omnis, qui eam acquirere potest. — 21. Ordinarie loquendo, qui semel Hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest, sicut e contra, qui eam repudiavit, illam adire amplius nequit. — 22. Limitatur autem conclusio in hærede *suo*, et in Minore. — 23. Renuntiatio Hæreditatis est cessio, seu remissio Juris, quod quis ad Hæreditatem habet, vel habere potest. — 24. Renuntiatio futuræ Hæreditatis alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere, licite, et valide fieri potest etiamsi fiat in favorem tertii. — 25. Quævis renuntiatio Hæreditatis hominis adhuc viventis, etiam in alterius favorem factæ, valet, si fiat cum illius consensu, quem non revocet usque ad mortem. — 26. Renuntiatio autem de Hæreditate viventis, sine hujus consensu facta, non valet. — 27. Nec talis renuntiatio valet, quamvis juramento confirmata sit. — 28. Distinctio inter Hæreditatem et res hæreditarias. — 29. Quid inter Hæreditatem et bonorum possessionem intersit. — 30. De aliis necessariis, ut quis adire possit Hæreditatem — 31. De personis quæ Hæreditatem acquirere valent. — 32. 33. Alia de aditione Hæreditatis. — 34. Vendi etiam potest Hæreditas. — 35. Venditor favore emptoris tenetur de evictione, et de facto proprio. — 36. 40. Nonnulla alia circa Hæreditatum venditionem. — 41. 43. De Hæreditatum distributione.

(1. Hæreditas nihil aliud est, quam universum Jus defuncti, textu expresso in l. *Hæreditas* 62, ff. *de Regul. Jur.* ibi : Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit.

(2. Hæreditas tota communiter a Jure vocatur *As*, et nisi aliter exprimat Testator, dividitur in duodecim partes, seu uncias, quæ singulæ, pro numeri diversitate, diversa sortiuntur nomina, omnes autem simul sumptæ *Assem* constituunt ; unde Hæres totius Hæreditatis, Hæres ex *Asse* nominatur, arg. § *Hæreditas* 5. Instit. *de Hæred.* ubi etiam habetur, quod in potestate Testatoris sit, in quot partes Hæreditatem dividere velit, ibi : « Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ Assis appellatione continentur : habent autem, et hæ partes propria nomina ab uncia usque ad Assem utpote hæc : *Sextans*, » id est sexta pars Assis, quæ facit duas uncias ; *Quadrans*, sive quarta pars Assis continens tres uncias ; *Triens* ; sive tertia pars Assis complectens quatuor uncias totius Assis ; *Quincunx*, sive quinque unciæ ; *Semis*, sive dimidium Assis comprehendens sex uncias ; *Septunx*, sive

Digitized by Google

septem unciæ; *Bes*, id est octo unciæ; *Dodrans*, sive novem unciæ; *Dextans*, sive decem unciæ; *Deunx* sive undecim unciæ; et tandem *As*, sive omnes partes simul sumptæ, seu tota Hæreditas.

(3. Hæreditatis nomine veniunt omnes, et singulæ res, jura, et commoda, sive parva, sive magna defuncti, quæ Hæres titulo Hæreditatis acquisivit, vel acquirere potuisset; item omnes actiones activæ utiles ad aliquid prosequendum, et acquirendum, Communis, arg. l. *Qui Filiifamilias* 14, ff. *de Hæredit.* Rot. part. I, decis. 182. n. 3; part. VII, decis. 164. num. 13; part. XII, dec. 271. num. 3; part. XIII, dec. 64. num. 11. (4. Appellatione Hæreditatis veniunt omnia bona ubique existentia. Rota part. X, decis. 156, num. 13, et veniunt etiam omnia credita, tam activa, quam passiva. Rota part. VII, decis. 257, n. 3. Venit pariter Juspatronatus. Rota part. X, dec. 240, n. 11. Imo veniunt non solum bona stabilia, sed etiam mobilia. Rota part. II, dec. 518, num. 2. Hæreditas enim comprehendit omnes species quorumcunque bonorum undequaque provenientium, quæ apud defunctum reperiuntur. Rota part. III, t. III, decis. 565, n. 9, cum seqq. (5. Non veniunt tamen Hæreditatis nomine Legata. Rota part. III, decis. 160, n. 6. et dec. 472. num. 2, et minus veniunt, Prælegata. Rota ibid.

(6. Hæreditatis petitio est actio, qua quis Hæreditatem, vel totam, vel pro parte petit, seu vindicat ab eo, qui illam pro hærede, aut pro possessore possidet. Calvin. in *Lexico Jur.* verb. *Petitio Hæreditatis*, arg. l. *Licet minimam* 10, ff. *de Hæred. petit.* et l. 27. ff. *de Rei vindicat.* Pro hærede autem possidet qui putat se hæredem esse; leg. *pro Hærede* 11, ff. *de Hæreditat. petit.* Pro possessore vero possidet, qui causam suæ possessionis aliam reddere nequit quam quia possidet, cit. l. 11, et seq., ff. de eod. Uterque scilicet, et qui jus pro hærede, et qui possessor possidet regulariter tenetur petitione Hæreditatis; l. *Regulariter* 9, ff. eod. (7. Adire Hæreditatem aliud non est, quam se pro hærede declarare, seu Hæreditatem amplecti, agnoscere, seu admittere; l. *Pro hærede* 20, et l. *Gerit.* 88, ff. *de Acquirend. Hæred.* Est in re communis. (8. Aditio Hæreditatis variis modis contingere potest, scilicet verbis, factis, aut aliis signis, dummodo tacite, vel expresse quis significet, quod se pro hærede declarare, habere, aut agere velit; l. *Pro hærede* 20, et l. *Gerit.* 88, ff. *de Acquir. Hæred.* Est in re communis. (9. Hæreditatem adire potest omnis, qui se obligare potest. Communis. (10. Ad hoc autem ut Hæreditatem adire quis possit, debet ei prius ex testamento, vel ab intestato esse delata Hæreditas, ac sufficienter constare, quod adire volens, sit certo hæres; Donell. lib. VII, *Comment.* cap. 4. num. 16. et alii passim.

(11. Hæreditas ad hoc, ut transmittatur ad hæredes hæredis, debet prius esse adita; non adita enim non transmittitur, excepto casu quo hæres *suus* nondum adiit Hæreditatem, textu expresso in l. 1. § *In novissimo*, ibi. « Hæreditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti, nec veteres concedebant, nec nos patimur, exceptis liberorum personis. » Rota part. VI, dec. 22, num. 6, et seq. part. VII, decis. 74, num. 5, et dec. 106, num. 2; part. XVI, dec. 35, nu 8, et sæpe alibi; est enim necessaria Hæreditatis aditio ad effectum transmissionis. Rota p. XII, dec. 400 num. 10; par. XIII, dec. 137, n. 15. (12. Per aditionem Hæreditatis acquirit quis jus et dominium omnium rerum hæreditariarum, quas defunctus habuit, textu expresso in l. *Cum hæredes* 23, ff. *de Acquir. et amit. possess.* ibi: « Adita Hæreditate omnia jura ad nos transeunt. « (13. Nec requiritur, quod eorum possessionem actu, et corporaliter accipiat, quia aditio Hæreditatis solo animo fieri potest, et in nuda voluntate consistit, dummodo de ea sufficienter per signa externa constet, § final. Instit. *de Hæred. qualit. et disser.* ibi: « Nuda voluntate extraneus hæres sit. » (14. Possessio tamen ipsa non acquiritur per solam aditionem Hæreditatis, nisi quis eam naturaliter etiam apprehendat, textu expresso in cit. l. *Cum hæres* 23, ff. *de Acquir. et amitt. possess.* ibi: « Adita Hæreditate omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet, » et ratio est, quia possessionem sic dictam a pedum positione l. 1, ff. eodem, adipiscimur corpore, et animo, neque per se animo, neque per se corpore, ut dicitur l. 3 princip., ff. eod. Et est communis (16).

(15. Aditio Hæreditatis transfert in hæredem omnem obligationem defuncti, etsi vires Hæreditatis excedat, casu, quo non fecerit inventarium, vel sine beneficio legis, et inventarii Hæreditatem adierit: leg. final. § *Sin autem*, Cod. *de Jure deliber.* et cap. *In litteris* 5, *de Raptor.* Sic communis doctorum. (16. Hinc post aditionem Hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta Legata et Fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen ut detrahere possit a Legatis, non tamen piis, *Falcidiam*, vel a Fideicommissis *Trebellianicam*, si fecit inventarium; leg. 1, C. *de SS. Eccles.* et est communis ac certa; dicitur autem notanter: *Si fecit inventarium*, quia qui sine beneficio Legis, et Inventarii adit Hæreditatem, *Falcidiam* detrahere non potest, textu claro in leg. fin. Cod. *de Jure deliber.* Et probabilius nequit etiam detrahere *Trebellianicam.* Haunold. part. VI, tit. 16. cap. 2, num. 11; Covarr. cap. 16, § 11, num. 6, *de Testam.*; Clarus § *Testamentum*, qu. 66, et alii quia, ut recte dicit Rota, inter hæredem adeuntem Hæreditatem sine beneficio Legis, et Inventarii, et Legatarios, et Fideicommissarios censetur iniri quasi contractus, ratione cujus hæres remanet ipsis obligatus, dicta Rota

(16) Ut quis acquirat hæreditatis dominium simul, et possessionem præter aditionem, quæ dominium solummodo transfert, necessaria quoque est apprehensio; sed possessionem a pedum positione temere dici demonstravimus supra ubi eginus de Dominio in addit. ad art. 1, sub num. 21..... (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

par. 5, tom. 1, decis. 19, n. 9, tom. 2, decis. 438, n. 4 et 12, part. 9, tom. 1, decis. 79, num. 2, part. 15, decis. 222, num. 42 (17).

(17. Hæreditas repudiari, vel adiri debet. Rota p. 6, dec. 323, num. 23, alias habetur pro derelicta. Rota *ibid.* (18. Pro parte autem acceptari, et pro parte repudiari non potest. Rota part. 5, tom. 1, dec. 272, n. 15 et seqq. (19. Repudiatio autem hæreditatis est hæreditatis jam delatæ recusatio, seu rejectio vel non admissio. Communis. Dicitur autem notanter *Hæreditatis jam delatæ*, quia quæ nondum est delata, repudiari non dicitur, textu claro in l. 1, § *Decretalis*, ff. *de Success. edici.* Dicitur autem hæreditas delata alicui, quando mortuo jam illo de cujus hæreditate quæritur, potest sine ullo impedimento hæreditatem, si vult, statim adire, et acquirere, vel repudiare. Baldus in leg. *Potuit*, Cod. *de Jure deliber.*; Calvin. in Lexico Jurid. verb. *Delata;* Molina disp. 274, num. 20, et *communis* aliorum. (20. Hæreditatem repudiare potest omnis, qui eam acquirere potest; l. *Is.* 18, ff. *de Acquirend. hæredit.* Communis. (21. Ordinario loquendo, qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest, sicut e contra qui eam repudiavit, illam adire amplius nequit; l. *Sicut* 4, C. *de Repud. hæredit.* Communis cum Rota par. 1, dec. 495, nu. 7, in fin.; part. 3, dec. 288. num. 2; par. 11, dec. 19, num. 8; par. 12, dec. 358, n. 2; part. 13, dec. 232, num. 5 et sæpe alibi. (22. Dicitur autem *ordinarie loquendo*, quia limitatur conclusio in hærede utpote qui repudiatam hæreditatem adhuc adire potest intra triennium, si nondum alienata est; leg. *Si quis suus*, Cod. *de Repud. hæredit.* Rota part. 15, decis. 130, num. 11, et limitatur conclusio etiam in Minore. Rota part. 12, decis. 358, num. 3.

(23. Renunciatio hæreditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis ad hæreditatem habet, vel habere potest; arg. l. 1, Cod. *de Pactis.* Est in re communis. (24. Renunciatio futuræ hæreditatis alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere licite, et valide fieri potest, etiamsi fiat in favorem tertii; arg. l. 3, ff. *Pro socio*, Sanchez l. 7, moral. cap. 2, n. 31; Layman lib. 3, tract. 5, c. 7, n. 3; Reiffenstuel lib. 3, decret. tit. 29, num. 534, et communis aliorum. Et ratio est, quia in hujusmodi renunciatione abest periculum voti captandæ mortis, ob quod alia jura prohibent renunciationem hæreditatis futuræ hominis adhuc viventis in favorem tertii; arg. leg. fin. Cod. *de Pactis.* (25. Quævis renunciatio hæreditatis hominis adhuc viventis etiam in alterius favorem facta valet, si fiat cum illius consensu, quem non revocet usque ad mortem, l. final. Cod. *de Pactis.* Et est communis. (26. Renunciatio autem de hæreditate viventis, sine hujus consensu facta non valet, textu claro in l. final. Cod. *de Pactis.* Communis ac certa. (27. Nec talis renunciatio valet; quamvis juramento confirmata sit. Bald. in cap. *Ad nostram, de Jurejuran.* num. 7; Sanchez lib. 7, cap. 2, num 33; Tolosan. Syntag. Jur. unic. lib. 41, num. 13; Layman lib. 3, tract. 5, cap. 7, num. 3, et communis aliorum. Et ratio est, quia hujusmodi renunciatio de hæreditate viventis sine ipsius consensu est contra bonos mores, utpote in qua inducitur votum captandæ mortis alterius, l. final. Cod. *de Pactis.* Ex *regula autem* 58 *de regul. Juris* in 6, non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, nec actum jure nullum validat, si ideo est nullus, ut in nostro casu, quia est contra bonos mores, vel jus naturale; § *Sed naturalia*, Instit. *de jure natur. gent. et Civ.*, vel quia est in præjudicium tertii, cap. *Cum contingat.* 28, *de jurejurando*, adeoque talis renunciatio non valet, quamvis juramento firmata sit.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(28. Ab hac definitione colligunt Jurisconsulti necessariam omnino esse distinctionem inter hæreditatem, et res hæreditarias. Hæreditas enim cum consistat in jure, numeratur inter ea, quæ non sunt sed intelliguntur, adeo ut licet res hæreditariæ deficiant, non tamen deficiet hæreditas, quæ in jure consistit. Quapropter dum dicimus acquiri hæreditatem, non modo acquirimus res quæ in patrimonio reperiuntur defuncti, sed quidquid juris competiit defuncto. Similiter qui emit hæreditatem, non dicitur emere corpora hæreditaria, sed jus tantum defuncto, vel contra defunctum competens. Duaren. operum com. 2, in tit. *de Acquir. vel omit. hæredit.* cap. 1, ad rubric. pag. 223, col. 1, circ. princ.

(29. Hic quæri solet an idem sit bonorum possessio, et hæreditas, aut quid inter hæreditatem, et bonorum possessionem intersit. Si definitionem, et effectus spectes, nullam, aut pene nullam invenies differentiam, cum non minus hæres, quam qui a Prætore bonorum possessionem consequitur, pro hæredibus indistincte habeantur; lib. 2 ff. *de Bonor. posses. l. Hæreditatis* ff. *de Verbor. signific.*, leg. *Prætor.* ff. *de Reg. jur.* Averan. *interpretation. juris* lib. 1, c. 12, num. 1, et in utrosque, et utrisque utiles actiones dantur sicut in eos, qui jure civili hæredes sunt dantur directæ. Duaren. loc. cit. coll. 2. Magnum nihilominus discrimen intercedit. Averan. loc. cit. nu. 2 et seq. Bonorum possessio est successio in vim jurisdictionis Prætoriæ, quæ quamvis civilis sit, a jure tamen Prætorio proficiscitur. Hæreditas vero defertur a lege. Quapropter qui jure Prætorio tantum, non etiam jure civili succedit, bonorum

(17) Alter, et quidem notabilis additionis effectus est, ut hæres nequeat rem suam a defuncto alienatam vindicare sive hæres sit, sive hæres hæredis, Barry *de Success.* lib. 11, tit. 9, n. 14. Pinell. ad l. 1, Cod. *de Bon. matern.*, p. 3. num. 79. Quod adeo verum est, ut nec pupillus rem suam a defuncto, cui hæres est, sine decreto alienatam ab emptore avocare possit, nec fideicommissarius rei fideicommissariæ per fiduciarium venditæ vindicandæ potestatem habeat, dum hæres fiduciario existit, late de his. Voet in *Pandect.* lib. 6, tit. 1, num. 16, et lib. 29, tit. 2, num. 32. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

dicitur possessor, non hæres, quia Prætor eum hæredem facere non potest, qui jure civili non admittitur § *Quos autem*, inst. *de Bonor. possess.* Lex certis personis defert hæreditatem; Prætor ex æquitate alias ad hæreditatem admittit personas, non eas tamen hæredes facit. Duaren. loc. cit. plura alia vide apud Averan. ubi supra a numer. 5 ad plur. seq.

(30. Hoc adeo verum est, ut licet alicui acquiratur hæreditas, si tamen ei delata non sit, hæreditatem adire non potest. Hinc licet domino et patri acquiratur hæreditas delata servo, vel filiofamilias, nequit tamen pater, vel dominus hujusmodi hæreditatem adire, sed ut adeant compellere debet servum, vel filiumfamilias; Duaren. oper. t. 2, p. 240 et seq. in tit. *de acquir. vel omit. hæredit.* Averan. *interpret. jur.* lib. 1, cap. 12, num. 32 et plur. seq. Similiter donanti, qui omnia præsentia, et futura bona, et hæreditates donavit, delata hæreditas non sibi, sed donatario acquiritur, sed si donans non adeat, donatarius nullum jus, nullamque actionem habet in hæreditate Donati delata. Gratian. *discept. forens.* cap. 271, num. 28. Card. de Luc. *de Credito disc.* 137, num. 3 Rot. in rec. part. 19, decis. 611, num. 10, in Æsina Hæreditatis, 26 Aprilis 1747, § 16, cor. Canilliac, et alibi passim, hoc tamen discrimine, quod servus, et filiusfamilias ad adeundam hæreditatem possunt compelli ex juribus allegatis, non vero donans a Donatario; Rot. post Torre, *de Pactis futuræ successionis*, decis. 177, num. 18. Romanæ hæreditatis 7 Decembris 1750, § 11, coram Vicecomite. Quod adeo verum est, ut neque a Creditoribus cogi quis possit hæreditatem adire, etiamsi res esset de legitima, in qua filius habet jus quæsitum per jura superius allegata, et leg. 6 ff. *Quod in fraud. credit.* Rot. in Romana Legitimæ 11 Martii 1743, § 7 et 8, cor. Cannilliac. et ratio est, quia debitor in fraudem creditorum proprium nequit patrimonium distrahere; sed illud non tenetur augere servus, et filiusfamilias jussu domini, vel patris adeuntes patrem, et dominum obligant. Quid vero si pater diu possederit, quin prius filiusfamilias adiverit? Cum solemnitates a jure præscriptæ non fuerint servatæ, videtur primo aspectu minime teneri favore creditorum hæreditariorum : contrarium tamen tenendum putat Duaren. loc. cit. pag. 243, coll. 2, § *Unus casus.* et seq. ubi alios etiam enumerat casus, in quibus hac etiam omissa solemnitate iidem habentur effectus, ut si filius longo tempore possederit hæreditatem, vel eam adiverit pater consentiente filio; si filius hæres sit necessarius; si pater furiosus nequeat filio jubere, ut adeat; si agatur de hæreditate adventitia, quæ hodie etiam invito patre acquiritur filio; idem dicendum in castrensi hæreditate filiifamilias militis, quas præcedentis regulæ exceptiones fusius pertractatas videbis apud *eumdem auctorem*, loc. cit. usque ad pag. 246, coll. 2, ubi quæstionem proponit etiam, an filio sine jussu patris adeundi acquiratur hæreditas, et concludit non acquiri cum juris solemnitas non sit servata.

(31. Hactenus de modo acquirendæ hæreditatis, nunc pauca de personis, quæ eam acquirere valent. In hoc regula generalis est, ut quilibet acquirere possit hæreditatem, qui liberum habet propriæ voluntatis exercitium, cujus præsidio valet aditionis actum peragere. Quapropter jure acquiritur hæreditas a muto, et surdo, qui vel scriptura, vel nutu, vel signis, quæ familiaribus, et propinquis eorum sint nota, voluntatem patefacere, et ostendere possunt; lib. 5 et 93 ff. *de Acquir. vel omit. hæredit.* Olim furioso non acquirebatur hæreditas, cum in furioso deficiat liberum voluntatis exercitium per leg. 62, § ult. eod. tit. leg. 41 ff. *de Reg. jur.* Sed Justinianus antiquas leges declarando statuit, furiosum per procuratorem acquirere posse; leg. ultim. Cod. *de Curat. furios.* Prodigus e contra cui bonis interdictum est jure acquirit hæreditatem per leg. 5 ff. *de Acquir. vel omit. hæredit.* Pupillus absque tutoris auctoritate hæreditatem nequit adire; l. 8, eod. tit. l. 17, § *Tutor.* ff. *de Appellat.* De pupillo plures hac de re instituit, et mirifice expedit quæstiones Duaren. citat. to. 2, pag. 248, coll. 2, usque ad p. 250. Hic quæri potest an procurator nostro nomine hæreditatem adire possit. Affirmat contra communem opinionem Duaren. loc. mox. cit. et *disput.* lib. 2, sed reprehenditur ab Averan. *interpret. jur.* lib, 1, cap. 12, nu. 43. Cum enim aditio hæreditatis sit actus legitimus, nonnisi ex necessitate per interpositam personam expediri potest. Voet. in *Pandect.* lib. 29, tit. 2, num. 9, quod intelligendum est de procuratore habente generale mandatum procuræ. Cum enim aditio consistat in animi et voluntatis declaratione, generale non sufficit, sed speciale mandatum procuræ, ut liquido constet de voluntate mandantis, requiritur

(32. Cum aditio hæreditatis in solo animo, et voluntate consistat, dubitari posset an quis procuratori mandans, ut hæreditatem adiret, antequam mandatum exequeretur procurator, mandans in furorem incidat. Satis ab initio profectus videtur voluntatis actus, et valide per consequens a Procuratore adita hæreditas, nihilominus per superventum in hærede furorem ipsius deficere voluntatem, nullamque esse Procuratoris aditionem declarat text. in leg. 48 ff. *de Acquir. vel omitt. hæred.* Duaren. oper. tom. 2, pag. 243, coll. 1. Averan. *interpret. jur.* lib. 1, cap. 12, num. 20.

Regula superius tradita, quod hæreditas non adita non transmittitur ad hæredes, non semper indistincte procedit. Primo, locum non habet in hærede, qui a muliere prægnante impeditus, quominus adiret interea ante aditam hæreditatem decessit; leg. 38 ff. *de Acquiren. vel omitt. hæred.* quod tamen declaratione indiget, quam fuse tradit; Duaren. loc. cit. pag. 253, coll. 2 et 554. Secundus casus est de filio præterito, qui testamentum nullum esse contendit. Interea

Digitized by Google

dum pendet lis super validitate, vel nullitate testamenti, hæres scriptus hæreditatem nequit adire; quo tamen non obstante, si dum definitur controversia scriptus hæres moriatur etiam non aditam hæreditatem ad suos hæredes transmittit; l. 12 ff. *de Edict. Carbon.* Jac. Curtius *conjectural.* lib. 4, cap. 1, apud Everard. Otton. *Thesaur. jur.* to. 5, coll. 237. Duaren. loc. cit. pag. 255, coll. 1. Bruneman. in *Pandect.* lib. 37, tit. 10, in l. 12. per tot.

(33. Tertium casum habemus in l. 2. § 30. ff. *de S. C. silanian* ubi sancitum est, ut hæreditas illius, qui occisus est, non adeatur, aut testamentum aperiatur, nisi quæstione de familia habita, reo detecto, et sumpto de nocentibus supplicio. Si interea, dum hæc omnia peraguntur, hæres scriptus decedat, hæreditatem nihilominus non aditam ad hæredes transmittit, quia impeditus fuit quominus adiret; Duaren. l. c. p. 256, coll. 1, § *Tertius;* Voet. in *Pand.* l. 29, tit. 5, n. 3. Quartus casus est, ubi quis absens hæres institutus, et institutionem ignorans antequam adiret decessit, sed tamen ipsius procurator antequam hæres obiret bonorum possessionem petierat, quo casu ex æquitate conceditur hæredibus defuncti hæredis restitutio in integrum, et ita indirecte in ipso defuncti hæreditas ab eo non adita transmittitur; leg. 85 ff. *de Acquir. hæredit.* Duaren. loc. cit. pag. ead, § *Quartus.* Quintus casus est in infante, qui patrem habet, si hæreditas ipsi delata ejusdem nomine adita non fuerit, nihilominus ad patrem transmittitur, licet hoc modo adita haberetur ac si adita non fuisset; l. *Si infanti* Cod. *de Jur. deliber.* Corvin. in Cod. lib. 6, tit. 30, p. 417, § *Personæ hæredem;* Duaren. loc. citat. pag. 257, § *Quintus casus* et sequent., uti mirifice hanc legem explicat. Sextus casus ex hac eadem lege profuit in qua Theodosius statuit, ut liberi a parentibus instituti non modo ad suos hæredes, sed ad quoscumque descendentes ex se hæreditatem non aditam transmittant, quæ constitutio multum addidit juri antiquo. Duaren. et Corvin. l. cit. licet contrarium sentiant. Cujac. ad Affrican. 4, ad. leg. 16 ff. *de Liber. et posthum.* Septimus denique casus, in quo hæreditas non adita ad hæredes transmittitur, oritur ex Justiniani constitutione in l. 19 Cod. *de Jur. deliberandi,* in qua decernit, quod si quis dum deliberat, antequam adeat hæreditatem, moriatur, hanc tamen hæreditatem ad hæredes quoscumque transmittat una cum jure deliberandi pro tempore tamen, quod defuncto ad deliberandum superat. Corvin. loc. cit. pag 414, coll. 2, § *Hærede.* Duaren. loc. cit. pag. 259, coll. 1 et seq. § *Septimus casus.* Zoes in Cod. lib. 6, tit. 30, § *Lapso prædicto.*

(34. Cedi non solum, et renunciari, sed etiam vendi hæreditas potest, cum hæreditas inter res incorporales venditionem recipientes præcipue numeretur, quod intelligendum est de hæreditate defuncti, non viventis, sive directa, sive fideicommissaria sit, l 1 et l. 16 ff. *de Hæreditate, vel act. vendit.* Hoc casu emptor quamvis hæres non fiat, dum qui semel fuit hæres nunquam talis esse desinat, nihilominus hæredis vices gerit, in eumque omne lucrum et damnum transit, nec amplius hæres sed emptor tenetur inventarium conficere; l. 2 et l. 14 ff. *de Hæredit. vel act. vendit.* Venditor tenetur emptori præstare omne id, quod ex hæreditate consequitur, actiones tum principales, tum accessorias, omniaque corporalia et incorporalia, sive in hæreditate reperta, sive cum hæreditati deberentur ab hærede exacta sunt per cit. ll. et l. 4 Cod. *de Hæred. vel act. vend.* Præstat insuper omne damnum emergens, et lucrum cessans dolo, aut lata, vel levi culpa venditoris emptori allatum. Voet in *Pandect.* lib. 18, tit. 4, n. 2.

(35. Venditor insuper favore emptoris tenetur de evictione, et de facto proprio. Evictionem tamen præstare debet non habito respectu ad singulas res, sed ad universam successionem. Non enim vendidit singulas res hæreditarias, sed universum jus quod defunctus habebat, nec hæreditas dicuntur res singulæ, quæ in patrimonio defuncti reperiuntur, sed universum ipsius jus, adeo ut licet nulla corpora in patrimonio defuncti reperiantur, nihilominus deficere non dicitur hæreditas quæ in juribus etiam consistit. Hinc, si nulla bona existant ,hæres succedit in juribus, in defuncti locum subingreditur, ipsius personam repræsentat, et hæreditariis creditoribus tenetur, si vero exstent bona, in his quoque succedit; Duaren. oper. tom. 3, pag. 534, coll. 1 et 2, in *Pandect.* tit. 4, lib. 18, cap. 2, in princ. Cogitur autem satisdare de facto proprio, se nempe emptori restituturum quidquid ad se pervenerit propter hæreditatem sibi delatam. Duaren. loc. cit. cap. 3, circa fin., pag. 535, coll. 1.

(36. Hujus rei occasione maxima excitatur inter Doctores quæstio, an per venditionem hæreditatis cum transeant in emptorem omnia jura hæredis, censeatur etiam translatum jus accrescendi, quod competeret emptori. Quæstionem subdividit Vinn. *Select. q.*, lib. 1, cap. 55, ubi materiam accurate expendens quærit primo an ipso jure, et recta deficientium portiones accrescant emptori, deinde an venditor, quod sibi accrevit emptori præstare teneatur actione ex empto, et utroque casu negativam amplectitur opinionem. E contra Duarenus oper. to. 4, pag. 116, *de Jur. accres.* lib. 2, cap. 6, putat, emptori potius, quam venditori accrescere hæreditatis portionem, et hanc eamdem sententiam sequitur, multisque contra Vinn. loc. cit. confirmat argumentis; Voet. in *Pandect.* lib. 18, tit. 4, num. 3. A priori tamen; Vinnii sententia non recederem.

(37. Potissimum enim contrariæ opinionis fundamentum positum est in leg. *Si Titio* 33 ff. *de Usufruct. et quemadmod. quis utat. fruat.* in fin. l. 2, § 4, ff. *de Hæredit. vel act. vend.* quæ tamen casus longe diversos comprehendunt. In l. *Si Titio* res erat de duobus in usufructu institutis, et indicat discrimen inter institutos in usufructu, et insti-

Digitized by Google

tutos in proprietate. Hilliger. in Donell. lib. 10, c. 23, lit. C. Bruneman. in *Pand.* lib. 7, tit. 1, in l. 33, n. 2 et 3. Major difficultas est in § 4. l. 2, supr. citatæ, ubi dicitur *non solum quod jam pervenit, sed et quod quandoque pervenerit restituendum esse*, quod tamen intelligendum est de iis rebus, ad quas jam actu jus erat hæredi quæsitum. Cæterum in dubium revocari nequit, quin venditor hæreditatis, licet hæreditaria bona non possideat, adhuc non sit hæres. Porro jus accrescendi non aliis legitur concessum præterquam cohæredibus, non ratione rerum hæreditariarum, sed ratione qualitatis hæreditariæ. Hinc venditor hæreditatis per hoc nequit evitare actionem, quam contra ipsum excitare valent Creditores hæreditarii; lib. 2 Cod. *de Hæred. vel act. vendit.* « Ratio juris postulat, ut Creditoribus, et Legatariis, seu Fideicommissariis te convenire volentibus, tu respondeas, et cum eo, cui hæreditatem vendidisti tu experiaris suo ordine. Nam ut satis tibi detur sero desideras, quoniam eo tempore, quo venundabatur hæreditas, hoc non est comprehensum. Quamvis enim ea lege emerit ut Creditoribus Hæreditariis satisfaciat, excipere tamen actiones hæreditarias invitus cogi non potest. » Voet. l. c. n. 6.

(38. Sed si hæres hæreditatem vendendo non desinit esse hæres, si jus accrescendi cohæredibus tantum conceditur, inde fit, quod emptor etsi loco hæredis habeatur, non tamen sit hæres, nec perfruatur jure accrescendi solis hæredibus concesso. Plura in hujus opinionis confirmationem afferunt omnino consulendi. Vinn. loc. cit. et Zoes. in *Pandect.* lib. 30, *de Legat. et fideic.* c. 3, *de Jur. accresc.* a n. 59 usque ad num. 65, qui mirifice contrariam refellunt opinionem, contrariisque rationibus respondent. His omnibus accedit quod venditio hæreditatis inter contractus numeratur. Age vero ubi nam in jure sancitum legitur jus accrescendi in contractibus locum habere? Nullibi sane, nisi expresse de eo cautum fuerit, quo pacto opus non esset, ubi lege induceretur, et tunc conventio veluti lex contractus servanda est, ut ipse testatur Duaren. de *Jur. accresc.* lib. 1, cap. 15, tom. 4. Notandum denique quod in Donationibus inter vivos, cum istæ contractibus æquiparentur nullum datur accrescendi jus, ut firmat ipse Duaren. loc. cit. cap. 16, pag. 108. Perez in Cod. lib. 6, tit. 51, nu. 8. Tulden. ibid. num. 6. Corvin. pariter in Cod. lib. 6. tit. 51, p. 480, coll. 2.

(39. Sicuti vero multa a venditore sunt emptori præstanda, ita æquum est, ut nonnulla ab emptore venditori præstentur. Hinc emptor tenetur venditorem defendere contra Creditores hæreditarios, leg. 28, ff. *de Donat.* Quod si venditor, vel ante, vel post hæreditatis venditionem in hæreditatem sumptus fecerit, hæreditaria solverit debita vel id omne ab emptore per actionem ex stipulatu, vel ex vendito repetere potest. Ex his sequitur, ut recuperet si quid vectigalium, aut tributorum nomine solverit; l. 2, § 16, ff. *de Hæred. vel act. vendit.* Si quid in funus defuncti erogaverit, cum hæc hæreditaria quoque impensa dicatur, d. l. 2, § 17. Quid vero si inter plures cohæredes venditor solus omnia onera hæreditaria solverit, nec cohærendum portiones ab ipsis repetere valeat ob inopiam? Hoc quoque casu ea ab emptore repetere posse, si modo per Judicis sententiam ad solvendum damnatus sit, statuit text. in l. 18 ff. eod. Servitutes insuper, quæ ante aditionem Venditori debebantur, sed per actionum confusionem sublatæ fuerunt ab emptore rursus præstandæ sunt, d. l. 2, § penult. leg. 9, ff. Commun. *præd. tam urban. quam rustic.*

(40. Hæc de hæreditate vendita a privato, sed non idem dicendum de hæreditate vendita a fisco. Fiscalis enim hæreditatis emptor non modo contra hæreditarios debitores actionem instituere debet, sed ab hæreditariis creditoribus conventus vel conveniendus eorum actiones in universum suscipere tenetur, quin fiscum venditorem iisdem respondere compellere valeat; l. 41 ff. *de Jure fisc.* leg. 1. Cod. *de Hæred. vel act. vend.* Quolibet vero evictionis periculo tutus est, cum ementes a fisco statim securi sint, et quisquis ad se hæreditatem venditam pertinere contendens fiscum ipsum vendentem convenire cogitur § ult. inst. *de Usucap.* l. 1 et l. 2 Cod. *de Quadrien. præscript.* Voet. in *Pandect.* lib. 18, tit. 4, num. 8. Plura superessent dicenda de actionum venditione, sed ne diutius in hac quæstione immoremur consulat Lector Voet. loc. cit. a n. 2 ad fin.; Duaren. oper. tom. 3, pag. 535, et plur. seq. in tit. *de Hæred. vel act. vendit.* per tot.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(41. Si plures instituti sint hæredes, secundum jus Romanum solemnis fit distributio hæreditatis in duodecim uncias. Ita enim jurisconsultus l. 50, § 2, ff. *de Hæred. Institut.* « Hæreditas (ait) plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem et hæ partes propria nomina ab uncia, usque ad assem, puta hæc: Sextans, quadrans, triens, quincunx, semix, septunx, bes, dotrans, dextans, deunx, as. »

(42. Quod si minus distribuit Testator, potestate juris in hoc revolvitur: utputa si duos hæredes ex quadrante scripserit, nam hæreditas ejus residua accedit, ut scripti ex semissibus videantur, l. 13, § 2, ff. dict. tit. *de Hæred. instituend.* Pariter si hæredes scripti sint alter ex quadrante, alter ex semisse, quadrans adhuc superest, qui pro partibus hæreditariis ipsi accrescit; dict. l. 13, § 3, ff. dict. tit. *de Hæred. instit.* Quod si duodecim uncias excesserit in divisione, æque pro rata decrescit; dict. lib. 13, § 4, ff. dict. tit. *de Hæred. instit.*

(43. Fluunt ex hac solemni distributione, et aliæ plures decisiones in lib. 14 ff. dict. tit. *de Hæred. instit.* relatæ, de quibus an laborandum sit hodie dubitare vel ex hoc potest, quod naturales constituuntur portiones pro lubitu Testatoris, ac propterea si

Digitized by Google

adscriptæ sint omnibus partes suæ, recurrere minime oporteat ad solemnem partium distributionem, sed dividenda sit hæreditas in tot partes, quot assignavit Testator. De cætero si non omnibus partes sint adscriptæ, recurri et nunc debet ad solemnem distributionem partium, idque quia alias constare haud potest, quid ei, qui sine partibus est scriptus hæres, assignari debeat. Confer Stryk. in us. modern. pandect. lib. 28, tit. 6, § 10.

HÆRES.

SUMMARIUM.

Hæres unde dictus, et quis sit. — 2. Hæres alius est ab intestato, et alius ex Testamento, et quis sit uterque. — 3. Hæres ex Testamento alius est universalis, et alius particularis, et quis sit uterque. — 4. Hæres ex Testamento rursus alius est necessarius, et alius non necessarius, seu voluntarius, et quis sit uterque. — 5. Hæres insuper alius est suus, et alius non suus, et quis sit uterque. — 6. Hæres potest esse omnis, qui non prohibetur. — 7. Hæredes qui non possunt esse, enumerantur. — 8. Fratres Minores de Observantia, Reformati, et Capuccini nequeunt institui hæredes. — 9. Particulares Professi Societatis Jesu, et Coadjutores vota formata habentes nequeunt esse hæredes; sicut nec etiam possunt Collegia, et domus ejusdem Societatis ratione alicujus talis Professi, aut vota formata habentis, quamvis possint sine contemplatione suorum Professorum. — 10. Alii Ordines omnes, eorumque Professores etiam Mendicantes, quibus permissum est bona stabilia in communi possidere, possunt esse hæredes, sive ex Testamento, sive ab intestato. — 11. Monasterium ratione sui Monachi hæreditatem delatam adire potest ipso Religioso ignaro, et invito, vel ante additionem mortuo, Religiosus vero etiam adire nequit absque Prælati, vel Monasterii mandato. — 12. Religiosus ad Episcopatum translatus, quamvis fuerit Ordinis Mendicantium, et etiam Ordinis Minorum, est capax hæreditariæ successionis, ita tamen, ut bonorum sola administratio ipsi acquiratur; Dominium vero cui præest. — 13. Assignatur ordo succedendi ab intestato. — 14. Hæredibus descendentibus, nulla interveniente legitima causa exhæredationis, debetur semper Legitima, quæ est Triens, si non sint plures, quam quatuor: et Semis, si sint plures, quam quatuor: in quo numero computandi sunt etiam ii, qui hæreditati renunciarunt; non tamen, qui legitime sunt exhæredati. — 15. In defectu descendentium Legitima ascendentium est Triens. — 16. Legitima debet relinqui sive descendentibus, sive ascendentibus hæredibus sine ullo onere, aut gravamine. — 17. Si alicui descendenti, aut ascendenti relinquatur pro Legitima minor portio quam supra assignata, competit et actio duratura ad 30 annos ad petendum complementum legitimæ. — 18. Si vero sine justa exhæredandi causa non solum minor portio, sed nulla relinquatur pro Legitima, Testamentum est ipso jure nullum, quoad alterius hæredis institutionem, non item quoad Legata, commissa,, et alia, et præterito hæredi competit actio 30 annorum ad testamentum nullum dicendum. — 19. Si autem legitima causa exhæredationis sit Testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi querela inofficiosi Testamenti per quam evacuabit Testamentum quoad hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium. — 20. Pater, quamvis non teneatur instituere hæredes filios naturales, si tamen filiis legitimis careat, potest eos instituere, et eis quomodolibet sua bona relinquere, dummodo Parentes, si supersint, Legitima non priventur. — 21. Si autem Filios legitimos habeat, non potest Pater relinquere filiis naturalibus plusquam unam hæreditatis unciam. — 22. Matri tamen filii naturales succedunt cum legitimis, tam ex testamento, quam ab intestato, ubi Jus commune observatur. — 23. Filii vero spurii succedere non possunt nec patri, nec matri, neque per Testamentum, neque ab intestato, neque per substitutionem. Licet possint in defectu hæredum necessariorum institui hæredes ab Avo. — 24. Tenentur tamen parentes alere ipsos spurios. — 25. Hæredes patris habent eamdem obligationem alendi spurium, si pater non providerit. Item ascendentes paterni, si pater, aut hæredes deficiant. — 26. Hæres semel non potest desinere esse hæres. — 27. Limitatur tamen conclusio ex causa superveniente, cum tunc possit desinere esse hæres. — 28. Hæres hæredis reputatur etiam hæres primi Defuncti. — 29. Dictio *Hæres* comprehendit tam masculos, quam feminas in materia indifferenti, secus in materia differenti, et ubi constat de contraria mente statuentium. — 30. Hæres Tutoris tenetur de neglectis et ad usuras pupillares. — 31. Hæres uxoris tenetur alere Maritum inopem. Prout tenetur præstare evictionem Viro, cui bona Fideicommissi in Dotem constituta sunt, quando evictio fuit promissa. — 32. Deficiente hærede scripto ante Testatorem, hæreditas devolvitur hæredi ab intestato. — 33. Hæredis voluntas servanda est circa funera Defuncti. — 34. Hæredes Defunctorum pro illis ad sepulturam associandis numerum ceræ sibi benevisum, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obstante, subministrare valent. — 35. Hæredes defunctorum possunt vocare numerum Religiosorum sibi benevisum in deferendis cadaveribus ad Ecclesias. — 36. Affertur pro hoc Decretum in Alexandrina, et novissima dispositio Benedicti XIII, ac ulterius Decretum in Albinganensi, non obstante Synodo Provinciali, ac concordia. — 37. Hæres ab intestato tenetur solvere legatum pium relictum in testamento profano nullo. — 38. Hæres detrahit Trebellianicam contra Ecclesiam mediate substitutam, data cautione restituendi eam, si substitutio purificabitur pro Ecclesia. — 39. Hæres ex Testamento per lapsum triginta annorum præscribit contra Legatarios vel Cohæredem. — 40. Hæres personæ excommunicatæ præstet cautionem de satisfaciendo parti antequam excommunicatus Defunctus absolvatur. — 41. Successio in hæreditate bonorum omnium Sacerdotis mortui absque hærede spectat ad Episcopum, non ad Cameram Ducalem, ad effectum disponendi juxta regulas Canonicas. — 42. Hæres institutus sub conditione ne mulierem inhonestam in uxorem ducat, hæreditatem amittit, si idem præceptum non servat, — 43. Hæredem qui vult facere Ecclesiam, consanguineis exhæreditis, alium quærat quam Augustinum, imo Deo propitio neminem inveniet. — 44. Hæredes, aliique executores post hæreditatem aditam, et inventarium confectum, statim tenentur solvere Legata, et alia exsequi, quæ Defunctus præceperat, nisi justo impedimento excusentur, et ad hoc a Judice cogi possunt. — 45. Hæredes, aliique executores tenentur adimplere Defuncti voluntatem intra annum, computandum non a die monitionis factæ per Judicem, et si semel moniti negligunt, perdunt totum id, quod eisdem alias ex Testamento competit, sive hæreditas, sive Legatum sit. — 46. Limitatur tamen hæc pœna privationis totius hæreditatis in hæredibus necessariis, tam descendentibus, quam ascendentibus, etc. — 47. Relicta ad pias causas integre solvi debent ab hæredibus, aliisque executoribus infra sex menses a die insinuationis Testamenti numerandos, et assignatur pœna in transgressores. — 48. Si hæredes, aliique executores his admoniti ab Episcopo, dispositiones Testatoris ad causas pias adimplere neglexerint, etiam ante annum elapsum privantur omnibus commodis ex Te-

Digitized by Google

stamento eisdem alias competentibus. — 49. Si autem hæredes negant Legata esse relicta Ecclesiæ, vel aliis causis, condemnati sunt in duplum. — 50. Si hæredes, aliique executores semel admoniti intra annum dispositionem a Testatore factam præsertim circa causas pias adimplere neglexerint, potestas exequendi devolvitur ad Episcopum. — 51. Quod si bis admoniti talem dispositionem adimplere neglexerint, etiam ante annum dicta exequendi potestas ad Episcopum devolvitur. — 52. Imo multi sustinent Episcopum, hærede, vel executore negligente, succedere in facultate exequendi etiam non ad pias causas. — 53. An, et quando hæres possit, vel debeat assignare fundum pro Capellania, et certa Missarum celebratione. — 54. Quantitas Candelæ per Canonicos gestandæ taxanda est arbitrio hæredum, nec ultra candelam Canonici aliud prætendere possunt. — 55. An hæredes defunctorum circa cadavera adhibere possint quantitatem ceræ sibi benevisam, seu potius attendenda, si quæ sit consuetudo. — 56. An presbyteri dictæ Ecclesiæ valeant prohibere sonum campanarum tam de tempore obitus, quam delationis cadaveris ad aliam Ecclesiam, et quod emolumentum Sacristæ ab hæredibus debeatur. — 57 ad 62. Hæredibus licet Parochum duntaxat ad funus vocare, sed si velint alios presbyteros, præferendi sunt presbyteri Ecclesiæ Parochialis, et receptitiæ in numero ipsi hæredibus beneviso. — 63. 64. Hæredum divisio. — 65 ad 73. Quotuplex sit hæredis institutio. — 74 ad 79. De modo instituendi.

(1. Hæres (cujus nomen derivatur ab *Hero*, quia Veteres *Hæredes pro Dominis appellabant*, § final. Instit. *de Hæred. qualit.*) est qui in universum jus defuncti vel Testamento, et dispositione Testatoris, vel ab intestato, et dispositione Legis succedit. Est in re *communis;* et habetur clare ex l. *Hæredem* 59 ff. *de Regul. juris*, ibi. « Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit Defunctis, constat, » et l. *Hæres* 37 ff. *de Acquir. Hæred.* ibi : « Hæres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum Dominium, succedit. »

(2. Hæres alius est ab intestato, et alius ex Testamento, seu institutus. Hæres ab intestato est qui ex dispositione Legis succedit in universum jus illius, qui intestatus decedit, qui nempe, aut omnino Testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum, irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres exstiterit, juxta verba Justiniani princ. Instit. *de Hæred. quæ ab intest.* Hujusmodi Hæredes ab intestato sunt proximi consanguinei intestatorum. Hæres ex Testamento, seu institutus, est qui ex speciali dispositione Testatoris in Testamento instituitur ad succedendum in bonis suis. Est in re communis.

(3. Hæres ex Testamento alius est *universalis*, sive ex *Asse*, qui instituitur ad succedendum in omnibus bonis, et juribus Defuncti, et consequenter ad subeunda etiam omnia onera, seu debita realia ipsius. Alius est *particularis* in parte Hæreditatis aliquota v. g. Sextante, Quadrante, Triente, Semisse; vel *particularis* in re aliqua certa, ac determinata, v. g. in tali agro, domo, et hujusmodi, et talis potius Legatarii loco habetur, adeoque jura, onera et debita Defuncti ad eum nihil pertinent, sed ad Hæredem proprie dictum, qui Defuncti personam, tam quoad jura et commoda quam quoad onera, seu debita, repræsentare debet; l. *Quoties*, Cod. *de Hæred. instit.* Si autem solus Hæres particularis etiam in re aliqua certa ac determinata tantum verbis ipsi directis institutus sit, aut alii Hæredes particulares ante Testatorem mortui sint, reliqua etiam Hæreditas illi accrescere debet; l. 1, § *Si ex fundo*, ff. *de Hæred. instit.*

(4. Hæres ex Testamento rursus alius est *necessarius*, et alius *non necessarius*, seu voluntarius. Necessarius dicitur, quem Testator in portione legitima instituere cogitur, nisi justam exhæredandi causam habeat ex illis quatuordecim assignatis sub verb. *Exhæredatio*, et tales Hæredes necessarii sunt omnes descendentes, et ascendentes legitimi. Hæres non necessarius, seu voluntarius dicitur ille, quem Testator instituere non cogitur, uti sunt omnes tum extranei, tum etiam sanguine vel stirpe conjuncti, sed non in linea recta descendente, vel ascendente, adeoque etiam fratres, et sorores Testatoris defuncti, cujus proinde Testamentum infirmare non possunt, quod præteriti sint, nisi aliquem infamem instituisset; tunc enim ipsis competeret querela inofficiosi Testamenti, nisi et ipsi infames essent, vel de ingratitudine erga Testatorem notati; l. *Fratres* 27, Cod. *de inoffic. Testament.*

(5. Hæres insuper alius est *suus*, et alius *non suus*. Hæres *suus* dicitur proximus descendens in potestate Defuncti mortis tempore existens, etiam posthumus, ac naturalis legitimatus per Matrimonium; § 2 Instit. *de Hæred. qualit.*, ibi : « Sui autem, et necessarii Hæredes sunt veluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, et deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modo fuerint. » Ubi etiam Legislator dat rationem, quare ita vocentur, ibi. « Sui quidem Hæredes ideo appellantur, quia domestici Hæredes sunt. » Item quia Hæreditatem prius quodammodo jam suam obtinent; l. *In suis* 21 ff. *de liberis et posthumis.* Hæres *non suus* dicitur omnis alius Hæres, sive ab intestato, sive ex Testamento constitutus; et talis Hæreditatis Dominium non acquirit, antequam eam adeat, seu voluntarie acceptet, declarando se Hæredem esse velle : § ult. Instit. *de Hæred. qualitat.* Et datur ei anni spatium, postquam sibi Hæreditatem collatam cognovit, ad deliberandum utrumnam adire velit, necne? et interea moriens usque ad finem anni potestatem adeundi ad Hæredes transmittit. Sporer tom. 2, tract. 6, in complem. VII *Præcept. Decal.* cap. 3, sect. 6, num. 116, et alii passim. Et si intra 31 dies a cognita sibi Hæreditate delata inventarium conficere incœperit, et intra alios 60 dies absolverit, non tenetur Defuncti creditoribus debita solvere ultra vires Hæreditatis; leg. ultim. § *Sin autem dubius*, Cod. *de Jure deliberand.* Sporer loc. cit. Layman loc. cit. cap. 6, n. 7.

(6. Hæres potest esse omnis, qui non prohibetur. Communis, ac certa, arg. l. *Non juris* 31 ff. *de Hæred. instit. et princ.* Instit. eod. (7. Prohibetur autem de jure institui Hæredes omnes sequentes. Primo, Judæorum

Digitized by Google

communitas; l. 1 Cod. *de Judæis*. Secundo, Hæretici, eorumque receptores, et defensores. Excipiuntur tamen Lutherani et Calvinistæ, qui saltem in Imperio Romano Hæredes esse possunt vi pacis Monasteriensis. Tertio, Apostatæ a Christiana Fide; l. *Hi qui* 3 Cod. *de Apostatis*. Quarto, qui percutiunt, vel persequuntur Cardinalem; c. *Felicis recordationis* 5, *de Pœnis* in 6. Quinto, Peregrini, qui jus Civitatis Romanæ ex causa pœnæ amiserunt, quales sunt Deportati; l. 1 Cod. *de Hæred. instit.* Secus est de peregrinis sine causa pœnæ, seu alienigenis, hi enim quia facere possunt Testamentum, Authent. *Omnes peregrini*, Cod. *Communia, de Successorib.* etiam Hæredes institui possunt eo quod Testamenti factio activa tanquam nobilior annexam habere soleat passivam. Sexto, damnati ad ultimum supplicium eo quod statim, ac damnantur, evadunt peregrini; leg. *Qui ultimo* 29 ff. *de Pœnis* 8, et *Servi pœnæ* l. 3 ff. *de His quæ pro non script. habentur*. Septimo, liberi rebellium, et perduellium; l. *Quisquis* 5, § 1 Cod. ad Leg. Jul. Majest. Octavo, Spurii ex damnato coitu nati; Authent. *Ex complexu*, Cod. *de Incestuos. nupt.* et Authent. *Licet*, Cod. *de Naturalib. liber.* Nono, ex Testamento, vel ab intestato Hæres esse nequit, qui occidit Testatorem, l. 7, § penult. ff. *de Bonis damnator.* et l. 15, § final. ff. et Cod. J. C. Silaniano. Decimo, nihil capit ex Testamento, qui manifestissime comprobatus est id egisse, ut per negligentiam, vel culpam suam, illa Persona, a qua Hæres institutus est, moreretur; leg. *Indignum* 3 ff. *de His quæ ut indignis.* Undecimo, institui Hæredes non possunt omnes illi qui ob delictum Testamentum facere non possunt; de quibus suo loco sub verb. *Testamentum.*

(8. Duodecimo, vi suæ Regulæ et altissimæ paupertatis Hæredes institui prohibentur Fratres Minores de Observantia, Reformati, et Capuccini. Clement. *Exivi*, § *Quia igitur, de Verb. signific.* et expresse Concil. Trid. sess. 25, cap. 3, *de Regular.* (9. Tertiodecimo, non solum particulares Professi, et Coadjutores vota formata habentes, sed nec etiam Collegia et Domus Societatis Jesu, ratione alicujus talis Professi, aut vota formata habentis possunt succedere in hæreditatem, vel esse hæredes, sive ex Testamento, sive ab intestato; part. 6, *Constit.* cap. 2, § 12, ibi: « Non solum particulares Professi, et Coadjutores formati Hæreditariæ successionis non erunt capaces; verum nec Domus, nec Ecclesia, nec Collegia eorum ratione; sic enim omnibus litibus, ac controversiis præcisis, Charitas cum omnibus ad Dei gloriam melius conservabitur. » Sic Sanchez lib. 7, cap. 27, num. 16, 24. Layman. lib. 3 *de Justitia*, tract. 5, cap. 5, nu. 3. Molina tom. 1, tractat. 2. disp. 139. vers. *Tam professi*, juncta disp. sequent. Possunt tamen Societatis Jesu Collegia, et Domus Hæreditates accipere, dummodo non deferatur contemplatione suorum Professorum; part. 6. Const. cap. 2, § 5, et docet Sanchez lib. 7, c. 27, n. 15. Molina tom. 1, tract. 2, qu. 195. verb. *Regula*, Layman. loc. cit. sub num. 4.

(10. Alii Ordines omnes, eorumque Professores, etiam Mendicantes, quibus permissum est bona stabilia in communi possidere, possunt esse Hæredes sive ex Testamento, sive ab intestato; l. ultim. § *Hoc etiam*, Cod. *de Episcop. et Cleric.* Et ratio est, quia licet Religiosi per votum solemne paupertatis privati sint omni jure et proprietate per se, et pro se in particulari, manent tamen capaces jurium, quatenus sunt membra Communitatis capacis ejusmodi jurium in communi, atque adeo Hæredes esse possunt sive ex Testamento, sive ab intestato; cum hoc tamen, quod ratione suæ Professionis emissæ omnia eorum bona ac jura (excepta portione legitima Hæredibus necessariis sive descendentibus, sive ascendentibus debita) in Monasterium transeunt ipso facto absque alia apprehensione, quia transeunt accessorie ad ipsam personam transeuntem in Monasterium, Authent. *de Monachis*, § *Illud quoque*, ibi: « Ingredientem namque simul sequuntur omnino res; » Authent. *Si qua mulier, de SS. Ecclesiis;* l. ult. § *Hujus autem*, Cod. *de Episcop. et Cleric.* cap. *Abbates* 16. caus. 18, quæst. 2. (11. Hinc Monasterium ratione sui Monachi Hæreditatem delatam adire potest etiam ipso Religioso ignaro, et invito, vel ante aditionem mortuo; Religiosus vero eam adire nequit absque Prælati, vel Monasterii mandato: quia Religiosus professus propter paupertatis votum est incapax sibi acquirendi, sed omnia ejus bona, et jura ex Hæreditate, legato, donatione, industria, vel quovis alio titulo acquisita ad Monasterium transeunt; quidquid enim acquirit Monachus, acquirit Monasterio; c. *Statut.* 1. caus. 18. qu. 1. cap. *Abbates*, 6. Caus. 18. q. 2. cap. *Quia ingredientibus* 7. caus. 19, q. 3, cap. *In præsentia* 8. *de Probationib.* et sic contra Legistas docet communis Theologorum, et Canonistarum, quos citant, et sequuntur Rodriq. tom. 2. qq. *Regular.* q. 77, art. 1. Sanch. lib. 7. *Moral.* cap. 12. quæst. ult. Molina tom. 1, tract. 2, disp. 140. Covarruv. c. 1 *de Testament.*, n. 1. Layman loc. cit. n. 7. (12. Religiosus ad Episcopatum translatus, quamvis fuerit Ordinis Mendicantium, et etiam Ordinis Minorum, est capax Hæreditariæ successionis, ita tamen, ut bonorum sola administratio ipsi acquiratur, Dominium vero Ecclesiæ cui præest; Rota in Urgellen. Hæreditatis 24 Maii 1619, par. 4. recent. tom. 2, dec. 115, n. 22. Bartol. in tract. Minorum lib. 4. dist. 3, cap. 3, cum aliis allegatis arg. cap. *Statutum* 1, caus. 18. quæst. 1. Vide verb. *Episcopus*, art. 7, n. 11, 12, 13 et sequent.

(13. Hæredes ab intestato succedunt sequenti ordine. Primo, ante omnes legitimi liberi, tum mares, tum feminæ dominii capaces, æqualibus portionibus, in quorum mortuorum locum succedunt nepotes in stirpem, non in capita, *Novella Justiniani* 118, collat. 9, c. 1. Secundo, deficientibus liberis, ac nepotibus descendentibus, succedunt pater, et mater Defuncti, si superstites sint; si vero superstites non sint, in locum Patris succedunt avus, et avia paterna, et in locum

Digitized by Google

matris avus, et avia materna; Authent. *de Hæred. ab intestato.* Tertio, deficientibus tam descendentibus, quam ascendentibus, succedunt fratres et sorores Defuncti ex utraque parte conjuncti æquis portionibus, exclusis iis, qui ex solo patre, vel sola matre conjuncti sunt, atque in illorum mortuorum locum etiam succedunt nepotes; Auth. *Itaque*, Cod. Communia, *de Successionibus.* Quarto, deficientibus fratribus, et sororibus ex utraque parte conjunctis, ac eorum filiis, succedunt fratres, ac sorores ex una tantum parte conjuncti respective ad bona profecta, ut qui ex parte patris conjuncti sunt, succedant in bonis a patre profectis, et qui ex parte matris conjuncti sunt, succedunt in bonis a matre provenientibus, in reliquis communibus bonis æqualiter omnes, ut docet Glossa communiter recepta in cit. Auth. *Itaque*, Cod. Communia, *de Successionibus.* Quinto, deficientibus omnibus fratribus, et sororibus, eorumque filiis, succedunt propinquiores collaterales usque ad decimum gradum, civili computatione facta æquali divisione in capita, nulla habita ratione, utrum ex utraque, vel ex una tantum parte conjuncti sint, dummodo in eodem gradu vicinitatis conjuncti sint; Auth. *de Hæredib. ab intestato* c. 3, et Authent. *post fratres*, Cod. *de Legitimis Hæredibus.* Sexto, deficientibus etiam Hæredibus collateralibus usque ad decimum gradum, succedit conjux Defuncti, nisi inter eos fuerit divortium; l. unic. ff. et C. *Unde vir et uxor.* Septimo denique, si ab intestato decedentis, neque consanguineus ullus, neque uxor exstet, succedit Fiscus in omnibus bonis. Laici quidem ab intestato defuncti, Fiscus sæcularis, clerici vero sic ab intestato defuncti Fiscus Ecclesiasticus; l. *Vacantia* 4, Cod. *de Bonis vacantibus*, et cit. l. unic. Cod. *Unde vir et uxor.* Vide tamen verb. *Successio ab intestato*, ubi fusius de omnibus.

(14. Hæredibus descendentibus, scilicet filiis, ac in illorum defectu nepotibus, si non adsit aliqua justa causa ex illis quatuordecim assignatis sub verb. *Exhæredatio*, eos exhæredandi, debetur semper legitima portio, quæ est Triens Hæreditatis, si non sint plures liberi quam quatuor; et semis, si sint plures quam quatuor; Authent. *de Triente, et Semisse*; Authent. *Novissima*, Cod. *de inofficios. Testament.* In supradicto descendentium numero computandi sunt etiam, qui Hæreditati renunciarunt, non tamen qui legitime sunt exhæredati, aut ob Religionis Professionem incapaces facti sunt: Cum hoc tamen discrimine, quod liberi immediati eorumque nepotes singulares de illa portione legitima participent in capita nepotes autem unius plures, tanquam unius patris personam repræsentantes, etiam unius tantum portionem participent in stirpem; Instit. *de Hæredibus ab intestato*, § *Cum filius.* Unde dantur communiter sequentes versus:

> Quatuor, aut infra dant natis Jura Trientem;
> Semissem vero dant natis quinque vel ultra.

(15. In defectu autem descendentium, legitima portio ascendentium est semper *Triens* Hæreditatis, immediate debita parenti utrique, vel uni superstiti, et neutro superstite in locum patris succedunt avus, vel avia paterna, et in locum matris avus, vel avia materna; Authent. *de Hæred. ab intestato.* (16. Talis autem legitima portio debet relinqui omnibus supradictis Hæredibus sine ullo onere, aut gravamine; alioquin apposita onera, et gravamina habentur pro non appositis; l. *Quoniam*, Cod. *de Inoffic. Testament.*

(17. Quod si alicui descendenti, aut ascendenti relinquatur pro legitima minor portio quam supra assignata, competit ei actio ad petendum complementum Legitimæ, quæ actio durat ei usque ad 30. annos; l. *Omnimode*, Cod. eod. et Authent. *Et cum de appellat. cognoscitur*, § *Hæc autem disposuimus*, et sic ex communi sententia Gomez 1 resolut. c. 11, n. 23. Molina disp. 177. Layman loc. cit. num. 11. (18. Si vero sine justa exhæredandi causa non solum minor portio, quam assignata, sed nulla relinquatur pro Legitima, Testamentum ipso jure est nullum, quoad extranei Hæredis institutionem (non item quoad Legata, Commissa, et alia) Authent. *Ex causa*, Cod. *de Liberis præteritis*; et præterito Hæredi competit actio triginta annorum ad Testamentum nullum dicendum; Glossa communiter recepta in l. *Licet.* verb. *Longe*, Cod. *de Jure deliberandi.* (19. Quod si autem legitima causa exhæredationis sit Testamento inserta, sed ab Hærede instituto probari non possit, tunc competit Hæredi necessario querela inofficiosi Testamenti, per quam evacuabit Testamentum quoad Hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium; l. *Si quis filium* 3, leg. *Scimus* 36, Cod. *de Inoffic. Testam.* et ex communi docet Jul. Clarus q. 40, num. 5.

(20. Pater, quamvis non teneatur instituere Hæredes filios naturales, si tamen filiis legitimis careat, potest eos instituere, et eis quomodolibet sua bona relinquere, dummodo parentes, si supersint, legitima portione non priventur; Auth. *Licet*; Cod. *de Naturalibus liberis.* (21. Si autem filios legitimos habeat, non potest pater relinquere Filiis naturalibus plusquam unam Hæreditatis unciam, seu duodecimam partem; Authent. *Quibus modis naturales efficiantur sui: et cit.* Authent. *Licet*; Cod. *de Naturalib. liberis.* (22. At vero matri filii naturales succedunt cum legitimis tam ex Testamento quam ab intestato, ubi jus commune observatur; leg. 5. *Si qua Illustris*, Cod. *ad S. C. Orificianum.* (23. Filii vero spurii ex damnato coitu nati succedere non possunt nec patri, nec matri, neque per Testamentum, neque ab intestato, neque per substitutionem; l. *Si quis incesti*, Cod. *de Incestis nuptiis*, leg. 1 Cod. *de Naturalibus liberis*, Novella 74, c. 4 et 6. Licet possit spurius in defectu Hæredum necessariorum institui Hæres ab avo, licet sit natus ex filio spurio ejusdem avi, quia ille, qui instituitur, non est Filius spurius Testatoris, sed nepos, et cit. Leges loquuntur solum de spuriis filiis, et non de nepotibus; et a fortiori possit institui ab avo filius legitimus,

Digitized by Google

vel naturalis filii spurii, quia ille nepos non est spurius; Lugo *de Justit. et jure* disp. 2, n. 116, cum Sanchez, et Vasquez ibi citatis; et plures alii. (24. Tenentur tamen parentes alere ipsos filios spurios; cap. *Cum haberet* 8, *de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluerat adulterio*, ibi in fine: « Sollicitudini tamen tuæ interest, ut uterque parentum liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, » *Necessaria subministret*; vid. verb. *Filius* a n. 126. (25. Hæredes patris habent eamdem obligationem alendi spurium, si Pater non providerit; Lugo de *Justit. et jur.* d. 24, num. 125. La Croix lib. 3, part. 2, num. 1167, et alii. Item ascendentes paterni, si pater, aut Hæredes deficiant; Lugo loc. cit. n. 136. La Croix loc. cit. n. 1167.

(26. Hæres semel non potest desinere esse Hæres; Rota part. 4, tom. 2, dec. 466, num. 3 et 6, part. 5, tom. 2, decis. 486, part. 12, decis. 322, num. 22. (27. Limita tamen ex causa superveniente, cum tunc possit desinere esse Hæres; Rota part. 2, dec. 75, n. 11. (28. Hæres Hæredis reputatur etiam Hæres primi Defuncti; Rota part. 9, tom. 1, dec. 301, part. 14, dec. 227, num. 2. (29. Dictio *Hæres* comprehendit tam masculos, quam feminas in materia indifferenti; Rota part. 9, tom. 2, decis. 383, num. 16. Secus autem in materia differenti, et ubi constat de contraria mente statuentium, quo casu restringitur ad solos masculos, ib. num. 17. (30. Hæres Tutoris tenetur de neglectis, et ad usuras pupillares, Rota part. 11, dec. 69, n. 3. (31. Hæres uxoris tenetur alere maritum inopem; Rota part. 18, tom. 1, dec. 30, num. 1. Prout tenetur præstare evictionem viro, cui bona Fideicommissa in dotem constituta sunt, quando evictio fuit promissa; Rota part. 18, tom. 2, dec. 606, n. 4. (32. Deficiente Hærede scripto ante Testatorem, Hæreditas devolvitur Hæredi ab intestato: Rota part. 11, dec. 84, num. 1.

(33. Hæredis voluntas servanda est circa funera defuncti; Sac. Congr. Rit. in Ferrarien. 7 Sept. 1613, apud Aldan. in compend. Canonic. resol. lib. 2, tit. 8, num. 26. (34. Hæredes Defunctorum pro illis ad sepulturam associandis numerum ceræ sibi benevisum, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obstante, subministrare valent; Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Cassanen. 5 Maii 1617, penes Aldan. loc. cit. num. 27. (35. Hæredes Defunctorum possunt vocare numerum Religiosorum sibi benevisum in deferendis cadaveribus ad Ecclesias; Sacr. Congr. Rit. in Camerinen. 21 Nov. 1627, penes Barbosam in summa Apostolic. decis. verb. *Hæres*, num. 3, et eadem Sac. Cong. sub die 14 Jan. 1649. Electio, et numerus Religiosorum pro associandis cadaveribus, ad libitum Hæredum Defunctorum spectat, et pertinet, et ita ubique servatur, prout antea Congr. Rit. decrevit 14 Januarii 1649. Sic Sacr. Congr. Conc. 30 April. 1660. Item eadem Sacr. Congr. Concil. in Papiens. 27 Decemb. 1667, decrevit ut sequitur: « Non sunt a Parochis cogendi, et compellendi Defunctorum Hæredes, ut si duodecim v. g. Fratres vocent ad associandum Cadaver totidem omnino pares numero Clericos seculares vocare debeant; » et sic sæpe sæpius tum Sac. Cong. Rit., tum Sac. Congr. Conc., tum Sac. Congregat. Episcop. et Regul. et signanter in Alexandrina 10 Sept. 1688, ut sequitur.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

(36. « Il Guardiano de' Minori Osservanti del Convento di S. Bernardino nella Città d' Alessandria umilissimo Oratore dell'EE. VV. riverentemente espone, che essendo morto in detta Città il quond. Giovanni Vitali, e dovendosi seppellire nella Chiesa del l'oratore, e perciò invitati tutti i suoi Religiosi ad accompagnare il Cadavere, pretesero li Signori Canonici della Cattedrale impedire il trasporto di quello, asserendo doversi chiamare a tal accompagnamento in egual numero i Sacerdoti Secolari, e Regolari; ma perchè Monsignor Vescovo, attese le buone ragioni dell'Oratore decretò a suo favore, li Canonici fecero protesta di non esser con quell'atto pregiudicati. Ricorre pertanto esso Guardiano alla retta giustizia delle EE. VV. supplicandole, che come altre volte, e da cotesta Sac. Congregazione, e da quelle del Concilio, e de' Riti, è stato determinato, che sia in arbitrio degli Eredi del Defunto chiamare i Religiosi, e Preti secolari in qual numero più gli piaccia degli uni, e degli altri, così vogliano degnarsi determinare ancora nel presente caso, che, ec.

« Sacra Congreg. Eminentissimorum, et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, attentis narratis, censuit Oratori dandam esse declarationem alias editam, nempe esse ad libitum disponentium, seu ipsorum hæredum convocationem Cleri, et Fratrum, quos ipsi maluerint. « Romæ, 10 Septemb. 1688.

« G. CARD. CARPINEUS
B. Panciaticus Secret. »

Et hoc Decretum reperitur Authenticum in Archivio hujus Conventus S. Bernardini Alexandriæ. Et idem statuit Alexander VII, Constitut. incip. *Alias* apud Theatr. Regular. verb. *Sepultura*. Et sic novissime etiam Bened. XIII, Constit. incip. *Pretiosus*, § 70, ibi: « Volentes numerum Fratrum associare debentium fore libere determinandum per hæredes defuncti, nullo habito respectu ad numerum Clericorum sæcularium. » Et idem jam decreverat Sac. Congr. Episcop. et Regularium in Albinganen. non obstante Synodo Provinciali, ac concordia, et affertur Decretum ad litteram.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signor.

« Il Priore, e Frati del Convento di S. Agostino della Terra della Pieve, Diocesi d' Albenga, riverenti espongono all' EE. VV. come per la morte del già Pietro Gherardi, che si aveva eletta la sepultura nella Chiesa degli Oratori, l'Arciprete Curato di quella Collegiata pretese di non voler andare a levare quel Cadavere, che era nella sua Parroc-

Digitized by Google

chia, mentre si osserva una concordia seguita fra loro, e praticata fin' ora da molti anni in qua, che quando intervenivano alla detta Associazione due Regolari, dovessero anche intervenirvi col Curato due Preti del Clero, tanto più per esser ciò stato disposto, e decretato dal Sinodo Provinciale di Genova, confermato nel 1574 dalla Sac. Congregazione del Concilio d' ordine del Sommo Pontefice di quel tempo a relazione della medesima Sac. Congregazione, ed anco con lettere di questa Sac. Congregazione del 1600, che ne ordinò l'osservanza. E perchè gli Eredi del detto Gherardi nell' Associazione di detto Cadavere non vi vollero che li Frati di S. Agostino, ed il solo Arciprete Curato, quale ricusò d' andarvi, mentre non v' interveniva tutto il Clero, e non si osservava detta concordia, e Sinodo; onde gli Oratori levarono il Cadavere, e lo condussero alla Chiesa, per dargli sepoltura senza l' Arciprete. Per tanto li medesimi Oratori reclamando da tal Decreto e concordia supplicarono umilmente l' EE. VV. dichiarare esser lecito, ed in arbitrio de' Defunti, o de' suoi Eredi, o che abbiano, o che s' eleggano sepultura nella Chiesa de' Regolari, di poter chiamare quanti e quali Regolari vogliono per associazione di Cadaveri alle dette loro Chiese de' Regolari, benchè non vi siano chiamati Preti, o alcun de' Preti Secolari; purchè non s'escluda il Parroco. Ed essendo state da questa Sacra Congregazione maturamente considerate, e discusse le ragioni addotte da ambe le parti, proponente l' Eminentissimo Sign. Cardinale d' Elci, fu risoluto, e dichiarato sotto li 23 Nov. 1663.

« Synodum non comprehendere Regulares in casu de quo agitur. Ideoque esse ad libitum disponentium, seu ipsorum hæredum convocationem Cleri, et Fratrum, quos ipsi maluerint non attenta præfata concordia; cæterisque in contrarium allatis non obstantibus quibuscunque, etc.

« Alla quale dichiarazione, e Decreto non quietandosi il medesimo Arciprete, e Collegiata, hanno con nuove istanze, e motivi fatto nuovamente ricorso a questa medesima Sacra Congregazione per la moderazione, e revocazione di detta dichiarazione, o Decreto.

« Supplica perciò Fr. Geronimo Valvasori da Milano Procuratore Generale di S. Agostino, unitamente con gli Oratori l'EE. VV. Reverendissime di confermare la suddetta resoluzione. Che, ec.

« Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, attentis narratis, reque denuo, auditis Partibus, Eminentissimo Ilcio referente, mature discussa, statuit, ac decrevit standum esse in decisis, quibuscunque non obstantibus.

« Romæ, 27 Martii 1664.

« M. CARD. GINETTUS,

« Loco † Sigilli.

« *E. Episc. Camer. Sec.* »

(37. Hæres ab intestato tenetur solvere legatum pium relictum in testamento profano nullo; Rota part. 6, recent. decis. 108, num. 23 et 24, et late part. 19, tom. 1, decis. 484, num. 3, et in Cæsaraugustana Testamenti 9 Martii 1671, decis. 65, numer. 14, part. 17, recent. Card. Petra tom. 2 Comment. ad Const. 10 Innocent. III, et alii passim. (38. Hæres detrahat Trebellianicam contra Ecclesiam mediate substitutam, data cautione restituendi eam, si substitutio purificabitur pro Ecclesia; Sabell. diversor. tract. vers. Trebellianica, num. 20, citans plures alios; Card. Petra l. c. n. 76, et alii passim. (39. Hæres ex Testamento per lapsum triginta annorum præscribit contra Legatarios, vel cohæredem; Archaran. in cap. *Sine possessione*, n. 7, in fin. *de Regul. jur.* in 6. Bald. *de Præscrip.* part. 3, qu. 13, num. 9. Pax Jordan. tom. 2, l. 10, tit. 7, num. 306, et tom. 3, l. 14, tit. 24, n. 26. Card. de Luca de credit. disc. 131, num. 21. Card. Petra tom. 1, comment. ad Constitut. 4, Honorii III, num. 98, citans Rotam, et varios alios.

(40. Hæredes personæ excommunicatæ præstent cautionem de satisfaciendo parti, antequam Excommunicatus Defunctus absolvatur; Sacr. Cong. *Immun. in Aquilana* 13 Aug. 1689, lib. 1 decret. Altovit., pag. 387. (41. Successio in hæreditate bonorum omnium Sacerdotis mortui absque hærede spectat ad Episcopum, non ad Cameram Ducalem, ad effectum disponendi juxta regulas Canonicas; Sacr. Cong. *Imm. in una Burgi S. Domnini* 26 Augusti 1689, lib. 1 *Decret. Altovit.*, pag. 190. (42. Hæres institutus sub conditione ne mulierem inhonestam in uxorem ducat, hæreditatem amittit, si idem præceptum non servat; Sac. Congr. Conc. *in nullius* 19 Decemb. 1626, lib. 13 Decr., fol. 162. (43. Hæredem qui vult facere Ecclesiam, Consanguineis exhæreditatis, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum, imo Deo propitio neminem inveniet; cap. *Quicumque* 43, caus. 17, q. 4, ex verbis S. Augustini serm. 52, de *Vita Clericor.*

(44. Hæredes, aliique executores post hæreditatem aditam, et inventarium confectum statim tenentur solvere legata, et alia exequi, quæ Defunctus præceperat, nisi justo impedimento excusentur, et ad hoc a Judice cogi possunt; l. *Cum res* 47, *in princ.* ff *de Legatis* 1, l. *Si Domus* 71, § in Pecunia, ff. eodem, c. *Si hæredes* 6, *de Testam.* Quamvis enim hæredes aliique executores non incurrant pœnam ab ipso jure statutam, nisi intra tempus a jure determinatum voluntatem Testatoris exequi negligant, potest tamen Episcopus per Censuram Ecclesiasticam, vel etiam alius Judex per interdictum administrationis bonorum defuncti, vel alias pœnas arbitrarias, etiam ante annum, compellere hæredes et executores testamentarios ad implendam voluntatem defuncti, non tantum quoad causas pias sed etiam profanas, nam hæres cum primum potest, tenetur solvere Legata, et alia relicta in Testamento per leges citatas; Abbas in cit. cap. *Si hæredes*, num. 5. Covarruv. ibid. num. 4. Card. ibid.

Digitized by Google

Pirhing lib. 3 *Decret.*, tit. 26, num. 129, Reiffenstuel ibid. n. 792. et alii. Dominium enim rei Legatæ adita hæreditate statim transit in Legatarium, § *Nostra autem*, Instit. de Legatis, et ibi Gloss. verb. *Per in rem*, juncta additione et l. A Titio 64 ff. *de Furt.*

(45. Hæredes, aliique executores tenentur adimplere Defuncti voluntatem intra annum computandum non a die mortis Testatoris, sed a die monitionis factæ per Judicem, et si semel moniti negligant, perdunt omne id, quod eisdem alias ex Testamento competit, sive hæreditas, sive Legatum sit, textu expresso in Authent. *Hoc amplius*, Cod. *de Fideicomm.* ibi : « Monitus a Judice intra annum non implet; » et Novell. 1, cap. 1, § 1, cap. *Nos quidem* 3 de Testamentis, ibi: « Ut eam commoneas, quatenus infra annum, » etc., et ibi : Fagnanus n. 2. Abbas antiquus, num 2. Hostiens. num. 2. Joan. Andr. num. 6 Archaran. num. 5 et 6. Butrius num. 9. Abbas Siculus num. 3 et alii passim. Et concordat Authent. *de Hæred. et Falcid.* § Si quis autem, in princip. cap. 1, collat. 1, ubi etiam una tantum monitio, ut præcedat, requiritur : idem etiam desumitur ex cap. *Si hæredes* 6, *de Testamentis*, ibi : « Si hæredes jussa Testatoris non adimpleverint (supple intra annum juxta cit. Authent. *Hoc amplius* et citat. cap. *Nos quidem*) ab Episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, Canonice interdicatur, cum fructibus, et cæteris emolumentis, ut vota Defuncti adimpleantur. » Ratio autem hujus pœnæ privationis datur in l. *Si patroni* 55, § Sed nec illud. ff ad S. C. Trebell. dicitur : « Cur enim non videatur indignus, ut qui destruit supremas Defuncti preces, consequatur aliquid ex voluntate? »

(46. Limitatur tamen hæc pœna privationis totius hæreditatis in hæredibus necessariis tam descendentibus quam ascendentibus, qui licet sint negligentes in adimplenda ultima voluntate Testatoris, non ideo tamen debent privari sua Legitima, quæ illis non ex voluntate Testatoris sed juris dispositione obvenit, et quasi jure naturæ est debita; citat. Authent. *Hoc amplius*, Cod. *de Fideicomm.* Abbas in cit. cap. *Si hæredes*, num. ult. et ibid. Covarruv. n. 9. Pirhing. loc. cit. n. 126. Reiffenstuel loc. cit. num. 794 et alii. Nisi forte hæreditas sit talis, quæ dividi non possit, uti sunt regna, ducatus, et hujusmodi; arg. cap. *Licet.* 6, *de Voto*, ubi filio regis Hungariæ indicitur privatio regni, si defuncti patris voluntatem non adimpleat; Cum enim regnum dividi non possit, ideoque nec legitima ex eo detrahi potest; Gloss. ibidem verb. *Privandum*, Silvester verb. *Testament.* 2, qu. 10, dist. 3. Pirhing. loc. cit. num. 126. Reiffenst. loc. citat. num. 794, et alii.

(47. Relicta ad pias causas integre solvi debent ab hæredibus, aliisque executoribus infra sex menses a die insinuationis Testamenti numerandos; et si intra tale tempus cessante legitimo impedimento id negligant, debent in pœnam restituere Legata cum omnibus fructibus, et omni augmento, et emolumento, quod a tempore mortis Testatoris ex iis percipi potuit; Authent. *de Eccles. Titul.* § Si autem hæres, versic. Si autem Legatum, cap. 12, *collat.* 9. Fagnan. in cit. cap. *Nos quidem* 3, *de Testament.* num. 7 et 8. Pirhing loc. cit. n. 127. Reiffenstuel loc. cit. num. 796, et communis aliorum. (48. Quod si hæredes, vel alii executores bis admoniti ab Episcopo dispositionem Testatoris ad causas pias adimplere neglexerint, etiam ante annum elapsum privantur omnibus commodis ex Testamento eisdem relictis competentibus; textu expresso in citat. Authent. § Si quis autem pro redemptione, versic. Si autem qui hoc facere jussi, c. 11, collat. 9. Bartol et Salicet in Authent. Hoc amplius, Cod. *de Fideicomm.* Covarruv. in c. *Si hæredes* 6, *de Testamentis* num. 5 et Abbas ibid. num. 5. Layman loc. cit. cap. 11, num. 13. Pirhing. loc. cit. num. 127. Reiffenstuel. loc. cit. num. 795, et alii passim. (49. Si autem hæredes perperam negent legata esse relicta Ecclesiis, vel aliis piis causis, et in illa negatione persistant usque ad sententiam, condemnandi sunt in duplum, ut expresse statuitur in § Item mixta, Institut. de action. et tenent cum communi aliorum Doctores mox citati.

(50. Si hæredes, vel executores semel admoniti, intra annum dispositionem a Testatore factam præsertim circa causas pias adimplere neglexerint, potestas exequendi devolvitur ad Episcopum, textu expresso in citat. Authent. *de Eccles.* tit. cap. 10, et cap. *Nos quidem* 3, *de Testamentis*. (51. Quod si bis admoniti talem dispositionem adimplere neglexerint, etiam ante annum dicta exequendi potestas ad Episcopum devolvitur; citat. Authent. *de Eccles.* tit. cap. 11, § Si autem qui hoc facere jussi, et concordat l. Nulli, Cod. *de Episc. et Cleric.* et c. *Tua nobis* 17, *de Testamentis*, et Conc. Trid. sess. 22. c. 8, et expresse tenent Covarruvias in cit. cap. *Nos quidem* 3 *de Testament.* n. 8. Abbas ibid. num. 11. Fagnan. ibid. num. 9 et 10. Innocent. ibid. num. 2. Reiffenst. loco citat. num. 797, et alii. (52. Imo Fagnan. loco cit. num. 10. Innocent. loc. cit. num. 2. Hostiens. ibid. n. 6 et alii sustinent Episcopum, Hærede, vel executore negligente, succedere in facultatem exequendi etiam ad non pias causas, et rationem reddunt cum ipso Fagnano loc. cit. num. 10, Abbas ibid. num. 8. Butrius ibid. num. 6, quia, dicunt ipsi, quælibet defuncti voluntas potest dici pia l. 1, *Cod. de sacrosanct. Eccles.*

(53. Assignare fundum favore Capellaniæ Hæredem non potuisse, et assignationem non sustineri, respondit Sac. Cong. Conc. in Viterbien. 20 Sept. 1727, ad 1 dub. ut patet in Thesauro resol. Sacr. Congreg. Concil. dicti ann. 1727, ubi ad longum. Quando enim non sunt a Fundatore certa bona determinate taxata, censentur obligata omnia bona Hæreditatis ad sustinenda onera Capellaniæ. E contra autem quando a Testatore, pro certa Missarum et Anniversariorum celebratione, alicui Ecclesiæ relictus est determinatus fundus; si dictus taxatus fundus

Digitized by Google

deinde exstinguatur, non tenetur Hæres alium fundum in locum illius substituere; Sacr. Congr. Conc. in Alban. 10 Martii 1712, etiamsi sit opulenta Hæreditas; quia cum legatum incipiat ab assignatione bonorum, nonnisi taxativum censeri debet, siquidem si Testator non gravavit Hæredes ad solvendam annuam præstationem respondentem oneri Missarum, sed certa ab eadem hæreditate segregavit bona, quæ voluit subjecta oneri designato, conjecturæ qualescunque sive a perpetuitate legati, sive ab hæreditatis opulentia desumptæ, nimis vagæ, ac imbecilles æstimantur, ut judicetur contra Regulam passim servatam in dicta Sacr. Congreg. Concil. nempe quod non sit substituendus alius fundus, quoties legatum incipit ab assignatione bonorum, sunt enim ad id certa bona determinate taxata.

(54. Ad dubium : An candela gestanda per Canonicos in associatione funeris debeat esse ponderis ad minus quatuor librarum, vel arbitrio hæredum; et an Canonici ultra dictam candelam prætendere possint unum ducatum regni pro quolibet Canonico; S. Congreg. Conc. in Trojana 21 Maii 1701, respondit negative, quoad primam partem, sed remittendum arbitrio hæredum; quo vero ad secundam partem, negative.

(55. Ad dubium : An hæredes defunctorum possint adhibere circa Cadavera defunctorum quantitatem ceræ sibi benevisam, seu potius constet de aliqua consuetudine quoad quantitatem ceræ, eaque sit servanda? Sacr. Congreg. Concil. in Nullius, seu Montis Cassini 26 Jan. 1726, ad VIII, respondit : « Esse statuendam tamen ab ordinario auditis interesse habentibus et laxa ab eodem transmittatur ad Sacram Congregationem. »

(56. Ad dubium : An Presbyteri dictæ Ecclesiæ valeant prohibere sonum campanarum, tam de tempore obitus, quam de tempore delationis cadaveris ad aliam Ecclesiam; et quod emolumentum ab hæredibus defunctorum Sacristæ debeatur in casu, etc. « Ead. Sacr. Congr., ib. ad XV, respondit negative quoad tempus obitus, et pro sonitu nihil deberi, quoad tempus vero delationis cadaveris pulsandas esse campanas, si hæredes velint soluta competenti mercede taxanda ab ordinario. »

(57. Hæredibus licet duntaxat Parochum ad funus vocare; sed si velint alios Presbyteros vocare, præferendi sunt Presbyteri Ecclesiæ Parochialis, et receptitiæ in numero ipsis hæredibus beneviso; Sacr. Congreg. Concil. in Nullius, seu Montis Cassini 26 Januarii 1726.

(58. Ad hæredes, et non Parochum spectat vocare quot, et quos libuerit ad funus, Sacra Congregat. Episcop. et Regular. 4 Januarii 1594.

(59. Numerum Religiosorum, ac electionem Religionum pro associandis cadaveribus, ad hæredes defunctorum pro libito voluntatis eorum spectare, et pertinere, et ita ubique in posterum servari debere declaravit S. R. C. 4 Januar. 1640.

(60. Hæredes defuncti invitare possunt numerum Sacerdotum sæcularium, aut Regularium, imo, et confraternitatum sibi benevisum; nec cogi possunt ad vocandum capitulum, vel alios, sed solum Parochum, cui debetur duplum eleemosynæ illa, quæ datur aliis Sacerdotibus simplicibus; Sac. Cong. Episcop. et Regul. 17 Mart. 1579, 11 Octob. 1580, 24 Jan. 1581, 11 Jan. 1647 et 11 Decemb. 1649.

(61. Hæredes non tenentur vocare, nisi Parochum; Sac. Congregat. Episcop. et Regul. 18 Septembris 1646.

(62. Hæredes Beneficiatorum tenentur resarcire bona et domos beneficiorum nec non sacris suppellectilibus Ecclesias providere, ex oraculo Clementis XI, mediante encyclica Epistola sub die 23 Maii 1708, impressa in Appendic. Synod. Fulginat. Baptistelli, fol. 167, Ursaya in Miscellaneo Sacro, et profano primo litt. B, n. 29.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Summa Hæredum divisio est, ut vel testamentarii, vel legitimi sint. De testamentariis placet hic disserere. (64. Essentia cujuscumque testamenti vel solemnis, vel minus solemnis, consistit in *Hæredis* institutione, quæ est *certi Successoris* in universorum jus, quod Defunctus habuit, declaratio legitima.

(65. Hæredis institutio aut necessaria, aut voluntaria est. Hæc necessaria est, quando necessario certæ personæ sunt instituendæ, vel exhæredandæ, hoc est, quibus debetur legitima. Sic itaque ante omnia hæredes sunt instituendi liberi tam sui, quam emancipati tam a patre, quam a matre; Novell. 115, cap. 3, imo et spurii respectu matris; l. XXIX, § 1, *de inoffic. Testam.* Quin et nepotum quoque filiis mortuis, et posthumorum eventualiter habenda est ratio Princip. et § 1, Instit. de Liber. et Post. hæred. instit. alias nativitate sua rumpunt testamentum leg. 3, § 3, *de Injust. rupt. et irrit. testam.* (66. Huc etiam referuntur, qui in potestatem Testatoris quocumque modo post conditum testamentum recidere queunt; l. XXIX, § 11, ff. *de Liber. et Post. Hær. institut.* (67. Hinc consultum est, instituere hosce *eventualiter*, in quem finem Romani ex legibus varias formulas excogitarunt l. 29, ff. dict. tit. *de Liber. et Post. hæred. instit.* Inde posthumi alii *legitimi*, alii *Aquiliani*, alii *Vallejani*, alii *Juliani*, alii *Corneliani* dicebantur : dict. l. 29, dict. tit. *de Liber. et Posth. Hæred. instit.* (68. Sed nullam hodie præstant utilitatem anxiæ illæ veterum formulæ. Vide l. 15, C. de *Posth. Hæred. instit.* Sic etiam ex eodem fundamento utile est *eventualiter* instituere parentes, ne liberis mortuis ante testatorem testamentum rumpant. Dici et idem potest de fratribus, quo casu et illis legitima debetur.

(69. In voluntaria Hæredis institutione inspici debet 1, ad habilitatem personarum instituendarum; 2. ad modum instituendi.

(70. In personis requirebatur, ut juris civilis commercio fruerentur l. 1. ff. *ad Leg. Falcid.*; tum ut Hæredes scripti *certi* essent.

Digitized by Google

Excludebantur propterea servi quia tales, peregrini, l. 6, § 2, ff. *de Hæred. instit.*; qui tamen, postquam jura succedendi illis sunt communicata, hodie institui queunt; Auth. *Omnes Peregrini*, C. *Commun. de Success.* Deportati, banniti, apostatæ, l. 3, C. *de Apost.* Hæretici; l. 4, C. *de Hæretic.* Collegia denique, Universitates, et incertæ personæ, nisi collegia essent excepta; l. 2, et l. 22, C. *de SS. Eccles.*; l. 1, C. *de Judæis.* Emendavit vero hoc Justinianus in § 25, et seq. Institut., *de Legat.* ut tantum reprobata collegia institui nequeant.

(71. Sunt et qui *certo respectu* institui hæredes haud possunt. In horum numero sunt liberi naturales, quando adsunt legitimi, tunc enim nonnisi in una uncia institui a patre queunt; Auth. *Licet*, C. *de Natural. Liber.*, novell. 89, cap. 12. Si testatoris parentes solis supersint, in octo unciis, alias vero ex asse. Sic et incestuosi hæredes a parentibus institui haud possunt, nec parentes incestuosi a se invicem; l. 6, C. *de Incest. Nupt.*; ab aliis vero possunt.

(72. Hæc inhabilis institutio, si palam fiat, pro non scripta habetur; l. 1, C. *de Hæred. Instit.*; at si clam, et in fraudem legis, lucrum ejus cedit fisco; l. 1, § 1, *de Jur. Fisc.*

(73. Habilitas hæredis tribus maxime temporibus considerari debet; testamenti conditi ob regulam Catonianam; mortis, quia testamentum per hanc confirmatur; et aditionis, quia per hanc acquiritur. Quod ultimum in hæredibus suis diversum haud est a tempore mortis. Sed jam satis de habilitate personarum instituendarum.

(74. Quod attinet ad modum instituendi, l. requiritur *ut institutio possit habere effectum.* Quamobrem ridicula est omnium hominum institutio. Diversa autem est ratio in institutione pauperum; l. 46 et l. 49, C. *de Episc. et Cler.* cum magis pauperes collective sumpti in eo quo vixit testator loco videantur instituti. Huc etiam refertur si sanctum instituat, quia sic ecclesiæ sancto illi dicatæ debetur; l. 26, C. *de SS. Eccles.*

(75. II. *Ut fiat institutio de universis bonis*, sive unus, sive plures hæredes sint instituti, quia jus Romanum non admittit, ut decedere quis possit pro parte testatus, pro parte intestatus; l. 15, ff. *de Legat.* 1, l. 7, *de Regul. Jur.* Hinc unicus in re certa institutus detracta mentione rei universam hæreditatem capit; l. 1, ff. *Hæred. instit.* Idem et de pluribus ex certa re institutis asseritur in l. 9, § 13, et l. 10 et l. 11, ff. dict. tit. *de Hæred. instit.* ut tamen hoc casu certæ rei adjecto habeatur instar prælegati in divisione hæreditatis, et ex reliquis bonis, ex æquo solvi debeat æs alienum l. 35, § 2, ff. eod. Idque ipsum placuit, si quidam ex certa re sint scripti, quidam non. Hoc casu illi sunt loco legatariorum, hi vero hæredum; l. 13, C. eod. Deficientibus vero his; illis jus accrescendi salvum est.

(76. III. *Et institutio sit libera, non extorta*, quamvis blanditiæ non sint vetitæ; l. ult., ff. *Si quis aliq. testat. prohib.*

(77. IV. *Ut sit institutio ex certa scientia, et animi sententia facta.* Hinc nequit in alterius arbitrum conferri; l. 32, ff. eod., *aperte* scilicet, bene tamen *tacite* per conditionem; l. 68, ff. eod. l. 1, ff. *de Legat.* 2; vel si consideratur tanquam arbitrium boni viri; l. 1, ff. *de Legat.* 2. De jure vero canonico hoc simpliciter admittunt ob cap. 13, *de Testam.*

(78. V. *Ut sit concepta verbis dispositis et directis.* Intellige tamen de jure veteri, nam sublatum est hoc requisitum per l. 15, C. *de Testam.*, adeoque qualiscunque declaratio vel expressa hodie sufficit; Vide omnimo Harprect. de Tacit. Institut. Hæred.

(79. VI. *Ut sit sincera, non captatoria.* Confer vero hic Thomas. disput. de Captator, et in primis Bynkershoek in opuscul. de Captat. Institut.

HÆRESIS

SUMMARIUM.

1. Hæresis unde sit dicta. — 2. Hæresis alia est materialis, et alia formalis, et quæ sit materialis. — 3. Hæresis materialis inter veras Hæreses numeranda non est. — 4. Hæresis formalis quæ sit? — 5. Ad hæresim formalem duo copulative requiruntur, scilicet error intellectus, et pertinacia in voluntate. — 6. Pertinacia requisita ad Hæresim formalem in quo consistat. — 7. Talis pertinacia, et error debet esse hominis baptizati, et fidem Christianam professi. — 8. Talis pertinax error ad hoc, ut sit hæresis, debet esse contra aliquam veritatem fidei catholicæ. — 9. Hæresis formalis alia est interna, seu mentalis, et alia externa, et quæ sit utraque? — 10. Hæresis externa dividitur in occultam, et publicam, seu manifestam. — 11. Quot, et quæ fuerint hæreses et hæresiarchæ? *remissive*. — 12. Hæresis per quid differat a schismate? — 13. Schisma est error voluntatis, et non intellectus, ut est hæresis. — 14. Schisma purum, et mixtum, in quo differat? — 15. Potest esse schisma sine hæresi, sed non econtra; sic omnis hæreticus est schismaticus, sed non e converso. — 16. Ordinarie tamen et practice loquendo vix unquam nostris hisce diebus datur amplius schisma purum, seu sine hæresi. — 17. Hæresis causa spectat solummodo ad Judicem ecclesiasticum. — 18. Judices ecclesiastici in causa hæresis sunt in specie sequentes, primo, summus pontifex. — 19. Secundo, sacra congregatio eminentiss. Card. generalium inquisitorum. — 20. Tertio, episcopi respectu omnium existentium in sua diœcesi. — 21. Imo episcopi etiam exemptorum Regularium judices sunt in causa hæresis, ut delegati a Papa. — 22. Vicarius, tamen generalis sine speciali mandato non est Judex in causa hæresis. — 23. Quarto, judex ordinarius in causa hæresis est etiam Capitulum sede vacante. Non item vicarius ipsius generalis. — 24. Non potest tamen capitulum sede vacante exemptos judicare in casu hæresis. — 25. Quinto, judices competentes in causa hæresis sunt inquisitores sancti Officii. — 26. Inquisitores autem provinciarum et Diœcesum non sunt judices episcoporum, nuntiorum, et officialium apostolicorum. — 27. Inquisitores, et episcopi possunt conjunctim, vel separatim procedere in causa Hæresis, et quomodo? — 28. In locis ubi non viget officium inquisitionis episcopi soli gaudent omni facultate inquisitoribus alias competente. — 29. Principes, potestates, et judices sæculares nullo modo possunt se immiscere in processum a judice ecclesiastico contra Hæreticos instituendum,

Digitized by Google

vel institutum, sed debent indilate exsequi sententiam judicis ecclesiastici. — 30. Nec possunt prætendere videre prius processum a judice ecclesiastico factum, et si prætendant, debet illis negari. — 31. Sententia judicis ecclesiastici dicitur statim, et indilate exsequi a judice sæculari, si intra sex dies exsequitur. — 32. Hæresis pure mentalis potest absolvi a quolibet simplici confessario. — 33. Episcopi et inquisitores absolvere possunt in utroque foro ab Hæresi deducta ad forum contentiosum. — 34. Non possunt tamen absolvere ab Hæresi in foro conscientiæ tantum. — 35. Prælati regulares nequeunt absolvere sæculares in foro interno ab Hæresi occulta. — 36. An autem prælati regulares possunt absolvere ab Hæresi occulta suos subditos? *remissive*. — 37. Absolutio ab Hæresi in foro interno, non suffragato in foro externo. — 38 ad 42. Nonnulla ex Bened. XIV quoad Hæresis absolutionem. — 43 ad 46. Quoad Hæreticorum conjugia. — 47 ad 50. Quoad Hæresis absolutionem.

(1. Hæresis est verbum Græcum Latine significans *electionem* ac *sectationem*, eo quod sit novæ, et a communi Ecclesiæ et Spiritus sancti vero sensu alienæ doctrinæ et opinionis electio aut secta; cap. 27 *Hæresis* et cap. *Hæreticus* 28, caus. 24, qu. 3. (2. Hæresis alia est materialis et alia formalis. Hæresis materialis est hominis baptizati et fidem professi erroneus assensus contra aliquam veritatem fidei ex sola ignorantia vel errore proveniens, absque pertinacia voluntatis in eo persistendi; est in re communis. (3. Hæc Hæresis materialis inter veras Hæreses numeranda non est; arg. cap. *Dixit Apostolus* 29, caus. 24, q. 3, et cap. *Damnamus* 2, *de Summa Trinitate*. (4. Hæresis formalis et hominis baptizati ac Christianam fidem professi error voluntarius ac pertinax contra aliquam veritatem fidei; est in re communis. (5. Unde patet quod ad Hæresim formalem duo copulative requiruntur, scilicet error in intellectu et pertinacia in voluntate: arg. cap. *Dixit Apostolus* 29, et cit. cap. *Damnamus* 2, *de Summa Trinitate*. (6. Pertinacia autem ex parte voluntatis requisita ad constituendam Hæresim formalem non consistit in hoc quod quis acriter et mordicus diu retineat, defendat et tueatur errorem contra fidem, sed in hoc quod hujusmodi errorem retineat postquam contrarium eidem est jam sufficienter propositum, vel quando scit contrarium teneri a vera universali Christi in terris Ecclesia, cui judicium suum præferre præsumit. Sic doctores communiter. (7. Talis autem pertinacia et error debet esse *hominis baptizati et Christianam fidem professi*, ad hoc ut contineat Hæresim, quia errores, quos non baptizati, verbi gratia, Turcæ, gentiles, judæi contra fidem Christianam habent, non sunt *Hæreses*, sed paganismi, gentilismi vel judaismi sunt et vocantur; *communis*. (8. Talis pertinax error ad hoc ut sit *Hæresis*. debet esse *contra aliquam veritatem fidei Christianæ*. Nam si sit circa alia objecta, quæ ad fidem Christianam non pertinent, non est *Hæresis*, ut de se patet; et si non sit contra *aliquam*, sed contra omnem fidei Christianæ veritatem, non Hæresis, sed paganismus, vel judaismus erit, aut apostasia a fide, aut denique atheismus perfectus; quælibet enim Hæresis admittit aliquos articulos et veritates fidei Christianæ, verbi gratia, Christum pro nobis esse passum et mortuum, resurrexisse et ascendisse in cœlum, et hujusmodi.

(9. Hæresis formalis, de qua hic est sermo, alia est interna, seu mentalis, et alia externa. Hæresis interna seu mentalis est illa quæ in corde seu mente retinetur, et nec verbis nec facto externo manifestatur Hæresis externa est illa quæ, interne vigens verbis vel facto aliquo externo sufficienter exprimitur; *communis*. (10. Hæresis externa dividitur in occultam et publicam seu manifestam. Hæresis externa, publica, seu manifesta est illa quæ palam et coram pluribus externe manifestatur. Hæresis externa occulta est illa quæ verbis, vel facto, aut signo aliquo externo proditur; vel nemine, vel uno aut altero solummodo præsente et audiente, dicendo verbi gratia, *Non credo tres esse personas divinas. Non credo secundam divinam personam esse incarnatam*, et hujusmodi. Et hæc Hæresis, quia vere est, et dicitur *externa*, quantumvis occulta, sufficit ad incurrendas pœnas, nec requiritur ut sit publica, dummodo alias conditiones habeat. (11. Quot autem et quænam fuerint Hæreses et Hæresiarchæ, vide Berninum ubi late et fuse de omnibus per quatuor integros tomos; Graveson, in Historia Ecclesiastica; Nicolium, in Flosculis; Boyvin in Theologia, tom. IV, aliosque passim dogmaticos et historicos de Hæresibus et Hæresiarchis expresse tractantes, et quoad antiquos S. Augustin. et S. Epiphan. lib. *de Hæresibus*, et S. Isidorum relatum in cap. *Quidam autem*, 39, caus. 24, qu. 3, ubi plurimæ antiquæ Hæreses et Hæresiarchæ enumerantur.

(12. Hæresis differt a schismate puro per hoc quod ipsa per se ac directa opponatur fidei, negando seu non credendo unum aut plures fidei articulos; schisma vero opponitur unitati, tollendo Ecclesiæ unitatem quæ per charitatem habetur; *sic communis* cum D. Thoma 2-2, quæst. 39, art. 1; Sanchez, lib. 2. *Moral.*, c. 35, num. 6, Reiffenstuel, lib. v. *Decret.*, tit. 8, n. 7. (13. Unde constat schisma esse errorem voluntatis, non intellectus, ut est hæresis; Ursaya Instit. crim. lib. I, tit. 7, num. 4. (14. Notanter autem dicitur, *a schismate puro*, quia schisma purum facit quidem recedere ab unitate Ecclesiæ et ejus capitis Vicarii Christi in terris; sed absque errore in fide, ad differentiam schismatis misti seu conjuncti cum Hæresi, quod nedum facit recedere ab unitate Ecclesiæ, sed et insuper facit recedere a vera fide, negando, verbi gratia, seu non credendo Summum Romanum Pontificem esse in terris Vicarium Christi et caput totius Ecclesiæ catholicæ, etc. (15. Hinc patet posse esse schisma sine Hæresi, sed non econtra; Omnis enim hæreticus est schismaticus, sed non e converso, ut declarat Goffred. in Summa de Schismat., et Soccin. cum Fagnan. lib. v, *Decr.*, in c. *Quod a prædecessor*. 1. *de Schismaticis*, num. 20. (16. Ordinarie tamen, et

Digitized by Google

practice loquendo, vix nostris hisce diebus unquam datur amplius schisma purum, seu sine Hæresi. Quamvis enim in suo principio schisma non habeat perversum fidei dogma, sicut Hæresis, tamen in fine nullum schisma est sine Hæresi, ut ex verbis S. Hieronymi recitatur in cap. *Hæresim* 26, caus. 24, quæst. 3, ibi : « Inter Hæresim et schisma hoc interesse arbitrantur, quod Hæresis perversum dogma habeat; schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separat. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest; cæterum nullum schisma non aliquam sibi confingit Hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videntur. »

(17. Hæresis causa spectat solummodo ad judicem ecclesiasticum; est enim Hæresis crimen mere ecclesiasticum, textu expresso in c. *Ut inquisitionis* 18, § *Prohibemus*, *de Hæret.* in 6, ibi : « Prohibemus quoque districtius, Potestatibus, Dominis temporalibus et rectoribus, eorumdemque officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine, cum sit mere ecclesiasticum, quoquomodo cognoscant vel judicent, » et Gloss. ib. communiter recepta. (18. In specie autem judices ecclesiastici in causa Hæresis sunt sequentes. (19. Primo, Summus Pontifex; *communis et indubitata.* Secundo, sac. congreg. cardinalium generalium inquisitorum ad hoc erecta a Paulo III, anno 1542, constitut. 34, incip. *Licet*, et denuo restituta a Sixto V, anno 1587, constitut. incip. *Immensa.* (20. Tertio, episcopi respectu omnium existentium in sua diœcesi; cap. *Excommunicamus* 13, § *Adjicimus*, *de Hæreticis;* Clement. I, § *Propter quod*, *de Hæreticis* et communis doctorum. (21. Imo episcopi etiam exemptorum regularium judices sunt in causa Hæresis, non ut judices ordinarii, sed ut delegati papæ, textu expresso in c. *Ad abolendam* 9, § final., *de Hæretic.* ibi : « Si qui fuerint a lege diœcesanæ jurisdictionis exempti, soli subjaceant sedis apostolicæ potestati; nihilominus in his quæ contra hæreticos sunt instituta, episcoporum subeant judicium; et eis in hac parte, tanquam a sede apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis), obsequantur. » (22. Vicarius tamen generalis sine speciali mandato episcopi non est judex in causa Hæresis; Farinac. de Hæresi, qu. 186, n. 13; Imola in clement. 1, de Hæret. num. 18; Pirhing. lib. v. *Decret.*, tit. 7, num. 124; Reiffenstuel ibid., num. 439, et alii; et ratio est quia ob gravitatem hujus criminis requiritur specialis commissio, ut desumitur ex concilio Tridentino sess. 24, *de Reform.* cap. 6.

(23. Quarto, judex ordinarius in causa Hæresis est etiam capitulum sede vacante; sic Farin. de Hæresi q. 186, n. 177; Hostiens. in c. *Ad abolendam* 2, de Hæreticis, num. 1; Pirhing loc. cit., num. 125; Reiffenstuel loc. cit., num. 440, arg. cit. cap. *Ad abolendam*, ibi : « Vel clerici ipsi, sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum episcoporum, Hæreticos judicaverint. » (24. Non potest tamen capitulum sede vacante exemptos judicare in causa Hæresis; Farinac. de Hæresi quæst. 186, num. 182. Abbas in cit. cap. *Ad abolendam* in fine, et alii communiter. Et ratio est quia capitulum sede vacante succedit episcopo solum in iis quæ jure ordinario competunt episcopo, non vero in iis quæ non nisi jure delegato aut speciali habet, arg. cap. *Pastoralis* 11, de offic. Judic. Ordin. et Regul., 7 Junii in 6, et l. *In omnibus*, ff. *de Regul. Juris.* (25. Quinto, judices competentes in causa Hæresis sunt inquisitores fidei in S. Officio inquisitionis specialiter deputati a suprema et universali congregatione cardinalium generalium inquisitorum, juxta citat. constitut. Pauli III incip. *Licet*, et constitut. Sixti V incip. *Immensa.* (26. Et est communis argum. cap. *Ut officium de Hæreticis*, in 6, cap. *Ut inquisitionis* eod. in 6, Clementina 1 *de Hæreticis*, cum similibus. Inquisitores autem provinciarum et diœcesum non sunt judices episcoporum, nuntiorum, et officialium apostolicorum; sed occurrente casu suspicionis, vel accusationis, vel denuntiationis contra ipsos, debent significare sedi apostolicæ, prout expresse statuitur in c. *Inquisitores* 16, *de Hæret* in. 6, et extravagant. *Cum Matthæus* 3, *de Hæretic.*, inter communes.

(27. Inquisitores et episcopi possunt conjunctim vel separatim in causa Hæresis contra suspectos vel denuntiatos procedere, ita tamen ut si separatim procedant, sententiam condemnatoriam ferre non possit inquisitor, nisi prius processum communicet episcopo, vel sede vacante, capitulo; nec episcopus, nisi suum processum communicet inquisitori, si in sua diœcesi officium inquisitionis vigeat, textu claro in cap. *Ut Officium* 11, *de Hæret.*, et c. *Per hoc* 17, eod. in 6. (28. In locis ubi non viget officium inquisitionis, episcopi soli gaudent omni facultate inquisitoribus alias competente. Sic probat receptus usus et consuetudo, ut observant Azorius part. I, lib. VIII, c. 18, quæst. 2; Pirhing, loco cit., num. 130; Reiffenst., loco cit., num. 449, et alii passim. Episcopi enim in suis diœcesibus sunt inquisitores nati, ut recte notat card. de Luca relat. Curiæ Romanæ disc. 14, num. 4.

(29. Principes, potestates et judices sæculares nullo modo possunt se immiscere in processum a judice ecclesiastico contra Hæreticos instituendum vel institutum, sed debent indilate exsequi sententiam judicis ecclesiastici, textu expresso in cap. *Ut inquisitionis* 18, *de Hæret.* in 6. (30. Nec possunt prætendere videre prius processum a judice ecclesiastico factum, et si prætendant, debet illis negari; cit. c. *Ut Inquisitionis*, et Innoc. VIII, constit. incip. *Dilectus*, ubi præcipit ut judices sæculares sine ulla visione processus ab inquisitore facti exsequantur sententiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. (31. Sententia autem judicis ecclesiastici dicitur statim et indilate exsequi a judice sæculari si intra sex dies exsequitur, textu expresso in cit. constit. Innocentii VIII incip. *Dilectus Filius*, ibi : « Præcipiatis, atque mandatis, ut infra sex dies postquam legitime fuerint

Digitized by Google

requisiti sine aliquo dictorum processuum per vos agitatorum visione sententias per vos latas contra hujusmodi Hæreticos prompte exsequantur appellatione remota. »

(32. Hæresis pure mentalis, cum excommunicationem annexam non habeat, potest absolvi a quocunque etiam simplici confessario ; Barbosa de Potestate episcop., par. II, alleg. 40, n. 13; Bordon. in Tribunali, cap. 12, n. 2 et 3. Del Bene, de Offic. Inquisit., part. I, dub. 49, petit. 3. Bonacina, de Censur. in bulla *Cœnæ*, disp, 1, quæst, 2, punct. 2, n. 3, et cum aliis a se citatis card. Petra, tom. 3. Comment. ad constit. 18 Innocent. IV, n. 13. (33. Episcopi et inquisitores absolvere possunt in utroque foro ab Hæresi deducta in forum contentiosum; cap. *Officium*, 11, *de Hæret.* in 6, et docent communiter doctores, teste cardin. de Petra loc. cit., num. 27, ubi dicit sic pluries respondisse sacram supremam Inquisitionem; nec obstare bullam in *Cœna Domini*, cum ipsa procedat quoad absolutionem ab Hæresi non deducta ad forum contentiosum. (34. Non possunt tamen absolvere ab Hæresi in foro conscientiæ tantum, ut pluries de inquisitoribus respondit suprema Inquisitio, teste cardin. Albitio de inconstantia in Fide, cap. 25, num. 16 ; Salell., lib. II, cap. 8, regul. 200, num. 35, cardin. Petra loc. cit., numer. 28, et de episcopis pluries respondit sac. congreg. Concil., præsertim die 21 Aug. 1609, die 7 Julii 1617, die 5 Novemb. 1644.

(35. Quamvis enim concilium Tridentinum, sess. 24, *de Reformat.*, cap. 6, concesserit episcopis facultatem absolvendi in foro conscientiæ ab Hæresi occulta, tali tamen decreto Tridentini derogatum esse per bullam *Cœnæ* pluries respondit sacra Congregat. ejusdem Concilii, et signantur in Concordien. anno 1585, l. IV, decretor., pag. 17. « Censuit decreto Concilii, sess. 24, cap. 6, derogatum esse in casu Hæresis per bullam *Cœnæ Domini*. Et in Cameracen. 28 Februarii 1602, lib. X *Decretor.*, pag. 25, ibi : « Quamvis a concilio Tridentino episcopis tributa fuerit facultas ab Hæresi per se ipsos in casibus occultis absolvendi, eam tamen in illis ademptam esse pontificia constitutione quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit ; ideoque oportere ipsum, si ita re esse arbitretur, ejusmodi facultatem petere a Sede Apostolica, a qua facile illam impetrabit. » Et in causa Hiberniæ 9 Septembris 1690, ibi : « VI. Cum de jure, ubi non adest inquisitio, episcopus sit inquisitor, an possit saltem ut inquisitor absolvere ab Hæresi, etiamsi specialem ad id non habeat a Sede Apostolica facultatem concedi solitam, ad tempus limitatam episcopis Hiberniæ. VII. Cum neque episcopus, neque vicarius generalis commode adiri possint pro absolutione ab Hæresi; an liceat episcopo delegare facultatem parocho absolvendi ab ea? » S. congreg. respondit « Ad VI, *Negative*. Ad VII, *Negative et ad mentem*, et mens est, ut quatenus facultas absolvendi non sit concessa, concedi possit, et debeat. » Et sic etiam pluries declaravit suprema Inquisitio, ut testantur Pegna part. III, director. comm. 141; cardin. Albit. loc. cit., cap. 25, num. 9; card. Petra, loc. cit., num. 21, et testes Barbosa de offic. et potest. Episcop. par. II, allegat. 40, num. 24; Pignatell. tom. I, consult. 391, Pegna, Piasec., Fagnan. et alii. Sic pariter declaratum est a S. Pio V, Gregorio XIII et Clement. VIII; et clarissime ultimo constat ex decreto Alexandri VII, de anno 1665, 24 Septemb., damnantis hanc propositionem tertiam in ordine : « Sententia asserens bullam *Cœnæ* solum prohibere absolutionem Hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Trident., in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 Jul. in consistorio sacr. congr. eminentiss. cardin. visa et tolerata est. » (36. Et hanc aliam 4 inordine : « Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab Hæresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa. »

(37. An autem prælati regulares possint absolvere suos subditos ab Hæresi occulta, Vid verb. ABSOLUTIO, ubi late de hoc.

(38. Absolutio in foro interno non suffragatur in foro externo. Pœnitentes enim sic absoluti possunt adhuc in foro externo inquiri et puniri ; Locatus verb. *Absolvere*, num. 1, et verb. *Hæreticus*, num. 24; Repertor. Inquisitor. verb. *Confessio*, § *Rerum*; Zanchin. de Hæretic., cap. 34 ; Duard. in bulla *Cœnæ*, lib. III, § 2, quæst. 12. n. 12; Barbosa, loc. cit., allegat. 40, n. 29; card. Petra, loc. cit., n. 39 et alii passim.

(39. Hæresis abjuratio præcedens requiritur tanquam conditio necessaria in litteris apostolicis dispensationum quæ super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, aliisve impedimentis petuntur pro personis diversæ professionis; Bened. XIV, tom. II, constit. 51 incip. *Magnæ nobis admirationis*. (40. Hæresis abjurationis promissio non sufficit ut hujusmodi litterarum exsecutor seu episcopus, dispensandi facultatem ab Apostolica Sede habens, dispensationes ipsas ad effectum perducat; idem, constit. 59 incip. *Ad tuas manus*. (41. Hæretici ratione suscepti baptismi ad amplectendam fidem catholicam cogi possunt ; idem ibidem.

(42. In locis tamen in quibus toleratur ut hæretici mixti cum Catholicis habitent, videndum quid ferat usus et consuetudo; idem ibid.

(43. Hæreticorum conjugia, ex perpetua Sedis Apostolicæ disciplina, sunt catholicis interdicta; idem, constitut. 52 inc. *Magna nobis admirationis*. (44. Si vero aliquando ex gravissimis causis permittuntur, opportunæ adjiciuntur cautelæ, quibus et conjugis catholici fides, et futuræ prolis catholica educatio in tuto habeatur; idem ibidem. (45. Hujusmodi conjugia in aliquibus locis, in quibus hæretici cum catholicis mixti vivunt, de facto ineuntur, et a potestate ecclesiastica, ne majora mala proveniant, tolerantur; idem, constit. 19, inc. *Ad tuas manus*. (46. Verum dispensationes super gradibus aut impedimentis, ab Apostolica Sede pro ipsis non

Digitized by Google

concedantur, nisi adjecta conditione abjurandæ prius hæresis, idem ibidem et citat. constitut. 51 incip. *Magnæ nobis admirationis.*

(47. Hæretici occulti absolvi possunt a Pœnitentiaria apostolica. Idem, tom. I, constitut. 95 incip. *Pastor bonus*, § 9. (48. Hæretici ad fidem redeuntes summa charitate ab Ecclesia recipiuntur. Idem, constitut. 129 incip. *Quamvis tempore*, § 11.

(49. A censuris propter Hæresim formalem externam incursis nullus confessarius, quibusvis amplissimis facultatibus munitus, vel etiam tempore jubilæi, absolvere potest, nisi expressam ad id facultatem habuerit. Bened. XIV, constit. incip. *Inter præteritos*, § 85. (50. Etiamsi occulta Hæresis sit, et confessarius facultatem habeat absolvendi a censuris in bulla *Cœnæ* reservatis. Idem Benedict. XIV, constitut. incip. *Convocatis*, § 53.

HÆRETICA PROPOSITIO.

Vide verbum PROPOSITIONES DAMNATÆ, *n.* 22.

HÆRESI PROXIMA PROPOSITIO, — SAPIENS HÆRESIM, — SUSPECTA DE HÆRESI. *Vide ibidem, n. 23 ad 25.*

HÆRETICUS.

SUMMARIUM.

1. Hæreticus est, qui negat aliquem ex articulis ab Ecclesia definitis. — 2. Ad hoc autem, ut quis sit Hæreticus formalis articulum ab Ecclesia definitum negare debet cum errore intellectus, et pertinacia voluntatis. — 3. Hæreticus enim censeri non debet errans in fide, si Romanæ Ecclesiæ judicio errorem supponat, paratus stare decisioni Sedis Apostolicæ. — 4. Hæreticus formalis est, qui positive dubitat de fide, vel aliquo illius articulo sufficienter sibi proposito, etc. — 5. Unde ex hujus defectu *formales hæretici* non sunt, qui inter hæreticos nati, et educati de uno, vel pluribus articulis dubitant, donec sufficienter sibi proponantur. — 6. Hæreticus est, qui de sacramentis aliter sentit, ac docet, quam Romana Ecclesia prædicat et observat. — 7. Hæreticus alius est lapsus, et alius relapsus, et quis sit uterque. — 8. Relapsus alius dicitur relapsus manifestus, seu vere, et alius præsumptus, seu fide, et quis sit uterque. — 9. Non solum dicitur relapsus, qui in eadem specie hæresim jam abjuratam relabitur, sed etiam, qui possit abjuratam simpliciter, et generaliter hæresim, inde in quamcunque aliam hæresim incidit, vel receptat, associat, defendit, auxilium fert Hæreticis. — 10. Hæreticus, vel schismaticus, si non resipiscat nequit salvari, sed æterne damnabitur, nec ad salutem ei proderunt baptismus, eleemosya, aut mori pro Christo. — 11. Catechumenus nondum baptizatus, deficiens a fide, quam recepit, non est proprie dictus Hæreticus, sed infidelis. — 12 Fide et invalide baptizatus, si fidem deserat habendus est ut Hæreticus, quandiu de Baptismi fictione aut invaliditate non constet, licet in rigore talis non sit defectu baptismi. — 13. Qui metu mortis perculsus negat fidem, aut aliquid contrarium fidei affirmat, absque ullo interiore mentis assensu, non est vere et proprie Hæreticus. — 14. Tanquam Hæreticus censendus est non solum is qui temere asserit, sed etiam qui vertit in dubium animam rationalem, seu intellectivam non esse formam corporis humani per se, et essentialiter. — 15. Sic etiam tanquam Hæreticus verus est habendus non solum is qui temere negat, sed etiam qui vertit in dubium animam rationalem seu intellectivam esse immortalem. — 16. Omnis communicatio politica, seu conversatio, commercium, et cum Hæreticis, unde imminet periculum subversionis fidei vel morum, est catholicis prohibita sub mortali. — 17. Si autem absit periculum subversionis, et scandalum, possunt catholici licite cum Hæreticis communicationem politicam habere, etiamsi essent Lutherani, Calvinistæ, aliique denuntiati. — 18. Assignantur varia quæ sunt licita catholicis, præsertim in locis ubi cum Hæreticis permixti habitant. — 19. Matrimonia catholicorum cum Hæreticis debito ac ritu catholico contracta sunt valida — 20. Talia tamen matrimonia sunt illicita sub peccato mortali, nisi papa dispenset aut rationabilibus causis excusentur *usque ad n.* 22. — 23. Talia matrimonia in Germania, et cæteris locis, ubi Hæreticis cum catholicis permisti habitant, secundum multos sunt licita ex consuetudine, cum quibusdam tamen conditionibus. — 24. Iniquissimum et graviter peccaminosum est tam contra jus ecclesiasticum, quam divinum illud pactum quod in aliquibus locis dicitur adjici matrimonio catholici cum Hæretica, nempe ut masculi educentur in fide catholica patris, et feminæ in secta Hæretica matris; vel contra. — 25. Nec valet immemorabilis consuetudo in contrarium. — 26. Disputare publice vel privatim cum Hæreticis de fide est prohibitum omnibus laicis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. — 27. Hæc tamen lex seu prohibitio vel casu nunquam fuit recepta, vel contraria consuetudine abrogata in locis in quibus catholici permisti habitant cum Hæreticis. — 28. Disputare cum Hæreticis non est prohibitum clericis, maxime si sint sufficienter docti et debitas circumstantias prudenter observent. Alia, *remissive.* — 29. Stando in rigore utriusque juris nec recipi, nec tolerari possunt Hæretici, et ritus eorum in territoriis catholicis. — 30. Ad evitandum tamen majus religionis, et Ecclesiæ catholicæ malum recipi, et tolerari possunt. — 31. Hæretici sunt revelandi, seu denuntiandi inquisitoribus sub pœna excommunicationis. — 32. Imo Hæretici evidenter cogniti ut tales sunt denuntiandi quamvis probari non possint. — 33. Libros Hæreticorum scienter legentes, aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes, incurrunt excommunicationem. Alia, *remissive.* — 34. Hæretici omnes formales externi ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. — 35. Imo non solum Hæretici, sed etiam credentes eis, receptores, defensores et fautores eorumdem. — 36. Credentes qui sint. — 37. Receptores qui sint. — 38. Defensores qui sint. — 39. Fautores qui sint. — 40. Excommunicationem ipso facto etiam incurrunt, qui Hæreticos, aut eis credentes, aut eorum receptores, defensores, et fautores in loco sacro sepeliunt. — 41. Omnes Hæretici publici, et notorii ipso facto sunt irregulares, et remanent tales etiam post conversionem, et absolutionem. — 42. Etiam Hæretici occulti probabilius sunt irregulares. — 43. Irregularitas incurritur etiam a credentibus, receptoribus, defensoribus et fautoribus Hæreticorum. — 44. Hæretici omnes, credentes, receptores, defensores et fautores eorum sunt inhabiles ad beneficia et officia ecclesiastica. — 45. Hinc tenentur beneficia in Hæresi recepta una cum fructibus dimittere et restituere. — 46. Talis inhabilitas ad beneficia et officia ecclesiastica durat in ipsis, etiamsi convertantur et Hæresim abjurent, præsertim si fuerint publici seu notorii Hæretici. — 47. Et hæc inhabilitas probabilius durat etiam in Hæreticis oc-

Digitized by Google

cultis post eorum conversionem et absolutionem. — 48. Hæretici, eisque credentes, receptores, defensores, et fautores eorum sunt insuper privati beneficiis et officiis prius rite obtentis. — 49. Etiam ante sententiam judicis. — 50. Ante tamen sententiam declaratoriam beneficia dimittere et fructus post privationem ipso jure statutam perceptos restituere non tenentur. — 51. Hinc infertur quod privatio beneficiorum rite obtentorum locum non habet quandiu Hæresis manet occulta. — 52. Tam filii quam nepotes patris Hæretici, soli autem filii, non item nepotes matris Hæreticæ ipso jure sunt inhabiles ad beneficia et officia, et sunt irregulares. — 53. Redduntur tamen habiles, si eorum parentes convertantur, et ad Ecclesiam catholicam redeant, sive nati sint ante, sive post eorum conversionem. — 54. Qui ad preces, vel recommendationem Hæreticorum obtinent beneficia, ipso actu privantur sic acquisitis, et inhabiles fiunt ad alia. — 55. Hæretici, eorum receptores, defensores, et fautores ipso jure privati existunt ecclesiastica sepultura. — 56. Hæretici propter crimen Hæresis confugientes ad Ecclesiam non gaudent immunitate. — 57. Gaudent tamen immunitate ecclesiastica, si confugiant ad Ecclesiam ob aliud crimen. — 58. Hæretici omnes sunt infames. — 59. Receptores, defensores et fautores redduntur etiam ipsi infames, si postquam fuerint excommunicati, intra annum satisfacere contempserint. — 60. Hæretici eorumque receptores, defensores et fautores sunt etiam inhabiles ad omnia officia publica, ad omnes honores et omnes actus civiles. — 61. Hæretici a die commissi criminis ipso facto amittunt patriam potestatem in filios, et isti efficiuntur sui juris. — 62. Sic mulieres Hæreticæ amittunt dotem et omnia alia privilegia. — 63. Hæretici amittunt facultatem faciendi testamentum, et succedendi in Hæreditatem tam ab intestato quam ex testamento. — 64. Hæretici a die commissi criminis ipso jure incurrunt confiscationem omnium suorum bonorum, ita ut nec filiis eorum catholicis successio aliqua vel Hæreditas relinquatur. — 65. Ante autem sententiam declaratoriam commissi criminis Hæresis, Hæretici possessionem non amittunt, et bona sua fisco tradere non tenentur. — 66. Nisi tamen Hæretici sint publici et notorie tales. — 67. Hæretici amittunt jurisdictionem, et dominium in vassallos et servos, ipsi enim vassallis et servi aliique liberantur a privata obligatione debita Hæreticis et fide eisdem servanda. — 68. Hæretici debent damnari ad carceres perpetuos vel temporales, juxta criminis et personarum circumstantias et qualitates. — 69. Hæretici impœnitentes ultimo supplicio affici et comburi debent. — 70. Sic etiam ultimo supplicio afficiendi sunt Hæretici relapsi, etiamsi pœniteant, et Hæresim de novo abjurent, et plene convertantur. — 71. Filii et filiæ perentum Hæreticorum, quamvis catholici, privantur quavis Hæreditate paterna, tam ex testamento quam ab intestato eis alias competente. — 72. Non sunt tamen incapaces hæreditatis ascendentium, collateralium et exterorum. — 73. Filii et filiæ Hæreticorum sunt etiam infames. — 74. Nati tamen in Germania ex parentibus Hæreticis, secundum multos graves doctores, non sunt infames, unde, conversi, possunt sine dispensatione promoveri ad sacros ordines. — 75. Filii Hæreticorum sunt immunes a reliquis temporalibus et corporalibus pœnis. — 76. Imo filii Hæreticorum sunt immunes etiam a pœna privationis beneficiorum et officiorum obtentorum ante parentum condemnationem. — 77. Hæretici qui ad catholicam Ecclesiam redeunt, possunt libere et licite sibi retinere bona ecclesiastica, olim a suis majoribus vel a se ipsis usurpata. — 78-87. De absolutione Hæreticorum; quibus facultas eos absolvendi datur vel negatur. — 88-93. Additiones ex aliena manu. Quomodo lapsus in Hæresim intelligitur omnibus bonis et juribus privatus. — 94. Nota Romani theologi de bonis Hæreticorum ad fidem redeuntium. — 95. Responsio auctoris.

(1. Hæreticus est qui negat aliquem ex articulis ab Ecclesia definitis : cap. *Sicut* 2, dist. 15, cap. *Cum Christus* 7, *de Hæreticis;* Fagnan. lib. III Decret. in cap. *Ex parte* 8, *de Clericis non resident.;* et communis aliorum. (2. Ad hoc autem ut quis sit hæreticus formalis, articulum ab Ecclesia definitum negare debet cum errore intellectus et pertinacia voluntatis; arg. cap. *Dixit Apostolus* 29, et cap. *Qui in Ecclesia* 31, caus. 24, quæst. 3, et cap. *Damnamus* 2, *de summa Trinitate.* (3. Hæreticus enim censeri non debet errans in fide, si Romanæ Ecclesiæ fidem se tenere confiteatur, et errorem suum supponat judicio Sedis Apostolicæ, quia in suo errore non est pertinax contra fidem; cap. *Hæc est fides* 14, caus. 24, qu. 1, cap. *Dixit Apostolus* 29, caus. 24, quæst. 3, ubi ex verbis S. Augustini sic dicitur : « Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem causæ sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. » Et concordat cap. *Damnamus* 2, *de summa Trinitate*, § *In nullo;* juncta glossa ibidem verb. *Paratus*, et extravagant. *Vas electionis*, *de Hæreticis*, et glossa ibi verb. *Corrigenda*, et sic communis doctorum.

(4. Hæreticus autem formalis est qui positive dubitat de fide vel de aliquo illius articulo sufficienter sibi proposito, pertinaciter asserendo vel judicando non esse omnino certum, vel esse dubium, an sit certus vel verus talis articulus fidei. Arg. cap. *Dubius* 1, *de Hæreticis*, ibi : « Dubius in fide infidelis est, » c. *Firmiter* 1, *de Summa Trinitate*, juncto Symbolo S. Athanasii, ibi : « Nisi fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. » Sic S. Thom. 2-2, quæst. 10, art. 5, et qu. 11, art. 1; Abbas in cit. cap. *Dubius*, n. 1; Pirhing. lib v, Decret., tit. 7, num. 4; Reiffenstuel ibidem, num. 10, et communis aliorum. (5. Dicitur autem notanter, *de articulo sufficienter sibi proposito*, quia ex hujus defectu formales Hæretici non sunt, qui, inter Hæreticos nati et educati, de uno vel pluribus articulis dubitant; his enim dubitare interim licet, donec instruantur, et argumenta seu motiva credibilitatis fidei nostræ sufficienter et recte apprehendant. Et ratio est quia talis dubitatio in istis non est conjuncta cum pertinacia, imo eam ordinat ad penetranda melius fundamenta fidei catholicæ, exempto Beroensium, qui, audita prædicatione S. Pauli *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*, ut legitur in Actibus apostolorum c. XVII; et sic colligitur ex verbis S. Augustini epist. 162, relat. in cap. *Dixit Apostolus* 29, caus. 24, q. 3, et docet Layman lib. II, tract. 1, cap. 13, n. 5. Valent. tom. III, d. 1, quæst. 10, part. IV;

Digitized by Google

Sanchez lib. II, c. 1, n. 8; Reiffenst. lib. V, *Decret.*, tit. 7, n. 11, et alii.

(6. Hæreticus est qui de sacramentis aliter sentit ac docet quam Romana Ecclesia prædicat et observat. Argum. c. *Ad abolendam* 9, *de Hæreticis*, et cap. *Hæresis* 27, caus. 24, quæst. 3, Fagnan. lib. I *Decret.*, in cap. *Cum venisset* 1, *de Sacra Unction.*, num. 96. (7. Hæreticus alius est lapsus, et alius relapsus. Lapsus est, qui a professione fidei in hæreticam pravitatem incidit, in eaque perseverat; relapsus vero est, qui postquam pœnitens errorem abjuravit, iterum in hæresim relabitur; Farinac. *de Hæresi* qu. 194 et 195; Brugiot. *Institut. crimin.*, lib. II. tit. 2, n. 9; card. Albic. de Inconstant. in fid. part. I, cap. 16, num. 1 et sequent. Ursaya, Instit. Crimin. l. I, titul. 6, num. 12. (8. Relapsus alius dicitur relapsus manifestus, seu vere, et alius præsumptus, seu ficte. Relapsus manifestus, seu vere, est ille de cujus primo et secundo lapsu constat ex manifestis probationibus; Decian lib. V, cap. 10, num. 1. Relapsus vero præsumptus et ficte est ille cujus duplex lapsus non est concludenter probatus, sed solum ex vehementi suspicione; Ursaya loc. cit., num. 13. (9. Non solum autem relapsus dicitur, qui in eamdem speciem hæresis, quam abjuravit, relabitur, ut in cap. *Ad abolendam* 9, *de Hæretic.* § *Illos quoque*, sed etiam ille qui post abjuratam simpliciter et generaliter hæresim, inde in quamcunque aliam hæresim incidit, vel receptat, associat, defendit, vel auxilium fert hæreticis; cit. cap. *Ad abolendam* 9, *de Hæreticis*, § *Illos quoque*; Ursaya, Inst. Crimin. lib. I, tit. 6, num. 15, et cum aliis Pegnia de Inquisit. part. II, Commen. 65. Menoch. de Arb. cap. 374, n. 1 et seq.

(10. Hæreticus, vel schismaticus, si non resipiscat, nequit salvari, sed æterno damnabitur, nec ad salutem ei proderunt baptismus, eleemosyna, aut mori pro Christo; textu expresso in c. *Firmissime* 3, *de Hæreticis*, ubi ex verbis S. Augustini (sive potius, ut aliqui volunt, S. Fulgentii) sic præcise habetur: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hæreticum, vel schismaticum, cum diabolo et angelis ejus æterni ignis incendio præcipitandum, nisi ante finem vitæ catholicæ fuerit incorporatus Ecclesiæ; » et post pauca: « Omni homini qui Ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemsoyna, quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem (18).

(11. Catechumenus nondum baptizatus, deficiens a fide quam recepit, non est proprie dictus hæreticus, saltem coram Ecclesia et in foro externo, sed infidelis, quia fidem solemniter in baptismo non est professus, adeoque neque formaliter et completive membrum Ecclesiæ factus est, sed inchoative solum; Sanchez. lib. II, Moral., cap. 7, num. 34; Azor., part. 1. Instit. moral., lib. VIII, cap. 9, q. 3; Pirhing, loc. citat., num. 6, et alii. (12. Ficte, et invalide Baptizatus si fidem deserat, habendus est ut Hæreticus, quandiu de Baptismi fictione, aut invaliditate non constat; licet in genere talis non sit defectu Baptismi. *Communis.* (13. Qui metu mortis perculsus negat fidem, verbi gratia, se esse catholicum, vel aliquid fidei contrarium affirmat, absque ullo tamen interiore assensu, peccat quidem contra præceptum profitendi fidem, at non est vere et proprie Hæreticus, cum hæresis essentialiter consistat in interno judicio erroneo intellectus contra fidem. Azorius, part. I. Instit. moral., lib. VIII, c. 9, q. 9, cum communi aliorum.

(14. Tanquam Hæreticus censendus est, non solum is qui temere asserit, sed etiam qui vertit in dubium animam rationalem seu intellectivam non esse formam corporis humani per se et essentialiter. Clement. Unic. § *Porro de summa Trinitate.* (15. Sic etiam tanquam verus hæreticus est habendus non solum is qui temere negaret, sed etiam qui vertit in dubium, animam rationalem seu intellectivam esse immortalem. Conc. Lateranense tertium sub Leone X, sess. 8, ibi: « Damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, et hoc in dubium vertentes cum illa non solum vere et per se, et essentialiter humani corporis forma existat, verum et immortalis, quod manifeste constat ex Evangelio. »

(16. Omnis communicatio politica, seu quæcunque conversatio, commercium et convictus cum hæreticis, unde imminet periculum subversionis fidei, vel morum est catholicis prohibita sub mortali. *Communis.* Apostolus enim ad Titum III, sic præcise dicit: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est*; et II ad Thimoth., cap. II, idem Apostolus prohibet omnem conversationem et colloquium cum hæreticis dicens: *Profana et inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem; et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus Hymenæus et Philetus qui a veritate exciderunt;* et ex Ecclesiastici III: *Qui amat periculum, in illo peribit.* (17. Si autem absit periculum subversionis, et scandalum, possunt catholici licite cum hæreticis communicationem politicam habere, etiamsi essent Lutherani, Calvinistæ aliive publice denuntiati, excommunicati quotannis per bullam *Cœnæ*. Et ratio est quia Martinus V in concilio Constantiensi per constitutionem incip. *Ad evitanda* declaravit, nullum excommunicatum in posterum esse vitandum, nisi a Judice specialiter et nominatim sit denuntiatus, aut nisi sit publicus, et notorius percussor clerici. Denuntiatio autem quæ fit in bulla *Cœnæ* non est specialis circa aliquas personas nominatim expressas, sed generalis, duntaxat omnes Lutheranos, Calvinistas, etc., in genere complectens, adeoque, etc. Sanchez lib. II. Moral., cap. 9, num. 3; Pirhing.,

(18) Scilicet, dummodo mors pro Christo suscepta non includat implicitam hæresis detestationem, nam si charitate motus hæreticus pro Christo mortem subeat, implicite detestatur hæresim. (Not. Rom. Theol.)

Digitized by Google

lib v. Decr. tit. 7, num. 22 et 23; Reiffenstuel ibid., num. 22 et 23, et communis aliorum juxta praxim et usum communem.

(18. Hinc citati doctores et alii inferunt licitum esse catholicis, præsertim in locis ubi cum hæreticis permisti vivunt, primo, inire et habere cum eis civiles contractus. Azorius part. I, lib VIII, c. 11 ; Sanchez loc. cit., cap. 9 , n. 5; Pirhing l. cit. n. 24 ; Reiffenstuel loc. cit., n. 24; secundo adire et visitare templa hæreticorum, et ibi ritu catholico orare; vel conciones eorum audire , si ex justa causa fiat, verbi gratia, ut famulus Dominum suum comitetur, vel ut errores prædicantis hæretici adnotentur ad confutandum , dummodo absit scandalum et periculum propriæ perversionis. Sanch., lib. II, Moral., cap. 4. num. 26; Layman, lib. II, tract. 1, cap. 11, n. 5; Becan., tract. de fide, cap. 9, quæst. 5, n. 17; Azor. loc. cit., cap. 11, q. 3; Pirhing. loc. cit., sub num. 24. Reiffenstuel loc. cit. , num. 23, Tertio , admittere filios hæreticorum ad scholas vel studia catholica, non tamen e contra filios catholicorum ad scholas hæreticorum ob perversionis periculum. Navarr. lib. I. consil. 1, num. 26; Reiffenstuel loc. cit. num. 24. Quarto, cum hæreticis nondum personaliter denuntiatis simul orare, et rem divinam ac conciones cum eis audire, et funus ad sepulcrum comitari , dummodo id fiat solo affectu civilitatis et amicitiæ, sine communicatione in ritibus et cæremoniis Hæreticorum et hæretici non sepeliantur in loco sacro. Navarr. consil. 12, num. 7, *de Hæreticis*; Azor. loc. cit., cap. 11, q. 2 et 4; Pirhing loc. cit. num. 24. Quinto , servire , seu famulari hæreticis. Reiff. loc. cit. num. 24, et communis aliorum (19).

(19. Matrimonia catholicorum cum Hæreticis, debite ac ritu catholico contracta, sunt valida. S. Thomas et S. Bonaventura in 4, dist. 39, q. 1, art. 1 ; Abbas in cap. final. *de condition. appos.*, n. 5, et ibi Joan. And. n. 8; Cardinalis nu. 3; Sanchez lib. LXXII, disp. 72, nu. 2; Navarr. in Manual., cap. 22, n. 49 ; Reiffenstuel lib. Decret., num. 347, cum communissima aliorum, et hodie certa; arg. cap. *Decrevit* 14, *de Hæreticis* in 6. (20. Talia tamen matrimonia sunt illicita sub peccato mortali, nisi Papa dispenset aut rationabilibus causis excusentur. *Communissima* ob clara jura hujusmodi matrimonia expresse et graviter prohibentia, uti patet ex consilio Agathensi relat. in cap. : *Non oportet* 15, caus. 28, qu. 1, ibi : « Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia. » Conc. Illiberit., cap. 16, ibi : « Catholicas puellas neque hæreticis dare placuit, » et cap. *Cave* 15, caus. 28, q. 1, ibi : « Cave, Christiane ... ne ... alienam a fide tua uxorem accersas tibi. » Concordat concil. Laodicense cap. 10; Carthaginense III, cap. 12; Chalcedonense, cap. 14 ; juncto cap. *Decrevit* 14, *de Hæreticis* in 6, ubi mulieres hæreticis nubentes in pœnam peccati privantur dote, et sic tenet communis catholicorum cum Perez de Matrim. disp., n. 36, sect. 2, n. 2 ; Sanchez lib. VII, disp. 72, num. 5; Sporer. tom. IV, cap. 1, sect. 1, num. 118. Layman. lib. V, tract. 10, part. IV, cap. 14 ; Gobat, tract. 9, cas. 11, num. 216, dicentium peccare mortaliter catholicum, aut catholicam, si cum Hæretica , aut Hæretico matrimonium contrahat , quia in re gravi agit contra justissima Ecclesiæ præcepta. Et novissime declaravit Clemens XI, die 16 Junii 1710, teste card. Petra tom. IV Comment. in constitut. 12 Joann. XII, num. 13. Vide ibi, ubi, multa ad rem.

(21. Notanter autem dicitur, *nisi Papa dispenset aut rationabilibus causis excusentur*, quia interveniente Pontificis dispensatione, talia matrimonia sunt licita, cum pontifex possit sine dubio supra jus ecclesiasticum dispensare ; textu expresso in cap. *Proposuit* 4, *de concession. præbend.* ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. » (22. Sicuti etiam sunt licita talia matrimonia si rationabiles causæ interveniant, quæ potissimum tres esse possunt. Prima, utilitas spiritualis, utpote si conjux Hæreticus promittat, vel certe magna spes sit illum fidem catholicam amplexurum ; ita expresse cit. concil. Illiberitanum , et Laodicense , et communis doctorum cum Laym. l. c. sub n. 2; Marchan. tom. II, tract. 2, sect 4, qu. 11, in appendic. qui huc refert connubia cum hæreticis regibus et principibus si inde speretur conversio regnorum, protectio catholicorum, cessatio persecutionum. Secunda, moralis quædam necessitas, verbi gratia, dum quis habitat in regionibus Hæreticorum prædominantium, nec facile reperit personam suæ qualitatis et conditionis cui honeste nubere possit. Tertia, gravis damni evitatio, verbi gratia, quia alias esset periculum exhæredationis, proscriptionis, ruinæ totius familiæ, hæreditatis totius ad hæreticos devolvendæ , et hujusmodi. In his et similibus casibus permittuntur connubia catholicorum cum hæreticis, consulto tamen semper , cum fieri potest , pontifice , vel saltem ordinario. (23. Imo Azorius tom. I, lib. VIII, cap. 11, q. 5. Sanchez cit. disp. 72, n. 5 ; Sa, de Matrimonii impedimentis, n. 8 ; Layman loc. cit., sub num. 2 ; Sporer tom. I tract. 2, cap. 3, sect. 3, num. 33 ; Reiffenstuel, lib. IV, decr., tit. 1, sub num. 371 ; et alii addunt in Germania et cæteris locis ubi Hæretici cum catholicis permisti habitant, id licere ex consuetudine, dummodo revera absit omne periculum subver-

(19) Vide append. verb. *Fides* adjectam, in qua laxæ Auctoris nostri opiniones hic expositæ confutantur. Hic vero satis duximus responsionem afferre quam dedit Anglis, an. 1606, Paulus V: « Accepimus namque, » inquit SS. Pontifex, « compelli vos gravissimis pœnis propositis templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse... nihilominus zelo pastoralis officii nostri impulsi, et pro paterna sollicitudine, qua pro salute animarum vestrarum assidua laboramus, cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis aut eorum conciones audiatis vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento Dei cultus et salutis vestræ. » (NOTA ROMANI THEOLOGI.)

Digitized by Google

sionis et scandali, matrimonium celebretur ritu catholico, et educatio totius prolis in fide et moribus maneat penes conjugem catholicum, saltem usque ad annos pubertatis et emancipationis. Observa tamen novissimam declarationem allatam supra num. 21 in fine. Adisis etiam Benedicti XIV de Synodo Diœces. cap. 3, lib. IX ejusque constitutionem *Magnæ nobis*, quæ legitur tomo II Bullarii, num. 51.

(24. Unde iniquissimum et graviter peccaminosum est, tam contra jus ecclesiasticum quam divinum, illud pactum quod in aliquibus locis dicitur adjici matrimonio catholici cum Hæretica, nempe ut masculi educentur in fide catholica patris et feminæ in secta Hæretica matris; vel e contra; Navarr. lib. I consil. 1, qu. 25, num. 63; Dicastil., disp. 7, n. 705, Perez de Matrimon., disp. 36, sect. 2, num. 6; Bosco, de Impediment. matrimon., disp. 2, sect. 11, concl. 3, num. 118; Sporer, tom. IV, cap. 1, sect. 1, num. 118, Reiffenstuel loc. cit., num. 371, Layman, loc. cit., num. 3, ubi dicit id apud omnes in confesso esse. Et quidem quod sit contra jus ecclesiasticum patet ex cap. final. *de Convers. infidelium*. Et concordant jura allegata supra num. 21. Quod autem sit contra jus divinum inde constat quia juxta communem theologorum ad utrumque parentem de jure divino pertinet cura educandi omnes liberos in vera fide ac religione. (25. Nec valet dicere pluribus in locis adesse immemorabilem consuetudinem de existentia vel tolerantia hujusmodi pacti. Non valet, inquam, quia cum tale pactum sit contra jus naturale et divinum, nulla valet consuetudine etiam immemorabili roborari, et licitum reddi, textu expresso in cap. *Cum tanto* 11, *de consuetudine*, ibi : « Nemo sanæ mentis intelligit naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacunque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. »

(26. Disputare publice, vel privatim cum Hæreticis de fide est prohibitum omnibus laicis sub pœna excommunicationis ferenda sententiæ, textu expresso in cap. *Quicunque Hæreticos* § *Inhibemus* 2, *de Hæreticis* in 6. ibi : « Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice, vel privatim de fide catholica disputare, qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur. » (27. Notant tamen, teste Sanchez, lib. III Moral. cap. 6, num. 7, Palao tract. 4, disp. 2, punct. 4, Herinex disp. 9, de Fide q. 3, num. 34; Reiffenstuel lib. V, Decret., tit. 7, numer. 28; Pirhing ibid. sub num. 28; et alii legem, seu prohibitionem hanc, vel usu nunquam fuisse receptam, vel contraria consuetudine iterum abrogatam in locis, in quibus catholici habitant permisti cum Hæreticis, quia passim ibidem laici catholici disputant cum Hæreticis in privatis colloquiis, et id sæpe necessarium est pro avertendo pusillorum scandalo, præsertim, ubi ob persecutionem Hæreticorum non tolerantur clerici. (28. Disputare cum Hæreticis non est prohibitum clericis, maxime si sint sufficienter docti, et debitas circumstantias prudenter observent respectu audientium, loci, et temporis, ut recte observat Gonzalez in cap. *Cum ex injuncto* 12, *de Hæreticis*, Reiffenst. loc. cit., num. 29 *et* 30. Vid. verb. *Fides* a n. 36.

(29. Stando in rigore juris communis tum canonici, tum civilis, nec recipi, nec tolerari possunt Hæretici, et ritus eorum in territoriis catholicis, sed eos ubique repellere, expellere et exterminare tenentur principes catholici. Et quidem in jure canonico sic statuitur expresse; c. *Excommunicamus* 13, § *Moneantur de Hæreticis*, et concordat c. *Ad abolendam* 9, § *Statuimus tit. eod. et cap. Ut Officium* 11, § *Statuimus* eod. in 6, et sæpe alibi. In jure civili sic statuitur leg. *Omnes* 2, *Cod. de Hæreticis*, l. *Manichæus* 5, Cod eod. Authent, *Si vero*, Cod. Auth. Gazaros. Cod. eod. et sæpe alibi. (30. Ad evitandum tamen majus Religionis, vel Ecclesiæ catholicæ malum, recipi et tolerari possunt Hæretici in locis catholicis : Layman lib. II, *tract.* 1, cap. 17, n. 4, cum variis aliis : Reiffenstuel loc. citat., numer. 146 et alii passim, et docet usus et praxis communis.

(31. Hæretici sunt revelandi, seu denuntiandi inquisitoribus sub pœna excommunicationis : Innocent. IV, constitut. 18, incip. *Noverit*. (32. Imo Hæretici evidenter cogniti tales sunt denuntiandi, quamvis probari non possint : Alexander enim VII, die 7 Septembris 1665, inter alias merito damnavit sequentem propositionem in ordine quintam : « Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse Hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. » (33. Libros Hæreticorum scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ; Communis ac certa, textu expresso in ipsa Bulla, § 1, ibi : « Excommunicamus et anathematizamus, etc., omnes, et singulos Hæreticos, etc., ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, » etc. Sed de istis late sub verb. *Libri*.

(34. Hæretici omnes formales externi ipso facto incurrunt excommunicationem papæ reservatam; *Communis, et certa* ob clara jura cap. *Sicut* 8, cap. *Ad abolendam* 9, cap. *Excommunicamus* 13, *de Hæreticis, et Bullæ Cœnæ* § 1. (35. Imo non solum Hæretici, sed etiam credentes eis, receptores item, defensores, et fautores eorumdem, Communis, et certa ob expressa Jura cit. cap. *Excommunicamus* 13, *de Hæreticis et Bull. Cœnæ* § 1. (36. Credentes autem in proposito dicuntur, qui eorum erroribus aliquo modo assentiuntur, saltem implicite et in confuso, v. g. dicendo, et tenendo vera esse, quæ Lutherus, Calvinus, vel alius determinatus Hæreticus contra Ecclesiam Catholicam docuit, vel dixit : etsi in particulari eorum errores ignorent; Communis cum

Digitized by Google

Barbosa in cit. cap. *Excommunicamus* 13, *de Hæreticis* n. 20, Pirhingh. loc. citat., n. 106, Reiffenstuel. loc. cit., n. 248, Sporer loc. cit., n. 27. (37. Receptores dicuntur, qui Hæreticos ob causam hæresis fugientes domo, vel alio loco recipiunt, et abscondunt, ne a judicibus legitime inquisiti capiantur; *Communis*. (38. Defensores dicuntur, qui quovis modo, vi aut dolo, verbis, aut calamo Hæreticorum errores, vel personas defendunt, et impediunt ne cum eis justitia fiat; *Communis*. (39. Fautores dicuntur, qui aliquem illis favorem præstant, quo eorum hæresis, aut immunis permaneat, aut illam liberius diffundere possint, et exercitia sua hæretica, conventicula, aut alia quæque ad hæresim fovendam, et promovendam spectantia exercere valeant; *Communis*. (40. Excommunicationem ipso facto etiam incurrunt, qui hæreticos, aut eis credentes, aut eorum receptores, defensores, aut fautores in loco sacro sepeliunt; cap. *Quicunque* 2, *de Hæreticis*.

(41. Omnes Hæretici publici, et notorii ipso facto sunt irregulares, et remanent tales etiam post conversionem, et absolutionem; *Communis* ac certa; arg. cap. *Nos consuetudinem* 8, dist. 12, cap. *Si qui presbyteri* 1, cap. *Convenientibus* 4, § *Ex hac auctoritate*, et cap. *Saluberrima* 21, caus. 1, quæst. 7, juncto cap. 2, § *Hæretici*, et cap. *Statuimus* 15, *de Hæreticis* in 6. (42. Etiam hæretici occulti probabilius sunt irregulares; sicut enim ob hæresim occultam contrahitur excommunicatio, ita et irregularitas; jura enim universaliter loquuntur; tum quia Clemens VII concessit inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate ob hæresim occultam, quod est manifestum signum eam etiam incurri propter hæresim occultam, aliter esset superflua talis concessa facultas dispensandi in ipsa; sic Farinac. de hæresi, quæst. 192, numer. 68; Donatus, prax. rerum regul. *tom.* II, tract. 5, q. 21, n. 5; Silvest., verb. *Crimen.*, qu. 2, num. 3; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. 11, qu. 3, et cap. 21, qu. 8; Sanchez, lib. II, Moral., cap. 25, num. 2; Reiffenstuel, loc. cit., num. 225, cum communiori, et veriori aliorum. (43. Irregularitas incurritur etiam a credentibus, receptoribus, defensoribus, et fautoribus Hæreticorum; cap. *Quicunque* 2, § *Hæretici*, et cap. *Statutum* 15, *de Hæreticis* in 6.

(44. Hæretici omnes, credentes, receptores, defensores, et fautores eorum, sunt inhabiles ad beneficia, et officia ecclesiastica; textu expresso in cit cap. *Quicunque* 2, § *Hæretici*, et cit. cap. *Statutum* 15, *de Hæreticis* in 6. (45. Hinc tenentur beneficia in hæresi recepta una cum fructibus dimittere, et restituere; arg. cit. c. *Quicunque* et cit. cap. *Statutum*, ubi expresse subjungitur: « Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane, » quod autem est irritum et inane nullo modo subsistit, et sic talis collatio beneficii est ipso jure nulla, et fructus injuste sunt recepti, adeoque, etc. Farin., *de Hæresi* qu. 189, num. 71; Garcias, *de Benefic.* p. 11, cap. 10, num. 72 et 80. Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 27, num. 4; Pirhing loc. cit., num. 49; Reiffenstuel, loc. cit., num. 257, et alii passim. (46. Talis inhabilitas ad beneficia, et officia ecclesiastica durat in ipsis etiamsi convertantur, et hæresim abjurent, præsertim si fuerint publici, seu notorie Hæretici; Geminian. in cap. *Super eo* 4, *de Hæreticis*, in 6; Hostiens. *in Summa de Hæreticis*, § *Quando, et qualiter*, n. 12; Palao *de Hæresi Tract.* 4, disp. 5, punct. 5, n. 2, et dicens id esse certum; Reiffenstuel, loc. cit. n. 258, alii relati a Farinac. *de Hæresi* qu. 193, num. 68. (47. Et hæc inhabilitas probabilius durat etiam in Hæreticis occultis post eorum conversionem, et absolutionem; jura enim citata indistincte loquuntur, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, *de privil.* et l. *de pretio*, ff. *de Publiciana in rem action.* Reiffenst. loc. cit. n. 269, et alii apud Farin. *de Hæresi* q. 189, num. 82, et seq. et quæst. 193, a num. 66 et Donat. *Prax. rer. Regul.* tom. II, tract. 5, q. 21, n. 5 ubi ex cap. *Nos consuetudienem* 8, dist. 21, et cap. *Convenientibus*, § *Ex hac auctoritate* 4, caus. 1, qu. 7, expresse dicit, quod qui lapsus est formaliter in hæresim, sive occulte, sive manifeste, etiam post absolutionem remanet irregularis, non solum quo ad recipiendas dignitates, sed etiam quo ad recipiendos ordines; et etiam ad exercendos eos, quos habet; Ricciul. *de Jure Person.* lib. V, c. 18, n. 1; Bonac. *de Censur.* disp. 7, q. 5, p. 7, n. 6 et seq., et multis citatis Peyrin. tom. II, *de Prælat.* q. 2, c. 5, § 6. n. 73.

(48. Hæretici, eisque credentes, receptores, defensores, et fautores eorum, sunt insuper privati beneficiis, et officiis prius rite obtentis; communis, arg. cap. *Ad abolendam* 9, *de Hæreticis*, et cap. *Ut commissi* 12, eod. in 6. (49. Et hoc ipso jure ante sententiam judicis; Garcias, *de Benefic.* p. 11, cap. 10, n. 66. Gonzal., *ad Regul. Cancell. Gloss.* 15, num. 65; Farin. *de Hæresi*, q. 183, num. 77; Sanchez l. II. *Moral.* c. 26. n. 6. Reiffenstuel. loc. cit., num. 262; Flaminius, lib. III, q. 1, num. 31, Castro Palao, loc. cit. Cavarrauv., *Variar. resolut.*; c. 8, n. 4, et communior; et probabilior cum Fagn. in cit. cap. *Ad abolendam*, a num. 29 usque ad 44, arg. cit., cap. *Ad abolendam* 9, *de Hæreticis*, et facit praxis, et stylus curiæ romanæ Hæreticos a die commissi criminis hæresis censentis privatos beneficiis, ita ut a die lapsus in hæresim nulli amplius resignari possint, sed a quovis impetrari valeant; Fagn. loc. cit., num. 41. (50. Sic de tali stylo et praxi testantur Sanchez et Farin. locis citatis. Ante tamen sententiam declaratoriam criminis commissi beneficia dimittere, et fructus post privationem ipso jure statutam perceptos restituere non tenentur; arg. cap. *Cum secundum leges* 19, *de Hæretic.* in 6. Farin. loc. cit., qu. 189, num. 8; Sanchez loc. cit., num. 7; Castro Palao, loc. cit., num. 5; Reiffenstuel, loc. cit., num. 265; Azor. p. 1, lib. 5, cap. 8, q. 3; Fagn., loc. c. num. 42, citans alios. (51. Hinc in-

Digitized by Google

fertur quod privatio beneficiorum prius rite obtentorum locum non habeat, quandiu hæresis manet occulta, cum supra hæresi occulta nequeat, sententia declaratoria proferri; ut de se patet; Reiffenstuel loc. cit., numer. 266, et alii passim.

(52. Tam filii, quam nepotes patris Hæretici, soli autem filii non item nepotes, matris Hæreticæ ipso jure sunt inhabiles ad officia, et beneficia ecclesiastica, et irregulares, textu expresso in cap. *Quicunque* 2, § *Hæretici*, et cap. *Statutum*, 15, *de Hæreticis*, in 6, et sic communis doctorum. (53. Redduntur tamen habiles, si eorum parentes convertantur et ad Ecclesiam catholicam redeant, sive nati sint ante, sive post ipsorum conversionem, textu expresso in cit. cap. *Statutum* 15, § *Hoc sane de Hæreticis*, in 6. Rursus Communis. (54. Qui ad preces, vel recommendationem Hæreticorum obtinent beneficia, ipso actu privantur sic acquisitis, et inhabiles fiunt ad alia, textu expresso in cap. *Quicunque* 2, § *Ad hæc, de Hæreticis* in 6. *Communis.* (55. Hæretici, eorumque receptores, defensores, et Fautores, ipso jure privati existunt ecclesiastica sepultura; arg. cap. *Sicut* 8, *de Hæreticis*, et cap. *Quicunque* 2, eod. in 6. *Communis.* (56. Hæretici propter crimen hæresis confugientes ad Ecclesiam, non gaudent immunitate; Gregor. XIV, Constit. incip. *Cum alias*, ubi inter personas non gaudentes immunitate ecclesiastica expresse excipiuntur *hæresis rei.* (57. Notanter autem dicitur, « propter crimen hæresis confugientes, » quia si Hæretici tolerati confugiunt ad Ecclesiam propter aliud crimen, v. gr. furtum, homicidum, etc., immunitate gaudent ut cæteri, cum solum pro hæresis crimine, et non pro aliis delictis non exceptuatis immunitate priventur; Nicolius *Lucubr. utriusque Juris* part. 1, lib. II, tit. 8, *limita secundo;* Silvester verb. *Immunit.* 3, q. 3; Zœsius *de Immun. Eccles.* n. 16, et alii passim. Et sic docet praxis, et usus communis.

(58. Hæretici omnes sunt infames; cap. *Infames* 17, caus. 6, q. 1, cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes, de Hæret.* et Authen. Gazores, Cod. *de Hæretic.* ibi : « Omnes Hæreticos utriusque sexus quocunque nomine censeantur perpetua damnamus infamia. » Post tamen sententiam declaratoriam criminis commissi, ut docent Sanchez lib. II, Moral., cap. 26, n. 1; Pirhing, loc. cit., num. 52; Reiffenstuel loc. cit., n. 239, et alii communiter nisi sint Hæretici publici, et notorie tales; Sanchez loc. cit., n. 2; Reiff. l. c. n. 304; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. 13, q. 8, et alii. (59. Receptores, defensores, et Fautores Hæreticorum redduntur etiam ipsi infames, si postquam fuerint excommunicati intra annum satisfacere contempserint, textu expresso in cit. cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes de Hæreticis.* (60. Hæretici eorumque receptores, defensores, et fautores sunt etiam inhabiles ad omnia officia publica, honores, et omnes actus civiles; cit. cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes, de Hæreticis*, et concordat cap. *Quicunque Hæreticos* 2, § *Hæreticos* in 6, l. *Manichæos* 4, *Quæ Samaritis* 18, et Authent. *Credentes*, Cod. *de Hæreticis*, et sic communis doctorum.

(61. Hæretici a die commissi criminis ipso facto amittunt patriam potestatem in filios, et isti efficiuntur sui juris, textu expresso in cit. cap. *Quicunque Hæreticos* 2, § *final. de hæreticis* in 6. Et ibi glossa communiter recepta, verb. *Desierint.* (62. Sic mulieres Hæreticæ amittunt dotem, et omnia alia privilegia, textu expresso in § *Item privilegium*, Cod. *de Hæreticis.* (63. Hæretici amittunt facultatem faciendi testamentum, et succedendi in hæreditatem, tam ab intestato, quam ex testamento; l. *Manichæos* 4, § 2 et 5, cod. *de Hæreticis;* concordat *Authen. Credentes*, et l. *Ariani*, et l. *final.* Cod. eodem; et expresse cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes, de Hæreticis.*

(64. Hæretici a die commissi criminis ipso jure incurrunt confiscationem omnium suorum bonorum ita ut nec filiis eorum catholicis successio aliqua vel hæreditas relinquatur : c. *Vergentis* 10, *de Hæret.* cap. *Cum secundum* 19, *de Hæretic.* in. 6. Et Authent. Gazaros, Cod. *de Hæreticis.* (65. Ante autem sententiam declaratoriam commissi criminis hæresis, Hæretici possessionem non amittunt, et bona sua fisco tradere non tenentur, arg. cit. cap. *Cum secundum* 19, *de Hæreticis ad finem.* Et communis doctorum. (66. Nisi tamen Hæretici sint publici, et notorie tales, quia tunc cum crimen jam notorium celari non possint declaratio illius non erit expectanda : arg. cap. *Evidentia, de accusat.* (67. Hæretici amittunt jurisdictionem, et dominium in vassallos et servos; ipsi enim vassalli, et servi, aliique liberantur a privata obligatione debita Hæreticis, et fide eisdem servanda textu expresso in c. *Absolutos* 16, *de Hæreticis.*

(68. Hæretici debent damnari ad carceres perpetuos, vel temporales juxta criminis, et personarum circumstantias et qualitates; cap. *Ut commissi* 12, vers. *Et illorum de Hæreticis* in 6. (69. Hæretici impœnitentes ultimo supplicio affici, et comburi debent; sic communis doctorum; arg. l. *Ariani* 5, l. *Quicunque* 8, Cod. *de Hæreticis*, cap. *Excommunicamus* 13, *de Hæreticis*, et Constitutione Caroli V; ann. 1540, edita, vi cujus Hæretici impœnitentes comburi, resipiscentes vero gladio feriri jubentur. (70. Sic etiam ultimo supplicio afficiendi sunt Hæretici elapsi etiam pœniteant et hæresim denuo abjurent, et plene se convertent; arg. cap. *Ad abolendam* 9, *de Hæreticis*, 8, *eodem* et concordat cap. *Super eo* 4, et cap. *Accusatus* in 6. Et sic communis doctorum, teste Palao *de Fide* tract. 4, disp. 6, punct. 2, n. 7.

(71. Filii, et Filiæ parentum Hæreticorum, quamvis sint catholici, privantur quavis hæreditate paterna, tam ex testamento, quam ab intestato, eis alias competente; cap. *Vergentis* 10, *de Hæreticis*, cap. *Cum secundum* 19, *eodem* in 6, et Authent. Gazaros., Cod. *de Hæreticis.* (72. Non sunt tamen incapaces hæreditatis ascendentium, collateralium et

Digitized by Google

exterorum, quia jura statuentia privationem successionis ex testamento, et ab intestato loquuntur de sola successione paterna, non autem avi, collateralium, et exterorum bonis, et consequenter ad hæc extendenda non sunt; arg. cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, *de Reyul. Juris* in 6. Communis cum Farinaccio *de Hæresi*, quæst. 291, num 26; Pirhing. loc. cit., num. 99; Molina *de Jure et Just.* disp. 6, num. 19. (73. Filii et filiæ Hæreticorum sunt etiam infames: arg. l. *Quisquis* 5, Cod. Ad l. *Jul. Majest.* et cap. *Quicunque* 2, *de Hæreticis* in 6. Et expresse habetur in pluribus Constitutionibus pontificiis, ut Innocent. IV, incip. *Ad extirpanda edita* 1252; Alexandr. VI, inc. etiam *Ad extirpanda edita* 1259; Clementis IV incip. pariter *Ad exstirpanda, edita* 1265; Honorii IV, inc. *Exhibita edita* 1286, quibus specialiter declaratur filios Hæreticorum esse infames, ut videre est apud Farinac. *de Hæresi* quæst. 191, n. 26, et Pegna in *Director. Inquisit.* p. 1, comm. 4, vers. *Hæc autem infamia;* (74. Claudius tamen La Croix lib. VI, p. 12, numer. 2218, ex Sa, Henriq., Sanchez, Layman, Sayr, Gibal, Gobat, dicit, quod nati in Germania ex Hæreticis parentibus non sunt infames; unde conversi possunt sine dispensatione promoveri ad Sacros Ordines.

(75. Filii Hæreticorum sunt immunes a reliquis temporalibus, et corporalibus pœnis; cap. *Vergentis* 10, *de Hæreticis*, et l. *Quisquis* 5, Cod. Ad l. *Jul. Majest. Communis.* (76. Imo filii Hæreticorum sunt immunes etiam a pœna privationis beneficiorum, et officiorum obtentorum ante parentum condemnationem; quamvis enim Jo. Andr. Gigas et alii, quos refert Ricciullus *de Jur. Person.* lib. V, cap. 29, num. 4, teneant, et affirment, ipsos talem pœnam incurrere; merito tamen negat Abbas in cap. *Vergentis* 10, *de Hæreticis*, num. 4, et alii. Unde cum tempore S. Mem. Clement. VIII, quæstio hæc ad Sedem Apostolicam delata fuisset, idem atque summus ac doctus Pontifex, auditis sententiis cardinalium, approbavit hanc partem negativam, ut testatur Ricciullus loc. cit. et recognosci potest ex decis. 87 et 90, impressis post II. vol. Consil. Farinac. Sic Ursaya Instit. Crimin. lib. I, tit. 6, n. 72, et tenent Sanch. lib. II moral. cap. 28, num. 28. Menoch. consil. 805, numer. 33; Felin in cit. cap. *Vergentis* num. 3; Clarus § *Hæresis* numer. 14; Pirhing. loco citat., numer. 106, et plures alii contra Gonzalez, Reiffenstuel. loc. citat. numer. 281, et plures alios ibi ab ipso citatos.

(77. Hæretici, qui ad catholicam Ecclesiam redeunt, possunt libere, ac licite retinere tanquam sua propria omnia bona ecclesiastica olim a suis majoribus seu a se ipsis usurpata. Sic novissime amplissime concessit Clemens XII const. incip. *Sedes Apostolica*, edita pro Hæreticis in ditione saxonica existentibus. Uti jam concesserat Benedictus XIII. Constit. incip. *Æterni Patris*, edita 12 Augusti 1724, pro Ruthenis redeuntibus ad Ecclesiam catholicam.

(78. Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiæ a majori pœnitentiario, vel de ejus mandato; occulti vero sunt, qui etsi hæresim suam extrinsecis actibus manifestarunt, nemo tamen illos vidit; ita Benedict. XIV constit. 95. t. I, inc. *Pastor bonus*, § 9.

(79. Potest etiam major pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere publicos Hæreticos, seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denuntiare; illis nempe mortuis, sive degentibus in locis palam infectis; non vero si vivant ubi inquisitionis officium viget; *ibid.*

(80. Principes, vel qui vicario nomine statui præsunt, dominia, et respublicæ illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, Episcopi, et Superiores prælati in casibus publicis contentis in bulla Cœnæ Domini ab illo, nempe majori pœnitentiario absolvi nequaquam possunt; *ibidem*, § 11.

(81. Sicuti nec ab eo absolvi possunt ab incursa censura omnes quicunque etiam S. R. E. cardinales, qui, vivente Romano Pontifice, de alio eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusque aut pactiones fecerint; *ibidem* § 12.

(82. Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam judiciariam, per se vel per alios de statu reipublicæ christianæ, sive de vita, et morte Rom. Pontificis tunc existentis inquisiverint; *ibidem*, § 13.

(83. Denique nec potest absolvere in casibus publicis violatæ immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ, etiam non deductis in judicium; *ibid.*, § 14.

(84. Tenetur Episcopus etiam in locis ubi officium S. inquisitionis viget, sedulo curare, ut creditam sibi diœcesim ab Hæreticis purget; et si quem repererit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne fidei inquisitores a suo munere obeundo impediat. Deductum vero Hæreticum ad suum tribunal non minus episcopus, quam inquisitor reconciliare possunt Ecclesiæ, et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt Hæreticum postquam errores suos ejuraverit, ad simplicem confessarium, pro absolutione remittere, quæ tunc data a confessario in foro sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. In tractat. *De Synodo diœces.* lib. VII, c. 32, § 3.

(85. Ab hæresi mere interna, et mentali, nullo exteriori signo manifestata, simplex confessarius absolvere potest, cum hæresis sit Summo Pontifici reservata per censuram adnexam, quæ certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit, neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quanquam in foro externo tanquam Hæreticus puniretur, et nequidquam obtenderet se in corde fidem retinuisse; *ibid.*, § 4.

(86. Si vero agatur de hæresi externa occulta, nondum deducta ad forum episcopi, olim quidem facultas facta fuit Episcopis a concilio Tridentino, sess. 24, cap. 6, ut per se, non vero per vicarios suos, illam absolverent in foro conscientiæ. Sed cum in bulla sin-

Digitized by Google

gulis annis publicata reservetur Romano Pontifici absolutio inter cætera etiam ab hæresis crimine, et in ea bulla derogetur omnibus contrariis decretis, cujusvis Concilii, hinc quæstio agitatur apud theologos, num hodie pariter episcopo maneat facultas absolvendi Hæreticos in foro conscientiæ. Negauda tamen est illis hæc facultas, nam illis verbis *non obstantibus cujusvis Concilii decretis*, omnis Concilii Tridentini facultas episcopis adimitur. Quam in rem multa congregationis S. Officii, et congregationis Concilii afferentur decreta, adjiciuntur S. Pii V, Greg. XII, Clem. VIII, vivæ vocis oracula, nequid. dixerim de propositione inter damnatas ab Alex. VII; « Sententia asserens bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis; et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 Julii in consistorio S. Congr. Emorum Card. visa, et tolerata est. » Ingenue quidem fatendum, hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertione de approbatione Sac. Congregationis, quæ nulla fuit. Vix tamen creditur Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac Sac. Congregationis approbatione ab ea propositione, nisi, et eamdem ipsam propositionem improbabilem judicasset. De Synod. Diœc. cit. lib. VII, cap. 32. (87. Sed nec credi potest, facultatem hæresis hujusce absolvendæ Gallicanis episcopis datam esse, quanquam eam sibi multi arrogant, ut multis argumentis cap. 33, evincitur. Quod vero negatur episcopis, negandum est etiam inquisitoribus Hispaniæ, et Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex bulla Cœnæ sublata est; *ibid.*, § 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(88. Lapsus in hæresim, privatur ipso facto omnibus bonis, et juribus ex text. in cap. *Vergentis de Hæretic.* Cap. *Cum secundum Leges* eod. titul. in 6. At intellige, si accedat sententia Judicis declaratoria incursæ hæresis, et pœnæ condignæ, ut advertit Auctor n. 66, et dixit Rot. in Romana Pecuniaria seu Livellorum 2 Decemb. 1746, § 5, cor. Illustris. Caprar. Alm. Urb. Gubernator et 5 Febr. 1748, § cor. bon. mem. Cortad.

(89. Dubitatur vero, an hoc ipsum procedat respectu Hæretici manifesti? Negant post alios Fagnan. in c. *Absolutos* num. 14. *de Hæretic.* quæst. 189, n. 66, tenentque etiam citra sententiam declaratoriam privatum esse Hæreticum manifestum omnibus suis bonis et juribus.

(90. Cæterum textus in c. 26, *de Verb. signific.* statuit « illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra fidem catholicam publice prædicant, aut profitentur, seu defendunt eorum errores, vel qui coram prælatis suis convicti sunt, vel confessi, vel ab eis sentialiter condemnati super hæretica pravitate. »

(91. Debitores Hæretici etiam manifesti, tametsi solvere non tenentur Hæretico ipsius creditum, tamen nihil sibi lucrantur, cum fisco illud solvere debeant, Petra in *Comment. ad constit. Apostol.* Const. 8 Innocent. IV, num. 27; Farinac., *de Hæres* quæst. 89, num. 68, in dict. Romana Pecuniaria seu Livellorum 2 Decem. 1746, § 8, cor. Illustriss. Caprar. et 5 Feb. 1748, cor. bon. mem. Cortad.

(92. Inde sequitur, quod si fiscus non exegerit creditum Hæretici, interimque Hæreticus absolutus fuerit ab omni pœna potest ipse Hæreticus suum creditum a debitore suo exigere, Rot. in dict. Romana Pecuniaria seu Livellorum 2 Decemb. 1746, § 8, cor. illust. Caprar. et 5 Feb. 1748, coram bon. mem. Cortad.

(93. Illud non emittendum, quod licet lapsus in hæresim repellatur a testimonio dicendo, ab eo tamen minime repellitur ille, qui patris sui vestigia sequens, Hæreticus natus est, Rot. in Paderbonen. canonicatus 22 Mart. 1734, coram clar. mem. caloagnin.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

(94. Constitutio Benedicti XIII, de qua loquitur Auctor noster de solis Ruthenis ad catholicam Ecclesiam redeuntibus verba facit; et Clementis XII de solis Hæreticis in Saxonia decentibus: ait enim Summus Pontifex: « Omnia, et singula bona ecclesiastica cujuscunque qualitatis, et valoris in ducatu Saxoniæ, aliisque ditionibus, Augusto regi, uti « Saxoniæ duci subjectis » consistentia, præteritorum temporum confusione occupata modernis eorum possessoribus, seu detentoribus, cujusvis status, ordinis, dignitatis, conditionis, et præeminentiæ fuerint, qui ad catholicæ Ecclesiæ unitatem jam redierunt, vel in posterum redierint, eorumque successoribus quibuscunque catholicis, et in sinceritate orthodoxæ fidei perseverantibus, cum fructibus perceptis harum serie de speciali dono gratiæ remittimus, condonamus, cedimus, et relaxamus, etc. » Ex quo perspicuum fit, iis tantum Ecclesia bona jam antea occupata concessa fuissē, alios vero eadem relaxatione atque cessione indigere

RESPONSIO AUCTORIS.

(95. Dicit hic Rom. theologus quod constitutio Benedicti XIII, incipien. *Æterni Pastoris*, loquitur de solis Ruthenis, et constitutio Clementis XII, incip. *Sede Apostolica*, de solis Hæreticis in Saxonia decentibus; et revera sic loquuntur dictæ constitutiones, ut jam ibi tradidi. Sed ad alliciendos Hæreticos ut ejurent hæresim, et ad catholicam Ecclesiam redeant, neve ab hoc absterreantur, propter debitum restituendi bona ecclesiastica a suis majoribus, seu ab ipsis usurpata; sicuti præfatis Ruthenis, et Saxonibus est specifice et nominatim concessum, ut talia bona tuta conscientia redeundo ad catholicam Ecclesiam retinere possint; ita generice insinuare juvat aliis Hæreticis ad magis eorum conversionem planandam et augendam; quia ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio; L. *Ideo* 21, ff. *de Legibus*; L. *Illud* 32, ff. ad l. *Aquiliam*, et c. *Inter corporalia* 2, *de translat. Episcop.* Cum ratio

Digitized by Google

legis sit anima legis, textu expresso in L. *Cum ratio* 7, ff. *de Bonis damnat.* et quatenus opus esset etiam pro aliis similis specifica concessio felice posset semper haberi. Et utinam tali indulgentia allici possent ad ejurandam propriam hæresim, et ad catholicæ Ecclesiæ castra repetenda qui est finis a Summis Pontificibus intentus.

HEBDOMADA, HEBDOMADARIUS.

SUMMARIUM.

1. Varia Hebdomadæ nomina. — 2. 3. Hebdomada annorum et dierum. — 4. 26. Multa de Hebdomadariis quoad assistentiam in choro et cæremonias.

(1. Hebdomas, Græcis spatium dierum septem, vocitatur septenarium; Latini septimanam, ut vulgus appellant: Calvin. *Lexico Jurid.* verb. *Hebdomada.* (2. Et hæc septimana sic a vulgo appellata, dicitur latine communiter Hebdomada; et dupliciter sumitur; uno modo pro Hebdomada composita ex septem annis, de qua habentur plura exempla in sacra Scriptura et signanter *Genes.* 28, 29, ubi Patriarcha Jacob nonnisi post servitutem septem annorum præstitam Labano obtinuit in uxorem pulchram Rachælem, ibi: *Acquievit placito, et Hebdomada transacta, Rachel duxit in uxorem.* Aliud exemplum habetur *Levit.* c. xxv, 8, pro anno Jubiliæ; ibi: *Numerabis quoque tibi septem Hebdomadas annorum, id est septies septem quæ simul faciunt annos quadraginta novem sanctificabisque annum quinquagesimum.* Tertium exemplum habetur *Daniel* ix, 24, ubi ab Archangelo Gabriel fuerunt revelatæ Danieli prophetæ septuaginta Hebdomadæ, post quas venisset, ut de facto venit, Messias Redemptor mundi, ibi: « Septuaginta Hebdomadæ abbreviatæ (id est definitæ) sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas; et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. » (3. Alio modo sumitur pro Hebdomada composita ex septem diebus, eam incipiendo a die Dominico usque ad sabbatum, et hæc initium habuit ab origine mundi, dum Creator omnipotens omnia creavit, et eduxit ex nihilo, termino sex dierum, ut habetur *Genes.* cap. I, per tot quibus sex diebus adjunxit septimum, vocatum diem quietis et sanctificatum Domino, ut habetur *Genes.* II, n. 2, et 3, ibi: « Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret; » et hæc est Hebdomada, qua in præsentiarum communiter utimur omnes; Clericat. *in suis spicif.* verb. *Hebdomada.*

(4. Decanus, qui ex consuetudine simul, est canonicus, et una Hebdomada servit ut decanus, et altera ut canonicus, in Hebdomada, qua servit ut canonicus debet sedere in loco canonicali, circumscripta consuetudine; sac. congreg. Conc. in una Fulginatensi 26 Novemb. 1616.

(5. Impeditus a capitulo, aut etiam expulsus, quominus cum aliis choro interesset, quotidianas distributiones non amittit, et in hoc casu non est necessaria protestatio, nisi ante expulsionem aliquid omisisset, quod potuisset facere pro consequendis distributionibus hujusmodi, veluti si omisisset facere hebdomadam probatoriam; sac. Rota in Cusalensi distributionem coram Orcembergio 16 Novemb. 1605.

(6. Canonicus etiam non constitutus in sacris debet habere suam Hebdomadam, si collatio spectat ad canonicum Hebdomadarium per Turnum; Sacra Rota in Leodien. Beneficii coram Durano 24 Novemb. 1628.

(7. Si quis gravi morbo oppressus, fuerit a sede apostolica provisus de canonicatu in ecclesia cathedrali, dictoque morbo durante, possessionem cœperit per procuratorem, absque eo quod ex causa ejusdem morbi nunquam personaliter inservierit, sed solum in ultima Hebdomada mensis vesperas, et missam per alium canonicum celebrare fecerit, lucratur distributiones a tempore possessionis, ut supra, captæ; sac. congr. Conc. 23 Julii 1650, in una Sarcinaten. ad c. 11, sess. 24, de reformat.

(8. Cum in Liberiana Basilica S. Mariæ Majoris de urbe, beneficia illius ecclesiæ spectent pro duabus ex tribus partibus ad archipresbyterum pro tempore, et pro alia ad canonicum de Hebdomada, ita ut canonicus pro una, archipresbyter pro duabus Hebdomadis beneficia præfata conferat ex concessione Pii IV. Si quis ex beneficiatis ecclesiæ prædictæ moriatur in vesperis Sabbati, licet Hebdomada canonici Turnarii incipiat a dictis vesperis Sabbati juxta text. *in Canon. quod die* 75 dist. et in cap. 1, *de fer.* et in Clement. *de relig. et vener. Sanct.*, attamen collatio beneficii spectat ad collatorem, qui erat in Hebdomada vacationis non autem ad canonicum Turnarium, successurum, cujus facultas nondum accesserat, ad text. in cap. *ex parte de concess. præb.* Hebdomada enim non completur, nisi post adventam mediam noctem ultimi illius diei, et in beneficialibus attenditur dies naturalis, quæ incipit a media nocte diei præcedentis, et spatio viginti quatuor horarum terminati in mediam noctem sequentem, juxta text. in *l. more Romano*, ff. *de fer.* et in cap. *Consuluit*, vers. *licet etiam, de offic. et potest. Jud. Deleg.* Et ad affectum reservationis sic computat diem dataria, et cancellaria, et idem servatur in alternativa mensis inter papam et episcopum; et collatio beneficii ratione Mensis non differt a collatione ratione hebdomadæ, sed utraque iisdem regulis subjacet, ut erudite Rota romana, Beneficiatus S. M. Majoris coram Albergato decano, part. 19, *decis. recent.*, t. I dec. 97, num. 1 et seqq.

(9. In hebdomadariis existentibus in ecclesia Collegiata, cui animarum cura annexa

Digitized by Google

est ut collegio non ut singulis, examen per concursum non requiritur, sed in forma digno, ut resolvit Sac. Cong. Conc. 13 Aug. 1596.

(10. Quilibet functiones suas prompte obeat, ut puta missam planam, vel cantatam, tam solemnem, quam conventualem ac hebdomadariam juxta Ecclesiæ laudabilem consuetudinem sub pœna punctaturarum juxta sacrorum canonum dispositionem, ac ecclesiæ consuetudinem : sac. cong. Episcop. et Regular. in Theatina 18 April. 1617.

(11. Hebdomadarius non debet celebrare valde diliculo; sac. congr. Episcop. et Regul. 20 Febr. 1601.

(12. Hebdomadarius absens ex causa ex qua conceduntur distributiones, nihil tenetur dare supplenti Hebdomadam pro ipso, nec ipse supplere, quando rediit; sac. congr. Episcop. et Regul. 5 Martii 1602.

(13. Hebdomadarii absentis, vel impediti vices supplere debet canonicus junior juxta consuetudinem Ecclesiæ et non coadjutor, licet sedeat post ultimum canonicum : sac. cong. Rit. in Elboren. 15 April. 1606, apud Barb. *de Canon. et Dignit.* cap. 29, n. 34.

(14. Hebdomadarius non potest prætendere celebrationem missarum, et officiorum, quæ ad primam dignitatem pertinent, ea vero absente, vel impedita, tunc secunda dignitas debet illa celebrare ; sacr. congr. Rit. in Andrien. 15 Martii 1608.

(15. Hebdomadarius quando est paratus debet sedere in primo loco ; quando vero non est paratus debet sedere in proprio stallo ; sac. congr. Rit. in Perusina 20 Decembris 1660. Si vero est consuetudo, ut quando non est paratus, præcedat aliis canonicis, aut dignitatibus, servanda est : ead. sac. congreg, in Adrien. d. die 20 Decemb. 1601, apud Barbosa in Summ. Apostolic. decision. verb. *Hebdomadarius* num. 3.

(16. Hebdomadarius officium faciens primum locum habere debet super omnes canonicos, et dignitates, si ipse est canonicus, vel dignitas. Si vero est clericus, debet accedere in medio chori ; sacr. congr. Rit. in Brundusina 17 Junii 1616, apud Barbosa loc. cit., num. 4.

(17. Hebdomadarius in decantandis Horis Canonicis non debet uti stola ; sacr. congr. Rit. 4 Augusti 1663, apud Piton. Constitut. ac decision. ad Canonicos num. 718.

(18. Canonici denominantur Hebdomadarii, si tales in creatione vocati sint, et Hebdomadarii vocantur etiam canonici, si ita ab observantia sint vocati : sacr. Rota in Avenionen. denominationis, coram Rondin. part. 17, recent. decision. 212, num. 2 et 3.

(19. Tales Hebdomadarii tenentur assistentiam facere canonicis celebrantibus juxta statutum Ecclesiæ; sac. cong. Rit. in Avenion. 24 Mart. 1612, apud Barbos. loc. cit. n. 5.

(20. Dignitates collegiatarum tenentur exercere Officium Hebdomadarii, et alia munia subire, sicut cæteri canonici ; sac. cong. Conc. in Cursul. 29 Maii 1653, et in Romana contra Archipresbyterum collegiatæ S. Mariæ in Cosmedin. 11 Dec. 1694, 26 Mart. 1696, et 11 Februar, 1696, apud Monacell. tom. I, tit. 2, formul. 4, num. 10.

(21. Hebdomadarius etiam non paratus, quando est facturus officium, debet sedere in primo loco supra omnes canonicos, et dignitates ; *Cæremon.* lib. II, cap. 6, ibi : « Canonicus, etc., facturus officium, etc., ascendit chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte ubi stet Hebdomada, chorus assignatur. » Et resolvit. sac. congr. Rit. in Romana 21 Novemb. 1626, et in Aretina 24 Jan. 1688, et ita judicavit congregatio particularis eminentiss. card. Mariscotti, Colloredi et Nigroni inter capitulum S. Mariæ in Cosmedin, et Abbatem Piazza ejus archipresbyterum, et per sententiam 4 Septemb. 1705, demandatum fuit, « canonicum Hebdomadarium, facientem officium, etiam non paratum, debere in omnibus præcedere archipresbytero, servata forma super modo sedenti in choro in omnibus, et per omnia prout disponitur » in Cæremon. episc. lib. II, cap. 6

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. De canonico hebdomadario parato quæritur, utrum is sedere prout debeat in scamno pano cooperto a cornu Epistolæ præparato, an in primo stallo ab ea parte chori, in qua Hebdomada obtingit? Dubium indo nascitur, quod Cæremon. episcopor. lib. II, cap. 3, § 4, non absolute jubet, ut canonicus Hebdomadarius paratus sedeat in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit Hebdomada, sed alternative, ut sedeat, vel in dicto scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato vel in primo stallo ab ea chori parte, in qua Hebdomada obtingit.

(23. Distingui autem debent missæ a vesperis. Porro de si Rissis agatur, chorusque sit retro altare, canonicus Hebdomadarius paratus non in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit Hebdomada, sed in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato sedere debet, ne alias toties accedere, et recedere de loco ad locum teneatur. Et de his sane functionibus intelligi debet cæremoniale episcoporum, dum canonico Hebdomadario parato potestatem facit sedenti in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato. Concordatque Rubrica Missalis Romani tit. 17, *de Ordin. sedend. in missa solemni*, n. 6

(24. At si res sit de Vesperis, pariterque sit chorus retro altare, canonicus Hebdomadarius paratus, qui semper in choro assistere decet, excepto modico illo spatio in quo dum cantatur Psalmus : *Magnificat* ; incensatur altare, non in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato, sed in primo stallo ab ea parte chori, in qua Hebdomada obtingit sedere debet, ut ita semper assistat, pro ut tenetur, in choro. (25. Et de hisce allis functionibus intelligendum est cæremoniale episcoporum ubi ait, canonicum Hebdomadarium paratum sedere posse in primo stallo ab ea parte chori in qua obtingit Heb-

Digitized by Google

domada; ita tradunt Baukiry in Manual. sacr. cæremon. part. 1, cap. 11, de Vesper. art. 1, num. 4 et 11. Merat. part. 3, tit. 11, fol. mihi 364, optime Cardinal. de Luca de Miscellan. Eccles. discurs. 38, num. 8, et duob. sequent., tum etiam optime Castald. in Prax. cæremonial. lib. II, sect. 1, cap. 3, n. 13, et sequent.

(26. Non ignoro, sacram Rituum congregationem anno 1757, in Balneoregien. sensisse, quod et in vesperis canonicus Hebdomadarius paratus sedere debeat in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato. At ita sensit, et peculiaribus facti circumstantiis.

HEBRÆUS.

SUMMARIUM.

1. 18. Variæ de Hebræis dispositiones ex sacris congregationibus et ex Summorum Pontificum Constitutionibus. — 19. 20. Edita quo plura Hebræis interdicuntur. — 21. Clem. XI constitutio de bonis infidelium conversorum affertur. — 22. 25. Quæ facere prohibeantur qui ab Hebræis originem ducunt. — 26. 37. Quo pacto possint Hebræi inter christianos commorari, et quibus de causis expelli. — 38. 90. Plura de libro Talmud Hebræorum. — 91. 92. Hujus libri damnatio. — 93. Hebræorum lingua difficilis. — 94. Hebræi unde dicti. *Remissive.* — 95. Bened. XIII constit. *Alias emanarunt.* — 96. Hebræi sunt in servitute civili. — 97. 106. De Hebræorum baptismo.—107. Eorum immunitas.—108. Nonnulla christianis vetita. — 109. 119. De jure Hebræorum. — 120. Benedicti XIV epistola de baptismo Hebræorum. — 121. 127. De eorum usuris. — 128. 132. De jure eorum quædam corriguntur.

(1. Hebræus confugiens ad Ecclesiam gaudet privilegio immunitatis Eccles. sacr. congr. Immun. In Sarzonem. 26 Sept. 1651, lib. IV, decret. Pauluc., pag. 161 (20).

(2. Hebræus, seu Judæus captus a Birruariis sub tecto, seu stillicidio Ecclesiæ gaudet immunitate; ead. sacr. congr. Immunit. in Pisauren. 26 Mart. 1686. lib. III. dec. Altov. pag. 550.

(3. Hebræus, seu Judæus dolose extractus ab atrio inquisitionis Anconæ est restituendus; ead. s. congr. Immun. in. Anconit. 17 Nov. 1699, lib. II; decr. Vallem., pag. 256.

(4. Cognitio causæ commercii carnalis habiti cum duabus sororibus christianis, spectat ad curiam episcopalem, ead. sacr. congregat. Immun. in Mantuana 7 Junii 1678, lib. II, decret. Alt., pag. 1749 (21).

(5. Causa rixæ Hebræorum secutæ in eorum synagoga die festo eorumdem Hebræorum, attenta prævention̄e, spectat ad curiam sæcularem; ead. sac. cong. in Senogalien. 15 Jan. 1686, lib. decr. Altov., pag. 527.

(6. Hebræa mulier, viro relicto, christianam fidem amplexa fuit, permansitque innupta, sperans ejus virum catholicam Religionem amplexurum, qui ducta alia muliere Hebræa in uxorem, post multos annos una cum ipsa catholicam fidem amplexus fuit; ipsa autem repetente virum sac. congr. Concil. in Florentina Matrimonii 1 Jul. 1679, respondit referendum Sanctissimo ejus votum, scilicet debere virum redire ad primam. Sic apud Ursayam in Miscellaneo sacro et profano, p. 1, verb. *Hebræa.*

(7. Manutenendi sunt parochi in possessione exigendi a Judæis pretaticum vulgo puncupatum, pro decimis, oblationibus, aliisque incertis, quæ a christianis percipiebant, antequam eorum domus ad ipsos Judæos quocunque titulo devenissent, textu expresso in cap. *Quanto, de usur.* et cap. *De terris, de decimis*, et concordat cap. *Nimis prava, de excessib. Prælat,* et late probat et multis Pignat. tom. V, consult. 70 per tot. ubi num. 14, dicit quo ad quantitatem hujusmodi pretatici standum esse consuetudini, et transactionibus; card. de Luca tamen *de Parochis* disc. 29, num. 3. dicit quod Hebræi non teneantur aliquid reficere parocho pro domibus per ipsos inhabitatis, et prius per Christianos.

(8. Hebræi in urbe obligantur ad observationem festorum, quæ servat Ecclesia; Paulus IV const. 3, incip. *Cum nimis absurdum* § 2, apud Laert. Cherub, *in Magno Bullar.* tom. I, pag. 720, alias pag. 589, in novis impres.

(9. Hebræi omnes debent habitare in uno eodemque loco, et si ille capax non fuerit, in duobus, vel tribus, aut quot satis sint contiguis, ad quos unicus tantum ingressus pateat, et a quibus non detur exitus; Paulus IV, in d. constit. 3, Pius V, constit. 6, inc. *Rom. Pontifex* apud Laert. Cherub. in magno Bullario, tom. II, pag. 181, alias pag. 136, noviss. impress.

(10. Hebræi utriusque sexus qualitate habitus a christianis discerni debent, ita ut masculi birretum, feminæ vero aliud signum patens, quod nullo modo celari, aut abscondi possit, palam deferre teneantur, nec super non delatione birreti, aut alterius signi hujusmodi cujusvis eorum gradus, vel præeminentiæ, vel tolerantiæ causa excusari, aut per cameriarium, vel sedis Apost. legatos absolvi possint; Paulus IV, d. const. 3, et Pius V, d. Const. 6.

(11. Hebræi ne de cætero auderent quovis

(20) Tuta parum quibusdam videri posset isthæc propositio, recta tamen, aut rationabilis est ex auctoritate etiam sacræ Immunitatis congregationis. Cum enim tale privilegium a Summo Pontifice non delinquentium, vel personarum intuitu, sed in Dei cultum ac venerationem locorum habita ratione unice concessum fuerit, hinc liquet, quod quicumque ad Ecclesiam confugit, sive christianus sive Hebræus sit, immunitatis privilegio gaudebit, ut firmant Barbos. in collet. *tom.* I, lib. v, tit. 49, c. 6, nu. 50. Faber. in cod. l. II. *de his qui ad Eccles. confugiunt* et in § *Sed et hoc*, num. 3. Inst. *de His qui sui sunt vel alien. jur. et Diana oper.* Moral. tract. 1, res 43 et seqq. per tot. Tom. III, quidquid in contrarium sentiant Megala in 3, p. lib. IV. c. 2, num. 3 et 16, ac distinguat Svar. de Relig. tom. I, tract. 2, lib. III, cap. 10, num. 11. (EDIT. BARBIELL.)

(21) Qua autem pœna plectatur Hæbræus cum christiana, vel e contra rem habens, fuse videre est apud Oldrad cons. 333, et apud Carpzov. Jurispr. forens. part. 4, const. 26, def. 4. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

prætextu, et quæstionis colore, etiam emptionis, et venditionis bonorum, ingredi domus meretricum, et si quid ab eis prætenderent habere, et ob id eas alloqui vellent, id in portis, et januis domorum earumdem mulierum apertis facerent, et non intra easdem domos, facere liceret, neve dictas mulieres ad eos pro similibus negotiis emptionis, et venditionis accedentes permitterent domos, et apotechas suas ingredi, sed tantum in illarum portis, et januis, et foribus apertis cum eis alloqui, et tractare possent sub pœna privationis a synagoga, et gravi pecuniaria præcepit S. Pius V, mediante ejus vicario sub die 20 Maii 1566.

(12. Hebræi medici, aut alias infideles, ne ad curandos christianos infirmos admittantur, imposita christianis pœna subtractionis sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ, prohibuit Gregor. XIII, const. 68, incip. *Alias piæ memoriæ* apud Laert. Cherub. in Magno Bullario tom. II, pag. 449, et de illa meminit Scortia in Select. Summor. Pontific. constit. epit. 136.

(13. Hebræis qualibet hebdomada verbum Dei est prædicandum, et id curent prælati in terris, ubi sunt eorum synagogæ (non tamen in loco sacro vel ubi sacra confici solent) per aliquem magistrum in theologia, aut alium idoneum virum, Hebraicæ, si fieri potest, linguæ peritum, qui scripturas Veteris Testamenti exponat Gregor. XIII, constit. 92, incip. *Sancta Mater* de anno 1584 apud Laert. Cherub. in magno Bull. tom. II, pag. 479, alias pag. 360, in noviss. impress. et illius meminit Scortia in Select. Summ. Pont. constit. epit. 136. Et novissime Clemens XIII constit. incip. *Propagandæ* § 20; vide infra sub. num. 21, ubi affertur per extensum.

(14. Hebræi sola arte stracciariæ, seu cenciariæ contenti esse debent ad tollendam, quantum fieri potest, occasionem familiaritatis inter illos, et christianos; Paulus IV, in d. const. 3, § 1.

(15. Hebræorum per plateas non est deferenda sanctissima Eucharistia; s. cong. Rit. in Anconitana 22 Feb. 1593.

(16. Hebræorum accessus ad monasteria monialium nullo modo permitti debet ad alloquendum cum illis; sac. cong. Episcop. et Regul. in Ravennaten. 28.

(17. Inquisitiones libere contra Hebræos procedere possunt in sequentibus casibus: Si negaverint, quæ circa fidem communia sunt cum christianis. Si dæmones invocaverint, aut eis immolaverint. Si quem christianum hæc docuerint, vel ad ea perduxerint. Si hæreticas blasphemias dixerint. Si christianum a fide deviaverint. Si infideles ad fidem Christi transire impedierint. Si hæreticum scienter receptaverint. Si libros hæreticos, vel thalmudicos, aut alios judaicos quomodolibet damnatos tenuerint. Si hostiam salutarem, aut crucem, et similia, vel christianos deriserint. Si nutrices christianas retinuerint, vel easdem ab hac die, qua Eucharistiæ sacramentum sumpserint, lac in latrinas effundere coegerint. Gregor. XIII, const. 70, inc. *Antiqua Judæorum*, de anno 1583, apud Laert. Cherub. in magno Bullario t. II, p. 42, et de illius materia Scortia in sel. Summ. Pontif. constit. epit. 132. Vid. const. 20, Clem. VIII, incip. *Cum Hebræorum malitia*, de anno 1593, apud Laert. Cherub. t. III, pag. 25.

(18. Non potest prohiberi regularibus, ne prædicent, vel ne confessiones audiant sub prætextu, quod originem duxerint ab Hæbreis; sac. congregat, Episc. et Regul. in Elboren. 16 Novembris 1621.

(19. Edictum, quo plura Judæis interdicuntur ad tollendas corruptelas, et abusus ex illorum cum christianis consuetudine provenientes.

Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della S. R. C. cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore vicario generale, ec.

La Santità di nostro Signore volendo con suo pastoral zelo provedere agl' inconvenienti, che procedono dalla communicazione de' Cristiani con gli Ebrei nelle cose proibite da' Sommi Pontefici, particolarmente dalla san. mem. di Paolo IV, nella sua costituzione, la quale comincia: *Cum nimis absurdum*, e dalla dichiarazione fatta da S. Pio V, e pubblicata dal cardinal Savelli suo vicario sotto li 11 Gennajo 1572, ordina e comanda a tutti gli Ebrei, li quali dimorano in Roma, di non farsi servire da Cristiani, particolarmente da Fanciulli, o Fanciulle nelle sere del Venerdì, e giorni di Sabato per accendere il fuoco, e lumi, per la provisione de' comestibili, nè li suddetti Cristiani possano andare a servirli.

In oltre ordina, che li suddetti Ebrei non vadano a lavorare nelle Domeniche, ed in altri giorni festivi di precetto in case di Cristiani, molto meno in case de' sacerdoti, e conventi de' regolari, nè questi debbano in conto alcuno ammetterli.

Finalmente inerendo all' editto pubblicato nel tempo della Sa. Me. di Clemente VIII, sotto li 6 Ottobre 1604, si proibisce alli medesimi Ebrei di vendere e donare il loro pane azimo, detto volgarmente l'*azimelle*, alli Cristiani di qualsivoglia stato, grado di condizione, nè questi lo debbano ricevere sotto pena in caso di transgressione di ciascheduna delle suddette alli Cristiani di scudi cinquanta, alla quale rispetto alli Fanciulli, e Fanciulle saranno tenuti i loro padri, o quelli che hanno cura di loro; agli Ebrei parimenti sotto pena di scudi cinquanta, e di tre tratti di corda, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua

Volendo che il presente editto pubblicato, ed affisso ne' luoghi soliti di Roma, obblighi tutti, e ciascheduno, come se gli fosse stato personalmente intimato.

Dato in Roma dalla nostra solita residenza questo dì 2 Aprile 1708.

G. CARD. VICARIO.

N. A. Can. Cuggio Seg.

(20. Edictum quo mulieres judææ no-

Digitized by Google

eturno tempore e soptis judaicæ nationis in alma urbe constitutis exire prohibentur.

Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della S. R. C. cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore vicario generale, ec.

Essendo pervenuti a notizia della Santità di Nostro Signore li grandi inconvenienti, che nascono, e ponno nascere dalla gran quantità delle donne Ebree, che escono di notte dal Ghetto, e si trattengono nell' Osterie, e che vanno a passeggiare per piazza Navone, ed altri luoghi, dove vi si fanno fuochi, o feste da' Cristiani, contro gli editti altre volte emanati, e volendo rimediare a tanto disordine, per ordine ancora datoci a bocca da Nostro Signore, rinnovando primieramente tutte le proibizioni emanate dal nostro tribunale contro gli Ebrei circa l' uscir di notte dal Ghetto, ordiniamo e comandiamo a tutte, e singole donne Ebree di qualsivoglia età, che non ardiscano per qualsivoglia causa uscire dal Ghetto, nè trattenersi fuori di quello dopo l' ora solita che si permette di tenere aperto lo sportelletto del Portone di esso Ghetto, sotto la pena di scudi dieci, e della frusta da eseguirsi irremissibilmente, contro quelle donne, che si troveranno fuori del Ghetto dopo di detta ora, non ostante che avessero qualsisia licenza, benchè speciale, e specialissima, benchè fossero in compagnia de' loro mariti, padri, e fratelli, o altri parenti più prossimi, e similmente ordiniamo al portinaro cristiano del Ghetto, che non ardisca permettere, che niuna di dette donne esca dal Ghetto vicino alla dett' ora, il quale in ogni caso di trasgressione incorrerà incontinente nella medesima pena di scudi dieci per ciascheduna donna che esso farà uscire, ed inoltre la privazione dell' officio, volendo, che il presente, affisso che sarà nelli luoghi soliti del Ghetto, e Portoni, s' intenda come se fosse personalmente intimato a ciascheduno.

Dato dal nostro Palazzo questo dì 5 Agosto 1712.

G. CARD. VICARIO.

N. A. Can. Cuggio Secret.

(21. Judæis, aliisque infidelibus conversis conceditur retentio bonorum, filiisque familias legitima; imo bona illicite quæsita, nisi notæ sint personæ, quibus restitui debent, ipsis conversis applicantur; et privilegia civitatis conceduntur. Clemens XI, constit. incip. *Propagandæ per universum*, quæ ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic datur ad litteram

CLEMENS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Propagandæ per universum terrarum orbem christianæ fidei, cujus illibatum, ac perenne depositum romana in primis servat Ecclesia, pro commissi nobis apostolici muneris debito jugiter intendentes, dum in remotissimas quasque partes Evangelii præcones ablegare satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicunque disjectis infidelitatis tenebris ad verum justitiæ solem, qui Christus est agnoscendum, eo adjuvante festinant, nullis quoad fieri potest humanorum rerum obstaculis impediantur; sicque ad catholicæ Ecclesiæ gremium ex omni natione, quæ sub cœlo est, eo frequentior, quo facilior, expediatur accessus.

§ 1. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed æternæ potius hæreditatis intuitu ad suscipiendam Christi fidem infideles allici oporteat, quin etiam edoceri, præcipuam christiani hominis gloriam in eo maxime sitam esse, ut terrena despiciat, existimetque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri; nihilominus rationi congruum et piæ Matris Ecclesiæ institutis consentaneum arbitramur, ita paternam nostram erga eos, qui adhuc in fide parvuli lacte potius quam cibo solido nutriendi sunt providentiam temperare, ut infirmiores quique a christianæ Religionis proposito amittendarum facultatum, incurrendæque potius miseriæ egestatis horrore non retrahantur : cum potius juxta canonicas sanctiones, eos qui ad fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post Baptismum, quam antequam fidem susceperint, haberentur, et in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio : Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

§ 2. Quam quidem ob causam cum plures romani pontifices prædecessores nostri pro tradita sibi divinitus in iis, quæ ad ejusdem sanctæ fidei favorem et propagationem pertinent, apostolica potestate, multa in neophytorum commodum privilegia concesserunt, aliis quoque additis ordinationibus, quibus et indemnitati ipsorum, et christianæ Religionis dignitati, et faciliori simul infidelium conversioni consultum foret; præcipue vero fel. rec. Paulus PP. III, apostolicam constitutionem edidit in hæc verba :

§ 3. Paulus Papa tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos, et alios infideles quoslibet ad fidem catholicam converti, et prætextu bonorum per eos ante possessorum ab eadem fide non distrahi, motu proprio, et ex certa scientia nostra, auctoritate apostolica, tenore præsentium, hac in posterum valitura constitutione sancimus, quod cuicunque eorumdem Judæorum, et infidelium, ad dictam fidem converti volenti, etiamsi in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque, tam mobilia, quam immobilia intacta, et illæsa permaneant. Ita ut etiam filiifamilias, et in patria potestate, ut præfertur, constituti, legitima, et quacunque portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de jure, seu successione bonorum, eis alias debitorum, per eorum parentes, fraudari, aut privari non possint, neque debeant; sed eis integre etiamsi contra voluntatem parentum suorum

Digitized by Google

ad fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

§ 4. Et si bona ipsa, ex usura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, et notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur: personis vero non exstantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios usus convertenda, bona hujusmodi eisdem Judæis, et aliis infidelibus, in favorem suscepti Baptismatis, tanquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos Judæos, et alios infideles remanere decernimus. Interdicentes sub divini anathematis pœna quibusvis tam ecclesiasticis, quam sæcularibus personis, ne ullam super bonis hujusmodi quovis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur; sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

§ 5. Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? Si ipsi, conversionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos, quam sæculares per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, ut ipsis conversis manus porrigant adjutrices; ipsi quoque diœcesani non solum christianos ad subveniendum ipsis exhortamur, sed etiam tam de redditibus ecclesiarum prout poterunt, quam de his, quæ ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur, hujusmodi neophytos sustentare non negligant, ipsosque a detractionibus, et contumeliis paterna affectione defendant.

§ 6. Et quoniam per gratiam Baptismi cives sanctorum, et domestici Dei efficiuntur, longeque dignius existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus, ut civitatum, et locorum, in quibus sancto Baptismate pro tempore regenerabuntur, vere cives sint, et privilegiis, ac libertatibus, et immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, et originis duntaxat consequuntur, gaudeant.

§ 7. Curent insuper sacerdotes baptizantes, et alii de sacro fonte eos suscipientes, tam ante Baptismum, quam post, illos in articulis fidei, ac legis novæ præceptis, catholicæ Ecclesiæ ritibus diligenter instruere, et tam ipsi quam diœcesani operam dent, ne cum aliis Judæis, seu infidelibus, saltem per longum tempus conversentur, ne, sicut quandoque contigit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat.

§ 8. Et quoniam, experientia teste, compertum est mutuam ipsorum neophytorum inter se conversationem, ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios, ut quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent, et studeant neophytos ipsos cum originariis christianis matrimonio copulare.

§ 9. Et prohibeant eisdem sub gravibus pœnis, ne mortuos more Judæorum sepeliant, aut Sabbata, aliasque solemnitates, et antiquæ sectæ ritus quoquo modo observent, sed et ecclesias, et prædicationes prout alii catholici, frequentent, et in omnibus christianorum moribus se conformes reddant.

§ 10. Contemptores autem prædictorum per sacerdotes, in quorum parochiis degunt, aut alios, ad quos de jure, vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscunque, diœcesanis, seu inquisitoribus hæreticæ pravitatis deferant, et invocato si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, per eos taliter puniantur, quod aliis transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus, in provincialibus, et synodalibus conciliis diligens fiat inquisitio, et tam circa episcopos, et sacerdotes in præmissis negligentes, quam ipsos neophytos, et infideles prædictos contemptores, oppportunum adhibeatur remedium.

§ 11. Si quis autem cujuscunque gradus, vel præeminentiæ fuerit, hujusmodi neophytos, ne observationem ritus christiani, et aliorum præmissorum complectantur, solverit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipso facto incurrat; neophyti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, et ad vomitum judaizantes redire comperti sint, contra eos tanquam perfidos hæreticos, per ordinarios locorum secundum sacrorum canonum instituta procedatur.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis, et litteris etiam apostolicis, seu etiam regiis, vel imperialibus eisdem Judæis, vel infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus in detrimentum catholicæ fidei, aut, nominis christiani, seu aliquorum ex præmissis quomodolibet vergant, et ad effectum præsentium cassamus, et irritamus, ac cassa, et irrita esse decernimus, aliis decretis, et constitutionibus apostolicis, quæ super præmissis sunt condita in suo robore duraturis.

§ 13. Et ut hujusmodi sanctæ constitutionis jugis memoria habeatur, et ne quisquam ipsius ignorantiam prætendere possit, illam per singulas cathedrales et collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus uberior erit fidelium concursu semel in anno ad minus infra divina publicari volumus, et decernimus.

§ 14. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferre, volumus, et etiam declaramus, quod earumdem præsentium transumptis, seu copiis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, ubicunque forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 15. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 21 Martii millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octavo.

§ 16. Nos igitur, ne tam salubris constitutionis memoria temporis diuturnitate deli-

Digitized by Google

ciat, et observantia neglectu cujuspiam obsolescat, aut etiam fidei hostium dolo notitia converti volentibus supprimatur, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et dilectorum filiorum romanæ curiæ prælatorum, quibus hujusmodi negotium commisimus expediendum, consilio, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eamdem præinsertam constitutionem, omniaque, et singula in ea contenta tenore præsentium confirmamus, approbamus, et innovamus eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari perpetuis temporibus debere statuimus et mandamus.

§ 17. Simulque ad omnis dubitationis umbram pœnitus removendam, eadem a memorato Paulo prædecessores statuta clarius explicantes, et quatenus opus sit, etiam amplius extendentes, bona quædam adventitia, quocunque modo talia censeantur, ad filios familias christianam Religionem profitentes, utpote a patriæ potestatis jugo, quo parentibus infidelibus subdebantur, sacri Baptismatis beneficio prorsus exemptos pleno jure spectare, neque super illis usumfructum, aut aliud quodcunque ejus, præfatis parentibus, quandiu in infidelitate permanserint, ullo modo competere; e contra vero parentes ipsos, aliosque quoscunque qui conversis eorumque descendentibus alias alimenta, seu dotem, præstare quocunque titulo, etiam in subsidium tenerentur, ad eamdem alimenta, seu dotem, illis subministranda pariter teneri, et obligatos esse post conversionem eorum, similiter tenore præsentium declaramus, atque etiam ex integro statuimus, decernimus et mandamus.

§ 18. Et quoniam infidelium, ac præ cæteris Judæorum malitiam eo usque in odium christiani nominis processisse pluries compertum est, ut bona sua occultando, seu in alios transferendo, vel alias de illis inter vivos, vel etiam in ultima voluntate disponendo, filios, aliosque consanguineos ad Christi fidem conversos eorumdem bonorum successione, ad quam ab intestato legitime admittendi fuissent, aut etiam spe successionis ejusdem fraudare tentaverint; idcirco nos rec. mem. Gregorii PP. XIII, prædecessoris nostri, qui per suas quasdam sub annulo Piscatoris die 13 Septembris 1581, pontificatus sui anno decimo datas litteras hujusmodi malo, utpote in christianæ fidei detrimentum cedenti, occurrendum merito censuit, vestigiis inhærentes, Judæos, quoslibet, sicut et alios infideles, bona sua, et jura quæcunque, in præjudicium filiorum, aut aliorum consanguineorum, qui alias ipsis ab intestato decedentibus successuri essent, et christianam susceperint Religionem, quocunque modo alienare, seu occultare, vel diminuere, inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate, non posse; sed potius eadem bona, et jura quæcunque (tradita statim post Baptismum legitima, quibuscunque alias post obitum competeret eorumdum) integre conservare, teneri, et obligatos esse, tamque ipsos, quam alios bonorum eorumdem detentores, vel occupatores ad illa, seu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, et de eisdem inventarium legitime faciendum, et de utendo, et fruendo arbitrio boni viri cavendum, opportunis juris, et facti remediis compelli posse; atque in eorum bonis in juribus, si in infidelitate decesserint ipsorum filios, seu alios quoscunque consanguineos, ut præfertur, christianos eodem prorsus modo, et jure, nulla etiam obstante ingratitudinis, aut alia quantumvis legitima exhæredationis causa; quam, ob suscepti postea Baptismi venerationem, sublatam prorsus esse volumus, succedere debere, ac si iidem Judæi, seu alii infideles, nullum fecissent, aut ordinassent testamentum, vel etiam ultimam voluntatem, omnesque, et singulas bonorum, et jurium, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, alienationes, distractiones, aut alias dispositiones prædictas in hujus nostræ constitutionis fraudem, et in odium christianæ fidei factas, seu potius attentatas censeri, ac nullius propterea roboris, et momenti esse, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium sancimus, decernimus, et ordinamus.

§ 19. Cæterum, ne dum provida sollicitudine temporalia conversis ad fidem commoda comparamus, spirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis; quemadmodum infideles cæteros, qui longe sunt, sacris missionibus institutis, evangelica prædicatione instruere non cessamus; ita de Judæis etiam, qui magno numero inter Christianos vivunt, et nostris quodammodo oculis observantur, æterna salute procuranda præcipuæ cogitamus. Tristitia enim nobis magna est (fidenter cum Apostolo dicimus) et continuus dolor cordi nostro, dum paterni amoris visceribus miseremur israeliticam gentem, olim Deo amabilem populum, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi, et custodivit quasi pupillam oculi sui, nunc autem (postquam judaica in summum sceleris erumpente perfidia, vere ratus est furore Dominus in populum suum, et usque in finem abominatus est hæreditatem suam) velut gregem sine pastore dispersum per invia quæque, et inaquosa misere divagantem, ac verbi Dei, quod illi unicum superest, salutari pabulo destitutum, solo scilicet litteræ, quæ occidit, a Judæis cortice degustato, spiritu vero, qui vivificat, et animalibus hominibus non percepto.

§ 20. Propterea ad eosdem Judæos in sanctæ fidei veritate salubriter erudiendos; et trahendos ad Christum, ea omnia, et singula quæ de sacris lectionibus, seu sermonibus per singulas hebdomadas ad ipsos, ubicunque eorum Synagogæ fuerint, habendis memoratus Gregorius prædecessor noster in aliis suis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo, quarto, Kalendis Septembris, pontificatus sui anno tertiodecimo, editis apostolicis litteris, quarum tenorem pro expresso in præsentibus haberi volumus, sapienter constituta sunt,

Digitized by Google

ab omnibus, ad quos pertinet, inviolate servari, et sicuti in desuetudinem ierunt, in usum revocari præcipimus, et mandamus, concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerunt, specialiter admonentes, iisque in nomine Domini districtius injungentes, ut memoratos Judæos non injuriis, contumeliis, aut nimia verborum asperitate, quibus in judaica magis perfidia obfirmarentur, sed charitate potius, et mansuetudine, quam mitis nos et humilis corde Christus edocuit, velut oves errantes ad sanctæ Ecclesiæ causas suaviter allicere, et patefacta, ex veterum potissimum, quas venerantur, Scripturarum oraculis, christianæ veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni studio satagant, ut ex judaicæ pravitatis tenebris, quibus obscurati sunt oculi eorum, ne videant, Dei omnipotentis operante virtute, liberentur.

§ 21. Postremo Judæos omnes, cæterosque infideles quoscunque, qui ad Baptismi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus ecclesiarum prælatis ac sæcularibus etiam principibus per misericordiæ Dei nostri viscera, commendamus ut eos patrocinio foveant, auctoritate adjuvent, potentia tueantur, neque ab aliis, præsertim vero a Judæis, aut quibusvis infidelibus ulla in re indebite vexari patiantur, universosque ubique terrarum christifideles in Unigeniti Filii Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vice fungimur, nomine hortamur et obsecramus, ne venientes ex infidelitate, præsertim pauperes, despiciant, aut aversentur, potius novella hujusmodi Ecclesiæ germina officiis ac beneficiis, prout quisque poterit, excolere, et irrigare non desint, atque, ut veros in Christo fratres, ac domesticos fidei effectos benigne excipiant, in necessitatibus sublevent, et omni demum christianæ charitatis genere prosequantur, ut de suscepto sanctæ fidei proposito gaudium ipsorum sit plenum, et exsultatio, iis vero, qui foris sunt et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium properandi excitentur.

§ 22. Decernentes easdem præsentes litteras etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, eisdem non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa, quantumvis legitima et in corpore juris clausa, de ullo subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et ab iis ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscunque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari et definiri debere irritum quoque, et inane, quidquid secus super omnibus et singulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 23. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, ac cæteris nostris, et cancellariæ regulis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, aut alia quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus privilegiis quoque, indultis et litteris etiam apostolicis, seu etiam regiis, et imperialibus eisdem Judæis, vel infidelibus quibuslibet singulis, aut eorum Universitatibus quomodolibet, et ex quibusvis causis, etiam publicis, gravissimis et urgentissimis, atque etiam titulo oneroso, et vim contractus hinc inde obligatorii inducente concessis, quæ quatenus in detrimentum catholicæ fidei, quam humanis quibusque rationibus quicunque debet præferre christianus, quomodolibet vergant, et ad effectum duntaxat præsentium cassamus, et irritamus, ac cassa, et irrita esse decernimus, aliisque omnibus sub quibuscunque verborum tenoribus, et formis quomodolibet in contrarium præmissorum editis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plene et sufficienter expressis insertis, et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 24. Ut autem eædem præsentes litteræ omnibus innotescant, quibuscunque locorum ordinariis, in quorum diœcesibus aliqua Judæorum synagoga, aut notabilis aliorum infidelium numerus reperiatur, injungimus et mandamus, ut ea omnia, quæ a nobis, ut præfertur, constituta et ordinata sunt ad eorumdem Judæorum, aliorumve infidelium notitiam quotannis semel seu pluries, et eo modo, qui iisdem ordinariis opportunior visus fuerit, sermone vernaculo deduci faciant, et in memoriam revocari, atque ut nemo prorsus earumdem litterarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum, ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis apostolorum, ac præfatæ cancellariæ apostolicæ, curiæ generalis Innocentianæ, necnon in acie campi Floræ de eadem urbe per aliquem ex cursoribus nostris, pro ut moris est publicentur et affigantur, quæ sic publicatæ et affixæ omnes et singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§ 25. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica

Digitized by Google

dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 26. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extensionis, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, ordinationis, præceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, cassationis, derogationis, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationis omnipotentis Dei et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quarto, quinto Idus Martii, pontificatus nostri anno quarto.

(22. Canonicatus, præbendæ, ac dignitates in cathedralibus ecclesiis, principalesque dignitates in collegiatis existentes in regnis Portugalliæ, et Algarbiorum non conferantur aliquibus personis de genere, seu stirpe Hebræorum descendentibus usque ad septimum gradum inclusive. Clemens VIII, in litteris ad formam brevis, quas confirmavit et innovavit Paulus V, 1612, 17 Januarii apud Barbos. De Canon. et Dignit. c. 12.

(23. Statuta puritatem sanguinis requirentia in obtinentibus canonicatus sunt exorbitantia, et pœnalia, ac proinde strictissime interpretanda, quia illis, qui a Judæis originem trahunt, auferunt habilitatem, quæ alias eis competit de jure communi, in cap. *Eam te* 7, *de Rescriptis* Rota 13 Jan. 1624, in Ulysipponen. Quaternariæ coram coccino decano apud Barbos. loc. cit. c. 13, n. 30.

(24. Est invalidum statutum a Capitulo conditum, quod descendentes ex genere infecto, nempe Judæorum, Maurorum, vel Hæreticorum non admittantur ad beneficia ecclesiastica, cum hujusmodi statutum sit contra jus commune, c. *Eam te* 7, *de rescript.* Rota 28 Junii 1628, in Cordubensi dimidiæ portionis coram Merlino, apud Barbos. loc. cit. cap. ultim., num. 18.

(25. Originem trahentes ab Hebræis vel hæreticis nequeunt recipi in fratres Ordinis Minor. de observantia; nec fratres hujusmodi possunt eligi in ministros provinciales, et guardianos, Clemens VII, 19 Martii 1525, constit. incip. *Officii nostri;* et quamvis Julius III, apud Roderic., in Collect. privileg. regul. tom. 2, Bulla 1 hujus Pontificis, quæ incipit, *Ad hoc*, revocaverit, et annulaverit dictam constitutionem Clementis VII, hanc tamen Julii III revocationem nullam facit, et dicti Clementis VII ordinationem validam declaravit Paulus IV, anno 1559, 23 April. apud eumdem *ib.* Bulla 2, quæ incip. *Cum ex Apostolatus officio*, et dictam Paulinam declarationem confirmavit Pius IV, anno 1564, 5 Decemb. Bulla 3, quæ incipit *Provisionis nostræ.*

(26. Principes christiani licite tolerant in suis territoriis Hebræos, ritusque, et synagogas eorum, Barbos. in cap. *Sicut Judæis*, card. Petra t. II Comm. ad constit. 1 Honorii III, n. 8, cum pluribus ibi citatis; Pignatell. tom. V, Consult. 14, a n. 70; Engel. lib. v *Decret.*, tit. 7, n. 2, et communis aliorum; arg. c. *Sicut Judæi* 9, et c. *Et si Judæos* 13, *de Judæis*, ibi: « Et si Judæos, quos propria culpa submisit perpetuæ servituti pietas christiana receptet et sustineat cohabitationem illorum; » juncta l. *Nullus* 14, Cod. *De Judæis*, et Novel. 147, cap. 1.

(27. Judæi antiquas suas synagogas restaurare possunt, non autem novas erigere; cap. *Judæi* 3, et cap. *Consuluit* 7. *de Judæis*, ibi: « Judæos de novo construere synagogas, ubi non habuerint, pati non debet, verum si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reædificent potest æquanimiter tolerari, non autem ut eas exaltent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quam antea fecisse noscuntur. »

(28. Judæi, qui in christianorum territoriis semel recepti, et de protectione assecurati sunt, sine justa et legitima causa expelli non possunt. Decian. in. Pract. crim. lib. v, cap. 11; Socinus Consil. 86, lib. IV; Vasquez, *Illustr. contr.* cap. 7, n. 12; Barbos. in cap. *Sicut Judæi* 9, *de Judæis*, n. 4, et alii passim; arg. l. *Nullus.* 14, Cod. *de Judæis*, cuilibet enim etiam *Judæo*, et gentili fides juste data servanda est; arg. l. *Sicut* 5, Cod. *de Oblig. et action.*

(29. Notanter autem dicitur sine justa et legitima causa, quia ob justam et legitimam causam Judæi semel recepti, iterum expelli possunt, arg. l. *Judæi* 11, l. *Judæi* 16, Cod. *de Judæis;* et sic tenent doctores citati n. antecedenti, et Farinac. Frag. crim. part. II, litt. 1, n. 64. Tuscus litt. 1; verb. *Judæi* conclus. 371, n. 58, Trac. de jure personar. extra gremium Eccles. existent, lib. II, c. 51. Pignatell. tom. V, consult. 14, num. 109, citans plures alios. Justæ autem et legitimæ causæ eos expellendi recensentur a Ricciullo loc. cit. a n. 9 a Barbosa loc. c., a Pignatell. loc. cit. a num. 120, quæ, ut ab ipso recensentur, hic ad litteram dantur.

(30. Prima igitur eos expellendi causa est, si versarentur in Regno noviter ad fidem converso, nam quo facilius ibi christiana religio propagaretur, posset indici Judæorum cæterorum ac infidelium expulsio, ut Constantinum fecisse in Ecclesiæ primordiis, testantur Hostiens. in c. *consuluit*, de Judic., Oldrad. cons. 87, n. 2, pro quibus facit textus in canone *Sæpe malorum* 28, q. 1.

(31. Secunda, si in christianam Religionem evadant contumeliosi; arg. d. cap. *Quia super*, et cap. *Et si Judæos, de Judæis.* Ob hanc causam exsularunt ab Anglia, propterea quod Uvorvici puerum christianum in die Parasceves in nostræ Religionis contemptum cruci affixerunt. Idemque fecerunt Judæi Nordovici degentes, ut refert D. Antonin. part. II Histor. tit. 26, c. 1, § 6, et Polydor. Virgil. lib. XVI Histor. Anglic. Et ob similem causam anno 1510, e Marchia Brandeburgensi generali edicto sub pœna capitis proscripti sunt, ac quadraginta ipsorum exusti, ex eo quod unus ipsorum Sacratissimam

Digitized by Google

Christi Hostiam, quam pharisaica infidelitate coemerat, crebris pugionum ictibus confodere nixus erat, Hostia semper integra permanente; reliqui vero plurimos christianorum infantes ictibus et punctionibus peremisse fassi sunt, Surius de Reb. in orbe gestis sub anno 1510.

(32. Tertia, si seditiones excitent, aut aliter in nos delegantur injuriosi, ut recte colligitur ex d. l. *Christianis*, c. *de Pagan.* Hac de causa imperante Phoca ejecti fuerunt Antiochia; ingentem enim christianorum multitudinem ferro conciderant, vel igne exusserant, necnon et Anastasium ejusdem civitatis antistitem fœda morte affecerant. Nicephor. lib. XVIII, cap. 44.

(33. Quarta, si in tam magnum numerum excreverint, ut inde timeri posset proditio, d. l. *Christianis*, ibi: « Nihilque turbulentum tentantibus. » Quam ob causam abire coacti sunt e regnis Hispaniarum, ut patet ex const. Granat. prag. 5 et 6, anno 1491, et ex concilio Toletano capite 8.

(34. Quinta, si Leges non servent, ut probat textus in d. l. *Christianis*, ibi: « Nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium. » Quapropter ejecti fuerunt Parisiis anno 1180, per Philippum Francorum regem; nam contra ecclesiastica decreta in domibus suis servos christianos et ancillas habebant, eosque ex aliqua parte cogebant judaizare, ut testatur Jo. Naucler. gener. 40.

(35. Sexta, si ita divites evaserint, ut ex facultatum augmento aliquid inconveniens suspicari possit. In his enim casibus possunt, ve. in facultatibus ex aliqua parte multari, vel in parte ejici, prout casus qualitas exquirit; quia potest princeps ex causa publicæ utilitatis tollere dominium rerum a subditis; leg. *Si quis sepulchrum*, ff. *de Relig. et sumpt. fun.* Roman. cons. 310, sub n. 2; Ang. cons. 139, n. 3; Fulgos. cons. 143, num. 3; Felin. in cap. 2, post princip. de constit.; Decian. cons. 352, sub init. et in cap. *Quæ in ecclesiarum* num. 19 de constit.; Grammat. cons. 8, num. 8, in civile, et cons. 190, num. 11. Tum etiam quia Judæi tolerantur ex commiseratione, et ut ipsi tandem convertantur ad fidem, non tamen, ut officere possint christianis. Isern. in constit. *Si quis in posterum*, tit. *de Judæis.*

(36. Et generaliter quidem expulsionis exempla suppeditant superiorum temporum annales. Nam sub Imperio Caroli IV, anno 1348, Judæos, ex eo quod ex fontibus per ipsos veneno infectis, pestis universalis orta diceretur per totam ferme Europam, flammis, aliisque suppliciis absumptos ex Jo. Nauclero recenset Seb. Franc. Chron. Germ., fol. 198 et 199, et præcipue 205. Plura expulsionis Judæorum exempla ex historicis refert Marquard. de Susan. Tract. de Judæis, pag. 1, c. 7, n. 2.

(37. Et de facto talibus vel consimilibus justis causis intervenientibus jure merito expelluntur; eo vel maxime, quod Judæi censeantur personæ odiosæ, et infames, cap. *Cum sit, de Judæis*, leg. final. Cod. *de Judæis.* Inimici crucis Christi Redemptoris nostri; cap. *Licet universis*, Extrav. *De testibus*, et ejusdem nominis blasphemi, cap. 1, c. *Cum sit nimio*, Extrav. *De Judæis*, et ut constat ex eorum Thalmud; quod ut observat Sixtus Senensis lib. IV Biblioth. Sacr. est ingens, et vastum opus Judaicarum traditionum, in quo decreta omnia rabbinorum collecta sunt, Sammai, Hillel, Akiba, Josep, et filiorum Asamonæi, una cum aliis innumeris aliorum magistrorum statutis, sententiis, et tam divinarum, quam humanaram legum expositionibus, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Ab aliis vero vocatur jus judaicum, tam civile, quam canonicum, doctrinale etiam, ac Pandectæ, et Digesta. Cœptus est autem anno a Domino Jesu 100, ad finem perductus anno ejusdem 400. Sed Ben Majemon in compendium redegit Thalmud, et scripsit anno 1150, et habetur secundo loco post Bibliam, et tantæ est auctoritatis, ut Thalmud, continens innumeras ineptias, fabulas, impietates, contumelias, blasphemias, imprecationes, maledictiones, hæreses, et hujusmodi, quarum variæ hic ad litteram subnectuntur, ut referuntur a Pignatello t. III, consult. 14, n. 11.

(38. « Deus ante mundi creationem, ne otio torpesceret, exercebat se in exstruendis variis mundis, quos, ubi condiderat, paulo post destruebat, atque iterum restaurabat, quoadusque hunc, quem nunc habemus, mundum facere didicisset. Ordin. 1, tr. 5, dict. 6.

(39. « Deus tres primas horas diei totas insumit in lectione legis Judaicæ. Ord. 2, tract. 1, dist. 14.

(40. « Moyses cum aliquando ascendisset in cœlum, invenit Deum scribentem accentus in Scriptura Sancta. Ordin. 5, tract. 6, dist. 5.

(41. « Deus die prima novilunii mensis Septembris judicat universum orbem; reliquis deinde sequentibus decem ejusdem lunæ diebus applicat se ad scribendum justos in libro vitæ, malos vero in libro mortis. Ord. 2, tract. 8, dist. 5.

(42. « Deus quotidie orationes et precationes animo devoto peragit. Ordin. 1, tract. 1, dist. 1.

(43. « Deus habet locum quemdam separatum, in quo statutis temporibus multis cum lacrymis deflet, ac se ipse affligit, quod Judæis iratus templum everterit Jerosolymitanum, et populum suum in captivitatem disperserit. Ordin. 2, dist. 5, et ordin. 1, dist. 7.

(44. « Deus quotidie imponit sibi circa caput et brachia vitas, sive corrigiolas quasdam coriaceas *Thephilin* appellatas, induitque se tunica quadam linea, quæ *Zizith* nuncupatur, eoque modo ornatus procumbit in genua, et orat. Ordin. 2, tract. 8, dist. 5.

(45. « Deus præcepit populo Judæorum, ut singulo quoque novilunio sacrificium expiationis peragant ad expiandum scelus perpetratum a Deo, quando lumen, quod injuste lunæ ademerat, soli attribuit. Ord. 4, tr. 5, dist. 1.

(46. « Deus quotidie reminiscitur calamitates, quas Judæi a gentibus patiuntur;

Digitized by Google

lacrymas duas effundit in Oceanum, et præ dolore pectus utraque parte contundit. Ord. 2, tr. 1, dist. 9.

(47. « Deus quinta die creavit pisces duos magnitudinis pene interminatæ *Leviathan* appellatos, quorum corporum vastitatem cum ipse secum animo perpenderet, veritus ne omne piscium genus a tam magnis belluis deglutiretur, et ne ab ipsis mare universum navigiis invium redderetur, sicque humani generis commercia prorsus tollerentur, si ex iis proles propagaretur, occidit femellam, et ex ejus salitis carnibus salsamenta delicatissima paravit justis et electis suis post hanc vitam comedenda, masculum vero sibi vivum reservavit, ut cum eo subsecivis diei horis quotidie luderet; juxta illam Psal. cm sententiam : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Pro quo Hebræi legunt : Leviathan iste, quem creasti, ut cum eo luderes. Ord. 4, tr. 3. Itaque.

(48. « Deus tribus postremis diei horis laxandi animi gratia ludebat olim cum pisce illo vastæ magnitudinis Leviathan dicto. Ord. 2, tr. 1, dist. 14, et Ord. 4, tr. 8.

(49. « Deus ignota de causa indignatus pisci magno Leviathan dicto, ipsum occidit, carnesque ejus sale condivit, ut ex eis cibum ministraret animabus sanctorum in futuro sæculo. Ord. 4, tract. 3, dist. 5. »

(50. Paulo aliter de Thalmude refert Hieronymus de S. fide, ex Judæo christianus, qui fuit Medicus Bened. XIII, nuncupati Petri de luna circa an. 1412, lib. 1, contra Judæos c. 9, ubi sic scribit : « Dicitur in Thalmud, quod animal Behemoth est omnium animalium majus, et quod masculus et femina fuerunt ab initio creati. Videns autem Deus, quod si filios genuissent, præ illorum magnitudine et multitudine totus mundus esset destructus, castravit masculum, et refrigeravit feminam, quam custodit, ut det eam justis tempore Messiæ ad comedendum.

(51. « Item piscium squamas non habentium accipiunt majorem, quem Leviathan appellant, et dicunt, quod Deus habet ipsum salsum, ut eum det justis ad comedendum in futurum, in tantum quod multi hodie reperiuntur, qui partem suam hujus Leviathan, quam comedere sperant, multo auro, et argento minime commutent, et ad veritatem rationem habent. Ego namque Hieronymus de S. fide hujus opusculi compilator, non dimitterem, pro maxima pecuniæ quantitate, partem meam congri, aut lampredæ, quem, postquam agnovi Messiam veracem, comedere haud consuevi.»

(52. Proxima his est fabula aliorum Hebræorum, qui, ut ait Albertus apud Dionysium, asserunt Leviathan esse serpentem, seu piscem, qui circulo sui corporis totum terræ ambit globum, quique solem, ac radios apprehendere nititur, et volare; sicque solem in circulo suo semper agitat fugientem. Vastum animal, sed fabulosum, qualia multa fabularis Judæorum theologia progenerat. En qualis bellua est Behemot.

(53. Ex Lyrano autem Judæi dicunt, quod in una die depascit herbas mille montium, et crastino renascitur herba in tanta magnitudine, sicut erat in præcedenti die. Et ad hoc adducit Rabbi Samon super istum locum auctoritatem Psalmi XLIX, in quo, uti habemus, *Jumenta in montibus, et boves,* Hebræi dicunt, *Behemot in montibus mille.* Translatio ab Hieronymo sumpta immediate de Hebræo habet, Pecudes in montibus millium.

(54. De hujus autem bellnæ magnitudine hæc item leguntur ex Hebræorum sententia apud Albertum et Dionysium. Quod Behemot sit bos, cujus corpus septem milliaria contineat, collum unum, et caput unum ; sicque novem milliaria in universum contineat, cujus cauda sit quasi silva cedrina. Ingens procul dubio, et immane non tam animal quam mendacium, inquit Joannes Pineda. Sed si non mentiuntur, addit idem, at somniant procul dubio homines veræ sapientiæ, veræque theologiæ expertes, quod viros mediocris sapientiæ pudet, et somniare. Adjungunt Judæi quod in resurrectione Deus occidet illud animal, ut justis paret convivium. Quam sollicita est de convivio alterius vitæ, salitisque carnibus Judæorum natio !

(55. Similis est fabula apud Eliam Thesbitem in Juclina, ubi sic habet : « Invenitur in Agadab avem esse magnam, quæ vocatur *Bariuchna*, cujus ovum miræ magnitudinis esse dicunt in Massechet Becheroth. » Etiam audivi, quod Deus tandem in futuro sæculo ex eo justis paraturus sit convivium una cum Leviathan et bove. Sed nondum fabularum judaicarum est finis. Quæ sequuntur translata sunt e Thalmulde :

(56. « Deus semel quoditie irascitur, et tunc crista gallorum gallinaceorum ruborem emittit, ipsique interim uno pede stant. Tunc si quis eodem momento alicui maledixerit, is statim concidet mortuus. Ordin. 1, tr. 1.

(57. « Cum olim Rabbini quidam adversus Rabbi Eliezer disputationem iniissent, Deus voce cœlitus dimissa, sententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit, quamobrem indignati rabbini Deum anathematis pœna damnarunt. Tunc Deus ipse subridens, Filii, inquit, mei me vicerunt. Ord. 4, tr. 2, dist. 7.

(58. « Cum Deus die quadam in cœli curia dissereret de specie quadam lepræ, quam ipse mundam aiebat esse, cæteris dissentientibus rabbinis, qui immundam esse affirmabant, lis tamen communi omnium assensu devoluta est ad sapientissimum quemdam rabbinum, qui cum sententiam proferre pararet, statim ejus anima, relicto corpore, vociferari cœpit : Mundam, mundam. Ordin. 4, tract. 2, dist. 7.

(59. « Tanta fuit olim in rabbino quodam prudentia, ut diabolum simul et Deum hoc astu eluserit. Cum rabbinus in extremo vitæ articulo laboraret, diabolum precibus exorat ut sese jam moribundum ad portas

Digitized by Google

usque cœlestis regni deducat, ut inspecto ideo loco divinæ habitationis, lætus ex hac vita decedat. Hanc gratiam cum diabolus veteri amico præstitisset, rabbinus illico se intra portas Cœli conjiciens, juravit per Deum viventem se nunquam inde recessurum. Qua de causa coactus est Deus hominem apud se retinere, ne illum perjurium faceret, sicque hac una arte prudentissimus vir Deum et diabolum simul fefellit.

(60. « Cum angelus Gabriel flagitium grave commisisset, Deus jussit eum igneo flagello flagellari. Ord. 2, tr. 5, dist. 8.

(61. « Animæ hominum migrant de corpore in corpus hac lege, ut si anima in primo corpore peccet, mittatur in secundum, in quo si iterum peccet, mittatur in tertium corpus; in quo si peccare non desistat, denique in gehennam detruditur. Ord. 4, tr. 2.

(62. « Anima Abelis migravit in Seth, anima Seth in Moysen. Ibid.

(63. « Animæ hominum indoctorum in resurrectione non recipient corpora sua. Ord. 3, tr. 1, dist. 3.

(64. « Rabbini duo singula quaque hebdomada pridie Sabbati duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant. Ord. 4, tr. 4, dist. 2.

(65. « Quicunque ter in Sabbato comederit, vitam æternam consequetur in altero sæculo. Ord. 3, tr. 1, dist. 6.

(66. « Nihil comedi debet numero pari, sed impari; hoc enim numero maxime delectatur Deus. Ord. 4, tr. 2, dist. 7.

(67. « Si quis oraverit facie ad meridiem conversa sapientiam consequetur; ad Septentrionem vero divitias. Ord. 4, tr. 3, dist. 2.

(68. « Si quis sub ventre cameli, aut intra duos camelos, aut inter duas mulieres pertransierit, nihil unquam ex Thalmud poterit ediscere. Ord. 4, tract. 10, dist. 2. »

(69. Gemina superioribus fabula est, quod tempore Messiæ Judæa proferet Judæis panes coctos, et vestes sericas cuique Judæo accommodatas.

(70. Quod Deus Adamo creaverit duas mulieres, ex quibus texunt fabulatores genealogias interminatas, ut ex Augustino refert Beda in Epist 1 ad Timoth.

(71. Quod Deus antequam legem suam daret Israelitis, eamdem præsentavit Idumæis, et Ismaelitis, quorum illi habitarunt in Seir, hi vero in deserto Pharan. Idumeos autem rejecisse Legem cum audivissent quintum præceptum: *Non occides*. Recordabantur enim, quod patri eorum dictum esset: *Vives in gladio*. Ismaelitæ vero eamdem rejecisse, dum audissent sextum præceptum: *Non mœchaberis*. Id fabulantur, dum exponunt illa Deut. xxxiii, 2: *Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo quinquaginta millia.*

(72. Quæ postrema, ut exponunt, fingunt fuisse in datione Legis in monte Sinai animas omnium Prophetarum, qui postea inter Judæos prophetaverunt, ac singulos eo tempore et loco accepisse prophetias suas, quas ediderunt. Addunt etiam fuisse inibi omnes rabbinos conditores Thalmudi.

(73. Hæc sufficerent ad exhibendam formam theologiæ fabularis Judaicæ. Sexcenta alia enarrari potuissent, sed modus servandus fuit. Notum enim est, Judæorum rabbinos post Christi Domini anastasim Sacram Scripturam fabulis a se confictis fœde contaminasse. Quarum fabularum non paucæ sunt in libro dicto Thargum, qui Chaldaicam translationem continet.

(74. Adversus autem Legem Moysis hæc habent: « Quod licitum sit cum propria uxore masculino concubitu uti. Quare cum duæ mulieres essent de hac re apud Synagogam conquestæ, responderunt rabbini, virum esse uxoris dominum, ac proinde posse eum uti corpore uxoris suæ utcunque voluerit, non aliter quam ille qui piscem emit. Is enim tam anterioribus, quam posterioribus piscis ejus partibus ad arbitrium vesci potest. Ord. 3, tract. 3, dist. 2.

(75. « Si quis aut filiam suam, aut sororem suam, sibi matrimonio junxerit, is rem Deo facit gratissimam. Ord. 2, tr. 1.

(76. « Rabbinum, qui non oderit hostem suum usque ad mortem, et qui vindictam adversus eum non quæsierit, indignum esse nomine rabbini. Ord. 5, tr. 1, dist. 2.

(77. « Gravius plectendos esse eos, qui contradicunt verbis scribarum, quam verbis Mosaicæ legis, quibus qui contradixerit absolvi potest, qui vero verbis rabbinorum contradixerit, morte moriatur. Ord. 4, tr. 4, dist. 10.

(78. « Si testes de falsitate convicti fuerint, puniri debent pœna talionis. Quod si contigerit injuste accusatum fuisse damnatum, et ita pœna affectum; tunc falsi testes absolvi debent et nulla pœna puniri. Ord. 4, tr. 4.

(79. « Si quem major pars judicum ad mortem damnaverit, is mori debet; Si vero omnes, nullo excepto, in cujus damnationem consenserint absolvatur. Ord. 4, tr. 4.

(80. « Si quis marsupium loco publico invenerit, sciveritque ejus dominum jam de inventione marsupii desperasse, non tenetur ad restitutionem marsupii. Ord. 4 tr. 2, dist. 5.»

(81. Hæc autem adduxi ut christianis persuadeatur quid de perfidæ illius gentis dogmatibus sentire debeant, et patescat animus nefariorum hominum in religionem sacrosanctam. Hunc finem producendi nonnulla ex Thalmud habebat Sixtus Senensis, qui ita mentem suam aperit. « Decreveram profecto nullam librorum habere mentionem, et omnem doctrinæ hujus memoriam, quantum fieri potuisset, silentio aboleri; sed quoniam me præteritorum temporum experientia docuit, hujusmodi volumina toties exstincta, iterum instar hydræ capita reviviscere, permittente id principum christianorum avaritia, qui quovis pretio inducti, facultatem instaurandi hos libros Judæis vendunt; ideo me opere pretium facturum existimavi, si turpitudines, impietates, et blasphemias nonnullis Thalmudicis voluminibus compre-

Digitized by Google

hensas aliqua ex parte manifestarem, annotatis nominatim libris, ubi hæc habentur, ut si quando hæc nefaria scripta, quibus adhuc abundat Asia, Africa, Græcia, et Germania apud nos revocentur in lucem, habeant pietatis christianæ propugnatores indicem, quo veluti manu ducantur ad inveniendos locos, in quibus prædictæ blasphemiæ scriptæ sunt, et his detectis, christianos principes iterum adversus renascentis hydræ colla inflamment. »

(82. Subjungit deinde nonnulla, quibus capitale Judæorum odium in christianos innotescit; qualia sunt:

(83. « Statuimus, ut quilibet Judæus ter in die blasphemet omnem christianorum gentem, ac Deum precetur, ut confundat exterminetque ipsam cum regibus et principibus suis; atque hoc maxime faciant sacerdotes Judæorum in synagoga ter quotidie, orantes in odium Jesu Nazareni; in Thalm. Ord. 1, tr. 1, dist. 4.

(84. « Deus præcepit Judæis, ut quovis modo, sive dolo, sive vi, sive usura, sive furto facultates christianorum sibi vindicent. Ibid.

(85. « Præcipitur omnibus Judæis, ut christianos omnes loco brutorum habeant, nec aliter eos tractent, quam bruta animalia. Ord. 4, tr. 8.

(86. « Judæus gentilibus, neque boni, neque mali quidquam faciat. Christianum vero omni studio atque industria conetur de vita tollere. Ord. 4, tr. 8, dist. 2.

(87. « Si quis Judæus christianum præcipitio propinquum inspexerit, ipsum statim præcipitare tenetur. Ord. 4, tr. 8.

(88. « Imperium christianorum exsecrabilius est imperio cæterarum gentium, et levius peccatum est serviri principi gentili quam christiano. Ord. 2, tr. 1, dist. 5.

(89. « Templa christianorum sunt domus perditionis et loca idololatriæ, quæ Judæi tenentur destruere. Ord. 1, tr. 1, dist. 2.

(90. « Evangelia christianorum, quæ inscribi debent iniquitas revelata, et peccatum manifestum, a Judæis comburi debent, etiamsi in eis nomen Dei contineretur. »

(91. Hic igitur Thalmud, sive Jerosolymitanus, sive Babylonicus, demptis etiam ineptiis, figmentis et blasphemiis, scriptus est Judæorum pervicacium odio in Christum, et christianos capitali flagrantium, ac pleraque in eo scripta tacite et aperte christianæ fidei mysteria obscurant, vel avertere nituntur, et ad superstitionem ducere. Uterque sæpe ab Ecclesia catholica jussus est comburi, idque aliquoties justissime factum, quia plurimis gravissimisque contra Christum Dominum, divinamque Majestatem, et hujus administros, et amicos, Angelos, et Testamenti Veteris Divos, beatissimam Virginem Mariam, christianos omnes, imo et contra Moysis Legem, jus gentium, atque omnem naturæ legem, et rectam rationem erroribus, mendaciis, contumeliis et blasphemiis scatet.

(92. Quocirca Gregorius Nonus omnia Thalmudica volumina flammis adjudicavit anno 1230, et pontificium decretum instauravit Innocentius IV, anno 1244, Clemens IV, Honorius IX, et Joannes XXII. Cum autem eadem volumina a Judæis pristino nitori restituta fuissent, et artis typographicæ præsidiis in infinitum prope numerum propagata, Julius Papa III, novo edicto promulgato, inquiri jussit, et anno 1553, cum Festa Tabernaculorum a Judæis Septembri mense celebrarentur, per omnes Italiæ urbes exuri jussit. Postea Paulus Papa IV, una cum sacrosancto Inquisitionis senatu anno 1559, idem fieri imperavit, et Talmudicos libros inter scripta, ab Ecclesia catholica damnata connumerari voluit. Exstat etiam ea de re Pii V decretum anni 1566, et Gregorii XIII, quo statuitur, ut ab inquisitoribus procedatur contra Judæos hujusmodi volumina retinentes; et tandem Clementis VIII, contra impia scripta, ut loquitur constitutio anni 1593, et libros Hebræorum Thalmudicos, Kabalisticos alios, opera, tractatus, volumina, et scripta quæcunque tam lingua hebraica, quam quavis alia lingua conscripta; aut versa, edita, impressa, ac in posterum conscribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia, seu continentes tacite, vel expresse hæreses, vel errores contra sacras Veteris Legis scripturas, necnon contumelias, impietates, blasphemias, contra Deum, Sanctissimam Trinitatem, Salvatorem nostrum, beatissimam Virginem, beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos aliosque Sanctos Dei, Sanctissimam Crucem, sacramenta novæ Legis, sacras imagines, sanctam catholicam Ecclesiam, Sedem Apostolicam, ac contra Christi fideles, præsertim episcopos, sacerdotes et alias ecclesiasticas personas, atque etiam contra neophytos, et alias contra catholicam Religionem, vel in quibus impudicæ et obscenæ narrationes habentur, etiam sub prætextu, quod expurgatæ fuerint, vel donec expurgentur. Item impii Thalmudici, Kabalistici, aliisque nefarii Hebræorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant, et censeantur. Idem fecerunt principes sæculares. In Galliis S. Ludovicus rex Francorum anno 1240. In Hispaniis Ferdinandus et Isabella, et antea Livigius, ac demum Carolus V. In dominio Veneto Benedictus Vaterius Marcus Centanus, et Franciscus Longus senatores, anno 1553. Imo constitutio Justiniani imperatoris contra Judæos et eorum scripta, intelligitur de libris Thalmudicis, adeo ut omnino prohibiti sint, nec eorum correctio per Bullam Clementis VIII admittatur; hactenus Pign. loc. cit.

(93. Hebræorum lingua ad pronuntiandum est adeo difficilis, ut S. Hieronymus in illa peritissimus extremitatem, seu superfluitatem dentium sibi limare fecerit ad illam recte pronuntiandam, ut observant historici illi, quos referunt, et sequuntur Gonzalez in cap. *Ex parte*, num. 10, in fine de corpor. vitiat.; Majol. de Irregular. lib. I. cap. 14; Ursaya Instit. Crimin. l. IV. tit 10, num. 75.

(94. Hebræi, et Judæi, unde sic dicti. Vide verb. Thalmud Hebræorum numer. 1, ubi et de proselytis.

(95. Additur ad rem attendenda constitutio

Digitized by Google

Benedicti XIII, incipiens *Alias emanarunt*, edita 22 Martii 1729, in qua confirmatur constitutio Innocentii XIII, incip. *Ex injuncto*, super prohibitione mercaturæ rerum novarum Judæis tum in statu, tum extra statum ecclesiasticum degentibus, in qua inter alia statuitur quod Hebræi, qui in detrimentum mercatorum christianorum bombycinos folliculos, vulgo cocconi o bocci, a christianis emere, et mercari, ac sericum texere, pannosque sericos contexere præsumunt, in posterum id nullimode possint, expresse declarando quod sub novarum rerum mercimoniis prohibitionem eis factam, tam texturam, et confectionem serici cujuscunque generis, vel speciei, quam emptionem, et venditionem etiam indirectam novi serici, sive contexti, sive non contexti, ac folliculorum bombycinorum, quos gallico idiomate *cocon*, italice vero *coccone*, seu *boccio* appellant, comprehendi, et comprehensas esse intelligatur; cum Judæi sola arte *straciaria*, seu *cenciaria*, ut vulgo dicitur, contenti, aliquam mercaturam frumenti, vel hordei, aut aliarum rerum usui humano necessariarum facere solum possint; insuper nec ut medici, etiam vocati, et rogati ad curam christianorum accedere possint; nec se a pauperibus christianis dominos vocari permittere; nec nutrices, seu ancillas, aut alios utriusque sexus servientes christianos habere, vel eorum infantes per mulieres christianas lactari, aut nutriri facere; seu dominicis, vel alias de præcepto Ecclesiæ festis diebus in publico laborare, aut laborari facere, seu christianos quoquomodo gravare, ut contractus fictos, vel simulatos celebrare, seu cum ipsis christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, seu conversationem habere. Hinc sancitum est, ut Judæi a christianorum domibus penitus sint sejuncti, et quod signum aliquod adferant, ut dignoscantur. Hæc et alia jam prius statuerant varii alii Summi Pontifices, et signanter Clemens IV, constitut. incip. *Cum sæpe*; S. Pius V, const. incip. *Romanus Pontifex*; Paulus IV, constitut. incip. *Cum nimis absurdum*; et dictus Innocentius XIII, constit. incip. *Ex injuncto*, ubi et alias supradictorum Pontificum confirmans, uti jam fecerat Paulus IV, inhibet Judæis bona stabilia comparare, et possidere, et etiam conducere, ac hujusmodi.

(96. Judæi sunt in servitute apud christianos, non quidem pœnali, sed civili. Benedict. XIV, tom. 2, constitut. 28, incipiens *Postremo mense*, § 12. Hebræi sparsim per ditionem ecclesiasticam degentes a S. Pio V, a Sixto V et Clemente VIII, in varia loca restricti fuere, nempe a S. Pio V, in solis civitatibus Romæ, et Anconæ, et Sixto V, in solis locis mœnibus septis : a Clemente VIII, in civitatibus Romæ, Anconæ et Avenionis. Cum vero Apostolica Sedes Urbini Ferrariæque civitates recepisset, non ejecti fuere Judæi ab iis urbibus, oppidisque, ubi antea per duces iis licuerat commorari. Idem ibidem § 12. Ex quo Hebræi a christianis principibus in suis ditionibus tolerentur, sequitur quod nec vi, nec injuriis, contra Asyli jus, cum ipsis sit agendum. Idem ibid. § 13. Unde Judæi non vi, sed instructionibus et suasionibus ad fidem amplectendam adduci debent. Idem ibid. § 37. Sisebutus Hispaniarum rex Judæos per vim ad Baptismum suscipiendum impulit. Quod non fuit commendatum. Idem ibid. § 38 et 39. Judæis Romæ semel in singulas hebdomadas Evangelium annuntiatur, ipsique hujusmodi prædicationi interesse coguntur. Idem ibid. § 59, in fine.

(97. Hebræus septennio major, si catholicam Religionem amplecti se velle ostendat, et de hoc denuntietur, evocari et interrogari debet de causa, qua motus est; et in Christiana fide est instituendus cum omni diligentia, ut dignoscatur quo spiritu ad Ecclesiæ societatem optandam adducatur. Idem ibid. § 40 et 41. Judæus denuntiatus de voto suscipiendi Baptismum, non statim retinendus est, nisi judices sint duo saltem testes per omnia conformes, aut omni exceptione majores. Idem ibid. § 16. Et in dubio de ejus vera voluntate judex catholicus, qui Romæ est Vicesgerens pro tempore; ejus voluntatem extra Ghettum, vel in ejus domo, vel in aliqua ecclesia, vel alio loco sibi beneviso semel atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio claro perspecto, cum tuto jubeat, aut ad Ghettum remitti, aut catechumenis recenseri. Idem ibid. § 56 et sequent.

(98. Hebræus puer, si Baptismum petiisse denuntietur, sed rationis usum non habere reperiatur, parentibus est restituendus. Idem ibid. § 40. Si autem ratione præditus inveniatur, et Baptismum petat, sive completo, sive non completo septennio, baptizandus erit, etiam invitis parentibus. Idem ibid. § 32. Si autem dubitetur de perfecto rationis usu, non statim restituendus erit, sed differri debet Baptismus, donec certa ratione utens, et auditis fidei christianæ documentis, voluntatem suam aperiat. Idem ibid. § 33.

(99. Hebræorum filii, liberi arbitrii usum non habentes, invitis parentibus baptizari non debent. Ibid. § 45. Judæorum infantes parentibus orbi, et sub tutela degentes, absque tutoris assensu baptizandi non sunt. Idem ibid. § 14. Hebræorum filii infantes baptizari possunt, si mortis in periculo inveniantur. Idem ibid. § 8. Item si crudelem in modum a parentibus deserantur, nempe si in loco publico, soli, derelicti, abjecti, atque omni cura et spe destituti reperiantur. Idem ibid. § 9. Item si ad Baptismum offerantur a patre, etiam invita matre; et etiamsi a matre offerantur sine patris consensu. Idem ibid. § 15 et 16. Item si ab avo paterno, in cujus potestate sunt, offerantur ad Baptismum etiam utroque genitore invito. Idem ibid. § 17.

(100. Judæorum infantes oblati a parentibus, qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, etiamsi parentes a proposito recedant, sunt baptizandi. Item ibid. § 38. Qui autem infantiam excesserint, non co-

Digitized by Google

gendi, sed retinendi sunt ad tempus longe a parentum consuetudine, donec instructi, de statu suo deliberent. Idem ibid. § 18.

(101. Hebræi infantes, si valide baptizati fuerunt invitis parentibus, eis restituendi non sunt, etiamsi spondeant se eos christianis reddituros cum ad convenientem ætatem pervenerint, nihilque illis contra fidem catholicam tradituros. Idem ibid. § 30. Judæorum infantuli a nutrice, aliove illicite, sed valide baptizati a christianis educandi sunt, et cum ad rationis usum pervenerint, ad perseverantiam in fide catholica cogendi. Idem ibid. § 27. Judæorum filii supra infantilem ætatem constituti, quibus non expresse petentibus, collatum fuerit sacramentum Baptismi, retineri debent, omnique ratione exploranda est eorum voluntas. Idem ibid. § 27.

(102. Hebrææ mulieres a maritis, aut sponsis ad Baptismum oblatæ, quando retineri debeant, fuse ostenditur ab eodem pontifice, ibid. § 18 et sequent., nempe quod quotiescunque sponsus Hebræus christianæ Religioni nomen dare statuerit, et Evangelio sponsam offerat, prudenter, ac diligenter, interrogetur, quomodo sponsalia probentur. Et argumenta sponsalibus comprobandis idonea erunt, si tanti esse ponderis et momenti videbuntur, ut contracta inter catholicos sponsalia iisdem rationibus evinci aperte ac tuto valeant. Et si probationes tales fuerint, e vico, seu Ghetto evocanda erit mulier, et semel, atque iterum, aut quandiu opportunum judicabitur, ejus voluntas in ecclesia aliqua, aut alibi explorauda, ac demum, aut innata in pervicacia, atque errore relinquenda, si respicere nolit, aut inter catechumenos retinenda est, ut instruatur si conversionis certa spes aliqua oboriatur. Cum autem sponsus aut alius quilibet fide dignus talia argumenta proferat, quibus plane constet sponsalia vere contracta fuisse, apud ipsos Hebræos valida, atque obligatoria, tunc illico inter catechumenos collocanda est mulier, ubi tandiu versabitur quandiu necesse erit, dummodo quadraginta dierum spatium non superetur. Idem ibid. § 69 et 70. Vide ibi, ubi multa scitu dignissima.

(103. Judæi si accepto Baptismo, ad Judæorum scholam redeant, contra eos legibus agendum est, uti contra Hæreticos judaizantes. Idem ibid. § 29. (104. Hebræus, qui se ad fidem convertit, conjugem Hebræam interpellare debet, velit, necne christianam veritatem amplecti, et sine Creatoris injuria cohabitare. Idem constit. 38, incip. *Apostolici ministerii*. Quod si ipsa recuset, maritus liber efficitur; non tamen potest ei Libellum repudii judaico ritu mittere. Idem ibid. Hebræis conversis prohibetur quovis modo, sive in Judæorum vico, aut Ghetto, sive extra, coram notario, aut testibus christianis Libellum repudii dare uxoribus recusantibus se convertere. Et eadem procedunt pro mulieribus conversis quoad maritos in Judaismo remanentes. Item ibid.

(105. Judaizantes habentur, et contra eos de more proceditur, quicunque post Baptismum, repudii libellum judaicis ritibus dederint conjugi non converso. Idem ibid. Atque etiam, si id fecerint coram notario et testibus christianis, licet tunc minori pœna plectendi sint; quod si intra vicum, seu Ghettum fiat, pœnæ statuuntur etiam contra universitatem Judæorum, Idem ibid.

(106. Descendentes ab Hebræis non sunt arcendi ab ordinibus et beneficiis, nisi aliter in erectione beneficii a fundatore cautum fuisset, vel aliter Summus Pontifex decrevisset. Idem de Synodo diœcesana lib. VII, cap. 65, n. 4, per text. in cap *Eam te* 7. *de Rescriptis*, ibi : « Pro eo vero, quod Judæus exstiterit, ipsum dedignari non debes. » Idem quoque dicendum de illis qui ex infidelibus descendunt. Ibid. § 4. Idem etiam dicendum de ordinibus sacris. Ibid. § 5.

(107. Hebræi beatum Andream Rhinnensem, et beatum Simonem Tridentinum primæ ætatis infantes in odium Christi occiderunt. Benedict. XIV constitut. incip. *Beatus Andreas* § 1 et 5. Qui ibid. § 17, plures alios infantes Hebræorum crudelitate, perditoque in Christum odio necatos recenset.

(108. Christianis vetitum est sub excommunicatione cum Hebræis cohabitare, ex cap. 5 *de Judæis*. De synodo diœces. lib. VI, cap. 4, § 2, sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere.

Alia quoad Hebræos vide in *Additionibus ex aliena manu*, ubi inter cætera in compendium redigitur celebris Epistola Benedicti XIV ad archiepiscop. Tarsensem, quæ est de Hebræorum Baptismo.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(109. Non incongrua hic est quæstio, utrum iis in casibus, in quibus leges Hebræorum forenses contrariæ sunt juri communi, vel particulari quorumcunque locorum, controversiæ inter ipsos motæ decidendæ sint secundum forenses eorum leges, an secundum jus commune vel particulare? Distinguunt communiter doctores, inter ordinatoria judicii, et decisoria, id est inter formalia processus, et materialia, seu merita causæ. In illis jus commune, in his vero jus proprium forense observandum censent; consule Fermosin. ad Rubric. tit. *Decretal. de Judæis*, quæst. 3, num. 9. Cyriac. Controv. forens. 241, num. 11, Surd. Decis. 332, num. 3.

(110. Hinc inferunt, ætatem minorennem Hebræorum non ex jure communi, sed forensi eorum æstimandam esse, ut masculi annorum quatuordecim, feminæ duodecim pro majorennibus habeantur, ad effectum ut restitui in integrum nequeant; testamentum Hebræorum valere duobus, vel tribus adhibitis testibus; in successionibus ab intestato masculos feminis præferri; valere testamentum Hebræi relinquentis filio legitimam, absque institutionis titulo, etc.

(111. Hujus sententiæ potissimum fundamentum assignatur, quod leges et consuetudines Hebræorum, quæ non sunt specialiter

Digitized by Google

prohibitæ, nec directæ sunt in contemptum nostræ fidei, iis sunt permissæ per *C.* 3, *D.* 45, *C.* 7 et *C.* 9 *de Judæis* l. x et xii, *C. eod.*

(112. Quæritur etiam, an id ipsum obtineat, si controversiæ sint Hebræos inter et christianos; sed in hac quæstione etiam in decisoriis secundum jus commune vel particulare judicandum esse, plerique admittunt, licet in casibus particularibus admodum dissentiant; confer Fermosin. ad Rubric. decretal. de Judæis, dict. quæst., num. 10; Cyriac., dict. controv. forens. 241, n. 12.

(113. Meo autem judicio sive controversiæ sint inter ipsos Hebræos, sive Hebræos inter et christianos, standum est etiam in decisoriis juri communi vel particulari, ut sentit, et quidem recte Bohemer. in Decret. lib. v, tit. 6, § 60 : « Sunt Judæi (inquit) legum suarum tenacissimi, reliquas spernunt, nihilque magis curæ cordique habere solent, quam ut se exleges faciant intuitu legum localium. Id vero adeo rationibus civilibus adversatur, ut nullo jure defendi queat. Imo quia se facile a Legum obligatione eximere sueverunt, hæc prima a plurimis præcautio commentata est, ut non aliter recipiantur, quam sub hac lege (quamvis etiam hæc per se ex natura subjectionis subintelligantur) ut actiones suas civiles ad jura loci communia componant. »

(114. Quod autem attinet ad textus adductos, ii unice statuunt, ut Hebræi in solemnibus ritibus sacris, aliisque, quæ ad cultum sacrum pertinent, non sint inquietandi, observante Bohemero ubi supra.

(115. Ex his patet, eo minus Hebræis esse deneganda jura illa communia, quæ ne quidem legibus ipsorum forensibus sunt contraria. Sic liberos habent in potestate non secus ac christiani; c. *final. de Convers. Fidel.* Knipschildt. de Civit. imper. lib. ii, cap. 30, n. 26 et sequent. Nec Hebræorum liberi per id temporis, quo sub patria sunt potestate, condere valent testamenta, suntque parentibus suis hæredes non aliter ac christiani; Tiraquel. de Jur. Primog., quæst. 66, num. 2. Feminæ pro dote sua communi privilegio gaudent, quod in L. 12, *C. Qui potior. in pignor.* traditur, Tiraquell. cit. loc. n. 10.

(116. Non æquali tamen semper jure utuntur; quando agendum est ipsis cum christianis. Hebræi testimonium ferre non possunt contra christianos si vel maxime christianus contra christianum agat; L. 21, c. *de Hæretic.* Cæterum si lis sit christianum inter et Hebræum, et ille Hebræum produxerit testem, statur testimonio Hebræi, etiam contra christianum, quippe quia christianus Hebræum producendo ipsum approbavit, Bohemer. in Decretal. lib. v, tit. 6, § 70. Similiter nec Hebræi inhabiles testes sunt in christianorum contractibus, et ultimis voluntatibus, quod disertis verbis exceptum est in dict. leg. 21, c. *de Hæretic.* At testimonium Christiani contra Hebræos in omnibus causis recipiendum est; cap. 21, *de Testib.*

(117. Hebræi actoribus christianis instrumenta edere semper tenentur ob Clementin. unic. § *Cæterum, de Usur.* qua cautum, ut libri usurariorum semper edi actoribus debeant. Id quod ad Hebræos ideo extenditur, quod ii præsumuntur usurarii; Pacian. de Probat. lib. i, cap. 53, n. 65. At id meo judicio tunc admitti potest, cum ob usurariam pravitatem contra Hebræos agitur.

(118. De eo est magna inter doctores dissensio, an Hebræus admitti possit ad juramentum suppletorium contra christianum. Vide Bohemer. in Decretal. lib. ii, tit. 20, § 3; Mynsinger. centur. 5, observ. 6; Berlich. p. 1, conclus. 54, n. 67, et Berger. in Discept. For. ad Proces. Saxon., tit. 21, observ. 1, not. 8.

(119. Nec convenit inter doctores, an Hebræi mercaturam exercentes, jure cæterorum mercatorum frui debeant, quod eorum libris deferri solet; Affirmat Bohemer. in Decr. lib. ii, tit. 22, § 9. At videtur negare et quidem rectius Hornius Class. XI, Respons. n. 87. Adisis ipsum loco citato.

(120. Adest epistola Benedicti XIV ad archiepiscopum Tarsensem, quæ est de Hebræorum Baptismo, in qua plures casus resolvuntur, quorum solutio plurimum confert ad solvenda dubia, quæ circa Hebræos conversos oriri solent. Principio itaque statuit Summus Pontifex, non licere baptizare Hebræorum infantes, eorum invitis parentibus, et deinceps ad casus descendit, in quibus eos baptizare liceat.

§ I. — *De infantibus in extremo vitæ periculo constitutis.*

Cum id eveniat, ut ab aliquo christiano Hebræorum puer morti proximus reperiatur rem oppido laudabilem, Deoque gratam is certo efficiet, qui salutem puero aqua lustrali præbeat immortalem. Inter cætera congregationis sancti Officii decreta unum exstat latum postridie Kalendas Novembris anno 1678, cujus verba hæc sunt : « Cum Filius Hebræorum consignatus fuisset nutrici christianæ in deficientia nutricum Hebræarum, dum esset proximus morti, fuit baptizandus, et sacra congregatio declaravit, prædictum puerum fuisse licite baptizatum. » Cum quo convenit alterum emanatum die 18 Februarii anno 1705, quæstioni respondens fel. mem. Præsulis Caroli Maigrot; illud autem est hujusmodi : « An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus? » Eminentissimi, audito voto DD. consultorum, dixerunt non licere, nisi in articulo mortis; Gobat in Theologia experimentali tractatu 2 caus. 11, num. 329 : « maxime commendat virum religiosum de societate Jesu, qui cum vi quasi coactus mahumetani domum esset ingressus veluti medicus, ejus puellam morti proximam invisurus, eam caute baptizavit, quin id pater cognoverit: quæ quidem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad cœlum feliciter evolavit. » Conveniunt quoque in eamdem sententiam Suarez in tertiam partem S. Thomæ disp. 78, quæst. 25, art. 3, § *Ex his autem;* Becanus de Sacram. Baptismi

Digitized by Google

cap. 10, quæst. 7, num. 7; Hurtadus de Sacr. Baptismi disp. 3, dis. 3; Azorius part. I, lib. IX, cap. 25, qu. 10; Castropalaus tract. 19, disp. unic. de Bapt., punct. 9, num. 16; Paschal de Viribus patriæ potestatis, par. I, num. 11; Barbosa in Canon. Judæorum 18, qu. 1, num. 3; ad hanc rem præclare facit epistola S. Francisci Xaverii pag. 67, Romæ typis edita, in qua confirmans Patrem Franciscum Henricum, quod quereretur; paucos a se infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, sic scribit : « Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos per Baptismum cœlo parturiendo.» Nam certum est Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitæ agentibus, quos Pater Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat. « At memento te octo mensibus, quibus isthic versaris plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis. »

§ II. — *De infantibus expositis.*

Si item evenerit, ut puer aliquis Hebræus projectus esset, atque a parentibus derelictus, communis sententia omnium est, pluribus quoque confirmata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam, repetentibusque parentibus, ut recte docent Azorius Institut. Moral. part. I, lib. VIII, cap. 25, quæst. 5; Ricciol. Lucubrat. l. II, cap. 32, num. 30; Clericatus de Jurisdictione discord. 17, num. 12; Sessa de Judæis cap. 51, num. 110 et seqq. « At Hebræorum parentes patriam se in filios habere potestatem contendunt, nec plane injuria compertum est patriam potestatem, neque ad jus divinum positivum, neque ad jus naturale, neque ad jus gentium pertinere, sed juris, ut aiunt humani romani, esse, cum autem civitate romana Antonius imperator omnes imperio romano subjectos donaverit, juxta ea quæ leguntur in l. *In orbe Romano*, quæque in aliis exemplaribus incipiunt *in urbe Roma*, ff. *de Statu hominum*, et Hebræi imperio romano tunc essent subditi, hoc ipsis argumentum suppeditat pro patria in filios potestate : » Sic disserit Abbas in cap. cit. ex litt., num. 2, de convers. infidel. Judæus habet filium in potestate, et est ratio quia Judæi contrahunt justas nuptias, sunt sub romano imperio, et sic gaudent legibus imperialibus. Sed itidem plane constat, prædictam patriam potestatem tunc certe amitti, cum filius derelinquitur, projiciturque; juxta responsum Gregorii IX, cap. 1, *de Infantibus, et languidis expositis*, cujus hæc sunt verba : « Si a Patre, sive ab alio sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus exstitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus. »

« Animadvertendum tamen est, eum infantem non inter projectos expositosque annumerandum, quem sine patre, sine matre nullo comite aut per Urbem, aut extra Hebræorum vicum temere vagantem inveneris sed quem in loco publico solum, derelictum, abjectum, atque omni cura, et spe destitutum offenderis, is absque dubio projectus, is sane expositus censendus est. »

§ III. — *Declarationes circa casus præmissos.*

Postquam casus magis obvios exposuimus in quibus nostra hæc regula prohibet Hebræorum infantes, invitis parentibus, baptizari, aliquas insuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum hæc prima est, si parentes desint, infantes vero alicujus Hebræi tutelæ commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit. Sic Azorius Instit. Moral. part. 1, lib. VIII, c. 28, quæst. 9; Thomas a Jesu de Convers. gent., pag. 212; Sessa de Jud. cap. 25, num. 32, alios præterea doctores eadem sentire non ignoramus, a quibus recensendis brevitatis gratia supersedemus.

Secunda est, si pater christianæ militiæ nomen daret, juberetque infantem filium baptizari; eum quidem vel matre Hebræa dissentiente, baptizandum esse, cum filius non sub matris, sed sub patris potestate sit habendus juxta textum in lege *Nulla*, ff. *de suis et legitimis hæredibus*, et in § *Feminæ*, Instit.-tit. *de adoptionibus*, quod quidem ad verbum statuit Gregorius IX, in sua Decretali ad Argentinæ episcopum scripta et relata in cap. *Ex litteris, de conversione infidelium.*

Tertia est, quamvis mater filios sui juris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedat, et infantem offerat baptizandum, tametsi pater Hebræus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse; ita cum cæteris Azorius verba facit in loco præfato, qu. 3 : « Ubi de communi fidei bono agitur, nulla habenda est ratio patriæ potestatis, quam leges et jura romana sanxerunt, et propterea mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam potestatem non tribuat, jus habet ad baptismum filium offerendi. » Huic quidem sententiæ favet prædicta decretalis Gregorii IX, in qua licet loquatur de patria potestate in eo casu quem explicabat, patris nempe christiani filium aquis lustralibus offerentis, matre Hebræa perperam discrepante : statuit tamen sententiæ suæ in favorem fidei fundamentum : « In favorem maxime fidei christianæ respondemus, patri eumdem puerum assignandum : *favor autem fidei in utroque casu valere plurimum jure debet.* »

Quarta est, quod si pro certo habeatur, parentum voluntatem esse infantium baptismati necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus, ut observatur in l. *Justa interpretatione* 201, ubi Glossa in verbo *Avus*, ff. *de Verb. signific.* cum eo, quod amplius legi potest in Disceptat. 977, n. 4 Gratiani. Hinc necessario sequitur, ut si paternus avus catholicam fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, quamvis mortuo jam patre, mater Hebræa repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus. Martinus Navarrus vir sacrorum canonum doctrina excellens, cum hic Romæ casus hujusmodi evenisset, plus valere contende-

Digitized by Google

bat matris dissensum, ut videre licet in ejus Cons. 4, lib. III, *de conversione infidelium*. Contra eum scripsit præsul Rutilius Benzoni; pontifex autem Gregorius XIII, pro avo sententiam tulit, ut ipse refert in suo Speculo Episcoporum lib. I, quæst. 9, dub. 1, ubi testatur Hebræo infanti baptismum se contulisse. Quamobrem in fine Consilii Navarri leguntur : « Advertendum autem, contra opinionem, latam sententiam, infantemque traditum fuisse avo christiano, et demum baptizatum, perseverareque adhuc in fide. » Hujusce facti Marchinus etiam testis est, de Bello divino part. I, cap. 2. Non desunt alia judicata, quorum vi avus ad fidem conversus præferri debet, non solum si mater, sed etiam si pater dissentiat, et quamvis ambo pariter protestentur sese filii baptismati non assentiri, ut videri potest in cit. Discept. 977 Gratiani, cum præter favorem Religionis qui maximi habendus est, argumenti loco etiam esse debeat text. in Can. *Patrem* 32, q. 3, ubi in neptis nuptiis, avi sententia patris judicio anteponitur, cum avus liber, pater autem servus existit. Patrem puellæ Ecclesiæ nostræ famulum, avum vero ejus liberis ortum constat esse natalibus, et ideo avi magis electionem de conjectione neptis, quam patris ejus cujus nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic istam nupsisse probatur, hanc constat legitime esse copulatam.

§ IV. — *De patre Hebræo, qui se religionem catholicam amplecti velle prædicet, ac se filiosque baptizandos offerat, postea vero sui se consilii pœniteat, abnuatque filium baptizari.*

Id Mantuæ evenit, ubi Hebræus quidam non modo cum viro per honorificum dignitatis gradum tenente, sed ipso etiam cum duce id rei gessit. Duos habebat infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem; cumque deinceps ad Christi fidem accedere recusasset, ducisque spem frustratus esset, res ad examen deducta est, in congregatione Sancti Officii, ac Pontifex die 24 Septembris anni 1699 statuit ea fieri quæ sequuntur : « Sanctissimus, auditis votis eminentissimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter quinquennis, baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum, et filia duodecim collocentur in domo catechumenorum, si ea Mantuæ adsit; sin minus, apud piam honestamque personam, ad effectum explorandi ipsorum voluntatem, eosque instruendi : uxoris quoque in loco a filiis separato exploretur voluntas. Patrem vero, et maritum respective, quia a proposito suscipiendæ fidei christianæ recessit, non esse cogendum, sed contra eum posse procedi, prout de jure. » Id ferme accidit Augustæ Taurinorum, ubi cum Hebræus quidam Religionem catholicam amplecti nollet, postquam id se facturum promiserat, cumque instaret, ut filiola, quam baptizandam obtulerat, ideoque a matre Hebræa jam ablatam christianæ nutrici lactandam dederat, in potestatem rediret suam : Congregationis Sancti Officii auctoritate Romæ sancitum fuit, ut puellula christianos penes esset, et ad sacrum regenerationis fontem elevaretur, quod videri potest apud Sessam, cap. 51, n. 98 : « Hoc autem prudenter statutum est, ne scilicet parentes Hebræi, quibuscum summa æquitate apud christianos agitur, eo impudentiæ deveniant, ut et nos, et Ecclesiam audeant irridere. »

§ V. — *De infidelibus qui baptismum recipiunt ob bonum aliquod temporale.*

« Sunt quoque aliqui infideles, suos infantes christianis offerre soliti, ut aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur : sed id faciunt indigna quadam superstitione ducti, quod nempe Baptismi beneficio existimant, eosdem a malignis spiritibus, a fetore, aut morbo aliquo liberandos; » S. Augustinus in epistola ad Bonifacium episcopum tom. II, typis Patrum S. Mauri, n. 5. de hac re ita disserit : Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, qui non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, et verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest. *Mens quippe non infantem baptismo offerentis, sed baptizantis est serio consideranda*; at non parentum, sed ministrorum mens est spectanda; hi enim si bona et recta mente voluerunt exsequi quod Ecclesia postulat, omnino baptismum valide contulerunt. Verba sunt Arcudii, lib. de Concordia Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis, lib. I, cap. 12.

Res ad examen revocata fuit in synodo habita anno 1148, sub Patriarcha Luca, de qua synodo sermonem habet Balsamon, super canone 34 Trullano. « Agareni quidam synodo adfuerunt, qui ut baptismum reciperent invitati, illico responderunt sese jam pridem sacro Baptismate initiatos; nam id in more suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos, ad sacerdotes catholicos deferri solitos, ac baptizari. Non tamen admissi fuerunt; audierat enim (prædictus scilicet patriarcha) quod Baptismus, quem infideles a christianis petunt non bona affectione, et orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis fore ut sui liberi a dæmone vexentur, et tanquam canes male oleant, nisi baptismum christianum assequantur. » Verba sunt Balsamonis e Græco sermone in Latinum versa a cardinale Baronio ad an. 1148, unde significari videtur, illius concilii Patres Baptismum ratum ac validum nequaquam existimasse. Propositum fuit hac de re dubium supremæ inquisitioni, ejusque decreto in hunc modum solutum die 6 Septembris 1625 : Sacra congregatio universalis Inquisitionis habita coram

Digitized by Google

sanctissimo, relatis litteris episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro solutione infrascripti dubii : An eum sacerdotes a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est janua sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest. Neque hoc loco prætermittendum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocent. XII damnatas die 2 Martii 1679, esse hujusmodi. « Urgens metus gravis est justa causa sacramentorum administrationem simulandi. »

§ VI. — *Non esse conferendum baptismum ubi adsit periculum perversionis.*

In congregatione sancti Officii habita die 3 Maii 1703, decretum fuit, « Baptismum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri. Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui gravissime ægrotantes vita periclitarentur. » Non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo. « Licere autem, si filii quidem Barbarorum sint, sed jam Christi militum, dum tamen, aut a viris Apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis parentibus, de sanctæ Religionis præceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint. » Licere vero, si sint filii Barbarorum baptizatorum; curandum tamen per missionarios, ac per ipsosmet eorum parentes, ut cum ad annos discretionis pervenerint, a se, vel ab aliis instruantur, præsertim in illis regionibus, si non prævideantur in promptu adfuturos ministros evangelicos, qui in hoc parentum commode supplere possint defectum. « In Servia audivimus pauperculas esse mulieres christianas inito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quæ cum filium pariunt, eum sacerdotibus offerunt, ut baptizetur. Idcirco postulatum fuit, qui debeant in casu hujusmodi sese gerere Sacerdotes? » De hac re decretum habetur in nostro Bull. 2, 89, § 8, *Ubi apparet*, « conferendum esse Baptismum, si constet mortem oblato puero imminere. » Istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere prædicti parochi maxime debent, admonitis matribus, ut si convaluerint, ipsos in christiana Religione sedulo edocere curent. « Si nullum adsit vitæ periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligentes omnes exsplendere circumstantias, et præsertim, » vel eos in Evangelicæ legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab ejusmodi matribus fraudatos, mahumetani patris impietatem secuturos esse. « Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, æquum bonumque existiment, prædictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de gravissimo, quo tenentur, munere filios de christiana Religione sedulo edocendi. »

§ VII. — *In casibus illicitis collatum baptismum validum esse.*

Hujus rei plures sacrarum congregationum solutiones affert, ex iis unam proferam ex cong. S. Officii, habita die 30 Martii 1638 circa Baptismum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum, a Faustina Christiana invitis parentibus. Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma et intentione; Baptismum probari unico teste; et quamvis filii Hebræorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizantur, valere Baptismum et characterem imprimi, et filiam baptizatam penes christianos alendam, mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios Hebræorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim stante bulla Julii III, imponente pœnam mille ducatorum, et suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitis parentibus.

Nota. Dum dicitur, Baptismum unius testimonio comprobari, « intelligendum est, dummodo testi aut mari, aut feminæ, fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens Baptismum Hebræo infantulo ministrasse, non rem modo a se gestam, sed etiam pœna dignissimum suo se ipse testimonio confirmaret, » sunt verba ejusdem Pontificis qui alium quoque refert casum in congregatione Concilii propositum, et resolutum die 15 Januarii 1723, de infantulis projectis, qui ad Xenodochium feruntur chartam collo suspensam præseferentibus, in qua scriptum legitur jam Baptismum eisdem fuisse collatum. Resolutio hæc fuit : « Si non lateret, qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto præstari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum, ac ne Baptismo quidem initiandum sub conditione. »

Altera constitutionis pars de adultorum Baptismate agit, ac *primo* statuit, puerum sui compotem, et quodammodo adultum censeri, dum septennium compleverit, regulariter loquendo; sed hac in re, certissima regula est, inquit : « Quod si circa illam ætatem certo constat, puerum fidei catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, et quemadmodum sit professio christianæ legis, baptizandus est, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur : lex autem divina baptismi neutiquam ab humana dependet. »

Secundo. Si de perfecto rationis usu dubitetur, monet sacramentum esse differendum, sed hoc qui postulat, retinendum esse, ac sic interea informandum ut idoneus accedat Baptismati postmodum suscipiendo.

Tertio. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi,

Digitized by Google

non quodcunque lavacrum, sed unice Ecclesiæ proprium ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non posse.

Quarto. Si quis Baptismum accipiens præsenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur; tunc examinare oportere, utrum voluntas antecedens nunquam deinceps retractata, adhuc mortaliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum sacramentum.

Quinto. Si nulla sit dubitatio, planeque constet ac luce sit clarius, adulto Baptismum accipiendi, nullam prorsus fuisse voluntatem, aut intentionem, nil restare aliud, quam eumdem et hortari et admonere, ut rite id faciat, quod jam irrite facit, et suscipiat absolute ac libere sacramentum, ac si obstinate repugnet, tum nihil aliud superesse, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, retinendum esse, baptizandumque sub conditione. Qui vero ita baptizati sint, omnino fidem catholicam observare tenentur.

Sexto. Si denuntient, Hebræum serio petiisse Baptismum, aut duo testes singulares, aut unus tantummodo, sed fide dignus, et omnem citra dubitationem idoneus, et multo magis si adminiculis suffultus; tunc habito testium vel testis examine, non oportere Hebræum ad catechumenos ducere, sed judex catholicus, qui Romæ est Vicesgerens pro tempore ejus voluntatem extra vicum, vel domi suæ, vel in templo aliquo semel atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio clare perspecto, et cognito, eum tuto jubeat, aut ad vicum remitti, aut catechumenis recenseri.

Septimo demum. Virum aut sponsum Hebræum Christi legem amplexum jure optimo oblationem facere suæ vel uxoris vel sponsæ, in quam jus a legibus, et auctoritatem sibi concessam habet. Facta vero hæc oblatio, nec sane potest, nec omnino debet a christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique studio, ut christiana veritas jam viro, aut sponso cognita, uxori quoque aut sponsæ lucem afferat, ac salutem: eo vel maxime, quod romani pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem severe prohibeant; palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas hebdomadas iis publice Evangelium annuntiari, eosdemque jubent sacris hisce concionibus interesse, ut apparet in constit. 1 Nicolai III et constit. 106 Gregorii XIII.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(121. De usuris Hebræorum erudite, ac fuse agit decis. 301, part. v, t. I Recent. ubi quæstionem tractat, an Hebræis occasione mutui fenerari licitum sit; ubique etiam elegantissime illa Deuteronomii cap. III, verba explicat, concluditque usuras æque ac christianis, sic Hebræis prohibitas esse censendas, utpote quæ tum divino, tum canonico, tum naturali jure prohibentur.

(122. Cæterum clarissimi viri occasione mutui non esse prohibitas rationibus non contemnendis tenent Grot. Dissert. prœmial. cap. 1, sect. 2, de usur., tom. V Puffendorf., lib. v, cap. 7, § 9. Videndi post hos eorumdem interpretes, qui eorum sententias fere omnes amplexi sunt; Binkersohek, Thomasius, Gerardus Noodt, et ea quæ nuper ea de re exhibuit Antonius Genovesius in sua OEconomia civili t. II, p. 148 et seqq., p. 13, qui omnes cum Aristotele non conveniunt, quem tamen Theologi fere omnes secuti sunt, cum ab illius sententia recedere centum abhinc annis foret piaculum. Consule Henricum Cocceium Disput. de anatocismo § 5 et seqq.

(123. Neque ex eo quod tolerantur, licitæ sunt in Hebræis usuræ, sed istæ absolute non prohibentur ad evitanda majora mala; quemadmodum ex lege Moysis tolerabatur, ut Hebræi libellum repudii mitterent uxoribus, ne a viris suis interficerentur. Vid. cit. Dec. 301, part. v, tom. I, a num. 31 usque ad fin.

(124. In alteram post hanc quæstionem incidimus, an Hebræorum usuræ duplum sortis valeant excedere. Affirmativam erudite magis quam vere sustinet Surd. Cons. 302, per tot. Contrariam tamen sententiam rectius tenent Fachin. lib. x Controv., cap. 65; Roderic. de Annuis redditibus, et cæteri plene deducti per Manente cons. 148, lib. H, ubi ex professo argumenta Surd. loc. cit. refellit. Et quanquam De Luc. disc. 5, *de usuris* aperte initio profiteatur de hac quæstione quid sentiat se nolle declarare, sententiæ tamen proclivior esse videtur, ne Hebræorum usuræ duplum sortis valeant excedere. Cui opinioni valde assentior. Revera esto etiam, quod de Hebræorum usuris Ecclesia non curet; fiet hinc, quod Hebræis fenerari licitum sit civilibus legibus permittentibus, modum tamen civilibus legibus præscriptum prætergredi non poterunt; istis enim tum Hebræi, tum christiani obligantur, utrique quippe dicuntur cives de populo et corpore ejusdem civitatis ad notata per Cyriac. controv. 241, Surd. decis. 133, Rot. dec. 414, part. I, Rec. dec. 269, part. IV, t. II, n. 18 et seqq. Quapropter in sortem imputandum erit, quidquid ultra duplum sortis usurarum nomine et ipsis Hebræis fuerit persolutum ad leg. 27, Cod. *de usur.*, Nov. 121, 138, 160, Chr. ab Ilag., cap. 5, num. 15, L. *Si non sortem*, ff. *de cond. in deb.* etc

(125. At quatenus civilibus legibus permittuntur in genere, et in specie tolerantur ab Ecclesia in Hebræis usuræ, quæri etiam posset, an christianus recipere possit ab Hebræo usurarium creditum vel cessionis, vel donationis titulo tuta recipientis conscientia. Negativam tenent de Luc. de Usur disc. 5 et 6, per tot. cum cæteris, quos refert sub num. 13, disc. 15, concluditque donatarium, vel cessionarium christianum non posse tuta conscientia acceptare Hebræi creditum ex causa usurarum, etiamsi titulo

Digitized by Google

oneroso illud recipiat, ad instar illius qui a non domino rem accipiat alienam, vel a fure acquirit bona furata.

(126. Hujus tamen opinio cum quadam distinctione aut certa modificatione videtur recipienda. Opinioni de Luc. loc. cit. et cæterorum quos refert, subscribimus, si cessionarius, aut donatarius christianus aliquo modo mutuatarium coegit ad persolvendum mutuum cum usuris, idque importunis verbis, exactionibus, aut minis; nam omnia isthæc injustam ponunt proximi læsionem. Secus autem dicendum; si mutuatarium nullo modo cogat, sed a mutuatario solvente accipiat pecuniam ex causa usurarum, quia tunc talis cessionarius injustæ exactioni, aut contractui cooperari videri non potest, cum contractus in nostro casu et ab Hebræo sit initus, et sit exactio per eumdem causata. De his vid. Zoesius in Jus Can. lib. v, tit. 19, num. 35. Consulendi, et Azor. Instit. moral. p. III, lib. v, cap. 18, q. 9; Navar. de Rest. d. cap. 2, num. 425 et seqq.; Less. d. cap 20, num. 181 et seqq., etc.

(127. Neque obstat (sic ut in omni casu opinio De Luc., etc., amplectenda sit) purificatio illius, qui a non domino recipit bona furata. Primo siquidem qui Hebræi nomine usuram recipit, a vero exigit domino, eoque exigit consentiente ac sponte volente, ut in secundo casu; rursus quanquam sint turpes et infames usuræ, non tamen furtum committere dicuntur ii, qui eas paciscuntur, quippeque consensu, et contractu hominum libero nituntur uti notant Selden. de Jur. nat. et gent. lib. VI, cap. 9; Puffendorf. de Jur. nat. et gent. lib. VI, c. 7, § 9, de mutuo. Ex his nullum contrahit vitium usurarum nomine persoluta pecunia, siquidem et in actu solutionis Domini ipsius voluntas concurrit. Quidquid tamen sit de veritate harum opinionum laudabilius semper erit, si christianus hujusmodi contractus parum bene olentes omnino effugiat.

Quod de christiano dicitur num. 116, non bene applicatur Hebræo, hoc tamen in casibus expressis, in cæteris nullum christianum inter et Hebræum notatur discrimen; Felin. in cap. 2 *de Judæis;* Becch. cons. 84, num. 7; Surd. decis. 113, num. 3; Rot. in rec. dec. 269, num. 3, p. IV, tom. II, et recentissime firmavit Rot. in Ferrarien. Appaltus 4 Junii 1779, cor. Ratto, § 14.

(128. Huc etiam accedit, quod quanquam de jure interdictæ sint Hebræis publicorum proventuum, et vectigalium conductiones, speciali tamen hoc habet Statutum Ferrariæ ex speciali lege, et pontificio chirographo Clementis XII: « Di poter trattare, e conchiudere con gli Ebrei gli appalti nonostante l' editto ultimamente publicato contro di loro, » ea tantum addita conditione, « purche detti appalti non venghino intestati nelle persone degli Ebrei, ne apparisca da pubblici istromenti, e da altri documenti, che essi vi abbino la maggior parte. » De his fusius videre est in cit. Rot. per tot.

(129. Quod autem spectat ad Hebræorum testimonium, quod non valere diximus, si lis versetur inter christianos, deservit tamen pro quodam adminiculo, si quando vel cum christianis contestes sunt uti firmat Rot. in Rec. decis. 233, n. 4, part. II, et decis. 194, n. 29, part. XVIII. Ansald. de Commerc. disc. gener., num. 138, vel quando agatur de re, quæ ex loci, vel personarum circumstantiis difficile sit invenire testes christianos; Alex, cons. 176, n. 10, lib. II; Bolognin. cons. 42, num. 8, in fin. vers. *Insuper*, et sub n. 10. vers. *Præterea*; Cyriac. controv. 219, n. 54; Conciol. resolut. 21, num. 5; Rot. decis. 233, num. 4, vers. *tertio* part. II. Plura etiam vide de Hebræis in disc. gener. per tot. et disc. 41, in fin. apud Ansald. de Commerc.

(130. Neque circa Hebræorum juramentum recentissime renovata quæstio prætereunda est super judicii potestate, an scilicet recte et valide Hebræum ad juramentum obligare possit judex contra modum, et formam a collitigante christiano præscriptam. Casus iste usque ab undecimo secundo propositus fuit Constantino decimo imperatori Porphirogenetæ, et fratri Basilii, atque ab ipso prodiit decisio, quæ exstat in lib. II Novell. de Reb. privil. et quæstionibus Græcorum imperatorum, quæ a Leunclavio collectæ latino idiomate opera demum Marquardi Ferrerii in lucem prodierunt; verum cum istæ in corpore Romani juris non recenseantur, mirum non est, si Accursius erudite parum more forensium rescriptum correxit Antonini imperatoris in l. *Non erit standum* 5, § 1, ff. *de Jure juran. sive volunt. sive neces.* ubi pro eo, *quod standum est juramentum, quod quis propria superstitione juravit*, substituendum censuit «Non standum est» ne vanæ superstitioni, ac reprobatæ religioni fides adhibeatur. Istam Accursii correctionem refert ac emandat Saverius Mattei in sua Dissert. dell'autorita del Giudice nell' obbligare al giuramento due litiganti di diversa religione per tot, ubi etiam quæstionem egregie tractat, an Hebræus cogi possit ad jurandum per nomen *Jeova* «sonat *Deus*. »

(131. De Antonini imperatoris laudato Rescripto in leg. ff. *de Jurejur.* vid. Bynchersoekb lib. IV, Observ. jur. Rom. cap. 2.

(132. Conclusio itaque quæstionis sit, Hebræorum juxta modum, ac formam a collitigante christiano præscriptam, ad jurandum cogi non posse. Vid. Saverio Mattei loc. cit.

HEMORRHOISSA A CHRISTO SANATA.

ADDITAMENTA NOVISSIMA AUCTORIS.

Hemorrhoissa a Christo Domino a profluvio sanguinis liberata, de qua Luc. VIII, v. 43, S. Ambrosius *de Salomone* cap. 5, arbitratur, quod fuerit S. Martha (22), Eusebius

(22) Sermo ille S. Ambrosii non est jure a Maurinis Patribus in Appendicem rejectus. Fac tamen

Digitized by Google

Histor. Eccl. lib. VII, cap. 17, asserit, quod fuerit quædam mulier ethnica ex urbe Paneadis ad Jordanis fontem sitæ, quæ grati animi ergo ob relatam gratiam Salvatori statuam erexit, quam suis inspexisse oculis Eusebius ipse testatur (23): Et Sozomenus lib. V, cap. 20, et Philostorgius l. VII, cap. 7, ad ætatem usque imperatoris Juliani eam perdurasse commemorant, apud Calmet, verb. *Hemorrhoissa* (24). Clericatus autem nelle *Spiche*, verb. *Hemorrhoissa* (25), tenet, quod fuerit nobilissima et ditissima femina e Cæsaræa Philippi oriunda, et juxta communem opinionem vocaretur *Berenice*, quod italice *Veronica*, et esset illa pia mulier, quæ proprio suo sudario vultum Redemptoris Nostri crucem ad Calvarium ferentis, copioso sudore et sanguine conspersum abstersit, in quo sudario facies dolorosissima ipsius Jesu Christi remansit miraculose impressa (26). Et ibi insuper ita subjungit: Di questo pure il Masini nella sua scuola del christiano alla pag. 247, nota questa erudita osservazione, riferita da molti gravissimi autori, ivi citati, con queste parole—E constante opinione, che S. Veronica porgesse il velo al Salvatore piegato in tre doppie, e che in tutte tre quelle parti s'improntasse l'immagine di Gesù Cristo le quali poi fossero divise in tre; stante che ne'tempi nostri ancora si venerano in tre luoghi e sono accreditate per originali. La prima in S. Pietro di Roma,

Ambrosii esse. Unde efficias, Ambrosium de Martha locutum, quæ soror Mariæ et Lazari fuerit? quasi vero non potuerit Chananæa illa mulier, quam e sanguinis fluxu Dominus curavit, *Martha* appellari, quin Mariæ, et Lazari soror fuerit, idque Ambrosius non ex Evangelio quidem, sed ex traditione discere. Equidem utramque mulierem sermone jungit Auctor dicens: « Dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria. » Verum non id certo evincit de Martha Mariæ sorore Ambrosium locutum fuisse. Ideo enim utramque jungere potuit, etsi sorores non illas credidisset, quia, inquit Trombellius *de cultu Sanctorum* diss. 9, cap. 41, num. 8, utraque per Christi miraculum gravissimo morbo fuerat liberata. Quod si quis omnino velit, intellectam ab Ambrosio fuisse Martham Mariæ sororem, quid tum? Annon potuit Martha Mariæ soror eodem, quo Chananæa, morbo laborare, atque ab eo, quemadmodum Chananæa, Christi miraculis sanari? Qua de re Evangelio tacente, probabilis quædam traditio Ambrosii ævo viguerit, cum Joannes XX, XXX, diserte doceat, *multa signa fecisse Jesum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* (EDIT. BARBIEL.)

(23) Idem quod Eusebius narrat, testantur Cassiodorus lib. VI, Histor. trip. cap. 41; Theophanes in Chronographia, Glycas Annal. p. IV; Nicephorus Callistus lib. VI, cap. 15; Antipater quoque Bostrorum Pontifex, qui medio circiter sæculo quinto floruit, scripsitque refutationem Apologiæ Eusebii Cæsariensis pro origine, ejusdem rei testis est eo clarior, quod ejus testimonium recitarit Gregorio Diaconus art. 4 Concilii Œcumenici Nicæni II. In eodem concilio Epiphanius Diaconus, art. 6, asseveranter pronuntiavit, historiam statuæ ab Hemorrhoissa Christo positæ « ex diversis historiis testimonium habere, et multis scriptoribus confirmari posse. » Sanctus etiam Gregorius II, in epistola ad Germanum Epolitanum episcopum, et sanctus ipse Germanus in epistola ad Thomam episcopum Claudiopoleos, positum ab illa femina monumentum, ut esset grati erga Christum animi indicium, memorant atque commendant; uti et Adrianus in epistola ad Carolum M. pro synodo Nicæna II, p. II, cap. 2, his verbis: « Adepta donum, titulum erexit Christo. » Præterea auctorem vitæ S. martyris Procopii, itemque auctorem vitæ S. Artemii apud Surium die 8 Julii et 20 Octobris. (EDIT. BARBIEL.)

(24) S. Asterius Amasenus apud Photinum in Bibliotheca cod. 271, affirmatissime scripsit, Christum ænea statua ab Hemorrhoissa in urbe Paneade ornatum, « et statuam per multos annos durasse ad redargutionem eorum qui Evangelistis mendacium adscribere audebant, » non tamen ad sua usque tempora stetisse, ad annum scilicet Christi 400, quo ista scribebat. Sed probari nequit, quoad ibidem tradit Asterius, statuam hanc sublatam a Maximo impio idolorum cultore, qui ante Constantinum Romanorum imperator fuit. Nam Eusebius, qui post Maximini mortem scripsit, aperte docet se Paneadem profectum illam conspexisse, et Sozomenus ac Philostorgius ab auctore nostro hic appellati quibus Theophanes et Glycas addi possunt, impium facinus Juliano tribuunt. (EDIT. BARBIELL.)

(25) Ante pulchra hæc Clericati somnia memorari merebatur Macarius cognomento *Magnus*, quarti, ut creditur, sæculi scriptor, qui apud Tillemontium in Vita imp. Constantini tom. IV, art. 93, mulierem hanc facit Edessæ principem, nomenque ejus notum fuisse tunc, ac celebre etiam in Mesopotamia tradidit. (EDIT. BARBIELL.)

(26) Multo consultius fecisset Auctor, si primum adversus hypercriticos quosdam hanc Paneadensis statuæ historiam veluti fabulosam rejicientes ejus veritatem vindicasset; deinde recentes iconoclastas, qui minus aptam illam esse ad sacrarum imaginum antiquitatem, aut probitatem evincendam contendunt, refellisset. Utrumque abunde præstitit Cl. abbas Trombellius in opere, quod num 1 laudavi, primum quidem diss. 9, capitibus 43 et 44, alterum capitibus 45 et 46 (sic enim capitum illorum numeri reformandi sunt): legendus quoque Sandinius in præclara Historia Familiæ Sacræ de Christo d. cap. 18, § 4 *et* 5. Cæterum quid aliud est huc Veronicam transferre, quam novis criticorum cavillis Hemorrhoissæ historiam objicere? Quoniam tamen ad hæc Auctor nos pertrahit, duo nobis breviter indicanda esse video; alterum quod ad Veronicam feminam spectat, alterum quod ad ipsum sudarium pertinet. Ac de Veronica sunt, qui cum Papebrochio, Mabillonio, Natali Alexandro, Tillemontio, P. Serry velint, non nomen illud esse feminæ, quæ Christo sudarium præbuisse fertur, sed ipsius sudarii, in quo *vera icon Christi* visitur: *Veronicam* autem dictam sequioribus sæculis feminam translato perperam in ejus nomen sudarii nomine. Qua in re mirari satis non possum sapientissimos viros posse oleum operamque in hisce tricis perdere; cum quocunque demum nomine ea mulier appellaretur, posita sudarii, de qua mox ad n° 6, veritate feminam illam et extitisse, et Christo eunti ad Calvariæ montem sudarium, seu lineum capitis sui velamen præbuisse quo sudorem et sanguinem e vultu manantem absterget, necesse fuerit. An autem hæc mulier fuerit, de qua disserimus, Hemorrhoissa, quis definiat? hanc tamen ipsam *Veronicam* medio ævo appellatam fuisse discimus ex Vita S. Barbatiani, quam ex antiquo lectionario Ravennate edidit Muratorius t. II Rer. Italic. p. 1, ubi pag. 197, hæc legere est: « Notum factum est Beatissimo de adventu mulieris ægrotæ, et elevans se... ait mulieri: Dominus noster Jesus Christus, qui sanitatem Veronicæ mulieri præbuit, et eam a fluxu sanguinis liberavit, in ipsius nomine et fiducia tibi dico: Surge. » Sed hinc necessario non sequitur, Hemorrhoissam eam ipsam Veronicam fuisse creditam, quæ postea sudarium Christo obtulit. An non enim duæ mulieres eodem Veronicæ nomine appellari potuere? (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

una delle Città di Jaen nell' Andaluzia Provincia di Spagna; l'altra in Gerusalemme (27), e si mostrano a' fedeli con molta divozione: et concludit, che il Masini segue a dire molte altre cose di Santa Veronica e di Santo Amatore suo marito (28). Vide tamen quæ de hoc argumento erudite non minus quam critice profert Nat. Alex. in Synopsi Hist. Eccles. sæc. I, art. 6.

HERMAPHRODITUS.

SUMMARIUM

1. Hermaphroditi unde dicantur? — 2. Dari Hermaphroditos, seu androgynos participantes de utroque sexu, apud omnes est in confesso. — 3. Varii referuntur ab auctoribus hujusmodi Hermaphroditi, inter quos Flavius Cherubinus auctor compendii Bullarii, et filius Laertii Cherubinus, qui fuit monialis in quodam monasterio in Urbe, et postea fuit canonicus S. Mariæ in Via lata ejusdem Romanæ curiæ urbis. — 4. Imo apud Indos, et præsertim in provincia Floridæ in America tanta est Hermaphroditorum copia, ut loco jumentorum inserviant. — 5. Refertur curiosus casus duorum Hermaphroditorum, qui inter se matrimonium tanquam vir et femina contraxerunt, et deinde ambo inventi fuerunt gravidi. — 6. Quamvis factos esse ex mulieribus viros multos referantur, nunquam tamen mares viri in feminas mutantur. — 7. Imo volunt plurimi casus relatos de feminis mutatos in viros non esse intelligendos de vera mutatione; seu de conversione de femina in marem, sed illas fuisse Hermaphroditas, seu androgynas referendo apparitionem utriusque sexus clitoridi. — 8. Nec fabulosum est etiam mulieres habere suos testiculos, et genitalia æque ac viros, atque ob id non minus quam viros castrari posse. — 9. Imo secundum communem Græcorum et Arabum medicorum sententiam mas et femina solum accidentaliter inter se differunt, et genitalia viri et feminæ solo situ distinguuntur, vir habens genitalia foris, eo quia propter ejus calliditatem expellantur, et femina habens intus, eo quia propter ejus frigiditatem intus retineat. — 10. De Hermaphroditis aliqui per locum interpretantur textum in cap. *Omne utriusque sexus, de pœnit, et remissionibus*, et quidem speciatim Calvinus. — 11. Hermaphroditus est irregularis, et ordinari non potest absque Papæ dispensatione. — 12. Hinc Hermaphroditus in quo prævalet sexus virilis, potest quidem valide, sed non licite ordinari; si neuter sexus prævaleat, nec licite, nec valide ordinatur, ad n. 13. — 14. Et a fortiori, nec licite, nec valide potest ordinari, si in eo prævaleat sexus femineus. — 15. Hermaphroditus, qui, prævalente sexu virili, per dispensationem apostolicam fuit valide et licite ordinatus, si postea in ipso prævaleret sexus femineus, retineret quidem characterem sacerdotalem animæ impressum, attamen fieret iterum irregularis, imo non posset amplius valide consecrare et absolvere. — 16. Hic tamen casus non videtur naturaliter possibilis. — 17. Hermaphroditus autem, qui sexum femineum mutaret in virilem, valide quidem ordinaretur, sed illicite sine Pontificis dispensatione. — 18. Hermaphroditus non est admittendus ad professionem, neque in monasterio sexus in ipso prævalentis. — 19. Hinc sacra congregatio Concilii decrevit, quod Hermaphrodita mulier recepta in aliquo monasterio non est admittenda ad Professionem, etiamsi sexus femineus prævaleat. — 20. Imo Hermaphrodita, si fiat monialis, professio irrita est. — 21. Unde, si femina profiteatur in monasterio monialium, et postea erumpente sexu virili evadat vir, professio non durat. — 22. Hermaphroditus potest valide et licite contrahere matrimonium conformiter sexui prævalenti. — 23. Non potest tamen nec valide contrahere conformiter sexui inferiori et debiliori. — 24. Si vero uterque sexus sit æqualis, tunc potest contrahere matrimonium pro libitu, vel ut vir, vel ut femina, dummodo alteri sexui perpetuo renuntiet, et prius juret, quod in posterum non nisi secundum sexum semel electum copula uti velit. — 25. Nec potest talis Hermaphroditus conjuge suo defuncto, postea secundum alium sexum licite nubere, quamvis, si ita nuberet, matrimonium validum esset. — 26. Affertur instantia, et solvitur. — 27. 33. De habilitate Hermaphroditi in vita conjugali. — 34. 37. Quoad juris effectus. — 38. Quatuor Hermaphroditorum species. — 39. 42. De duobus Hermaphroditis, an valide inter se contrahere possint Matrimonium.

(1. Hermaphroditi, seu androgini sic dicuntur, eo quod in ipsis uterque sexus appareat: *Herma* enim apud Græcos masculus est, et *Aphrodi* Femina nuncupatur; de quo

(27) *Primus omnium*, inquit Hyacinthus Serry *eam* (sudarii romani) « historiam prodidit Marianus Scotus in Chronico, auctor lubricæ fidei, eruditionis exiguæ, recentis ætatis: quippe qui cadente duntaxat undecimo sæculo scripsit. » Mariani Scoti eruditionem, diligentiam, fidem satis apte vindicavit Sandinius *de Christo* c. 19, § 8, in medium allatis testimoniis Sigeberti, Trithemii, et Vossii ipsius de Histor. Latin. lib. II, cap. 47. Illud non ferendum, quod « primus omnium eam historiam prodidisse » Marianus Scotus dicatur. Nam præterquam quod sudarii nostri meminit Constantinus Porphyrogenitus, qui integro amplius ante Marianum sæculo vixit, in tantam jam venerat celebritatem imago illa, quam *Vultum Sanctum* dicimus, initio sæculi VIII, ut Joannes VII, Pontifex dictus an. 705, in oratorio a se exstructo, et beatæ Dei Genitrici dicato, novo altari posito, et marmoreo desuper excitato ciborio, in eo sanctissimum sudarium condiderit. Quod sane post longissimum octo sæculorum spatium, Jacobo Grimaldo teste oculato, litterati lapides, aliaque monumenta adhuc docebant. Confer opus inscriptum *Della Sacrosanta Basilica di S. Pietro in Vaticano*, Romæ 1750, l. 1, c. 2, § 1. Eodem quoque sæculo VIII, Stephanus III, ut narrat in ejus vita Anastasius bibliothecarius, « in una dierum cum multa humilitate sollicite procedens in litania cum sacratissima imagine Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ acheropita (non manu facta) nuncupatur, ædem sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præsepe dicitur, adiit. » Hanc autem imaginem a sudario non manu hominis picto, sed ab ipsius Christi facie formato aliam non fuisse, multis evincit cl. Paciaudius Præf. in eruditissimum *de Sacris Christianorum balneis* librum, secundis curis an. 1758 auctiorem pag. 17, seq. Vere igitur sapientissimus Benedictus XIV, lib. III, de Canoniz. Sanct. p. 2, cap. 30, n. 12, ait: « Sive Veronica fuerit pia femina, quæ sudarium faciei Domini admovit, sive Veronica unum, et idem sit cum ipso sudario, certum est, sudarium ipsum insignissimam esse reliquiam, et multis abhinc sæculis cultum in basilica Vaticana obtinuisse. » (Edit. Barbiell.)

(28) De Veronica, ejusque sudario præter laudatos Sandinium, Benedictum XIV et Paciaudium, consules Gretserum in Syntagmate *de imaginibus non manu factis* cap. 17, Henschenium t. I, *Februar. Bolland.* add. 4, Honoratum a S. Maria, tom. II Animadversionum in regulas; et Usum critices lib. IV, diss. 8, art. 1, et Trombellium diss. 9, cap. 34 ac 35. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

videndus S. Augustinus de Civitate Dei lib. XVI, cap. 8 (29). (2. Dari hujusmodi Hermaphroditos, seu androginos participantes de utroque sexu, apud omnes est in confesso, teste ipsamet experientia, et plures referuntur passim a doctoribus, ut videre est apud Pignatell. tom. IV, consult. 34, per tot.; Torell. in Demolog. lib. II, cap. 17; Ursayam Instit. crimin. lib. III, tit. 5, a num. 205. (3. Ubi ex variis auctoribus varios refert hujusmodi casus, inter quos unum de quadam moniali in virum conversa, quæ a monasterio expulsa, fuit exinde ut perfectus vir ordinatus sacerdos, et factus canonicus S. Mariæ in Via Lata de Urbe, qui fuerat prius monialis in quodam monasterio ejusdem urbis; is fuit filius Laertii Cherubini, qui obiit 23 Maii 1626, fuitque sepultus in ecclesia S. Mariæ de Scala, teste Abb. Piazz., nella Gerarch. eccles. nella Diacon. della Scala, fol. 1877. (4. Imo apud Indos, et maxime in provincia Floridæ in America, tanta est Hermaphroditorum copia ut eo quia robusti sunt, et exosi, jumentorum loco inserviant; prout de dicta provincia Floridæ testatur Jeson. in Theotr. Orb. terrar. tom. III, his verbis : « Abundat regio Hermaphroditis, quorum servili opera, mancipiorum, jumentorumque loco utuntur, » quem refert etiam Verricell. in tract. de apostolicis Missionibus. tit. 14, Miscellan. qu. 196, dub. 1, num. 2, qui auctor ibid. et dub. sequent. ex Demetrio, Plinio, et Æliano probat lepores utrumque sexum habere, et mutuo coitu absque feminis eorum speciem propagari; darique Hermaphroditos parem et perfectam potentiam habentes gignendi et pariendi. (5. Et de facto Thom. Franc. de Remoral. cons. 25, per tot; Ursaya Inst. crimin. lib. III, tit. 5, num. 215, et alii, referunt curiosum casum duorum Hermaphroditorum, qui inter se matrimonium tanquam vir et femina contraxerunt, et deinde ambo inventi fuerunt gravidi.

(6. Quamvis factos esse ex mulieribus viros multos referatur, nunquam tamen mares viri in feminas mutantur, nec id fieri posse affirmant medici; teste Card. de Lugo, Respons. moral. lib. I, dub. 31, num. 3, repugnante scilicet natura, quæ semper expetit dignius, et indigniori resistit. (7. Imo volunt plurimi, casus relatos de feminis mutatis in viros non esse intelligendos de vera mutatione, seu de conversione a femina in marem, sed illas fuisse Hermaphroditas, seu androginas, referendo apparitionem utriusque sexus clytoridi, de quo Amenus de Delict. et pœnis tit. 4, § 11, num. 18, ubi refert, quod id vidit Papiæ anno 1669, et sic tenent Gasp. Bacchin. de Hermaphrod. lib. I; Schenchius lib. IV observ. in princip.; Majol. de Irregular. lib. I, c. 27; Riolan. de Hermaphrod. cap. 8; Zacch. quæst. Medic. legal. lib. VII, tit. 1, q. 8, per tot; Cosp. nel Giudice crimin. part. II, cap. 8, n. 40 et sequent. ubi quod similis casus evenit Spoleti, tempore quo studebat Senis, in qua civitate cum tali Hermaphrodita fuit sæpe allocutus Ursaya loc. cit., a num. 212 ad 215, et facit casus curiosus relatus supra num. 5, do duobus illis Hermaphroditis inter se matrimonio conjunctis : et ambobus gravidis inventis. (8. Nec fabulosum est hoc, habere etiam mulieres suos testiculos, et genitalia æque ac viros, atque ob id non minus etiam quam viros castrari posse, quemadmodum eas in Lydia castrari affirmat Alciatus in l. *Spadonum*, ff. de Verb. significat., et lib. IV, antiqu. lect. cap. 10, lib. XX, cap. 14, relatus, et secutus a Pignatell. tom. IV, consult. 34, numer. 1. (9. Imo quod mas et femina solum accidentaliter inter se differant, et quod genitalia viri ac feminæ solo situ distinguantur, ut quod vir habeat genitalia foris, eo quia propter ejus calliditatem expellantur, et femina contineat intus, eo quia propter ipsius frigiditatem intus retineantur, tenet communis Græcorum et Arabum medicorum sententia, ut Galenus, Ægineta, Avicenna, Rasius, et alii apud Andream Laurentium Histor. anatom. lib. VII, quæst. 8. Unde Galenus l. II, de semin. sic precise ait : « Est enim proportio maxima inter genitalia masculi et feminæ; omnia quidem genitalia membra tum masculus, tum femina habere eadem videntur, positione tantum, et magnitudine differentia; quin et vasa testes nutrientia utrique sexui ex eisdem venis et arteriis procedunt; » et consimiliter habent plurimi alii.

(10. De Hermaphroditis aliqui per jocum interpretantur textum in cap. *Omnes utriusque sexus* de Pœnit. et remission., quos citat. Nevizan. in Sylv. nuptial. lib. V, fol. 531, num. 36, et Paschal. de Orco in Apolog. c. 9, n. 19, impressa post dissert. Cosciæ; Ursaya in Miscellan. sac. et profan., can. et civil. part. II, litt. H, n. 5, et ut refert Bellarm. tom. III, Controversiar. lib. III, cap. 13 de Pœnitentia. Calvinus hæresiarca l. III Institutionum, c. 4, § 7, sic expresse dicit; ibi : « Nam quod jubent boni Patres, omnem utriusquo sexus quotannis semel proprio sacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepide excipiunt, hoc præcepto teneri solos Hermaphroditos, ad neminem omnes ad unum Hermaphroditas esse. Ideo cum nobiliss. Julio Sinibaldo venationibus deditissimo (qui ultra centum lepores domi suæ, h. e. in oppido Montis Leonis Spoletanæ diœceseos cepit uno anno) omnes lepores accurata lectione perquisivimus : inter quos centum, vix quatuor masculos invenit, reliqui omnes feminæ, et quod mireris pleræque gravidæ fuerunt, in his omnibus distinctissimum sexum invenit, et agnovit, et feminæ quidem vasa genitalia in feminis, virilia in masculis, etc. (NOTA EX EDIT. ROMANA.)

(29) Multa congerit auctor, quorum alia falsa, alia dubia omnino sunt. Hermaphroditus enim componitur ex vocibus græcis *Hermes*, quæ non masculum, sed Mercurium, et *Aphroditi*, quæ non feminam proprie, sed Venerem significat. Perfecti Hermaphroditi raro inveniuntur; conversio autem feminæ in marem nunquam fortasse viribus naturæ facta est, deceptique sunt, qui pudendarum partium conformationem inspexerunt. Fide digna Floridæ descriptio adhuc desideratur. Lepores utrumque sexum non habent; Joan. Faber Epos. in Hist. Mexic. f. 812. Diu me torsit, inquit, de leporibus dubitatio an persuasio

Digitized by Google

vero spectare, qui sit vel mas, vel femina. »

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Poterat putidum hunc hæreticorum jocum Auctor noster a sua Bibliotheca excludere, cum inde nihil utilitatis percipere queat lector. Idem dicendum de casu, quem proponit, et solvit inferius num. 15, de Hermaphrodito; n. *enim* seq. naturaliter impossibilem profitetur, et quasdam res satius est omittere, quam inanibus futilibus dictis lectoris animum inficere.

RESPONSIO AUCTORIS.

Sed si id tradere potuerunt tot classici auctores, loc. cit. a me adducti, cur non et ego? Nonne sic in derisum traducitur Calvinus, et apud suos asseclas, et apud alios, ut inde ea habeatur utilitas, quod spernatur ejus secta? et nonne id etiam inservit ad eruditionem? sicuti, et casus propositus, et resolutus inferius n. 15 et seq. auctoritate eminen. card. de Lugo, et aliorum? Legatur quæso piissimus, et eruditiss. clericatus de Sacramento Pœnit. dec. 43, per tot, ubi cum plurimis classicis auctoribus plura satis, quam ego, discutit ac resolvit de Hermaphroditis, et in ejus argumento inter alia, sic tradit : « et circa eos eosdem curiosæ, sed utiles quæstiones scitu necessariæ proponuntur, atque terminantur. »

(11. Hermaphroditus est irregularis, et ordinari non potest absque Papæ dispensatione; Navar. in Manual. cap. 27, num. 203; Piasec. in Praxi part. I, c. 1, art. 3, n. 2; Majol. de Irregularitat. lib. I, cap. 33, n. 13; Pignatell. tom IV, cons. 34, numer. 9; Monacell. tom. III, titul. 1, formul. 36, num. 30; Lugo, Respons. moral. lib. I, dub. 31, n. 1, et alii passim. (12. Hinc Hermaphroditus, in quo prævalet sexus virilis, potest quidem valide, sed non licite ordinari. Sayrus de Cens. lib. VI, cap. 8, num. 24; Monacell. loc. cit., num. 30; Navarr. in Manual. cap. 27, num. 203; Tolet. lib. I, cap. 25, n. 4; Suarez. de Censur. disp. 52, sect. 3; Molphesius in Summa tract. 2, cap. 1, num. 46; Rosignol. de Ordinib. Eccles. part. I, quæst. 3, art. 1, n. 10, et alii; et ratio quod possit *valide* ordinari est, quia prævalente sexu virili, reputatur ut masculus, per textum in l. *Quæritur* 10, ff. de statu hominum et quod *illicite*, est quia est irregularis, unde non potest licite ordinari, nisi accedente Pontificis dispensatione. (13. Si vero in Hermaphrodito neuter sexus prævaleat, sed æque invalescat sexus virilis et muliebris, non potest nec licite nec valide ordinari; Sayrus loc. citat.; Monacell. loc. citat.; Valentia t. IV, disp. 9, qu. 4, punct. 1; Suarez t. V, disp. 51, sect. 2; Henriquez lib. X, cap. 16; Fornarius de Ordine cap. 3, num. 1; Navarr. cons. 8, de Ætat. et qualit. ordin.; Avila de Censuris part. IX, disp. 3, dub. 5; Sanchez lib. VII, de Matrim., disp. 106, num. 10; La Croix lib. VI, part. VI, num. 2215; Rosignol. loc. cit., num. 10, et ratio est, quia talis æque est femina quam vir, nec potest dici magis masculus quam femina. Subjectum autem ordinum debet esse determinate masculus ex divina institutione, ut est communis, ac certa doctorum. (14. Et *a fortiori* nec valide, nec licite potest ordinari, si in eo prævaleat sexus femineus, quia prævalente sexu femineo Hermaphroditus habetur pro femina, ex cit. l. *Quæritur* 10, ff. de stat. homin. Femina autem non est capax ordinum; arg. cap. *Mulieres*, dist. et cap. *Nova* 10, de Pœnit. et remiss. Communis 32, ac certa.

(15. Hermaphroditus, qui prævalente sexu virili per dispensationem apostolicam fuit valide et licite ordinatus, si postea in ipso prævaleat sexus femineus, retineret quidem illum characterem sacerdotalem animæ impressum, cum sit indelebilis; attamen fieret iterum irregularis; imo non posset amplius valide consecrare, vel absolvere, quia non esset amplius mas, cui soli ex voluntate Christi competit potestas sacerdotalis; card. de Lugo in Respons. moral. l. I, dub. 31, num. 4; La Croix lib. VII, num. 496. (16. Hic tamen casus non videtur naturaliter possibilis; quia vir nunquam transiit in feminam, nec id fieri posse affirmant medici, ut notat cardinal. de Lugo loc. cit., num. 3, et jam fuit dictum supra num. 6. (17. Hermaphroditus autem, qui sexum femineum mutaret in virilem (ut est casus possibilis, et plures accidisse refert Plinius lib. VII, cap. 4, et plures alii, et patet ex supradictis num. 3), valide quidem ordinaretur, sed illicite sine Pontificis dispensatione; *valide*, quia verificaretur vere quod esset masculus, et præexistentia sexus feminei non officeret, quia consideraretur quod modo esset, et non quod erat prius; *illicite* vero, quia esset irregularis ratione deformitatis; arg. cap. *Presbyterum* 2, de clerico ægrotant. unde indigeret Pontificis dispensatione ut licite posset ordinari; Pontifex enim potest tollere omnem irregularitatem provenientem a jure ecclesiastico, cum possit supra illud dispensare, textu expresso in cap. *Proposuit* 4, de concession. præbend., ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; » Rosignol. loc. cit., n. 12, et alii citati supra, num. 12.

(18. Hermaphroditus non admittendus ad professionem, neque in monasterio sexus in ipso prævalentis, Donatus, Prax. rerum regul. t. II, tract. 9, q. 5, n. 1; Pellizar. de Monialib. c. 3, n. 32; Monacel. l. c., n. 29, et alii. (19. Et sic expresse declaravit sac. congr. Conc. in dub. *Professionis*, 6 Decembr. 1721, his verbis : « Hermaphrodita mulier, recepta in aliquo monasterio non est admittenda ad professionem, etiamsi sexus femineus prævaleat, » sic refert Ursaya in Miscellaneo sacro et profano, canonico, et civili, part. I, litt. H. n. 1. (20. Imo Hermaphrodita si fiat monialis, professio irrita est. Sic expresse decrevit sac. congregat. Conc. in Spoletana, 14 Martii 1722, apud Ursayam loc. cit. (21. Hinc si femina profiteatur in monasterio monialium, et postea, erumpente sexu virili, evadeat vir, professio non durat : quia non censetur se voluisse obligare, nisi ad professionem monialium, cujus est incapax;

Digitized by Google

cum ergo non valeat professio viri in monasterio monialium, ut tenent communiter doctores cum Pignatell. tom. IV, consult. 84, num. 5, sequitur etiam irritari professionem monialis in virum mutatæ, quia professio redacta est ad casum a quo incipere non potest, nec esse, ut per Bald. in l. *Si Gaudentius*, Cod. de contr. expt. Et ita in praxi observatum esse testantur passim doctores, quos refert, et sequitur Diana part. V, tract. 14 Miscellan., resol. 49; Lugo loc. cit., num. 2, et signanter observatum est cum Flavio Cherubin, qui prius fuit monialis, et postea factus est presbyter et canonicus, ut fuit dictum supra, num. 3.

(22. Hermaphroditus potest valide et licite contrahere matrimonium conformiter sexui prævalenti, id est ut vir, si prævaleat sexus virilis, et ut femina, si prævaleat sexus femineus; communis cum Balde in l. *Quæritur* 10, ff. de statu hominum; Sanchez de Matrimonio lib. VII, disp. 106, num. 4; Pirhing lib. IV Decretal., tit. 15, num. 3; Reiffenstuel. ibid. num. 22. Et ratio est quia Hermaphroditus censetur masculus, si prævaleat virilis, et femina, si prævaleat femineus; textu expresso in l. *Quæritur* 10, ff. de statu hominum, ibi: « Quæritur, Hermaphroditum cui comparemus? et magis puto, ejus sexus existimandum, qui in eo prævalet. » (23. Non potest tamen nec valide, nec licite contrahere matrimonium conformiter sexui inferiori, seu debiliori, et minus potenti; quia contrahendo secundum sexum inferiorem, et minus potentem, seu debiliorem, contraheret cum persona ejusdem sexus; Rosignol. in univers. de Matrimonio contract. 15, de Matrim. 2, prænotat. 17, num. 66, in fine, et alii. (24. Si vero uterque sexus sit æqualis, et nullus prævaleat, tunc potest contrahere matrimonium pro libitu, vel ut vir, vel ut femina, dummodo alteri sexui perpetuo renuntiet, et prius juret, quod in posterum nonnisi secundum sexum semel electum copula uti velit; arg. cap. *Presbyteros* 16, quæst. 1, et cap. *Diversis*, de clericis conjug., et l. *Si plures*, ff. de Pactis; Gutierez de Matrim. disp. 119, n. 1; Silvester verb. *Hermaphroditus* in fine; Sanchez loc. cit.; Pirhing. loc. cit.; Reiffenstuel. loc. cit., nu. 23; Rosignol. loc. cit., num. 67, et alii passim. (25. Nec potest talis Hermaphroditus, conjuge suo defuncto, postea, secundum alium sexum licite nubere, quamvis, si ita nuberet, matrimonium validum esset, utpote nullo jure irritum; Rosignol. loc. cit. n. 68; Reiffenstuel. loc. cit., num. 23; Sanchez loc. cit., et alii supra citati.

(26. Nec valet objicere, quod sicuti ex dictis, quando in Hermaphrodito est æqualis uterque sexus, et nullus prævalet, ipse est incapax ad ordines et ad professionem, ita debeat esse incapax ad matrimonium. Non valet, inquam, quia longe dispar est ratio de matrimonio, ac de sacris ordinibus, et professione religiosa; ideo enim participans æqualiter de utroque sexu est incapax ad ordines et ad professionem, quia cum talis non magis sit masculus quam femina, non dicit capacitatem ad ordines ex quo subjectum capax ordinum debeat esse vere, et determinate masculus, propter indecentiam, quam dicit femina ad ipsos ordines. Nec etiam dicit capacitatem ad professionem religiosam propter scandala et pericula incontinentiæ, quæ inde timeri rationabiliter possunt, ex quo Hermaphroditus sit sufficiens et aptus ad explendam malitiam incontinentiæ, et provocandam libidinem in quacunque religiosa familia admitteretur. Supradicta autem indecentia, et dicta scandala, et pericula incontinentiæ non possunt rationabiliter timeri in matrimonio contracto, secundum unum, vel alterum electum sexum sub juramento de non variando, cum Hermaphroditus plenissimam habeat facultatem vacandi copulæ conjugali secundum sexum electum, ut sibi magis placitum; Sanchez de Matrim. lib. VII, disp. 106, num. 10; Rosignol. loc. cit., n. 68, et alii passim.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. De variis Hermaphroditorum speciebus non una est scriptorum opinio. Videsis Moller. de Hermaphrodit. cap. 2, per tot. Breviter vero hic agendum de habilitate, vel inhabilitate Hermaphroditi in vita conjugali, tum quoad juris effectus.

(28. Ad primum quod attinet, Hermaphroditus si sexum habeat potentiorem, potest utique juxta cum matrimonium contrahere. (29. Sed ut matrimonium legitime contrahatur, ante omnia requiritur, ut inspiciatur an revera in Hermaphrodito pravaleat sexus ille secundum quem contrahere intendit. Committenda hæc inspectio medicis, et chirurgis, quin etiam, quandoque obstetricibus. Quod si detrectet Hermaphroditus hanc inspectionem, ad matrimonium nequaquam admittendus; Moller. de Hermaphrod. c. 6, p. mihi 178.

(30. Si ex inspectione appareat quod Hermaphroditus in nullo sexu prævaleat, quæri solet quid hoc in casu agendum? Sunt qui tenent pollere Hermaphroditum arbitrio eligendi unum sexum, eoque utendi, modo tamen is juret se non esse abusurum altero sexu; vide Moller. de Hermaphrodit. dict. cap. 6, pag. mihi 182.

(31. Quod si Hermaphroditus in utroque sexu potens sit, quæstionis est, an possit, et uxorem ducere, et simul etiam viro nubere? Negat, et quidem recte, Moller. de Hermaphrod., dict. cap. 6, d. pag. mihi 182. (32. Major quæstio est, num hic Hermaphroditus potens in utroque sexu, dum est viduus, possit nubere viro ut femina? Affirmant Sanchez de Matrim. lib. VII, disp. 106, n. 8; Trullench. de Sacram. lib. VII, cap. 9, dub 16, n. 3. At negant Lara in Compend. Vit. Homin. cap. 11, num. 49; Moller. de Hermaphrod. dict. c. 6, pag. mihi 184. (33. Subdit autem Lara loc. cit. quod si sexus, secundum quem prius contraxit, finito matrimonio frigescat, alter autem incaluerit, et se continere nequeat, consulendus est Summus Pontifex, qui poterit hanc licentiam dare. Vide et alias easque curiosas quæstiones de habilitate vel inhabilitate Hermaphroditi, in vita

Digitized by Google

conjugali apud Moller, de Hermaphrod. dict. c. 6, per tot.

(34. Quod alterum concernit, is qui perfectus mas est, vel utroque sexu valet et virilem tantum elegit, quoad juris effectus inter viros connumeratum et ad res officiaque viris tantum concessa, admittitur.

(35. Intellige vero de jure civili. Nam quoad effectus juris canonici, et officia secundum ejus requisita obeunda non reputatur uti mas. (36. Unde nequit ingredi religionem, admitti ad ordines ecclesiasticos, esse rector alicujus universitatis, esse judex, etc. Confer. Moller. de Hermaphrodit. c. 7.

(37. Quinimo nec etiam quoad omnes effectus juris civilis habetur pro mare. Adi omnino Moller, de Hermaphrodit. dict. cap. 7, per tot, qui rem pro dignitate tractat.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(38. Hermaphroditorum species ex Moller. loc. cit. in Addit. quatuor sunt, quorum alii sunt, in quibus prævalet sexus femineus, et inter feminas recensentur; alii, qui neque viri, neque feminæ sunt ob utriusque sexus imperfectionem, ac inter spadones connumerandi; alique demum, qui in utroque sexu perfecti, et potentes maris, et feminæ munera possunt obire, ea tamen restrictione ut sub n. 35; sic illos distinguit Constant. Vot. decis. 281, in addit., num. 10.

(39. Quæstionem de duobus Hermaphroditis movet Perez, de Matrim. disp. 37, sect. 15, an scilicet valide inter se contrahere possint matrimonium. Idem quæstionis auctor se valde dubium in ea definienda initio fatetur, postmodum vero concludit tale matrimonium esse illicitum atque invalidum, cum ipse naturalis ratio ab usu ipsorum corporum promiscuo maxime abhorreat.

(40. Contrariam opinionem defendit Mattheus Sanz. contr. 48, a n. 54 ad 86.

41. Verum in hac controversia ab opinione Perez recedendum non est; cum enim inter unum, eumdemque virum, ad unam, eamdemque feminam matrimonium consistat, hinc est, quod Hermaphroditus vel ut semper masculus, vel ut semper femina nubere debet, quod excludit promiscui usus facultatem in duobus Hermaphroditis. Vid. Const. Vot. dec. 281, n. 17; Averi de Matrimon. q. 13, sect. 2; Verricell. de Missione, quæst. 196, dub. 5; Capon. discept. 220, n. 1, etc.

(42. Idque etiam evincitur ex iis, quæ habent Sanchez de Matrim. lib. VII, disput. 107, n. 7; Perez n. 5; Trullench. lib. VII, cap. 9, dub. 16, n. 37, et sibi parum constans Mattheus Sanz. disput. 45, n. 19 et 20. Nam si prius quam Hermaphroditi matrimonio parochus intersit, debet idem Hermaphoditus sexum eligere, in quo velit nubere, et coram judice ecclesiastico jurare se nunquam præter electum sexum usurum; resolutam habemus quæstionem de promiscuo Hermaphroditorum usu, siquidem ante matrimonium et sexum eligere, et præter electum se alio nunquam usurum debent jurare.

HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Hierarchia sacrorum principatus potius quam sacer principatus, definienda. — 2. Quid Hierarchia sit spectata primum materiæ, deinde formæ ratione. — 3. Hincque celebris illa Herarchiæ partitio in Hierarchia ordinis. — 4 Et jurisdictionis. — 5. 6. Quid sit Hierarchia spectata ratione subjecta, et quas hominum classes complectatur ex Eusebio, Hieronymo et Dionysio. — 7. Celebrior in clericos, et laicos Hierarchiæ divisio. — 8. 9. Confutantur paucis protestantes, qui Hierarchiæ et nomen, et rem de medio, tollere conantur. — 10. Mendacium de Germanis canoni, quo Tridentinum concilium Hierarchiam a Christo ordinatam definiit, intercedentibus.

(1. Hierarchiam vulgo sacrum principatum appellant. Si tamen vocis origo accuratius perpendatur, cl. Petavio de Angel. lib. II, cap. 2, n. 2, assentiendum videtur, haud satis apte id dici, cum potius sacrorum principatus veluti ἡ τῶν ἱερῶν ἀρχή sit definienda. Sicut enim, inquit vir doctissimus τριπαρχία dicitur ἡ τῶν τριηρῶν ἀρχή, *præfectura triremium*; ita non ἱερὰ ἀρχή, sed ἱερῶν ἀρχή erit Hierarchia. Quamobrem S. Maximus initio commentariorum ad Dionysium quisquis ille fuerit, aut quocunque demum sæculo scripserit (de quo nunc nobis inquirendum non est) de cœlesti Hierarchia ait: « Sciendum est igitur, Hierarchia quidem esse principatum, ac velut curam ordinandorum sacrorum. » Quod si monarchiam unius principatum dicimus, cum unus præsit in republica; non inde sit, Hierarchiæ nomine sacrum principatum significari, quod ii, qui primas inter Christianos in Ecclesia tenent, sacrorum potiantur principatu. Nam sacer quidem principatus jure ac merito sacrorum principatus appellabitur, Verum id potius ad rerum huic principatui obnoxiarum naturam pertinet, quam ad nominis vim, quæ sola a nobis cum Petavio consideratur. Imo quemadmodum spectato vocis etymo monarchia non unus principatus est sed unius, ita Hierarchia non sacer, sed sacrorum principatus erit.

(2. Atque hæc de Hierarchia, si materiæ, circa quam versatur, rationem, spectatur, accipi velim; hac enim ratione sacra solummodo respicit, non personas ipsas ac sacrorum administros, quibus Hierarcha præsideat. Hoc autem altero modo, qui ad personas refertur et secundum formam dicitur spectata, Hierarchia quemadmodum a Petavio monemur, loc. cit., nu. 4, dupliciter patet. Aut enim quemcunque gradum, et sacrorum præfectura significat: sicque in Ecclesia sicuti varii sunt principatus, curationesque sacrorum; velut in episcopo, in presbytero, in diacono, ac reliquis gradibus; ita et diversæ sunt potestates, ac jure functionum

Digitized by Google

obeundarum, quorum alia inferiora, alia superiora sunt, et in his illa continentur. Hoc modo non in solis episcopis Hierarchia cernitur; nec ii soli Hierarchæ vocantur, aut ad Hierarchiam pertinent: sed clerici etiam omnes, ac ministri, quantulacunque potestate præditi. Aut jurisdictionem tantummodo complectitur, et sacrorum magistratuum. Atque hoc modo ministerium quidem designat, sed cum imperio conjunctum, quod latius patet, eo nobilior Hierarcha erit, donec per varios gradus ad supremam, quæ in romano pontifice exstat jurisdictionis potestatem ascendamus. Libet hic Dionysii, quem supra appellavi, verba recitare ex ejus Ecclesiastica Hierarchia cap. 1 « Nostra igitur Hierarchia (humana scilicet, atque ecclesiastica munus dicitur, et est; omnia quæ in ipsa sunt sacra complectens: per quod initiatus divinus Hierarcha, omnium, quæ ad se pertinent, sacratissimorum particeps erit: ut qui ab Hierarchia nomen adeptus sit. Ut enim qui Hierarchiam dicit, sacrorum simul omnium ordinationem dicit: ita qui Hierarcham dicit, a Deo institutum, ac divinum virum significat, omnis sacræ cognitionis intelligentem: in quo liquido, ac perspicue Hierarchia omnis, quæ ad eum pertinet, perficitur, et cognoscitur. »

(3. Hierarchiam primo quem explicuimus modo spectatam, Hierarchiam *ordinis* vocamus; ea autem nihil est aliud, ut recte ait Benedictus Zallwein Principior. Jur. Eccles. tom. IV, p. 105, quam « Certus hominum status a Christo ad ministerium spirituale, et præcipue administrationem sacramenti Eucharistiæ per singularem deputationem, et ritum (qui demum sacramentum Ordinis est) assumptus, varios involvens gradus, quorum alii superiores sunt, alii inferiores, ut mediantibus his perveniatur ad gradum presbyteratus, et inde ad culmen sacerdotii quod est episcopatus. » Ecclesia græca tres tantum hujusmodi gradus agnovit, presbyteratum, diaconatum, et lectoratum; septem Ecclesia latina, saltem a sæculi tertii initiis, presbyteratum, diaconatum, qui semper *majores ordines* habiti sunt; subdiaconatum, qui in pluribus Occidentis ecclesiis diu *minoribus* ordinibus adscriptus fuit, ac tandem ubique ad *majores* accessit, lectoratum, exorcistatum, acolythatum, et ostiariatum, quos hodieque *minores* ordines dicimus.

(4. Hierarchia porro, quam secundo loco innuimus, Hierarchia *jurisdictionis* dicitur, eodemque D. Zallwein auctore describi potest *sacer* (imo *sacrorum*, ut initio docuimus). « Principatus inter ministros, et rectores ecclesiæ a Christo cum certa subordinatione inter ipsos constitutus, vi cujus aliqui ampliori, aliqui minori auctoritate, et potestate (quæ propterea *potestas jurisdictionis* nuncupatur) sunt instructi, hocque modo et sibi, et cæteris præsunt. »

(5. Potest præterea Hierarchia considerari ratione subjecti, in quo versatur. Hac autem ratione non solos sacrorum antistites et administros complectitur, qui, ut ait Dionysius, purgandi, illuminandi, perficiendi functiones exercent; sed eos etiam, qui illis subjecti sunt, et ipsorum efficientiam in sese recipiunt. Quare Eusebius Demonstr. Evang. lib. VII, cap. 3, tres eorum, qui ad Hierarchiam pertinent, ordines gradusque numeravit: « unum quidem præfectorum (τῶν ἡγουμένων) duos autem, qui subjecti sunt, cum sit Ecclesia Christi populus in duos ordines distributus, in fidelium ordinem, et in eum, qui nondum est ad lavacrum regenerationis assumptus. » Hieronymus quidem in c. XIX. Esaiæ quinque Ecclesiæ ordines recenset, *episcopos, presbyteros, diaconos, fideles et catechumenos;* sed illi tres *præfectorum* seu τῶν ἡγουμένων classem constituunt, reliqui ad Eusebianam partitionem revocantur.

(6. Luculentiorem quamdam divisionem Dionysius invexit. Docet enim de Eccles. Hierarch. cap. 5, in tria dividi Hierarchiam, in τελετάς sacra, et cæremonias ἱερίας, qui sunt sacrorum præsides, et τελουμένους qui sunt initiati. Hos autem deinde ibid. cap. 6, tres in classes tribuit. Prima cathecumenos, qui adhuc purgantur, ac pœnitentes, et energumenos complectitur. Secundam obtinet populus, qui jam initiatus, ac mysteriorum particeps illuminari dicitur. In tertia sunt monachi, qui omnium perfectissimum statum sibi vindicant. Quanquam monachorum ordines majori ex parte cum sacerdotio et clericatu conjuncti nunc sunt, implicatique. Quamobrem non solum in posteriore ista significatione Hierarchiæ locum modo habent, sed etiam in priore, quatenus præter summos Hierarchas, inferiores etiam gubernatores, ac ministros amplectitur.

(7. Sed nulla Hierarchiæ altero hoc, quem designavimus, modo intellectæ celebrior partitio, quam quæ illam in clericos, et laicos, seu plebem tribuit. Pauca veterum Patrum hanc in rem testimonia ascribo. « Et quanquam sciam, inquit S. Cyprianus, ep. 59 al. 55, edit. Oxon., pro mutua dilectione, quam debemus, et exhibemus invicem nobis, florentissimo illic clero tecum præsidenti, et sanctissimæ, atque amplissimæ plebi legere te semper litteras nostras: tamen nunc, et admoneo, et peto... ut etiam petente me facias. » Epistola vero 62, al. 60, ait: « Misimus autem sestertium centum millia nummorum, quæ isthic in ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, cleri et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt. » Cypriano æqualis Cornelius Romanus Pontifex ad Fabium Antiochenum de episcopo quodam scribens, qui imprudens Novatiano manus cum imposuisset, facti deinde pœnitens in Ecclesiam redierat, « intercedebant, » inquit tom. I, epistol. RR. PP., edit. Const., col. 155, « non solum omnis clerus, sed etiam multi laicorum. » Antiquior utroque Tertullianus eamdem indicavit Hierarchiæ divisionem, cum lib. Demonog. cap. 12, Montani partibus addictus, catholicos aientes, non laicos, sed ecclesiasticos monogamos esse oportere, nugaciter redarguit his verbis: « Unde episcopi, et clerus? Nonne de omnibus? Si non omnes monogamiæ tenentur,

Digitized by Google

unde monogami in clerum? An ordo aliquis seorsum debet institui monogamorum, de quo adjectio fiat in clerum? Si suam habent legem circa monogamiam, etiam cætera, quæ monogamiæ accedere oportebit, episcopis erunt scripta. Laicis vero, queis monogamia non convenit, cætera quoque aliena sunt. » Verum ipso quoque primo christianæ Ecclesiæ sæculo eadem obtinuerat divisio. Nam S. Clemens Romanus in prima ad Corinthios Epistola apud Const. p. 28 : « Qui ergo statis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt..... Summo quippe Sacerdoti sua munera tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius præstitutus est; levitis quoque sua ministeria incumbunt; laicus homo institutis laicis constringitur. »

(8. Hactenus de Hierarchiæ nomine, partitione, rebus, ac personis ad eam pertinentibus ex catholicorum decretis disseruimus. Alia protestantium, etiam recentiorum mens est. Hierarchia illi cum nomen, tum rem aversantur. Contendunt autem, cautum a Christo cum fuerit, ne quis aut quærere, aut optare in christianorum republica aliquod circa sacra imperium auderet, ordinem nullum esse in Ecclesia posse, qui *Hierarchiæ* nomine denotetur, Ecclesiæque regimen, vel ἱεροδιακονίαν, seu ministerium sacrum, vel ἱεροδουλείαν, seu sacram servitutem appellandum, exterminato ambitioso illo *Hierarchiæ* vocabulo. Verum in re apertissima falluntur protestantes. Legant polemicos nostros theologos, qui multis ostenderunt principatum esse divina Christi institutione Ecclesiæ regimen, imo et monarchiam, quæ sane sine imperio consistere nequit; intelligent plane corruere, quod ut hoc nomen amoveant, confidentissime sumunt, nullum esse in Ecclesia imperantium ordinem, cui *Hierarchiæ* nomen tribui jure possit.

(9. At saltem novum, inquiunt, est hocce vocabulum, neque ante pseudo Areopagitam Dionysium ab ullo veterum usurpatum. Monui jam, nolle me de Dionysii ætate hic disputare. Hoc tamen contendo, Hierarchiæ nomen neque a veterum mente abhorrere, et cum sequentium sæculorum usu non tam tritum, quam consecratum sit, aptissimumque præterea ad rem, quam indicat, significandam, frustra a lutheranis, et calvinianis novitiatus obtentu respui, atque in invidiam traduci. Enimvero nomine Hierarchiæ infensi antiqui Patres fuerint, qui episcopos sacrorum principes et habuerunt, et appellarunt? Atqui Gregorius Nazianzenus Orat. 19, de funere patris, ἀρχιερέας nominat, hoc est principes sacerdotum episcopos, Ἀρχόντας vero passim eosdem nuncuparunt Eusebius, et Jo. Chrysostomus, quorum testimonia recitat Cl. Mamachius Origin. et Antiq. Christian., tom. IV, pag. 267. Principes quoque in eamdem sententiam a Hieronymo, quin etiam apices, et principes omnium ab Optato Milevitano lib. I, de Schism. donat., dictos episcopos novimus, posteriores vero Dionysio Patres (non enim illi, vel ipsi, qui Areopagitam fuisse inficiantur, quinto sæculo serius floruisse affirmant, et Hierarchas episcopos nuncuparunt, ut auctor homiliæ de Joanne theologo inter Chrysostomi opera, et scriptor Vitæ S. Basilii sub Amphilochii nomine evulgata; et Hierarchiæ vocabulum nunquam non usurparunt, ut Felix III, ab anno 483 Pontifex maximus, epist. 5, ad Zenon. imp. et Sophronius septimo sæculo Hierosolymorum episcopus cum doctrina, tum sanctimonia celeberrimus, in epistola, quæ in sextæ synodi œcumenicæ actis anno 681, lecta est Act. 2, ipsumque Nicænum II, item œcumenicum II, anno 787, celebratum, can. 2.

(10. Vides jam, quot quantosque viros disertæ Christi doctrinæ protestantes insimulent, dum Hierarchiam a Christi illo præcepto, quo cautum *Luc.* XXII, 25, ne quis in Ecclesia dominari videretur, abhorrere effugiunt. Sed revera Divini Magistri verbis miserrime illi abutuntur; non enim regendæ Ecclesiæ apostolis, eorumque successoribus ademptam voluit Christus potestatem, qui eosdem Apostolos hortatus est, ut ex se ipso ipsorum Domino et Magistro exemplum sumerent; sed ne superbe more ethnicorum regum imperarent, vetuit. Concludam igitur cum tridentinis Patribus sess. 23, can. 6 : « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit. » Regerit quidem Jo. Franciscus Budæus lib. V, Instit. theog., c. 4, § 1. Germanus, teste Petro Suavi Hist. conc. Trit. lib. VIII, huic canoni, cum proponeretur, intercessisse. Verum hæc a Suavi dicta esse haud me latet; sed et illud scio, Suavem illum protestantium palato historicum a Pallav. l. XXI, Hist. conc. Trid. c. 13, n. 14, mendacii hic, ut sexcentis aliis in locis argui. Nullum certe Germanum acta concilii produnt, qui canoni huic ob usurpatum Hierarchiæ nomen obstiterit. Quin etiam ipse Suavis eo tandem se confert, ut Paulo Vergerio in Valle Tellina adversus concilium concionanti suo illa figmenta tribuat. Hunccine vero apostatam, hominem litteris vix aspersum, sed totum temeritate incensum Tridentinis Patribus, atque adeo universæ antiquitati anteferemus? Præferant, si libet, lutherani, nobis ita insanire nec placet, nec licet.

HIEROSOLYMITANI MILITES

SEU EQUITES SANCTI JOANNIS HIEROSOLYMITANI.

SUMMARIUM.

1. Ordo Militaris Equitum S. Joannis Hierosolymitani, seu Melitensis, quando, et a quo fuerit institutus? — 2. Hic ordo sub variis nominibus fuit appellatus, et communiter dicitur Melitensis, et quare? — 3. Hic ordo est vere et proprie religio, et ejus equites sunt veri religiosi, et emittunt tria

Digitized by Google

vota, castitatis, paupertatis; et obedientiæ.—4. Unde tales equites debent facere annum probationis, seu novitiatus antequam professionem emittant. — 5. Hinc eques non potest dici, qui non expleto anno probationis, professionem emisit. — 6. Equites Melitenses ex peculiari eorum statuto comprehenduntur sub decreto concil. Trident. sess. 25, de Regularibus cap. 15 et cap. 19. — 7. Insuper equites Melitenses comprehenduntur sub decreto, quo regularibus prohibetur accessus ad monasteria monialium. — 8. Equites Melitenses possunt confiteri, sicuti alii regulares, sacerdoti regulari non approbato ab ordinario, sed a suo superiore. — 9. Equites Hierosolymitani, ut veri et proprii religiosi, non habent facultatem testandi. — 10. Nec habent velle, et nolle. — 11. Et cum ipsi sint intestabiles, eorum bona non hæredibus sanguinis, sed religioni acquiruntur. — 12. Quod procedit non solum de bonis, quæ ad eos proveniunt intuitu suæ religionis, sed etiam de patrimonialibus aut aliunde quæsitis. — 13. Quare sunt incapaces juris hæreditarii. — 14. Nec possunt disponere de pecuniis positis ad bancum ad eorum credituin. — 15. Et quidquid acquirunt, acquirunt religioni. — 16. Equites Melitenses sine dispensatione pontificia non sunt capaces pensionis super beneficia ecclesiastica, sicuti nec capaces sunt beneficii sæcularis. — 17. Mediante autem pontificia dispensatione, sunt capaces sicuti alii regulares. — 18. Equites Hierosolymitani sunt sub protectione sedis apostolicæ, et ad alios ordines transire prohibentur. — 19. Tales equites exempti sunt a jurisdictione ordinariorum, et a solutione decimarum. — 20. Bona equitum Melitensium ubique decedentium etiam ex illicita negotiatione acquisita, uti spolia non ad cameram apostolicam, sed ad eorum hospitale spectant.—21. Eorum beneficiorum collatio, et causarum cognitio pertinet ad magnum magistrum Melitensem. — 22. Ordinarii non possunt sese intromittere ad visitandum equites Hierosolymitanos ubi habent jurisdictionem spiritualem et temporalem. — 23. Equitum Melitensium privilegia fuerunt confirmata iterum ab Urbano VIII. — 24. Religio Hierosolymitana est divisa in tres Ordines, nempe equites, fratres conventuales, seu de obedientia, et servientes. — 25. Equitum Melitensium familia divisa est in octo linguas, seu nationes, etc., et quæ sint ejus officia? — 26. Professio hujus militum religionis consistit specialiter in emissione trium votorum, castitatis, obedientiæ, et paupertatis, et non continent quartum votum defendendi, etc. — 27. Assignatur formula suæ professionis, tum antiqua, tum moderna. — 28. Equites Melitenses tenentur servare interdictum locale. — 29. Equites Melitenses incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, si in bello etiam contra infideles aliquem necaverint, seu mutilaverint. — 30. Episcopus potest præcipere, ut evitetur eques Melitensis, qui incidit in excommunicationem ob violentas manus in clericum injectas. — 31. Congregationes earum conscientiæ obeundæ sunt etiam a parochis religionis Melitensis. — 32. Curati talis religionis tenentur ad omnes functiones, ad quas cæteri curati. — 33. Curati religionis Hierosolymitanæ non tenentur ad subsidium charitativum vel cathedraticum, vel contributionem seminarii, vel ad procurationem pro visitatione. — 34. Prohibere non potest episcopus ne celebretur in Ecclesiis religionis Hierosolymitanæ a sacerdotibus tam fratribus, quam cappellanis dicti ordinis absque sua licentia. — 35. Curati religionis Hierosolymitanæ tenentur ad exponendas quadraginta horas per turnum. — 36. Curati dictæ religionis in iis, quæ spectant ad curam animarum, subsunt in omnibus visitationi et correctioni episcopi. — 37. Parochi religionis Hierosolymitanæ tenentur accedere ad synodum. — 38. Parochiales ecclesias dictæ religionis, quoad animarum curam, et sacramentorum administrationem episcopi visitare possunt. — 39. Aliæ vero ecclesiæ præter has curatas sunt exemptæ a visitatione episcopi. — 40. Excommunicare potest episcopus fratrem capellanum dictæ religionis, qui administravit redditus parochialis sæcularis, citatum ab episcopo in visitatione ad reddendam rationem, et non comparentem. — 41. Ad contributionem seminarii non tenentur, neque compelli possunt fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum vicarii ecclesiis parochialibus religioni prædictæ unitis, vel ab ea dependentibus. — 42. Dicti vicarii S. Joannis Hierosolymitani non tenentur dare procurationem episcopo eorum ecclesias visitanti. — 43. Parochi dictæ religionis curam animarum sæcularium exercentes a commendatariis deputati quatenus absolute idonei sint, approbandi sunt simpliciter ab episcopo. — 44. Curati dictæ religionis tenentur intervenire oleorum consecrationi, si alii curati teneantur. — 45. Potest episcopus tanquam delegatus apostolicus visitare parochiales Hierosolymitanas et in visitatione decreta condere in concernentibus curam animarum, administrationem sacramentorum, implementum onerum missarum ex piis dispositionibus provenientium, et illa sunt exsecutioni demandanda. — 46. Episcopo licet ad excommunicationis publicationem procedere, et interdictum opponere ecclesiis prioratus religionis Hierosolymitanæ ex causa violatæ immunitatis. — 47. Licentia extrahendi delinquentes, ab ecclesia religionis Hierosolymitanæ, et cognitio, an extractus gaudeat immunitate, spectat ad episcopum. — 48. Potest episcopus constitutione Gregoriana extrahere delinquentes etiam ab ecclesiis religionis Hierosolymitanæ. — 49. Fratres capellani dictæ religionis curam animarum habentes, tenentur accedere ad synodum, et ad congregationes casuum conscientiæ præscriptas ab episcopo, qui potest illos cogere jure remediis. — 50. Religio Hierosolymitana potest personas ecclesiasticas in conservatores eligere, etiamsi in conciliis provincialibus, vel diœcesanis judices designati non sint. — 51. Equitum Melitensium in promotione ad magnam crucem habetur ratio meritorum magis quam antiquitatis; respectu temporis. — 52. Præceptoriæ ordinis Melitensis vacant per promotionem ad episcopatum. — 53. Assassinii criminis reos equites Melitenses non possunt judices laici declarare. — 54. Coloni religionis Hierosolymitanæ gaudent privilegiis ejusdem religionis. — 55. Hierosolymitani milites non vivunt Melitæ in claustro, sed tota civitas dicitur conventus. — 56. Hierosolymitani milites aluntur a religione, dum sunt in conventu melivitano. — 57. Hierosolymitani milites per cingulum distinguuntur a Capellanis, et servientibus. — 58. In religione Hierosolymitana fratris nuncupatio non convenit nisi professis. — 59. Religio Hierosolymitana repræsentatur per capitulum generale, et non per sexdecim equites capitulares. — 60. Dicti sexdecim capitulares non habent facultatem decernendi contra statuta ordinis. — 61. Hierosolymitano equiti, neque de jure competit, nec concedenda est ex gratia facultas sibi arrogandi filios. — 62. Afferuntur varia decreta sacræ congregationis Immunitatis pro equitibus S. Joannis Hierosolymitani, satis summarie relata a D. Petro Andrea Biccio in sua Synopsi, ad num. 82. — 83. De celebratione missæ super triremibus militiæ Hierosolymitanæ. — 84 ad 90. Aliqua de Hierosolymitanis capellanis. — 91 et 92. Et de militari ordine SS. Mauritii et Lazari. — 93. De cruce equitum ordinis Hierosolymitani. — 94 et 95. Commendæ ejusdem ordinis quoad reservationes et resignationes. — 96 ad 99. Ordinis privilegia. — 100 ad 106. Equites Hierosolymitani quoad votum paupertatis.

1. Ordo Militaris equitum S. Joannis Hierosolymitani, seu Melitensis fuit institutus sub regula S. Augustini Hierosolymis, a B Gerardo ex Provincia oriundo, qui exstruxit

Digitized by Google

nospitale anno 1112 (30) dicatum D. Joanni Baptistæ, prope templum Christi Domini in Calvarii monte, cum methodo vitæ regularis, et approbatione Pascalis II, ut ex ejus bulla edita anno 1115, die 15 Februarii registrata in libro statutorum dictæ religionis, imperatoribus in Occidente Honorio IV, in Oriente Alexio Comneno, et deinde hic ordo a Callisto II, anno 1120 et ab Honorio II, anno 1125, confirmatus fuit, et a subsequentibus pontificibus plurimis privilegiis decoratus fuit.

(2. Equites hujus sacræ militiæ vocantur S. Joannis, eo quia in hospitali sancto Joanni Baptistæ sacro instituti sunt Hierosolymis a supradicto S. Gerardo, a qua tamen Hierosolyma civitate ejecti, et etiam a Phœnicia a loco Margotti, et a Ptolemaide in Syria, quo confugere curaverunt, Cyprum pro sede habuerunt, donec a Rhodi insula, a Turcis vi armorum erepta anno 1308, et retenta per annos 214, dicti sunt equites Rhodienses. Sed die 25 Decembris 1523, post longissimam obsidionem factam a Turcis, Rhodi insula amissa, sine sede per aliquod temporis spatium ista tam nobilis religio, Syracusam, Romam, Viterbium, Villam Francham, et Nicæam in provincia peragravit, donec Carolus V imperator, die 23 Martii 1530, summa ejus laude, opera Clementis VII, Pontificis maximi fixam sedem concessit huic nobilissimæ et gloriosissimæ religioni, dono ei dando insulas Melitæ et Gaudisii, ac Tripolim, cum plurimis privilegiis; et equites cum magno magistro in suos socios, et confœderatos adscivit, ut ex multis refert Tapia decis. Senatus Italiæ 8, n. 13 et seq., et decis. 19, et card. Petra tom. II, commen. ad Constitut. 2 Anastasii IV, cum sola recognitione quolibet anno avis, vulgo dicti *Falcone* præstandi vice regi Siciliæ, et cum honore recipiendi investituram a quolibet rege Siciliæ, ut per extensum videri potest in Historia hujus religionis part. II, fol. 80, cum pactis ibi recensitis, et acceptatione Pii IV, ut ex documento in Bibliotheca genitoris sui constare dicit Cherubin. Junior in sch. 1 Constit. 6 Pii IV, et de concessione, et dominio dictæ insulæ card. de Luca de Jurisdict. dict. 69. Itaque magnus magister religionis respectu alti dominii insulæ Melitæ recognoscit regem Siciliæ, respectu vero superioritatis ecclesiasticæ est abbas superior Papæ subjectus. Rota part. VI, recent. decis. 324, numer. 14 et 16.

(3. Hic militaris ordo S. Joannis Hierosolymitani est vere, et proprie religio et ejus equites (nunc vocati communiter Melitenses, ex quo in dicta insula Melitæ fixam sedem habeant) dicuntur et sunt veri religiosi, et emittunt tria vota castitatis veræ (et non conjugalis, prout alii milites aliarum religionum militarium) paupertatis et obedientiæ; card. de Luca de Præeminent. disc. 49, n. 7, et de Regul. disc. 1, n. 121, et disc. 49, n. 11; Card. Petra loc. cit., sect. 1, n. 16, et seq. 2, n. 1, 2 et 3, et communis aliorum cum sacra Rota recent. par. I, dec. 487, n. 6; par. II, decis. 177, n. 1, decis. 454, n. 3; part. III, decis. 228, sub n. 2; part. V, t. II, decis. 469, num. 6, et sæpe alibi (31).

(4. Hinc equites Hierosolymitani, seu Melitenses debent facere annum probationis, seu novitiatus, antequam professionem emittant; sacra congregatio Concilii, teste Barbosa in Summa apostolicar. decis., verb. *Equites S. Joannis Hierosolymitani*, numer. 15, et Oviedo apud ipsum. (5. Unde eques non potest dici qui non expleto anno probationis professionem emisit. Rota recent p. XI, decis. 15, nu. 10. (6. Equites enim Melitenses ex peculiari ipsorum statuto comprehenduntur sub decreto concilii Tridentini sess. 15, de regularib. cap. 15; Rota recent. par. XI. dec. 15, num. 12, dec. 382, num. 9. et decrevit sac. congreg. Concilii, teste Barbosa loc. citat., num. 16, cum aliis ibi citatis; et comprehenduntur sub alio decreto ejusdem Concil. ses. 25, de regularib. cap. 19, ead. sacra congregat. Concil. de qua Gonzalez ad regul. 8, Cancellar., gloss. 8, n. 62; Barbosa loc. cit., n. 16.

(7. Insuper equites Melitenses comprehenduntur sub decreto quo regularibus prohibetur accessus ad monasteria monialium; sac. congreg. Episcop. et Regular. in Tranen. 28 Januarii 1603. Hinc potest episcopus procedere contra equites Hierosolymitanos, seu Melitenses, si accedant ad monasteria monialium contra formam decreti, ut resolvit sacra congreg. Episcop. et Regul. in Parmen. 29 Augu. 1614, et antea in una d. religionis 17 Februar. 1605, ac etiam in Neapolitana 12 Julii 1599, apud Nicolium in Foscul. verb. *Hierosolymitani*, num. 5, ubi num. 6, affert alia decreta de eorum punitione, in Genuen. 14 Augusti 1582, et in Consentina 21 Julii 1640. (8. Unde equites Hierosolymitani, seu Melitenses sunt tam vere, et proprie religiosi tum in odiosis, tum in favorabilibus quod possunt confiteri sacerdoti regulari non approbato ab ordinario, sicuti possunt alii regulares. Joann. Sancius in suis. pract. disput. cap. 49, num. 11 et 13; Aloysius Riccius in Praxi rerum fori Eccles. part. IV, resol. 170, n. 2; Novarius in tract. de Elect. et variat. fori qu. 69, numer. 23, sect. 2, in ult. impress., Barbosa loc. cit., n. 19 (32).

(9. Hinc equites Hierosolymitani, seu Me-

(30) Imo vero 1099. Vide quæ dixi tomo I. p. 510. in appendice historica sacrarum Expeditionum n. 3. (EDIT. BARBIELL.)

(31) Sed de hoc si qua superesset, dubitationem omnem amolitur epistola Benedicti XIV, tom. III, Bullar. edit. Rom., pag. 569, § 2, ubi Milites Hierosolymitani, et sumuntur, disertis verbis vocantur veri religiosi. (EDIT. BARBIELL.)

(32) Non est certum, posse regulares confiteri sacerdoti non approbato. Id enim Vasquesius, aliique negant etiam de regularibus iter agentibus, atque habentibus a suis superioribus licentiam confitendi; atque aiunt, deficiente confessario proprii ordinis, sibi eligere non posse simplicem sacerdotem non approbatum, et constitutiones fratrum ord. Prædicatorum hujusmodi regularibus præcipiunt, ut itinerantes, deficiente confessario proprii ordinis, confiteantur sacerdotibus ab episcopis approbatis pro excipiendis

Digitized by Google

litenses ut veri et proprii religiosi non habent facultatem testandi. Rota recent. part. II, decis. 76, n. 1, decis. 89. num. 1; part. XIV. dec. 151, numer. 7. (10. Nec habent velle, et nolle, cum in toto dependeant a voluntate magni magistri. Rota p. II, dec. 76, num. 1. (11. Et sic cum ipsi sint intestabiles, eorum bona non hæredibus sanguinis, sed religioni acquiruntur. Rota p. XIV, dec. 76, num. 1 et 2, et Annotat. ad dec. 16, nu. 9, part. III. (12. Quod procedit non solum de bonis, quæ ad eos perveniunt intuitu suæ religionis, sed etiam de patrimonialibus aut aliunde quæsitis, et non solum ex dispositione statutorum religionis, sed etiam juxta juris communis dispositionem; in c. *Cum ad monasterium* in fin., de stat. monachor.; c. *In præsentia*, de probat. Rota p. II. dec. 16, num. 1, et annotat. ad dec. 16, num. 8, p. III. (13. Quare sunt incapaces juris hæreditarii. Rota par. V, tom. I, dec. 336, num. 8. (14. Nec possunt disponere de pecuniis positis ad bancum ad eorum creditum. Rota p. I, dec. 487, nu. 8. (15. et quidquid acquirunt, acquirunt religioni. Rota p. I, dec. 487, n. 8; part. II, dec. 333, n. 2; part. VIII, dec. 51, num. 2, arg. cap. *Statutum* 1, caus. 18, q. 1; cap. *Abbates* 16, caus. 18, qu. 2; c. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, quæst. 3; cap. *In præsentia* 8, de probat.

(16. Equites Melitenses sine dispensatione pontificia non sunt capaces pensionis super beneficio ecclesiastico, sicuti nec capaces sunt beneficii ecclesiastici sæcularis; ob professionem enim emissam in religione Hierosolymitana, seu Melitensi, exstinguitur omnis pensio reservata super beneficiis sæcularibus; ipsa enim est vera religio ad omnes effectus; unde sicut per professionem in alia religione exstinguitur pensio, ut recte notat card. de Luca de Benefic. disc. 64, numer. 3, 5 et 6; de Pensionibus disc. 44, num. 2. et annotat. ad concil. dist. 13. numer. 2, et communis aliorum, ita per professionem in religione Hierosolymitana.; Corrad. in Praxi benefic. l. I, c. 5, num. 224 et seq.; Card. de Luca de Pensionib. d. disc. 44, num. 4; Annotat ad concil. disc. 13, num. 3 et 4; Card. Petra tom. II, Com. constit. 1 Anastasii IV, sect. 1, num. 28, et tom. V Comment. ad constit. 1 Pii II, num. 33. Tondut. de Pensionib. cap. 69, num. 27; Rota dec. 479, coram Roysus, et supponitur in decisionibus Rotæ in Causa Cæsaraugustana Pensionis relat. a card. de Luca d. disc. 44, de Pensionibus, et in eadem causa repetita coram Bichio dec. 121, nu. 2, p. 12, recent. (17. Et ita etiam firmatum fuit in dicta causa, quod si adfuisset indultum apostolicum pensionem retinendi, ea non exstinguitur, cum mediante dispensatione apostolica fiat regularis capax pensionis super beneficio sæculari; doctores passim in c. *Cum de Beneficio*, de præbend. in 6; card. de Luca loc. cit., n. 7; card. Petra loc. cit., num. 32; Paris. de Resignat. lib. VI, q. 2. num. 16; Lott. de re Benefic. l. I, qu. 40, num. 205 et seq.; Rota dec. 45, num. 1 et seq. coram Millino, et in cit. Decisionibus coram Peutinger et Bichio.

(18. Equites Hierosolymitani, seu Melitenses sunt sub protectione sedis apostolicæ, et ad alios ordines transire prohibentur. Anastas. IV constit. incip. *Christianæ Fidei*. (19. Tales equites exempti sunt a jurisdictione ordinariorum, et a solutione decimarum. Pius IV, constitut. 9, incip. *Circumspecta*. (20. Bona equitum Melitensium ubique decedentium, etiam ex illicita negotiatione acquisita uti spolia, non ad cameram apostolicam, sed ad eorum hospitale spectant. Pius IV, constitut. 29, incip. *Romani*. (21. Eorum beneficiorum collatio, et causarum cognitio pertinet ad magnum magistrum Melitensem. Pius IV, in const. 9, incip. *Circumspecta*. (22. Ordinarii non possunt se interponere ad visitandum equites Hierosolymitanos, seu Melitenses, ubi habent jurisdictionem spiritualem, et temporalem. Sacr. congr. Concil. teste Barbosa in Summa apostol. dec., verb. *Equites S. Joannis Hierosolymitani*, nu. 18; Armendar. ibi. cit. (23. Equitum Melitensium privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, et alias gratias illis concessas, confirmavit Urbanus VIII, constit. 15, incip. *Universalis* (33).

(24. Religio Hierosolymitana, seu Melitensis est divisa in tres ordines, nempe in equites, fratres conventuales, seu de obedientia, et servientes (34): et omnes isti emittunt professionem, certis tamen diversis regulis observatis, tam circa nobilitatem, quam alia ut in Libro stabilimentorum religionis Rota par. XI, dec. 15 n. 4; Petra tom. II, num. 2. Comm. ad const. 2 Anast. IV, sect. 2, num. 2, (25. Equitum Melitensium familia divisa est in octo linguas, seu nationes, viginti priorates, 653 commendas, sive præceptorias. Officia sunt: magnus magister, magnus commendatarius, marischallus, hospitalarius, thesau-

confessionibus, sive ii regulares sint, sive sæculares Non est ergo certum, posse regulares confiteri sacerdoti simplici non approbato ab ordinario. Si certum non est, nefas procul dubio est regulari simplici sacerdoti confiteri; quia in dubio de istius jurisdictione periculum esset, ne irritum atque nullum foret pœnitentiæ sacramentum: qua de causa hac in re tutiorem sequi tenemur opinionem; ut omnes concedunt, dum de valore agitur sacramenti. Deinde cur regularis discrimini se committat, cum præsto sint sacerdotes approbati, ut privilegio fruatur? At privilegium hoc etiam a regularibus plerisque revocatur in dubium. (NOTA ROMANI THEOLOGI.)

(33) Hujusmodi privilegia, quæ et permagna, et innumera sunt 4 Idus Martias 1752 idem Benedict. XIV confirmavit. Vide infra n. 96 seq. (EDIT. BARBIELL.)

(34) Hæc quidem partitio a majoribus transmissa nullam habet dubitationem. Cæterum, ut monet cl. Paciaudius, Antiquit. Christian. de cultu S. Joannis Baptistæ p. 354, in Regula Fr. Raymundi inserta litteris apostolicis Bonifacii VIII, an. 1300, quam cum codice Vaticano contulit Rosius, totus ordo in duas tribuitur classes, clericorum et laicorum Fratrum. Facile autem mihi persuadeo, inquit ibi Paciaudius, in comitiis, quæ ipse Raymundus haberi voluit ad leges, rite et cum auctoritate ferendas, tres ejusmodi ordines fuisse constitutos (EDIT. BARBIEL.

Digitized by Google

rarius, magnus bajulivus, cancellarius, prior ecclesiæ ordinis (35); sic refert Claudius Robertus in Gallia christiana, tit. de generalibus ordinum; Barbosa in Summa apostolic. dec., verb. *Equites S. Joannis Hierosolymitani*, n. 20, et alii passim. (26. Professio militum, hujus religionis consistit specialiter in emissione trium votorum, castitatis, obedientiæ et paupertatis, et non continet quartum votum, defendendi scilicet proprio ense christianos ab infidelibus, etiam cum vitæ suæ discrimine, ut voluit Vilagut. dec. 34, n. 5. (27. Contrarium enim, scilicet non adesse aliud votum, aperte deducitur tum ex antiqua formula suæ professionis, quæ erat : « Ego N. juro, promitto, et voveo Deo, B. Virgini Mariæ et S. Joanni Baptistæ, et magistro sacri hospitalis Hierosolymitani, me observaturum perpetuo hæc tria, scilicet me obediturum, et victurum absque proprio, juxta formulam statutorum ordinis, et pro viribus meis castitatem servaturum ; » tum ex formula nova, quam modo adhibent, ut sequitur : « Ego N. voveo, et promitto Deo omnipotenti, et B. Mariæ Virgini Genitrici Dei, et S. Joanni Baptistæ, me observaturum perpetuo, Deo juvante, veram obedientiam cuilibet superiori, qui mihi a Deo, et ab ipso ordine dabitur, item me victurum absque proprio, et castitatem servaturum. » Azorius Institut. Moral. tom. I, lib. XIII, cap. 5, litt. E.; Sperell. dec. 21, n. 11; card. Petra tom. II Comment. ad constit. 2 Anastas. IV, sect. 2, num. 22.

(28. Equites Melitenses, seu Hierosolymitani milites tenentur servare interdictum locale. Sic expresse declaravit sac. cong. Concilii in Cæsaraugustana interdicti 11 Junii 1695, ubi ad dubia sequentia; primo : « An stante interdicto generali locali milites Hierosolymitani teneantur illud observare in eorum ecclesiis exemptis ? » Et quatenus affirmative. « An obstet consuetudo immemorabilis in contrarium allegata ? » Respondit : ad primum *Affirmative*, ad secundum *Negative;* apud card. Petram t. II Comment. ad constitut. 2 Anastasii IV, sect. 3, num. 3. (29. Equites Melitenses incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, si in bello etiam contra infideles aliquem necaverint, aut mutilaverint. Thomassin. de Benef., p. II, lib. I, c. 75, n. 11; card. Petra tom. II Comment. ad constit. unicam Gregor. VIII, sect. 1, n. 22, et in casu consimili sic respondit sac. cong. Concil, in Zagabrien 17 Novemb. 1685, vid. verb. *Bellum*. art. 5, num. 6, 7 et 12. (30. Eques Melitensis, licet publice suum parochum percutiat, minime potest ordinarium in eum exercere jurisdictionem, neque excommunicando, neque declarando excommunicatum, quia privilegio exemptus est, ut in concil. sess. 24, c. 11. Tamen ex quo ipse ob talem percussionem incidit in excommunicationem canon. *Si quis suadente diabolo*, potest episcopus præcipere omnibus parochis, et canonicis, ac aliis rectoribus, et sacerdotibus, ne eum admittant intra ecclesias ipsi episcopo subjectas, sac. cong. Conc., teste Lezana in Summ. quæst. Regul. t. II, c. 5, n. 39, et Barbosa loc. cit. n. 7.

(31. Congregationes, quæ jussu episcopi ad casus conscientiæ discutiendos habentur, obeundæ sunt ab exercentibus curam animarum, etiam in parochialibus Hierosolymitanæ Religionis. S. congr. Concil. 3 Martii 1698. (32. Curati religionis Hierosolymitanæ tenentur ad omnes functiones, ad quas cæteri curati, etiam ad functiones Feriæ v, et Sabbati sancti. Sacr. congreg. Episc. et Regul. in Cæsanat. 28 April. 1599, et in Faventina 20 Maii 1646. (33. Curati religionis Hierosolymitanæ non tenentur ad subsidium charitativum vel cathedraticum, vel contributionem seminarii, vel ad procurationem pro visitatione, nisi in concessione ecclesiae sibi eam ordinarius reservasset, ut declaravit S. cong. Conc. in Elven. 27 Julii 1504. (34. Prohibere non potest episcopus ne celebretur in ecclesiis Religionis Hierosolymitanæ a sacerdotibus tam fratribus quam capellanis dicti ordinis absque sua licentia. Sacra cong. Episcop. et Regul. in Syracusana 29 April. 1606. (35. Curati religionis Hierosolymitanae tenentur ad exponendas quadraginta Horas per turnum. Sacr. cong. Episcop. et Regul. 29 Septembris 1619, apud Nicol. in Fosculis, verb. *Hierosolymitani*, num. 9.

(36. Sacerdotes sæculares, et regulares ordinis Hierosolymitani curam animarum personarum sæcularium exercentes, in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, subsunt in omnibus jurisdictioni, et visitationi, ac correctioni episcopi; nec potest etiam quicunque ad nutum amovibilis ad eamdem curam a commendatore deputari, nisi de ipsius episcopi consensu, ac prævio examine per eum, vel ejus vicarium faciendo, non obstantibus privilegiis quibuscunque. S. cong. Episc. et Regul. 8 Junii 1624, apud Piton. t. II Const. et dec. pro Regularibus n. 2207.

(37. Parochi religionis Hierosolymitanæ accedere tenentur ad synodum. Sac. cong. Conc. 18 Augusti 1589. (38. Parochiales ecclesias religionis Melitensis, quoad animarum curam, et sacramentorum administrationem episcopi visitare possunt. Gregor. XIII const. 67 incip. *Circumspecta*. (39. Aliæ vero ecclesiæ, præter has curatas, sunt exemptæ a visitatione episcopi. Sacr. cong. Conc. apud Barbosa loc. cit., numer. 8, et Lezzana loc. cit., numer. 52. (40. Excommunicare potest episcopus fratrem Capellanum religionis Hierosolymitanæ qui administravit redditus parochialis sæcularis cita-

(35) Dicitur hic etiam prior ecclesiæ Majoris, et prior ecclesiæ S. Joannis. Ab eo autem utpote « Hospitalis S. Joannis in spiritualibus superiore, et ordinario usum mantellectæ violacei coloris ex concessione apostolica, aut ab immemorabili tempore habente, certisque aliis prærogativis fulgente, » decrevit Benedictus XIV, an. 1747, gestari posse ubique locorum, et more episcoporum mozzettam, ut aiunt et rochettum. Chronologicam horum priorum seriem videris egregie digestam, atque illustratam a Paciaudio l. c., p. 346, seqq. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

tum ab episcopo in visitatione ad reddendam rationem, et non comparentem, ut decisum in Vulturariensi 7 Septembris 1630, refert Sellius in Select. canon. c. 13, numer. 10; apud Barbosa in Concil. sess. 22, de reform. cap. 9, num. 24.

(41. Ad contributionem seminarii non tenentur, neque compelli possunt fratres S. Joan. Hierosolymitani, sive eorum vicarii in ecclesiis parochialibus religioni prædictæ unitis, vel ab ea dependentibus. Sac. cong. Concil. in Augustana 14 Decembris 1630.

(42. Dicti vicarii S. Joannis Hierosolymitani non tenentur dare procurationem episcopo eorum ecclesias visitanti. Sacr. congr. Concil. in dict. Augustana 14 Decemb. 1630. Et jam sic fuerat decisum 28 Junii 1627, nempe dictas ecclesias curatas esse visitandas gratis, et absque impensa, ut refert Barbosa de Jure eccl. univers. lib. I, c. 14, nu. 22.

(43. Parochi dictæ religionis curam animarum sæcularium exercentes a commendatariis deputati, quatenus absolute idonei sunt, approbandi sunt simpliciter ab episcopo. S. cong. Conc. in d. Augustana 14 Decemb. 1630, apud Pascucc. p. I, tit. de Equitibus.

(44. Curati religionis Hierosolymitanæ tenentur intervenire oleorum consecrationi, si alii curati teneantur: sac. cong. Episcop. et Reg. in Faventina 20 Maii 1646. (45. Potest episcopus tanquam delegatus apostolicus visitare parochiales Hierosolymitanas, et in visitatione decreta condere in concernentibus curam animarum, administrationem sacramentorum, implementum onerum missarum ex piis dispositionibus provenientium, et illa sunt exsecutioni demandanda. Sac. cong. Conc. in Vulturarien. 1652, apud Pascucc. l. c.

(46. Episcopo licet ad excommunicationis publicationem procedere, et interdictum opponere ecclesiæ prioratus religionis Hierosolymitanæ ex causa violatæ immunitatis. Sac. congreg. Imm. in Messanen. 23 Septembris 1653, apud Riccium in Synops. decret., verb. *Interdictum*, num. 9. (47. Licentia extrahendi delinquentes ab ecclesia religionis Hierosolymitanæ, et cognitio an extractus gaudeat immunitate, spectat ad episcopum. S. cong. Immun. in Savonen. 9 Maii 1662, apud Ricium loc. cit., verb. *Licentia*, num. 1. (48. Potest episcopus ex constitutione Gregoriana extrahere delinquentes etiam ab ecclesiis religionis Hierosolymitanæ. Sacr. congregat. Immun. in Messanen. 6 Maii 1653. (49. Fratres cappellani religionis Hierosolymitanæ curam animarum habentes tenentur accedere ad synodum et ad congregationes Casuum conscientiæ præscriptas ab episcopo, qui potest illos cogere juris remediis. S. cong. Conc. 9 Septembris 1684, apud Monacell. part. IV, sub numer. 58 (36).

(50. Religio Hierosolymitana potest personas ecclesiasticas in conservatores eligere, etiamsi in conciliis provincialibus, vel diœcesanis judices designati non sint, prout concessit Alexander VII, 17 Maii 1655, apud Monacell. p. III, tit. 1, formul. 10, num. 4.

(51. Equitum Melitensium in promotione ad magnam crucem habetur ratio meritorum, magis quam antianitatis respectu temporis. Paul. V const. 30 incip. *Accepimus*. (52. Præceptoriæ ordinis Melitensis vacant per promotionem ad episcopatum. Greg. XIII const. 82 incip. *Controversia*. (53. Assassinii criminis reos equites Melitenses non possunt judices laici declarare. Clemens VIII, constit. 37 incip. *Æquet*. (54. Coloni religionis Hierosolymitanæ gaudent privilegiis ejusdem religionis. Sac. cong. Immunit. in Vercellen. 28 Maii 1616; apud Riccium in Synopsi decret. verb. *Colonus Commendæ*, n. 1.

(55. Hierosolymitani milites non vivunt Melitæ in claustro, sed tota civitas dicitur conventus. Card. Petra t. II, Comment. ad const. 2 Anastasii IV, sect. 2, num. 5, et alii passim, et docet praxis. (56. Hierosolytani milites aluntur a religione, dum sunt in conventu melivitano. Card. Petra tom. I, Comment ad const. 7 Innoc. III, num. 3, cum multis ibi citatis. (57. Hierosolymitani milites per cingulum distinguntur a capellanis, et servientibus. Fagnan in c. *Qui Præsbyterum*, 2, de Pœnit. et Remission. nu. 78 et 79. (58. In religione Hierosolymitana fratris nuncupatio non convenit nisi professis; novitii enim non Fratres, sed nobiles appellantur, ut constat ex statuto primo de verb. signific. Fagnan. loc. cit., nu. 109. (59. Religio Hierosolymitana repræsentatur per capitulum generale, et non per sexdecim equites capitulares. Rota recent. p. VII, dec. 303, nu. 23. (60. Unde dicti sexdecim capitulares non habent facultatem decernendi contra statuta ordinis. Rota ibid., num. 2 et seq. Fagnan. loc. cit., n. 48. (61. Hierosolymitano equiti neque de jure competit, nec concedenda est ex gratia facultas sibi arrogandi filios. S. cong. Conc. in Placentina arrogationis 4 Maii 1697.

(62. In conservatores et officiales religionis Hierosolymitanæ eligendæ sunt personæ ecclesiasticæ. Sac. cong. Immun. in una Siciliæ 20 Jan. 1654. lib. V; Decr. Paul. p. 32.

(63. Administratio ærarii, et thesauri religionis præfatæ non debet demandari per capitulum ejusdem religionis magno magistro. Ead. sacr. congregat. in una religionis Hierosolymitanæ 24 decembris 1623, ex Regesto scripturarum veterum, pag. 22.

(64. Puer trium annorum cum dispensatione apostolica admissus ad d. religionem, cui concessa fuit crux aurea, cum promissione faciendi novitiatum anno vigesimo quinto ætatis suæ, pendente isto termino ad emittendam professionem gaudet privilegio Fori. Mediolanen. 21 Januarii 1626,

(36) Non omittendum, priorem ecclesiæ S. Joannis fuisse an. 1743, a Benedicto XIV, commissarium pro exsecutione privilegiorum cruciatæ, quibus donantur quotquot sua stipe bellum sacrum juvabunt. Quin etiam idem Benedictus XIV, an. 1747, eidem priori confirmavit potestatem ordines minores suis clericis conferendi. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

ex Regest. script. veterum, pag. 83, et 30 Aprilis d. anni, et lib. pag. 99.

(65. Equites Hierosolymitani vigore privilegiorum apostolicorum suæ religioni concessorum gaudere debent exemptione a datiis, collectis, et gabellis et aliis oneribus, exceptis illis, quæ a sede apostolica fuerunt imposita, et in impositione specifice eadem religio est nominata. Anconitana 13 Julii 1637, lib. III Decr. Pauluc. p. 36.

(66. Eques Hierosolymitanus est exemptus etiam pro bonis patrimonialibus, et acquisitis. Novarien. 5 Februarii 1630, lib. II Decr. Paul., p. 26; Tudertina 10 Januarii 1638, libr. III Decretal. Paul., pag. 53.

(67. Equites Hierosolymitani absentes non gaudent privilegio competente clericis ex causa absentibus pro eorum franchitiis farinæ. Bituntinæ 21 Novembris 1634, lib. III Decret. Altovidi pag. 388. (68. Verum equiti Hierosolymitano absenti ob caravanas faciendas debentur franchitiæ. Bituntina 16 Julii 1697, l. II Decret. Vallem. p. 191.

(69. Equites præfati non comprehenduntur in contributione pro refectione pontis, auctoritate apostolica imposita, quando non fuerunt specifice expressi in impositione. Cæsaraugustana 20 Junii 1671 l. I Decret. Altov., pag. 565.

(70. Scribitur episcopis, et aliis ordinariis quibus concessa fuit facultas contribuendi ratione belli, et hospitationis, militiarum exterarum, quod sanctitas sua intendit bona religionis præfatæ possessa ab equitibus esse immunia a prædicta contributione. Melivitana 16 Februar. 1692. lib. Decr. Crimaldi, pag. 86. Parmen. et Mutinen. 26 Novemb. 1692, lib. II Decr. Val. p. 93.

(71. Injungitur restitui quidquid exactum fuit per ministros laicos super bonis equitum S. Joan. Hierosolymitani contra dispositionem decreti emanati 31 Augusti 1677. Bononien. Fanen. et Ravennaten. 24 Augusti 1695, libr. I Decret Vall. pag. 211.

(72. Verum aliquando, de mandato sanctissimi episcopus potest cogere ad concurrendum pro reparatione viarum pro rata tantum commodi privati; Cæsenat. et Imolens. 25 Junii 1695, d. libr. pag. 196.

(73. Ordinarius procedere potest, ut a curia sæculari excarceretur, et remittatur miles Hierosolymitanus prætensus reus; at in causa delicti commissi ordinarius non debet procedere, sed remittenda est ad magnum magistrum ejusdem militiæ; Panormitana 2 Februar. 1637, lib. III Decret. Paul., pag. 23.

(74. Injungitur nuntio Apostolico, ut assistat judici et conservatori privilegiorum ordinis Meliten. Tranen. 30 Julii 1695, libr. I Decret. Vall. pag. 206.

(75. Super recursu clerici beneficiati equitis Hierosolymitani detenti in castro per curiam laicalem, injungitur D. archiepiscopo et D. nuntio, ut conjunctim illum tueantur prout de jure; Neapolitana 17 Maii 1695, d. lib. pag. 190.

(76. Datur facultas archiepiscopo procedendi contra gubernatorem, licet equitem Hierosolymitanum, in causis violatæ immunitatis; Materanen. 27 Novemb. 1666, lib. I Dec. Altovit., pag. 66. Caven. 15 Octobris 1667, d. lib., pag. 165. Monopolitana 15 Jan. 1667, d. lib., p. 79.

(77. Datur facultas archiepiscopo extrahendi equitem d. religionis confectorem monetæ falsæ, et tonsorem monetarum, ac conficiendi processum et caute custodiendi; Neapolitana 6 Septem. 1677, lib. II Decr. Altov., p. 175.

(78. Ex gratia sanctissimi injungitur D. nuntio, ut mandet conservatori religionis Hierosolymitanæ confici processum contra equitem d. religionis, qui in publica platea, ac diurno tempore baculo percussit præsidem generalem ærarii ducis Sabaudiæ, et permittat assistere posse ministrum ducalem, cum expressa tamen conditione, ut certioret sanctissimum, cum transmissione contentorum in processu fabricato; Taurinen. 30 Junii 1628, l. II Decret. Paul., p. 96.

(79. Sanctissimus avocavit causam a tribunali conservatoris religionis Hierosolymitanæ, ac mandavit dari præfecto Nursiæ facultatem procedendi contra exemptos; Asculana, seu Spoletana 27 Junii 1703, lib. III Decret. Valleman., pag. 498.

(80. Ad preces magni magistri d. ordinis, et gravissimis, et extraordinariis sanctissimus tribuit ad triennium episcopo facultatem extrahendi a locis immunibus milites confugitos pro causa exposita, reportata tamen obligatione cum juramento de non puniendo ob confugium; Meliten. 27 Novembris 1692, liber I Decret. Vallem., pag 159.

(81. Prorogatur ad decennium facultas extrahendi personas, et res suspectas morbo pestilentiali. In eadem 26 Martii 1685, d. lib., pag. 179.

(82. Item sanctissimus tribuit ad triennium episcopo facultatem extrahendi confugas ad loca immunia, reportata tamen obligatione supradicta; ibid.

(83. Hierosolymitanæ militiæ permittitur super triremibus celebratio missæ tempore navigationis, quo triremes anchoratæ sunt in quibusvis oris, littoribus et portubus habitatis et non habitatis, dummodo celebratio missæ hujusmodi eo tempore, quo mare tranquillum, et cœlum serenum reperiatur, et cum assistentia alterius presbyteri seu diaconi fiat, ita ut periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione minime adsit; Benedictus XIV, tom. I, Constit. 41, incip. *Exponi* (37). Ipsius militibus et subditis

(37) Carolus Macer, aliique asserunt Melitensium militum triremibus olim celebratum missam, quam « siccam, » alii « sine canone » appellant, ut quæ Corporis et Sanguinis Christi sumptione careat. Verum Paciaudius l. c. p. 385, nulla hujus rei vestigia in veteribus ordinis monumentis se deprehendisse testatur. Imo cum liturgia apud equites nostros vix constituta, facultatem a Rom. pontificibus sibi dari postulaverint, sacrum terra marique faciendi (hanc enim non concessit primus Benedictus XIV, sed a suis decessoribus sæpe alias concessam confirmavit) argumento est. Melitenses equites veram, perfectamque missam in castris juxta ac in triremibus celebrari vetuisse. Idem Paciaudus duplex altare viati-

Digitized by Google

seu incolis insularum ipsius ditioni subjectarum concedantur indulta bullæ cruciatæ; idem constitut. 86, incip. *Quoniam per tot.*

(84. Pro Hierosolymitanis capellanis attendendæ sunt sequentes resolutiones sacræ congregationis Concilii in Illerden. synodi, relatæ a Benedicto XIV, de Synodo diœcesana lib. III, c. 7, n. 2 et 3, ibi:

(85. Primo, An fratres cappellani sacræ religionis Hierosolymitanæ, curam animarum habentes, teneantur convenire ad synodum Diœcesanam?

Secundo, An iidem fratres cappellani curam animarum habentes, et sacramenta in eorum ecclesiis regularibus, et exemptis ministrantes clero, et populo sæculari, subjecto episcopo loci, teneantur ad diœcesanam synodum convenire?

Tertio, An iidem fratres cappellani, curam animarum habentes, teneantur interesse lectioni, et conferentiæ casuum conscientiæ ab episcopo præscriptis propter necessitatem, vel utilitatem ecclesiæ, præsertim contra propositiones damnatas?

Die 17 Julii 1683, sacra congregatio respondit: Ad primum, secundum, et tertium *affirmative.*

(86. Eorum ecclesiæ parochiales subsunt visitationi episcopi ut sedis apostolicæ delegati, et visitationi priorum Hierosolymitanorum, ita tamen ut si episcopi et priorum decreta inter se discrepent illa prævalent, quæ ab episcopo sunt edita, juxta plures sacrarum urbis congregationum sententiam relatas a Monacello in Formular. tom. I, tit. 5, formul. 2, num. 2, et signanter in Mediolan. 12 Novem. 1689, et in congregatione particulari deputata ab Alexandro VIII, in causa Hispal. 30 Jan. 1794, in respon. ad 6, et relata in congregatione generali 18 Aug. 1695. Idem Benedict. loc. cit., n. 4.

(87. Multo magis ad synodum accedere debent, et episcopis subjiciuntur in iis quæ parochiæ administrationem respiciunt sacerdotes sæculares ecclesiis parochialibus equitum Hierosolymitanorum præfecti, ut censuit: « Sacra congr. Concilii in Pragen. jurisdictionis, quæ ad dubium, an nominati, seu deputati in dictis ecclesiis, postquam reportaverint ab archiepiscopo licentiam pro exercenda cura animarum, teneantur se conformare constitutionibus synodalibus, et ordinationibus consistorialibus, quoad omnia in ordine ad sacramentorum administrationem, et curam animarum; » die 14 Januarii 1708. Respondit affirmative. Idem ibid. n. 5, et habentur in Thesauro resolutionum, tom. X, pag. 170.

(88. Alii sacerdotes, eidem ordini inservientes, subjecti sunt jurisdictioni episcopi, ut sedis apostolicæ delegati, et ad synodum accedere tenentur, nisi religiosam professionem emiserint, vel intra militaris claustri septa viventes, religioni actu inserviant, et sub prælati obedientia vivant; concil. Trident. sess. 24, cap. 11 de reformat. (89. Quod Tridentini Decretum instauravit, et distinctius explicavit Gregorius XIII, constit. 12, § 2, Bullar. part. III, tom. I, in qua prædictos inservientes, quocunque nomine nuncupentur, iterum subjecit delegatæ jurisdictioni episcoporum, tam in visitatione, quam extra visitationem, ibi: « Exceptis tamen iis, qui ecclesiis, aliisque locis dictorum militum actu serviunt, et intra eorum septa, et domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quæ omnia debere simul concurrere intelligantur, sive iis, qui legitime, et secundum regulam prædictæ religionis professionem fecerint, de quo loci ordinario constare debeat. » (90. Quam explicationem semper respexit, suasque decisiones ad illam conformavit sac. cong. Concil., et præcipue in Materanen. jurisdictionis 8 Februarii 1659, lib. XXI Decret., pag. 533, et sequent., et novissime in Caputaquen. jurisdictionis 19 Novemb. 1735, ut habetur in Thesauro resolut. dicti anni. Idem ibid. num. 6, ubi ad id allegat Fagnan. Monacell. Pignatell. et Rotam dec. 120, n. 16, et seq. part. XXVIII, recent.

(91. Et ibidem num. 8, subjungit, quod quæ hactenus de Hierosolymitano dicta sunt, adamussim congruunt militari ordini SS. Mauritii et Lazari, qui a S. Pio V, in constitut. 43, § 12, Bullar. t. IV, part. II, pag. 339, in omnibus exæquatus est ordini Hierosolymitano. (92. Hinc cum nonnulli sacerdotes diœcesis Uritanæ litteras, quas patentales vocant, obtinuissent a vicario Commendæ SS. Mauritii et Lazari, iisdemque muniti, se immunes jactarent a jurisdictione ordinarii, causa proposita in sacra congregat. Concilii, et disputato dubio, An officiales patentati SS. Mauritii et Lazari sint exempti a jurisdictione ordinarii? Die 17 Septembr. 1736, responsum fuit *Negative.* Hæc ille, et habetur etiam in Thesauro resolutionum dicti anni.

(93. De ipsis equitibus plura statuit Benedict. XIV, constit. incip. *Biennium*, et signanter quod sint veri regulares; quod crux octogona sit tenus eorum habitus, non autem aurea crux a pectore pendens, quæ aliquando ipsis prohibita fuit, quamvis talis prohibitio usu recepta non fuerit; quod dicti equites ad episcopatum, aut cardinalatum evecti crucem octogonam ex tela alba tanquam habitum suæ religionis proprium supra vestes exteriores; et præcise supra mozzettam deferre possint cardinales ex eodem ordine assumpti, et quod crucem ejusmodi Melitensis episcopus mozzettæ in civitate Melitensi, mantellettæ vero assuta Romæ deferre possit, ut consuevit; et ad id plura exempla adducuntur.

(94. Commendæ ordinis S. Joannis Hierosolymitani sunt ab omnibus reservationibus exemptæ; ideoque semper omnino a magno magistro, vel alio ad id facultatem habente, de iis, disponi debet; Bened. XIV constitut.

cum, seu temporarium, quo Melitenses olim usi sunt in castris, dum adhuc in Oriente teterrima illa pro Christo certamina inirent, affert p. 383, seq. atque eruditis observationibus explanat. (Ed. Barb.)

Digitized by Google

incip. *Inter illustria*, § 14. Hinc expectativæ coadjutoriæ, vel mandata de providendo, sine consensu magni magistri obtenta, nulla declarantur; idem ibid.

(95. Commendarum resignationes acceptare potest magnus magister; ac etiam reservare pensiones super illis perpetuas, et ad successores transitorias; idem ibid. § 15, solis tamen militibus hujusmodi pensiones reservari possunt; idem ibid. § 16.

(96. Hierosolymitani ordinis tum spiritualia, tum temporalia privilegia, ac statuta nunc vigentia sunt confirmata a Bened. XIV, const. incip. *Inter illustria*, § 1. Ordo idem, res, et personæ sunt immediate S. sedi subditæ; idem ibid. § 2. Ideoque sunt ab episcoporum, archiepiscoporum, et aliorum quorumcunque jurisdictione exemptæ; idem ibid. § 3. (97. Novæ domus, et præceptoriæ erigi possunt, irrequisitis locorum ordinariis; idem ibid. § 4. Præsentati ad parochiales, aliasque ordinis ecclesias, sine ulla exactione sunt ab ordinariis instituendi; idem ibid. § 5. (98. Fratres capellani, extra tempora, et a quocunque catholico antistite ordines suscipere possunt; idem § 7. Iidem non obstante contraria consuetudine, in ecclesiis et beneficiis ordini adnexis deputantur, ac renovantur a magno magistro; idem ibid. § 17 (38).

(99. Bona ipsius religionis a quibuscunque decimis, aliisque oneribus ecclesiasticis, ac etiam laicalibus sunt exempta. Patrimonialia vero militum ab oneribus communitativis. Idem ibid. § 7 et 8. (100. Jura, proventus, responsiones omnes indiscriminatim communi ærario præstari jubentur abrogatis contrariis quibuscunque privilegiis; idem ibidem § 12. (101. Alienatio bonorum religionis inconsulto magno magistro facta, est nulla; idem ibidem, § 13 (39).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(102. Sunt utique equites Hierosolymitani vere religiosi, ut ait Auctor, num. 3, et sic ratione voti paupertatis, quidquid undequaque acquirunt, non sibi, sed religioni acquirunt.

(103. At cum iis non eodemmet rigore procedendum est qui in subjecta materia servatur in alios religiosos animadversione enim dignum est, (104. quod ipsi vitam ut plurimum ducunt extra claustra in privatis domibus, debentque sibi comparare omnia quæ necessaria sunt ad propriæ nobilitatis gradum, atque ipsius inclyti Hierosolymitani ordinis dignitatem.

(105. Atque hinc est, quod (ut ait Rota in Romana nullitatis contractus 25 Februarii 1753, coram clar. mem. Matthæio): «Ex necessaria quadam eorum instituti tolerantia, sive tacite superiorum permissione per inveteratam consuetudinem inducta, atque ejusdem religionis statutis comprobata pro hujusmodi effectu sub imagine cujusdam dominii quasi opportuna gaudent administratione reddituum ex prædictis bonis provenientium, liberoque perfruuntur propriorum quæstuum, et pecuniarum usu, adeo ut sacra ipsa religione, penes quam vere residet dominium, ac proprietas, sciente et patiente, complures valeant inire contractus, aliaque omnia gerere, quæ exigit hujusmodi vivendi ratio eorum conditioni conveniens.»

(106. Qua de ratione jure optimo sacrum tribunal Rotæ in mox allegata decisione validum dijudicavit contractum census vitalitii a paupere equite Hierosolymitano initum, ut sibi in futurum prospiceret. Cæterum si agatur de equite Hierosolymitano, cui congrua sustentatio haud desit, contractus a nullitatis vitio excusari nequit (40).

HISTORIA. HISTORICUS.

SUMMARIUM.

1. Historia unde sit dicta. — 2. Historia quid sit. — 3. Quatuor sunt species historiæ, quæ assignantur. — 4. Geographia quid sit, et quæ ejus partes, ad numer. 5. — 6. Chronologia quid sit. — 7. Historia in quo differat a chronologia. — 8. Genealogia quid

(38) Clementis XI, 30 Maii 1704, concesserat, ut fratres cappellani conventuales S. Joannis, loco superpellicei et mozzettæ nigri coloris, rochettum album cum suis manicis, et mozzettam violaceam cum alba cruce » in sacris ubique peragendis perpetuo deferrent. Sed Benedictus XIV illis præterea indulsit « cappam magnam rubri coloris cum pellibus armellinis. » (Edit. Barbiell.)

(39) Habet clerus S. Joannis peculiares aliquot ritus de quibus Paciaudius eruditissime agit l. c. diss. 9, cap. 3 et sequentibus omnino dignis, quæ legantur. (Edit. Barbiell.)

(40) Quæstionem magni momenti, ac satis curiosam proponit, atque accurate expendit P. Andreuccis, Hierarch. eccl. lib. 1, tract. 4, de cardinali regulari professo ex ordine militari S. Joannis Hierosolymitani, p. 219 seq. Ea est an sicuti alii religiosi cardinales non solum teneantur ad tria vota substantialis religionis, sed etiam ex S. Thoma 2-2. q. 185, art. 8, ad ea, quæ peculiaria sunt sui instituti, saltem ex honestate, et quatenus pontificali, seu cardinalitio officio non repugnant; ita etiam cardinalis ex ordine militari S. Joannis teneatur, aut saltem possit observare, quæ sunt sui ordinis propria, id est militiæ vacare, exercitus ducere, classi præesse, imo etiam, si opus sit, propria manu pugnare? Censet autem dictus ille theologus 1, non posse hujusmodi cardinalem, ut qui ad statum clericalem translatus sit, ista ordinarie ac per se loquendo præstare; 2. posse tamen sæpius, si nempe id exigat bonum commune christianæ reipublicæ, et fidei, aut etiam agatur de obtinenda victoria, a qua pax reipublicæ, fideique progressus non leviter pendeat; attenta præsertim singulari utilitate, et idoneitate, quæ in hoc cardinali bellis contra infideles, et barbaros assueto, et speciali suæ vocationis gratia munito sumi jure potest sive defensionem christianorum, sive ad depressionem infidelium; 3. ad id etiam teneri aliquando, nimirum si summi Pontificis præceptum detur de bello pio ac religioso ineundo, aut talis necessitas concurrat, ut sine talis cardinalis opera, præfectura militiæ, ac pugna res christianorum publica in maximum discrimen vocaretur. Quæ omnia rationibus ex theologia petitis, exemplisque non paucis superiorum ætatum ostendit, nihilque eorum præterit, quæ pro adversa parte afferre quis posset. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

sit. — 9. Annales quid sint. — 10. In quo distinguantur annales ab historia. — 11. Historia alia est sacra et quæ? alia profana et quæ? alia civilis et quæ? alia mixta et quæ sit? — 12. Historiæ primi inventores qui fuerint.—13. Historia ex quo adinventa maximæ semper fuit utilitatis— 14. Quid in Historia, quid in Historico principalius requiratur. — 15. Historicis, præsertim antiquis, et classicis omnis præstanda est fides. — 16. An etiam sit eis præstanda fides; et ad vim probationis, et adminiculi admittendi sint in causis beatificationis, et canonizationis? Et assignantur ad id quatuor gradus Historicorum ad n. 20. — 21. In causis præcedentibus per viam casus excepti virtutes, et martyrium plene comprobantur ex historicis, sed primi tantum, et secundi gradus. — 22. In causis vero præcedentibus per viam non cultus, virtutes, et martyrium non bene probantur ex dictis historicis, sed habent in his causis solam vim adminiculi. — 23. Historiæ de virtutibus et martyrio non sunt contemnendæ, etiamsi in eis insertæ sint aliquæ conciones in encomium sanctorum ab ipsis sanctis non habitæ. Et etiamsi unus, vel alter error in eis inveniatur, dummodo earum auctores probi sint, et fide digni. — 24. Historici probant, nec unus dicitur alteri contrarius, licet sint ejusdem ætatis, et unus ex his referat id quod non refertur ab alio. — 25. Historico posterioris ævi si aliquid referat, de quo tacuerunt omnes alii antiquiores, et classici historici, nulla est præstanda fides. — 26. Et a fortiori nulla est præstanda fides historico asserenti aliquid, de quo inter alios historicos est communiter receptum contrarium. — 27. Historicus rationaliter attemperari prorsus debet in animi affectionibus amoris, et odii. — 28. Historicus ne leviter etiam semel mentiri debet. — 29. Historico abs re facta, et auctoritates mutilanti, vel documenta sibi reticenti nulla est fides. — 30. Historico coævo magis standum est, quam non coævis. — 31. Historicum critica maxime decet, si christiane fiat. — 32. An et quæ in dubium ab historico ponenda vel neganda. — 33. Licet sola facti possibilitas ad factum astruendum haud valeat, sufficit tamen gravis auctoritas, vel accurata experientia. — 34. Quæ sint in factis historiæ credentis præcipue attendenda. — 35. Opera genuina, et authentica a falsis, ac suppositiis per quinque potissimum capita discerni possunt, et assignantur. — 36. De fide in judicio habenda Historicis. Remissive.

(1. Historia dicta est a verbo græco, quod latine idem importat ac spectare, seu videre, ita ut Historia sit visa res, atque spectata, et exinde, uti est gesta, narrata; Budæus in Commentariis græcis. Unde Historia proprie est earum rerum, quibus gerendis interfuerit is qui eas narrat, ut advertit Calvinus in suo magno Lexico t. I, verb. *Historia*.

(2. Historia igitur, quæ græca est dictio significans repositionem, sive seriem rerum gestarum definitur quod sit rerum gestarum cum laude, aut vituperatione narratio, quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus regumque, ac magnorum virorum cum temporum, ac locorum ordine, et descriptione tanquam viva quædam pictura, ante oculos exponit. Sic apud Beyerlinck in magno Theatro vitæ humanæ tom. IV, verb. *Historia*.

(3. Quatuor sunt species Historiæ: vel enim de locis est, ut geographia; vel de temporibus, ut chronologia, vel de generatione, ut genealogia; vel de gestis, ut annales, Historiæque cæteræ. (4. Geographia est ars dimetiendi ac describendi orbem terraqueum, ejusdem superficiem habitatam et habitabilem. Illius partes sunt *hydrographia*, quæ marium, et insularum descriptionem exhibet. (5. *Chorographia*, quæ in particularium tantummodo regionum, regnorum scilicet, et provinciarum descriptione versatur; et *topographia*, quæ singularium duntaxat locorum, nempe unius civitatis, villæ, vel pagi descriptione contenta est. (6. Chronologia est ars, quæ certis notis, et indiciis præteritarum rerum memoriam suis temporibus assignat; unde, ut advertit Scaliger, in Prolegom. in Eusebium: « Chronologia anima Historiæ est, sine qua Historia non spirat, quæ quanto multis scriptis tanto Chronologia illi præstat, ut corpori anima. » (7. Hinc patet discrimen maximum Historia a Chronologia, quandoquidem ut recte notat doctissimus Petavius, Rat. temporum, part. II, lib. II, cap. 1. « Illa simplici rerum gestarum ordine contenta est, nec annorum singulorum exactam rationem instituit; hæc annos ipsos quod licet, annorumque partes quibusdam notis, ac vestigiis assequitur. » (8. Genealogia, id est sermo de origine generationis, est continuata, gradatim facta ab origine familiarum, ac personarum descriptio, monumentis, ac litteris tradita (41). (9. Annales libri sunt in quibus antiqua gesta, atque acta per singulos annos conscripta referuntur. (10. Annales autem ab Historia distinguuntur, quod illa proprie res suorum temporum gestas, quas auctor vel vidit, vel potuit videre, pertractet; neque tantum quid gestum sit, sed et qua ratione, quove consilio, indicet; Annalium vero Scriptor res antiquas ut plurimum, quas sua non novit ætas, easdemque per annos singulos monumentis commendet. Ita Baronius tom. I Annal. in Præfatione pag. 2, litt. B. ex Gell. lib. VI, cap. 18. et Isidor. Orig. lib. I, in fine.

(11 Historia alia est sacra, quæ gesta atque acta sacra describit; alia profana, quæ gesta, atque acta profana commemorat; alia civilis, quæ in regnis, provinciis, ac civitatibus gesta atque acta reportat; alia ecclesiastica, quæ in Ecclesia gesta atque acta recenset, et alia mista, quæ gesta atque acta, tum sacra, tum profana, tum ecclesiastica, tum civilia complectitur (42).

(41) Nec geographia, nec chronologia, nec genealogia species historiæ sunt, sed subsidia potius, et instrumenta historici. (Edit. Barbiell.)

(42) Miror non fuisse hic ab Auctore commemoratam Historiam litterariam. Hæc enim præterquam quod nobilissima est, ut quæ humani ingenii historia merito dici debeat, gravissimis patet difficultatibus. Vide, quæso, quantula historiæ litterariæ pars est pontificiorum archiatrorum historia! Ut tamen Mandosii de hoc argumento librum emendaret, ac cum prætermissis ab eo quam plurimis archiatris, tum illorum, quorum hic Auctor memineral, monumentis augeret, atque illustraret, quanto labore opus fuit cl. Vaticani archivii præfecto Cajetano Marinio, in quot arduas disquisitiones delabi debuit, quot consulere rarissimos omnium fere gentium libros, quot mss. codices evolvere, quot vetera instrumenta conferre? Discant hinc qui se se beatissimos doctissimosque existimant, si quod ipsis erratum adnotare forte contingat in Apostoli Zenii, Mazzuchelli, Mar-

Digitized by Google

(12. Quinam Historiæ primi fuerint inventores non satis constat; Plinius enim, lib. VII, dicit quod Cadmus Milesius primus omnium Historiam condidit; Joseph autem in I Antiquitatum volum. eum apud Græcos duntaxat primum Historias scripsisse tradit multo juniorem Moyse; nam verisimilius est, antiquissimos Hebræorum, qui sacros libros scripserant, Historias primos condidisse (43); vel Ægyptiorum sacerdotes, sicut ipse Josephus in primo contra Appionem sentire videtur; Euseb. l. x et xi Præparat. evangelicæ (44). Xenophontem, Grylli filium, Socratis auditorem primum ex philosophis Historiam scripsisse de rebus Græcorum tradit Laertius lib. II. Ante Saturni in Italiam adventum nullum Historiæ cultorem fuisse, sed solum postquam is rudem populum in unum collegit, Historiam communiter invaluisse refert Macrobius lib. I Saturnalium, c. 8, apud Beyerlinck l. cit., verb. *Historia;* ubi præcipuos in omni natione Historicos, ac in omni materia scriptores abunde recenset (45).

(13. Historia, ex quo adinventa fuit maximam semper suis cultoribus utilitatem subministravit; ipsius enim lectio juniores antiquioribus æquavit, natu majores rerum experientia ditavit, privatos viros imperio dignos effecit, et quotquot in orbe quovis in genere fuere heroes, ipsa constituit, ac efformavit; et, ut summatim dicam, omnium rerum series, quibus hominum utilitas, ac gloria paratur, historiæ, tribui debet : unde ipsamet apud Beyerlinck loc. cit., hæc poetica sibi carmina canit :

Illa ego, quæ gestis præsum custodia rebus ;
Digero quod caveas, quodque sequaris iter.
Priscaque ne veteris vanescat gloria sæcli,
Vivida defensat quæ monumenta damus,
Et sua virtuti per me sunt præmia rursum,
Impia famosis defero fama notis.
Eloquor, et summi quantum jactatur, et imi,
Eloquor, et cæcæ fasque, nefasque deæ.
Quod majus theatrum, Circusque capacior, aut quæ
Doctor humanas scena referre, vices ?
Ne sine quis prudens ? Unde experientia major ?
Quis me adiit tandem, non mage doctus eat ?

chionis, Maffei, Tiraboschii, aliorumque hujusmodi summorum virorum de re litteraria commentariis, nullam historiæ partem quæ vel bonarum disciplinarum, vel litteratorum hominum historia salubrosior sit, et errandi periculis obnoxior. Omnis tamen labor qui ad aliquam hujus scientiæ partem adhibeatur, insigni quæ in omnem rempublicam sive sacram, sive profanam dimanat utilitate abunde compensabitur. (Edit. Barb.)

(43) Confer Vossium, de Histor. Græc. lib. I, cap. 1. Moysen vero omnibus quos novimus, Scriptoribus antiquiorem esse multis veterum testimoniis ostenderent Huetius Demonstr. evang. prop. 4, cap. 2 et, Jaquelotius de Existentia Dei diss. 1, cap. 23, ac dissert. 3, cap. 4, seq. ut alios omittam, quos indicatos habes ab eruditissimo Alphonso Nicolai, Diss. in sacr. Scrip. t. 1, diss. 5, p. 128, seq. Florent. edit. (Edit. Barb.)

(44) Phœniciam historiam Sanconiathon scripsit, qui vel Gedeonis temporibus vixit, vel paulo serius, ut ex Cl. Fourmont asserit idem Nicolai diss. 3. Nonnisi, hujus historiæ, quam Hadriano imperante Philo in Græcum verterat, fragmentum superest apud Eusebium, Præp. evang. l. I, cap. 9. Vel hinc facile colligas non posse Græcos de suorum antiquitate gloriari, si cum Phœnicibus comparentur, cum Sanconiathon suam paulo post Trojanum historiam texuerit. (Edit. Barbiell.)

(45) Sæculo elapso poterat Beyerlinck tuto citari ; vix erit hoc sæculo, qui Theatrum vitæ humanæ laudari audiens fere non rideat. Si quis ergo præcipuos in omni natione historicos nosse velit, quin ad Beyerlinckii Theatrum confugiat; auctor sum, ut Gerardi Joannis Vossii libros IV, de Historicis Græcis et tres de Historicis Latinis libros cum duobus dissertationum Vossianarum ab Apostolo Zenio Venetiis a 1752 editarum voluminibus diligenter pervolvat, nec omittat Martini Hantenii libros duos, alterum de Romanorum rerum Scriptoribus, Lipsiæ 1589; alterum de Byzantinarum rerum Scriptoribus Græcis, ibid. 1677. Consulat deinde Bibliothecam historicam selectam a Burchardo Gotthelfio Struvio delineatam, et copiose a Christiano Gottlieb. Budero locupletatam Ienæ 1740. (Edit. Barb.)

Omnis enim nostro pendet prudentia sensu,
Riteque nil, nostra qui caret arte, sapit.

(14. Quid in Historia, quid in Historico principalius requiratur, satis erudite et docte ostendit Halicarnassæus apud Beyerlinc kloc. cit., his verbis : « Historicam narrationem perpetuo veluti filo ductam colligatam oportet esse, præsertim ubi res exponantur, et multæ, et hujusmodi, quæ cognosci ac percipi non facile queant. » Sic Halicarnassæus cap. 10 de Judicio historiæ Thucydidis. Et mox: « Historiæ disponendæ laus non minima in eo sita est, si et principium, quo non aliud sit prius, capiatur et eo fine, cui nihil videatur deesse; comprehensa narratio videatur; » id. ib. c. 11. Deinde ad officia scriptoris Historiæ descendens, ait : « Primum officium esse puto, et id vel maxime omnibus necessarium, qui res gestas litterarum monumentis tradere cupiunt, ut ab oblivionis injuriis vindicentur materiam seligere speciosam, et jucundum, ac eam, quæ animos legentium voluptate afficiat, atque alliciat; quod Herodotus mea quidem sententia melius vidisse, et expressisse videtur, quam Thucydidis; ille enim Græcorum et barbarorum Historiam integram scripsit, et apta disposuit; Thucydides autem unum tantum modo bellum, nec fortunatum, unde potius silentium prætereundum, quam posterorum memoriæ relinquendum, confuse descripsit. Est enim Historici etiam officium caute considerare, quæ res illi in Historiam referendæ, quæ silentio prætereundæ sint, et omnia rite in partes disponere, ac unumquodque eorum, qua referuntur, suo loco apte disponere. Et tandem talis debet esse Historicus, ut omni metu careat nullius muneribus, aut commendatitiis corrumpatur; nihil amicitiæ tribuens, æqualis judex, ac benevolus omnibus, ita ut alterutri plus æquo nihil tribuat, sinceræ veritatis amator liber sit, ac nulli regi subjectus, peregrinus in libris, patria carens, suis legibus vivens; non quid huic, illive sit placiturum, aut displiciturum cogitans, sed id, quod revera actum sit fideliter, ac veridice exponens; cum præcipuæ Historicorum partes sint, falsum non dicere, ve-

Digitized by Google

rum non absconaere; ac suspicionem, vel simultatem evitare. Historia enim a Cicerone lib. II de Orat. vocatur testis temporum vitæ memoria, magistra lucis, muntia veritatis. Et jam quid congruat Historiæ auctori breviter fuerat traditum l. II *Machab.*, c. II. Vide ib. (46).

(15. Historicis, præsertim antiquis, et classicis, omnis præstanda est fides; communis, et colligitur tum ex Sacra Scriptura, tum ex utroque jure, tam civili quam canonico; et Sacra Scriptura pluribus in locis habetur digna Historiarum commemoratio, ad denotandum, quod sit ipsis fides adhibenda. *Exod.* c. XVII, num. 14, ibi: *Dixit autem Dominus ad Moysen, scribe hoc ad monimentum et trade auribus Josue. Deuteronom.* cap. XXXI, num. 9, ibi: *Scripsit itaque Moyses Legem hanc et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel. Jeremiæ* cap. XXXVI, n. 2, ibi: *Tolle volumen libri, ut scribas in eo omnia verba quæ locutus sum tibi;* et fere idem ibid., n. 28. *Esther* cap. II, num. 23, ibi: *Mandatumque est Historiis, et Annalibus traditum coram rege*, et cap. VI, num. 1, ibi: *Jussitque sibi afferri Historias, et Annales priorum temporum quæ cum illo præsente legerentur;* et cap. IX, num. 32, ubi præceptum fuit Judæis, ut multa a Mardochæo, et Esther constituta observarent, et *omnia, quæ in libri hujus, qui vocatur Esther, Historia continentur*, et cap. XVI, num. 7, ibi: *Quæ res, et ex veteribus probatur historiis* Esdræ l. I, *cap.* IV, num. 15, ibi: «Misimus, et nuntiavimus regi, ut recenseat in libris Historiarum patrum tuorum, et invenies scriptum in commentariis, et sciens, quoniam urbs illa urbs rebellis est et nocens regibus, provinciis, et bella concitantur in ea ex diebus antiquis,» etc. Sic etiam regum Judæorum gesta solebant in chronicis describi, aliæque res memorabiles, ut ad posterorum eruditionem, et utilitatem deservirent, ut patet lib. III *Reg.*, c. XIV et seq., lib. IV *Reg.*, cap. VIII, cap. X, cap. XXI, cap. XXXIII, et *Paralipom* lib. II, cap. II et cap. III, et sæpe alibi. Unde libr. II *Machabæor* cap. II, num. 25 et 26 habetur: «Considerantes enim multitudinem librorum, et difficultatem volentibus aggredi narrationes Historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio, studiosis vero ut facilius possint memoriæ commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur.» Ex jure canonico habetur in c. *De quibus* 3, dist. 20, c. *Quamvis* 3, dist. 21, cap. *Valentinianus* 3, ibi: Ut refert Historia ecclesiastica, dist. 63 et c. *Adrianus* 22, eadem dist. 63, deprompto ex Historia ecclesiastica, cap. *Cum venisset* 1, in fine, *de sacra unctione*, ibi: Tum propter Historiam; cap. *Foras* 10, *de Verborum significatione.*, ibi: De qua Virgil. c. *Cum apostolica sedes* 7 *de his quæ fiunt a prælatis*, cap. *Cum causam* 15. *De probationib.* ubi probatio divisionis admittitur per libros antiquos; c. *Ad audientiam* 13 *de præscript.* ubi fides adhibetur antiquis libris censualibus. Ex jure civili in l. *Breviter* 1, ff. *de Officio præfecti prætorio.* A quibusdam scriptoribus traditum est: leg. *Necessarium* 2, ff. *de Origine juris;* l. *Origo* 1, *de Offic. quæstoris*, l. *Census* 10, ff. *de Probationib.* l. *Antiqui* 3, ff. *Si pars hæreditatis petatur;* l. *Si pars* 36, ff. *de Solutionib.*, l. *Corpora* 1, ff. *de Cadaveribus punitor.* cum similibus. Et Rota recent. par. VIII, dec. 76, numer. 11 et seqq. 10, dec. 229, num. 5, p. XIV, dec. 424, num. 5, p. 18; tom. I, dec. 34, n. 18, dec. 193, n. 379. n. 19, ac sæpissime alibi.

(16. An autem Historicis sit etiam præstanda fides, et ad vim probationis vel adminiculi admittendi sint in causis beatificationis et canonizationis? omnino videndus est undequaque olim eminentissimus card. de Lambertinis, postea jure merito Summus Pontifex sub nomine Benedicti XIV, qui t. III, cap. 8, sui veri aurei Operis de beatificatione servorum Dei, et canonizatione sanctorum, egregie suo more totam rem tractat, et quoad hoc Historicos in quatuor gradus distinguit, et quoad omnes clarissime ac solidissime ostendit quinam ex ipsis ad vim probationis, vel adminiculi admittendi sint in supradictis causis.

(17. Primus igitur gradus, inquit, est Historicorum, qui litteris tradiderunt ea quibus interfuerunt, vel quæ geri viderunt; et si probi fuerint, ac prudentes, et ideo fide digni, primum fidei, et auctoritatis, ac probationis pondus constituunt. Sic ipse in cit. cap. 8, num. 8 et 9.

(18. Secundus gradus est eorum qui non viderunt ea quæ narrant, sed acceperunt ab iis qui viderunt; et hi quoque, si probi sint et prudentes, adeoque fide digni, primum fidei, et auctoritatis, ac probationis gradum constituunt. Idem ib. n. 8 et 9, sed major est auctoritas primorum quam secundorum. Ib. n. 10.

(19. Tertius gradus est eorum qui referunt ea quæ non viderunt, nec audiverunt ab iis qui viderunt, sed ab iis quibus qui viderant, narraverunt; et hi fidem merentur, si sint viri probi ac prudentes, sed minor est eorum auctoritas, quam aliorum prædictorum. Idem ib., n. 10.

(20. Quartus gradus est eorum qui scripserunt ea quæ legerunt in aliis Historicis; et horum auctoritas erit solum tanta, quanta erit illorum, a quibus sua scripta desumpserunt. Idem ibidem, num. 10.

(21. Hinc recte concludit, quod in causis procedentibus per viam casus excepti, ubi passim probationes subsidiariæ admittuntur, virtutes, et martyrium plene comprobantur ex Historicis, sed primi tantum, vel secundi gradus. Idem in cit. cap. 8, a num. 13 usque in finem.

(22. In causis vero procedentibus per viam non cultus, cum probatio constituenda sit

(46) Præclaras in Ecclesiastica Historia conscribenda regulas sibi Fleuryus præstiterat; sed ab illis quantum postea abscessit, Vid. cardinalis Orsi præfationem in suam Historiam Ecclesiasticam, et Fleurianæ Historiæ criticen ab eruditissimo doctore Marchetto Romæ duobus tomis nuper evulgatam. (EDIT. BARB.)

Digitized by Google

in testibus de visu *contestibus*, virtutes et martyrium non bene probantur ex dictis Historicis primi et secundi gradus; et tanto minus ex Historicis tertii et quarti gradus. In istis enim causis non habent vim nisi adminiculi, majoris tamen, vel minoris juxta regulam auctoritatis, et fidei ipsis præstandæ secundum suum gradum superius assignatum. Idem ib., n. 12.

Qui tamen postea, ut diximus, ad Summum Pontificatum assumptus, per decretum generale die 22 Aprilis 1741, editum mandavit, ut in posterum in causis beatorum procedentibus per viam cultus immemorabilis admitteretur probatio subsidiaria virtutum aut martyrii ex testibus de auditu, aliisque adminiculis; cujusmodi probatio admitteretur etiam in causis servorum Dei procedentibus per viam non cultus, semoto tamen dolo et culpabili dilatione. Et præterea decrevit, ut in causis beatorum per viam cultus immemorabilis procedentibus, probatis virtutibus aut martyrio per testes de auditu adminiculandos, non duo in posterum, sed quatuor pro canonizatione miracula per testes de visu probari debeant : idemque servandum pro beatificatione servorum Dei in causis procedentibus per viam non cultus, probatis virtutibus aut martyrio per testes de auditu, ut supra, adminiculatos.

(23. Historiæ de virtutibus, et martyrio non sunt contemnendæ, etiamsi in eis aliquæ conciones ad encomium sanctorum insertæ sint, quas certum est non fuisse habitas, seu factas a dictis sanctis; nec etiam contemnendæ sunt, etiamsi unus vel alter error in eis inveniatur, dummodo tamen eorum auctores probi sint, prudentes ac fide digni. Idem. ib. c. 9, n. 3 et 4, ex Baronio, Bollando, Mabillonio et aliis ibi allegatis.

(24. Historici probant, nec unus dicitur alteri contrarius, licet sint ejusdem ætatis, et unus ex his referat id quod non refertur ab alio. Idem ibid. cap. 7, num. 5, concludens cum verbis Castellini De inquisit. miracul. in causis martyrum, pag. 64, ubi ait : « Regulariter, et ordinarie esse usitatum apud scriptores, etiam ecclesiasticos, ut unus vel alter non exprimat omnia, et singula gesta alicujus viri Dei; sed quod unus omittit, alter vero refert; quod observarunt etiam Evangelistæ scribentes gesta Salvatoris nostri; nam quod unus omisit, alter explicat. »

(25. Historico posterioris ævi, si aliquid referat, de quo tacuerunt omnes alii antiquiores, et classici Historici, nulla est præstanda fides, nec concedenda auctoritas. Communis cum eruditissimo Baronio ad annum 237, ubi sic expresse habet : « Non audiendi penitus recentiores quidam; qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam pontificem, cujus nulla orsus exstat mentio in serie romanorum Pontif. vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, vel Cresconium, aliosve indices Vaticanos, nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum, vel alios : adeo ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur sententia, quippe quæ nulla penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum, » ac sapientissimo Ludovico Antonio Muratorio Anecdot. tom. II, cap. 21, sic præcise dicente : « Et quo pacto, amabo, Commenta, fabulæque explodi atque exsibilari possent, quæ in posteriorum temporum Historias irrepsere, nisi antiquiorum silentium pluris, quam imperita audaxque recentiorum loquacitas, ponderetur? Affirmant hi ad arbitrium suum, gestaque a temporibus suis remotissima somniant : illi vero ne volam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicturi sane, si illarum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia quam tacentium doctrina duci sinemus? »

(26. Et a fortiori nulla est præstanda fides Historico asserenti aliquid, de quo inter alios Historicos est communiter receptum contrarium, ut exemplificari potest in Benvenuto de Imola nel Commentar. in Dante impress. Pisauri a Christophoro Berardo, fol. 1467, ubi asserit quod perfidus Mahometes fuerit habitus ut cardinalis Romæ, ac missus in Africam ad prædicandam fidem catholicam, ad quam sua singulari gratia et eloquentia fere totam illam gentem reduxerat. Ob quod cardinales ei promiserant, quod, decedente Summo Pontifice, ipsum eligerent : at secuta dicta morte, alio ab ipsis electo Summo Pontifice, indignatus ille, cœpit omni conatu contrarium prædicare, ac totam illam nationem seduxit, atque ad falsam sectam Saracenorum reduxit; quod totum falsissimum est et mere chimericum ab omnibus communiter Historicis impugnatum, ut videre est apud Ursayam Institut. Crimin. lib. IV, tit. 8, n. 120 et seq., ubi totum id refert. Sic nullimode est credenda fabulosa Historia de Joanna Papissa (47), quicunque fuerit primus ejus inventor, sive Martinus Polonus (48), sive Marianus Scotus, sive Sigebertus, ut aliqui volunt, sive alii, ut alii prætendunt, sive probabilius hæreticorum fraus et malitia, qui in derisum sanctæ Romanæ Pontificiæ sedis dictorum Historicorum scriptis fabellam hanc inseruerunt ut eruditissime suo more advertit Summus Pontifex Benedictus XIV, in cit. tom. III, cap. 10, n. 4. Item totaliter deridenda et explodenda est fabula de malignissime excogitata, et falsissime asserta infelici prætensa morte Subtilissimi V mei Joann. Duns Scoti, quem Bzovius secutus Paulum Jovium, refert infelici vitæ exitu fuisse exstinctum, eumque comitiali morbo

(47) De hac fabella, quam plurimi refellerunt, consules cumprimis Labbei Cenotaphium Joannæ Papissæ, et insignem Josephi Garampii nuper sacra purpura a Pio VI, plaudentibus bonis omnibus, donati de Nummo argenteo Benedic. XIII, dissertationem Romæ 1739 evulgatam. (Ed. Barbiell.)

(48) Quid de Martino Polono, num scilicet primus in Chronicon suum Joannæ Papissæ fabulam intulerit, sentiendum sit, non vacat operosius inquirere. Vide tamen, si placet, Franc. Antonii Zaccaria dissertationes italicas de rebus ad Historiam ecclesiasticam pertinentibus, tom. II, pag. 302. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

laborantem, et nimis festinato funere elatum, cum redeunte vita, sero morbi impetum natura discuteret : frustra miserabili mugitu opem petiisse, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite, miserabiliter periisse. Et sic de pluribus aliis Historicis consimiles evidentes falsitates ac fabulas referentibus, quæ adeo evidenter falsæ, ac chimericæ communi veridicorum Historicorum sensu habentur, ut nec confutationem mereantur, juxta auream sententiam S. Athanasii relati ex P. Sebastiano a S. Paulo Carmelita ab Ursaya loc. cit., n. 123, ibi : ***Nimis falsa non sunt refellenda, ne habita fuisse credibilia videantur.***

(27. Historicus rationaliter attemperari prorsus debet in animi affectionibus, amoris et odii, aliter enim vel veritatem excedere, vel a veritate deflectere facile erit, siquidem ut præclare dicitur per vulgare effatum, amor, et odium nomen imponitur.

(28. Historicus ne vel leviter etiam semel mentiri debet ; nam qui mendacium ponit, fidem in veritate sibi tollit, dum semel malus semper præsumitur esse malus : textu expresso in c. ***Semel malus*** 8, de Regulis Juris in 6, in eodem genere mali, ut explicat Glossa ibid. et nisi de emendatione appareat ; c. ***Ferrum*** 8, dist. 50, et Tullius pro C. Rabirio Posthumo nos admonet : « Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures Deos juret, non oportet. »

(29. Historico abs re facta, et auctoritates mutilanti, vel documenta sibi adversa reticenti nulla merito habenda est fides, sic namque sufficientem ingeritur suspicandi motivum voluisse fallere, et ex tacitis asserta non subsistere, ac ipsimet sua proinde fore dubia indicatur, consequenter merito, etc.

(30. Historico coævo magis standum est, quam non coævis, testis enim coævus rem gestam propriis oculis conspicere potuit, minime vero testes non coævi, atque ideo ille istis præferendus est : hinc communi criticorum calculo facta antiqua per testes coævos, vel proxime coævos non probata, pro fabulosis, vel admodum dubiis habentur, et Cicero lib. I, qq. Tuscul., cap. 12, ait : **Auctoribus uti optimis possumus**, quod in omnibus causis, et debet, et solet valere plurimum quidem omni antiquitate, quæ quo propius ab ortu, et divina progenie, hoc melius et fortasse quæ erant vera cernebat.

(31. Historicum critica maxime decet, si christiane fiat, id est si spretu et mordacitate ablegatis, sui pompa, et ingenii ostentatione semotis, æquitatis solius, ac veritatis amore fiat, etenim sic reus nullatenus apparebit in conspectu Domini, et absque alterius læsione culpabili falsa a veris latius secernentur, nec non scribendi cum veritatis vel proximi oppressione, et absque proportionato rei examine facilitas obstructur, vel saltem juste confundetur ; est enim critica, ut optime tradit P. Honoratus a S. Maria, tom. I Animadv. in regulas Critices, dissert. 1, art. 1, ars judicii ferendi de factis historiam constituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis ; de sensu, stylo, et auctoribus. Hinc termini *criticus* et *criticare* a græco ducti, ut vides, idem sonant, ac *judex*, et *judicare ;* unde apud medicos dies critici appellantur illi, in quibus judicium faciunt de morbis maxime acutis, ut sunt dies 7, 14, 21.

(32. Non videtur in Historico laudabile quædam præsertim ecclesiastica historice credita dubium vertere, aut negare per principia levia, vel non nisi probabilia ; quippe ad minus inutile proditur, quæ pie creduntur vel devotionem fovent, ac sufficienti sunt suffulta fundamento, quod in dubium per levia citentur, aut per solum probabilia negentur ; secus autem si principia adducerentur certa, prorsusque ineluctabilia, sic namque falsitas detegitur, quæ veritati pleno jure cedere debet ; et ex alia parte ad devotionis ac pietatis fomentum simul et incrementum vera non desunt media, nec per falsa enarrari egent Dei mirabilia ; hinc insipienter quis miracula effingeret ad divinæ fidei mysteria suadenda, cum vera adsint innumera.

(33. Licet sola facti possibilitas ad factum astruendum haud valeat, sufficit tamen gravis auctoritas, vel accurata experientia. Ratio 1 partis est, quia esto ab actu ad potentiam teneat consequentia, non tamen e contra a potentia ad actum, prout attendenti per se notum est. Ratio 2, p. est, quia quod gravi constat auctoritate, nititur testimonio vel Dei, vel hominum omni prorsus fide dignorum. Ratio 3 p. est, quia nemo inficias ibit, quod experientia constat ex iis colligi, quæ sensibus patent, eorumque recto usu firmiter deprehenduntur, quæque oculatum testimonium referunt ; experientia enim nil aliud est, quam cognitio per sensibilem usum reperta, vel ex frequenti effectuum observatione invecta ; indeque jure omni, experientia habetur pro rerum magistra.

(34. In factis historice credendis apprime circumstantias attendere opus est omnes tum rei, seu internas, quæ videlicet ad ipsammet rem spectant, tum scriptorum, seu externas, quæ nimirum testimonia concernunt ea, quibus nitimur, atque ad credendum ducimur : quoties enim circumstantiæ tales compertiantur, ut rarissime inveniantur cum falsitate conjunctæ, rationabiliter enarratis præstatur fides, et assensus : si autem e contra sint, nempe tales, ut sæpius falsitatem inducant, merito eis vel non præstatur assensus vel falsitas tribuitur ; in primo namque casu veritatis apparet certitudo moralis, sufficiens in iis quæ nobis physice constare non possunt, secus autem in secundo, sicut est clarum. Generatim igitur, antequam de facto Historico judicium feratur, attente considerandum est quod optime ait Fortuna Brixia part. II Logices, art. 4, scilicet : num ex circumstantiis aliqua, moraliter saltem, ratione loci, personæ, vel temporis, sit impossibilis, num una ita cum altera pugnet, ut ambæ simul in ipso facto componi nequaquam possint ; si namque aliqua sit impossibilia, vel illarum una adversetur alteri, jam factum vel nullam, vel non nisi dubiam

Digitized by Google

meretur fidem, utpote quod hoc ipso, vel plane falsum, vel apprime dubium. Si autem in circumstantiis nulla falsitas, nullaque oppositio occurrat, factum censendum quidem possibile, at minime illico credendum illud revera contigisse, nisi ea quoque adsit auctoris, vel testis conditio, ut plane dignus ille sit, cui fides adhibeatur; atque ex his liquido depromitur, unde ferendi sumus ad unum potius quam aliud credendum ex his quæ nobis gesta proponuntur, vel facta negantur (49).

Opera genuina, et authentica a falsis ac suppositiis per quinque potissimum capita discerni possunt. Primum est constans ac perpetua traditio, idque luculentissime evincitur ex D. August. lib. XXXIII, contra Faustum, cap. 6, ubi efficacissime ac sublimissime, prout suum, ex prælaudato capite contra Manichæos demonstrat apostolicas scripturas, sacrosque scriptores pro genuinis authenticisque habendos esse : atque ex eod. capite genuinos Hippocratis libros a falsis sub ejusdem nomine prolatis esse secretos docet; imo Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi auctorum libri, ait, quod non noverint homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua : atque idem affirmat de scriptoribus ecclesiasticis; et inde subnectit : « Sed quid pergam in longe præterita? ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas cujusquam Fausti esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista moverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatos posterorum successionibus trajiciunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia, consentiendo submersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidem, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præsentes episcopos certissima successione servaret, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proveniat. »

(35. Alia quatuor doctissime recenset Cl. Mabillonius p. 2, de studiis Monasticis cap. 13, videlicet : Si aliqua manuscripta exstimatione digna, eaque imprimis, quæ magis auctori coæva videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant (50). Si stylus fuerit ubique conformis alteri cæterorum auctoris operum, sicut et principia ac opiniones. Si scriptores, sive synchroni, sive pene synchroni ejusdem opus eidem auctori certo adscribant. Si denique nihil gestum in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi concordet; et ex his juxta contrariorum legem, ac disciplinam ratiocinare ad falsa, et supposititia eruderanda opera : hujusmodi namque momenta, uti perspicuum est, ad utrumque multa efficacitate donantur (51)

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. De fide in judicio habenda Historicis, vide regulas a Rota traditas in Augustana Juris præcedendi 28 Febr. 1746, coram reverendissimo P. D. Bussio decan. Et in nullius, seu Tarraconen. Præcedentiæ 13 Maii 1746, cor. clar. mem. Millin. et 20 Febr. 1747, et 19 Junii ejusdem an. 1547, cor. R. P. D. Elephant. et 29 Jan. 1748, et 13 Maii ejusdem anni 1748, cor. bon. mem. de Vais.

HOMICIDA, HOMICIDIUM.

SUMMARIUM.

1. Homicidium unde dictum et quid sit? — 2. Talis cædes facta ab homine appellatur semper homicidium, quomodocunque quis hominem occiderit, et assignantur varii modi, quibus potest perpetrari homicidium, usque ad num. 15. — 16. Homicidium dividitur in voluntarium, et casuale. — 17. Homicidium voluntarium aliud est directe aut indirecte, tale, et quodnam sit utrumque. — 18. Homicidium casuale quodnam sit? — 19. Homicidium voluntarium injustum est peccatum ex genere suo mortale. — 20. Homicidium potest committi juste, seu licite, et injuste seu illicite. — 21. Homicidium juste et licite potest committi quatuor modis, qui assignantur et probantur, usque ad n. 24. — 25. Ad hoc ut occisio aggressoris sit licita, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, requiruntur potissimum tria, scilicet causa, debitus modus, et tempus, et explicantur. — 26. Servato dicto moderamine inculpatæ tutelæ, licitum est occidere injustum aggressorem, etiam pro

(49) Præter auctores hic laudatos, regulasque ab his excerptas legendus cum primis P. Labrus. Sed de abusu artis criticæ adde Petri Laxeri exercitationes tres Romæ annis 1754 et 1755, ex Salomonii typographio emissas, 1. De Arte critica et generalibus ejus regulis ad Historiam ecclesiasticam relatis; 2. De Criticæ regulis, quibus vera falsis admixta secerni possunt; 3. De vera vel falsa traditione historica, regulisque ad eam internoscendam. (EDIT. BARBIELL.)

(50) Sed hic videndum, ne sumpta codicum antiquitas nos fallat. Regulis et arte critica opus est, ut de illorum ætate recte judicemus. Aliquot hujusmodi regulas Eusebius canonicus Pollinganus scite proposuit; sed plura invenies apud Trombellium in libello italico de Arte dignoscendæ mss. codicum ætatis, nuper Neapoli recuso. (EDIT. BARBIELL.)

(51) Amortius p. 4, ex auctore Problematis de S. Dionysii Areopagitæ operibus quinque addit regulas ad opera supposita a veris secernenda : « 1. Quando, inquit, liber tribuitur auctori ex fide monumentorum incertorum, aut evidenter falsorum, habetur fere infallibile suppositionis signum; 2. quando liber non potest auctori tribui, cui concedantur multæ inconvenientiæ, habetur signum probabile suppositionis : et si omnes inconvenientiæ sumantur simul, habetur signum moraliter infallibile; 3. quando scriptores Apologetici inter se non conveniunt, sed sibi invicem contradicunt in præcipuis capitibus et circumstantiis circa librum et auctorem illius, habetur signum suppositionis; 4. quando ex omnibus apologiis ne unica quidem fundat probabilitatem pro auctoritate libri defendendi; 5. quando ex omnibus apologiis sive simul, sive seorsim sumptis non potest conflari unum systema, quod cum chronologia auctoris consentiat. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

defensione vitæ, et membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum innocentium. — 27. Imo licitum est etiam occidere injustum aggressorem ob defensionem bonorum temporalium si sint magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possint.—28. Non licet autem occidere aggressorem ob defensionem rerum temporalium levis momenti. — 29. Fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpatæ tutelæ pro conservandis rebus magni momenti, nedum propriis sed etiam proximi, si aliter defendi et conservari non possint, licite occidi potest non tantum a laicis sæcularibus, sed etiam a clericis, et religiosis. — 30. Imo neque obstat, quod invasor sit in peccato mortali, et in æternum damnetur. — 31. Non licet tamen occidere injustum judicem, advocatum, et falsum accusatorem, et testem, quamvis ab eis grave damnum immineat. — 32. Nec licet defendere defensione occisiva ea, quæ nondum habemus, et ad quæ solum jus inchoatum habemus, et ea nos possessuros speramus. — 33. Nec etiam licet se defendere defensione occisiva contra injuste impedientem assecutionem hæreditatis, legati, cathedræ, aut præbendæ. — 34. Nec pariter licitum est alium occidere pro necessaria defensione honoris et famæ. — 35. Homicidium voluntarium alterius injuste, seu illicite potest committi sex modis, qui assignantur et explicantur. — 36. Nullo casu licet auctoritate humana, sive publica, sive privata innocentem directe et per se occidere, etiamsi Tyrannus minetur Urbi excidium, nisi ei mittatur caput innocentis. — 37. Indirecte autem, et per accidens aliquando licet, et assignatur quando. — 38. Innocentem directe occidere licet auctoritate divina. — 39. An judici liceat condemnare ad mortem probatum nocentem, si scientia privata noverit innocentem ? remissive. — 40. Innocens ad mortem capiendus a satellitibus scientibus ipsius innocentiam potest eos licite occidere, si aliter nequeat se defendere. Secus non. — 41. Incarceratus nequit licite occidere custodes, ut effugiat. — 42. Nec ducti ad supplicium possunt licite occidere carnificem, aliosque ministros, ut evadant. — 43. An autem bannitus possit se defendere, et aggressorem occidere, et an ipse bannitus possit licite ab aliis occidi, remissive. — 44. Non licet auctoritate propria et privata occidere extra causam necessariæ defensionis. — 45. Nec licet patri filiam, aut marito uxorem in adulterio deprehensam occidere. — 46. Imo uxor et adulter possunt licite se defendere, et cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere maritum injuste ad mortem invadentem. — 47. Licitum est matronæ honestæ, sicut et virgini violentem aggressorem, stupratorem, oppressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidere, si nullo alio modo vim impedire aut declinare possit. — 48. Auctoritate propria, et privata non licet occidere principem suum tyrannum. — 49. Nulla auctoritate humana, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, licet seipsum directe occidere. — 50. Dei mandato, aut instinctu divino interveniente licet. — 51. Sicut etiam indirecte aliquando licet. — 52. Hinc potest miles, imo tenetur tempore obsidionis muros conscendere, stationem suam non deserere, quamvis moraliter certus sit se occidendum ab hostibus. — 53. Potest, imo debet episcopus, aut parochus tempore pestis per se, vel per alium sacramenta peste infectis administrare, quamvis sit moraliter certus sese etiam ad mortem inficiendum. — 54. Potest uxor ad consolationem mariti peste infecti assidere ejus lecto, et religiosi, vel alii possunt hujusmodi infectis deservire ex charitate, et amicitia, quamvis certo moraliter timeatur similis mortalis infectio. — 55. Potest quis ad fugiendum incendium, ex alio se præcipitem dare cum certo periculo mortis. — 56. Potest quis ad evertendam turrim hostilem, aut perdendos hostes pulverem incendere, quamvis sciat se obruendum, sicuti et navem mergere vel incendere ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicæ damno. — 57. Potest quis licite se objicere telo vel ictui ad servandum vitam principis, vel naufragio tabulam cedere amico naufraganti, vel morti se offerre pro injuste damnato ad ipsum. — 58. Licitum est mortem potius tolerare ex actu virtutis heroicæ, quam injustum vitæ aut honoris invasorem occidere. — 59. Potest reus licite non fugere, quamvis adsit commoditas ; imo sponte se sistere Judici plectendum. — 60. Licitum est carnem vigiliis, abstinentiis, mortificationibus et flagellationibus moderatis affligere, quamvis inde vita sit abbrevianda. — 61. Potest quis licite abstinere a matrimonio, quamvis in cælibatu mori debeat propter indispositionem. — 62. Seipsos occidentes, et quando privandi sunt ecclesiastica sepultura ? remissive. — 63. Clericus homicida incorrigibilis debet deponi, et tradi curiæ sæculari ut moriatur. — 64. Clericus homicida ex proposito debet deponi ex altaris ministerio. — 65. Clericus homicida voluntarius etiam occultus ex concilio Tridentino omni ordine, beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo carere debet. — 66. Ipse tamen clericus homicida voluntarius, ejusque socius potest obtinere, et obtentas retinere pensiones absque dispensatione non obstante dict. cap. 7, session. 14, concil. Tridentin. — 67. Homicidæ damnati, sive diffamati, quamvis remissi fuerint, non possunt habere officia, dignitates, nec testimonium ferre. — 68. Homicidæ non remittendi in loco, ubi degunt hæredes occisi, nisi habita pace. — 69. Homicidium commissum a laico, qui postea effectus est clericus, non punitur quoad personam nisi a judice ecclesiastico. — 70. Sic clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio Fori, quoad personam tantum. — 71. Homicidium committi mandans in personam unius, si committatur in personam alterius, non incurrit irregularitatem, quæ contrahitur in homicidio voluntario. — 72. Homicidium vere casuale, cum nulla penitus admissa fuerit culpa, et in quo non debeatur opera rei illicitæ, non facit quem irregularem. — 73. Homicidium committens veneno non gaudet immunitate ecclesiastica. —74. Homicidii appellatione non venit mutilatio membri. — 75. Satellites nequeunt licite occidere malefactorem, quem jussi sunt comprehendere, et qui se opponit ne comprehendatur, nisi conjunctim concurrant sex circumstantiæ, quæ enumerantur. — 76. Alia quoad homicidas, et homicidia, remissive. — 77. Homicida, quando incurrat, vel non, irregularitatem ? remissive. — 78. Homicida, quoad restitutionem, remissive. — 79. Sequentia decreta usque ad finem non indigent summariis, cum satis summarie sint relata ad n. 94. — 95 ad 98. De pœna homicidii jure ecclesiastico. — 99 ad 103. Nonnulla a Romano theologo. — 104 ad 114. Nonnulla ab editionibus Barbiellinianis in auctorem corriguntur.

(1. Homicidium dicitur ab homine cædendo ; est enim cædes hominis l. *Si ita vulneratus*, 52, ff. ad leg. Aquiliam, cap. *Si homicidium*, 51, caus. 23, quæst. 5. Unde homicidium definitur « quod sit violenta exanimatio, seu occisio hominis ab homine facta. » Est in re communis, arg. cit. cap. *Si homicidium*. Dicitur autem notanter ab homine, quia si homo a fera vel bruto occidatur, proprie homicidium non dicitur, sed pauperies, tit. *Institut.* et ff. *Quadrupes pauperiem fecisse dicatur*. (2. Semper tamen talis cædes facta ab homine appellatur homicidium, quomodocunque quis hominem occiderit : l. 1, § *Occisorum*, ff. *Ad S. C. Syllan.* (3. Sive scilicet quis manibus hominem occiderit,

Digitized by Google

puta strangulando, uti in l. *Qua actione*, § *Occisum*, ff. ad leg. Aquil. (4. Sive non manibus tantum sed toto corpore, puta suffocando, ut accidit parentibus et nutricibus infantes in lecto opprimentibus, de quo in c. final. *De his qui fil. occider.* (5. Sive vim inferendo suis propriis visceribus, qua fiat abortus, et fœtus abigatur, atque moriatur; l. *Si mulierem*, ff. ad leg. Cornel. *de Sicariis*, sive præcipitio, dimittendo scilicet aliquem de ponte vel de aliquo alio alto loco : leg. *Qua actione*, § *Occisum*, et l. *Cum qui*, ff. ad leg. Cornel. *de Sicariis*. (6. Sive pugno; l. *Si servus servum*, § 6, *Si mulier pugno*, ff. ad leg. Aquiliam. Sive telo, § *Item* lex Cornelia, Instit. de publ. cis Judic. (7. Sive Clava l. 1, § *D. Adrianus*, ff. ad l. Cornel. *de Sicariis*. (8. Sive Ligone; c. *Significasti in princip. de homicid.* (9. Sive falce; vel bidente, aliisque rusticis terræ instrumentis, de quibus in l. *Instrumenta*, ff. *de Fund. instruct.* (10. Sive nimis gravibus custodiis, et carceribus vel plumbatorum verberibus, aut ponderibus catenarum, et ferreis manicis, ossibus, et corpori inhærentibus; leg. 1, § *Si accusator*, et § *Illud etiam*, cod. *de Custod. reor.*, l. *Incredibile, de pœnis*, et l. *Nemo carcerem*, C. *De exaction. tribuit.*, l. 10. (11. Sive denegatione alimentorum; l. *Necare*, ff. *De lib. agnoscend.* et l. *Item si obstetrix*, § *Si quis*, ff. ad Aquiliam : (12. Sive flagello in quo latet dolor, id est intra cujus virgam latet pugno; l. *Si ex plagis*, § *Tabernarius*, ff. ad leg. Aquil. (13. Sive malo medicamento; leg. 3, ff. ad leg. Cornel. *de Sicar.* et l. *Qua actione*, § *Proculus*, et l. *Idem Juris*, ff. ad leg. Aquil. (14. Sive veneno; l. 1, § *Præterea*, ff. ad leg. Corneliam *de Sicariis*. (15. Sive occiderit lingua, puta mandando homicidium, consulendo illud, vel falsum testimonium dicendo, propter quod ad pœnam ultimi supplicii quis fuerit condemnatus; sive denique alio quocunque modo et ratione; l. *Qua actione*, § *Occisum*, ibi : *Vel qualitercunque*, ff. ad leg. Aquil.

(16. Homicidium dividitur in voluntarium, et casuale; lib. v Decr., tot. tit. 12, *de homicidio voluntario et casuali*. (17. Homicidium voluntarium aliud est directe, aliud indirecte tale. Homicidium directe voluntarium est quod vere per se ac directe intenditur, ut cum quis animo ac intentione occidendi hominem ense transfigit, aut sclopeto trajicit illum. Homicidium indirecte, seu in causa voluntarium est, cum quis mortem alterius non intendit quidem, voluntarie tamen ponit talem causam vel facit aliquid ex quo mortem mortaliter certe secuturam prævidet, ut si quis graviter percutit aut pedibus calcat prægnantem feminam, et inde sequatur abortus, vel si in loco hominibus valde frequentato exploditur sclopetum, et inde homo occiditur. (18. Homicidium casuale, est, quod nec directe, nec indirecte intenditur, sed præter omnem intentionem casu et fortuito accidit, ut si quis putans sclopetum esse vacuum explodit ipsum, et explodendo præter omnem intentionem aliquem occidit.

(19. Homicidium voluntarium injustum est peccatum ex genere suo mortale, Communis ac certa. Est enim expresse prohibitum, et quidem sub gravibus pœnis tum in Testamento Veteri, tum in Novo. Exodi enim xx, inter præcepta negativa proximum respicientia, ponitur primo expresse; *Non occides*. *Genes.* ix dicitur : *Quicunque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius*. *Levit.* xxiv habetur : *Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur*. *Matth. cap.* xxvi, sic præcise statuitur : *Omnes, qui gladium acceperint, eoque percusserint, gladio peribunt :* et Apocalyps. c. xiii, sic mandatur : *Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. (20. Homicidium voluntarium potest committi juste, seu licite, et injuste, seu illicite. Communis. (21. Homicidium juste, seu licite potest committi quatuor modis. Primo, mandato Dei speciali. Secundo, lege publica et ministerio justitiæ. Tertio, bello justo. Quarto, necessaria sui defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quo ad primum de mandato speciali, et instinctu Dei occidendi se ipsum, vel alium, nullum est dubium, cum Deus sit absolutus Dominus vitæ, et mortis hominis, *Sapien.* xvi, adeoque homo possit in tali casu licite, imo teneatur ei obedire, sicut prompte ei obedivit Abraham, quando præcepit ei Deus ut occideret dilectum suum filium Isaac, *Genes.* xxii, et Israelitæ de mandato occiderunt parvulos urbis Jericho, *Josue* vi, et viri Samariæ interfecerunt 70 filios Achab, iv. *Reg.* i, et sic de aliis similibus.

(22. Quoad secundum de lege publica et ministerio justitiæ, habetur tam ex divina quam humana lege, licere auctoritate publica occidere malefactores; divina quidem *Exodi* xxii, expresse dicitur : *Maleficos non patiaris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur; Qui immolat Diis occidatur. Deuteron.* xxi, statuitur pœna mortis filio protervo parentibus inobedienti. *Deuteron.* xxii, eadem pœna mortis statuitur filiæ in domo patris fornicanti. Et ad Rom. xiii, Apostolus de principe sæculari loquens, sic ait : « Dei minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. » Lege humana autem licere constat ex cap. *Quæsitum*, 45, caus. 23, q. 4, c. *Prodest*, 4, cap. *De occidendis*, 8, cap. *Sunt quædam* 39, c. *Qualis* 44, ead. caus. 23, q. 4, cum concordantiis. (23. Quoad tertium de Bello justo, vide verb. *Bellum*, art. 2 et 3, ubi late de licita occisione in Bello justo.

(24. Quoad quartum de necessaria sui defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ licere occidere injustum aggressorem tenet communissima DD. cum S. Thoma 2, 2, quæst. 64, art. 7, et habetur in cap. *Jus naturale*, dist. 1, et cap. *Significasti*, 18, *de homicid.* et cap. *Si vere*, 2, *de sent. excommun.* ubi dicitur « vim vi repellere omnia jura, omnesque leges permittunt. » Et leg. 3, ff. *de Just. et*, ubi dicitur : « Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis fecerit, jure fecisse existimetur. » (25. Dicitur autem notanter « cum moderamine inculpatæ tutelæ, » quia ad hoc ut talis aggres-

Digitized by Google

soris occisio sit licita, tria potissimum requiruntur communiter a doctoribus cum Julio Claro, § *Homicidium*, n. 34, primo scilicet requiritur causa, id est quod aggressio, seu invasio sit injusta, quia pro defensione vitæ suæ non licet occidere juste invadentes, v. g. ministros justitiæ, quia hi juste invadunt, ut post Avilam *De censuris*, part. III, disp. 5, sect. 3, dub. 2, concl. 1, et alios recte observat Pirhing. lib. VII Decret., tit. 12, num. 92. Reiffenstuel ibid., num. 132. Secundo requiritur debitus modus defensionis, ita ut defensio non se extendat ultra id, quod requiritur ad propulsandam injustam aggressionem; qui enim potest se defendere pugno, baculo, percussione non lethali, vel aggressorem abigere, et vincere illum exarmando, non potest licite illum occidere; arg. cap. *Ut sane* 35, *de sentent. excommun.*, ibi: « Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio exigit (52). » Tertio requiritur tempus, id est ut occisio ad sui defensionem fiat statim ac quis injustam vim, vel aggressionem occisivam, aut mutilationem patitur, vel certo imminentem cognoscit, non vero postea, et ex intervallo postquam aggressor abiit, nullumque amplius remanet periculum; arg. cap. *Si vero*, 2, *de Sent. excomm.*, ibi: « Si incontinenti vim vi repellat, » et ratio in universum est, quia defensio occisiva ut licita sit, talis esse debet, ut non ad sumendam vindictam, sed tantummodo ad propulsandam injuriam fiat: arg. c. *Significasti* 18, de homic. ibi: « Tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. »

(26. Servato dicto moderamine inculpatæ tutelæ licitum est occidere injustum aggressorem etiam pro defensione vitæ, et membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum innocentium; arg. cap. *Fortitudo* 5, caus. 23, qu. 3, ibi: « Fortitudo, quæ vel bello tuetur a barbaris patriam vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est; » cap. *Non inferenda* 7, cap. *Qui potest* 8, ead. caus. 23, et qu. 3, juncto cap. *Dilecto* 6, § *Et quidem de sent. excomm. in* 6, et concordat l. 1, § 4. ff. ad leg. Cornel. *de Sicariis;* hinc *Exodi* c. II, num. 11, laudatur Moyses, quod Ægyptium injustum aggressorem Hebræi cujusdam occiderit, et absconderit in sabulo; et sic tenent Farin. in praxi Crimin. qu. 124, a num. 267. Reiffenstuel loc. cit., n. 137; Jul. Clar. verb. *Homicidium*, n. 27, ubi dicit esse communem, sicut communem dicunt Filiuc., Molin., Azor., Viva ad proposit. 17 et 18, Alexand. VII, num. 12 (53).

(27. Imo licitum est etiam occidere injustum aggressorem ob defensionem bonorum temporalium, si sint magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possint; Clarus verb. *Homicidium* a num. 25. Suarez. *De censur*, disp. 46, sect. 2, n. 10; Lesius l. II, *De justit.* c. 2, dub. 11; Covarruv. in Clementina: *Si furiosus*, part. III. § unic., num. 6, in fine; Castropalao *De censur.* disp. 6, punct. 15, n. 7 et seq. Viva ad propos. 17 et 18; Alexand. VII, num. 10 et 12, cum satis communi aliorum; argum. leg. 1, cod. *Unde vi*; ubi etiam universaliter concedi videtur his verbis: « Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderamine illatam vim propulsare licet; » consequenter etiam occidere, si occisio ad defensionem est necessaria, cum permisso fine permittantur etiam media ad illum consequendum necessaria; arg. c. *Præterea*, 5, *de offic. et potest. Judic. deleg.* l. 2, ff. *de Jurisd.* l. *Si furem* 9, ff. ad leg. Cornel. *de Sicar.* Et ratio est, quia sine illis bonis non potest juxta proprium statum vita custodiri, adeoque sicuti licet vitam defendere defensione occisiva, ita etiam bona externa ad vitam conservandam necessaria, cum talia bona vitæ quodammodo comparentur; l. *Advocati* 14, cod. *de Advocatis divers. Judic.* et ibi Glossa communiter recepta (54).

(28. Fuit autem dictum notanter, « Si bona sint magni momenti, » quia ob res levis momenti non licere occidere aggressorem hodie certissimum est ob sequentem propositionem ab Innocent. XI, die 2 Martii 1679, ex damnatis in ordine 31, ibi: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. »

(29. Hinc fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpatæ tutelæ pro conservandis rebus temporalibus magni momenti, nedum propriis, sed etiam proximi, si aliter defendi et conservari non pos-

(52) Hinc factum est, quod injuria egisse dicitur, meritoque civilibus legibus extra ordinem punitur is, qui occidere maluit suum aggressorem quam fugere, si sine periculo potuit. Vid. Ant. Matthæum leg. citat. ad leg. Cornel. *De sicar.*, cap. 3, § 7. (Edit. Barbiell.)

(53) Quæ de sui defensione egregie ab auctore pertractantur ad naturalem referantur statum oportet; inita enim societate diversæ statuendæ sunt regulæ; cum enim ob id potissimum societas sit constituta, ut quis tutior suis juribus fruatur, atque adeo omnes renuntiaverint juri se per vim defendendi, illudque summæ potestati concesserint, cujus est vim alienam compescere et illatam reparare. Vid. l. *Nulli* 14, cod. *de Judæis*, tunc tantum jus primævum reviviscit, cum nulla est publici auxilii vel spes, vel copia, et damnum, quod imminet est irreparabile; videtur enim unumquemque civem juri se adversus alienam injuriam propriis viribus tuendi ita renuntiasse, ut casum hujusmodi excipieret; consule Puffendorf. lib. II, cap. 5, *de Defensione sui*, § 4, etc. Exinde fortasse ratio discriminis orta est inter furem nocturnum ac diurnum tam apud Romanos, quam apud alias gentes. Vide l. 4, § 1, ff. ad l. Aquil. Demosthenes *Orat. contra Timocratem*, Plato *De legibus*, lib. IX, Exod. cap. XXII, v. 3. (Edit. Barbiell.)

(54) Jus resistendi a defensionis necessitate ortum est, cessante necessitate jus nullum superest; in hac resistendi necessitate constituimur cum damnum imminet irreparabile: Quis itaque dixerit licere pro defensione suorum bonorum invasorem interficere, siquidem damnum hoc vi publica potest reparari? Vide Puffendorf. lib. II, cap. 5, *de Defensione sui*, § 16, in med. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

sint, licite occidi potest, non tantum a laicis sæcularibus, sed etiam a clericis et religiosis; arg. cap. *Dilecto* 8, *de sent. excomm.* in 6. Et ratio est, quia ipso jure naturæ licet vim vi repellere quantum opus est ad se suaque tuenda; cap. *Jus naturale* 7, dist. 1, cap. *Significasti* 19, *de homicidio*, et cap. *Si vero* 2, *de sentent. excommun.* ubi dicitur: « Vim vi repellere omnia jura, omnesque leges permittunt. » Et expresse id permittunt leges civiles, quia alias daretur occasio bonos et innocentes spoliandi; l. *Si furem* 9, ff. ad leg. Cornel. *de Sicar.* et l. 4, ff. ad leg. Aquil. et consentit jus canon. cap. *Interfecisti* 1, et cap. *Si perfodiens* 3, in fine *de homicid.* et citat. cap. *Dilecto* 6, *de sentent. excommun.* in 6, et tenet cardin. de Lugo, disp. 10, num. 169; Viva ad propos. 17 et 18 Alexandri VII, num. 10 et 12, ubi testatur de communi, et sic communiter docent Silvester, Cajetanus, Sotus, Navarra, Molina, Tambur. ut testatur et sequitur Sporer. tom. II, tract. 6, in 5, præcept. Decalog. cap. 2, sect. 3, num. 155, et expresse Reiffenstuel. loc. cit., n. 167 et 173; Pirhing. loc. cit., n. 91. (30. Imo ut recte notat Viva l. c., num. 12, in fine; « Neque obstat (sunt præcisa verba ipsius) quod invasor sit in mortali, et in æternum damnetur, nam id sua culpa contingit, potestque desistere, si nolit interfici; » unde non dicitur esse in extrema necessitate; in qua certe præferenda est vita spiritualis proximi vitæ temporali propriæ.

(31. Non licet tamen occidere injustum judicem, et advocatum, et falsum accusatorem, et testem quamvis ab eis grave damnum immineat; Alexander enim VII, die 7 Septembris 1665, damnavit absolute sequentem propositionem 18, in ordine: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare; » Reiffenst. loc. citat. n. 140; Viva l. c., n. 7, et alii passim. (32. Nec licet defendere defensione occisiva ea quæ nondum habemus et ad quæ solum jus inchoatum habemus, et ea quæ nos possessuros speramus, quia Innocent. XI, die 2 Martii 1679, damnavit expresse sequentem propositionem 32, in ordine: « Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ nacta possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus; » Reiffenstuel. loc. cit., num. 141; Viva loc. cit., n. 8; Cardenas et alii passim. (33. Nec licet etiam se defendere defensione occisiva contra injuste impedientem assecutionem hæreditatis, legati, cathedræ, aut Præbendæ. Sic enim aperte desumitur ex sequenti propositione 33, inter damnatas ab Innocentio XI, die et anno quo supra; « Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter (id est defensione occisiva) defendere, sicuti, et jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem. » Reiffenst. loc. cit., n. 142; Viva loc. cit., num. 8; Cardenas et alii hodie communiter. (34. Nec pariter licitum est alium occidere pro necessaria defensione honoris et famæ. Desumitur ex sequenti propositione 17, inter damnatas ab Alexandro VII, die 7 Septembris 1665: « Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, sicuti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice, vel coram gravissimis viris, prædicta impingere, nisi occidatur. » Item ex hac alia 30, inter damnatas ab Innocentio XI, die et anno quo supra: « Fas est viro honesto occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat. » Viva loc. cit., num. 3; Reiffenstuel. loc. cit., num. 143, et seq.; Cardenas et alii (55).

(35. Homicidium voluntarium alterius injuste, seu illicite potest committi, sex modis, facto, præcepto, consilio, defensione, permissione, cooperatione. Facto homicidæ sunt, qui manibus, ferro, lapide, veneno, laqueo, et omni alio modo ex enumeratis a. n. 2 ad 14, inclusive vitam eripiunt. Præcepto homicidæ sunt principes et judices, qui condemnant ad mortem innocentes, aut minus nocentes, sieuti, et domini præcipientes famulis alicujus occisionem. Consilio homicidæ evadunt, qui alios ad id consulunt, inflammant, et incitant, injuriam aliquam exaggerando, ignominiam exprobrando, honoris jacturam exponendo, et hujusmodi. Defensione homicidæ fiunt qui homicidas sustinent, protegunt, apud se recipiunt, ipsis favent, asylum præbent, et hujusmodi. Permissione homicidæ dicuntur, qui jurisdictionem habentes, ut principes et magistratus, judices, feudatarii, et hujusmodi, negligunt comprehendere, aut secundum demerita punire homicidas, grassatores, sicarios et similes. Cooperatione homicidæ censentur, qui arma subministrant, qui occidendos capiunt, ligant, detinent, et hujusmodi.

(36. Nullo casu licet auctoritate humana, sive publica, sive privata, innocentem dire-

(55) Quæsitum fuit etiam a nonnullis, an femina pudicitiæ suæ vim inferentem occidere possit. Quæstio facillime resolvitur. Cum enim unicuique a natura jus sit quamcunque vim quovis pacto repellendi, nisi alia mitiora suppetant media, quibus præcipuum feminarum non tantum, sed etiam virorum ornamentum pudiciciam servet, quin necem etiam inferre injusto aggressori possit, non ambigendum. Jure agitur Paulus jurisconsultus, Sent. lib. v, tit. 25, § 3, hæc habet: « Qui latronem cædem sibi inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit, puniri placuit, alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit. » Vide L. 1, per ff. ad l. Cornel. *de Sicar.*, argum. l. 8, § 2, ff. *Quod metus caus.*, l. *Is qui* 2, l. *Si quis percussorem* 3, *c. h.* 8. Gayl. obser. 110, num 13. Vide etiam Puffendorf. lib. II, cap. 5, *de defensione sui*, § 11. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

te et per se occidere, etiamsi tyrannus minetur urbi excidium, nisi ei mittatur caput innocentis; Communis, et constat ex universali præcepto divino Exodi XXIII, ibi : *Insontem et justum non occides, quia aversor impium.* Occisio enim innocentis est intrinsece mala, non minus ac fornicatio, adulterium, etc., adeoque nulla ratione, nulla necessitate potest cohonestari. (37. Dicitur autem notanter, directe, et per se, quia indirecte et per accidens aliquando licet, ut quando in bello justo victoria aliter obtineri non potest, nisi simul cum nocentibus occidantur innocentes, et quando equo vectus aliter inimicum fugere non possit, nisi ratione viæ angustæ et arctæ proculcando innocentem, infantem, dormientem, claudum, etc., et quando non potest aliter evitari urbis excidium, nisi ad tyrannum seu hostem mittatur innocens; tunc enim potest respublica talem innocentem cogere, ut tyrannum adeat, cum ex charitate, et justitia legali teneatur vitam exponere pro republica; neque hoc esset directe, et per se cooperari ejus morti, sed tantum indirecte, et per accidens, cum traditio de se sit indifferens, et mors tantum sequatur indirecte, et præter intentionem reipublicæ; imo si civis ille innocens nollet obedire magistratui præcipienti, ut se pro bono communi tyranno traderet, aut sui traditioni repugnaret pertinaciter, jam fieret nocens ratione inobedientiæ in re justa et gravissima, et sic juste non ut amplius innocens, sed ut jam factus nocens, et reus posset a republica occidi; Communis. (38. Dicitur etiam notanter auctoritate humana; quia neminem latet licere occidere innocentem auctoritate divina; Deus enim est absolutus Dominus vitæ et mortis; *Sap.* XVI : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem; Deuteronom.* XXXII : *Ego occidam, et vivere faciam.* Unde Deo jubente fuerunt licite occisi parvuli licet innocentes urbis Jericho ab Israelitis, *Josue* VI; et ex ejus mandato viri Samariæ occiderunt 70 filios Achab, IV *Regum* I; et Abraham prompte obedivit Dei præcepto, quando mandavit ei ut occideret dilectum et innocentem filium suum Isaac, *Genes.* XXII. (39. An autem judici liceat condemnare ad mortem probatum nocentem, si scientia privata noverit innocentem; vide verb. *Judex.*

(40. Innocens ad mortem capiendus a satellitibus scientibus ipsius innocentiam, potest eos licite occidere, si aliter nequeat se defendere. Si autem satellites nescirent eum esse innocentem, uti ordinarie scire non possunt, non posset eos licite occidere, quia bonum commune postulat, ut non inferatur damnum ministris bona fide publicum officium exercentibus; Molina, Dicastill. et alii cum Stephan. tom IV, d. 5, num. 10, la Croix lib. III, part. I, num. 815 (56).

(41. Sic incarceratus innocens nequit licite occidere custodes carceris, ut effugiat; Communis, cum Lugo disp. 40, sect. 4 : la Croix loc. cit. (42. Nec ducti ad supplicium possunt licite occidere carnificem, aliosque ministros, ut evadant; Communis. (43. An autem bannitus possit se defendere et aggressorem occidere? et an ipse bannitus possit licite ab aliis occidi? Vid. verb. *Bannitus.*

(44. Non licet auctoritate propria et privata occidere extra causam necessariæ defensionis; Communis. (45. Nec licet patri filiam, aut marito uxorem in adulterio deprehensam occidere; Communis hodie, ac certa. Ab Alexandro enim VII, die 7 Septembris 1665, merito damnata est sequens propositio 19, in ordine : « Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. » (46. Uxor et adulter possunt licite se defendere, et cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere maritum, a quo ad mortem injuste invaduntur; quamvis enim invasioni dederint occasionem adulterando, injuste tamen invaduntur ad mortem, adeoque juste se defendunt; Viva ad d. propositionem 19 Alexandri VII, num. 12, et alii passim. (47. Licitum est tamen matronæ honestæ, sicut et virgini violentum aggressorem, stupratorem, oppressorem, si nullo alio modo vim impedire aut declinare possit, occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ; Communis, arg. cit. *juribus* sub num. 27 et 29.

(48. Auctoritate propria et privata non licet occidere principem suum tyrannum, seu tyrannice populum regentem; in concilio enim Constantiensi definitum est, hæreticum esse asserere licitam esse privato occisionem tyranni. (49. Nulla auctoritate humana, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, licet se ipsum directe occidere; Communis ex cap. *Si non licet*, 9, caus. 23, q. 5, ubi sic expresse habetur : « Profecto etiam qui se ipsum occidit, homicida est. » Et ratio est, quia homo est solum custos, et usuarius propriæ vitæ, nec habet jus et auctoritatem in ipsam, cum non sit ipse dominus absolutus propriæ vitæ, sed Deus ex XVI *Sapientiæ*, et XXXII *Deuteronomii;* ut ex verbis relatis sub num. 38. (50. Dicitur autem notanter, secluso Dei mandato aut instinctu divino, quia hoc interveniente licitum est homini se ipsum occidere, ut de facto licite se ipsos occidisse creduntur quotquot sancti, vel sanctæ in sacris Scripturis, vel Historiis commendantur, ut Sampson *Jud.* XVI, Eleazarus I *Machabæor.* VI, vers. 45, Razias II

(56) Quod intersit discrimen inter innocentem ad mortem condemnatum, qui se defendit a satellitibus, ipsius innocentiam scientibus, et illum, qui se defendit a satellitibus ipsius innocentiam ignorantibus, non intelligo. Satellitum enim scientia, vel ignorantia non adimit, aut restituit innocenti jus se defendendi a publicis justitiæ ministris. Rectius autem dicas nunquam innocentem resistendi jus habere publicis justitiæ ministris, vel sciant, vel ignorent suam innocentiam; in utroque siquidem casu supremæ potestatis simplices sunt executores, apud quam non privatorum armis, sed re ipsa, vel rerum gestarum rectitudine innocentia vindicatur; in civitate enim nemo sibi regulariter jusdicit. L. 5, ff. *de Acq. possess.*, l. 2, § 18, ff. *De vi bon. rapt.*, l. 7, 8, ff. ad l. Jul. *De priv.*, l. 13, ff. *Quod met.* (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Machabæor. 14, etc., S. Apollonia sponte in ignem insiliens, S. Pelagia, S. Sophronia et aliæ SS. feminæ ne pudicitiam amitterent se ipsas occidentes, vel in flumen, vel flammam præcipitantes, et sic de aliis similibus, ut late docet S. Augustinus lib. I *de Civit. Dei*, cap. 21, 26 et 40, et concordat textus cit. cap. *Si non licet* 9, caus. 23, q. 5. (51. Dicitur etiam notanter directe, quia indirecte licet aliquando se occidere, hoc est aliquid facere, vel omittere, ex quo præter intentionem mors certo sequatur, et ratio est; quia præceptum conservandi vitam, utpote affirmativum non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem. S. Thomas 2, 2, q. 64; Scotus in 4, dist. 14, q. 3, § *De secundo*, et communis aliorum, teste Reiffenstuel. Theolog. moral. tract. 9, de præcep. Decalog. dist. 2, q. 2, num. 11.

(52. Hinc resolves primo, posse, imo teneri militem tempore obsidionis muros conscendere, stationem suam non deserere, quamvis moraliter certus sit se occidendum ab hostibus. (53. Resolves secundo, posse, imo debere episcopum ut parochum, tempore pestis per se, vel per alium sacramenta peste infectis administrare, quamvis sit moraliter certus sese etiam ad mortem inficiendum. (54. Resolves tertio, posse uxorem ad consolationem mariti peste infecti assidere ejus lecto, religiosos, et alios posse hujusmodi peste infectis deservire, ex caritate, et amicitia, quamvis certo moraliter timeatur similis mortalis infectio. (55. Resolves quarto, posse aliquem ad fugiendum incendium ex alto se præcipitem dare, cum certo periculo mortis. (56. Resolves quinto, posse aliquem ad evertendam turrim hostilem, aut ad perdendos hostes, pulverem incendere, ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicæ damno. (57. Resolves sexto, posse aliquem licite se objicere telo vel ictui ad servandam vitam regis vel principis, vel in naufragio tabulam cedere amico naufraganti, vel morti se offerre pro injuste damnato ad ipsam. (58. Resolves septimo, licere mortem potius tolerare ex actu virtutis heroicæ, quam injustum vitæ aut honoris invasorem occidere. (59. Resolves octavo, posse reum licite non fugere, quamvis adsit commoditas : imo etiam sponte se sistere judici plectendum; velle enim tolerare pœnam peccati proportionatam est actus virtutis. (60. Resolves nono, licere carnem vigiliis, abstinentiis, mortificationibus, flagellationibus moderatis affligere, quamvis inde vita sit abbrevianda (57). (61. Resolves decimo, licere alicui abstinere a matrimonio, quamvis in cælibatu mori debeat ob indispositionem. Hinc commendatur ab Ecclesia S. Casimirus, qui maluit mori virgo, quam maritatus vivere. Sic resolvunt, et exemplificant Lessius lib. II, *de Justit. et jur.*, cap. 9; Fagundez tom. I, lib. V, cap. 11; Lugo disp. 10, sect. 1; Layman lib. III, tract. 3, c. 1; Busemb. lib. III, part. I, tract. 4, cap. 1, dub. 1; Henno tom. I, Tract. in Decalog., dist. 5, quæst. 3, artic. 2, conclus. 1 et 2, et alii passim.

(62. Se ipsos occidentes an et quando privandi sint ecclesiastica sepultura? Vid. verb. *Sepultura.*

(63. Clericus homicida incorrigibilis debet deponi et tradi curiæ sæculari, ut moriatur; cap. *Si quis*, 1, *de Homicid.* Fagnan. ibid., num. 3. cum aliis ibi citatis. (64. Clericus homicida ex proposito debet deponi ab altaris ministerio. Abbas Siculus Joann. de Anan. Marian. Socin. quos citat et sequitur Fagnan. in dict. cap. *Si quis*, num. 6. (65. Clericus homicida voluntarius etiam occultus ex concil. Trid. cap. 7, sess. 14, omni ordine, beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo carere debet, Fagnan. in cap. *Henricus* 2, *de clericis pugnantib. in duello*, num. 22. (66. Ipse tamen clericus homicida voluntarius, ejusque socius obtinere, et obtentas restituere potest pensiones absque dispensatione, non obstante d. cap. 7, sess. 14, conc. Trid.; Fagnan. lib. I Decretal., in cap. *Ad audientiam*, 31, de Rescriptis, num. 134, ubi refert sic declarasse sacr. congregationem Conc. die 11 Jul. 1577, et iterum de mente sanctissimi, die 8 Augusti, eodem anno 1577.

(67. Homicidæ damnati, sive diffamati, quamvis remissi fuerint, non possunt habere officia, dignitates, nec testimonium ferre. Pius II, Constit. 2, incip. *Ad retinendas.* (68. Homicidæ non sunt remittendi in loca, ubi degunt hæredes occisi, nisi habita pace. Pius IV, constitut. 52, incip. *Etsi cuncta.* (69. Homicidium commissum a laico, qui postea effectus est clericus, non punitur quoad personam nisi a judice ecclesiastico; sac. congr. Immunit. sub die 7 Decemb. 1632. (70. Sic clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio fori quoad personam tantum; ead. sacr. congregat. Immunit. in Gravinen. 7 Julii 1669. (71. Homicidium committi mandans in personam unius, si committatur in personam alterius, non incurrit irregularitatem quæ contrahitur ex homicidio voluntario : sac. con. Concil. referentib. Nicol. Garzia, Armendar Campan. Riccio, apud Barbosa in

(57) Quamvis enim vir christianus (verba sunt Nat ab Alexand. theol. Dogmat. moral. l. 4. de Decal. cap. 7, art. 4, reg. 7) corpus suum castigare debeat, et in servitutem redigere, ne caro petulans adversus spiritum ita concupiscat, ut ipsum pertrahat ad serviendum legi peccati; quamvis debeat mortificationem Jesu in corpore suo circumferre, quamvis blandiri sibi ipsi non debeat nimisque timere, ne « Jejunium, quod animabus, corporibusque curandis salubriter institutum est, et medicinalis parcimonia » (ut Ecclesiæ verbis utar), suæ noceat valetudini; prudentia tamen christiana, sine qua non est vera « pietas ad omnia utilis, et promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ, » studia, labores, jejunia, vigilias, cæterasque corporis mortificationes moderari debet, ut castigetur corpus, dometur caro, non destruatur; ut ad serviendum Deo promptior sit homo, et alacrior, non ut impotens ad officia sui status obeunda reddatur; ut animus a vitiis purgatus et pravarum cupiditatum vinculis expeditus et liber ad Deum erigatur, non ut fatiscentis et oppressi corporis pondere prægravetur ac deprimatur. (Ed. Bar.)

Digitized by Google

Summ. apostolic. decis. verb. *Homicidia, Homicidium*, n. 4. (72. Homicidium vere casuale, cum nulla penitus admissa fuerit culpa, et in quo non dabatur opera rei illicitæ, non facit quem irregularem; sac. congreg. Concil. test. Armendar. et Barbosa loc. cit., num. 5. (73. Homicidium committens veneno non gaudet immunitate ecclesiastica; sac. cong. Concil. sub die 3 Decembris 1632; apud Barbosa loc. cit., num. 7. (74. Homicidii appellatione non venit mutilatio membri; sac. cong. Concil. apud Nicol. Garziam, Lezanam et Barbosam loc. cit., num. 6.

(75. Lictores, vel satellites nequeunt licite occidere malefactorem, quem jussi sunt comprehendere, nisi conjunctim concurrant sex circumstantiæ sequentes. I. Debent satellites, seu lictores habere certum et speciale mandatum a magistratu de capiendo illo. II. Capiendus debet armarta manu resistere. III. Debent ab ipso, si evadat, graviora mala timeri. IV. Capiendus debet de crimine sufficienter esse diffamatus. V. Crimen debet esse atrox et capitale. VI. Capiendus non debet posse ullo modo alio capi. Si autem una ex dictis circumstantiis desit, non possunt satellites licite occidere reum volentem se ex eorum manibus eripere. Sic Jul., Clar., Farinac., Fachin. apud Dian., part. VIII, tract. 7, resolut. 44, et alii.

(76. Alia quoad homicidas et homicidia. Vid. verb. *Bellum*, *Fratricida*, *Immunitas Ecclesiastica*, *Maritus*, *Parricidium*, *Mater*, *Matricida*, *Uxor*, *Uxoricidium*.

(77. Homicida quando incurrat, vel non irregularitatem? vid. verb. *Irregularitas*.

(78. Homicida quoad restitutionem. Vid. verb. *Restitutio*.

(79. Homicidium proditorium ad hoc ut probetur tale, requiritur amicitia præcedens; sacr. congr. Immun. in Beneventana 18 Aug. 1637, lib. III Decret. Paul., p. 39.

(80. Non constat de qualitate proditoria, per hoc quod occisus et occisor dormierint, et luserint simul uno aut altero die ante homicidium, cum, ut fatetur reus, secutum sit ex inopinata rixa; et ideo extractus est restituendus; ead. sac. congr. Immun. in Oritana 23 Junii 1695, lib. I Decret. Vallem., pag. 57.

(81. Quando constat de qualitate proditionis in Homicidio, extractus gaudet, et est restituendus. Ead. sac. congreg. die 30 Sept. 1634, l. script. vel pag. 38.

(82. Committens Homicidium, quod non sufficienter probatur esse exceptum in bulla, gaudet immunitate. Ead. sacr. congreg. Immunit. in Amaltaphina 28 Septembr. 1660, lib. Decret. Rocci, pag. 285, in Neapolitana 18 Novembr. 1687, lib. Decret. Mart., pag. 186.

(83. Idem dicito de Homicidio insidiose commisso in palatio episcopi; ead. sac. cong. in Neapolitana 7 Sept. 1688, d. l., pag. 334.

(84. Indiciatus graviter, sed judicialiter negativus de Homicidio proditorio, gaudet immunitate ecclesiastica, sed cum sanctissimo agitur pro pœna extraordinaria, quæ non excedat triremes ad quinquennium; et sanctissimus votum exsequi mandavit; ead. sac. cong. Immun. in Firmana 11 Januar. 1695, l. decr. Vallem, p. 166.

(85. Reum Homicidii proditorii et nefandæ libidinis curiæ sæculari puniendum concedit sac. congreg., hac tamen conditione, ut si coram judicibus indicia per torturam purgaverit, Ecclesiæ restituatur; ead. sac. cong. Immun. in Neapolitana 14 Novembr. 1630, lib. II Decret. Paul., pag. 62.

(86. Clericus extractus reus Homicidii proditorii in personam sacerdotis, probati quidem a testibus, sed quoad qualitatem proditionis non confessi a reo allegante causas inimicitiæ, condemnatur annuente sanctissimo in pœnam extraordinariam, quæ non excedat decennium, ad triremes; ead. sac. cong. Immun. in Policastr. 13 Maii 1692, lib. Decret. Grimaldi, pag. 131.

(87. Aliquando Homicida extractus, quem sac. cong. declaravit gaudere immunitate, annuente sanctissimo attentis gravibus circumstantiis, consignatur curiæ legationis pro pœna extraordinaria ad triremes, quæ non excedat quinquennium; ead. sac. cong. Immun. in Bonon. 25 Martii 1658, l. Decret. Rocci, pag. 76.

(88. Homicidium commissum in loco immuni in personam clerici quindecim annorum inservientis confugito inimico occisorum ex motu iracundiæ, non invento confugito non est casus exceptus in bulla; attamen ex gratia occisores conceduntur curiæ laicæ citra pœnam sanguinis; ead. sac. cong. in Neritonen. 4 Decemb. 1629, lib. II Decret. Paul., p. 18.

(89. Idem dic. de Homicidio clerici patrato ab homine commorante in domo ejusdem clerici, inter quos præcesserant altercationes, ead. sacr. cong. Immun. in Anagnina 22 Jan. 1704, leg. 3, Decret. Vallem., pag. 550.

(90. Præcipitur vicario generali ut conficiat processum super qualitate Homicidii prætensi proditorii cujusdam regularis laici, et transmittat, et interim caute custodiat in carceribus episcopalibus; ead. sac. cong. Immun. in Cassanen. 29 Octob. 1672, l. I Decr. Alt., pag. 745.

(91. Contra clericum, qui post proditorium sacerdotis Homicidium confugit ad conventum religiosorum, injungitur episcopo, ut procedat ad formam bullæ Greg. XIV; ead. sac. cong. Immun. in Oppidana 4 Novembris 1639, lib. I Decret. Vallem., pag. 84.

(92. Sanctissimus tribuit legato Bononien. facultatem procedendi contra clericum ob Homicidium patratum cum assistentia personæ pertinentis ad eumdem clericum; ead. sac. cong. Immun. in Bonon. 26 Novemb. 1695, d. lib. p. 230.

(93. Injungitur vicario apostolico, ut incumbat carcerationi complicis Homicidii in ecclesia patrati; ead. sac. congr. Immun. in Sorana 5 Maii 1699, lib. II Decret. Vallem., pag. 219.

(94. Hodie supradicta decreta ac alia intelligenda sunt juxta novissimam constit. Benedicti XIII, incip. *Ex quo*, allata sub

Digitized by Google

verb. *Immun.*, art. 2, n. 90, et juxta novissimam constit. Bened. XIV, incip. *Officii nostri*, allatam eod. verb. *Immunitas*, art. 2, n. 157.

(95. Homicidæ quantumlibet privilegiati (salva exemptione patentatorum S. Officii, et curiarum episcopalium) non gaudent privilegio *Fori* in statu ecclesiastico, et in aliis ad quos extensæ fuerunt constitutiones hac de re editæ. Benedictus XIV, tom. I Constit. 88, incip. *Alias*, § 1. (96. Homicidæ si tonsurati sint, non beneficiati, licet servantes præscripta concilii Tridentini, privantur privilegio *Fori* post duo homicidia; idem ibid. § 2. (97. Si sint clerici in minoribus non beneficiati, nec servantes præscriptam concilii, non gaudent privilegio *Fori* in hisce causis atque etiam expleta delicti pœna, eodem privilegio privati censentur; idem ib.

(98. Homicidium deliberatum patrantes laici non gaudent immunitate ecclesiastica in statu Ecclesiæ, aliisque ut supra; idem ib., § 3. (99. Item ecclesiastici cujuscunque ordinis; idem ibid. Item mandantes, adjuvantes, consulentes, instigantes aut aliam operam occisori præbentes, tam laici quam ecclesiastici; idem ibidem § 4. Item inquisiti, banniti et damnati de homicidio in contumaciam; idem ibid.

(100. Cum homicidis, et bannitis etiam in casu homicidii voluntarii major pœnitentiarius potest dispensare, ut religionem approbatam etiam tanquam clerici ingredi possit, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua bulla *Pastor Bonus*, tom. I Bull., num. 95, § 17.

Alia ad rem vide verb. *Propositiones damnatæ*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

101. Variat tum pœna Homicidii, tum pœnitentia a jure ecclesiastico irrogata, pro varietate circumstantiarum ejusdem Homicidii. Qui furem vel latronem interficit, distinguitur, utrum comprehendi sine occisione potuerit, quo casu furem occidendo graviori pœnitentiæ subditur, an vero sine odii meditatione se, suaque liberando eum interfecerit? qui merito ab omni pœnitentia fere immunis est; c. 3 *de Homicid.* Etiam in foro criminali pœna extraordinaria leviori afficitur.

(102. Pariter secundum jus divinum, Ecclesiasticum et sæculare, fur nocturnus impune occidi valet, diurnus autem non aliter, quam si telo se defenderit; c. 3 dict. tit. *de Homicid.*, l. 54, § 2, ff. *de Furt.* l. 9, ad l. Cornel. *de Sicar.*

(103. Ex hoc principio de fure diurno licite non occidendo formavit Pontifex decisionem in cap. 18 *de Homicid.* Quidam presbyter grave vulnus inflixerat furi deprædanti Eucharistiam cum ornamentis altarium, et libris ecclesiasticis, quem acclamatione facta parochiani occiderunt. Fuit quæsitum, an hac percussione irregularis factus esset necne? Distinxit Pontifex, utrum constet vulnus inflictum a presbytero non fuisse lethale, ut ex eo haud periisset; si secuta haud fuissent aliorum vulnera. Quo casu a sacerdotali

officio non removetur. An vero vulnus lethale repertum fuerit: tunc enim pro homicida et irregulari habendus. Qua censura etiam notandus, si discerni nequeat ex cujus ictu percussus perierit.

(104. De occiso in concurso, tum etiam in conspiratione, vide quæ habet Alexander III in c. dict. titul. *de Homicid.*

NOTA ROMANI THEOLOGI.

(105. Ad moderamen illud inculpatæ tutelæ, quod culpa vacet, non sufficiunt conditiones ab auctore positæ. Quarta addenda est, quam ex Antoine desumo Tract. de Justitia et Jure, p. 3, c. 2, quæst. 6. Requiritur ut nihil ex odio, neque ex animo vindictæ fiat, et ut non intendatur per se mors invasoris, sed sola vitæ propriæ conservatio per justam sui defensionem. Quia occisio hominis privata auctoritate facta, non est finis licitus nec medium per se necessarium ad sui defensionem; sed est tantum aliquid consequens per accidens ex necessitate finis, qui est vitæ conservatio. Vid. S. Thom. 2, 2, quæst. 64, art. 7. Cæterum in praxi percussio, et occisio injusti vitæ aggressoris raro vacat culpa, quia fere nunquam servantur conditiones ad licitam defensionem requisitæ. Et ideo aliqui Patres occisionem sine publica auctoritate factam indefinite damnant: scilicet ob periculum vindictæ et excessus in modo defensionis, vel ob intentionem directam occidendi. Hac prælucente doctrina, invenies, lector, quid corrigas n. 40, 44 et 47.

(106. Circa hominis occisionem, Auctor fatetur natura ac divina lege positiva prohibitam esse, quam ob rem negare non potest, vetitum esse homini vel alterius hominis occisionem; cum id Dei præcepto opponatur. Deinde in defensione, quam velle unice debet, qui pro sui conservatione pugnet, ut licita sit; non solum odium, atque vindictæ desiderium abesse oportet, sed servari quoque debet præceptum charitatis, quo jubemur ita erga alios homines nos gerere, ut parati simus *pro fratribus animam ponere*, Joan. Epistol. 1, cap. 3. Hæc sane comperta Christianis omnibus esse debent, et in dubium salva Religione revocari non possunt. Atque hinc habes, quam æqua sit damnatio propositionum 31, 32 et 33, facta ab Innocentio XI, in quibus licita asseritur hominis occisio pro unius aurei conservatione, pro defensione juris quod habemus ad rem aliquam possidendam, vel pro tollendo homine injuste impediente possessionem rei, quæ nobis debeatur. Quis enim non videt, hujusmodi occisionem pugnare cum præcepto Dei, quo jubemur homines sicut nosmetipsos diligere cum charitate, qua Christus Dominus paratos nos esse voluit ad ponendam animam pro fratribus nostris, atque etiam cum justitia, quæ vetat, pro re, quæ nostra est, conservanda, vitam tollere, quæ Dei est, qui ipsam dedit, et conservat, et quia inter vitam, et rem nulla proportio est, cum vita longe melior atque excellentior sit omni pecunia, atque re pecunia comparanda. Accedit etiam, vix, et ne vix quidem sperari

Digitized by Google

posse, ut homo defensionem rei suæ eo furore suscipiat, ut usque ad occisionem progrediatur, quin odium, iram, et vindictæ desiderium habeat. Hæc omnia consideranda sunt dum de Homicidio licito, vel illicito disputatur. Si vero ita spectatur, vix casus inveniri poterit, in quo licitum reputetur, sive a lethali culpa immune. Videant ergo probabilistæ nostri casus metaphysicos fingentes, ut quidpiam in favorem homicidii afferre possint, videant, quam latam perditioni viam aperiant, docendo posse homines pro rei defensione, pro tuendo honore, etc., hominem occidere! Sed

Veniam ad rem : ait Auctor licere occidere aggressorem pro re tuenda magni momenti. Itane licitum est pro re tuenda magni momenti perdere animam Christi sanguine redemptam ? Nam cum aggressor ille in peccato mortali actuali sit, occidendo illum illius animam perdit. Deinde estne proportio rem inter et vitam? Nulla sane; ergo sicut non licet pro unius aurei defensione aggressorem occidere, ita non licet pro re magni momenti; cum nulla res sit, quæ tanti valeat, quantum vita hominis. Hinc plures gravissimi auctores negant licere unquam latrones occidere pro servandis, aut recuperandis bonis temporalibus; ita Joannes Bajardus Lovaniensis, qui quodlibet. 7, testatur an. 1510, hanc opinionem fuisse communem inter theologos, et canonistas; ita Fagnanus ad cap. *Interfecisti*, *de Homic.* ubi ait : « Secundum canones in foro saltem pœnitentiali, et quoad Deum absolute credimus, non posse laicum sine peccato occidere spoliatorem. » Ita Henricus a S. Ignatio, qui plures antiquos theologos pro hac opinione laudat; Ita denique Pontas, Concina et alii ab istis citati.

Aiunt bona temporalia media esse ad vitam alendam, ideoque ut vitam, ita et bona hæc defensione occisiva tueri possumus. At si bona ita accessoria sint pro vitæ conservatione, ut nihil omnino supersit ad vitam sustentandam, tum defensio non pro solis bonis, sed pro vita etiam suscipitur; et licita esse poterit si solam defensionem intendat. Ubi vero bona pro vita sustentanda supersint, quis dicat licite posse hominem occidere sive vita privare alium hominem, pro re conservanda, sine qua propriam vitam conservare valeat? Nam ulla proportio est inter bona illa, quæ humana industria acquiri iterum possunt, et vitam, quam solus Deus dedit atque conservat.

Addunt *Exodi* XXI probari occisionem furis; sicut probatur in jure canonico cap. *Interfecisti* : ubi immunis declaratur a culpa, « qui sine odii meditatione, se et sua liberando, diaboli membra interfecerit. » Sed præsto responsio est. Nam Scriptura loquitur de fure nocturno, in quo non solum auferendi bona, sed etiam occidendi voluntas præsumitur. Idque ex immediato contextu colligitur : « Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. » Homicidii igitur reus est qui furem diurnum occidit, pœnaque mortis plectendus. At ejusdem valoris sunt bona, sive diu, sive noctu auferantur. Non ergo ob solam bonorum ablationem permissa est nocturni furis occisio (alioquin etiam fur diurnus permitteretur occidi), sed ob præsumptionem voluntatis in ipso conjungendi furtum cum homicidio; P. Calmet in commentariis ad citatum textum hæc animadvertit : « Licere nocturnum furem interimere, quod rationabiliter vereri possumus, quod nobis vitam velit eripere. Hæ veluti reliquiæ sunt veteris juris omnibus hominibus communis quo licebat ob acceptam injuriam ulcisci, antequam populi jus suum in principum ac ministrorum manu deposuissent. Leges in hoc casu tantummodo in privatorum manu collocant arma, ut queant interficere in persona illorum qui eos noctu aggrediuntur, non modo privatos inimicos, verum etiam publicæ quietis hostes; atque in hoc sensu afferri potest, eos nequaquam occidere privata auctoritate, sed legitima magistratuum legumque auctoritate, quæ depositariæ sunt juris, quod habet Deus super hominum vitam. Hæc homicidiorum genera Ecclesia patitur, nec desunt scholastici, atque interpretes, qui doceant, salva conscientia, furem interimi posse, vel alium quempiam, qui nos aggreditur vitam abrepturus, cum jacturam illius aliter nequeamus effugere. Sed Augustinus optime ait lib. 1 de *Lib. arb.*, cap. 5 : « Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quomodo ipsos qui interficiunt defendam, non invenio. » Re quidem vera quinam justificari potest hominem interficiens, ut servet ea, quæ religio nos aspernari vult? Evangelium patientiam prædicat, et Patres docuere semper, non licere quemquam interficere. Homicidium voluntarium generatim damnat, et sine ulla restrictione. » Hactenus P. Calmet. Judicium meum in animadversione sub finem diss. adjicienda exponam. Ad textum allatum ex Cicerone respondent, Romanos tulisse leges, quæ privatis permittebant occisionem furum, qui simul vitæ insidiabantur. Patet ex l. 9 ad legem Corneliam : « Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuerit. » Nihil ergo emolumenti hinc colligere adversarii valent. Imo ipsæ civiles leges improbant occisiones latronum, qui absque vitæ hominum periculo bona temporalia surripiunt. Accedit, supremas potestates legem condere posse, qua subditis licentiam faciant occidendi publicos Reipublicæ perturbatores, et facinorosos homines, qui civili commercio insidiantur. Ad canonum testimonia facilis et obvia responsio est. Siquidem cap. *Interfecisti* sermo est de invasore, non bonorum modo, verum etiam vitæ : dicitur enim *te tuaque*. Distinctio, quam huic textui assignant probabilistæ arbitraria est. Quare perdoctus Fagnanus animadvertit, primam particulam illius textus, « Interfici furem, aut latronem » explicari debere per posteriorem, juxta textum in leg. *Quemadmodum*, ita ut sensus sit : Si interfecisti furem, qui te tuaque invaserat; qui tamen comprehendi

Digitized by Google

poterat absque occisione, age pœnitentiam : si autem comprehendi minime poterat, et tu interfecisti, te, et tua liberando; pœnitentiæ non astringeris nisi ad cautelam. Aliud caput nullum facessit negotium. Quippe ibi sermo non est de occisione, sed de expulsione usurpatoris citra occisionem. Quod adeo verum est, ut Pontifex decano Aurelianensi approbaverit usum armorum spiritualium adversus præpotentem invasorem. Ut quid autem confugisset decanus ad excommunicationem et interdictum, si licitam existimasset corporalem occisionem?

(107. Clemens XII constitutione, quæ incipit : « In supremo justitiæ solio, » approbavit, confirmavit, innovavit, et adversus quemcunque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, et allegari potuisset, restituit, et plenarie reintegravit, et deinceps observari omnino, et inviolabiliter mandavit, omnes et singulas Constitutiones adversus homicidas saluberrime editas a Pio II, Paulo II, Sixto IV, Julio II, Leone X, Julio III, Pio IV, Pio V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Innocentio XI, Innocentio XII ac Benedicto XIII, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus. Præterea decrevit, ut deinceps privilegiatis, vulgo patentati, in causis homicidii non suffragetur privilegium Fori, exceptis tamen « officialibus, aliisque privilegiatis a congregatione pro tempore existentium ejusdem sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium inquisitorum, ac ministris actu inservientibus archiepiscopis, ordinariis, eorumque curiis, » quorum numerus, et qualitates Summo Pontifici præfiniendæ reservantur. Item voluit, ut clerici tonsurati non beneficiati, pro *duobus* homicidiis, privilegio Fori et canonis priventur; et ut clerici in minoribus ordinibus constituti, et non beneficiati tam cælibes, quam conjugati, si præscripta a concilio Tridentino non servent, eodem privilegio priventur; sed ab ordinario declarandum esse constituit, utrum præscripta a concilio servaverint, « non retardata tamen rei assecuratione. » Rursus decrevit ecclesiasticos æque ac laicos, Homicidii præmeditati reos non gaudere immunitate ecclesiastica; ecclesiasticos vero ab eorum judice ecclesiastico judicandos, et citra pœnam sanguinis juxta sacros canones puniendos. Ulterius declaravit, Benedicti XIII constitutionem extendi quoque ad mandantes, adjuvantes, etc., atque ad natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis, tam laicos quam clericos. Voluit tamen, ut illorum extractio a loco immuni, atque traditio curiæ sæculari, quoad laicos, ad ejusdem curiæ sæcularis requisitionem, fiat a curia ecclesiastica, et quoad clericos, ab ipsa curia ecclesiastica ex officio omnino extrahantur. Extenditur quoque adinquisitos et damnatos de homicidio in contumaciam, dummodo homicidium non fuerit casuale vel ad propriam defensionem.

Denique ordo præscribitur servandus in extrahendis reis a loco immuni. Si reus per sententiam jam damnatus sit, vel sufficientia suppetant ad capturam indicia, dum delinquens sit clericus, judex ecclesiasticus ex officio ac nomine etiam requirente, si vero sit laicus, postquam sæculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu loco immuni, implorato etiam si opus sit auxilio brachii sæcularis, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ, devenire teneatur, extractumque ad suos, si tuti, et securi fuerint : si minus, ad curiæ sæcularis carceres asportari, ibique sub tuta custodia detineri curet, et faciat. Ubi vero ex processu informativo, quoad inquisitum nondum condemnatum, indicia acquisierit sufficientia tantum ad torturam, atque noverit ab extracto a loco immuni homicidium exceptum patratum fuisse, judex ecclesiasticus declarare debet constare de casu excepto; et deinde extractum, si laicus sit, curiæ sæculari, si autem clericus, ejus competenti judici ecclesiastico tradere debeat, exactis tamen receptisque in actu traditionis, et consignationis hujusmodi a judice sæculari juramento, ab ecclesiastico vero promissione in verbo veritatis de restituendo extractum e loco immuni sub pœna excommunicationis Romano Pontifici reservatæ, dummodo extractus in defensionibus præfata indicia elidat et diluat. At si reperiatur reus, a judice suo, ut supra dictum est, puniri debet. Quoad condemnatos vero in contumaciam ante extractionem, voluit, ut a judice ecclesiastico examinetur, num contumacialis sententia legitime et juste prolata fuerit, et num consignandus veniat, nec ne, et exactis ac receptis juramento et promissione ut supra, tradendum decernit, ea lege, ut si in defensione sceleris indicia diluerit, loco immuni restituatur sub pœna ut supra; quin tamen lata per judicem ecclesiasticum super immunitate sententia in alio judicio robur habeat ullum. Hæc constitutio a Clemente XII, pro ditione Romano Pontifici subjecta emanata a Benedicto XIV extensa fuit ad ditionem reipublicæ Lucanæ et in concordatis ad alias ditiones.

Quoniam vero ex prædictis constitutionibus nonnulla oriebantur dubia, Bened. XIV constit. quæ incip. *Officii nostri*, de medio illa tollere voluit, ac primum circa personas declaravit, hujusmodi Constitutionibus comprehendi *omnes et singulos cujuscunque ordinis, congregationis, militiæ, et instituti regulares, tam in ipsis expresse professos, quam illis quomodolibet ascriptos cujuscunque gradus*, etc., item mulieres, ac etiam milites quin ullum militare privilegium suffragari ipsis possit, aut debeat. Deinde comprehendi voluit Homicidium quodcunque etiam baculo aut saxo commissum, ubi « ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, et nocendi animo ac voluntate prodiisse. » Si vero percussus statim non moriatur, sed chirurgus ad inspiciendum vulnus accitus, grave vitæ periculum adesse referat, decernitur, ut percussor e loco im-

Digitized by Google

muni ad quem confugerit, servatis servandis, extrahatur, et carceribus mancipetur, « hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, » et quidem sub pœnis, quas supra recensuimus. Ut vero facilius per episcopos hujusmodi constitutiones executioni demandentur, præcipit omnibus episcopis, ut solliciti sint in iis exsequendis, quæ adversus hujusmodi reos præstanda sunt, ac facultatem concedit, « ut, quoties in hujusmodi casibus pro parte curiæ laicalis requisiti fuerint, vicariis suis foraneis, sive etiam aliis personis ecclesiasticis ad id per ipsos antistites deputandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridice colligant; ut, his nimirum inspectis, iidem antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant. »

RESPONSIO AUCTORIS.

(108. Advertendum est, quod omnes constitutiones pontificiæ hic a theologo ad rem citatæ, jam fuerant a me ad litteram adductæ: nempe constitutio Bened. XIII incip. *Ex quo* in verb. *Immunitas*, art. 2, numer. 90; constitutio Clementis XII incipien. *In supremo justitiæ solio* in supplementis ad verb. *Immunitas;* constit. Bened. XIV incipien. *Officii nostri*, in supplementis ad dict. verb. *Immunitas;* atque alia ejusdem Pontif. incipient. *Detestabilem*, in supplementis ad verb. *Propositiones damnatæ* (in prioribus editionibus; in præsenti vero in supplementis ad verb. *Duellum*), e quibus abunde et clare potest prudens lector colligere omnia quæ circa Homicidas et Homicidia sanctissime sancita sunt.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(109. Quanquam recte dicatur non licere marito uxorem in adulterio deprehensam occidere, tamen si quando subita comprehensus ira adulteram confodit, pœna legis Corneliæ propter justum dolorem remittitur, nec ultimo plectitur supplicio; placuit nihilominus, quia plus fecit quam facere debuerat, dum leges privatam vindictam prohibent eum, si humilis loci sit in opus perpetuum tradi, sin honestior in insulam relegari. L. *si Adulterium* 38, § *imperator.* 8, ff. ad l. Jul., *De adult.*, adde tit. ad leg. Jul. *De adult.*, num. 13 et 14. Voet. ad Pand. ad l. Cornel. *de Sicar.* lib. XLVIII, tit. 8, § 9, in med. Quoad sane privilegium extendendum non est ad eos, qui irarum æstu fluctuantes Adversarium prosternunt. Nam quanquam impetu, et propositio delinquere inter se differant l. *Perspiciendum* 11, § *Delinquitur* 2, ff. *de Pœnis*, non tamen impetu delinquentes extra dolum sunt, siquidem in his neque judicium, neque assensus animi, neque voluntas deest. Vide Seneca lib. II, *De ira* cap. 1. Quæstionem opportune movet Zoesius in Pand. lib. XLVIII, tit. ad leg. Cornel., num. 56; an adulter, qui causavit mortem adulteræ deprehensæ per maritum, Homicidio teneatur.

(110. Recte affirmativam sustinet Navarr. cap. 27, num. 239, dicens talem sententiam fuisse comprobatam a Pio V, quanquam hanc opinionem non indistincte amplectitur Zoes. loc. cit.; sed tunc duntaxat quando adulter temere et incaute ad uxorem alienam accessit. Utrumque vide.

(111. Sed non semper causale et voluntarium est Homicidium. Interdum est accidentale, seu casuale, et involuntarium, illudque est, quod casu prorsus fortuito, nulla præcedente culpa contingit, impunitum plane est uti ex pluribus exemplis in tit. de leg. Aquilia recensitis; nec male huc reduxeris cædem, vel ab infante, vel a furioso patratam, quorum primum innocentia consilii tuetur, excusat alterum fati infelicitas, qua satis punitus videtur, l. *Infans.* 12, ff. h. t. l. pen., § ult. ff. ad l. Pompei *De parricid.*: hoc tamen intelligo, dummodo furoris tempore, non dilucidi intervalli, cædes fuerit perpetrata. Confer. Carpzov. Pract. crimin., quæst. 145.

(112. Ulterius extra pœnam est, quicunque occidit lege permittente. Sic occidi impune potest fur nocturnus, cum sine periculo ei parcere non potuerit L. *Furem* 9, ff. h. t. junct. L. *Itaque* 4, § 1, ff. ad l. Aquil. *Transfuga*, L. *Ejusdem legis* 3, § ult. ff. h. t. perduellis. L. *Minime majoris* 35, ff. *de Religiosis*, etc., et cæteri quos vide apud Ant. Matthæum ad lib. XLVIII, tit. 8, ad l. Corn. *de Sicariis.*

(113. Nullam mereri pœnam homicidio commisso videtur ebrius æque ac furiosus; ebrietas enim æque ac furor voluntatem aufert. Ad id facit can. *Sane* XV, qu. 1, can. *Inebriaverunt* 9, qu. 1. Idque asserendum videtur vel ex culpa, vel ex casu fuerit quis inebriatus; quidquid enim de hoc sit, supponitur commissum Homicidium in statu, quo omnis deest volendi, vel nolendi ratio sufficiens. Neque obstat, quod homicidii actus sit modo illicito causatus, ebrietas enim non est per se ad homicidium ordinata, sed solum tanquam causa remota concurrit. Fuse de his, et de noctambulis, et de illis, qui amoris æstu hominem interficiunt consule Zoes. loc. sup. cit. a n. 59 ad fin., sed de hoc etiam fusius infra.

(114. Quod dicitur nihil ex odio, nihil ex vindictæ cupidine in sui defensione fieri posse, id adeo verum est, ut si quamvis tutus, tamen odio parcitus et vindictæ cupiditate flagrans, inimicum jam prostratum, jam a nocendo alienum vexes adhuc, et persequaris, injurius sis, eumque lædis. Vide quæ de hoc casu habent, Gail. de Pace public. cap. 16; Voet. in Pandect. tit. ad leg. Cornel. *de Sicar*, num 26. Ad magis magisque confirmandam propositionem, quod impune quis possit aggressoris morte defendere, vel uxorem, vel cognatum, etc., vel etiam extraneum, opportune referenda sunt quæ egregie scripsit Ant. Matthæus de Crim. n. lib. XLVIII, tit. 5, cap. 2, num 11 et 12: « Natura rerum inter omnes homines cognationem instituit, cujus vi, et ad opitulandum oppressis accurrimus, et irascimur opprimenti. Quod

Digitized by Google

si, cum quo humanitas communis est, etiam civitas nos junxerit, jam duplici vinculo ad opem ferendam astringimur : nefas est, ut ait Seneca, nocere patriæ : ergo civi quoque, quoniam pars patriæ est ; quod si nocere nefas, ergo opitulari fas est. Denique si quis cum prohibere crimen possit, non prohibuit, prope ipse id admisisse videtur, utique a pœna immunis esse debet, » qui prohibuit, vid. Gomes Var. resolut. tom. III, c. 3, n. 21. Berlich. Conclus. pract. p. 4, conclus. 12, n. 44. Carpzov. pract. crimin., quæst. 32.

HONESTAS PUBLICA.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, *art.* 2, *a n.* 20 *ad* 27.

HONOR.

Vide verb. DETRACTIO, *art.* 1, *n.* 3 *et* 4

HORÆ CANONICÆ.

Vide verb. OFFICIUM DIVINUM.

HORTATORIÆ.

SUMMARIUM.

Adducuntur Decreta sac. congregationis Immunitatis

1. Litteræ Hortatoriæ regiæ nequeunt decerni, relaxari, nec exsequi a laicis nedum contra episcopos, sed nec contra ecclesiasticos; sac. cong. Immun. in Gravinen. 10 Feb. 1632, lib. II Decr. Paul., p. 14 in Alexanen. 3 April. ejusdem anni, lib. II Decr. Paul., p. 120, in Cosentina 9 Octobris 1635, lib. II Decr. Paul., pag. 235.

2. Injungitur episcopo, ut respondeat cum libertate ecclesiastica ad litteras Hortatorias. Ead. sacra congr. Immun. in Hieracen. 22 Sept. 1692, lib. II Decret. Vall., pag. 78.

3. Aliquando, ut non curet de Hortatoriis regiis cum non sint de jure permissæ, et a sacris can. improbatæ. Ead sacr. congr. Immun. in Nuscana 15 Febr. 1633, lib. II Decr. Paul., pag. 151, et in Avellina 22 Julii d. anni, et lib., pag. 164.

4. Aliquando ut se abstineat respondere dictis litteris. Ead. s. c. Immun. Vicana 26 Julii 1644, lib. III Decr. Paul., p. 234, et in Boven. 5 Maii 1651, lib. IV Decr. Paul., pag. 146.

5. Aliquando, ut non pareat litteris ad audiendum verbum regium. Ead. sacr. congregat. in Lancianen. 22 Novembris 1633, lib. II Decretal. Paul., p. 176

6. Sic litteris Regiis de transmittenda nota clericorum archiepiscopus non pareat. Ead. s. c. Immunit. in Cosentina 17 Januarii 1634, lib. II Decret. Paul., pag. 181.

7. Pariter episcopi non debent attendere ad litteras regias, sed continuare in residentia suæ ecclesiæ. Eadem sacr. congregat. in Bojanen. 2 Novembr. 1639, lib. III Decr. Paul. p. 104, et 27 Augusti 1641, ibi, pag. 154.

8. Contra auctores, et complices dictarum litterarum episcopus conficiat processum. Ead. s. cong. Immunit. in Aliphana 27 Feb. 1674, lib. I Decr. Altoviti, pag. 901.

9. Sac. cong. annullat factum vicarii abbatialis vigore litteræ Hortatoriæ regiæ tanquam invalidum, suspendit ipsum a divinis, ac inhabilitat ad dictum officium, et alia quæcunque, etiamsi profiteatur se hæc fecisse ex mera ignorantia. Ead. sac. congr. Immun. in Nullius Cassiænovæ 13 Decemb. 1533, lib. II Decr. Paul., pag. 179.

10. Vicarius capitularis Acherontiæ contra ordines sanctissimi et sacr. cong. obediens litteris regiis de accedendo Neapolim, declaratur suspensus a divinis, privatur vicariatu, et inhabilitatur ad hujusmodi officia, et ei præcipitur, ne discedat ab urbe ; et decretum præfatum notificatur tam nuntio quam capitulo per litteras, quæ ad futuram rei memoriam retineantur in actis nunciaturæ et curiæ ecclesiasticæ Acheronticæ, et si non justificaverit allatam legitimam excusationem, inhabilitandus est etiam ad beneficia. Ead. sac. cong. 5 et 13 Jul. 1633, lib. II Decr. Paul., pag. 160.

11. Vicarius bene agit non parendo litteris ad audiendum verbum regium. Eadem sac. congreg. Immunit. in Catacen. 21 Septembris 1633, lib. II Decr. Paul., pag. 171.

12. Idem respondeat litteris regiis se procedere auctoritate sua ordinaria ad defensionem immunitatis ecclesiasticæ sibi a s. cong. demandatam. Ead. sac. cong. Imm. in Bovinen. 26 Feb. 1658, lib. Decr. Rocci, pag. 63.

13. Idem ob inobedientiam et transgressionem mandatorum sanctissimi de non discedendo ab urbe Neapolis, et de non relinquendo exercitio sui vicariatus ex quacunque causa, etiam positis quibuscunque minis, et præceptis ministrorum laicorum in contrarium, de ordine sanctissimi a nuntio auctoritate sua ordinaria condemnatur in pœnam suspensionis ab exercitio ordinum, et inhabilitatis ad dignitates, beneficia et officia ecclesiastica cujusvis generis, quocunque loco, a quibuscunque, et quomodocunque in posterum obtinenda sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, et quousque Sanctitati suæ placuerit. Ead. sac. cong. in Neapolitana 25 Maii, et 19 ac 30 Jun. 1660, lib. Dec. Rocci, pag. 257 et 259.

14. Scribitur nuntio Neapolis, ut statim per viam monitorii judicialis cogat episcopum Motulen. qui vocatus per litteras Hor-

Digitized by Google

tatorias regias ibi comparuit in quibusdam causis ecclesiasticis ante ministros regios, redire ad residentiam sub pœnis suspensionis, inhabilitatis, privationis ac aliis arbitrio, necnon mandet episcopo, ubi fabricatus fuit processus contra dictum episcopum per curiam sæcularem, ut ser. ser. procedat ad censuras, et pœnas canonicas contra omnes, qui hac in re quid gesserunt, necnon contra testes, qui se examinarunt. Insuper notificet ministris regiis, ut omnino se abstineant, et si paruerint, absolvat, sin minus, contra eos procedat fer. fer. remediis sac. can. et apostol. constitutionum, ac supradicta omnia registrare faciat una cum litteris sac. congreg. in actis tribunalis nunciaturæ, ut futuris temporibus appareat, S. sedem statim ac scientiam habuit horum omnium irritasse, ac impugnasse. Sac. cong. Imm. in Baren. 27 Jan. 1631, lib. II Dec. Paul., pag. 79.

Archiepiscopus Lancianen. procedere debet contra sacerdotem suæ diœcesis, sed domiciliarium civitatis Neapolis, ob litteras hortatorias obtentas, a magistratu laico ad prælatum archiepiscopum, ne deveniret ad collationem beneficii parochialis, sub prætextu, quod nominatio ejusdem spectaret ad quamdam ducissam, non obstante incompetentia curiæ archiepiscopalis Lancianen. a dicto sacerdote interposita, eo quia tanquam domiciliarius civitatis Neapolis esset subditus curiæ archiepiscopi Neapolitani, a qua super delicto sibi imputato jam obtinuerat absolutionem ex capite innocentiæ. Ead. sac. congreg. Immun. in Lancianen. 22 Februar. 1707, lib. Decr. Maraf.

HOSPITALE, HOSPITALARIUS.

SUMMARIUM.

1. Hospitale dicitur ab hospitibus, qui ibi gratis excipiuntur; ubi vero mercede soluta peregrini hospitantur, hospitium, vel diversorium appellatur. — 2. Hospitale est nomen generale pertinens ad omnem speciem hospitalitatis, cujuscunque generis illa fuerit. — 3. Unde quia variæ sunt species hospitalitatis, adducuntur hic sub propriis nominibus, et significatis. — 4. Xenodochium est locus ubi pauperes peregrini gratis recipiuntur. — 5. Ptochotrophium est locus ubi pauperes et mendici aluntur. — 6. Brephotrophium est locus in quo infantes pauperum aluntur. — 7. Orphanotrophium est locus in quo pueri orphani pascuntur. — 8. Gerontocomium seu Gerotocomium est locus ubi senes et valetudinarii, et propter senectutem solam infirmi homines curantur. — 9. Nosocomium est locus ubi ægroti curantur. — 10. Nosocomii ministri, qui ad ægrotantium curam adhibentur, parabolani in jure vocantur. — 11. Gopiophronium dicitur locus, ubi feminæ debilium sustentatrices habitant. — 12. Leprosariæ sunt loca seorsim ab aliis, in gratiam illorum, qui morbo lepræ laborant, segregata. — 13. elemosynariæ sunt loci, et reditus ad eleemosynas faciendas deputati. — 14. Loca pia generali omine hospitalia appellantur. — 15. Hospitalia quædam sunt Religiosa, seu Ecclesiastica, et quædam non Religiosa seu non Ecclesiastica, et quænam utraque sint? ad n. 16. — 17. Hospitale dicitur profanum, et privatum, quamvis in eo opera pietatis exerceantur. — 18. Differentia loci pii, et ecclesiastici assignatur. — 19. Hospitale fuisse erectum auctoritate episcopi colligitur ex pluribus quæ assignantur. — 20. Non existentibus dictis signis hospitale in dubio præsumitur laicale, et profanum, et non erectum auctoritate episcopi. — 21. Hospitalia auctoritate episcopi fundata, licet administrationem solum temporalem habeant, sunt materia simoniæ jure humano interdictæ. — 22. Hospitalia auctoritate episcopi fundata gaudent immunitate ecclesiastica. — 23. Hospitalium vero apothecæ locatæ usui prophano non gaudent immunitate. — 24. Hospitalia fundata sine auctoritate episcopi non sunt materia simoniæ. — 25. Nec talia hospitalia fundata sine auctoritate episcopi gaudent immunitate ecclesiastica. — 26. Hospitalia data in titulum vel administrationem si habeant beneficia annexa, vel reditus, aut proventus ecclesiasticos, tenentur ad seminarii contributionem. — 27. Hospitalia tamen quæ administrantur a laicis, et in quibus sunt bona laicorum, quæ data non sunt in titulum, non tenentur ad seminarii contributionem. — 28. hospitale unius diœcesis habens beneficium annexum, quod est alterius diœcesis, teneatur contribuere seminario diœcesis in quantum est beneficium. — 29. Hospitalia auctoritate episcopi erecta, si in titulum perpetuum, aut per electionem conferantur sunt beneficia ecclesiastica. — 30. Hospitalia sunt beneficia ecclesiastica etiam, ubi unita sunt ecclesiæ seu ecclesiastico beneficio, vel per viam electionis danda sunt in titulum. — 31. Regularium hospitalia licet auctoritate episcopi erigantur, non sunt beneficia, sed quædam officia religiosæ, et piæ administrationis. — 32. In hospitalibus, quæ non sunt annexa, seu subjecta monasteriis, aut conventibus, non sunt præficiendi religiosi tanquam rectores. — 33. Ordinarii locorum possunt visitare hospitalia. — 34. Et possunt exigere ab administrantibus rationes, et computa, tam in visitatione, quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis. — 35. Imo ordinarii possunt visitare hospitalia, et ab eorum administratoribus rationes et computa exigere, non obstante quod a testatore, et lege fundationis expresse excludantur. — 36. Ordinarii possunt exigere rationem administrationis ab hospitalibus, quæ sunt sub immediata regum protectione. — 37. Hospitalia autem quæ sunt sub immediata regum protectione, nequeunt ab ordinariis visitari. — 38. Hospitale aliquod visitare volenti si opponatur exceptio, quod sub immediata regum protectione existat, non ad sæcularem judicem, sed ad ipsum episcopum talis exceptionis cognitio, et definitio pertinet. — 39. Ad hoc tamen, ut dicta hospitalia sint immunia a visitatione ordinariorum, debent esse talia a primæva sua fundatione. Nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a rege sub sui immediata protectione. — 40. Ordinarii visitare, corrigere, et reformare possunt hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum, in casibus a jure concessis. — 41. Hospitalia privata possunt ordinarii visitare, corrigere et reformare in iis tantum, quæ ad observandam voluntatem testatorum pertinent. — 42. Hospitalia etiam unita, in quibus ecclesiæ sunt, et bona eorum non sunt distincta, debent ab ordinariis visitari. — 43. Hospitalia, quamvis debeant visitari ab episcopo, non inde tamen prohibetur, quia et judices sæculares eadem visitare possint si hoc eis alias legitime competit. — 44. Hospitalia administrata a fratribus S. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam. — 45. Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum, seu incorporatarum hospitalibus, et aliis ecclesiis, collegiis, vel locis piis, non conferuntur per concursum, sed solum ad nominationem repræsentantium hospitale, etc., cum solo examine facto ab ordinario de idoneitate vicarii curati, seu rectoris

Digitized by Google

nominati. — 46. In alienatione bonorum hospitalis erecti auctoritate episcopi requiruntur solemnitates requisitæ in alienatione bonorum ecclesiasticorum. — 47. Secus in alienatione bonorum hospitalis non erecti auctoritate episcopi. — 48. 68. Recensentur decisiones S. C. Imm. super nonnullis ad Hospitalia spectantibus. — 69. Exemptio Hospitalium a jurisdictione parochi. — 70. 72. Additiones ex editione Barbiell.

(1. Hospitale dicitur ab hospitibus, qui ibi gratis excipiuntur : ubi vero mercede soluta peregrini hospitantur, Hospitium, vel diversorium appellatur. Barbosa par. II Juris eccl. univers. lib. II, c. 1. num. 1. (2. Hospitale est nomen generale pertinens ad omnem speciem hospitalitatis, cujuscunque generis illa fuerit. Barbosa loc. cit. (3. Unde quia variæ sunt species hospitalitatis, juvat breviter hic illas adducere sub propriis nominibus, et significatis, ut traduntur in c. *In qualibet Civitate* 23, caus. 23, qu. 8, ibi : « Sancimus res ad venerabiles Ecclesias, Xenones, vel Monasteria, vel Ptochotrophia, vel Brephotrophia, vel Orphanotrophia, vel Gerontocomia, vel denique aliud tale consortium, » et glos. ibidem, et alia glossa in cap. de Xenodochiis 3, de Religiosis domibus, et a Barbos. loc. cit. a num. 2 ad 12.

(4. Xenodochium, seu Xenon e Græco vocabulo, est locus venerabilis ubi pauperes peregrini gratis recipiuntur. Glossa in cit. c. *In qualibet Civitate* verb. *Xenones*, et de illo loquuntur textus in c. de Xenodochiis 3, de religiosis domibus, et in Clement. *Quia contingit*, eod. tit. (5. Ptochotrophium est locus ubi pauperes, et mendici aluntur. Gloss. loc. cit. et de ipso fit sermo in l. Sancimus, cod. de Episcop. et Cleric. et in l. *Illud* 19, cod. de sacrosanct. Eccl. (6. Brephotrophium est locus in quo infantes pauperum aluntur. Glossa loco citato et de ipso fit sermo in d. l. *Illud* 19, de sacrosanct. Eccles. (7. Orphanotrophium est locus in quo pueri orphani, id est parentibus orbati, pascuntur, seu aluntur. Gloss. loc. cit. et de ipso fit sermo in l. *Orphanotrophos* 3, cod. de episcop. et cleric. et in Authent. de Eccl. tit. § final., collat. 19. (8. Gerontocomium, seu Gerotocomium est locus ubi senes et valetudinarii, et propter senectutem solam infirmi homines curantur. Gloss. loc. cit. (9. Nosocomium dicitur locus ubi ægroti curantur, de quo in l. *Sancimus* § *Sed Deo nobis*, cod. de Episc. et cleric. (10. Nosocomii ministri, quia ad ægrotantium curam adhibentur, parabolani in jure vocantur, l. *Parabolani*, cod. de illo tit. Barbosa l. cit., n. 4. (11. Goptophronium dicitur locus ubi feminæ debilium sustentatrices habitant. Hostiens. in Summa de religiosis domibus. Barbosa, loc. cit., nu. 9. (12. Leprosariæ sunt loca seorsim ab aliis, in gratiam illorum qui morbo lepræ laborant, segregata, ut sic contagionis periculum evitetur, de quibus meminit textus in cap. *Cum dicat* 2, de Eccles. ædificand.; in Clemen. 2, de præbend., et in Clemen. *Quia contingit*, de religiosis domibus. (13. Eleemosynariæ sunt loca, et redditus ad eleemosynas faciendas deputati, de quibus meminit textus in d. Clement. 2, de præbend., et ibi glossa, verb. *Eleemosynariis*, et d. Clemen. *Quia contingit*. (14. Reperiuntur denique alia hujusmodi loca pia, quæ sicuti et supra relata generali nomine Hospitalia appellantur, licet diversis nominibus secundum diversos regionum mores soleant nuncupari, ut observant d. gloss. verb. *Eleemosynariis;* Mandos. in Regul. 1 Cancell. 9 q.; Gonzalez gloss. 5, § 4, num. 1; Barbosa loc. cit., num. 12.

(15. Hospitalia quædam sunt religiosa, seu ecclesiastica, et quædam non religiosa seu non ecclesiastica. Glossa verb. *Ecclesias*, in d. Clement. 2, de præbend.; Ugolin. de Officio episcopi, cap. 54, in princip., num. 3. religiosum, cit., nu. 13. (16. Hospitale Barbosa loc. seu ecclesiasticum est illud quod auctoritate episcopi est constructum, et erectum; c. *Ad hæc* 4, de religiosis domibus, et communis doctorum cum Barbosa loc. cit., num. 14. Rota part. XI, decis. 268, num. 19, et seq. p. XIX, to. II, decis. 630, n. 11 et seq. et sæpe alibi. Hospitale non religiosum, seu non ecclesiasticum, est illud quod ad libitum cujuscunque personæ sine episcopi auctoritate fuit erectum; cap. *Inter dilectos* 8, de donationibus; Glossa in c. *Quidam* 18, quæst. 2, quod quidem cuique permissum est, et domum suam etiam ad tempus constituere Hospitale, sed non erit locus religiosus, et sacer. Barbosa loc. cit., num. 20; Zabarell. cons. 13, num. 6; Abbas cons. 3, n. 1, part. III; Rota part. II, recent. decis. 30, num. 8. (17. Et tale Hospitale dicitur profanum, et privatum, quamvis in eo opera pietatis exerceantur. Rota par. XI, decis. 248, num. 18. (18. Locus enim pius, et ecclesiasticus in hoc differunt, quod respectu loci pii sufficiat exercitium operum piorum, respectu vero loci ecclesiastici requiritur erectio facta auctoritate ordinarii, vel pontificia. Rota par. VI, dec. 30. num. 7; part. XI, decis. 268, num. 19 et sequent.; par. XIX, tom II, dec. 630, nu. 11 et seq.

(19. Hospitale fuisse erectum auctoritate episcopi colligitur ex pluribus. Primo, si fuit ædificatum in forma ecclesiæ, et in eo fuit erectum campanile, et ibi per sacerdotes celebrentur divina, seu habeat altare lapideum consecratum. Secundo, si episcopus confirmet ministrum, seu deputet. Tertio, si habeat nomen sancti sibi appropriati. Quarto, si in eo adsint sepulturæ, vel cœmeterium. Quinto, si in eo baptizetur. Sexto, si recipiat decimas. Septimo, si non solvat collectas. Octavo, si in eo fuit observata hospitalitas per tempus antiquissimum, sic ex multis Barbosa loc. cit., num. 15; Pignatell. to. V, consult. 40. (20. Non existentibus autem dictis signis, Hospitale in dubio præsumitur erectum absque episcopi auctoritate; ac proinde potius præsumitur laicale, et profanum. Glos. verb. *Eccles.*; vers. *Quid in dubio* in d. Clementin. 2, de præbend. et ibi Immola num. 16, vers. *Si vero non*

Digitized by Google

apparet. Ancharan. num. 10, vers. *Quid in dubio;* Abbas num. 5, in fin. Rota part. III, decis. 208, num. 5 (58).

(21. Hospitalia auctoritate episcopi fundata, licet administrationem solum temporalem habeant, sunt materia simoniæ jure humano interdictæ; Suarez de Relig. lib. IV, de Simon. cap. 7, num. 11, cum sequent.; Sebast. Cæsar. in Prelect. de Eccles. Hierarchia quæst. 2, procem. § 6, in fine, et disp. 14, § 3, num. 5; Bonacina de Simonia quæst. 4, num. 17, in fine; Barbosa loc. cit., n. 18, et alii passim; arg. cap. Salvator 1, quæst. 3. (22. Hospitalia auctoritate episcopi fundata gaudent ecclesiastica immunitate, sic sæpe sæpius declaravit sac. congr. Immun. et signanter in una civitatis Castellanæ 8 Apr. 1631, in Albanen. 4 Septem. et 2 Octobr. 1668, et est sine ullo dubio communis. (23. Hospitalis vero apothecæ locatæ usui profano non gaudent immunitate; eadem sacr. congreg. Immunit. in Verulana 13 Julii 1637. (24. Hospitalia fundata, et constructa privata auctoritate sine auctoritate episcopi non sunt materia simoniæ. S. Antonin. III part. tit. 11, c. 2, § ult.; Panor. in cap. *Extirpanda* § *Quia vero*, num. 55, de præbend.; Barbosa loc. cit., num. 34, et alii passim. (25. Nec talia Hospitalia sine auctoritate episcopi fundata gaudent immunitate ecclesiastica; sacr. congreg. Immun. in una Montis Alti, 30 septemb. 1636, et sæpe alibi.

(26. Hospitalia data in titulum, vel administrationem, si habeant beneficia annexa, vel redditus, aut proventus ecclesiasticos, tenentur ad seminarii contributionem, juxta formam conc. Trident: sess. 24, de reformat. cap. 18, vers. *Et hospitalibus*, et sic decisum fuisse a sacra congregat. Conc. referunt Zerola in Praxi episcop. par. I verb. *Hospitale*, vers. *Decimum dubium;* Barbosa loc. cit. num. 31. (27. Riccius et alii. Hospitalia tamen, quæ administrantur a laicis, et in quibus sunt bona laicorum, quæ data non sunt in titulum, commendam, seu administrationem, non tenentur ad seminarii contributionem, nec comprehenduntur, in d. sess. 23, cap. 18, de reformat. sac. congreg. Concil. sub die 11 Januarii 1601; quam refert Sellius in Selectis canonic. cap. 16, nu. 45; Barbosa in Summa apostolic. decis., verb. *Hospitale*, nu. 10. (28. Hospitale unius diœcesis habens beneficium annexum, quod est alterius diœcesis, tenetur contribuere pro rata fructuum beneficii annexi seminario diœcesis, in qua situm est beneficium; sacr. congreg. Concil. Apud Armendar. in addit. ad recopii legum Navarræ, lib. IV, tit. 29, lib. I, § 2, de Hospital. num. 15; Barbosa loc. cit., num. 9. (29. Hospitalia auctoritate episcopi erecta, si in titulum perpetuum, aut per electionem conferantur, sunt beneficia ecclesiastica. Clementin. *Quia contingit*, § *Ut autem*, de religiosis domibus; Gonzalez in Regul. 8, Cancellar.; Glossa 5, § 4, n. 14; Garcias de Benefic. part. I. cap. 3, a num. 2; Barbosa lib. II Jur. eccl., cap. 11, num. 26, cum communi aliorum, et Rota in Alexandrina Beneficii 8 Aprilis 1625, coram Merlino. (30. Hospitalia sunt beneficia ecclesiastica, etiam ubi unita sunt ecclesiæ, seu ecclesiastico beneficio, vel per viam electionis danda sunt in titulum. Gonzalez. loc cit. § 4, num. 16; Garcias loc. cit., num. 2; Barbosa loc. cit., num. 28; Amostaz de Causis piis tom. I, lib. IV, cap. 11, num. 16; Rota apud Merlinum dec. 49, num. 6; Marescottus variar. Resolut. lib. I, c. 3, n. 8, et alii passim. (31. Regularium Hospitalia, licet auctoritate episcopi erigantur, non sunt beneficia, sed quædam officia religiosæ et piæ administrationis quæ etiam laicis concedi valent quamvis capellas, aut ecclesias habeant annexas, et decimas percipiant, ut colligitur ex Clement. Per litteras 2, de præbend. et ex d. Clement. *Quia contingit*, § *Ut autem*, de religiosis domibus; Paulo to. II, tract. 18, part. VII, num. 4; Velasco consult. 106, num. 31; Marescottus loc. cit., cap. 3, num. 13 et alii. Et ratio est, quia ispsis dantur tantum ut antequam administratores curent recipere, nutrire, et curare pauperes secundum institutiones et facultates Hospitalium. (32. In Hospitalibus, quæ non sunt annexa, seu subjecta monasteriis, seu conventibus, non sunt præficiendi religiosi tanquam rectores, seu administratores; bene vero possunt præfici clerici sæculares tanquam rectores, et laici quoque ad instar tutorum, et curatorum pro recto regimine ipsorum Hospitalium. Barbosa loc. cit., num. 30; Loter. de Re benefic. lib. III, quæst. 15, n. 39; Amostaz loc. cit., num. 38, et alii.

(33. Ordinarii locorum possunt visitare Hospitalia; concil. Trident. sess. 2, cap. 8, de reformat. (34. Et possunt exigere ab administratoribus rationes et computa, tam in visitatione, quam extra etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis: conc. Trident. d. sess. 23, cap. 8 et 9, de reformat. et sæpe sæpius sac. congreg. ut videri possunt decreta sub verb. *Administratio*, *Administrator*., num. 2. (35. Imo ordinarii possunt visitare Hospitalia, et ab eorum administratoribus rationes et computa exigere, non obstante quod a testatore, et a lege fundationis expresse excludantur, vide cit. verb. *Administratio*, num. 3, 4 et 5, ubi dantur decreta, et afferuntur jura et rationes. (36. Ordinarii possunt exigere rationem administrationis ab Hospitalibus, quæ sunt sub immediata regum protectione. Sic pluries decrevit sac. congreg. Conc. Vide cit. verb. *Administratio*, num. 12, 13 et 15, ubi afferuntur decreta.

(37. Hospitalia autem, quæ sunt sub immediata regum protectione, nequeunt ab ordinariis visitari; conc. Trident., cap. 8,

(58) Nec sufficit auctoritate episcopi in ipso hospitali, vel prope erectum esse oratorium, vel sacellum in quo sacra peragantur officia, adeo ut pro religioso illud haberi debeat. Uti enim notat Van Espen. tit. 37 de hospitalibus cap. 1, num. 8, tantum religiositatis propter adjectum oratorium contrahit hospitale, quantum a simili sacello palatium principis mutuaret; utrumque siquidem ab altero distinguitur. (EDIT. BARBIELL.

Digitized by Google

sess. 22 de reformat. (38. Hospitale aliquod visitare volenti, si opponatur exceptio, quod sub immediata regum protectione existat, non ad sæcularem judicem, sed ad ipsum episcopum talis exceptionis cognitio, et definitio pertinet; sac. congr. Conc. apud Lezanam tom. II, cap. 6, num. 11, et apud Barbos. in Summa apostolic. decis., verb. *Hospitale*, num. 7, et apud alios ibi citatos (59).

(39. Ad hoc tamen, ut Hospitalia sub immediata protectione regum existentia sint immunia a visitatione ordinariorum, debent esse talia a primæva sua fundatione. Nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a rege sub immediata, sui protectione, ut eximantur a juridictione ordinarii. Habentur ad hoc responsa, et decreta sac. Conc. in una Messanen. vide d. verb. *Administratio*, num. 15, 16, 17 et 18, ubi ad litteram dantur.

(40. Ordinarii visitare, corrigere, et reformare possunt Hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum in casibus a jure concessis, scilicet ob negligentiam, vel ob dilapidationem bonorum, et ut testatoris voluntas servetur; sac. cong. Conc., testibus Barbosa in d. Summa, n. 1, et Armendar. Marta, et Lezana ab ipso ibi citatis. (41. Hospitalia privata possunt ordinarii visitare, corrigere, et reformare in iis tantum, quæ ad observandam voluntatem fundatorum pertinent et ex decreto concil. Trident. sess. 22, cap. 9, de reform. exigere rationem ab administratoribus ipsorum Hospitalium, una tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda sit; sac. congregat. Concil. apud Barbosam loc. cit., num. 5, et apud Armendar. ab ipso ibi. cit. (42. Hospitalia etiam unita, in quibus Ecclesiæ sunt, vel assidue divina officia celebrantur, et bona eorum non sunt distincta debent ab ordinariis visitari; sac. cong. Conc. apud Lezanam in Summa q. q. Regular., tom. II, c. 6, num. 11; Barbosa, loc. cit., num. 3. (43. Hospitalia quamvis debeant visitari ab episcopo vigore con. sess. 22, cap. 8, de reformat., non inde tamen prohibetur, quin et judices sæculares eadem visitare possint, si hoc eis alias legitimè competit; sac. cong. Conc. apud Barbosam loc. cit., num. 4, et Armendar., et Lezanam ab ipso ibi. cit. (44. Hospitalia administrata a fratribus S. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam; sac. cong. Conc. in Avellina 12 Jan. 1630, apud Barbosam loc. cit., num. 12, et apud alios ab ipso ibi. cit.

(45. Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum seu incorporatarum Hospitalibus, et aliis ecclesiis, collegiis, vel locis piis, in quibus non proprie parochus, sed vicarius habens solum exercitium curæ, ponendus est, non conferuntur per concursum, sed solum ad nominationem, seu præsentationem repræsentantium Hospitale; collegium, vel locum pium, cui parochialis unita est, seu ejus vicarii prævio examine ordinarii, conferuntur; sic expresse statuit S. Pius V, in Constitut. 47, incip. *Ad exsequendum*, ubi § 4, sic ait: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponuntur cum ipsorum ordinariorum, seu eorum vicariorum prævio examine, et approbatione deputentur: » Nec immerito, nam propter unionem perpetuo factam ecclesia parochialis censetur accessoria alteri ecclesiæ, collegio, Hospitali, loco pio, etc. cap. *Exstirpandæ* 30, § Qui vero, de præbend. atque per se nunquam censetur vacare juxta Clementinam unic. de Excessibus prælatorum, § *Quidam etiam Ecclesias*, sed assumit naturam consuetudines, et privilegia principalis, cui est annexa; Glossa cap. unic. Ne sede vacante, verb. *Uniendo*. Simulque in ea attenditur tantum qualitas, et natura beneficii principalis, non autem accessorii: arg. Clementin. per litteras cap. 2, de præbend. juncta regula 42 juris in 6: « Accessiorium naturam sequi congruit principalis. » Unde Tridentinum requirens concursum in collatione ecclesiarum parochialium, non habet locum in vicariis seu ecclesiis perpetuo, et accessorie unitis Hospitalibus, collegiis aliisque locis piis, ubi vicarii, seu parochi habent solum exercitium curæ; Rota part. 2, recent. dec. 579, num. 10, et decis. 710, num. 1, et part. 4, tom. I, decis. 352, num. 6, et sæpe alibi.

(46. In alienatione bonorum Hospitalis erecti auctoritate episcopi requiruntur solemnitates requisitæ in alienatione bonorum ecclesiasticorum; Pignatell. tom. IV, consult. 21, num. 1, cum communi aliorum, et sic censuit sac. congr. Episcop. et Regul. pro Hospitali de disciplina nuncupato, et confraternitate S. Joannis terræ Caprarolæ diœcesis civitatis Castellanæ sub, die 2 Augusti 1641 et 30 Augusti 1642. Et ratio est, quia hujusmodi bona sunt ecclesiastica, et proinde non possunt sine solemnitatibus alienari. (47. Si vero Hospitale non sit erectum auctoritate episcopi nec constet ex signis adductis sub num. 19, esse tale, ipsius bona possunt alienari absque ullo beneplacito apostolico et sine aliis solemnitatibus in alienatione bonorum ecclesiasticorum requisitis; Bald. in Authent. Hoc jus porrectum num. 3 et sequent. cod. de sacrosanct. eccles. Felin, in cap. de quarta, num. 6 et sequent. de præscription., et cap. 2, num. 11, de foro compet. Guttier; Canon. qu., lib. I. c. 35, n. 16; Riccius in Praxi fori Eccles., tit. de alienat. rer. ecclesiastic. 147, num. 4, ac testatur de veriori; Barbosa de Offic. et potest. episc. p. III, alleg. 75, nu. 22 et seq., ac Bonacina in tract. de Alienat. bonor. eccles. p. II, q. un., pun. 2, n. 10 et seq., et in tract. de Feud. et Emphyt. disp. 3, p. 8, punct. 4, num. 21; Pignatell. loc. cit., numer. 4 et seq. et alii; vide verb. *Confra-*

(59) Cui animadvertens resolutioni; Zipæus in jure novo, tit. de religiosis domibus, num. 8, ait: Quod credo verum, dum talis exceptio quasi incidenter episcopo ad visitationem talis Hospitalis se accingenti opponitur, alioquin ut plenis velis ea cognitio ad ecclesiasticos judices debebatur, cum de ipso principum privilegio agatur, apud supremos principes haud facile obtinebitur. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

ternitas, art. 6, num. 5, ubi late ad rem.

(48. Ad instantiam domini Dominici Sabbatini parochi Sancti Nicolai in Carcere, contra archihospitale consolationis de urbe fuerunt proposita sequentia dubia.

1 *An liceat ministris consolationis urbis benedicere mulieres post partum, et ova tempore Paschali?*
2 *Retinere confessarios in ecclesia ad audiendas populi confessiones?*
3 *Facere processionem per parochiam intra octavam sanctissimi Corporis Christi, et præsertim die in quo fit per ecclesiam parochialem?*
4 *Associare cadavera alibi tumulanda cum cruce, et ab Hospitalibus ad locum catenæ, et impedire parochum ne accedat pro illis ad januas Hospitalium?*

Et ponente eminentissimo Bichio sac. congr. Visitationis apostolicæ die 15 Septembris 1695, respondit.

Ad 1, *negative.*
Ad 2, *negative* de licentia eminentissimi vicarii.
Ad 3, *negative* præterquam intra ecclesiam duntaxat.
Ad 4, *negative.*

Quibus accedit sententia A. C. sub die 23 Decembris ejusdem anni.

(49. Domus nuncupata Hospitale, si non sit constructa auctoritate episcopi ad publicum bonum, non gaudet immunitate; sac. congregat. Immun. in una Montis alti 30 Septemb. 1636, lib. III Dec. Pauluc., pag. 15.

(50. Visitatio Hospitalis incurabililium civitatis Neapolis cum monasteriis monialium annexis, spectat ad archiepiscopum; ead. sacr. congreg. Immunit in Neapol. 6 Maii 1631, lib. I Decretal. Pauluc., pag. 77.

(51. Ad episcopum pertinet declarare super immunitate Hospitalis; ead. sacr. congr. Immun. in Marianen. 4 Decembris 1694, lib. I Dec. Vallem. pag. 159.

(52. Hospitale non habens requisita, reputatur tamen pro loco immuni communiter, et in pluribus casibus ut tale veneratum, gaudet immunitate, sed injungitur vicario, ut declaret per edictum, deinceps non esse immune; eadem sacr. congreg. Immunit. in spoletana 11 Januarii 1684, lib. III Decret Altov., pag. 271.

(53. Cortile Hospitalis S. Ægidii Perusiæ gaudet privilegio immunitatis. At tabernacula, ubi vinum venditur, ob obvianda inconvenientia omnino amoveantur; ead. sacr. congreg. Immunit. in Perusina, 12 Junii 1668, lib. I Decret. Altov., pag. 232.

(54. Hospitale S. Mariæ civitatis Amerinæ, dictum Laicorum, gaudet immunitate, cum habeat requisita; ead. sac. congregat. Immunit. in Amerina, 27 Maii 1687.

(55. Hospitale magnum Viterbii non gaudet; ead. sac. congr. immun. in Viterbien. 22 Jun. 1666, lib. Decr. Borrom., pag. 69.

(56. Hospitale quod dicitur de' Vagabondi in loco Fabriani, quod solummodo inservit, ut aiunt, « per dar coperto a poveri, » quamvis erectum auctoritate episcopi ex hactenus deductis non gaudet; eadem sac. congreg. Immun. in Camerin. 7 Maii 1658 lib. Decr. Rocci, p. 84.

(57. Hospitali erecto pro peregrinis, et infirmis episcopus non permittat introduci per modum Hospitii birruarios, seu alios ministros curiæ laicalis, vel quemlibet alium cum armis, et contra attentantes procedat prout de jure, etiam per censuras; ead. sac. cong. Immun. in Aprutina, 1 Januar. 1676, lib. I Decret. Altov., p. 1139.

(58. Datur episcopo facultas extrahendi e loco immuni triticum pertinens ad Hospitale, quatenus eidem constet de debito Hospitalis erga seminarium, ad effectum solvendi creditoribus; ead. sac. congr., Immun. in Tudertina 9 Jun. 1694, lib. I Decret. Vall., p. 1626.

(59. Item datur facultas perquirendi et extrahendi res furto sublatas reconditas in Hospitali, dummodo res extractæ inserviro non possint pro corpore delicti; ead. sac. cong. Immun. in Spoletana, 18 Decemb. d. anni, et lib., p. 162.

(60. Constituto de restitutione, et de consensu partis ac prævio juramento de non incurrendo amplius in similia, observentur consiliarii communitatis, qui abduxerant belluas e prædio Hospitalis; ead. sac. cong. Immun. in Casalen. 13 Septem. 1695, d. libr., pag. 213.

(61. Custos Hospitalis durante servitio gaudet privilegio Fori, si Hospitale sit erectum auctoritate ecclesiastica; ead. sac. cong. Immun. in Sulmon. 28 August. 1664, lib. Decret. Rocci. pag. 503 in Ripana, 21 Martii 1645, lib. III Decretal. Pauluc. pag. 248.

(62. Hospitalarius salariatus et ejus familia Hospitalis erecti cum auctoritate ordinaria præstantes assistentiam, et servitium infirmis gaudent privilegio Fori; ead. sac. congr. Immun. in Nullius Atim, 1 Martii 1697, lib. I Dec. Vallem., pag. 175.

(63. Imo Hospitalarius seu addictus servitio Hospitalis gaudet, nedum privilegio Fori, sed etiam exemptione pro bonis; eadem sacr. congregat. Immun. in Beneventana, 20 Martii 1630, libr. II Decret. Paul., pag. 3, et 16 Septem. d. anni et lib. pag. 57.

(64. Hospitalarius laicus, qui singulis annis eligitur et deputatur a confraternitate absque approbatione episcopi pro servitio Hospitalis civitatis Albanensis gaudet privilegio Fori; ead. sac. cong. Immun. in ead. 2 Octobr. 1668, lib. I Dec. Altov., pag. 270.

(65. Causa contra Hospitalarium ad ordinarium, non ad gubernatorem spectat; ead. sacr. congr. Imm. in Benevent. 17 Decemb. 1650, lib. II, decr. Paul., pag. 67.

(66. Custos Hospitalis defendendus est per ordinarium a molestiis curiæ laicæ; ead. sacr. congr. Immun. in Nullius Abbatiæ S. Rufilii, 20 Novemb. 1695, lib. I Decret. Vall. pag. 231.

(67. Prior Hospitalis ratione furti a se commissi in magazeno Hospitalis, gaudet immu-

Digitized by Google

nitate ecclesiastica; ead. sac. congr. Immun. in Viterbien. 8 Januarii 1632, lib. II Decret. Paul., pag. 3.

(68. In causa furti qualificati Sanctissimus tribuit Gubernatori Spoleti facultatem procedendi contra Hospitalarium S. Antonii; ead. sac. congreg. Immunit in Interamn., 17 Maii dicti anni et lib., pag. 192.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(69. Frequenter Hospitalia exemptionem prætendunt a jurisdictione parochi; quid autem requiratur, ut hospitalia exempta dici queant a jurisdictione parochi ita ut Rectores vice parochi fungantur; expendit Rota in Valentina jurisdictionis super manutentione 26 Junii 1754, coram illustrissimo Figueroa.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(70. Verum quæcunque sint decreta, jura et rationes, quæ ab auctore dantur verb. *Administratio*, num. 3, 4 et 5, longe diversus sensus tribuendus est iis quæ habet concil. Trident. sess. 22, cap. 8 et 9, de Reformat. longeque adeo abfuit ut ordinariis concederetur licentia visitandi Hospitalia, et ab eorum administratoribus rationes et computa exigere, quanquam ex lege fundationis forent exempta, ut aliter in ipsa sess. 22, cap. 8 et 9, de Reform., habet concilium Tridentinum, atque aliter juxta ipsius mentem tradit Fagnan. subdens ulterius id ab eodem fieri non posse, quanquam facere vellet tanquam apostolicæ sedis delegatus; vid. cit. Fagnan. in comment. cap. 4, num. 44, de Religiosis domibus, num. 2; Van-Espen. Jur. ecclesiast. univers. part. II, tit. 37, cap. 2, num. 37; Pasqualig. variar. Quæst. part. I, quæst. 89, nu. 1.

(71. Et quanquam in præcitata sessione 22, concilii Tridentini loc. cit. expresse dicatur, episcopos tanquam sedis apostolicæ delegatos habere jus visitandi omnia Hospitalia, et sua loca etiam exempta, additur tamen in casibus a jure concessis, et juxta sacrorum canonum statuta, per quæ verba restringitur decretum illud conc. Trident. ad terminos juris communis. Dum itaque Hospitalia non ecclesiastica jure communi non subsunt jurisdictioni episcopi, ita nec post concilium Tridentinum ordinarius habere potest jus visitandi Hospitalia, quæ ex lege fundationis fuerint exempta. Idem dicas, et de iis Hospitalibus, quæ a laicis reguntur quæque sunt sub immediata regum protectione, quæ nedum visitari nequeunt, sed ne rationum quidem, vel administrationis redditio ab episcopis exigi potest. Rem hanc mirifice explicant Fagnan., in cap. de Xenodochiis, de religiosis domibus n. 11; Pirhing. Jus. canon. lib. III, tit. 3, § 4, num. 25; Schmalzgrueber Jus canon. lib. III, tit. 36, num. 16, 17 et 19, pac. 4 Lauren. in decret. lib. III, tit. 36, sub. num. 24; Diana tom. IX, tract. 2, resolut. 288, num. 5 et 6; Pignatell. consultat. 15, num. 4, tom. VII, atque colligitur ex Clement. *Quia contingit*, § 1, de religios. domibus; et ita sensit sacra congregatio uti refert Barbosa, de Jur. Eccles. lib. II, c. 11, n. 48.

(72. At cum de immediata loquimur regum protectione, non illa generalis protectio, ac tutela intelligenda est, quam principes promittunt, et debent piis omnibus locis, sed de speciali, et expressa protectione, in quam quædam Hospitalia de singulari principis gratia, et fundatorum voluntate recipiuntur: uti etiam immediata protectio principum intelligitur qui regalia sua habent ditione, non principum alteri subjectorum uti sapienter monet Van-Espen. tit. 37, cap. 2, par. II, nu. 32.

HOSPITATIO MILITUM.

Vide verbo MILITES *a n.* 17 *ad* 26.

HOSPITIA REGULARIUM.

SUMMARIUM.

1. Hospitia non possunt a Regularibus recipi et retineri nisi de licentia speciali sedis apostolicæ, seu sacr. congr. et servatis ad unguem omnibus conditionibus requisitis. — 2. Hodie enim prohibitum est Regularibus recipere non solum novos conventus, et ecclesias, sed etiam domos, et quascunque habitationes, sine licentia sedis apostolicæ, et ordinarii. Et quæcunque hospitia aliter recepta, declarata sunt suspensa, et exstincta, et fratres, in eis degentes incidunt in pœnas degentium extra claustra. — 3. Episcopi possunt procedere contra regulares in similibus hospitiis degentes. — 4. Pro erectione Hospitiorum Regularium observandum est etiam breve Innocentii XI, quod adducitur. — 5. Regulares non possunt sine licentia sedis apost. reducere hospitium in conventum, et oratorium in ecclesiam. — 6. Hospitium simplex non est, ubi adest ecclesia. — 7. Nec etiam locus, ubi januis apertis celebrantur missæ, administrantur sacramenta, sepeliuntur mortuorum cadavera, et pulsantur campanæ, reputari potest simplex Hospitium, sed verus conventus, adeoque pro ejus erectione, et retentione servandæ sunt constitutiones pro erigendis novis conventibus. — 8. Simplex Hospitium non potest habere ecclesiam, sed solum oratorium privatum, nec campanam, nec ibi administrari possunt sacramenta, nec potest habere continuam permansionem religiosorum, nisi infirmorum, et servientium, nec sepulturam, nisi specialiter concedatur. — 9. Hospitium privatum, justa interveniente causa, facile a sacra congregatione concedi solet Regularibus. — 10. Item et hospitii translatio. — 11. Patres reformati non possunt habere privatum hospitium in illis civitatibus, et oppidis, in quibus moram facere possunt in conventibus Patrum Observantium. — 12. Patres reformati provinciæ Tusciæ non possunt transferre suum antiquum Hospitium ad conventum S. Joannis Baptistæ, alias congregationis Jesuatorum suppressæ, intra mœnia civitatis Florentiæ existentem, sed tenentur remanere in dicto suo antiquo hospitio, servata ejusdem hospitii forma. — 13. Quid vere Hospitium sit. — 14-16. De solemnitatibus in Hospitii erectione requisitis.

(1. Hospitia non possunt a Regularibus recipi, et retineri nisi de licentia speciali sedis apostolicæ, seu sac. congreg. et servatis ad unguem omnibus conditionibus

Digitized by Google

præscriptis a sacra congreg. Episcop. et Regul. 15 Septembr. 1690, in decreto relat. sub verb. *Conventus*, art. 1, num. 9, et sæpe sæpius confirmato. Vide ibi. Hodie enim stantibus constitutionibus Gregorii XV, Urbani VIII et Innoc. X, allatis sub d. verb. *Conventus*, art. 1, a n. 3 ad 5. (2. Prohibitum est Regularibus recipere non solum novos conventus, et ecclesias, sed etiam domos, et quascunque alias habitationes sine licentia sedis apostolicæ, et ordinarii : unde sac. congregatio post dictas constitutiones pluries decrevit Hospitia aliter recepta intelligenda esse in futurum suppressa, et exstincta, et fratres in eis degentes incidere in pœnas degentium extra claustra, non obstante qualibet exemptione; sic die 14 Sept. 1629, et 7 Aug. 1644, 12 Apr. 1647, 10 Decemb. 1649, 16 Jun. 1650, 15 Jun. 1651, et pluries alibi.

(3. Hinc si episcopi in suis diœcesibus contra præscriptam formam Regularium Hospitia reperierint, possunt, uti jure suo, et quamprimum sacram congr. instructam reddere pro opportuno remedio, ut post allata decreta tradit Monacell. tom. I, tit. 6, formul. 19, num. 16.

(4. Pro erectione Hospitiorum Regularium observandum est etiam breve Innoc. XI, editum sub die 20 Aprilis 1688, et relatum sub verb. *Conventus*, art. 1, num. 24. Vide ibi.

(5. Regulares non possunt sine sedis apostol. seu sacr. congregat. licentia reducere Hospitium in conventum, et oratorium in ecclesiam, ut pluries decrevit sac. congr. Episcop. et Regul. et signanter 14 Junii 1641, 27 April. 1646 et 13 Febr. 1647. (6. Hospitium enim non est, ubi adest ecclesia, alias fraudarentur constitutiones erigendo monasteria sub nomine Hospitiorum, ad evitandam illarum pœnam; l. *In fundo* 38, ff. de rei Vindicat.; l. *In fraudem* 45, ff. de jure Fisci; l. *Si quid dolo* 1, ff. *Si quid in Fraudem;* leg. *Non est dubium* 5, cod. de legatis ut dicit Rota in Toletana Manutentionis cor, Bevilaqua dec. 225, n. 8, part. XIII, recent.

(7. Nec locus, ubi januis apertis celebrantur missæ, administrantur sacramenta, sepeliuntur mortuorum cadavera, et pulsantur campanæ reputari potest simplex Hospitium, sed signa prædicta, eum demonstrant verum conventum cum sua vera ecclesia, adeoque pro ipsius erectione, aperitione, et retentione servandæ sunt constitutiones de non erigendis novis conventibus; Rota loc. cit., dec. 225, numer. 6, et ibid. dec. 231, num. 12; Lezana part. IV, verb. *Monasteria*, num. 6; Donat. Prax. rer. regul. part. II, tract. 1, quæst. 22, num. 7; Cesped. de Exempt. regul. cap. 1, dub. 6, num. 4, et alii passim. (8. Simplex enim Hospitium habere non posse ecclesiam, sed tantum oratorium privatum cujus ingressus in viam publicam immediate non respondeat, nec posse habere campanam nec ibi posse administrari sacramenta, nec habere continuam permansionem religiosorum, nisi infirmorum, et servientium, nec sepulturam, nisi specialiter concedatur, pluries decrevit sac. congr. Episcop. et Regular. et signanter 7 Januar. 1617, 3 April. 1618, 16 Novemb. 1646, 10 Decembr. 1649, 26 Apr. 1652, apud Nicol. in Flosculis verb. *Hospitium*, num. 1. Vide alia decreta sub verb. *Conventus*, art. 1, num. 9.

(9. Hospitium privatum juxta interveniente causa facile solet a sacra cong. Episcop. et Regul concedi Regularibus, ut pluries concessit, et signanter ead. sacr. congreg. in Mantuana Hospitii Roverbell., 8, August. 1710. Ponente eminentiss. cardinali Gozzadino apud Ursayam, tom. I, part. II, discept. 8, num. 19, ibi : « Pro gratia Hospitii privati tantum, » et sic sæpe alibi.

(10. Hospitii translationi locus est, juxta accedente causa, ut posse transferri non semel concessit sacr. congreg. Episcop. et Regul., et signanter in Novarien. translationis Hospitii Gallicani, 24 Jul. 1711, ponente eminen. Grimaldo apud Ursayam loco cit., discept. 7, num. 41, ibi : « Arbitrio episcopi pro usu Hospitii tantum. »

(11. Patres Reformati non possunt habere privatum Hospitium in illis civitatibus et oppidis, in quibus moram facere possunt in conventibus Patrum Observantium; sic sac. cong. Episcop. et Regul. in Laudensi, 5 septembr. 1710, ubi in causa vertente inter ipsos Patres Reformatos loci Codunei, et Patres Observantes loci Sancti Columbani, pro jure quæstuandi, tria dubia proposita fuerunt ponente emin. card. de Abdua, ad quorum secundum conceptum his verbis : « II. An liceat eisdem Patribus Reformatis habere Hospitium proprium in dicto loco Sancti Columbani; seu potius debeant hospitari in conventu Minorum Observantium S. Francisci sito in dicto loco S. Columbani ? » Sic fuit responsum, Ad II. *Negative* quoad primam partem; *affirmative* quoad secundum; sic apud Ursayam t. VIII, part. I, discept. 40, a num. 142.

(12. Patres Reformati provinciæ Tusciæ non possunt transferre suum antiquum Hospitium ad conventum S. Joannis Baptistæ, alias congregationis fratrum Jesuatorum suppressæ, intra mœnia civitatis Florentiæ existentem, sed tenentur remanere in dicto suo antiquo Hospitio, servata ejusdem Hospitii forma; sac. cong. Episc. et Regular. in Florentina 26 Martii 1677, apud Matthæuc. offic. curiæ quoad conventus sub num. 23.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(13. Hospitium vere et proprie dicitur illud, quod deservit, ut inquit Rota in Eystetent. Fundationis Hospitii, 27 Jun. 1729, § 15, coram bon. mem. Ratto inter impressas dec. 258, num. 23, tantummodo pro recipiendis religiosis itinerantibus, et in quo propterea nulla servatur forma regularis, non erigitur ecclesia seu oratorium formale cum Janua in via publica, seu tantum oratorium internum ad effectum inibi missas, et oratorium privatum celebrandi, non administrantur sacramenta non fiunt publicæ conciones, nec divina, aliæ functiones peraguntur, non tumulantur cadavera, nec retinentur

Digitized by Google

campanæ, nec aliquid aliud vero conventui congruens.

(14. Gravis autem est quæstio, an in erectione Hospitii requirantur ille ipsæ solemnitates requisitæ in erectione conventus, de quibus verba fecimus in additione ad verbum *Conventus*, artic. 1.

(15. Negant communiter Cesped. de Exempt. Regul. c. 1, dub. 6, num. 1; Tamburin. de Jure abbat. t. V, disput. 5, qu. 1, n. 10; Nov. in Summ. Bullar. part. I, comment. 92, n. 4; Donat. in Prax. rer. regul. tom. I, part. II, tract. 1, de Monaster. ædif. quæst. 22, n. 1 et seq.

(16. At recte Rota in dict. Eysteten. Fundationis Hospitii 1729, § 16, cor. bon. mem. Ratio inter impressas decis. 258, n. 24: « Conclusio (ait) quod in fundatione simplicis Hospitii non requirantur solemnitates constitutionibus apostolicis præscriptæ, ad summum procedere potest quando concurrant prædicta requisita pro erectione simplicis hospitii, quibus terminis loquuntur auctoritates in objecto allegatæ; secus vero quando in hujusmodi locis religiosis adest ecclesia publica, pulsantur campanæ, atque administrantur sacramenta, quia tunc discrepantia eorumdem locorum a cæteris monasteriis consistit duntaxat in palliato nomine hospitii, et propterea si erigi possent absque debitis requisitis, apostolicæ constitutiones certam edicentes formam in constructione monasteriorum servandam remanerent elusoriæ. »

HYDROMANTIA.

Vide verbo SUPERSTITIO, *n.* 17.

HYPOTHECA, PIGNUS.

SUMMARIUM.

1. Hypotheca et Pignus large conveniunt. — 2. Stricte autem et proprie differunt, et assignatur differentia. — 3. Quoad effectum tamen hypotheca et pignus non differunt. — 4. Pignus dupliciter potest sumi, scilicet pro re ipsa oppignorata, et pro ipsa contractu pignoratitio. — 5. Datur definitio Pignoris lato sumpti et similiter Hypothecæ. — 6. Pignus seu Hypotheca alia est expressa et alia tacita et quæ sit utraque? — 7. Pignus, seu Hypotheca expressa alia est generalis, et alia specialis, et quæ sit utraque? — 8. Hypothecæ tacitæ seu legalis variæ habentur in jure exempla. — 9. Uxor ratione dotis habet tacitam hypothecam in cunctis bonis mariti, etiam in casu quo maritus ob delictum privari debeat bonis. — 10. Etiam maritus habet e contra tacitam hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi præstanda. — 11. Liberi prioris matrimonii habent tacitam Hypothecam in bonis parentis ad secundas nuptias transeuntis. — 12. Pupilli et minores habent tacitam Hypothecam in cunctis bonis tutorum, et curatorum. — 13. Tacitam Hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsis pecuniis emptis. — 14. Ecclesiæ, collegia aliæque causæ piæ habent tacitam Hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris rerum ad similes pias causas pertinentium. — 15. Tacitam Hypothecam habent legatarii et fideicommissarii in bonis a testatore relictis. — 16. Qui mutuas dat pecunias pro reficiendo ædificio, habet tacitam Hypothecam in ædificio suis pecuniis refecto. — 17. Venditor habet tacitam Hypothecam in re vendita, usque dum pretium ei plene sit solutum. — 18. Locator habet tacitam Hypothecam in omnibus a conductore in domum, vel prædium illatis, et invectis, non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ. — 19. Tacitam Hypothecam habet fiscus in bonis contrahentium cum eo, et in bonis suorum officiorum, et administratorum. — 20. Hypothecare, et oppignorare possunt omnes illi, qui rerum suarum administrationem habent. — 21. Tutor et curator possunt oppignorare, et hypothecare res minorum et pupillorum pro eorumdem utilitate. — 22. Oppignorare et hypothecare etiam potest procurator, vel negotiorum gestor si ad hoc speciale mandatum habet, vel si habet mandatum generale cum libera potestate. — 23. Prælati ecclesiarum generaliter, non item specialiter hypothecare possunt res ecclesiæ. — 24. Regulares possunt hypothecare Hypotheca generali bona suorum monasteriorum. — 25. Rectores ecclesiarum possunt hypothecare Hypotheca generali bona ecclesiæ etiam sine licentia episcopi. — 26. Res omnes, quæ emi, et vendi possunt, etiam oppignorari et hypothecari possunt. — 27. Et sic e contra res, quæ emi et vendi nequeunt, hypothecari, seu oppignorari etiam non possunt. — 28. Creditor pignus habens potest illud alteri oppignorare. — 29. Creditor inscio et invito debitore non potest uti pignore, et si utatur, furtum committit, et furti tenetur. — 30. Creditor potest fructus percipere ex pignore, sed dein in sortem computare debet. — 31. Imo creditor restituere debet etiam fructus, quos ex pignore percipere potuisset, et sua culpa non percepit. — 32. Antichryseum pactum quid sit. — 33. Est illicitum, et usurarium. — 34. Legis commissoriæ pactum quid sit. — 35. Est illicitum et usurarium. — 36. Licitum est sequens pactum, si intra præfixum tempus solutio facta non fuerit, tunc Pignus sit creditori venditum justo pretio. — 37. Sic etiam licitum est istud, ut si debitor in mora solvendi sit, possit creditor Pignus statim vendere, et reliquum de recepto pretio restituere ipsi debitori. — 38. In utroque dicto casu non est opus, ut creditor debitorem de solutione prius moneat. — 39. Si oppignoratio facta est sine ullo pacto de vendendo, vel non, tunc potest quidem creditor pignus vendere; sed prius præmissa una saltem monitione, et exspectato ex post biennio, antequam vendat. — 40. Si oppignoratio facta sit cum pacto ne vendatur, vendi nihilominus potest post biennium, sed non nisi trina monitione de solvendo prius præmissa. — 41. Creditor pignus vendens non potest illud sibi ipsi emere, ne quidem per interpositam personam, nisi de licentia judicis, etc. — 42. Creditori hypothecario competit jus prælationis præ creditoribus non specialiter privilegiatis. Si autem eadem res fuerit pluribus oppignorata, potior est in jure, qui prior est in tempore. — 43. Nec refert, an prior creditor habeat Hypothecam specialem vel generalem. — 44. In pignore eodem tempore pluribus constituto præcedit ille, qui pignus possidet, et si nullus possidet æquali jure utuntur. — 45. Creditor tenetur pignus sibi traditum exacta diligentia tueri, et conservare, aliter tenetur resarcire damna ejus culpa lata, vel levi pignori illata. — 46. Creditor debito sibi soluto tenetur pignus restituere. — 47. Imo una cum pignore tenetur creditor restituere etiam omnes fructus ex pignore perceptos. — 48. Potest tamen Creditor detrahere expensas, quas fecit intuendo, custodiendo et meliorando pignore.

Digitized by Google

— 49. Hypotheca vel expressa vel tacita. — 50. 54. Ob præsumptam voluntatem partium datur Hypotheca tacita. — 55. 59. Datur ob præsumptam partium voluntatem locatori in iis quæ in prædium urbanum sint illata. — 60. 63. Datur locatori in fructibus qui prædio rustico nascuntur. — 64.73. Quoties datur sola legis dispositione. — 74.77. Nonnullæ animadversiones.

(1. Hypotheca et Pignus lege loquendo, tam a doctoribus, quam a jure sæpe sæpius confunduntur, nulla nisi nominis distinctione inter utrumque admissa, leg. *Res.* 5, § 1, ff. de Pignoribus, et Hypothecis, ibi : « Inter Pignus autem et Hypothecam nominis tantum sonus differt. » Rota recent. part. IX, tom. I, decis. 179, num. 78. (2. Stricte autem, et proprie loquendo adest inter ipsa aliqua differentia, quæ potissimum consistit in hoc, quod Pignus proprie locum habet in rebus, quæ manu traduntur creditoribus, adeoque fere in mobilibus rebus tantum locum habet, quæ creditoribus tradi solent, unde a *pugno* appellatus est Pignus; leg. *Plebs.* 238, § *Pignus*, de verb. signific. ibi : « Pignus appellatum est a pugno, nam res, quæ pignori dantur, manu traduntur; unde etiam videre est, verum esse, quod quidam putant, Pignus proprie rei mobilis esse. » Hypotheca autem consistit fere tantum in rebus immobilibus, vel quæ non traduntur creditoribus, sed penes debitorem manent, obligatæ tamen creditori; adeoque Hypotheca nuda conventione constituitur § *Item Serviana*, Institution. de action. ibi : « Inter Pignus, et Hypothecam differentia est, nam Pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione nuda conventione tenetur, propriæ Hypothecæ appellatione contineri dicimus; » Azor. part. III. Institut. moral., lib. VII, tract. de Pignorib. cap. 2, q. 2; Pirhing lib. III Decr. tit. 21, num. 2, et alii passim. (3. Quoad effectum tamen Pignus, et Hypotheca non differunt, cum ex utroque eadem acquiratur creditori actio Hypothecaria, vi cujus ipse creditor rem oppignoratam, vel Hypothecatam, ubicunque existet, donec debitum solvatur, exigere potest; sicuti e contra debitor rem Pignori datam potest, soluto debito, iterum repetere; arg. § *Item Serviana*, Instit. de action. ibi : « Inter Pignus, et Hypothecam quantum ad actionem Hypothecariam nihil interest. »

(4. Pignus dupliciter potest sumi. Primo pro re ipsa oppignorata, seu quæ in pignus datur, ut patet ex totis ferme titulis, ff. et cod. *de Distract. pig.* (5. Secundo pro ipso contractu pignoratitio, seu conventione qua res alteri securitatis gratia datur, vel obligatur; leg. 1, § fin. ff. de Pactis. Pignus late sumptum est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam, ut sit pro debito obligato, et ex ea satisfieri possit, si aliter satisfactum non fuerit (60). Est in re communis. Similiter Hypotheca late sumpta est contractus, quo a debitore res aliqua obligationi subjicitur pro cautione debiti erga creditorem. Est in re communis. Hinc aperte patet finis Pignoris et Hypothecæ, nempe major securitas creditorum, seu eorum qui alios sibi obligatos habent : tutius est enim Pignori, seu Hypothecæ incumbere, quam agere in personam, textu expresso in § *Unde constat.* 14, Instit. de obligat. quæ ex delicto, ibi : « Etiamsi idoneum debitorem habeat, expedit pignori potius incumbere, quam in personam agere. Et plus cautionis in re est quam in persona. » Reg. 25 ff. *de reg. Jur.* (61).

(6. Pignus, seu Hypotheca alia est *expressa*, et alia *tacita*; expressa est quæ fit expressa partium conventione de re oppignoranda, seu hypothecanda, et hæc Hypotheca expressa solet vocari conventionalis. Tacita est, quæ absque expressa partium conventione a lege introducta est, atque subsistit absque omni consensu debitoris, imo etiam eo invito, et hæc Hypotheca solet vocari legalis, utpote a lege constituta. (7. Pignus, seu Hypotheca expressa alia est generalis, et alia specialis Hypotheca generalis, seu universalis est qua quis obligat alteri securitatem (debiti cuncta sua bona, et jura, leg. fin. cod. *Quæ res Pignori*, et leg. *Bonorum*, 49, ff. de verb. signifi. Hypotheca specialis est, qua una, vel plures res in specie, aut individuo alteri in securitatem debiti obligantur; leg. *Quamvis constet*, 2, et l. *Quamvis eod.* 17. cod. de Pignoribus et Hypothec.

(8. Hypothecæ tacitæ, seu legalis varia habentur in jure exempla, quorum præcipua hic juvat adducere. (9. Primo, uxor habet tacitam hypothecam pro securitate dotis allatæ in omnibus bonis mariti : cap. *Ex litteris* 5, de Pignoribus, ibi : « Cum bona viri mulieri sint pro dote tacite obligata, et cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem, » etc.; l. unic. *cod.* de rei Uxor.

(60) Vel dic brevius secundum Huber Prælect. jur. Rom. lib. XX, tit. 1, Pignus, quod sit res obligata creditori in ejus securitatem. (Edit. Barbiell.)

(61) Pignus aliud est publicum, aliud privatum. Quid sit publicum pignus, ejusque distinctiones, vide apud Huber, loc. sup. cit. num. 2 et seq. Privatum autem distinguitur ut vel unius, vel duorum voluntate constituatur. Exemplum Pignoris, quod unius voluntate constituitur habes in leg. *Non est mirum* 26, ff. de Pignor. act., ubi testator metuens, ne post sui obitum hæredes scripti a creditoribus invadantur, suaque bona voci acerbæ præconis subjiciantur suum unicuique creditorum pignus aut hypothecam ascribit in testamento. Pignus, quod duorum voluntate constituitur rursus vel ex pacto sit, vel ex contractu. Ex pacto, quanto per simplicem conventionem, universis, aut certis rebus creditori jus constituitur; per simplicem (inquam) conventionem; siquidem tam inter præsentes, quam inter absentes, verbis aut scriptura valide constituitur; l. 4, et l. penult., ff. h. t. Ex contractu autem venit pignus, quando res creditori traditur in securitatem crediti, ita ut possessio transferatur, quem contractum esse realem pignoratitium intelleximus, tit. instit., quib. mod. re contrah. oblig. Prima Pignoris species dicitur hypotheca, altera Pignus proprie dictum nuncupatur. Vide Huber loc. cit. (Edit. Barbiell.).

Digitized by Google

act. § *Fuerat* 29, instit, de actionibus. Et hæc tacita Hypotheca viget etiam in casu, quo maritus ob delictum privari debeat bonis, « cum, ut expresse dicitur in cit. cap. *Ex litteris*. Cum mulieribus, favor multus in recuperandis dotibus debeatur, et cautum sit in jure, quod propter maleficium viri mulier remanere non debeat indotata, » et de facto leg. 2, cod. nec Uxor pro Marito habetur sic expresse : « Ob maritorum culpas uxores inquietari leges vetant. » Insuper habet uxor Hypothecam tacitam in bonis mariti pro securitate bonorum paraphernalium ab ipso marito administratorum communis arg. l.; *Ubi* 29, c. de Jure dotium, et l. fin. cod. de Pact. convent. (10. Secundo etiam maritus vice versa habet tacitam Hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi præstanda, textu expresso in l. *Unic.* § 1, cod. de rei Uxor. act. ibi. « Damus ex utroque latere Hypothecam, sive ex parte mariti pro restitutione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote præstanda. »

(11. Tertio, tacitam Hypothecam habent liberi prioris matrimonii in bonis tam patris, quam matris ad secundas nuptias transeuntis, ratione bonorum, quæ ad eos ex priori matrimonio pervenerunt: leg. *Hac edictali* 6, § 2, et leg. *Si quis prioris*, 8 § 4, cod. de secundis nuptiis. (12. Quarto, pupilli et minores habent tacitam Hypothecam in cunctis bonis tutorum, et curatorum ; leg. *Pro officio* 10, cod. de administr. Tutor vel Curator. (13. Quinto tacitam hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsius pecuniis emptis; l. *Idemque*, 7, ff. *Qui potiores in pignore*. (14. Sexto, ecclesiæ, collegia, aliæque causæ piæ habent tacitam hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris rerum ad similes pias causas pertinentium ecclesiæ enim gaudent jure minoris ; c. 1, et c. *Auditis*, 3, de in integrum restitutione, et sic tenet Glossa in cit. c. *Ex litteris* 4, de pignoribus, verb. *Obligata* et communis doctorum.

(15. Septimo, tacitam Hypothecam habent Legatarii et Fideicommissarii in bonis a testatore relictis, § 2 Instit. de Legat. et l. 1 *Communia*, de Legatis. (16. Octavo, qui mutuas dat pecunias pro reficiendo ædificio, habet tacitam Hypothecam in ædificio suis pecuniis refecto; leg. 1, ff. *In quibus causis pignus tacite*, et eamdem Hypothecam habet in re, ad quam emendam, vel conservandam pecunias mutuas dedit; l. *Qui navem*, 26, et l. *Quod quis*, 36, ff. de Reb. auct. Jud. posses. (17. Nono venditor habet tacitam Hypothecam in re vendita usque dum pretium ei plene sit solutum : leg. *Julianus* 13, § 7, ff. de Actionibus empti; leg. *Quod si* 31, § 8, ff. de Ædilit. edict. et l. *Hæredit. vendit.* (18. Decimo, locator habet tacitam Hypothecam in omnibus a conductore in domum, vel prædium illatis, et invectis, non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ; l. 2, ff. In quibus causis pignus; et concordat leg. *Eo jure* 4, ff. eod. (19. Undecimo tacitam Hypothecam habet fiscus in bonis contrahentium cum eo, vel conducentium quid ab eo, et in bonis suorum officialium et administratorum; l. 1 et 2, cod. In quibus causis pignus tacite, et l. *Aufertur*, 46, ff. de Jure Fisci, ibi : « Fiscus semper habet jus pignoris. »

(20. Hypothecare, et oppignorare possunt omnes illi, qui rerum suarum liberam administrationem, habent leg. 2 et 6, ff. *Si res aliena pignori*. (21. Item tutor et curator, possunt oppignorare et hypothecare res minorum, et pupillorum pro eorumdem utilitate; leg. 3, cod. *Si aliena res;* leg. *Tutor* 16, ff. de pignor. act. (22. Oppignorare, et hypothecare, etiam potest procurator, vel negotiorum gestor si ad hoc speciale mandatum habet; l. *Solutum*, 11 fin.; ff. de Pign. action. vel si habet mandatum generale cum libera potestate, cit. leg. *Solutum*, et l. *Procurator cui* 58, ff. de Procur. (23. Prælati et Rectores Ecclesiarum, quamvis non possint absque Juris solemnitate res Ecclesiasticas alienare, prohibitas hypothecari Hypotheca speciali, ut expresse habetur in c. *Nulli*, 5, de rebus Eccl. non alienand. ibi : « Neque specialis Hypothecæ titulo obligari ; » possunt tamen absque juris solemnitate talia bona Ecclesiæ pro ejusdem, non item pro propria utilitate hypothecare Hypotheca generali, arg. a sensu contrario desumpto ex cit. cap. *Nulli* 5, de rebus Eccles. non alienand. Hoc enim ipso, quod ibidem prohibeatur sola Hypotheca specialis, ut patet ex adductis verbis, concessa censetur Hypotheca generalis, ut recte argumentantur, et tenent Abbas in d. cap. *Nulli*, n. 3, Joan. Andr. ibid., num. 1, et cum aliis Fagn. ibid. num. 30 et seq. Covarruv. variar. Resolut. cap. 16, n. 7; Molina disp. 466, n. 1; Layman lib. III, tract. 4, cap. 10, num. 2; Azor par. III, lib. VII, cap. 5, quæst. 4; Piringh. lib. III, decretal., tit. 13, n. 5 et tit. 21, num. 16; Reiffenstuel ibid num. 34, et ratio est, quia per hypothecam generalem non ita facile deveniri potest ad alienationem, seu venditionem rei generaliter solum obligatæ seu hypothecatæ sicuti per hypothecam specialem, per quam plus juris transfertur in creditorem cum periculo eam alienandi. Et hanc sententiam testatur Fagnanus, in cit. cap. *Nulli* 5, de rebus Eccl. alienand. vel non num. 32, probasse suo tempore sacram congregationem Concilii in contractibus regularium. (24. Nam proposito dubio, an in prohibitione nuper edita de rebus regularium non alienandis comprehendatur generalis Hypotheca, sacra congregatio censuit non comprehendi, et tamen prohibitio illa fuit concepta iisdem verbis, quibus utitur Paulus II, in Extravag. Ambitiosæ. (25. Hæc ille, qui ex multis probat hypothecam generalem bonorum Ecclesiæ in casu permisso posse fieri a rectoribus ecclesiarum etiam sine licentia episcopi. Vide verb. *Alienatio*, art. 4, n. 35 et 36.

(26. Res omnes, quæ emi et vendi possunt, etiam hypothecari, seu oppignorari possunt; leg. *Sic, et quod* 9, ff. de Pignoribus, ibi : « Quod emptionem, venditionemque recipit; etiam Pignorationem recipere potest. » (27. Et sic contra res quæ emi, et

Digitized by Google

vendi nequeunt, hypothecari, seu oppignorari etiam non possunt; l. 1, § 2, ff. Quæ res Pignori. Res aliena hypothecari seu oppignorari non potest absolute, l. 6, cod., *si aliena res*, ibi : « Per alium rem alienam invito domino pignori obligari non posse certissimum est. » Potest tamen res aliena oppignorari, seu hypothecari conditionate, nempe sub conditione, *Si acquisivero;* leg. *Si fundus*, § 7, de pignoribus, ibi : « Aliena res utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit. » (28. Creditor pignus habens potest illud alteri oppignorare, l. 1, cod. *Si pignus pignori datum.* (29. Creditor inscio, et invito debitore non potest uti pignore, et si utatur, furtum committit, actioneque furti conveniri potest, pro quanto æstimatur usus illius habitus; leg. *Qui jumenta* 40, l. *Si pignore*, 54, ff. de Furtis, ibi : *Si Pignore creditor utitur, furti tenetur.* (30. Fructus ex pignore percipere potest creditor, sed dein debet in sortem computare; ita ut tantum minuatur de debito, quantum percepit de fructibus ex pignore; imo totum debitum exstinguatur, pignusque restitui debeat, statim ac fructus percepti dotum debitum exæquant et insuper si fructus percepti superent debitum, debet restitui cum pignore etiam excessus fructuum perceptorum, textu expresso in leg. 1, cod. de Pignor Action. ibi : « Ex Pignore percepti fructus imputantur in debitum, qui si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio, et redditur pignus, si debitum excedunt, qui supererunt, et redduntur, » et cap. *Cum contra* 6, de Pignoribus, ibi : « Cum secundum canonicas sanctiones fructus restitui, et in sortem debeant computari. »

(31. Imo creditor modo supradicto, nedum computare debet in sortem fructus perceptos, sed etiam illos, quos ex tradita sibi re oppignorata percipere potuisset, et culpa sua non percepit, textu expresso in leg. *Creditor*, c. de Pign. action. ibi : « Creditor, qui prædium pignori nexum detinuit, fructus, quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet, » et concordat l. 2, cod. de pactis pignor. et tenent Glossa in cit. cap. *Cum contra* 6, de Pignorib., verb. *Perceptum;* et ib. Abbas num. 9, Molina, tract. 2, de Justit. disp. 535, num. 3; Azorius part. III. lib. VII, c. 8, quæst. 2; Pirhing. lib. III Decretal, tit. 21, num. 19; Reiffenstuel. ib. n. 48, et alii communiter contra Hostiensem in Summa de pignoribus, n. 9. Et ratio est, quia fructus rei fructiferæ, æque ac ipsa res censentur, oppignorati, et constituunt cum re unum pignus; l. *Quamvis*, 3 cod. in quibus causis pignus; Molina loc. cit. num. 3; Layman lib. III, tract. 4, cap. 30, n. 8. et alii citati.

(32. Pactum antichriseos contractui pignoris adjectum (quo nempe inter creditorem, et debitorem convenitur, ut donec debitum solvatur, creditor Pignore uti, et fructus ex eo percipere valeat). (33. Est illicitum et usurarium. Communis arg., cap. *Plures clericorum* 1, et cap. *Quoniam* 4, de usuris; ubi clare deciditur, quod sit usura lucrifacere fructus rei oppignoralæ, et insuper præcipitur fructus restitui, et in sortem computari. Et ratio est; quia quævis res domino suo fructificat, dominus autem Pignoris est debitor, et non creditor : l. *Pignus;* cod. de Pign. action.; mutuan enim non sit dominus Pignoris; adeoque usurarius et iniquus est, si fructus capiat ex eo, cum tales fructus percepti ex Pignore sint revera ultra sortem, ultra quam aliquid recipere ratione mutui, est proprie usura.

(34. Sic etiam in contractu Pignoris pactum legis commissoriæ (quo nempe debitor cum creditore convenit, ut si intra certum tempus debitum non fuerit solutum, Pignus dein ad creditorem pertineat; vel in solutum pro debito, vel in venditum pro certo pretio). (35. est illicitum, et usurarium, textu expresso in l. final. c. de pactis Pignorum, et lege commissor. et cap. *Significante*, 7 de Pignoribus : et ratio est, quia Pignus ordinarie est majoris valoris quam creditum; nemo enim accipit pignus minoris valoris, et æqualitas sæpe attingi non potest. Unde ad vitanda hujusmodi pericula injustitiæ, et usuras palliatas, atque gravamina maxima debitorum, tale pactum simpliciter reprobatur.

(36. Licitum autem est pactum, quo debitor cum creditore ita paciscitur, ut si intra præfixum tempus solutio facta non fuerit, tunc Pignus creditori sit venditum pretio justo taxando, secundum æstimationem prudentis viri, reddito excessu debitori, textu expresso in leg. *Si fundus*, 16, ff. de Pignor. et *communis* doctorum. (37. Sic etiam justum est pactum adjectum Pignori, ut si debitor in mora solvendi sit, v. g. intra biennium non solvat, possit creditor Pignus, vel Hypothecam statim distrahere, et aliis vendere, et quod recepto pretio reliquum est supra debitum, debitori restituat; leg. *Si convenit*, 4, ff. de Pignorat. action. et leg. final. § 1, cod. de Jure domin. empt. *Communis.* (38. In quo utroque casu non est opus, ut creditor debitorem de solutione prius moneat; l. *Magnam*, 12, de contrah. et commit. Stipul. et cap. *Potuit*, 4, de Locato et *conducto*, ibi : « Non obstante quod ei, ut canonem solveret, non exstitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet. » (39. Si oppignoratio facta est sine pacto ullo de vendendo Pignore, vel non; tunc potest quidem creditor Pignus vendere, sed debet præmittere unam saltem monitionem, ut debitor solvat; et post hanc per biennium exspectare; quo elapso, si debitor non solverit, Pignoris venditio legitima et justa sit, textu expresso in cit. leg. fin. § 1, cod. de Jure dam. empt. *Communis.* (40. Si oppignoratio facta sit cum pacto, ne vendatur, vendi nihilominus potest post biennium, sed non nisi trina monitione de solvendo prius præmissa; citat. leg. *Si convenit* 4, ff. de pign. act. *Communis.* (41. Creditor Pignus vendens non potest illud sibi ipsi emere, nequidem per interpositam personam, nisi de licentia judicis, si nullus alius vellet pretium justum etiam infimum offerre; l. *Et qui* 10. Cod. de distract. pignor.

Digitized by Google

(42. Creditori Hypothecario competit jus prælationis præ creditoribus non specialiter privilegiatis; leg. *Si Debitor* 10, ff. de Pignoribus. Si autem eadem res fuerit pluribus oppignorata, inter ipsos creditores Hypothecarios, potior est in jure qui prior est in tempore, etiamsi secundo creditori res non tantum obligata, sed etiam in Pignus actualiter tradita sit; leg. *Qui generaliter* 2, ff. *Qui potiores in Pignore;* l. *Licet* 7, cod. eod. et leg. 8; cod. eod. leg. 12, ff. eod. (43. Nec refert, an prior creditor habeat Hypothecam specialem, vel generalem; citat. l. *Qui generaliter* 2, ff. *Qui potiores in Pignore*, et l. *Si generaliter* 6, cod. eod. (44. In pignore eodem tempore pluribus constituto, præcedit ille, qui pignus possidet, et si nullus possidet, æquali jure utuntur; leg. *Si Debitor* 10, ff. de Pignoribus.

(45. Creditor tenetur Pignus sibi traditum exacta diligentia tueri, et conservare; leg. *Ea* 14, ff. de Pignorat. act. Aliter si dolo, vel culpa lata, aut levi ejusdem (non item levissima) Pignus periit, vel deterioratum est resarcire tenetur; § 4, Instit. Quibus modis re contrah. obligatio. (46. Creditor debito sibi soluto tenetur Pignus restituere; cit. § 4, Institut. Quibus modis re contrah. obligatio. (47. Imo una cum Pignore tenetur creditor restituere etiam omnes fructus ex Pignore perceptos, cum ipsi fructus debeant in sortem computari ex l. 1, c. de Pignor. act. juxta textum allegatum sub. n. 30. (48. Potest tamen creditor detrahere expensas, quas fecit in tuendo, custodiendo, et meliorando pignore; l. *Creditor* 7, c. de Pignor. act. ibi : « Creditor autem necessarios sumptus, quos circa res Pignoratitias fecit, exigere non prohibetur. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Pignoribus ac Hypothecis parce hic agit Auctor, neque in verbo *Pignus* aliquid addit. Materia autem hæc in Foro est frequentissima, quæ propterea pleniorem exigit tractationem.

(49. Hypotheca vel est expressa, vel est tacita. De tacita ut hic præ dignitate disseramus, est illa, quæ sine expressa conventione, *ob præsumptam voluntatem partium*, vel aliam justam causam a lege constituitur.

(50. Ob præsumptam voluntatem partium Hypotheca tacita datur, l. ex senatusconsulto, quod sub Marco imperatore latum est, creditori, qui pecuniam ob restitutionem ædificii exstruendi dedit; l. 1, ff. In quib. caus. Pign. vel Hypothec. tacite contrahatur; l. 24, § 1, ff. de Reb. Auct. Judic. possident.

(51. Quæ ad eum quoque pertinet, qui redemptori Domino mandante ministravit; legib. mox citatis.

(52. Non item ad illos, qui ad novum ædificium exstruendum, vel emendum, pecuniam crediderunt, l. 19, c. de Pign. l. 7, c. *Qui pot. in pign.* Novell.; 136, cap. 3.

(53. An illis competat tacita hæc Hypotheca, qui ad navem, vel aliam rem debitoris conservandam, reficiendam, vel aliam rem debitoris crediderunt, non conveniunt auctores; affirmant Rauchb. lib, 1, quæst. 5, n. 1 et 6; Carpzov. Jurispr. Forens. par. 1, constit. 28, defin. 105; Mev. decis. 84, par. v; negant vero Bachov. ad Treuter. vol. II, disput. 24, thes. 7; Lauterbach. in disput. de tacit. Pignor, thes. 25; Harprect. in Commentar. ad Jus Badens. part. IV, thes. 69.

(54. Nota vero, quod Hypotheca concessa propter conservationem rei non habet locum, nisi in ipsa re; confer. Lauterbach. in Colleg. tract. ad Titul. in quib. caus., etc., § 76.

(55. II. Datur Hypotheca tacita ob præsumptam partium voluntatem locatori in iis quæ in prædium urbanum non rusticum, ut ibi perpetuo sint invicta, et illata; l. 1, 2, 3, 4, 5, in princip. 6, 7, § 1, In quib. caus., etc., 5 et ult. c. eod.

(56. Quæ et in invectis, et illatis secundi Conductoris locum habet; l. 11, § 5, ff. de Pign. act.

(57. Ab hac vero tacita Hypotheca excipit alios allegans Linglois. dec. 46, quæst. 5, num. 1, libros doctorum, et studentium, arma, et equos militum, necnon operariorum instrumenta fabrilia, sine quibus vitam diu operarii sustentare non possunt, vestem, et suppellectilem patrisfamilias, cujus nomine venire ea autumat, quæ refert jurisconsultus in l. 2, 3, et aliis seq. ff. de Suppell. legat. itemque aratra, ligones, vomeres, boves, et universa, quæ ad agriculturam pertinent.

(58. Num autem ab hac hypotheca tacita excipienda sint bona venialia in domum illata, tum illata in tabernam, dissentiunt doctores. Vide affirmantes, et negantes doctores, apud Speid., locupletat. lit. P. art. 2, de tacit. Hypothec. legat.

(59. Conducente vero patrefamilias pro se, et familia sua ædes, Hypotheca hæc tacita locum non habet in rebus paraphernalibus uxoris, bonis castrensibus, et adventitiis liberorum, vel famulorum; Lauterbach. in disput. de tacit. Pign., thes. 12.

(60. III. Datur hæc Hypotheca tacita ob præsumptam voluntatem partium locatori in fructibus, qui in prædio rustico nascuntur l. 7, in princip. ff. Quib. in caus., etc.

(61. Citra vero præsumptam voluntatem partium sola legis dispositione Hypotheca tacita datur, I. Fisco, ratione tributorum in bonis eorum qui censentur; l. 1, c. Quib. in caus., etc.; l. 1, cod. Si propt. public. Pens. in bonis eorum qui cum eo contrahunt; leg. 2, c. Quib. in caus., etc.; nequaquam vero eorum qui ex delicto ad pœnam obligati sunt; leg. 17 et 73, ff. *de Jur. Fisc.* contrarium licet teneat Lyncker. decis. 643, tum in bonis debitoris primipilaris, ejusque Uxoris; l. 4. c. *Quib. in caus.*, etc.; et demum in bonis administratoris fiscal. l. 1, cod. de Privil. Fisc. tit. c. *Si propt. public. pens.* Tenet vero Merend. lib. II controvers. Jur., cap. 29, tacitam hanc Hypothecam non incipere a tempore cœptæ administrationis, sed a tempore actus quo fiscus læsus fuit.

(62. Sola legis dispositione datur, II. hæc Hypotheca tacita reipublicæ, civitati, ecclesiæ in bonis administratorum; argum. leg. 20, c. de admin. tutor. junct. l. 3. c. de Jur. Reipublic.; leg. 23, § 1, cod. de SS. Eccles.

Digitized by Google

non etiam ut creditrici in bonis debitorum; l. 2, c. de Jure Reipublic.; l. 8, cod. Qui pot. in pign.

(63. Hanc vero Hypothecam minime competere collegiis opificum in bonis administratorum tradit Schiller. in Prax. jur. Rom. exerc. 33, § 28.

(64. III. Sola dispositione legis tacita hæc Hypotheca competit liberis prioris matrimonii in bonis vitrici, ratione tutelæ maternæ, si scilicet mater, alio tutore non petito, neque rationibus redditis ei nupserit; l. 6, cod. Quib. in caus. etc., in bonis parentum ad secundas nuptias transeuntium ratione eorum, quæ ex priori matrimonio ad eos pervenerunt; l. 6, § 2, cod. sedcund. nupt. in bonis patris ratione bonorum maternorum, aliorumque adventitiorum, quæ pater administravit; l. 6, § ult. c. de Bon. quæ Liber. l. 7, § ult. c. de secund. nupt.

(65. IV. Sola legis dispositione datur hypotheca tacita pupillis et minoribus, eorumque hæredibus in bonis tutorum et curatorum; l. 29, c. de admin. Tut. leg. 19, § 1, de reb. auct. jud. poss. Novell. 22, c. 40, in rebus pecunia eorum emptis; l. 7, ff. Qui pot. in Pign. non item aliis; l. 17, c. de Pign.; l. 7, cod. Qui pot. in Pign.

(66. Incipitque hæc Hypotheca tacita, quæ competit pupillis et minoribus in bonis tutorum et curatorum, non a tempore malæ administrationis, sed a tempore suscepti muneris; Bachov. de Pign. lib. II, cap. 9, num. 5; Lautherbach in dict. disput. de tacit. Pign., thes. 37.

(67. Sola legis dispositione datur V, tacita Hypotheca marito pro dote præstanda in bonis ejus, qui dotem promisit; l. un. § 1, cap. de Rei Uxor. action.

(68. De eo quæri solet, an et furiosis, mente captis, surdis, et mutis tacita hipotheca competat in bonis suorum tutorum? Negat inter alios Lauterbach., in disput. de tacite Pign. thes. 35. Affirmat Bardill. exercit. 2. concl. 39.

(69. VI. Dispositione sola legis Hypotheca tacita datur uxori pro dote repetenda in bonis mariti, ejusve, qui dotem suscepit, d. l. un. § 1, c. de rei uxor. *act.* ut et pro dotis augmento; nov. 97, c. 2, paraphernis leg. ult., cod. de Pact. convent. et donatione propter nuptias, l. 29, ff. de Jur. dotium.

(70. Datur VII. Sola dispositione legis tacita Hypotheca legatariis, et fideicommissariis pro legatis, et fideicommissis consequendis in bonis testatoris; l. 1, c. commun. de legat.

(71. VIII. Datur tacita Hypotheca sola legis dispositione redemptori in persona ab hostibus capta, et redempta pro pretio redemptionis; l. 15, ff. de Captiv.; l. 2, c. de Postlim. revers.; l. 20, § 1, ff. Qui testam. fac. poss.; l. 43, ult. ff. de *Legat.*

(72. Hi sunt casus certi, in quibus sola dispositione legis Hypotheca tacita locum habet. Non sum autem nescius esse doctores, qui eam ad alios casus extendunt. Vide de iis quid senserit Stryk. in us. mod. pand. lib. II, § 7, et plur. seq. Confer. etiam Speidell. locuplet. lit. p. art. de var. tacit. Hypothec., et auctores ab eo allegatos.

(73. Tenent nonnulli in hoc differre Hypothecam tacitam ob præsumptam voluntatem partium ab Hypotheca tacita sola legis dispositione, quod hæc locum sibi vindicat, non obstante, quod agatur de pupillis, minoribus, etc., qui bona suæ Hypothecæ subjicere nequeunt, illa vero nequaquam locum sibi vindicare possit, si de mox dictis personis res sit. Vide Bachov. de Pignor. lib. I, c. 9, n. 13, et rursus c. 11, n. 1 et seq. Impugnat vero Bachovium aliosque ejus asseclas Wissembac. in disp. 39, in Pand. lib. XXVIII, thes. 1, § 19.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(74. In hac tamen propositione relate ad Hypothecam generalem contrarium ex rationibus ut infra statuendum videtur. Et quanquam in cap. *Nulli* 5, de reb. Eccles. alienand. vel non, non aliter mentio habeatur, quam de Hypotheca speciali in his verbis, ibi: « Neque specialis Hypotheca titulo alienare »: non ideo generalis Hypotheca censeri potest permissa. Nam si præcipua ratio prohibendi Hypothecam specialem in bonis ecclesiasticis ea fuit, ne absque juris solemnitate res Ecclesiæ alienarentur, uti recte percipitur ex iis, quæ habet Auctor sub num. 23 et 24, et doctores ibidem relati, eodem jure nec generalis Hypotheca super prædictis bonis videri potest permissa; utraque siquidem sive generalis sit, sive specialis est actus, per quem potest facillime vera contingere alienatio jure Pignoris, leg. 2 et 3, de distract. Pign. et notat. Covarruv. var. Resolut. lib. II, c. 16, num. 7.

(75. Ulterius autem admittenda non est ratio, quod nimirum plus juris transferatur in Hypothecarium specialem, quam in Hypothecarium generalem cum alias compertum sit, quod illud, idemque jus, quod super certa, et expressa re competit Hypothecario speciali, super omnibus, et singulis debitoris bonis competat Hypothecario generali, uti explicat Rodriq. de Concurs. art. 1, par. II, num. 23, 30; Connan. comm. jur. civ. lib. IV, cap. 17, num. 6. Adde etiam, quod Hypothecarius generalis anterior optionem habet ex quibus bonis sibi generaliter obligatis de suo credito velit satisfieri text. in leg. *Creditoris arbitrio*, ff. de dist. Pign. et in l. *Moschis*, ff. de *jur. Fisci*, leg. *Si generaliter* cod. qui pot. in Pign., et in l. 2, ff. qui pot. in Pign. in præjudicium etiam illius, qui specialem habet posteriorem Hypothecam Corneus cons. 246, lib. I; Covarruv. lib. III, cap. 17, num. 2, vers septimo; Molin. de primog. lib. IV, cap. 7, num. 27; Niger. de Subhast. part. II, cap. 8, § 4. num. 25; Merlin. de Pign. lib. IV, quæst. 21, n. 13, et seqq. Et hoc potissimum juris fundamento statutum, est quia, ut animadvertit Voet ad Pand. lib. XX, tit. 1, § 15, non debet Hypothecario generali « per supervenientem Hypothecam specialem adimi suum jus eligendi ex generaliter obligatis eam rem cujus prosecutionem sibi faciliorem, aut commodiorem, aut

Digitized by Google

tutiorem arbitratur l. » *Qui generaliter*, 2, ff. qui pot. in Pignor.; l. *Si generaliter*, 6, cod. eod. tit.; Carpzovius defin. for. part. II, const. 23, defin. 29; Bruneman ad leg. 2, ff. pot., etc. Quod sane non fieret, si plus juris in Hypotheca speciali, quam in generali transferetur.

(76. His tamen obstare videtur l. 3, cod. de serv. Pign. dat. manumis. in qua dicitur, quod servus specialiter obligatus manumitti nequit, secus si generaliter. Textum hunc autem sic explica, quod nequeat manumitti servus specialiter Hypothecatus, quia in cæteris bonis nullam habet Hypothecam Hypothecarius specialis. Ex eo vero permittitur manumissio servi generaliter Hypothecati, quia et in cæteris Hypotheca non deficit, hoc tamen ex favore libertatis, uti explicat Zœs. in cod. lib. VII, tit. 8, et Corvin. pariter in cod. lib. eod., tit. eod. dummodo tamen in cæteris solvendo sit debitor l. 21, ff. de manumiss.

(77. At de pacto hoc antichrestico, sive ut latine sonat: Reciproci usus, vide fuse sub tit. empt. et vendit. Quæri etiam possit, an Hypothecarius generalis, unaque specialis uti possit Hypotheca generali in præjudicium creditoris posterioris, qui super certa, et expressa re Hypothecæ habet jus constitutum. an potius Hypotheca speciali, qua utens nullum infert posterioribus præjudicium. Pro affirmativa, quod nimirum Hypothecarius generalis uti valeat Hypotheca generali in præjudicium etiam posteriorum stare videtur; Test. in l. *Creditores arbitrio*, ff. de dist Pign., et in l. *moschis*, ff. de jur. fisci, l. *Si generaliter*, cod. qui pot. in Pign. habet, etc., quos tamen limita quando obligatio omnium bonorum qualificatur a speciali pignore, quia tunc debet prius excuti pignus speciale, ad tradita per Molin. de primogen. lib. IV, cap. 7, n. 20 et seqq.; Covarruv. Var. lib. III, c. 18, Merlin. de Pign. lib. IV, quæst. 21, per tot. Rodriq. de Concur. cred. par. II, art. 1, n. 28 et seqq.; Surd. dec. 44, per tot, et decis. 28. cor. Merlin. et decis. 380 coram Royas. Tunc enim Hypotheca generalis dicitur tantum subsidiaria, uti recte explicat Cujac, l. III, Resp. papinian. in l. 2, qui Pot. in Pig. et in lib. VIII, cod. tit. 13, leg. 1 et 2. Secus enim inutilis foret expressio certi fundi, quem ipsa generalis obligatio amplectebatur, nisi generalem obligationem ista suspenderet, sic Donell. cod. de Pign.

I

IDOLOLATRIA.

Idololatria, ut patet ex nominis etymologia, divinum cultum erga falsos Deos, et creaturam exhibens, est peccatum quidem semper gravissimum; vide Verbum Superstitio, *n. 8 et 9, ubi dicitur quid et quotuplex sit, quomodo et quando opponatur fidei, et religioni. necnon de excommunicatione in bulla cœnæ ob eadem idololatriam quando incurratur.*

IGNORANTIA.

SUMMARIUM.

1. Ignorantia in genere quid sit. — 2. Ignorantia ut sic dividitur in positivam, privativam et negativam et quæ singulæ sint. — 3. Ignorantia et nescientia differunt, et quomodo. — 4. Ignorantia privativa dividitur in ignorantiam juris, facti et pœnæ, et quæ singulæ sint. — 5. Ignorantia rursus dividitur in antecedentem, concomitantem et subsequentem, et quæ singulæ sint. — 6. Ignorantia dividitur ulterius in invincibilem et vincibilem, et quæ utraque sit. — 7. Ignorantia vincibilis subdividitur in affectatam et non affectatam, et quæ utraque sit. — 8. Ignorantia non affectata alia est crassa et supina, et alia non non crassa nec supina, et quæ utraque sit.. — 9. Ignorantia invincibilis juris divini excusat a peccato. — 10. Etiam ignorantia invincibilis juris naturæ excusat operantem ab omni peccato. — 11. Ignorantia invincibilis non solum juris sed etiam facti excusat omnino a culpa. — 12. Ignorantia invincibilis, non solum antecedens, sed etiam concomitans, excusat a peccato. — 13. Ignorantia vincibilis, sive antecedens, sive concomitans non excusat a peccato. — 14. Ipsa vero ignorantia vincibilis, quamvis non excuset a culpa in toto, minuit tamen in parte. — 15. Magis minuit culpam ignorantia non crassa nec supina, quam crassa et supina. — 16. Ignorantia affectata, nedum minuit culpam, sed potius eam auget. — 17. Ignorantia invincibilis, tam juris quam facti, sicuti excusat ab omni culpa, ita etiam excusat et liberat ab omni pœna per leges positivas decreta. — 18. Etiam ignorantia facti, aut ipsius juris statuentis pœnam, vincibilis et culpabilis quæcunque non crassa, vel supina excusat a pœna per legem decreta. — 19. Non excusat tamen a pœna per legem decreta ignorantia juris vel facti crassa, vel supina. — 20. Ignorantia, sive vincibilis, sive invincibilis solius pœnæ, et non juris, vel facti, non excusat ab ipsa pœna transgressores legis eam statuentis, excepta pœna censurarum. — 21. Ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis. — 22. Ignoranti non currit tempus. — 23. Ignorans, et qui dicitur impeditus æquiparantur. — 24. Et quidem dicitur impeditus impedimento juris, et facti. — 25. Ideoque ignoranti tanquam impedito est subveniendum. — 26. Imo respectu rei ignoratæ consideratur tanquam res inanimata. — 27. Nec præstat consensum. — 28. Nec itidem censetur remittere jus suum. — 29 ad 39. De ignorantia juris et facti.

(1. Ignorantia in genere, nomine et re nihil aliud est quam carentia notitiæ, seu cognitionis alicujus rei. (2. Communis. Ignorantia, ut sic, dividitur in positivam, privativam et negativam Ignorantia positiva, seu parvæ dispositionis est carentia notitiæ, seu cognitionis veritatis cum positivo contrario errore. Talis ignorantia datur in Judæis, hæreticis et paganis qui non solum alicujus veritatis præsertim supernatu-

Digitized by Google

ralis cognitionem non habent, sed insuper erronee judicant rem aliter esse ac revera est. Ipsi enim non solum v. g. ignorant Christum esse Deum, sed insuper erronee judicant esse purum hominem. Ignorantia privativa, seu meræ privationis, est privatio, seu carentia scientiæ eorum quæ quis ex natura et conditione sua aptus natus est scire, ut si homo adultus et rationis compos ignoret ea quæ secundum statum suum scire posset. Ignorantia negativa, seu puræ negationis, est carentia notitiæ in subjecto non apto habere talem notitiam, vel ex natura sua, ignorantia Dei in lapide vel ex statu suo, ut talis ignorantia Dei in amente et infante. Et talis ignorantia ex S. Thoma 1, 2, quæst. 76, art, 2, non est appellanda proprie ignorantia, sed *nescientia*. (3. Unde, ut vides, *nescientia* et ignorantia, licet quandoque promiscue una pro alia accipiatur, tamen differunt; Cod. per quas personas nobis acquir. *l.* II, Cod. de rei uxor. action. *l.* I. § 1. Qui enim nescit experiendi potestatem non habet, teste Cajo, *in l.* annus, de calumn. Ignorare autem est id nescire quod sciri potest, vel etiam debet. Hinc nescire latius patet quam ignorare; quippe omnis qui ignorat nescit, sed non e contra; Calvin. in lexico juridic. verb. *Nescire*. Qui ibid. sub verb. *nescientia* subjungit : et dici potest, quod nescientia differat ab ignorantia, quia ignorantia est eorum quæ scire tenemur. Nescientia vero eorum quæ scire non tenemur; unde ignorantia in malam partem, nescientia vero in bonam partem sumitur: Gloss. l. de statu, de testament. glos. Rubr. de jur. et fact. ignorantia. Hæc ille (62).

(4. Ignorantia privativa dividitur in ignorantiam juris, in ignorantiam facti, et ignorantiam pœnæ. Ignorantia juris est qua quis ignorat jus, seu legem, aut præceptum; quod rem aliquam vetat, aut præcepit, ut quando ignoratur lex, seu præceptum quo prohibetur furtum, aut quo præcipitur jejunium. Ignorantia facti est qua quis ignorat non quidem legem, aut præceptum, sed actionem in particulari esse contra legem, aut præceptum, ut si quis nesciat carnem esse quam comedit die jejunii, vel non advertat, aut recordetur esse diem jejunii, nam nomine ignorantiæ comprehenduntur etiam inadvertentia, inconsideratio, et oblivio. Ignorantia pœnæ est qua quis ignorat pœnam latam in delinquentes, ut si quis ignoret excommunicationem latam in injicientes manus violentas, in clericos, in simoniacos, et hujusmodi.

(5. Ignorantia rursus dividitur in antecedentem, concomitantem et subsequentem. Ignorantia antecedens est quæ præcedit factum et omnem voluntatis actum circa illud ac proinde nullo modo, nec directe, nec indirecte est voluntaria estque aliquo modo causa cur fiat opus, in quantum removet scientiam quæ si adesset, opus non fieret; talis ignorantia est in venatore qui existimans occidere feram interficit hominem, quem nullatenus occidisset, si esse hominem scivisset. Ignorantia concomitans est quæ concomitanter se habet ad actum voluntatis, et nec movet ad operandum, nec removet ab operatione, sed ita afficit operantem ut eodem modo operaretur si talis ignorantia abesset; unde actum voluntatis nec antecedit, nec sequitur, sed tantum concomitanter se habet ad illum, ut cum venator ille pro fera inimicum suum non de eo cogitans interficit, quem tamen occidisset si novisset esse suum inimicum. Ignorantia subsequens est quæ a voluntate directe, vel indirecte est volita, adeoque sequitur illam ut ejus effectus, estque simpliciter voluntaria, et culpabilis : Talis ignorantia directe, seu indirecte volita reperitur in illis qui, vel expresse ignorare volunt, vel non curant, ut debent, addiscere ea quæ scire possunt et tenentur.

(6. Ignorantia dividitur ulterius in invincibilem et inculpabilem, et in vincibilem et culpabilem. Ignorantia invincibilis et inculpabilis est quæ morali diligentia vinci, vel tolli nequivit, utpote quia vel nunquam venit in mentem cogitare, vel dubitari de tali re, vel etiamsi in mentem venisset, tamen morali et ordinaria adhibita diligentia, ignorantia illa vinci, seu tolli, et veritatis cognitio acquiri non potuisset; et hæc simpliciter non est voluntaria nec directe nec indirecte, ideo etiam dicta antecedens, quia omnem actum voluntatis antecedit. Ignorantia vincibilis et culpabilis est quæ morali adhibita diligentia vinci ac superari, et opposita scientia acquiri potuisset et debuisset, et hæc ignorantia semper est aliquo modo voluntaria directe, vel indirecte, ideoque etiam dicta subsequens quia actum aliquem voluntatis subsequitur.

(7. Ignorantia vincibilis et culpabilis subdividitur in affectatam et non affectatam quæ inter se differunt, quod illa directe voluntaria sit, et hæc indirecte, ut cum S. Thoma 1, 2 quæst. 76, art. 3, observant passim doctores. Hinc ignorantia affectata et directe voluntaria est, cum quis data opera vult ignorare et non inquirere veritatem, sive ob discendi tædium ac pigritiam, sive ut legis obligatione ignorata vel excusationem aliquam mereatur a transgressione legis, vel liberius sine remorsu conscientiæ peccare possit, de quo regius Psaltes psal. XXXV, ait : *Noluit intelligere, ut bene ageret;* et Job c. XXI, legitur : *Qui dixerunt Deo, recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus;* et S. Thom., cit. q. 77, art. 1, in corpore dicit, quod « talis ignorantia videtur augere voluntarium, ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi. » Ignorantia non affectata et

(62) Sive ut S: Thomas loc. cit. Ignorantia in hoc a nescientia differt quod nescientia dicit simplicem scientiæ negationem : unde cuicunque deest aliquarum scientia potest dici nescire illa : secundum quem modum Dionysius in angelis nescientiam ponit 7, capit cœlest. Hierarchiæ; ignorantia vero importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ ipsa natus est scire.» EDIT. BARBIELL.

Digitized by Google

indirecte tantum voluntaria est cum quis, non quidem vult ipsam ignorantiam in se, sed solum non vult adhibere sufficientem ac debitam diligentiam inquirendi ac cognoscendi veritatem; ideoque eo ipso indirecte velle ignorantiam convincitur. (8. Et hæc ignorantia alia est crassa, seu supina, ad quam superandam veritatemque cognoscendam ulla prorsus diligentia, vel cura adhibita est qualis plerumque esse solet ignorantia earum rerum quæ communiter ab ejusdem status vel conditionis hominibus cognoscuntur, vel etiam cognosci debent; et alia est non crassa, nec supina, ad quam tollendam aliqua quidem, sed tamen non sufficiens diligentia et adhibita, seu ea est quæ non tam facile superari et tolli potuit.

(9. Ignorantia invincibilis juris divini excusat a peccato; communis ac certa, et habetur expresse ex Joan. xv, ibi : *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato.* Unde S. Pius V. die 1 Octobris 1567 const. incip. *Ex omnibus*, merito damnavit inter alias propositiones Michaelis Baii sequentem 68, in ordine : « Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est prædicatus peccatum est, » quam damnationem confirmarunt Gregor. XIII die 29 Januar. 1579, constit. incip. Provisionis nostræ; et Urban. VIII die 6 Martii 1641, constit. incip. *In eminenti*. (10. Etiam ignorantia invincibilis juris naturæ excusat operantem ab omni peccato; communis. Unde Alexander VIII die 7 Decemb. 1690, inter alias merito damnavit sequentem propositionem, 2 in ordine : « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali (63). »

(11. Ignorantia invincibilis non solum juris, sed etiam facti, excusat omnino a culpa, quia ubi non est voluntarium, uti in ignorante ignorantia invincibili tam juris, quam facti, ibi nulla est culpa : Ita S. Augustinus, lib. 3 de liber. arbit., c. 18, et lib. de duabus animabus, cap. 10 et 11. S. Thom., 1, 2, qu. 76, art. 4. S. Bonaventura, 2 sent. d. 2, art. 2, qu. 3, et communis aliorum. (12. Ignorantia invincibilis non solum antecedens, sed etiam concomitans excusat a peccato; Ita Suarez de censur. disp. 4, sect. 8. Vasquez, disp. 123, c. 2. Sanchez, lib. 1 moral., c. 16, n. 13. Azor., lib. 1, c. 14, q. 4. Laym., li. 1, tr. 2, c. 5, n. 8. Card., lib. 11, q. 19. Reiffenst., Theol. moral. tr. 5, dist. 1, q. 3, n. 43. Spor., tom. I, tract. 1, pœmial. c. 2, sect. 4, n. 35, ubi testatur de communi contra Cajetanum, Covarruv. Sayrum et alios. Et ratio est, quia ignorantia invincibilis etiam concomitans tantum, et non causans opus, vere et invincibiliter reddit incognitum, et consequente involuntarium id quod cum tali ignorantia agitur; sed ubi non est voluntarium ibi non est culpa : ergo qui invincibiliter hominem ignorat esse quem pro fera occidit, quamvis nihilominus occidisset si antecedenter cognovisset esse suum inimicum, nullam incurrit culpam; Deus enim non imputat homini peccata quæ faceret si hoc vel illud in mentem ei veniret, sed divinæ gratiæ ascribendum est quod in animo de facto non incidat, ut ex S. Augustino recte docent Suarez tom. II, de relig., lib. III de juramento, c. 6, n. 6. Sanchez, l. III, moral. cap. 5. Layman loc. cit. num. 8. Sporer. loc. cit. num. 35. Tum quia licet actus, homicidii, v. g. factus cum ignorantia concomitante tantum habuerit adjunctum effectum, vel propositum adhuc occidendi etiamsi cognovisset esse hominem suum inimicum, vel, postea comperto revera fuisse hominem suum inimicum, sequatur gaudium, complacentia et approbatio manent quidem illa voluntaria, et peccata seorsim homicidii interni : et ipse actus, ut homicidii externi, sicuti de facto est incognitus, ita est non voluntarius et consequenter non peccaminosus, quod optime tradidit Sotus tract. de ratione evadendi peccata, lect. 2, ibi : « Ignorantia concomitans, nec accusat, nec excusat, cum nec voluntaria sit, nec involuntaria. Itaque occisio inimici, dum putatur occidi feram, non fuit tunc peccatum, quia non est voluntaria, erit tamen peccatum quando opus placuerit. »

(13. Ignorantia vincibilis sive antecedens, sive concomitans, non excusat a culpa, cap. 1 de ordinat. ab episcop. qui renunciav. episc., et cap. apostolicæ, de cleric. excom. ministr. S. Thomas 1, 2, q. 76, art. 4; et alii communiter. Quod enim sit ex ignorantia, vel cum ignorantia vincibili, est voluntarium, adeoque peccaminosum. (14. Ipsa vero ignorantia vincibilis saltem non affectata, quamvis non excuset a culpa in toto, minuit tamen in parte; *communis*. (15. Et ratio est, quia actus quanto minus est voluntarius tanto minus est peccaminosus; actus autem procedens ex ignorantia licet vincibili, etiam crassa vel supina, saltem non affectata, est minus voluntarius, ut de se patet, quam actus procedens ex scientia adeoque licet talis ignorantia vincibilis non excuset a culpa in toto minuit tamen in parte; et quidem

(63) Huic propositioni nectenda hæc altera propositio : Nullius hominum compos sui invincibili ignorantia juris naturæ laborat; id docet Apostolus illis verbis ad Rom. c. II, v. 15 : « Gentes, quæ legem (scriptam) non habent, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. » Ex quibus verbis S. Augustinus l. II de serm. Dom. in Monte. 9, infert nullam esse animam « quæ tamen ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus; » Videsis, P. Jo. Laur. Berti de Theol. Discipl. lib. 21, cap. 10, et si libet, etiam Jo. Gotth. Heineccium jur. nat. et gent. l. I, c. 1. (NOTÆ EX ROM. EDITIONE.) (*a*)

(*a*) Cæterum Berti *ibid.* profitetur se circa consequentias juris naturæ censere ignorantiam invincibilem esse admittendam . . . . quod conclusiones juris naturæ remotiores deducuntur ex principiis longiori, implexoque discursu quem rudes quamplurimi etiam ordinariis gratiæ adjumentis non destituti efformare nequaquam valent, ut in multis ad usuram, et matrimonii impedimenta spectantibus non perraro contingit. (EDIT. BASSELL.)

Digitized by Google

proportionabiliter, quanto minus est voluntaria ignorantia et culpabilis, eo minus erit peccaminosus actus ex ipsa procedens. Hinc magis minuit culpam ignorantia non crassa nec supina, utpote minus voluntaria, quam ignorantia crassa et supina, utpote magis voluntaria, ut patet ex traditis supra num. 8. (16. Notanter autem fuit dictum saltem non affectata, quia ignorantia affectata nedum non minuit culpam, sed potius auget quam minuit voluntarium. Ipsa enim adeo adhæret peccato ut etiam pro majori libertate sine ullo conscientiæ scrupulo peccandi horreat scientiam avocantem a peccato, ut patet ex Job xx, ubi consimiles impii affectati ignorantes dixerunt Deo : *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus*, et alias apud regium Psaltem psal. xxxv. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, et sic notavit S. Gregorius lib. xxv Moral. cap. 11, et docuit S. Thomas citat. q. 76, art. 1, in corpore, per præcisa verba adducta sub num. 7, et tenent Corduba lib. I, quæst. 20; Navarr. in cap. *Sciendum* 4, d. 2. de pœnit.; Sanchez lib. I Moral., cap. 17, num. 5; Castro lib. II de Lege pœnali, cap. 14; Layman loc. cit. num. 9, et alii passim.

(17. Ignorantia invincibilis tam juris quam facti, sicuti ex dictis sub numer. 11, excusat ab omni culpa, ita etiam excusat et liberat ab omni pœna per leges positivas decreta : Communis, ex c. *Nullus*, et cap. *Quis locus* 1, quæst. 4. Cum enim pœna decernatur propter culpam, cessante culpa tanquam causa, cessare etiam debet pœna tanquam effectus. Sic v. g. qui percussit clericum invincibiliter ignorans eam percussionem esse ab Ecclesia prohibitam sub pœna excommunicationis in cap. *Si quis suadente Diabolo* 29, caus. 17, q. 4. aut nesciens vel non advertens illum esse clericum, sine dubio non incurrit pœnam excommunicationis, textu expresso in c. *Si vero* 4, de Sent. excomm. et cap. *Ut animarum periculis* 2, de Constitutionibus, in 6. (18. Etiam ignorantia facti aut ipsius juris statuentis pœnam, vincibilis et culpabilis quæcunque non crassa, vel supina, excusat a pœna per leges decreta. Ut si in allato exemplo dubitans, vel suspicans forte esse clericum absque sufficienti inquisitione et diligentia credat non esse, et percutiat, non incurrit excommunicationem, et sic in similibus; Communis, textu expresso in cit. cap. *Ut animarum periculis* 2, de Constitutionib., in 6 ibi : « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » (19. Ubi ut vides, a pœna per legem decreta non excusat ignorantia juris vel facti, crassa vel supina, ibi : « Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » Communis.

(20. Ignorantia sive vincibilis, sive invincibilis solius pœnæ et non juris vel facti, non excusat ab ipsa pœna transgressores legis eam statuentis, exceptis pœna censurarum. Qui enim non ignorat legem latam, seu factum aliquod lege esse prohibitum ; ignorat autem annexam pœnam : si in illam legem prævaricetur, non culpæ solum, sed etiam pœnæ reus efficitur. Sic Covarruvias, in cap. *Alma mater* p. 1, §. 10. num. 9; Sotus in 4. dist. 6, qu. 8; Azorius part. I, lib. I, cap. 15, qu. 1 et 2; Jul. Clarus § fin. qu. 85, vers. *Secundus est casus;* Herincx, part. II, tract. 3, disp. 5, qu. 3, num. 28 et 29; Layman, lib. I, tract. 4, cap. 20, num. 6; Molina, tr. 5, disp. 71, num. 9; Sanchez, lib. IX, de Matrim., disp. 32, num. 21; Reiffenstuel, lib. V Decret. tit. 3, § 13, n. 321; Sporer, loc. cit., numer. 29, et alii passim contra paucos quosdam apud Tamburin. lib. I in decalog., c. 2, § 1, num. 12. Et ratio est quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, id est culpam, ergo nec effectum, sed ipsam pœnam. Tum quia universali praxi omnium tribunalium tum ecclesiasticorum, tum laicalium constat malefactores, et legum transgressores variis affici pœnis rotæ, patibuli, gladii, combustionis, exsilii, quamvis invincibiliter ignorent delicta a se committenda et commissa pœnis hujusmodi subjacere (64 68) (21. Dicitur autem notanter « excepta pœna censurarum, » quia ex communi omnium sententia, ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis cæteroquin contra legem agendo, gravissime quis peccet. arg. cap. *Si vero* 4, de Sent. excomm. et cap. *Ut animarum periculis* 2, de Constitution., in 6. Ad incurrendum enim censuras requiritur contumacia; hæc autem non adest, ubi ignorantia censurarum habetur, adeoque, etc. Navarr. in Manual. cap. 27, numer. 274; Silvest., verb. *Ignorantia*, num. 14; Reiffenstuel, lib. V Decretal., tit. 3, num. 323, et tit. 39, numer. 31; Sanchez l. c. n. 13; Sporer l. c. n. 39; Layman, lib. I, tract. 4, p. 1, c. 5, n. 8, et alii complures.

(22. Ignoranti non currit tempus, Innocent. in cap. *Ne pro defectu*, n. 2 de election. Calder. Consil. 566. Mandavit alios 37 de testam in fin.; Baldus Cons. 92, *Quædam* in prin-

(64-68) Ne putes, lector, quemcunque ignorantiam excusare hominem a censura; nam si affectata sit ignorantia, quæ scientiæ æquivalet, a censura hominem non excusat, ut optime advertit Suarez disp. 4, sect. 10. Quamobrem graviores theologi ut falsam et laxam Salmanticensium opinionem rejiciunt, quæ immunem a censura efficit hominem qui ignorantiam affectat, ut liberius et impudentius peccet. Imo, si generalia sint canonum statuta, quæ ab omnibus sciri et custodiri debeant, quo in casu invincibilis ignorantia censuræ legi universali annexæ præsumi non potest, non adeo facile a censura immunes declarandi erunt ignorantiæ prætextu harum legum transgressores. Quis enim a censura eximeret illum qui duellum committeret, sciens ab Ecclesia prohibitum esse, quia ignorat huic prohibitioni annexam esse censuram? Quia ergo difficile est dari ignorantiam invincibilem talis censuræ, idcirco ejusmodi ignorantia si esset in casu, petere absolutionem deberet, inquit cl. auctor theologiæ Christianæ. NOTA ROM. THEOL.

Digitized by Google

cip. lib. I, Fagnan., lib. III Decretal., in cap. *Significatum* est 11, de Regularibus, num. 18. (23. Ignorans et impeditus æquiparantur, Rota recent. part. II, dec. 662, num. 9 in fin. (24. Et quidem dicitur impeditus impedimento juris et facti. Annot. ad dec. 3 sub num. 17, par. III, Rot. recent. (25. Ideoque ignoranti tanquam impedito est subveniendum; ibid. num. 18. (26. Imo respectu rei ignoratæ consideratur tanquam res inanimata, ibid. sub num. 11. (27. Nec præstat consensum, Annot. ac decis. 10, num. 26, part. III. (28. Nec itidem censetur remittere jus suum, et sic renuntiare, donare et repudiare; Annot. ad dec. 1, num. 50 et 51, part. VIII.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Ignorantia est simplex negatio scientiæ. At si quis formavit de re perversam ideam, est potius error. Plerumque vero confundi solent.

(30. Ignorantia vel est juris, vel facti; et hæc vel facti alieni, vel facti proprii.

(31. Notissima autem est regula, ignorantiam juris nocere, l. 9 princip., ff. de Jur. et facti ignorant. (32. Sed ne in errores incidamus, distinguendum inter lucrum et damnum. In lucro ignorantia juris utique nocet, sed excipiendi sunt minores: l. 11, c. Eodem, et milites l. 9, § 1, ff. Eodem. Damnum est, distinguente Donello Comment. jur. civil. lib. I, cap. 1, vel rei amissæ, vel rei amittendæ, in damno rei amissæ pariter ignorantia juris nocet, sed excipi debent non solum minores, verum et feminæ: l. ult. c. Eod. tum rustici, l. 2 in fin. de Jure fisci. In damno vero rei amittendæ omnibus non, id est nulli nocet, l. 8, ff. Eod. Exempla tradit Donellus ubi supra.

(33. Hæc obtinent secundum jus Romanum. Cæterum dubitari hodie solet, an juris ignorantia noceat in casibus illis, in quibus de jure Romano nocebat. (34. Duplex a jure Romano assignatur ratio cur ignorantia juris nocere debeat. Prior, « quia jus (ut ait Jurisconsultus in l. II, ff. Eodem) est finitum, et possit esse, et debeat. » Sed non male respondet Schilter, in Prax. jur. Roman. ex. 24, § 34: « Jus hodie minus est finitum, recepto præter patria jura etiam Romano, et pontificio, et utroque in lingua peregrina descripto, variisque interpretum opinionibus et dissensionibus diffuso. » Altera, quod consulendi sunt peritiores, l. IX, § 3, ff. Eod. « Sed certe (ut respondet Stryk in us. moder. Pandect. lib. XXII, tit. 6, § 1) in quibusdam negotiis hoc consilium quidem sequendum esse credo, sed ut omnibus in casibus ex jurisconsulti consilio et ore quis pendere possit, impossibile est. Scilicet quæ negotia ita comparata sunt; ut omnes scire possunt multa solemnia in iis attendenda esse, ibidem omnino adhibendos esse jurisconsultos constat, nec excusare poterit ignorantia juris veluti in processibus peragendis, testamentis condendis, aliisque maximi momenti negotiis expediendis, quia hic facillime homines scire poterant talia absque peritorum consilio peragi non posse; in aliis causis et casibus, ubi probabiliter, non adeo jurisconsultorum utendum judicamus, sane durum esset, si quis hodie indistincte ob ignorantiam juris, jure suo privandus esset. »

(35. Patet hinc prudentem judicem perpensis peculiaribus negotiis debere arbitrari, an hodie ignorantia juris nocere debeat, nec ne.

(36. De militibus nostri temporis quæri etiam solet, an datum sit ipsis jus ignorare, prout datum erat de jure Romano. (37. Distinguit plures casus Trentacinq. variar. Resolut. lib. II, resol. 1, num. 49, et secundum eos declarat, qua ratione milites nostri hoc privilegio gaudere queant. Confer etiam Stryk. loco citato § 4, ubi de militia provinciali ait: « Non æque omnia privilegia militum applicari possunt, quia tantum in subsidium constituitur Provinciæ defendendæ gratia, ultra provinciam maneat, nec milites in illam lecti vacant ubique armis, sed agriculturam exercent. Quod si tamen imminente necessitate actu militare compellantur, non deneganda ipsis erunt militum privilegia. » Hactenus de ignorantia juris.

(38. Quod vero concernit ignorantiam facti, ea si sit facti alieni excusat, simulque præsumitur; l. 23, c. de Probat., modo non sit nimis crassa et affectata; l. 3, § 1, l. 3, 9, § 2, ff. de Jur. et fact. ignoran. vel alias a lege reprobata ob publicam utilitatem. Consule Donell. Comment. juris civil. lib. I, qui exemplis rem illustrat.

(39. Difficilius vero ignorantia facti proprii excusat nisi justa et probabilis afferatur causa propter memoriæ humanæ imbecillitatem. Adi Hann. ad Vesembec. lib. II, tit. 25, n. 3.

ILLEGITIMUS.

Vide verb. FILIUS.

IMAGINES.

SUMMARIUM.

1. Imago quid sit. — 2. Licitum est in nova lege Deum et sanctissimam Trinitatem depingere, et repræsentare in forma corporea et visibili. — 3. Hæc assertio, quamvis sine temeritate negari non possit propter universalem Ecclesiæ consuetudinem, tamen non est de fide. — 4. Certissimum vero est non posse depingi Deum ad repræsentandam ejus veram naturam, formam aut figuram. — 5. Licitum est etiam depingi, vel sculpi angelos in forma corporea visibili. — 6. Catholica fide tenendum est certe depingi posse imagines Christi Domini, beatæ Virginis Mariæ et aliorum sanctorum, tum memoriæ, tum veneralionis causa. — 7. Adducitur ad hoc textus concilii Tridentini. — 8. Imagines D. N. Jesu Christi, et Deiparæ V. Mariæ, ac angelorum, apostolorum, evan-

Digitized by Google

gelistarum, aliorumque sanctorum et sanctarum nequeunt sculpi, aut pingi cum habitu peculiari alicujus Ordinis regularis, seu alio modo in Ecclesia catholica inconsueto; et jam sic sculptæ et pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi, et mandatur ab ecclesiis et ab aliis locis quibuslibet amoveri, et deleri sub gravissimis pœnis. — 9. Imago Christi non est repræsentanda in agno, sed in figura humana. — 10. Imagines sanctorum non sunt pingendæ habitu profano vel indecentiam aut inhonestatem præseferente, et ordinarii judicant in hoc etiam exemptos. — 11. Imagines sanctorum non sunt pingendæ cum procaci venustate. — 12. Imagines lasciviæ in ecclesiis non sunt tolerandæ. — 13. Imagines sacræ pingi non possunt in ecclesia inconsulto parocho. — 14. De novo non sunt collocandæ imagines in ecclesiis etiam exemptis, nisi ex episcopi probatione. — 15. Imagines sanctorum, qui a Sede apostolica non sunt canonizati, vel beatificati, non possunt pingi cum radiis et splendoribus; nec aliud quod cultum indicet potest illis tribui. — 16. Imagines præfatas sic pingentes ab episcopo et inquisitore sunt judicandi, et quas pœnas incurrant. — 17. Imagines istorum hominum, si ad ecclesias deferuntur, debent teneri loco secreto, donec a Sede apostolica super illis fuerit aliquid constitutum. — 18. Tales imagines pingi et retineri nequeunt, etiamsi fuerint eorum qui cum opinione sanctitatis mortui sunt. — 19. Tolerari non debet ut in locis publicis et sordidis stent depictæ diversæ cruces, ac sanctorum imagines in derisum Christianæ religionis. — 20. In choro teneri non debent aliæ imagines quam sanctorum. — 21. Imagines illorum, qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in oratoriis, vel ecclesiis tam sæcularibus, quam regularibus, antequam declarentur beati, neque ad eorum sepulcra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis apostolicæ. — 22. Non ideo tamen præjudicandum erit in aliquo illis qui, aut per communem Ecclesiæ consensum, aut immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, et tolerantia Sedis apostolicæ vel ordinarii, coluntur. — 23. Sacræ imagines Dei, Christi, angelorum, et sanctorum licite et sancte coluntur et adorantur. — 24. Adducitur probatio ex Scriptura. — 25. Adducitur probatio ex ratione. — 26. Imagines quæcunque nequeunt coli cultu absoluto, sed solum respectivo. — 27. Hinc imagines sanctorum coluntur cultu duliæ respectivo; imagines B. V. Mariæ cultu hyperduliæ respectivo; imagines Dei, Christi, ejus crux, sudarium, hujusmodi cultu latriæ respectivo. — 28. Imagines non adorantes sunt hæretici, et anathema est contrarium dicens. — 29. Imagines sanctorum non sunt violandæ, et illas violantes, vel prosternentes sunt graviter puniendi. — 30. Imaginum usus est maximæ necessitatis et utilitatis in Ecclesia. — 31. Imagines etiam in veteri lege fieri solitæ erant, et adoratæ erant. — 32. Lege nova fuerunt imagines in usu usque a tempore apostolorum, et in concilio Antiocheno tempore eorumdem celebrato statutum fuit imagines sanctorum esse depingendas et adorandas. — 33. Primi Christiani imagines apostolorum sibi fieri curabant. — 34. Affertur objectio hæreticorum ex Scriptura. — 35. Solvitur talis objectio. — 36. Imaginis in translatione ex uno loco Ecclesiæ ad alium locum ejusdem Ecclesiæ non habet locum concilium Tridentinum, session. 25, can. 27, de reform. — 37. Imagines devotæ non possunt ex una in aliam Ecclesiam transferri sine beneplacito Apostolico, et sic translatæ non sustinentur. — 38. Inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus asseritur talem formam habitus esse eamdem, qua ipsi usi fuerunt, etc., interdicuntur. — 39. Suspenduntur quoque et prohibentur imagines S. Augustini, et S. Nicolai de Tolentino, et aliorum sanctorum ejusdem Ordinis impressæ, et depictæ a fratribus discalceatis Augustinianis in eorum habitu; ex post tamen fuit revocata dicta suspensio et prohibitio. — 40. Non debet ad quamcunque sanctam imaginem impediri concursus. — 41. Dummodo non publicentur miracula prius non approbata. — 42. Si imagines publicantur miraculosæ absque interventu ordinarii, ipse debet eas claudere, informationes capere, Romamque transmittere. — 43. Administratio oblationum imagini factarum intus aliquam parochiam etiam regularium existenti spectat ad ordinarium, qui eas erogabit in ecclesia inibi ædificanda, et alios pios usus. — 44. Urbanus VIII comburi jussit imaginem cum tribus buccis, tribus nasis, et quatuor oculis, et alias si quæ invenirentur similes; hæc enim nova inventio repræsentandi sanctissimam Trinitatem tolerabilis non videtur. — 45. Translatio imaginis non miraculosæ private est facienda. — 46. Imago beati pingitur cum radiis tantum, canonizati vero cum diademate circa caput. — 47. In altari in quo exponitur SS. sacramentum pro oratione 40 Horarum cooperienda est quæcunque imago, aut statua ibi existens, nec sunt ponendæ sanctorum reliquiæ, aut eorumdem statuæ, nec figuræ animarum purgatorii, etiam in particularibus expositionibus pro earumdem suffragio factis. — 48. An imago, et statua B. M. V. ac aliorum sanctorum deferri possit in processionibus cum baldachino et intortitiis? remissive. — 49. Affertur breviter historia miraculosissimæ imaginis B. M. V. asservatæ in altari majori ecclesiæ Aracœlitanæ urbis. — 50. Eadem est quam detulit processionaliter S. Gregorius Maximus tempore maximæ pestilentiæ in urbe grassantis. — 51. Ad conspectum hujus miraculosissimæ imaginis statim cessavit maxima illa pestilentia. — 52. Et auditæ sunt in aere angelicæ voces cantantes antiphonam « Regina cœli, lætare, alleluia, » cui S. Gregorius statim adjunxit: « Ora pro nobis Deum, alleluia. » — 53. Ac in perennem memoriam tam insignis miraculi, et perpetuam gratiarum actionem tanti recepti beneficii, quoties in publicis supplicationibus transeundum est per pontem S. Angeli hujus miraculi locum, religiosi Aracœlitani conventus semper et soli cantant supradictam antiphonam « Regina cœli » ibi ab angelis tunc cantatam. — 54. Alia ad rem, remissive. — 55 ad 76. Imagines licitæ vel prohibitæ. — 77. Imagines plurium sanctorum apponi possunt in altari. — 78 ad 79. De imagine S. Antonii. — 80. Sollicitudo SS. imaginum spectat ad episcopum. — 81. Remissive.

(1. Imago proprie definitur figura picta, vel sculpta vere repræsentans aliud, cujus est imago, quæ differt ab idolo, quod falsum quid repræsentat, ut imago chimeræ. (2. Licitum est in nova lege Deum et sanctissimam Trinitatem depingere, et repræsentare in forma corporea et visibili, v. g. divinus Pater in forma viri senis, quia est Antiquus dierum, et principium aliarum personarum; divinus Filius in forma viri juvenis, quia est Filius Patris, et talis naturam humanam assumpsit; Spiritus sanctus in forma columbæ, quia talis apparuit; *Communis catholicorum* ex universali usu et praxi Ecclesiæ, et desumitur ex sacra Scriptura, qua constat Deum ipsum hominibus apparuisse in forma corporea et visibili. *Genes.* III, apparuit Adæ tanquam homo deambulans ad auram post meridiem. *Genes.* XVIII, apparuit Abrahæ in specie trium virorum. *Genes.* XXVIII, Ja-

Digitized by Google

cob vidit Deum in forma virili innixum summitati scalæ : Isaias, c. VI, vidit Dominum sedentem super solium excelsum. Daniel, c. VII, vidit Antiquum dierum in throno sedentem, capite et crine canum, seu capillis albis, prout pingitur Dominus Pater. *Matth.* III, apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ. Unde Nicolaus I, epist. 2, sic ait : « Apparuit nempe Deus Abrahæ patri nostro, non in carne, neque in anima, sed in specie trium virorum... apparuit denique Jacob per subjectæ creaturæ speciem, unde et dixit, Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Ecce incorporeus Deus, et invisibilis per speciem subjectæ creaturæ, ita se mortalium voluit videri obtutibus, ut credentibus esset ad gratiam. » Atqui licite depingitur et repræsentatur quod revera gestum est; ergo si Deus ipse ita apparuit, ut ex tali forma corporea, mentem hominis erigeret ad incorporea et spiritualia apprehendenda, etiam nobis licitum erit id pia recordatione pictis vel sculptis imaginibus imitari, repræsentare et colere (69). (3. Hæc autem assertio, quamvis sine temeritate negari jam non possit propter universalem Ecclesiæ consuetudinem, tamen non est de fide, ut observant Bellarmin., lib. II, de sacris Imaginibus, cap. 8; Layman, lib. IV, tract. 7, cap. 5, num. 2, et alii, cum non tantum sit contra hæreticos præsertim Calvinum lib. I Institut., cap. 11; sed etiam contra quosdam catholicos, Durand., in 3, d. 9, quæst. 2; Abulens. in cap. IV Deuteron., quæst. 5; Henric. de Gandavo quodlibet 10, quæst. 2, et alios dicentes, id non licere maxime ob periculum idololatriæ. (4. Certissimum vero est, non posse depingi Deum ad repræsentandam ejus veram naturam, formam aut figuram. *Communissima omnium* ex Trident. sess. 25, decret. de venerat. reliquiar. et cultu imaginum, ibi : « Non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. » Cum enim depingitur secundum modos supradictos, pingitur solum ad repræsentandam oculis historiam, secundum quam Deus in forma corporea et visibili seipsum hominibus, ut supra pluries videndum ostendit, seu ad repræsentandam aliquam sui proprietatem, affectionem, operationem, vel mysticam significationem, propter finem adductum sub n. 2.

(5. Licitum etiam est angelos depingi vel sculpi in forma corporea visibili et consueta in Ecclesia catholica. *Communis catholicorum* contra hæreticos, et ita docuerunt contra Iconoclastas Patres concilii VII generalis act. 5 et act. 7, ut colligitur ex sacra Scriptura tum Veteris tum Novi Testamenti, ubi non solum angelos in tali forma sæpissime apparuisse referuntur, sed etiam in Veteri Testamento Cherubini in forma corporea, et visibili ad arcam, in templo, ac alibi etiam ex auro erecti, et repræsentati sunt : ergo recte a nobis etiam sic figurantur, depinguntur et repræsentantur, ut mens nostra ex forma visibili et similitudine sibi nota erigatur ad spiritualia et incorporea facilius intelligenda, sicuti docet S. Dionysius Areopag. de cœlesti Hierarchia cap. 2 et 15. (6. Catholica fide tenendum est, recte depingi imagines Christi Domini, B. Virginis Mariæ, et aliorum sanctorum, tum memoriæ tum venerationis causa. Sic definitum est in secundo Nicæno concilio contra Iconomachos, qui Judæos, Samaritanos, Mahometanos imitati, omnem imaginum cultum idololatriam dixerunt, ideoque eas flammis et ferro addixerunt, et est etiam contra modernos Calvinistas, eorumque successores omnem prorsus usum imaginum Christi et sanctorum, etiam extra historiam eliminantes; Lutherani vero non prohibent usum imaginum Christi et sanctorum, etiam extra historiam solum pro memoria, sed tantum prohibent quoad cultum; e contra nos catholici, et pro memoria, et pro cultu eas admittimus. Unde concilium Trid. sess. 25 in decreto de invocat. et venerat. et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus sic statuit, ut sequitur :

(7. « Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam bonos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Illud vero diligenter doceant episcopi, per historiam mysteriorum nostræ redemptionis picturis, vel aliis similitudinibus expressam, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis, tum vero ex omnibus sacris imaginbus magnum fructum percipi non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias, et narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expe-

(69) Vide infra num. 44 et 54 seqq. Cæterum sub his figuris apte fuit SS. Trinitas ante annos circiter mille et ducentos repræsentata in Nolana ecclesia. Musivo fuerat adpicta, illique hos basilicæ conditor

Digitized by Google

diet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines, non pingantur, nec ornentur. »

(8. Imagines D. N. J. Christi et Deiparæ V. Mariæ, ac angelorum, apostolorum, evangelistarum, aliorumque sanctorum et sanctarum prohibentur sculpi aut pingi cum habitu peculiari alicujus ordinis regularis, (70) seu alio modo in Ecclesia catholica inconsueto; et jam sic sculptæ aut pictæ prohibentur teneri et publico aspectui exponi, et mandantur ab ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveri et deleri. Et regulares et moniales parere negligentes possunt a locorum ordinariis et legatis apostolicis juris remediis et etiam censuris ecclesiasticis et aliis eorum arbitrio ad observantiam cogi. Et quoad loci superiores etiam privationis officii ac vocis activæ et passivæ pœnis compelli. Sic expresse statuit Urban. VIII 15 Martii 1552, Constitut. incip. *Sacrosancta Tridentina* 163, Bullar. Cherubin. tom. IV.

(9. Imago Christi non est repræsentanda in agno, sed in figura humana; c. *Sextam sanctam*, dist. de consecr. ibi : « Sextam sanctam synodum recipio cum omnibus canonibus suis in quibus dicitur : In quibus picturis sanctarum imaginum agnus Præcursoris digito ostensus depingitur, qui in figuram gratiæ transit, verum nobis per legem Moysi demonstrans Agnum Jesum Christum Dominum nostrum; antiquis ergo figuris et umbris ad veritatis præfigurationem sanctæ Ecclesiæ traditis valedicentes, gratiam et veritatem præferimus, et sic plenitudinem legis recipimus; Verum igitur Agnum Dominum nostrum Jesum Christum secundum imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro veteri agno depingi jubemus. » Vide infra num. 58 et 71 (71).

(10. Imagines sanctorum non sunt pingendæ habitu profano, vel indecentiam, aut inhonestatem præseferente, et ordinarii judicant in hoc etiam exemptos; Urban. VIII cit. constitut. *Sacrosancta Tridentina*. (11. Imagines sanctorum non sunt pingendæ cum procaci venustate; Concil. Senonens. in decr. moral. cap. 40. Concil. Mediolanens. 1, part. 1, tit. *Quæ servanda sunt de sacris Imaginibus*, num. 15. Concil. Moguntin. cap. 41, num. 1. Conc. Trident. sess. 25, in decr. de invocat. sanct. et de sacris imaginibus. (12. Imagines lascivæ in Ecclesiis non sunt tolerandæ; Conc. Senonens. loc. cit. Conc. Moguntin. l. c. (72). (13. Imagines sacræ pingi non possunt in ecclesia inconsulto parocho; Concil. Mediolanens. 1, titul. *Quæ servanda sunt de sacris imaginibus*. (14. De novo non sunt collocandæ imagines in ecclesiis nisi ex probatione episcopi, nec etiam in ecclesiis exemptis exponi possunt sine episcopi approbatione; Concil. Mediolanens. 1, tit. *Quæ servanda sunt de sacris imaginibus*.

(15. Imagines sanctorum qui a S. Sede apostolica non sunt canonizati vel beatificati non possunt pingi cum radiis et splendoribus, nec aliud quod cultum indicet aut repræsentet potest illis tribui; Urban. VIII constitut. 37 incip. *Sanctissimus*. (16. Imagines præfatas sic pingentes ab episcopo et inquisitore sunt judicandi, et quas pœnas incurrant? ibid. § 7. (17. Imagines istorum hominum, si ad Ecclesias deferantur, in loco secreto debent teneri, donec a Sede apostolica super illis fuerit aliquid constitutum; Urban. VIII ibidem. (18. Eadem confirmat isdem Urban. VIII in constitut. 12. (in appendice) incip. *Cœlestis*. Ubi iterum prohibet ne pingantur aut teneantur in publicis aut privatis locis cum splendoribus, radiis aut aliis sanctitatis signis, imagines quorumcunque etiam cum opinione sanctitatis mortuorum, si a Sancta Sede apostolica non sint canonizati vel beatificati.

(19. Tolerari non debet quod in locis publicis et sordidis stent depictæ diversæ cru-

S. Paulinus hosce versus ascripserat, ut ipsemet epist. 12 ad Severum narrat : (Edit. Barb.)

Pleno coruscat Trinitas mysterio :
Stat Christus amne :
Vox Patris cœlo tonat;
Et per columbam
Spiritus sanctus fluit.

(70) Confer. Benedictum XIV *de servor. Dei beatif.*, lib. IV, p. II, cap. 21, num. 6. B. tamen Clara de Montefalco, non obstante PP. Franciscanorum contradictione, jussa est depingi in habitu Eremitarum S. Augustini. Contra vero non esse imagines B. Petri Paschasii cum habitu Trinitariorum pingendas ad instantiam Fratrum B. M. de mercede Redemptionis Captivorum Sac. rituum Congreg. respondit, ejusque responsum Clemens X confirmavit. Idem *ibid.* num. 5 et 10. (Edit. Barbiell.)

(71) Eadem agni forma displicuisse Hadriano papæ I can. 29, dist. 3, de cons. videtur; approbat enim Trullanum canonem in epistola ad Tarasium scripta quæ et relata est Act. 2 synodi VII. Verum cum Trullanum concilium, tum Hadrianus id unum voluit, et scilicet agno typico humana Christi figura præferretur. Sæpius tamen in Vitis pontificum ab Anastasio bibliothecario partim collectis, partim conscriptis occurrit Christus agni specie effictus. Agnus sub cruce rupi insistens exstat apud Jacobum Bosium l. VI *de Cruce Triumphante* c. 12, ubi quinque fontes emittit, unum ex pectore, et singulos ex singulis pedibus; quibus quinque Christi vulnera designantur, agnus quoque, Rosweydo teste in notis ad Paulinum p. 187 sub cruce stat in lapide altaris Vesontione. Vide etiam Gorium in præclara de Mitrato Capite Jesu Christi crucifixi dissertatione cap. 5, num. 7 *symbolar. litterar.* quas Florentinæ edidit, vol. III, p. 110 seqq. Nota tamen, non pingi a nobis agnum tanquam figuram Christi immolandi (quod sane improbandum foret); sed tanquam symbolum Christi immolati. (Edit. Barbiell.)

(72) Exprobratur ethnicis ipsis, quod Praxiteles Veneris Cuidiæ imaginem construens, similem eam fecerit Gratianæ quam amabat ut adorarent miseri amicam Praxitelis. Clemens Alexandr. Orat. ad Gent. et Arnobius lib. VI advers. Gentes. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ces ac sanctorum imagines in derisum Christianæ religionis; Sacr. Congregat. rit. 22 Maii 1596. (20. In choro teneri non debent aliæ imagines quam sanctorum; Sac. Congreg. rit. 7 Augusti 1609. (21. Imagines illorum qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt non sunt apponendæ in oratoriis vel ecclesiis tam sæcularibus quam regularibus, antequam declarentur beati, neque ad eorum sepulcra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis Apostolicæ; Sac. rit. Cong. 13 Martii 1625. Urban. VIII constit. incip. *Cœlestis Jerusalem.* (22. Non ideo tamen præjudicandum erit in aliquo illis qui, aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel ordinarii, coluntur; Sacr. Congreg. rit. ead. die 13 Martii 1625. Urb. VIII in d. const. incip. *Cœlestis Jerusalem.*

(23. Sacræ imagines Dei, Christi, angelorum et sanctorum licite et sancte coluntur et adorantur. *Communissima* inter Catholicos. Quamvis enim, ut notant Arriaga tom. VI, disp. 5, Viva ad proposition. 25 damnat. ab Alexandro VIII sub n. 1, et alii, nihil hactenus definitum sit expresse in conciliis de imaginibus Dei, merito tamen ab Alexandro VIII die 24 Aug. 1690 fuit damnata sequens propositio 25 in ordine : « Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. » Et jam hoc licitum esse, nec posse sine temeritate negari propter universalem Ecclesiæ consuetudinem fuit dictum supra numer. 2 et 3. Quoad imagines angelorum, eas habendas et venerandas esse fuit contra quosdam hæreticos expresse definitum in septima generali synodo act. 7. Quod autem imagines Christi, Deiparæ et sanctorum sint colendæ et adorandæ, fuit expresse definitum in variis conciliis infra citandis, et præsertim in Tridentino sess. 25 in decr. de invocat. et venerat. et reliquiis, et sacris Imaginibus, ibi : « Imagines porro Christi, Deiparæ et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem ac venerationem impertiendam. » Et Sacr. Congr. rit. 17 Apr. 1602 expresse decrevit non esse impediendam devotionem ad imagines sanctas, et Gregor. XIII in constitut. 33 tom. II. Bullar. præscribendo formam professionis fidei Græcis § 15, sic fieri mandat : « Firmissime assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. » (24. Et hoc probatur ex sacra Scriptura; Exod. enim XXV. Erecti sunt duo Cherubim super arcam Testamenti; Num. cap. XXI. Jussu Dei erectus est in sublime serpens æneus. Has imagines, seu signa sacra honorata esse et honorari debuisse constat ex regula S. Augustini lib. III de Doctrina christiana, cap. 9, dicentis signa utilia divinitus instituta honoranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit, atqui imagines illæ Cherubim, et serpentis fuerunt quam maxime utiles et divinitus institutæ, ut sacra Scriptura testatur, ergo fuerunt honorandæ, et de facto honoratæ : hinc si licuit venerari imagines angelorum, cur non etiam sanctorum? Si licuit venerari Christum in imagine serpentis (serpens enim ille æneus fuit figura Christi ipsomet Christo testante *Joan* III. *Sicut exaltavit Moyses serpentem*, etc.), debet potius licere venerari imaginem Christi in forma propria hominis.

(25. Ostenditur etiam efficaci ratione. Homo dignus est veneratione, quia est imago Dei, juxta illud S. Cyrilli Catechesi 12 : « Imago lignea terreni regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei; » ergo et cæteræ imagines Dei, Christi et sanctorum veneratione dignæ sunt. Quod enim uni imagini convenit, quia imago est, omnibus imaginibus, quia imagines sunt, convenire debet. Tum quia imago regis est venerabilis cultu civili, ergo etiam imagines Dei, Christi et sanctorum, debent esse venerabiles cultu aliquo religioso competente suis prototypis. Tum etiam quia imagines capaces sunt injuriæ et contumeliæ, et caveat quis imaginem regis injuria et contumelia afficere, ergo a contrario sunt etiam capaces honoris et cultus.

(26. Imagines quæcunque nequeunt coli et adorari cultu, vel adoratione absoluta propter seipsas quasi credatur inesse in ipsis aliqua divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, sed solum possunt et debent coli et adorari cultu vel adoratione respectiva propter respectum nempe ad sua prototypa; cap. *Per latum* 26, dist. 3 de consecrat. Gregor. I lib. IX ex reg. epist. 9. Gregor. II epist. 10 et 12. Concil. Senonens. c. 4, et clare explicat et definit concilium Tridentinum sess. 25, loc. cit., ibi : « Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, et veneremur id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. » (27. Hinc imagines sanctorum coluntur et venerantur cultu duliæ respectivo, imagines B. Mariæ Virginis cultu hyperduliæ respectivo, imagines Dei et Christi, ejus crux, sudarium, clavi, spinæ, et hujusmodi cum suis imaginibus cultu latriæ respectivo; *Communis catholicorum.*

(28. Imagines non adorantes sunt hæretici, et anathema est contrarium dicens concil. Roman. III sub Greg. II; Con. Ni-

Digitized by Google

cæn, II, act. 2. Idem action. 4, 5 et 7. in quibus fere idem reperitur (73); conc. Constantiens. in const. Martini V circa medium; conc. Mogunt. IV, cap. 41; concil. Trident. sess. 25 in cit. decreto. (29. Imagines sanctorum non sunt violandæ. Violantes, vel prosternentes imagines crucis, B. M. V. vel sanctorum, graviter sunt puniendi; c. *Per latum* 26, dist. 2, de consec. c. *Si canonici*, de Offic. ordinarii, in 6. (30. Imaginum usus est maximæ necessitatis et utilitatis in ecclesia; Gregor. II, epist. 12, concil. Senonens. cap. 14, concil. Moguntin. IV, cap. 42; concil. Triden. cit. sess. 25 in d. decreto.

(31. Imagines etiam in veteri lege fieri solitæ erant, et adoratæ erant; Adrian. I, epist. 1 et 2; Nicolaus I, epist. 2. (32. Et in lege nova fuerunt imagines in usu usque a tempore apostolorum, et in concilio Antiocheno tempore eorumdem celebrato canon. 8 (74), statutum fuit imagines sanctorum esse depingendas et adorandas: sic refert Gonz. in decretali *In apparatu de origin. et progressu Juris canon.* fol. 17, num. 39, Card. Petra, tom. I Comment. ad Constitut. 1, Innocent. II, numer. 33. Et Adrianus I, epist. 1, sic expresse dicit: « Nam, et ipse apostolus B. Petrus, qui apostolicæ Sedi primitus præsedit... Et ipse quoque suis contulit et tradidit divino jussu successoribus pontificibus, quorum traditione Christi sacram effigiem, sanctæque ejus genitricis, apostolorumque vel omnium sanctorum venerantur imagines (75). » (33. Unde primi Christiani imagines apostolorum fieri sibi curabant, ut testatur D. Gregorius, epist. 1, ad Leonem Isauricum (76); cardin. Petra l. c. n. 34.

(34. Hæretici autem adducunt varios sacræ Scripturæ textus, quibus prætendunt prohiberi omnes imagines: Exod. XX: « Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, aut eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles: » Levit. XXVI: « Non facietis vobis idolum, ut adoretis. » Isaias XL: « Cui similem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? »

(35. Respondetur tamen cum communi doctorum, quod in adductis Scripturæ locis solum prohibebatur ne fierent simulacra aut imagines, quæ cultu latriæ instar deorum adorarentur, ut faciebant gentiles, unde in textu Exod. XX, ut supra patet, statim subjungitur: « Non adorabis ea, neque coles. » Non vero prohibebantur absolute omnes prorsus imagines, aut sculptilia. Et clare

(73) Nicæna, quæ hic indicatur, II synodus in conventu episcoporum et clericorum Constantinopoli habito, de quo Theophanes in oratione de S. Nicephoro apud Bollandianos 13 Martii anno 842, demum consensu Orientis et Occidentis in synodo VIII pariter generali Act. 10, can. 3, confirmata fuit. Eam quidem Francofurtenses Patres a Carolo M. adversus Felicis et Elipandi errores in synodum coacti damnarant, sed errore facti, perversa enim latina interpretatione (Græcum quippe synodi Nicænæ exemplar ad manus illis non erat) decepti existimarunt, Nicænos Patres sanxisse, ut imaginibus sanctorum ejusdem adorationis cultus, qui Deificæ Trinitati debetur, latriæ scilicet cultus impenderetur: quod ab illorum Patrum sententia maxime abest. Præter theologos confer hac de re Natalem Alexandrum in dissertatione de Imaginibus tom. IV Thesauri theologici Venetiis recusa, § 8, p. 148, P. Zech. de Jure rerum ecclesiasticarum part. I, sect. 1, tit. 6, § 62 seqq., et D. Gerbert in principiis Theologiæ Liturgicæ, sect. 11, cap. 2, § 34. (EDIT. BARBIELL.)

(74) Concilium hoc Antiochenum apostolorum passim a criticis uti supposititium rejicitur. (EDIT. BARBIELL.)

(75) Equidem non ausim dicere, quod non multos ante annos, viro docto excidit, et jure, ac merito in historia litteraria Italiæ vol. II, lib. I, cap. 2, n. 11, et tom. IV, p. 321, reprehensum fuit, ab Apostolis vetitum fuisse imaginum cultum neque tamen cum auctore nostro imaginum usum ab ipsis apostolis statutum fuisse affirmavero. Catholica sententia est, cultum imaginum sacrarum pertinere ad dogmata Ecclesiæ, licitum scilicet esse, eas venerari, illarumque cultum, si ad Christianæ doctrinæ normam exerceatur, ab idolorum adoratione longissime distare: Usum autem earum dependere ex disciplina, quæ variis temporibus et locis, varia esse potest. Itaque libens concessero ab apostolis traditum, sacras imagines legitimo cultu adorandas esse; id enim ad dogma pertinet; quod unum ab apostolorum traditione Adrianus ab auctore laudatus asserit: at iussisse illos easdem imagines pingendas non facile assentiar; id enim ad disciplinam spectat, de qua statim dicam. (EDIT. BARBIELL.)

(76) Fuisse tribus prioribus ecclesiæ sæculis alicubi positas sacras imagines nullus dubito; rarior tamen fuit primæva illa Ecclesiæ ætate earum usus, ut docent Turnelius, Witassius, aliique magni nominis Theologi, atque inter canonistas cl. Zech. l. c. § 71. Duo porro maxime iis temporibus obstabant, quominus frequentius ejusmodi imagines pingerentur. Primum fuit latissime apud ethnicos patens idolorum cultus; cavendum enim erat ne quispiam, aut quod Marcellinæ Cæpocratis discipula fecit, imaginem Jesu, et Pauli cum imaginibus Homeri et Pythagoræ coleret; aut gentium circa eas superstitionem, et mysteria circa eas perficeret, solique Deo impertiendum latriæ cultum illis seu præstaret, seu præstare (magno idololatrarum scandalo) videretur. Alterum vero fuit tunc vigens arcani disciplina, id enim majores nostri curabant maxime, ne mysteria nostra, ac religiosa gesta ethnicis paterent.

Ex his intelligi potest mens Illiberitani concilii, cui ad sæculi IV initium « Placuit (*Can.* 36) picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur. Nimirum vel cum P. Zech. § 69 dic, id fuisse eo canone statutum ne gentiles ex ejusmodi picturis venirent in notitiam et pravam interpretationem nostrorum mysteriorum; vel cum præstantissimo D. Gerberto n. 180, ne gentiles in templis nostris imagines videntes, eadem nos idolomania, qua ipsi, teneri existimarent. Alterutra sane, aut, si placet, utraque multo aptior est interpretatio, quam quæ a Balthasare de Bastero olim episcopo Gerundensi, aut etiam ab ejus adversario proposita fuit in litterariis Patrum Trivultianorum Ephemeridibus ann. 1750, mens. April., art. 43, etann. 1752, mens. Jul., art. 83. Vide Zachariam, tom. IV Hist. litter. Ital. p. 328, seqq.

Reddita porro a Constantino M. Ecclesiæ pace, ac decrescente idololatria, usus imaginum in cultu publico, sensuque humano crevit paulatim, atque efloruit. Adi Gerbertum § 42, p. 183 seqq. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

patet ex eo quod ipsemet Deus præcepit Moysi, ut construeret imagines duorum Cherubim aureorum, Exod. xxv, et ut faceret serpentem æneum, Numer. c. xxi. Et Salomon posuit in templo Hierosolymitano duos Cherubim, III Reg. vi. Tum quia dato etiam, quod per citatos textus fuerint in veteri lege absolute prohibitæ omnes imagines, aut sculptilia, hoc fuit ob nimiam et pravam inclinationem Hebræorum ad idololatriam. Unde illud præceptum, utpote mere positivum, et cæremoniale cessavit in lege nova; cessante enim tali periculo cessavit tale præceptum, quia cessante ratione et causa legis, cessat lex, seu obligatio ipsa; lege Adigere, § 2, ff. de Jure patron. Sic Card. Petra loco cit., num. 43; Viva ad proposition. 25; Alexand. VIII, num. 13; Sporer, tom. I, tract. 2, in 1 præcept. Decalog. cap. 8, sect. 4, num. 31 et alii passim (77).

(36. Imaginis in translatione ex uno loco ecclesiæ ad alium locum ejusdem ecclesiæ non habet locum concilium Tridentinum sess. 21, cap. 7, de reform., sacr. Congreg. conc. in Burgi S. Domnini 4 Decemb. 1632, apud Barbosam in summa Apostolic. dec. verb. *Imago*, num. 1. (37. Imagines devotæ non possunt ex una in aliam ecclesiam transferri sine beneplacito apostolico, et si sine tali beneplacito sit jam facta translatio, non sustinetur, nec est approbanda, Sac. cong. conc. in Nullius Ferentilli 31 Julii 1706, apud Card. Petra, tom. V Comment. ad Const. 5 Pauli II, n. 30.

(38. Inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci et Antonii de Patua, in quibus dicitur formam habitus, qua depicti sunt, esse eamdem, qua ipsi usi fuerunt, vel in quibus asseritur in hoc vel illo Ordine S. Francisci esse veram, legitimam, et non interruptam ejusdem S. Patris in filios successionem, inhærentes decreto alias edito die 20 Jun. 1638 prohibentur, Romæ 20 Novemb. 1663. Sic mandavit decerni Alexander VII, inseri seu apponi in indice librorum prohibitorum, ut de facto reperitur ibi verb. *Inscriptiones*. (39. Suspenduntur quoque et prohibentur imagines sancti Augustini, sancti Nicolai de Tolentino, et aliorum sanctorum ejusdem Ordinis impressæ et depictæ a fratribus discalceatis Augustinianis in eorum habitu, prout in decreto sacr. Rit. congreg. edito die 10 Decembr. 1637, quod ab Urbano VIII fuit approbatum et confirmatum 23 Januarii 1638, Constitut. incip. *Exponi nobis* l. 240, tom. V Bullarii. Expost tamen dicta suspensio, et prohibitio fuit revocata per varia posteriora pontificia rescripta relata in libro, cui titulus, *Bullæ summorum pontificum, et sacræ Congregationis decreta ad Augustinenses Excalceatos spectantia*, impresso Romæ anno 1742, ex typographia Hieronymi Mainardi, ubi pag. 109 et seq. habentur ad id favorabilia rescripta Innocentii XI, Clementis XI et Jacobi Caracioli causarum Curiæ Cameræ apostolicæ generalis auditoris; et infra pag. 186 habetur rescriptum Benedicti XIII, ut sequitur.

Ex audientia sanctissimi, die 16 Decemb. 1720.

Sanctissimus petitis benigne annuit, et proinde firma remanente constitutione confirmativa privilegiorum a S. Sede concessorum ordini Eremitarum S. Augustini per Sanctitatem Suam emanatam Kalendis Januarii 1727, atque ejus motu proprio 21 Martii 1729 declaratorio ejusdem constitutionis, mandavit non molestari patres Excalceatos ipsius ordinis S. Augustini, seu alios quoscunque in depingendo, aut quovis alio modo repræsentando Excalceatos, et cum eorum habitu sanctos, seu beatos ejusdem ordinis. Imo licere eis, et licitum esse sanctos, et beatos ipsos depingere, et repræsentare prout pie hactenus depinxerunt, seu depingendos, vel repræsentandos curarunt, etiam ad tenorem constitutionis san. mem. Urbani VIII, incip. *Divinæ Majestatis*, latæ anno 1641, non obstante decreto præcedenti congregationis Rituum anni 1637. Ac insuper eosdem Patres impedire non posse, imo etiam licere illis publice, et solemniter, sive privatim benedicere et distribuere cingulos, seu cincturas S. Monicæ, et paniculos S. Nicolai Tolentinatis juxta declarationem congregationis episcoporum et regularium 30 Septemb. 1622, ab eadem Congregatione confirmatam 11 Jul. 1627, et ita ab omnibus servari mandavit, perpetuumque super his silentium imposuit, constitutione et motu proprio supradictis, quam, et, quem in hac parte moderavit, aliisque quibuscunque, etiam necessario exprimendis in contrarium non obstantibus.

FRANCISCUS ANTONIUS CARD. FINI,
Pro-auditor.

Loco ✠ sigilli.

(40. Non debet ad quamcunque sanctam imaginem impediri concursus; S. cong. episcop. et regular. in Taurinensi 30 Jul. 1620. (41. Modo non publicentur miracula prius non approbata; ead. S. cong. episc. et regul. in Feretrana 15 Sept. 1603 et in Trevicana 22 Dec. 1621.

(42. Si imagines publicentur miraculosæ absque interventu ordinarii, ipse debet eas claudere, informationes capere, Romamque transmittere; ead. sac. congr. episc. et regul. in Munitensi 6 Octobr. 1617. (43. Administratio oblationum imagini factarum intus aliquam parochiam, etiam regularium existenti, spectat ad ordinarium, qui eas erogabit in Ecclesia inibi ædificanda, et alios pios usus; ead. sac. congr. episc. et reg. in Perusina 20 Sept. 1605.

(44. Urbanus VIII comburi jussit imaginem cum tribus buccis, tribus nasis et quatuor oculis, et alias, si quæ invenirentur

(77) Quos inter non omittendus cl. abbas Joannes Chrysostomus Trombellius in eruditissimo opere *de Cultu sanctorum* (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

similes (78); hæc enim nova inventio repræsentandi sanctissimam Trinitatem tolerabilis non videtur. In Mediolanensi 11 August. 1628, apud Nicol. in Flosculis, verb. *Imago*, n. 6. (45. Translatio imaginis non miraculosæ private est facienda. Sac. congr. episc. et regul. in Perusina 17 Novemb. 1617.

(46. Imago beatificati pingitur cum radiis tantum; canonizati vero cum diademate circa caput (79), ut inter eos appareat differentia. Sic ex aliis Pign. t. I, consult. 25, n. 1.

(47. In altari, in quo exponitur SS. sacramentum pro oratione 40 horarum, cooperienda est quæcunque imago, aut statua ibi existens, sicuti etiam parietes tribunæ altari vicinæ, si non habeant ornamenta fixa, tegi debent pannis, aut apparatus nullam continere debet historiam, aut rem profanam. Super altare non sunt ponendæ sanctorum reliquiæ, aut eorumdem statuæ, exceptis tamen statuis angelorum figuram, seu vicem candelabrorum facientibus. Multo minus ponendæ sunt figuræ animarum Purgatorii ex quacunque materia factæ; et hoc prohibetur etiam in omnibus expositionibus particularibus, et etiam in illis quæ aliquando fiunt pro suffragio dictarum animarum. Sic Clemens XI et XII in Instructione observanda pro oratione continua 40 Horarum cum expositione SS. sacramenti § 2, allata sub verb. *Eucharistia* in fine.

(48. An imago, et statua beatæ M. Virginis, ac aliorum sanctorum deferri possint in processionibus cum baldachino et intortitiis? Vid. verb. *Processiones*, num. 37 et 38.

(49. Hic juvat afferre breviter historiam miraculosissimæ imaginis B. M. V. in altari majori ecclesiæ nostri Aracœlitani urbis conventus magnificentissime et religiosissime asservatæ. Hæc enim prodigiosissima Mariæ Virginis imago sub lamentantis, et Filii sui Domini Nostri Jesu Christi mortem plangentis speciem præseferens fuit a S. Luca evangelista depicta, ut ex multis tradunt Annales Minorum Waddinghi, novissime Romæ reimpressi tom. III, fol. 258, numer. 46 et 47. (50. Et eadem est, quam S. Gregorius Magnus in publica supplicatione detulit in illa magna mortalitate, quæ Romam adeo vehementi pestilentia laniavit, ut etiam corporali visu sagittæ cœlitus venire et singulos quosque percutere viderentur. (51. In illa namque processione hac sacra imagine deportata ecce tota aeris turbulentia cedebat imagini, ac si ipsam imaginem fugeret, et ejus præsentiam nullatenus ferre posset; sicque post imaginem mira serenitas et aeris puritas remanebat. (52. Tunc miræ voces in aere cantantium et dicentium: *Regina cœli, lætare, Alleluia; Quia quem meruisti portare, Alleluia, resurrexit, sicut dixit, Alleluia*, juxta imaginem sunt auditæ. Statim autem beatus Gregorius id quod sequitur adjunxit: *Ora pro nobis Deum, Alleluia*. Post hæc beatus Gregorius vidit supra castellum Crescentii angelum, qui revocabat in vaginam gladium cruentatum, ex quo intellexit quod pestis illa cessasset, et sic factum est. Et ideo illud castrum, castrum sancti Angeli deinceps est vocatum, et ipse angelus cum gladio in vagina sculptus in lapide miræ magnitudinis ab illo tempore in posterum mansit in cacumine dicti Castri; inde tamen dejectus sinistrante fortuna per ictum machinæ, obsidionis tempore per Romanos. Est etiam ad memoriam revocandum ad plenam fidem omnium prædictorum, quod in Castri cacumine præillibati capella erat pulcherrima ad honorem archangeli Michaelis constructa per dominum recol. mem. Nicolaum papam III, de domo Ursinorum, et erat ibi indulgentia singularis. Item in prædicta capella erat depicta tota forma, et historia hujus processionis, et litaniæ hujus imaginis gloriosæ, et sic scriptum in imagine legebatur: *Hæc est sacra imago ecclesiæ Aracœli*. Hæc etiam eadem historia, et forma processionis depicta est in quadam capella, quæ dicitur studium S. Gregorii in appendicio ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis. Item tempore magnæ mortalitatis, quæ fuit anno Domini 1388, incœpit occupare Romam in principio mensis Junii, et per totum mensem Augusti in suo robore perduravit, fuit per Urbem hæc sacra imago cum aliis reliquiis honorifice et devotissime deportata, et dum applicuit ad pontem Sancti Petri, ille angelus marmoreus existens in cacumine Castri exhibendo reverentiam huic imagini se pluries inclinavit. Quod miraculum ultra sexaginta digni fide, tactis sacrosanctis, se hoc vidisse oculis corporeis affirmabant, clamantes imagini *Misericordiam* vocibus elatis, etc. Sic ad litteram cum pluribus aliis in supradictis Annalibus ex quadam tabula vetusta refecta an. 1562, totam rei seriem referente, et palam appensa ad rei confirmationem et plenam omnium notitiam.

(53. In parente testimonium tam insignis miraculi ab ista prodigiosa imagine patrati, et in perpetuam memoriam, et gratiarum actionem tanti beneficii ab ipsa recepti, quotiescunque ad supplicationes publicas transeundum est per molem Adriani, seu pontem S. Angeli, hujus miraculi locum, religiosi Aracœlitani conventus semper et soli cantant supradictam antiphonam *Regina, cœli, lætare*, etc. ab angelis cantatam. (54. Ita citati Annales tom. III, fol. 261, n. 50.

(55. Imagines Deum repræsentantes sub ea forma qua ipse hominibus apparuit, licitæ sunt. Bened. XIV, tom I Constitut. 141, incip. *Sollicitudini* § 12 et sequent. (56. Imagines sanctissimam Trinitatem repræsentantes sub certis formis licitæ sunt, nempe quæ Deum Patrem continent in forma hominis senis, in cujus sinu sit Christus, et inter utrumque Spiritus sanctus in forma columbæ, vel imagines in quibus seorsim Deus Pater

(78) Vide Benedictum XIV, *Bullar.* tom. I, pag. 566. Hac forma dæmon apparuit, Trinitatem se esse contestans, uti in Vita S. Norberti refertur 6 Junii apud Bolland. part. DCCCXXXIII. (EDIT. BARB.)

(79) Tomo III *disciplinæ popoli Dei* (quod opus supra laudavi) exstat Joannis Filesaci commentariolus inscriptus *SS. Imaginum radiatum caput*. Vide illum pag. 101 seqq. (EDIT. BARB.)

Digitized by Google

in forma hominis senis, et seorsim Christus, sed propinqui ambo; et inter utrumque Spiritus sanctus in forma columbæ. Idem ibid. § 25, 32 et 37. (57. Pingi etiam potest Pater solus, seorsim ab aliis personis. Item æternus Filius seorsim a Patre et Spiritu sancto, et etiam sub forma Agni. (58. 59. Item Spiritus sanctus, vel tanquam de cœlo descendens die Pentecostes in figura linguarum ignis, vel alias in columbæ specie seorsim pariter ab aliis divinis personis. (60. Non tamen Spiritus sanctus seorsim a duabus aliis personis humana specie, seu viri, seu juvenis depingi potest. Idem ibid. § 36 (80).

(61. Non licet sanctissimam Trinitatem pingere in utero B. M. V. Idem ibid. § 27. Nec sub figura hominis tricipitis (81). Idem ib. § 28. (62. An autem sub figura trium hominum æqualium, et similium, disputatur. Idem ibid. § 29. (63. Imagines divinam personam repræsentantes sub alia forma, quam quæ ab eadem assumpta fuerit, tolerari non debent. Idem ibid. § 22

(64. Imagines æterni Patris permissæ, et approbatæ sunt, ut pingatur solus, tanquam ambulans et loquens in paradiso auditus ab Adamo. (65. 67. Item, ut innixus mysticæ scalæ visus est Jacob, seu ut miro modo conspiciendum se præbuit Moysi; seu ut Isaiæ tanquam rex in solio sedens, seu ut Danieli, veluti senex albo vestimento amictus. Idem ib. § 36.

(68. Imagines æterni Filii permissæ et approbatæ sunt ut pingatur solus, uti cum hominibus in diebus carnis suæ conversatus est, atque etiam postquam a mortuis resurrexit, non semel apostolis aliisque manifestus apparuit. (69. Item sub humana forma cruci affixus et mortuus. (70. Item in forma agni. Idem ib. § 32 et 36.

(71. Imagines Spiritus sancti permissæ et approbatæ sunt ut pingantur in forma columbæ. Idem ibid. § 16 ad 20 et 36. (72. Item in figura linguarum ignis, ubi repræsentatur mysterium Pentecostes. Idem ibid. § 21 et 36. (73. Imagines autem Spiritus sancti sub humana juvenis forma damnantur, et reprobantur, ac removeri jubentur. Idem ibidem § 10, 23, 33, 36 et 37.

(74. Imagines insolitæ et erroris occasionem præbentes damnantur, prohibentur. Idem ibid. § 23. (75. Imagines servorum Dei, quorum cultus ab Ecclesia non est approbatus, publice distribui et venerari non licet. Idem ib. § 41. (76. Imagines Beatorum non ubique publicæ veneratioui exponi possunt. Idem Const. 108, incip. *Quoniam*, § 10.

(77. Imagines plurium sanctorum apponi possunt super altari in quo sacrum peragitur. Idem tom. II, Constit. 17 incip. *Accepimus*.

(78 Placet hic subnectere, quæ de significatione symbolorum, quibus pingi solet imago S. Antonii abbatis profert eruditiss. card. Lambert., postea Benedictus XIV, Institut. eccl. 47, a num 5 ad 8. ubi sequentia adducit:

Effigies S. Antonii variis symbolis distingui solet; ignem et porcum ad pedes jacentem habet; librum cum baculo dextra manu gerit, tintinnabulum sinistra; *Thau* quoque super vestem depingitur.

Quid hæc significent, varia scriptores prodiderunt; inter quos P. Menochius nelle stuore part. II, cap. 25, Sarnellius in epist. ecclesiast. tom. III, litt. 6, et fusius P. Theophilus Raynaudus tom. VIII, in eo libro, qui inscribitur *Symbola S Antonii*.

Molanus lib. III *de Imaginibus*, suem ad pedes Antonii jacentem hoc pacto interpretatur, quod illius patrocinio bruta sanitatem consequantur; *Thau* salutis indicium esse ex sacris litteris deprehendimus (Ezech. cap. IX, v. 6): « Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis. » Nos quidem sancti Antonii patrocinium non inficiamur pro his brutis, quæ vitæ alendæ, commodoque mortalium inserviunt, hæc tamen per effigiem porci nobis declarari minime existimamus: « Nam si idcirco (ait P. Theophilus Raynaudus lib. superius allato, § 8 *Tandem*) appingitur S. Antonio porcus, quia sospitatem exorat brutis, cur potius ei appingitur porcus, quam asinus aut equus? » et paulo post: « Cur igitur sus, quam aliud quodpiam brutum B. Antonio appingatur, ægre assignari potest valida ratio, si sistamus in præsidio, quod brutis a sancto Antonio suppetit; cujuscunque enim generis bruta beato huic cœliti sospiratori commendari ex usu est, et eventus felix sæpe vota secundat. »

Itaque sententiam suam his verbis exprimit: « Existimarim vero non minus commode, symbolo illo porci jacentis ad sancti viri pedes insinuari triplex genus porcinorum hominum ab eo domitorum ac prostratorum; ethnicos dico et hæreticos, ac voluptuarios Christianos. » Aliqui (P. Aiala lib. *Pictor Christianus* lib. v, cap. 4, num. 7) putaverunt murem Ægyptium porco similem ad pedes S. Antonii appingi consuevisse, ut Antonium Ægyptium a reliquis omnibus secernerent. Hic paulatim usus obtinuerit ut loco muris Ægyptii imago suis sufficeretur. Hæc præcise laudatus Pontifex.

(79. Subdunt ad rem eruditissimi Bollandistæ t. II, in Legenda ipsius sancti diem 17 Januarii, quod appingi seu sculpi etiam

(80) Hæc Spiritus S. figura, quæ Benedicto XIV non est probata, familiaris fuit nostris temporibus piæ cuidam virgini; et jam olim typis Belgicis excussa cum inscriptione: *Hac præfulgenti forma sese Spiritus sanctus divæ virgini et matri Theresiæ manifestavit*. Major hujus formæ antiquitas refertur in quibusdam litteris Benoniensibus, quæ in Ms. diurno sæculi XIV apud canonicos S. Salvatoris inveniri narrant SS. Trinitatis imaginem, in qua Spiritus sanctus pueri specie repræsentatur. (Ed. Barb.)

(81) Nec dubitandum, inquit Benedictus XIV, de Synodo Diœces. lib. IX, cap. 15, numer. 5, quin possit episcopus inobedientes regulares quibuscunque pœnis, etiam censurarum compescere: quod etiam colligitur ex decreto edito a S. Congr. conc. 5 Junii 1700, apud Monacellum in Formul. tom. I, tit. 3, form. 8, n. 49. (Ed. Barb.)

Digitized by Google

solet Nola et ecclesia; hæc seu primæ domus seu Ecclesiæ Antonianæ imago : illa quia a nuntiis eleemosynariæ domus seu ecclesiæ (id est ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ de eleemosyna dicebatur), Antonianis ad colligendam stipem concursantibus deferri in adventus sui signum cum reliquiis solita; cum baculo insuper ob baculum ad *Potentiæ* vel signi *Thau* modum, et figuram a sancto ipso cuidam Gastoni provinciæ Viennensis in Gallia viro nobilissimo ac opulentissimo in magnam arborem succrescentem in visione præostensum, ad ei indicandum fore ab se, suisque sociis atque alumnis in posterum miseros igneo morbo, sacroque igne perustos ac mutilatos, atque egestate pressos omnimode sustentandos; seu, ut in Vita S. Pauli dicitur, senex infirmos artus baculo regente sustentans : quæ verba peregre proficiscentem indicant, aut certe ideo apposita, quod baculum monachi gestari solerent, ut tradit Cassianus lib. 1 Institut., cap. 9, et ita baculo innixus pingi solet S. Antonius. Sic ex laudatis Bollandistis l. cit. Vide ibi, ubi multa scitu dignissima. Hinc facile colligitur, quare ei appingatur signum *Thau* et *ignis*, tum ex hic adductis, tum ex allato textu Ezechielis cap. IX, num. 4 et 6, tum ex traditis a nobis in hac Bibliotheca sub verb. *Religiones Regulares*, art. 3, n. 27. Vide ibi.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(80. Sollicitudo sacrarum imaginum præcipue spectat ad episcopum. Atque hinc est quod citra Episcopi consensum haud licet pingere aut insculpere in ecclesia insolitam aliquam imaginem, vel eam exponere. Non licet transferre sacras imagines ac reliquias, episcopo invito, vel contradicente rectore Ecclesiæ, vel patrono : maxime si fuerint Ecclesiæ dono datæ ad conservandam memoriam donantis. Vide Rot. in Uratislavien. Translationis Imaginis 17 Martii 1738, cor. clar. mem. Calcagnin.

(81. Alia ad rem, vid. verb. *Veneratio Sanctorum*

IMMUNDITIA.

Vide verb. Gula, *n.* 37, *et verb.* Luxuria, *n.* 36.

IMMUNITAS ECCLESIASTICA ET ECCLESIARUM.

SUMMARIUM.

Articulus I. — *Immunitas, quoad ea quæ concernunt ejus naturam, divisionem et jus, a quo provenit.*

1. Immunitas unde derivetur. — 2. Immunitas ecclesiastica, et immunitas ecclesiarum, quamvis passim pro eodem sumantur, tamen proprie et rigorose non sunt idem. — 3. Affertur ratio. — 4. Affertur aptior immunitatis definitio. — 5. Talis definitio competit omni membro definiti. — 6. Immunitas sic descripta recte dividitur in localem, realem, personalem; et quæ sit quælibet. — 7. Immunitas realis et personalis est de jure divino. — 8. Immunitas localis ecclesiarum, seu privilegium asyli non competit ecclesiis aliisque piis locis de jure naturali et divino, sed solum de jure humano, civili et canonico. — 9. Affertur objectio. — 10. In lege evangelica non habetur aliquod jus positivum, sive scriptum, sive traditum, decernens talem immunitatem. — 11. Contraria sententia est probabilis. — 12. Satisfit rationi sententiæ contrariæ. — 13. Affertur alia ratio corroborativa nostræ sententiæ, et infirmativa contrariæ. — 14 ad 35. Quæstio num immunitas personalis sit de jure divino, an potius humano.

Articulus II. — *Quoad ea quæ specialiter concernunt immunitatem localem, seu jus asyli, loca, delicta et personas, quibus competit vel non.*

1. Jus asyli quid sit. — 2. ad 73. Loca quæ gaudent immunitate ecclesiastica. — 74. Palatium episcopi gaudet immunitate asyli. — 75. Etiamsi ab ecclesia cathedrali abesset ultra 40 passus. — 76. Palatium mensæ episcopalis, etiam situm extra diœcesim, gaudet immunitate ac si esset in propria diœcesi, pro tempore quo episcopus illud inhabitat. — 77. Palatium episcopi conductum pro sua habitatione episcopali gaudet immunitate. — 78. Palatium tamen conductum ab episcopo in propria diœcesi pro propria habitatione, in quo etiam habitat dominus ejusdem palatii, gaudet immunitate tantum quoad portionem episcopi et suæ familiæ. — 79. Palatia ruralia episcoporum in locis eorum diœcesis, et ab ipsis interpolate, seu recreationis gratia habitata, quæ ab eorum affectuariis continuo habitantur, non gaudent immunitate ecclesiastica. — 80. Confugiens ad palatium episcopi gaudere debet immunitate. — 81. Quare carceratus in palatio episcopi est ibidem restituendus. — 82. Sicut etiam sacerdos captus in palatio episcopi gaudet immunitate, et ibidem est restituendus. — 83. At, quando episcopus ordinat carcerationem in proprio palatio, reus non gaudet immunitate ecclesiastica. — 84. Sicut in casu quo baroncellus et birruarii curiæ episcopalis, qui tentarunt absque ordine carcerationem sacerdotis inventi cum falce venatoria præ manibus, et ob resistentiam eis factam, ipsum taliter percusserunt, ut secundo die obierit; unde vocati ab episcopo ad proprium palatium pro reddenda ratione hujus facti, ibidem de mandato episcopi carcerantur, et deinde pœna triremium puniuntur, non gaudent immunitate. — 85. Reus allegans clericatum baroncello, ductus liber ad vicarium generalem, cui in palatio episcopi dixit, se non esse clericum, sed velle uti immunitate palatii episcopalis, quam vicarius admisit, gaudet immunitate, et baroncellus non incidit. — 86. Executio etiam pro debitis civilibus fieri non potest in palatio episcopi nec in domibus seu mansionibus clericorum in regno Neapolitano, attenta consuetudine in dicto regno ad eorum favorem. — 87. Concedenda est facultas exsequendi in palatio episcopi quatenus a creditoribus episcopi petatur. — 88. Magistratus sæcularis absolvitur ad cautelam, eo quod demoliri fecerat murum ædificatum ante palatium episcopi, quod prætenditur spectare ad mensam episcopalem. — 89. Ad hoc ut clarius percipiantur delicta quibus competit vel non jus asyli, dantur hic ad litteram duæ pontificiæ constitutiones, quæ debent ad hæc esse vera norma et Regula. — 90. Affertur constitutio Gregorii XIV. — 91. Affertur constitutio Benedicti XIII. — 92. Delicta quibus competit jus asyli sunt ea omnia et singula quæ specialiter non sunt excepta. — 93 ad 156. Delicta quibus non competit jus asyli. — 157 ad 159. Constitutio Benedicti XIV pro extractione hæreticorum. — 160 ad 165. Alia statuta quoad immunitatem ab eodem pontifice, et a Clemente XIII.

Digitized by Google

ARTICULUS III.—*Quoad ea quæ concernunt privilegia, extractionem, et restitutionem confugientium, et pœnas violantium ius asyli, et absolutionem ab eisdem.*

1. Rei debent recipi in locis sacris ad quæ confugiunt, nec possunt inde repelli aut excludi. — 2. Rei confugiti nequeunt a loco sacro seu immuni per vim extrahi, nisi commiserint aliquod crimen exceptum. — 3. Neque possunt rei confugiti capi et extrahi ab ecclesiis de eorum consensu. — 4. Possùn tamen rei confugiti sponte ab ecclesia exire, ac permittere ut egressi capiantur. — 5. Rei confugiti quandiu in loco sacro existunt, non possunt per sententiam aliquam condemnari ad mortem aut aliam pœnam corporalem. — 6. Notant tamen multi huic juri in pluribus locis derogatum esse consuetudine contraria. — 7. Rei confugiti, licet quandiu existunt in loco sacro damnari non possint pœna mortis vel alia corporali, possunt tamen puniri pœna pecuniaria. — 8. Imo, si per sua crimina alios damnificarunt, non solum possunt, sed et debent compelli ad eis satisfaciendum per pecuniam vel alia bona temporalia, si quæ habent. — 9. Rei confugiti nequeunt in loco sacro carcerari nec vinculis constringi. — 10 ad 26. Aliqua circa custodiam eorum qui ad ecclesiam confugiunt. — 27. Nemo potest prohibere quominus victus, et vestitus, aliaque necessaria deferantur reis confugitis. — 28. Neque rei confugiti impediri possunt quominus naturam etiam extra locum asyli (si reverentia loci id exigat) exonerare possint. — 29. Rei confugiti, si aliunde non abeant unde sustententur, debent de bonis Ecclesiæ seu loci sacri sustentari. — 30. Secus autem, si possint sustentari ex bonis propriis, aut a consanguineis, aut ab amicis, aut ex eleemosynis. — 31. Rei confugiti non possunt spoliari rebus suis quæ secum tulerunt in locum asyli. — 32. Imo neque possunt spoliari armis. — 33. Etiamsi dicta arma sint prohibita. — 34. Arma ablata confugitis sunt omnino restituenda. — 35. Vel episcopus sibi consignari faciat ad effectum disponendi juxta ordines sacræ congregationis. — 36. Ablatio armorum a confugitis non est permissa absque facultate Sanctæ Sedis. — 37. Contra auferentes arma a confugitis procedendum est ad declarationem censurarum — 38. Laudatur episcopus excommunicans eos qui confugitos in locis immunibus armis spoliarunt. — 39. Possunt tamen a confugitis auferri arma sicuti et alia bona quæ non sunt sua, sed aliena, et ipsa tradi propriis dominis. — 40 ad 127. De extractione confugitorum a locis immunibus. — 128. Ultra restitutionem rei extracti tenentur etiam male extrahentes ad restitutionem omnium rerum et etiam armorum quæ fuerunt ablata in extractione. — 129. Violatores immunitatis asyli ultra gravissimum commissum sacrilegium et nullitatem omnium eorum actorum, incurrunt excommunicationem majorem latæ sententiæ. — 130. Talem excommunicationem majorem incurrunt omnes violatores cujuscunque sint dignitatis et auctoritatis. — 131. Sic eam incurrunt omnes capientes, extrahentes, incarcerantes, vincientes reum in loco asyli existentem. — 132. Item complices extractionis, et hujusmodi. — 133. Item fautores. — 134. Item cooperatores. — 135. Item mandantes. — 136. Item cogentes, obsidentes et custodientes, etc. — 137. Item dolose et blande suadentes confugito ut exeat a loco immuni ut capiatur. — 138. Item tentantes. — 139. Item ipsi extrahentes, quamvis extractum consignaverint potestati ecclesiasticæ. — 140. Nec supradicti excusantur, quamvis reus libere consentiat capi, carcerari, extrahi, et hujusmodi. — 141. Appellatio contra declaratoriam episcopi non admittitur. — 142. Absolutio a censuris contractis ex causa violatæ immunitatis est reservata Summo Pontifici. — 143. Et ita est reservata Summo Pontifici, ut, vacante Sede Apostolica, desit potestas absolvendi. — 144. Episcopi absolventes censuratos hujusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidunt in excommunicationem eidem Sedi Apostolicæ reservatam. — 145. Quare præcipitur archiepiscopo qui sine dicta facultate absolvit censuratos ex causa extractionis confugiti ab Ecclesia, ut reaffigat cedulones contra ipsos. — 146. Sic pariter absolutio concessa ab eminentissimo legato sine facultate apostolica non suffragatur, et injungitur episcopo ut denuo absolvat auctoritate sacr. congregat. — 147. Absolutio obtenta a censuris ex causa violante immunitatis vigore brevis Sacræ Pœnitentiariæ non suffragatur in foro exteriori. — 148. Nec absoluti ex causa præfata in vigore bullæ Cruciatæ habentur pro bene absolutis a Sacra Congregatione, et injungitur reaffixio cedulonum. — 149. Absolutio data vigore bullæ Anni Sancti per confessarium a censuris incursis ex causa violatæ immunitatis non suffragatur in foro exteriori. — 150. Absolutio vigore jubilæi non suffragatur censuratis, et reaffigi possunt ac debent cedulones. — 151. Ordinario inferiori concedi non debet facultas absolvendi censuratos ex causa violatæ immunitatis, seu episcopo viciniori. — 152. 156. Absolutio a censuris incursis ob violatam immunitatem non datur, nec dari potest; et data non valet, nisi prius restituto reo, et facta satisfactione læsæ ecclesiæ. — 157. Regulæ pro solutione quæstionum quæ oriri possunt quoad exercitium ecclesiasticæ immunitatis.

ARTICULUS IV. — *Quoad ea quæ specialiter concernunt immunitatem realem et personalem, et pœnas eam violantium, ac absolutionem ab eisdem.*

1. Quid sit et in quo consistat immunitas realis et personalis. — 2. Nomine personarum ecclesiasticarum qui veniant? — 3. Nomine bonorum seu rerum ecclesiasticarum quæ veniant. — 4. Omnes personæ vere ecclesiasticæ gaudent immunitate personali. — 5. Omnes res ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum gaudent immunitate reali. — 6. Immunitas realis et personalis est de jure divino. — 7. Ecclesiastici etiam sponte non possunt solvere exactiones laicales, et laici a sponte dantibus non possunt accipere. — 8. Quasnam pœnas incurrant violatores hujus immunitatis; quinam sint tales violatores, et a quo possint, vel non, ab eisdem pœnis absolvi. — 9. Epistola S. congr. episcoporum et regularium.

ARTICULUS I.

Immunitas quoad ea quæ concernunt ejus naturam, divisionem, et jus a quo provenit.

(1. Immunitas derivatur a verbo *munus* quod licet generatim captum tria significet, scilicet donum, officium cum onere, et onus sine honore, proprie tamen sumptum solum tertium significatum importat, scilicet onus sine honore, seu onus, functionem, et obligationem alicui impositam, sive lege, aut more ei incumbentem; leg. *Munus proprie* 214, ff. de Verbor. significat. ibi: « Munus proprie est quod necessarie obimus lege, more, imperiove ejus qui jubendi habet potestatom. » Unde qui a tali onere aut obligatione liber aut exemptus est, immunis esse et immunitate gaudere dicitur: l. *Munus* 18 et ibi Gloss. verb. *Onus* et verb. *Officium*, ff. de *V. S.* et leg. 1. ff. de Jure immunitatis. (2. Immunitas ecclesiastica et immunitas ecclesiarum, quamvis passim a plurimis pro-

Digitized by Google

eodem sumantur, et unica definitione describantur, dicendo : « Immunitas ecclesiastica est jus seu exemptio qua Ecclesiæ res et personæ ecclesiasticæ a publicis muneribus et oneribus sæcularibus sunt liberæ ; » tamen proprie et rigorose loquendo non sunt idem, sed quid diversum, ut recte advertunt Riccius in Praxi aurea, part. II, resolut. 53, num. 2. Engel. lib. III Decret., tit. 40, n. 2. Reiffenstuel ib. num. 3, et alii intelligentes pro *immunitate ecclesiarum* solam immunitatem localem competentem ecclesiis aliisque locis sacris, et pro *immunitate ecclesiastica* solam immunitatem personalem, et realem competentem personis ecclesiasticis et rebus ad tales personas, vel ad ecclesias, seu loca sacra pertinentibus ; arg. cap. *Inter cunctas* 1 Extravagant. de privileg. inter commun. § Incendiarios ubi distinctim ponuntur et nominantur violatores immunitatis ecclesiarum et libertatis, id est immunitatis ecclesiasticæ, ibi : Ecclesiarum immunitatis et libertatis ecclesiasticæ.

(3. Et hoc videtur rationi congruere quia allata definitio immunitatis communiter divisæ in localem, realem et personalem non convenit omni definito, cum non possit aptari immunitati locali ac juri asyli, ut clare patet. (4. Unde aptius definitur immunitas dicendo quod sit « Jus quo ecclesiæ et alia loca sacra necnon personæ ecclesiasticæ ac res ipsarum liberæ ac immunes sunt a muneribus et oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiæ debitæ repugnantibus. » (5. Hæc enim definitio competit omni membro definiti, cum per ly jus quo ecclesiæ et alia loca sacra, necnon personæ ecclesiasticæ, ac res ipsarum liberæ, ac immunes sunt a muneribus et oneribus sæcularibus, *denotatur* immunitas realis et personalis, et per ly atque ab actibus earum sanctitati et reverentiæ debitæ repugnantibus, denotatur immunitas localis.

(6. Immunitas sic descripta recte dividitur in localem, realem et personalem. Immunitas *localis* est quæ convenit ecclesiis aliisque locis piis seu religiosis. Immunitas *realis* est quæ competit rebus ecclesiasticis, id est bonis ad ecclesias vel personas ecclesiasticas pertinentibus. Immunitas *personalis* est quæ competit personis ecclesiasticis.

(7. Immunitas realis et personalis est de jure divino, ut colligitur ex pluribus sacræ Scripturæ locis. Genes. enim XLVIII, vers. 22, sub Pharaone Ægypti rege habetur sacerdotes et levitas exemptos fuisse a jurisdictione sæculari et a lege solvendi tributa, et refertur in cap. *Non minus* 4 *de immun. eccles.* ubi idcirco graviter arguuntur plurimi Christiani principes quod « deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone qui legis divinæ notitiam non habebat, » ubi nota illa verba *legis divinæ :* et similiter colligitur ex cap ultimo vers. 28 Levitici, et ex cap. III Numer. vers. 20, et cap. XLV, vers. 14 et 15, et ex primo Esdræ cap. VII, vers. 25, et cap. XVII Matthæi vers. 25 et 26 ; sed ne repetantur omnia jam scripta, vid. verb. *Clericus*, art. 2 a n. 77 usque ad 84 inclusive, et verb. *Bona ecclesiastica* art. 2 a num. 16, ubi late probatur conclusio per citatas Scripturas, per varios sacros canones, et per concilium Trid. sess. 25, cap. X de Reformat. ubi expresse contestatur ecclesiæ et personarum ecclesiarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam. Et sic tenent ultra doctores loc. cit. adductos, Bellet *disquisit. cleric.*, p. I, de exempt. cleric., § 1, nu. 1. Diana part. I, tract. 2, resolut. 1. Reiffenstuel lib. III Decret. tit. 49, artic. 9, num. 235. Tambur. *de Jure Abbat.*, tom. I, disp. 15, quæst. 19. Thom. Delbene tom. I de immunit. eccles., part. I, can. 1, dub. 1 per tot. Fagnan. in cap. *Non minus* 4 de immun. eccles. num. 4. Bonacina de Censuris in bulla *Cœnæ*, disput. 1, quæst. 16, sect. 2, punct. 1 et seqq. et in 8 præcept. Decalog., disp. 10, qu. 2, part. I, § 1, num. 3. Et late card. Petra tom. II, comm. *ad const.* I *Honorii III* a n. 3, et alii.

(8. Immunitas localis ecclesiarum seu privilegium asyli non competit ecclesiis, aliisque piis locis de jure naturali et divino, sed solum de jure humano, tum civili, tum canonico ; et, quod hæc localis immunitas sit de jure civili, habetur ex tot. tit. cod. *De his qui ad ecclesiam confugiunt, et authent. de mandatis principum*, § *Neque autem homicidii*, collat. 3, (82) et quod sit de jure canonico, habetur ex c. *Inter alia*, 6 de immunit. eccl., ibi : « Juxta sacrorum statuta canonum et traditiones legum civilium. . . . . fugiens ad ecclesiam » ; et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, quæst. 5 ex conc. Aurelianen. I, c. 3, ibi : « Id constituimus observandum quod ecclesiastici canones decreverunt ; et lex romana constituit ut ab ecclesiæ atriis, vel domo episcopi reos abstrahere omnino non liceat ; » et cap. *Eos qui* 6, dicti 87 ex concilio Arausicano, canon. 5, ibi : « Eos qui ad ecclesiam confugiunt, tradi non oportere, sed loci sacrati reverentia et intercessione defendi ; » et cap. *Sicut antiquitus*, 6 ; cap. *Reum* 9 ; cap. *Si quis* 20 ; cap. *Definivit* 35, caus. 17, qu. 4 (83).

(9. Nec valet objicere quod Deus in lege veteri præter civitatis refugia, de quibus Numer. XXXV, Deuter. XIX, Josue XX, constituerit pro asylo templum Jerosolymitanum, ut videtur colligi ex c. XXI Exodi, ibi : *Constituam tibi locum in quem fugere debeas,*

(82) Cl. P. Franciscus Xaverius Zech in luculenta de jure asyli ecclesiastici dissertatione Ingolstadii edita a 1751 et ab Antonio Schmit recusa tom. VI Thesauri jur. eccles. a pag. 284 qua erat eximia eruditione ac diligentia, c. 118 leges imperatorum circa jus asyli ecclesiastici a Constantino M. percenset ad Manuelem Comnenum ; his deinde subjungit leges latas a regibus Francorum, a veteribus Germanis, Anglis, Visigothis in Hispania et Gothis in Italia. (EDIT. BARBIELL.)

(83) Idem Zech. cap. 4 ecclesiasticas de asylo leges operose indicat, illustratque a sæculo Ecclesiæ quarto ad nostrum XVIII. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

videlicet altare templi et quod etiam gentiles ex instinctu naturæ aliqua loca designaverint quæ vocabantur *asyla*. Non valet, inquam, quia, præterquam quod Abulensis c. xxv, Josue q. 7 et alii plures negant templum Jerosolymitanum pro asylo constitutum fuisse, dato etiam hoc, et non concesso, hujusmodi lex post mortem Christi, utpote ad cæremonialia pertinens, jam expirasset; unde jus asyli jam non habetur ex veteris legis obligatione, sed solum ad quamdam similitudinem et secundum congruam juris naturalis æquitatem (quam etiam gentiles agnoverunt) de facto per jura humana, tum civilia, tum canonica ecclesiis, aliisque locis piis concessum fuit. (10. Neque in nostra nova lege Evangelica habetur aliquod jus positivum, sive scriptum, sive apostolis traditum, decernens talem immunitatem, siquidem Christus præter leges naturæ et fidei nullas leges cæremoniales præscripsit, nisi circa ritus sacrificii et sacramentorum, reliqua Ecclesiæ statuenda relinquens. Sic tenent Suar. tom. I de religion. lib. III de locis sacris c. 8, n. 8, 10, 11 et 13. Covarruv. lib. II resol. cap. 20, num. 1, 2 et 3. Layman lib. IV, tract. 9, c. 3, q. 1, n. 1. Pirhing. lib. III, Decretal., tit. 49, sect. 4. num. 15. Engel. ibid. nu. 7. Zoesius ib., num. 6. Sannig ibid., c. 2, n. 1. Reiffenstuel ibid., num. 22 et lib. II, tit. 2, num. 131, et in Theologia morali tract. 12, dist. 2, num. 2, cum communiori aliorum contra Delbene de immunitate et jurisdictione eccles. cap. 16, dub. et num. 2, ubi illud jus naturale esse asserit, et contra Fagn. in appendice de immunitate, c. 2, num. 9, Decium et Tuscum existimantes esse juris divini positivi.

(11. Quam sententiam, scilicet jus asyli etiam in Novo Testamento esse juris divini naturalis vel positivi, non improbabilem censet etiam Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. 49, num. 26. Eo vel maxime quod videatur ei favere sacra Scriptura locis citatis sub num. 6. Tridentinum sess. 25, c. 20 *de Reformat.* per verba adducta sub num. 7. et c. Quanquam 4 de censibus, in 6, et quia apud omnes fere gentes vigebat tale jus asyli, ut videre est apud ipsum Reiffenstuel loc. cit. num. 26. Covar. loc. cit. c. 20. Gonzalez in c. *Inter alia* 6, de immun. eccles., num. 9, et alios.

(12. Tamen ad id de Scriptura et gentilibus fuit jam responsum sub num. 10, et ad Tridentinum et textum canonicum communiter respondetur non loqui de immunitate locali, seu asyli, sed solum de immunitate reali et personali, id est de immunitate personarum ecclesiasticarum, et rerum ad eos vel ad Ecclesias pertinentium, quam esse de jure divino etiam nos docuimus sub, n. 7. (13. Et si quis contendat Tridentinum loco citato loqui etiam de immunitate locali, seu de jure asyli, respondetur quod, ut jura juribus concordentur juxta c. *Cum expediat*, de elect. in 6, quantum ad immunitatem asyli plus non vult concilium quam ipsam ad imitationem veteris legis, (14. atque instinctu divino per canonicas sanctiones constituta esse. Tum quia, si jura asyli essent de jure divino naturali nunquam potuissent, nec adhuc possent mutari, quia jura naturalia semper firma et immutabilia permanent, ut dicitur § *Sed naturalia* 11 inst. de jure naturali, Gent. et civil. nec potuissent ab aliquo etiam summo pontifice minui, immutari, aut dispensari, cum inferior in lege superioris nullam habeat potestatem; c. *Cum inferior*, 16 de majorit. et obed. et Clement. *Ne Romani*, de election. Neque potuissent consuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, cum consuetudo contra jus divinum nihil valeat; cap. *Cum tanto*, 11 de consuetudin. Atqui jus asyli per pontificem fuit immutatum, quoad certa crimina et personas restrictum ac limitatum, ut patet ex c. *Inter alia*, 6. de Immunit. eccles. et ex constitutionibus Gregorii XIV et Benedicti XIII art. seq. adducendis, adeoque, etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. Quæstio, num immunitas personalis sit de jure divino an potius humano, magni momenti est, et sursum atque deorsum versata, non modo a jurisconsultis, sed etiam a theologis. (16. Nam alii contendunt clericos privilegio fori uti de jure divino. (17. Ita auctor, num. 7 et qui ab ipso allegantur. E diverso alii in contrarium nituntur id esse de jure humano; ita Innocent. in cap. 2 de Major. et Obed. Alciat. in c. *Cum non ab homine*, de Judic. et alii apud Peregrin. de Immun. eccles. in princip. quos ex theologis sequitur Medina in tit. de *Restit.* quæst., 15.

(18. Mihi haud displicet opinio Covarruv. 3, practic. 31, qui distinguit ut, si agatur de rebus spiritualibus, clerici immunes sint de jure divino a jurisdictione laicorum, si autem de rebus temporalibus, de jure humano sint exempti ex legibus potissimum Constantini Magni in c. de Episc. et Cleric.

(19. Prima pars probatur, quia summus pontifex de jure divino ex institutione Christi positus est ad regimen Ecclesiæ, cum ei dedit potestatem pascendi oves suas, solvendi et ligandi, deditque claves regni cœlestis, et voluit, ut aliquando conversus confirmaret fratres suos. (20. Ex quibus pontifex factus est in spiritualibus caput totius orbis Christiani, et præsertim clericorum qui militantis Ecclesiæ partes sunt magis connexæ. Hi igitur ex eodem jure divino facti in spiritualibus sunt subditi summi pontificis a quo regi debent, nam ex quo jure est potestas capitis, ex eodem est subjectio subditorum.

(21. Patet altera pars, tum ex dictis, tum etiam quia ipsi clerici in sacris constituti a summo pontifice sæpe judici laico traduntur ut eosdem puniat, cap. *In audientia*, cap. *Contigit*. cap. *Perpendimus*, de Sent. Excomm. cap. *Ex parte*, de Privil. cap. *Ad abolendam*, de Hæretic. (22. Ergo exemptio fori clericorum in temporalibus juris est humani; idque, quia summus pontifex non solum immutare haud potest jus divinum, sed nec ob causam licet justam dispensare, bene vero declarare et interpretari.

(23. Nec negotium facessere debet can.

Digitized by Google

Si imperator dict. 97 ubi Joannes pontifex ait: « Clerici ex divina institutione a summo pontifice sunt judicandi, » quod etiam habetur in cap. *Quanquam.* de censib. in sexto. (24. Nam, ut recte observavit Covarr., ubi supra, jus divinum ibi usurpatur pro canonico, quod novum haud est.

(25. Hinc facile est judicare quid dicendum sit de Justiniano, qui in leg. *Si quis in conscribendo*, Cod. de Pactis statuit sacerdotem qui se non usurum promiserit exceptione fori promissis stare teneri, ita ut possit dein coram laico convenire, ea reddita ratione quod possit quisque juri pro se introducto renuntiare. (26. Non ignoro in hoc textu explicando se varie torquere DD. eorumque plurimos Justinianum reprehendere quod legem tulerit statui ecclesiastico contrariam. (27. At distinguendum videtur potestatem inter et justitiam. (28. Porro potuit Justinianus id statuere, eum, ut mox dictum est, fori privilegium quod habent clerici in temporalibus sit juris humani, sed non juste fecit, quia ratio qua Justinianus utitur minime convincit. (29. Nam regula quæ ait posse quemque juri suo renuntiare, intelligitur cum jus est personale, quod sane non accidit in clericis, quorum exemptio in gratiam totius collegii ecclesiastici est inducta. (30. Qua de ratione recte in cap. *Si diligenti*, de For. competent. corrigitur lex Justiniani, et statuitur ut clericus ne juramento quidem possit foro suo renuntiare.

(31. Inficias haud eo sæpe Justiniano libuisse pervertere Christianorum sanctiones, ut inquit Procopius in Historia Arcana, pag. 123. At sæpius non tam pervertit quam præscripsit. (32. Nam quidquid in canonibus ecclesiasticis erat insigne, id voluit auctoritate sua stabilitum, declaratum ac pœnis vindicatum. (33. Factum hinc est ut episcopi Orientales ex Justiniani legibus eas sibi concinnaverint regulas quas *Nomocanones* nuncuparunt. (34. Nomocanonem enim scripsit Joannes Scholasticus, quia a Justiniano suffectus est Eutychio *C. P.* patriarchæ in exsilium pulso. (35. Alium postmodum composuit *Photius* patriarcha etiam *C. P.* quem Theodorus Balsamon notis suis illustravit.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ specialiter concernunt immunitatem localem, seu jus asyli, loca, delicta et personas quibus competit, vel non.

(1. Immunitas localis, seu jus asyli est ecclesiis et sacris aliis quibusdam locis competens, confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstans ad hoc quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita nec in membris puniri valeant. Est in re communis arg. c. *Inter alia* 6, de Immun. Ecclesiar. (2. Immunitate, seu jure asyli gaudent omnes ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ, c. *Inter alia* 6, de Immunitat. eccles. et concordat c. *Immunitatem* 10, eod. cap. *Eos qui* 6, dist. 87, cap. *Sicut antiquitus* 6, cap. *Reum* 9, cap. *Si quis* 20, cap. *Definivit* 35 et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17 qu. 4.

(3. Etsi nondum sint consecratæ, textu expresso in cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunitat. eccles. ibi: « Ecclesia in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non exstiterit consecrata, nullo modo privilegium immunitatis adimitur. » (4. Imo etiamsi in iis divina adhuc non sint celebrata; arg. cit. cap. *Ecclesiæ*, ubi pro ratione immunitatis subjungitur: « Quia obsequiis divinis dedicata nullis est temerariis usibus profananda; » Unde, cum pro ratione ibi pontifex non allegat celebrationem divini officii jam factam, sed quia obsequiis ac officiis divinis est dedicata seu deputata, debent Ecclesiæ gaudere immunitate, etiamsi in iis divina adhuc non sint celebrata cum ex eo solo quod ecclesiæ auctoritate episcopi ad usus sacros sint deputatæ, jam existunt loca sacra ac religiosa, ita ut ad usus profanos redire et applicari amplius nequeant textu claro in cap. *Ad hæc* 4 de religiosis domibus, et sic tenent Abbas in cit. cap. *Ecclesiæ*, num. 5; Fagnan. ib. numer. 8; Hostiens. ibid. verb. *Celebratur;* Barbosa lib. II Jur. Eccles. univers. cap. 3, numer. 59. Covarruv. lib. II variar. resolut. cap. 20, num. 4, et alii communiter. (5. Quinimo immunitate gaudent etiam ecclesiæ interdictæ. Fagnan. in cit. cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunit. ecclesiar. num. 11; Abbas ib. numer. 7. Ventriglia tom. II, annotat. 23, § de Immunit. eccles., num. 5; Pirhing. lib. III Decretal. titul. 49 num. 3; Reiffenstuel. ibid. num. 29; Engel. ib. num. 11; Laymau. lib. IV tract. 9, cap. 3, num. 2; Silvester verb. *Immunitas* 1, q. 1, dicto 2, Barbosa loc. cit. num. 60, cum plurimis aliis ibi citatis. (6. Immunitate gaudent etiam ecclesiæ pollutæ. Fagnan. loc. cit. num. 13; Ventriglia loc. cit. num. 5; Barbosa loc. cit. num. 61, cum Suarez, Giurb., Bonacin., Bobadill. et Fagundez ibi citatis, et alii n. anteced. adducti. (7. Item gaudent immunitate ecclesiæ dirutæ, dummodo non sint dirutæ auctoritate episcopi, et subsit spes reædificationis, arg. cap. *Quæ semel* 4, caus. 19, q. 4, t. *Æde sacra* 73, ff. de Contrahend. Emption. Fagnan. loc. cit. num. 14; Engel. loc. cit. num. 10; Ventriglia loc. cit. num. 4; Barbosa loc. cit. num. 62, cum plurimis ibi citatis, et alii passim.

(8. Immunitate gaudet cœmeterium, quanquam ab ecclesia separatum, dummodo auctoritate episcopi sit designatum, capit. *Cum ecclesia*, de 5, Immunit. ecclesiar. Fagnan. loc. cit. n. 21; Barbosa loc. cit. n. 63, cum plurimis ibi citatis, et alii communiter. (9. Item immunitate gaudet porticus ecclesiæ, cap. *Si quis contumax* 20, caus. 7, q. 4, et declaravit sac. cong. Immunit. in Spoletana 7 Febr. 1630, in Camerinen. 3 April. 1635, in Asculana 20 Decembris 1657, et in Dertonen. 9 Septem. 1670; apud Pignatel, t. I consult. 171, sub n. 15 in fin. (10. Item immunitate gaudet atrium cit. cap. *Si quis contumax*, 20, et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, q. 4. (11. Item immunitate gaudet tectum, cum supra illud existens dicatur esse intra situm ecclesiæ. Suarez tom I, tract. 2, lib. III, cap. 9, num. 8, vers.

Digitized by Google

Sed quid si quis supra tectum; Peregrin. de Immunitate numer. 282; Diana part. VI, tract. 1, resolut. 73; Sperell. decis. 63 n. 9; Ventriglia loc. cit. num. 9; Barbosa loc. cit. n. 66, et alii passim. (12. Item immunitate gaudet campanile ecclesiæ, quamvis ab ipsa disjunctum sit, dummodo non ultra triginta passus distet, ut bis declaravit sac. Congreg. apud Delben. de Immunitate d. 9, sect. 6; Diana part. IV, tract. 1, resol. 108; Joan. Anton. Navar. tit. de Immunit. eccles., num. 26; Barbosa loc. cit. num. 66; Reiffenstuel. loc. citat. num, 29; La Croix lib. IV sub num. 1392, et alii. Rev. tamen dominus Josephus Maria Maraviglia sustinet mordicus quod campanile sejunctum nulla gaudeat immunitate, quia non potest dici pars formalis ecclesiæ, cum non sit consecratum neque benedictum. Additque privilegia immunitatis esse stricte interpretanda tanquam odiosa et contraria juri communi, derogat enim immunitas juri publico quod vult quod delicta non remaneant impunita. Vide ibi legem 287 *Prudentiæ episcopalis.* (13. Item sacristia, si ecclesiæ vel cœmeterio cohæreat, et etiam non cohærens si altare habeat; secus autem si non cohæreat ecclesiæ vel cœmeterio, nec altare habeat ad celebrandum; Sperell. dec. 61; a principio, et decis. 62, num. 19; La Croix loc. cit. cum variis aliis; Ventriglia loco citat. num. 12, ubi dicit hoc certum esse. (14. Item immunitate gaudent scalæ exteriores ecclesiæ; Suarez tom. I tract. 2, lib. III, cap. 11, num. 9; Barbosa loc. cit. num. 66, cum pluribus aliis; Farinac. tract. de Immunit. n. 180, ubi refert sac. Congreg. ita censuisse.

(15. Item immunitate gaudent fores, seu portæ ecclesiæ saltem manu tactæ et apprehensæ, cum clausæ reperiuntur; Suarez loc. cit. lib. III, cap. 9, n. 8; Navarr. in Manual. cap. 25, num. 17 ad finem; La Croix lib. IV sub num. 1392; Barbosa loc. cit. num. 65; Pignatell. t. 6, consult. 4, num. 81, et sequent. ubi ad propositum affert declarationes ac decreta sacræ Cong. præsentis tenoris: « Innixus stipiti portæ ecclesiæ gaudet immunitate, in Amerina 28 Maii 1628. » Item, « evadens e manibus Birruariorum, et adhærens valvis ecclesiæ gaudet immunitat. in Firmana 13 Jul. 1657. » Item « tenens annulum valvarum ecclesiæ gaudet immunitate, 9 Septembris 1638. » Item « qui in actu carcerationis cohæreat valvis ecclesiæ unico pede et unica manu gaudet immunitate, in Brundusina 4 Septembris 1640 (84). » Item, « captus a Birruariis in janua conventus seu Monasterii gaudet immunitate, in Rossanen. 18 Febr. 1653. » (16. Sic etiam gaudet immunitate qui tangit aliam partem exteriorem ecclesiæ, v. g. muros, Barbosa loc. cit. num. 65; Riccius in praxi tom. III, resolut. 560, n. 8; Navarrus in summa bullæ de Immunitate num. 16; Bonacina disp. 3, in Decalog. 3, punct. 4, num. 5; Pignatel. loc. cit. n. 82, affert sequentia decreta sacræ Congreg. « Adhærens muro ecclesiæ gaudet immunitate, in Amerina 18 Febr. 1632, et in Camerinen. 13 Jul. 1638. » Item qui elapsus e manibus satellitum confugit ad ecclesiam et apprehendit parietem, aut seras valvarum gaudet immunitate; sac. congr. Episcop. 31 Martii 1604, et 15 Jul. 1614, et 20 Decemb. 1616, refert Pignatell. loc. cit. n. 107.

(17. Privilegium immunitatis non restringitur ad portas aut parietes vel Atrium ecclesiæ tantum, sed per quadraginta passus in majori ecclesia, et per triginta in capellis, vel minoribus ecclesiis extenditur circumquaque, ut est definitum in cap. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, quæst. 4, ibi: « Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus, ut major ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat, capellæ vero, vel minores ecclesiæ triginta; qui autem confinia earum confringere tentaverit, aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit . . . excommunicatur, » et concordat cap. *Definivit* 45 cad. caus. 17, et q. 4, et utrobique notant, et tenent gloss. archidiaconus et doctores omnes, ut testatur et sequitur Fagnan. in cit. cap. *Ecclesiæ* 9 de Immunitat. ecclesiar. n. 16; Covarruv. lib. II variar. resolut., cap. 20, n. 5; Hostiens. in cap. *Inter alia* 6, de Immunit. eccles., num. 2, et ibi etiam Joann. Andr. n. 7; Abbas in ultim. notab.; Felin. num. 2, et Marian. Socin. n. 16; Silvester verb. *Immunitas* 3, num. 1; Barbosa in citat. cap. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, q. 4; Reiffenstuel lib. III Decretal., tit. 49, num. 31. Turrecremata, Præpositus, et alii. (18. Dicta autem immunitate triginta passuum pro ecclesiis minoribus non gaudent ecclesiæ seu capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum, ut expresse habetur in cap. *Quisquis* 21, caus. 17, qu. 4, ibi: « Capellæ quæ sunt infra abitum murorum castellorum, non ponuntur in hac triginta passuum observatione. » Et ratio est, quia si dictæ ecclesiæ, seu capellæ gauderent immunitate etiam ad triginta passus, ob loci angustiam, immunitas fere totum castrum quandoque absorberet, ut observat Glossa 1 in cit. cap. *Sicut antiquitus;* et docet Fagnan. loc. cit., num. 17; Covarruv. loc. cit., num. 5; Abbas in cit. cap. *Ecclesia,* num. 10; Reiffenstuel loc. cit., num. 32; Silvester loc. cit. et alii communiter.

(19. Imo non desunt qui dicant, jus asyli in spatio quadraginta vel triginta passuum pro omnibus ecclesiis sublatum esse consuetudine contraria, sicque non amplius observari posse, aut debere; arg. cap. *Cum tanto* 11 de consuetudin. Ita Igneus in l. 1 in princip., num. 58, ff. ad Sillanian. quem refert Remig. de Immunitat. eccles., fol. 52 in 6, ampliation. Clarus in § fin. qu. 30, vers. *Hinc est,* ubi dicit non esse ab hac communi consuetudine recedendum, præterquam in

(84) Quantum templorum januis ac vestibulis reverentiam habuerint gentiles ipsi et veteres Christiani animadvertit vir doctus Emmanuel Gonzalez ad c. 5 de Immun. eccles. num. 5. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

domibus ecclesiæ cohærentibus; Covarruv., loc. cit. num. 5; Haunold., de Just. et jur. tom. VI, n. 152, et ex Zerola in praxi episcop. part. I, verb. *Immunitas*, § 12, testatur Engel., lib. III Decretal. tit. 49, a num. 10, hodie immunitatem non attendi ultra fines cœmeteriorum, et card. de Luca, lib. XIV, p. 4; Miscellan. disc. 12, n. 17, dicit, quod immunitas talis spatii prope ecclesias recessit ab aula, et Pignatell., tom. I consult. 435, ubi postquam ad quæsitum; (20. An carceratus infra spatium quadraginta passuum circa cathedralem gaudere debet immunitate, sitque restituendus? respondit affirmative, si adsit consuetudo, et ita declarasse sac. congregationem Immunitatis in Interamnen. pro Petro Paulo Mangonio, 17 Jul. 1663, subjungitur: « Verum ead. sac. congregatio die 27 Jan. 1665, cognito per plurimos casus, quod gravia inferat publicæ quieti Narniensis civitatis præjudicia plateam ecclesiæ cathedralis ex quadam veteri consuetudine haberi pro loco immuni, cujus securitate quam sæpissime abutuntur criminosi, contumaces et debitores maximo non sine justitiæ detrimento, censuit si sanctissimo D. N. placuerit; plateam eamdem in posterum pro loco immuni non habendam, et existimandam, ac ad ipsam confugientes immunitate eccles. non gaudere, injungendumque episcopo, ut triduo a publicatione hujus decreti, eam ut talem teneri curet, et mandet quibuscunque non obstantibus. » Et facta relatione sub die 21 Februarii 1665, sanctissimus annuit, et ita exsequi jussit. Et idem Pignatell., tom. VI consult. 25, n. 13, cum multis ibi citatis concludit hos passus gaudere si adsit in loco legitima consuetudo juxta supra allatum decret. in Interamnensi. Secus vero non. Unde hos passus non gaudere declaravit eadem S. congregat. Immun. sub anno 1634 in Spoletana relata a Donato de Asylo, resol. 43, num. 1 et 2. Vide ibi Pignatell. et totam consult. 25, ubi multa erudite.

(21. Affertur aliud consimile decretum, ut sequitur. Licet die 9 Febr. 1694, l. I decr. Valleman., p. 104, declaratum sit, atrium circumductum muris ante ecclesiam Beatæ Mariæ Montis Virginis extensum per quadraginta passus gaudere immunitate, attamen, mandante sanctissimo, ordinarius declarat eidem loco non suffragari amplius immunitatem ecclesiasticam, et reputari tanquam non immunem, et insuper ne possit allegari ignorantia, et ad perpetuum documentum apponat in loco opportuno lapidem cum præfata declaratione. Sac. congr. Immun. in Nullius Montis Virginis 11 Decemb. 1687, l. II decret. Vallem., pag. 125 (85).

(22. Immunitate gaudent monasteria et conventus, cap. *Quisquis* 21, caus. 17, q. 2, leg. *Omnia privilegia*, cod. de Episcop. et cleric.; Constitut. Gregor. XIV incip. *Cum alias monasteriis, domibus regularibus, locisque sacris, aut religiosis;* Fagnan., loc. cit. n. 28; Barbosa, loc. cit. num. 72, et *Communis* aliorum. (23. Eadem immunitate gaudent omnia loca intra eorum septa, scilicet claustra, Cellæ ac habitacula, imo etiam eorumdem monasteriorum horti, areæ, domus Familiarum, stabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca quæ intra monasteriorum septa continentur, arg. l. *Pateant*, cod. *de his qui ad ecclesiam confugiunt*, ibi: « Nec sola altaria, et oratorium, etc., sed quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus confugiat, interioris templi vice tueatur; » et cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, q. 4, et cit. Constitut. Gregorii XIV incip. *Cum alias;* Barbosa, loc. cit. num. 72; Lezana verb. *Immunit.*, num. 3; Portell. in dub. Regular. verb. *Immunitas*, et *Communis* aliorum. Vide infra sub num. 45.

(24. Item immunitate gaudent villæ, sive grangiæ, quas etiam recreationis gratia habent regulares. Sic habetur ex privilegio concesso ab Eugenio IV Cisterciensibus, et consequenter omnibus aliis cum illis communicantibus, quod privilegium ex compendio ordinis Cisterciensis refert Eman, Rodericus, tom. II, quæst. Regular. qu. 75, art. 2, his verbis: « Concessit quod grangiæ monasteriorum Cisterciensium, sicut ecclesiæ atria pravorum hominum incursu, et violentia liberæ, et quietæ debeant esse, ita ut nemo in eis hominem capere, spolium aut ruinam exercere præsumat in virtute Spiritus sancti inhibendo statuit. » Sic ex hoc privilegio late probat card. de Lugo in Respons. moral. lib. III, dub. 15, per totum, ubi num. 3 refert, quod cum quidam episcopus sacr. congregat. Romæ super hoc consuluisset, respondit: « Si capella illa erat in grangia, observandum privilegium; » Villalobos, in Summa, tom. II, tract. 39, difficul. 5, n. 6; Peregrinus, de Immunitate, cap. 4, num. 58; La Croix, lib. IV, sub num. 1392; Diana, part. VI, tract. 1, resol. 6, vers. *Et tantum* in fine, et alii contra Barbosam, loc. cit., num. 76; Gambacurt., lib. I, cap. 4, n. 7; Trullench, lib. I, c. 11, dub. 1, n. 6; Lezanam, tom. III, verb. *Immunitas*, num. 3. Qui tamen auctores ideo negarunt talem immunitatem, quia, ut dicit Card. de Lugo, loc. cit., num. 2, vel non viderunt supra allatum privilegium Eugenii IV, vel illius memores non fuerunt.

(25. Omnia loca religiosa, ut seminaria, hospitalia, nosocomia, orphanotrophia, et hujusmodi auctoritate episcopi erecta gaudent immunitate asyli; *Communis;* arg. cap. *Ad hæc* 4, et cap. *Ne nimia* 9, de Religiosis domibus; leg. *Sancimus*, cod. de SS. Ecclesiis, leg. *Omnia*, cod. de Episc. et cler. (26. Item immunitate gaudet domus collegii de

(85) Vide laudatum Zech cap. 6, § 150. Censent aliqui sacros canones spatium 40 vel 30 passuum concedere tantum reo progredienti ex ecclesia, qua jam fuit receptus, nequaquam autem immunem reddere eum, qui intra hoc spatium deprehenditur antequam ad ecclesiam perveniat. Adi Aanuoldum de Justit. et jure, tom. VI, tract. 1, n. 152, et P. Wiestner de Jure asylorum, p. 2, art. 1, n. 20. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

propaganda fide; sac. cong. *Immunitatis* die 8 Mart. 1650. (27. Confugiens ad SS. Eucharistiæ sacramentum, quod portatur ad ægrotum, vel inde reportatur, aut in processione circumfertur, gaudet immunitate; Barbosa, loc. cit., n. 69; Layman., loc. cit., num. 4; Silvester, verb. *Immunitas* in 1; Reiff., loc. cit., n. 48, et *Communis* aliorum; et Pignatell., tom. VI consult. 4, n. 89, ubi affert declarationem sac. congreg. editam in Melitensi, 29 Maii 1628, tenoris sequentis: « Carceratus sequens, et manu tenens fimbriam vestis sacerdotis redeuntis ad ecclesiam cum SS. Eucharistiæ sacramento gaudet immunitate. » (28. Item gaudet immunitate etiamsi solum se associet processioni sanctissimi, aut illis qui sanctissimum comitantur; Barbosa, loc. cit., num. 69; Diana, part. 1, tract. 1, resol. 28; Reiffenstuel, loc. cit., num. 49, et alii passim, et Pignatell., loc. cit., num. 90, ubi affert declarationem sac. congreg. ut sequitur: « Associans processionem sanctissimi sacramenti gaudet immunitate; » 30 Septembris 1636 (86). (29. Qui confugit ad crucem existentem in via extra civitatem, gaudet immunitate ecclesiæ, si adsit consuetudo; sac. congr. Immunit. in Melevitana, 1 Decembr. 1638, lib. III decr. Paul. pag. 81 (87).

(30. Capellæ, seu oratoria in palatiis, aut domibus privatorum non gaudent immunitate; Pignatell., tom. I, consult. 93, ubi testatur de communi, et citat plurimos doctores, tom. VI, cons. 4, num. 103, ubi affert decretum, ut sequitur: « Capellæ privatorum palatiorum non gaudent immunitate; » sacr. congreg. episcop. et regul. in Marsicana, 17 Nov. 1617, et sac. cong. Immunit. in Perusina, 9 Dec. 1631; La Croix, lib. IV, sub num. 1392; Barbosa, lib. II Juris eccles. univers., c. 3, n. 68, et in Summa Apostolic. decis. verb. *Immunitas*, num. 5, referens utrobique citatum decretum, et cit. cap. 3 citans plurimos alios doctores, et Riccius in Synopsi, verb. *Capella;* ubi refert sequens decretum: « Capella vero privati palatii regulariter non gaudet immunitate; » sac. cong. Imm. in Tudertina 4 Jun. 1663, lib. decr. Rocci, pag. 489; (31. Fagnanus vero lib. III, decretal. in cap. Ecclesiæ 9, de Immunit. num. 23, cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel, loc. cit. n. 43, et alii volunt talia oratoria etiam in domibus privatorum, dummodo auctoritate episcopi sint erecta, gaudere immunitate, quia ut dicunt ipsi, cum talia oratoria sint vera loca religiosa, nec amplius ad usus profanos applicari possint; cap. *Ad hæc* 4, de religiosis domibus, ac in super jurisdictioni, et visitationi episcopi sint subjecta, non minus debent gaudere immunitate, ac oratoria publica episcopi auctoritate erecta. Ad citata autem decreta omnes contrarii doctores respondent esse intelligenda, et respective interpretanda de oratoriis et capellis sine auctoritate episcopi erectis, uti plura habentur in domibus privatorum, quæ cum religiosa non sint, et ad nutum domini domus iterum ad usus profanos possint applicari et converti, quamvis de licentia papæ aut Episcopi in eis super altare portatili celebratæ fuerint missæ, non debent gaudere immunitate asyli, uti tenent communiter doctores, et censuit sacra congr. in relatis decretis.

(32. Ecclesia campestris gaudet immunitate; sacr. Cong. Immunit. in Brundusina, 18 Decemb. 1694, lib. I decr. Vallem., pag. 162. (33. Ecclesia enim quælibet, dummodo sit fundata auctoritate episcopi, gaudet immunitate ecclesiastica, etiamsi non fuerit benedicta; arg. cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunitat. Ecclesiar. et expresse sacr. congreg. Immunit. in Anconitana, 19 Jun. 1635, lib. II decr. Paul., pag. 226. (34. Imo locus in quo construitur ecclesia, jam injecto solemniter primo lapide, est immunis; sac. cong. Immunit. in Januen., 5 Octobris 1688. lib. decret. Martelli, pag. 358. (35. Capellæ, sive ecclesiæ in arcibus sive castellis existentes gaudent immunitate; s. congr. Immunit. sub anno 1653, apud Pignatell., tom. VI consult. 4, n. 121. (36. Ecclesia sita in Fortalitio S. Urbani gaudet immunitate Eccles. sac. cong. Immunit. in Bononien., 16 Jul. 1675, lib. I decr. Altov., pag. 1122.

(37. Capella carcerum vel contigua carceribus non gaudet immunitate; S. Cong. Immunit. in Tudertina, 12 Junii 1663; apud Pignatell. tom. I, cons. 471. (38. Capella contigua, ut dicitur, *Al corpo di guardia*, erecta, ut milites ibi degentes audiant missam maxime diebus festivis, permittitur declarari non esse locum immunem; sacr. congr. Immunit. in una *Nullius Orbetelli*, 16 Feb. 1683, l. III decr. Altoviti, pag. 143. (39. Capella ruralis, vulgo dicta *una Maestà*, posita in publica via, nisi probetur fuisse constructam auctoritate ordinarii, non gaudet immunitate; sac. congr. Immunit. in Spoletana, 2 Martii 1642, lib. III decr. Paul. pag. 171. (40. Mandante sanctissimo clauduntur capellæ civitatis, etiam cum muro, attento quod confugiti committunt continuos abusus et scandala, et onera missarum transferantur in alias ecclesias arbitrio episcopi; sac. congr. Immun. in Lycien., 19 Maii 1679, lib. I decr. Altov., p. 1249. (41. Quando capella existens in palatio gubernatoris est perpetua et invariabilis, confugientes ad eam gaudent Immunitate; secus si sit variabilis, et non perpetua; S. congr. Immun. in Tudertina, 7 Maii 1658, lib. decr. Rocci, p. 89. (42. Capella vero privati Palatii, ut jam dictum est sub. n. 30, regula-

(86) Nempe propter honorem eucharistici numinis, inquit Zech. § 755, defertur ecclesiæ singularis reverentia: multo magis igitur id præstandum ipsi sacramento corporis Christi, præsertim cum etiam confugientibus ad statuam principis libertas concessa sit. (EDIT. BARB.)

(87) Id fuit a S. C. responsum ex canone 19 concilii Claromontani ab Urban. II habiti ann. 1095: « Si quis ad aliquam crucem in via, persequentibus inimicis, confugerit, liber ac si in ipsa ecclesia permanet. » (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

riter non gaudet immunitate; ead. sac. congregat. in eadem Tudertina, 4 Junii 1663, lib. decret. Rocci, pag. 489.

(43. Domus confraternitatis gaudere debet privilegio Immunitatis ecclesiasticæ, sac. congr. Imm. in una civitatis Castelli 23 Julii 1652, lib. IV decr. Paul., pag. 189. (44. Locata vero laicis non gaudet; eadem sac. cong. Immunitatis in Reatina, 14 dec. 1628, lib. I decr. Paul. pag. 115. (45. Sic immunitate non gaudent apothecæ laicis locatæ habentes ingressum ex platea vel via publica; eadem sac. cong. Immun. in Narniensi 27 Febr. 1662. (46. Nec gaudet immunitate domus contigua ecclesiæ, quæ præter januam viæ publicæ correspondentem, habet etiam egressum in choro ejusdem ecclesiæ, maxime si sit laicorum: ead. s. congr. Immunit. in una Pennensi 28 Febr., 1662. (47. Gaudet tamen immunitate domus ecclesiæ, quæ inservit pro habitatione sacristæ, etsi ab ecclesia disjuncta; ead. sac. congr. Immun. 28 Febr. 1662; apud Pignatell. tom. I, consult. 456. (48. Item immunitate gaudet domus annexa et addicta ecclesiæ; eadem sac. congr. Immun. in Portuen., 30 Martii 1666, lib. decr. Borrom. pag 151 et 754.

(49. Domus a suffraganeo Veliterno conducta gaudet immunitate, præterquam in parte reservata locatori. Tenetur tamen suffraganeus impertiri licentiam pro transitu super parte ab eodem conducta, pro faciendis exsecutionibus a curia sæculari contra locatorem; eadem sac. congr. Immunit. in Veliterna, 14 Januar. 1696, lib. II decret. Vallem. pag. 5. (50. Domus contigua ecclesiæ gaudet immunitate; eadem sacr. congreg. Immunit. in Firmana, 8 Januar. 1695, lib. I decret. Vallem. pag. 165. (51. Sic domus contigua ecclesiæ, ad quam habet aditum; ad viam publicam vero medio Cortili, gaudet immunitate; eadem sac. congreg. Immun. in Theatina, 31 Jul. 1674, lib. I decret. Altov., pag. 976. (52. Domus contigua ecclesiæ, a qua nullus patet aditus ad ecclesiam, et laicis locata, non gaudet immunitate; eadem sac. congr. Immunit. in Marsicen., 16 Jun. 1682, lib. III decret Altov., pag. 51, et in Pisauren., 16 Julii 1686, ibi pag. 583. (53. Domus commendæ religionis Hierosolymitanæ habens in inferiori parte cauponam habentem communicationem internam media parte domus superioris cum ecclesia, non gaudet immunitate, et claudatur aditus ad ecclesiam; ead. sacr. congregat. Immunitat. in Perusina, 27 Maii 1687, libr. decret. Martelli, pag. 107. (54. Domus posita super sacristiam confraternitatis laicis locata non gaudet immunitate eccles.; eadem sac. congr. Immunit. in Reatina, 4 Decembr. 1728, lib. I decr. Paul., pag. 115. (55. Domus, in qua habitat vicarius sanctissimæ Inquisitionis, non gaudet immunitate ecclesiastica, nisi habeat ecclesiam cohærentem, vel adsit consuetudo; eadem sacr. congreg. Immunit. in Marianen., 6 Novemb. 1634, lib. II decr. Paul., p. 206. (56. Mansiones conventus olim suppressi annexæ ecclesiæ, nunc commendatæ, laicis locatæ præter servitium ecclesiæ non sunt immunes; ead s. congr. imm. in Reginaten., 28 Januarii 1682, lib. II decret. Altov., pag. 2147. (57. Non constat quod sit locus immunis domus empta a Regularibus ad affectum ampliandi suam ecclesiam, et conventum in qua episcopus unica vice celebravit sacrum, sed deinde locata fuit laicis nec ullum habet ingressum ad ecclesiam; ead. sac. congr. Immun. in Perusina, 29 Febr. 1684. lib. III decret. Altov., pag. 287. (58. Non constat esse immunem capannam spectantem ad Regulares, positam in distantia quinquaginta septem palmorum ab ecclesia, et septem a claustro regularium, quæ est locata laico, et est intra ambitum civitatis, ead. sac. congr. Immun. in. Albanen., 11 Julii 1684, lib. III decr. Altov., pag. 340.

(59. Domus canonicales gaudent immunitate; eadem sac. congr. Immun. in Florentina, 9 Maii 1694. lib. I decret. Vallem., pag. 120. (60. Non est permittendum ædes canonicales in canonica existentes locari per canonicos laicis ad inhabitandum; ead. sacr. cong. Immun. in Lauret. 16 April. 1652, lib. II dec. Paul., pag. 180. (61. Imo episcopus hanc locationem prohibeat sub pœnis sibi benevisis; ead. sac. congr. Immun. in Perusina, 14 Maii 1652, l. II decret. Paul., pag. 184 et 23 Septemb. 1692, lib. decr. Crim., pag. 200. (62. Et quidem sub pœnis pecuniariis, arbitrio episcopi, ead. sacr. congr. Immun. in Mantuana 16 Augusti 1704. l. III decret. Vallemani, pag. 618. (63. Laudatur archiepiscopus Florentinus ob reintegrationem ecclesiæ mediis censuris procuratam in causa perquisitionis factæ auctoritate laicali in domibus canonicalibus; eadem sacr. congr. Immunit. in Florentina, 8 Maii 1594, lib. I decret. Vallem., pag. 226. (64. Ob perquisitionem et extractionem rerum e cubiculis cathedralis, clericus absolvatur arbitrio episcopi, impositis gravibus pœnitentiis salutaribus; ead. sac. congr. Immun. in Perusina, 25 sept. 1695, l. II decr. Vallem., p. 147. (65. Domus præposituræ contigua Ecclesiæ gaudet immunitate, etiam respectu bonorum ibidem existentium, quamvis pars ejusdem domus sit laico locata, eadem sac. congr Immun. in castri durantis sive in Urbanien. 19 Augusti 1630, lib. II decret. Paul., p. 54 (66. Domus parochialis gaudet immunitate eadem sacr. cong. Imm. in Comen., 25. Febr. 1698, lib. II decret. Vallem., p. 158 (88). (67. Etiamsi ab ecclesia distans (89), modo

(88) De ædibus parochi dubium jam pridem proposuerunt Saxones Nicolao V, *an curia plebani gaudeat tanta immunitate sicut ecclesia cum sit extra cœmeterium constructa.* Respondit pontifex, ut refert Raynaldus, *Annal. Eccles.* tom. XVIII, ad annum 1447, num. 28, per Alphonsum episcopum Valentinum, qui postea in pontificatu Calisti nomen sumpsit, *dicendum est quod si est infra 40 passus majoris ecclesiæ vel infra 30 minoris ecclesiæ gaudet immunitate; alias non.* (EDIT. BARBIELL.)

(89) Intellige ad Nicolai V sententiam, modo intra 40 vel 30 passus posita sit. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

non sit locata et inhabitata a laicis, eadem sacra congr. Immun. in Cæsenaten. 17 Novembris 1654, lib. v decr. Paul., p. 24. (68. Attamen distans ab ecclesia parochiali spatio circiter tertiæ partis milliarii, non gaudet immunitate; eadem. sac. congr. Immun. in civitatis Castelli, 4 Julii 1673, lib. I decr. Altov., pag. 817. (69. Domus, quæ habitatur a parocho, sed non est Parochialis, id est de pertinentia Parochiæ, non gaudet immunitate; eadem sac. congr. Immunit. in Altar., 5 Maii 16 9, lib. II decret. Vallem., pag. 217. (70. Domuncula de juribus ecclesiæ parochialis ab ea tamen et a domo parochi distans circa triginta passus, quæ solum inservit pro usu et servitio parochi, non gaudet immunitate, eadem sac. congreg., Immun. in Feretr. 27 Julii 1682, lib. III decret. Altov., pag. 209.

(71. Palatia cardinalium gaudent immunitate asyli. *Communis* ut testantur et tenent Manfred. in tract. de Cardinal., cap. 8, in 18, privil.; Julius Clarus, in § final., p. 3, vers. *Item adde;* Fagnan., in cit. cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunitat., num. 32; Barbosa, loc. cit. num. 71; Reiffenstuel, loc. cit., n. 55, et alii passim. (72. Solum tamen gaudent tali privilegio extra urbem Romanam, ut testantur card. Tuscus in verb. *Ecclesia*, consul. 9, n. 12; Reiffenstuel, loc. cit., n. 53; Pax Jordan., lucubration. lib. II, tit. 3, num. 206, ubi testatur delinquentes ex cardinalium domibus ad carceres, et supplicia fuisse abstractos, idque, ne ob asylorum nimiam frequentiam delinquentes passim manerent impuniti cum gravi boni publici jactura; Fagnan., loc. cit. num. 33 et 34, ubi refert id declarasse Julium III, non solum pro domibus baronum, comitum, ducum et principum oratorum, sed etiam pro domibus episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum, S. R. E. cardinal. Et tale privilegium immunitatis a palatiis cardinalium abstulerunt pro urbe etiam Greg. XIII, et Sixtus V, ut refert Felix Potestas, t. 1, p. 2, num. 614; La Croix, lib. IV, sub num. 1392, et alii passim, et a palatiis legatorum principum esse ablatum hoc privilegium satis declaravit etiam Innocent. XI, ut testatur La Croix, l. cit. Imo nec jam ibi gaudent tali privilegio propter abusus statuæ, aut palatia regum et principum, ut testatur Delbene 17, 10; La Croix, loc. cit., et alii. (73. Palatium nuntiaturæ Neapolis gaudet immunitate: sac. cong. Immun. 2 Maii 1686, l. III decret. Altov., p. 562, et sic pariformiter omnia palatia aliarum nuntiaturarum.

(74. Palatium episcopi gaudet immunitate asyli: cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, qu. 4, ibi: « Id constituimus, ut a domo episcopi reos abstrahere omnino non liceat.»

(75. Etiamsi ab ecclesia cathedrali abesset ultra quadraginta passus; abbas in cap. Ecclesiæ 9 de Imm., num. 9; Fagnan., ibid., num. 29; Barbosa, loco c.; Navarr. in Manuali, c. 25, n. 18; La Croix, loco cit., et alii communiter cum Reiffenstuel, loc. cit. num. 52. Et quamvis in palatio nullum esset oratorium quia cap. *Id constituimus* loquitur absolute de domo episc. nulla facta mentione de oratorio, Navarr., Tuseh., Suarez, Delbene cum La Croix, loc., cit. et hæc magis elucescunt ex sequentibus decretis. (76. Palatium mensæ episcopalis etiam situm extra diœcesim gaudet immunitate, ac si esset in propria diœcesi pro tempore quo episcopus illud inhabitat; sac. cong. Immun. in Castr. 8 Jul. 1670, l. I decr. Alt., pag. 453. (77. Palatium episcopi conductum pro sua habitatione episcopali gaudet immunitate; eadem sac. congreg. Immunit. *in Aquinaten.*, 19 Novembr. 1666, lib. I decret. Altov., p. 59. (78. Palatium tamen conductum ab Episcopo in propria diœcesi pro propria habitatione in quo etiam habitat dominus ejusdem palatii, gaudet immunitate tantum quoad portionem episcopi et suæ familiæ, ead. sacr. cong. Imm. in Sagonen., 8 Jul. 1692, l. decr. Crim., pag. 157. (79. Palatia ruralia episcoporum in locis eorum diœcesis et ab ipsis interpolata, seu recreationis gratia habitata, et quæ ab eorum affictuariis continuo habitantur, non gaudent immunitate eccl., ead. sac. cong. Immun. in una civitatis plebis 3 Sept. 1681, lib. II decr. Altov., pag. 2248. (80. Confugiens ad palatium episcopi gaudere debet immunitate; ead. sac. congr. Immunit. in Forosempronien., 4 Jun. 1630, lib. II decret. Paulucci, pag. 44. (81. Quare carceratus in palatio episcopi est ibidem restituendus; ead. sacr. congr. Immun. in Lycien., 19 Januar. 1638, lib. III decr. Pauluc., pag. 52. (82. Sicut etiam sacerdos captus in palatio episcopi gaudet immunitate, et ibidem est restituendus, ead. sacr. congreg. Immunit. in Fanen., 17 Septembris 1658, lib. decret. Rocci, pag. 120. (83. At quando episcopus ordinat carcerationem in proprio palatio, reus non gaudet immunitate eccles., ead. sac. congr. Imm. in Signina, 31 Jul. 1701, lib. III decr. Vallem., p. 506. (84. Sicut in casu quo Baroncellus et Birruarii curiæ episcopalis qui tentarunt absque ordine carcerationem sacerdotis inventi cum falce vinitoria præ manibus, et ob resistentiam eis factam ipsum taliter percusserunt ut secundo die obierit, unde vocati ab episcopo ad proprium palatium pro reddenda ratione hujus facti, ibidem de mandato episcopi carcerantur, et deinde pœna triremium puniuntur, non gaudent immunitate; ead. S. cong. Immun. in Imol., 8 Augusti 1773, lib. I decr. Altov., pag. 828. (85. Reus allegans clericatum Baroncello, ductus liber ad vicarium generalem, cui in palatio episcopi dixit se non esse clericum, sed velle uti immunitate palatii episcopalis, quam vicarius admisit, gaudet immunitate, et Baroncellus non incidit; ead. S. cong. Imm. in Sutr., 17 Nov. 1699, l. II decr. Vallem., p. 257. (86. Exsecutio etiam pro debitis civilibus fieri non potest in palatio episcopi, nec in domibus seu mansionibus clericorum in regno Neapolitano, attenta consuetudine in dicto regno ad eorum favorem, ead. Sacr. Congreg. Immun. in Conversanen. 12 Novemb. 1647, lib.

Digitized by Google

IV decr. Paul., pag. 30. (87. Concedenda est facultas exsequendi in palatio episcopi quatenus a creditoribus episcopi petatur; ead. sac. congr. Immunit. in Anagnina, 20 Jun. 1631, ibi pag. 148. (88. Magistratus sæcularis absolvitur ad cautelam eo quod demoliri fecerat murum ædificatum ante palatium episcopi, quod prætenditur spectare ad mensam episcopalem; ead. sac. cong. Immun. in Tropien. 6 Febr. 1694, lib. 1 decr. Vallem. pag. 104.

(89. Ad hoc ut clarius percipiantur delicta quibus competit, vel non, jus asyli, dantur hic ad litteram duæ pontificiæ constitutiones, quæ debent ad hæc esse vera norma et regula.

GREGORIUS PP. XIV.

(90. Cum alias nonnulli prædecessores nostri, et præsertim fel. record. Sixtus papa V, necnon Pius etiam V. sancto zelo ducti, diversas facultates et indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam a jure non permissis, ex ecclesiis, criminosos et delinquentes compluribus sæcularibus, principibus, eorumque curiis et magistratibus, sub variis modis et formis, concesserint, prout in illis plenius continetur,

§ 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem et differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorumdem principum ministri, ex hoc ipso diversimode etiam latius quam par erat, et ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem, in aliquibus locis, libertatis et immunitatis ecclesiasticæ perturbationem et confusionem; alibi vero, ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse aut potuisse, quod populis inveterata erga ecclesias reverentia devotis et assuetis scandali potius quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, ut infimæ interdum conditionis laici, non modo juris sed etiam litterarum penitus ignari et imperiti, dum quasi potestates et ministri curiæ sæcularis in aliquo castro aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum et indultorum hujusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitrio in sensus minus rectos et ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, et, illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit attentare præsumpserint, in grave jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ præjudicium, locorum et personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinæ majestatis offensam, et scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis a Domino pastoralis officii munere, prædictis absurdis et scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, et ne ecclesiastica jura plane conculcentur et negligantur opportune providere, decrevimus prout etiam dictus Sixtus V prædecessor noster, iisdem de causis motus, statuere decreverat, licet morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen ut quando præsens temporum calamitas et nimia quæ jam invaluit perversorum hominum malitia exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium et ad coercenda eorum facinora, ultra id quod prisca illa Majorum nostrorum disciplina et vetus SS. canonum norma præscripserat in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

§ 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia, et quæcunque privilegia, indulta et gratias tam per dictum Sixtum et Pium V quam alios quoscunque nostros prædecessores aut nosmetipsos, Sedem apostolicam ejusque legatos, super abducendis vel extrahendis ab ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus, locisque sacris aut religiosis, aliisque in casibus jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus etiam in odium certorum delictorum, et pro bono, pace et quiete publica, et ex causis urgentissimis ac necessariis, et æquipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis perpetuo vel ad nondum elapsum tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata, et innovata ac usu recepta, litterasque apostolicas sub plumbo aut in forma brevis, seu alias quomodocunque desuper confectas quarum tenores hic haberi volumus pro expressis ac ad verbum infertis sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus et moderamur.

§ 3 Ut laicis ad ecclesias, locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones viarumque grassatores qui itinera frequentata publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, immunitas ecclesiastica non suffragetur. Sed universis et singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, cæterisque ecclesiarum et monasteriorum prælatis, tam Sæcularibus quam cujusvis ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandamus et præcipimus, ut laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum ecclesias, monasteria, domos et alia loca supradicta sacra seu religiosa respective confugientes, et in eis se recipientes, atque morantes qui prædicta delicta eorumque aliquid judicio suo commisisse videbuntur, quando a curia sæculari fuerint requisiti, et quilibet eorum fuerit requisitus, ministris et officialibus curiæ sæcularis absque irregularitatis nota aut alicujus censuræ ecclesiasticæ incursu tradi et consignare curent et faciant, et quilibet eorum curet et faciat.

§ 4. Ne autem curiæ sæcularis prædictæ ministri, facultate illos per se et propria auctoritate extrahendi et abducendi, sibi olim, ut

Digitized by Google

præfertur, attributa et per præsentes revocata, abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus et declaramus, ut curia sæcularis, ejusque judices et officiales ab ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertum, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia episcopi, vel ejus officialis et cum interventu personæ ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, et non alios episcopis inferiores, etiamsi alii ordinarii sint aut nullius diœcesis, aut conservatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto et nullius diœcesis, tunc ad episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio et non ad alios, rapere, extrahere aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse episcopus et dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ et carcerationi intervenire et assistere recusarint : tuncque reverentiæ ecclesiæ et locis sacris debitæ memoria, prædictos delinquentes minori, quoad id fieri poterit, scandalo et tumultu extrahere curent.

§ 5. Quandoque delinquentes laici prædicti postquam, ut refertur, ab ecclesiis locisque extracti et capti fuerint, ad carceres curiæ ecclesiasticæ reponi, et inibi sub tuto et firmo carcere ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint nisi cognito prius per episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato episcopi per judicem ecclesiasticum curiæ sæculari, quacunque appellatione seposita, consignentur.

§ 6. De crimine vero hæresis cognitio ad forum ecclesiasticum totum pertineat, neque in eo curia sæcularis se quoquomodo intromittat.

§ 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra ecclesiasticas personas, Sæculares, aut cujusvis ordinis, vel militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos juris per præsentes reducimus, procedant aut se intromittant, illasve ab ecclesiis, monasteriis, domibus, locisque sacris aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, adducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de jure, et per privilegia eisdem ordinibus ac militiis, concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§ 8. Quod si quis quacunque dignitate et auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu, quidquam præter aut contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras et pœnas easdem incurrere quæ contra libertatis, juris, immunitatis ecclesiasticæ violatores, per sacros canones, conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones, sunt promulgatæ.

§ 9. Sicque per quoscunque judices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia judicari et definiri debere, necnon irritum decernimus et inane si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 10. Non obstantibus præmissis tam Sixti et Pii V quam aliorum quorumcunque prædecessorum nostrorum litteris apostolicis, privilegiis, indultis et facultatibus, quibusvis personis, etiam imperiali, regia, ducali, aut alia quavis dignitate et auctoritate fulgentibus; aut rebuspublicis, dominiis, regnis, provinciis, civitatibus, terris, et locis, eorumque curiis, communitatibus, universitatibus, collegiis, aut præsidentibus, proregibus, gubernatoribus, locumtenentibus, vicariis, potestatibus, aliisque magistratibus, officialibus, ministris, aut consiliariis, ea prædictis, vel aliis etiam gravioribus et urgentibus causis, tam illorum intuitu et contemplatione, sive ad eorum preces et instantiam, quam etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti et legis perpetuæ, etiam in vim contractus, de fratrum nostrorum consilio, et quibuscunque tenoribus et formis, et cum quibusvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, et efficacissimis, et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expresse quod illis, nisi sub certis modis et formis, et nisi de expresso eorum consensu ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, et aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, et alias quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis et innovatis. Quæ omnia et singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur aut plures, quam superius expressos casus contineant, auctoritate et tenore præmissis, omnino ac perpetuo tollimus et abrogamus, ac ad terminos præsentis constitutionis quoad superius descripta duntaxat reducimus, et nolumus cuiquam de cætero suffragari, et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quodlibet valeat impediri. Ut autem præsentes litteræ, etc.

Datum Romæ, in monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicæ milles. quingent. nonag. primo, nono Kalendas Junii, pontificatus nostri anno primo

Constitutio, qua san. mem. Gregorii papæ XIV litteræ apostolicæ certa excipientes delicta et casus in quibus inquisiti laici ecclesiastica immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, et ad alia

Digitized by Google

etiam delicta et casus extenduntur ac ampliantur. Nec non curiis ecclesiasticis forma in eorumdem inquisitorum extractione a locis immunibus observanda præscribitur cum aliis ordinationibus, et clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS PAPA XIII, ETC.

(91. Ex quo divina disponente clementia ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, ecclesiarum sacrorumque locorum immunitatem sartam tectam inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti apostolici ministerii curas merito recenseri : diu multumque rationes ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis et reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus orbis catholici regionibus ita observaretur quemadmodum prisca majorum nostrorum disciplina et vetus canonicarum sanctionum norma præscripsit.

§ 1. Dum hæc sollicito animo revolvere mus, in oculos primum incurrit celebris illa constitutio a fel. rec. Gregorio papa XIV, prædecessore nostro, edita, quæ incipit *Cum alias*, qua quidem constitutione idem Gregorius, prædecessor, pro pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates et indulta a quibusdam Romanis pontificibus, ac præsertim a S. Pio V et Sixto etiam V, prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus principibus, eorumque officialibus, et magistratibus, extrahendi ac adducendi ab ecclesiis aliisque locis immunibus certorum criminum reos et delinquentes reformavit moderatusque fuit. Simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit et explicavit crimina et casus in quibus laicos delinquentes ecclesiastica immunitate nequaquam gaudere voluit et decrevit, ac insuper judices constituit qui in occurrentibus casibus an delictum esset necne in eadem Gregoriana constitutione exceptum, cognoscere et declarare deberent, certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591, nono Kal. Jun. promulgata, ulterius continetur.

§ 2. Quoniam vero post editam hujusmodi constitutionem ob varias doctorum eam interpretantium sententias, et variam itidem curiarum ecclesiasticarum in illius executione praxim multiplices contentiones super vero rectoque ejus sensu inter ecclesiastica et sæcularia tribunalia exortæ fuerunt, quamplures Romani pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX, Clemens X, Clemens XI, prædecessores similiter nostri, de præfatis

contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt; facilioremque insuper eos probandi et declarandi methodum, ut ejusdem Greg. prædecessoris mens plenius exsecutioni demandaretur, curiis ecclesiasticis præscribere cogitabant, sed ab aliis distracti curis ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est quod nos, omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdem prædecessorum pio atque salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione, inprimis providam memorati Gregorii prædecessoris constitutionem, cum omnibus et singulis in ea contentis, atque dispositis, amplissime confirmamus, approbamus et innovamus, et quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis et delinquentibus immunitatem ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum ac de novo decernimus et declaramus. Præterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes ob auctam atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, sæpe ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus quam illa in Gregoriana constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

§ 3. Cum itaque prædicta Gregoriana constitutione cautum sit ut publicis latronibus viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur, non levis autem inter doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus latro et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur? Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam sufficere ad hoc ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus et declaramus.

§ 4. Insuper, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus atque repellimus, et pro exclusis atque repulsis haberi volumus, nondum eos qui homicidia aut mutilationes membrorum in ecclesiis earumve cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est; verum etiam eos qui, stantes in ecclesia vel cœmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant; necnon eos qui, stantes extra ecclesiam vel cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque alios ab ecclesiis aliove

Digitized by Google

loco immuni violenter extrahunt et abducunt. Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos, non illius tantum ecclesiæ quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ immunitate gaudere nequaquam posse aut debere.

§ 5. Ad hæc in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium aut mercedem, sive in pecunia sive in aliis rebus tradiderint aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum dummodo assassinium re ipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus.

§ 6. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato; falsificantes litteras apostolicas; ministros Montis Pietatis, vel alterius publici telonii aut banci pro depositis principis privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit; conflantes, adulterantes, vel detondentes quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam principum exterorum, quotiescunque in loco aut provincia ubi crimen admittetur liberum habeant usum et commercium; vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas, scienter ita expendere et reogare præsumentes, ut fraudis conscii atque participes censeri possint; illos demum qui sub nomine curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur.

§ 7. Certum cum diuturna experientia compertum fuerit curias ecclesiasticas in casibus qui hactenus evenerunt difficulter probare et consequenter declarare potuisse delictum pro quo quis ad Ecclesiam confugerat fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earumdem curiarum praxim, et varias pariter opiniones doctorum, qui antedicti Gregorii prædecessoris mentem quod normam ab ipso præscriptam recipiendi probationes, et procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretrari voluerunt, statuimus, præcipimus et mandamus nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscunque interpretationis ejusdem Gregorianæ constitutionis, quæ a quocunque doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet curiis aut tribunalibus invectæ, imo nec quarumcunque declarationum quæ ab hujus almæ urbis nostræ tribunalibus, sive etiam a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E cardinalium immunitati ecclesiasticæ præpositorum emanaverit, quatenus præsenti nostræ constitutioni adversentur; sed in occurrentibus

casibus, normam hic a nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus et mandamus.

§ 8. Quotiescunque igitur curia ecclesiastica a curia sæculari fueri requisita ut laicum tradi ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate ac personæ reiterate subministrata, vel acquisita sint indicia quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia eccles. ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia aliisve locis immunibus ope ac medio suorum executorum, implorato etiam, quatenus sit brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ procedere teneatur, extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum extractum ministris et officialibus curiæ sæcularis tradere et consignare possit ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis ac pro tempore existenti Romano pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, et vere delinquens repertus fuerit, curiæ sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere atque procedere liceat.

§ 9. Præterea, considerantes sæpe dictum Gregorium prædecessorem, in sua constitutione, optimo quidem jure sanxisse ut soli episcopi et non alii episcopis inferiores, etiamsi locorum ordinarii sint, aut nullius diœcesis, aut conservatores a Sede Apostolica specialiter vel generaliter deputati, cognoscere et declarare valeant an delicta pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt et in eis se receperunt sint necne de genere ac numero exceptorum, nos, providam ejusmodi dispositionem approbantes et confirmantes, eique inhærentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium quibuscunque magistratibus, officialibus, et ministris sæcularibus, necnon quibusvis aliis personis cujuscunque gradus et conditionis existant, etiamsi imperiali, regia, ducali, et aut alia quavis mundana dignitate aut auctoritate præfulgeant, districte interdicimus ac inhibemus ne hujusmodi causis, vel conficiendo processus, vel inquisitos extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana aut in præsenti nostra constitutione, ullo pacto sese ingerant aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes

Digitized by Google

in censuras et alias pœnas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis adversus eos qui jurisdictionem ecclesiasticam quoquo modo lædunt ac violant, inflictas incurrere decernimus et declaramus : volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio atque judicium de criminibus in Gregoriana constitutione exceptis, et a nobis superius explicatis, tum etiam de aliis quæ in præsenti nostra constitutione adjicienda et similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus et excepimus, ad episcopos tantum privative quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat; et donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, et cætera omnia a nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos ecclesiæ vel alterius loci sacri ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere ac in ea conservandos et manutenendos esse statuimus, præcipimus, et mandamus.

§ 10. Universos demum et singulos venerabiles fratres nostros patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos, quos hujus nostræ constitutionis exsecutores deputamus, in visceribus Domini Nostri Jesu Christi hortamur, et paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium et probationum pondus summo studio ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, dolum, procul arceri satagant : quin etiam sacerdotali pectore, quotiescunque opus fuerit, iis omnibus obsistant qui ejusdem præsentis constitutionis exsecutionem ac observantiam quomodocunque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro casibus, tam in hac nostra quam in Gregoriana constitutione non exceptis, memores quam acriter semper et qua eximia ac prorsus singulari animi fortitudine majores nostri pro ecclesiastica libertate ac immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo atque constantia tueri curent : ab omni tamen tumultu ac perturbatione cæventes, ne jactantiæ causa potius quam miserationis, et justitiæ titulo, ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.

§ 11. Decernentes easdem præsentes litteras et in eis contenta, etc., prout de stylo.

§ 12. Non obstantibus quibuscunque cancellariæ nostræ apostolicæ regulis, etc., prout de stylo.

§ 13. Ut præsentes litteræ ad omnium notitiam deveniant, etc., prout de stylo.

§ 14. Nullo ergo omnino hominum liceat paginam hanc, etc., item prout de stylo.

Datum Romæ apud S. Petr. anno Incarn. Dom. 1725, VI Idus Junii, pont. nostri anno 2.

(92. Delicta seu crimina quibus competit jus asyli sunt ea omnia et singula quæ specialiter non sunt excepta textu expresso in cap. *Inter alia*, 6, de Immun. Eccl., ibi : « Fugiens ad ecclesiam..... quantocunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam... nisi publicus latro fuerit vel nocturnus depopulator agrorum; » et patet ex Gregoriana, § 3. Exceptio enim unius firmat regulam in casibus non exceptis; leg. *In iis, quæ, ff.* de legibus. Et sic *Communis* doctorum. (93. Crimina autem quibus non competit jus asyli sunt omnia expressa et excepta in dicta bulla Gregoriana, § 3. Ibi statuitur : « Ut laicis ad ecclesias locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones viarumque grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quique homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumque cœmeteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, vel læse majestatis in personam ipsiusmet principis rei, immunitas ecclesiastica non suffragetur. » (93. Et omnia illa quæ sunt novissime expressa et excepta in mox allata constitutione Benedicti XIII, § 4, 5 et 6, quæ constitutio est valde attendenda, cum multo plura delicta excipiat quam constitutio Gregoriana. Vide infra num. 156 et seq.

(94. Crimina igitur excepta seu casus pro quibus non gaudent rei jure asyli sunt sequentia. Primo, publici latrones, viarumque grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident ac viatores insidiis aggrediuntur, uti expressa in cit. Gregoriana, § 3, confirmata in dicta Benedictina, et concordant cap. *Inter alia*, 6, de Immun., et cap. *Sicut*, 6, causa 14, quæst. 4. Quamvis enim a multis latrones et grassatores viarum distinguantur per hoc, ut dicunt ipsi quod latrones nedum violenter homines aggrediantur et spolient, sed insuper occidant; grassatores vero solum violenter homines aggrediantur et spolient, sed sine occisione; unde ambo conveniant in spolio violento, sed ratione homicidii distinguantur. Tamen quantum ad præsens pro eodem sumuntur et confunduntur a Fagn. in cap. *Inter alia*, 6, de Immun., n. 23; Farin., in Appendice de Immun., cap. 10, num. 549; Castropalao part. II, tr. 11, disp. unic., punct 9, num. 2; Pirhing, lib. III Decret., tit. 49, n. 19; Felic Potest. tom. I, part. II, n. 639, et aliis pluribus, et pro eodem sumere videtur etiam novissime Benedict. XIII in dicta sua constitut. § 3, ibi : « Ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, » ubi notanda sunt verba *grassati mors* (95. Hinc publici latrones et grassatores viarum dicuntur illi qui publicas vias aut vicinales obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur ad ipsos spoliandos seu interficiendos, ut colligitur ex cit. constitut. *Gregoriana et Benedictina.*

(96. Alias, ut publici latrones et grassatores viarum non gauderent immunitate seu jure asyli, requirebantur plures actus seu plura latrocinia et grassationes, ut patet ex

Digitized by Google

decretis sac. congreg. Immun. sub verb. *Grassator*. At modo sufficit unus actus seu unica tantum grassatio cum morte aut membrorum mutilatione grassati, prout novissime definivit et declaravit Benedict. XIII, in cit. constitut. incip. *Ex quo*, § 3, ibi : « Cum itaque prædicta Gregoriana constitutione cautum sit ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur ; non levis autem inter doctores emerserit controversia an quis ex unico actu publicus latro et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur : nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica aut vicinali admissam sufficere ad hoc ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, » et postea in § 7, statuit et præcipit non esse attendendas quascunque declarationes a sacra congregatione Immunitatis emanatas, quatenus præsenti suæ constitutioni adversentur. (97. Tales publicos latrones et grassatores viarum licet sine ulla pœna et culpa occidere : cap. *Cum homo*, 19, caus. 23, q. 5, l. 1 Cod. Quando liceat unicuique sine judic. Glossa in cit. cap. *Inter alia*, vers. *Nisi publicus latro ;* et ibi Hostiens, n. 2; Fagnan., num. 24; Pirhing, loc. cit., num. 10, et *Communis* aliorum. (98. Non tamen sine irregularitate : cap. *Interfecisti*, 2, et cap. *Si profodiens*, 3, de homicidio; Fagnan., loc. cit., num. 25; Pirhing, loc. cit., num. 19, et alii communiter ; nisi esset ob necessariam vitæ defensionem, textu expresso in Clementina unica : *Si furiosus*, de homicidio.

(99. Secundo, excipiuntur, seu jure asyli carent depopulatores agrorum, ut expresse in citata bulla Gregorii XIV, confirmata a Benedicto XIII, in citata constitut. *Ex quo ;* et concordat cit. cap. *Inter alia*, 6, de Immun., ibi : « Nocturnus depopulator agrorum. » (100. Illi autem dicuntur depopulatores agrorum qui agrorum segetes aut vinearum fructus depopulantur, eosdem comburendo, destruendo, devastando, et hujusmodi, sive id faciant animo nocendi proprio domino, sive sibimet consulendo, sive occulte, sive publice id faciant, quia, cum jura indistincte loquantur, debent etiam indistincte intelligi : leg. de pretio, *ff.* de publiciana in rem action., cap., *Quia circa*, 22, de privileg. (101. Nec officit quod in cit. cap. *Inter alia*, ut quis privetur jure asyli ratione depopulationis, requiratur expresse quod sit nocturnus depopulator, quia bulla Gregoriana confirmata a Benedictina omisit *nocturnus*, et absolute posuit *depopulatores agrorum;* et eos indistincte privavit jure asyli, et præcepit ut forma ibi tradita servaretur, quamvis forsan antiqui canones mitiores fuissent, ex quo sufficienter videtur correctum jus commune antecedens ; argum. cap. *Licet*, 1, de Constitutionibus in 6. Sic Farinac., in Appendice

de Immunitate, cap. 11, num. 161; Barbosa, loc. cit., num. 87; Reiffenstuel, l. c., n. 98, et alii.

(102. Tertio, excipiuntur et jure asyli privantur qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur, uti expresse in citata bulla Greg. XIV, § 3, confirmata a Bened. XIII; et concordat c. *Immunitatem*, 10, de Immun. Ecclesiarum. (103. Imo Bened. XIII, in dicta constitutione *Ex quo*, § 4, quoad hæc notabilem facit extensionem, ibi : « Insuper ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus atque repellimus, et pro exclusis atque repulsis haberi volumus, nondum eos qui homicidia aut mutilationes membrorum in ecclesiis earumque cœmeteriis committere audent quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est ; verum etiam eos qui, stantes in ecclesia vel cœmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam, vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant ; necnon eos qui, stantes extra ecclesiam aut cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam, vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesiis aliove loco immuni violenter extrahunt et abducunt. Declarantes in quatuor prædictis casibus ejusmodi reos non illius tantum ecclesiæ quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ, immunitate gaudere nequaquam posse aut debere. »

(104. Unde hic pontifex quatuor de novo disponit. Primo, declarat non gaudere immunitate eos qui, stantes in ecclesia vel cœmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant. Secundo, declarat neque gaudere immunitate eos qui, stantes extra ecclesiam aut cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant. Tertio, declarat et statuit neque gaudere immunitate eos qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesiis aliisque locis immunibus violenter extrahunt et abducunt. Quarto, declarat, quod in tribus dictis novis casibus, et in alio jam statuto in cap. *Immunit.*, 10, de Immunit., et in dicta Gregoriana, nempe quod, qui « homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur » non gaudeant immunitate hujusmodi rei, non illius tantum ecclesiæ quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ immunitate gaudere nequeant. (105. Et hinc sunt caute legendi auctores qui hactenus aliter docuerunt et scripserunt. (106. Mutilatio membrorum, ad hoc sit privativa immunitatis, debet esse alicujus membri corporis, quod speciale officium ab officio aliorum membrorum habet, ut sunt oculus, pes, aures, nares, manus, lingua, membrum virile, et similia, quæ habent peculiares functiones distinctas, a cæteris membris; non sic autem digitus etiam pollex, vel index, dentes, ungues, capilli, barba, testes, articuli digitorum, pars aliqua carnis, vel copia sanguinis, et similia quæ proprium

Digitized by Google

non habent officium distinctum ab aliis membris, uti notant communiter doctores cum Gambacur., de Immun., lib. v, cap. 18, sub numer. 7; Covarr. in Clement. *Si furiosus*, part. III, num. 8; Bonac., tom II, disp. 3, q. 7, punct. 6, § 2, sub num. 8; Ventriglia, tom. II, annot. 23, § 1, de Immun., num. 22. (107. Unde qui graviter aliquem vulnerat in ecclesia, etiam cum magna sanguinis effusione et carnis læsione, si vulnus non sit lethale, gaudet adhuc immunitate asyli. Sic declaravit sacra congreg. apud Pignatell., tom. VI, consult. 4, n. 106, præcisis his verbis : « Qui faciem, vel vultum, vel os cuipiam in ecclesia vulnerat, gaudet immunitate, » 16 Novemb. 1618; et sub aliis verbis refert Barbosa in Summa Apostolic. Decis., verb. *Immunitas*, n. 12.

(108. Quarto, secundum bullam Gregorianam excipiuntur, et jure asyli non gaudent, qui proditorie proximum suum occiderint, ut expresse in citata Gregoriana, § 3, confirmata a dicta Benedictina; et concordat cap. *Si quis*, 1, de Homicidio. (109. Nomine *proximi sui* intelliguntur omnes homines cujuscunque conditionis, vel cultus, seu religionis, quibus etiam in charitate ac dilectione subvenire tenemur; c. *Charitas*, 2, de Pœnit., dist. 2, et cap. XIII Lucæ, ac alibi; proximus enim intelligitur omnis rationalis creatura, ut docet S. Augustinus cap. 23, de doctrina Christian. (110. Nomine autem homicidæ proditoris intelligitur ille qui nulla præcedente inimicitia aut rixa, aliquem occidit sub simulata amicitia aut fidelitate, ad quam ratione muneris, conditionis, aut personæ erat specialiter obligatus, ita ut prudenter ab occiso nec deberet timeri nec præcaveri. Ut si, nulla præcedente inimicitia, vir uxorem, aut, e contra, filius patrem, aut, e contra, servus dominum, aut si quis alius fratrem socium itineris, commilitonem, contubernalem, familiarem occidit. Sic in re *Communis* cum Pignat., tom. IX, cons. 18, per totam, ubi ad rem affert plura decreta. Sub num. enim 6 sic ait : « Declaravit sacr. congr. Immun. in Beneventana, 18 *Augusti* 1637, his verbis : « Ad probationem « homicidii proditorii requiritur amicitia « præcedens. » Num. 7, subjungit : « Et sacr. congreg. super episcopis in Rhegiensi, 12 Octobr. 1602, et in Bojanensi, 7 Apr. 1622, declaravit : « Dicitur proditor qui aliquem « cui se tanquam socium et amicum ad« junxerat in via, nulla rixæ causa interve« niente occidit, seu qui doloso sub amici« tiæ colore seducit aliquem ut occidat. » Num. 8 addit : « In casentina eadem sacr. congr., 8 Apr. 1603 : « Generaliter homici« dium commissum sine præcedentibus ini« micitiis, dicitur proditorium, et non gaudet « immunitate; » n. 9, subjungit : « Die 16 April. 1611, ead. sacra congr. declaravit tunc dici præcessisse inimicitias, quando constat inter homicidam et occisum aliquot ante dies fuisse secutam rixam; » et num. 10, addit : « Etiamsi non occidat ferro, sed veneno, vel quolibet alio modo, dicitur proditor, ut censuit sacra congr. concil., 7 Decembr.

1632. » Et num. 11, superaddit : « Non est tamen proditor, qui occidit inimicum etiam per insidias, et a tergo, ut censuit sac. congr. Episcop. in Bojanen., 6 Aprilis 1612. »

(111. Homicidium proditorium committit qui nulla præcedente inimicitia occidit dominum suum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium itineris, peregrinum, seu hospitem susceptum. (112. Item si hospes susceptus occidat susceptorem, seu cauponem, et econtra, et sic de similibus; omnes enim isti, ratione status, conditionis et muneris sui, sunt vel deberent esse ac supponuntur amici et fideles. (113. Unde a fortiori homicidium proditorium committit qui nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, conjugem, affinem, consanguineum occidit, quia omnes isti, vel sunt vel debent esse amici, et ut tales supponuntur; unde non potest nec prudenter debet ab istis mors timeri et præcaveri. (114. Imo homicidium proditorium committit etiam occidens infantem, seu puerum usu rationis carentem, quia vere occidit hominem omnino incautum, qui præcavere non poterat, et qui est inimicitiæ incapax. Unde Sacr. Congr. Conc., 3. Decembr. 1632, apud Barbosam in Summa Apostolic. Decision., verb. *Immun.*, n. 9, et apud Pignatel., tom VI, cons. 4, declaravit quod mater occidens filium infantem non gaudet immunitate Ecclesiæ. (115. Quinimo neque gaudet immunitate mulier procurans abortum malis medicamentis, ut expresse declaravit eadem sacr. congr. Conc., eadem die 4 Decembr. et anno 1632, apud Barbosam, loc. cit., n. 11, et apud Pignatel. l. c., n. 105. (116. Alia quoad homicidium proditorium, vide verb. *Homicidia*, *Homicidium* a. n. 79 usque in finem.

(117. Quinto, secundum bullam Gregorianam excipiuntur et jure asyli privantur assassinii rei, ut expresse in citata Gregoriana, § 5, confirmata a dicta Benedictina, et concordat cap. *Pro humani redemptione*, 1, de Homicid. in 6. Assassinium est, et dicitur quando pro pecunia aut alia re pretio æstimabili accepta vel promissa, committitur homicidium. (118. Assassini vero sunt et dicuntur tam illi qui, pretio conducti, alium occidunt, quam qui pretium dant aut promittunt ut talis occidatur. Ita in re *Communis* doctorum, arg. cap. *Pro humani redemptione*, 1, de homicid. in 6 et cit. const. Bened. XIII, incip. *Ex quo*, § 5; ubi sic novissime expresse statuitur : « Ad hæc in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum pretium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dum modo assassinium reipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus. » (119. Ubi, ut vides, statuitur quod assassini sunt non solum mandatarii, sed etiam mandantes, ibi : *Sed etiam mandantes*. (120. Item quod ad assassinium requiritur pretium aliquod

Digitized by Google

certum et specificum, seu determinatum in pecunia vel aliis rebus consistens, et non sufficit incertæ, generalis ac vagæ rei promissio, ibi : « Qui certum pretium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint. » (121. Item quod qui absque pretio sibi dato, vel promisso, spe præmii et animo complacendi alteri aliquem occidit, non committit assassinium, ibi : « Tradiderint, aut promiserint. » (122. Item quod non sufficit attentatum, sed requiritur reipsa patratum assassinium, ibi : « Dummodo assassinium reipsa patratum fuerit. » (123. Et sic jam decreverat sacra congreg. Episcopor. et Regul. in Sarzan., 21 Febr. 1620, nempe quod « antequam sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium gaudet immunitate. » Sic refert Pign., t. II, cons. 69, num. 8, et idem pluries declaravit S. congregat. Immunitatis approbante fel. record. Urb. VIII, et signanter in una Bonon. 10 Apr. 1628, in una Neapolitana 26 Maii 1629, in una Mediolanensi 21 Decemb. 1633, in alia pariter Mediolanensi 27 Junii 1636, ut refert Sperell. dec. 120, num. 58. (124. Item si mandatarius nihil adhuc attentaverit, licet mandatum cum pecunia receperit. Mandans non privatur immunitate ; sac. congr. Episcop. et Regul. in dicta Sarzanensi 21 Febr. 1620. (125. Item immunitate ecclesiastica gaudet qui mandat, et mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum, vel promissum ad faciem ferro cuidam deformandam aut vulnerandam, quia tales improprie sunt assassini ; sacr. congr. Episcop. et Regul. in Neapolitana 25 Junii 1601.

(126. Sexto, secundum bullam Gregorianam excipiuntur et jure asyli carent hæresis rei, ut expresse in cit. Gregoriana, § 3, confirmata a d. Benedictina. Intellige tamen si ob ipsius hæresis crimen, non item ob alia crimina ad ecclesias confugiunt, uti jam dictum est sub verb. *Hæreticus*, n. 58.

(127. Septimo, secundum bullam Gregorianam excipiuntur et jure asyli privantur læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, ut expresse in cit. Gregoriana, § 3, confirmata a d. Benedictina. (128. Rei criminis læsæ majestatis non gaudentes immunitate ecclesiastica sunt occidentes, vulnerantes, percutientes, conjurantes, machinantes, hostiliter insequentes personam principis, revelantes hostibus secretum principis, ut ab ipsis capiatur, item ad hoc efficaciter consulentes, auxiliantes et favorem præstantes ; Pereg., de Imm. cap. 10, num. 11 ; Mar. Ital., lib. I, cap. 5, § 7, n. 52 ; Bonacin., tom. II, disp. 3, quæst. 7, punct. 7, § 6, n. 10 ; Ventriglia, tom. II, annot. 23, § 2, n. 43, de Immunitate, et alii passim. (129. Ad hoc autem, ut tale crimen læsæ majestatis committentes in personam ipsiusmet principis non gaudeant immunitate, requiritur quod sint subditi illius principis, et quod princeps sit absolutus, et supremus neminem superiorem recognoscens, ut papa, imperator, reges, duces, principes, respublicæ, ut Veneta, Januensis, Lucensis, etc.

Magnus magister equitum Hierosolymitanorum, et similes habentes in temporalibus supremam jurisdictionem. Unde nomine principis, quantum ad hoc non veniunt principes, et duces pure titulati, ministri, proreges, fratres, filii, et uxores regum, nisi sint reginæ in capita jure successionis, vel ex morte regis.

(130. Ultra supradicta crimina a privilegio immunitatis excepta in cit. Gregoriana, et in quibusdam declarata, et extensa a dicta Benedictina, ut patet supra n. 96, n. 103 et 104, n. 119, 120, 121 et 122. Alia sunt novissime excepta a Benedicto XIII in d. constit. *Ex quo*, § 6, ibi : « Excludimus pariter et repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato ; falsificantes litteras apostolicas, ministros Montis Pietatis, vel alterius publici telonii aut banci pro depositis principis, privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit ; conflantes, adulterantes, vel detondentes quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam principum exterorum ; quotiescunque in loco aut provincia, ubi crimen admittetur, liberum habeant usum, et commercium ; vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, et erogare præsumentes, ut fraudis conscii atque participes censeri possint. Illos demum, qui sub nomine curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur. »

(131. Personæ quæ gaudent vel non jure asyli assignantur. Jure asyli gaudent omnes catholici utriusque sexus ; arg. cap. *Inter alias*, 6, de Imm. eccles., et cap. *Reum* 9, caus. 17, qu. 4, et Constit. Gregorii XIV incip. *Cum alias ;* necnon Constit. Benedicti XIII incip. *Ex quo*. (132. Unde audiendi non sunt, qui dicunt clericos non gaudere immunitate ecclesiastica, ut pluries declaravit sac. congregatio Episcoporum et Regular. et signanter in Tropien. 24 Jan. 1617, his verbis : « Immunitate gaudent clerici qui post delicta patrata ad ecclesias confugiunt extra casus in bulla Gregoriana (adde nunc etiam in Benedictina) comprehensos, quo in casu abbatis opinio communiter est rejecta ac reprobata ; » ita apud Pignatell., t. VI, consult. 4, num. 101, et in Faventina 20 Augusti 1606, et in eadem Tropien. 24 Jan. 1617, his verbis : « Clerici confugientes ad ecclesiam gaudent immunitate etiam respectu utriusque judicis ; » Pignatell., loc. cit., n. 110, et pluries declaravit etiam sacra congr. Immun. et signanter in Romana 17 Jan. 1628, lib. I decret. Paul., p. 76, his verbis : « Clerici confugientes ad ecclesiam gaudent immunitate ecclesiastica, » et in Sulmon. 9

Digitized by Google

Oct. 1635, l. II decr. Paul., p. 236, ibi : « Clericus percussor alterius clerici confugiens ad ecclesiam gaudere debet immunitate. »

(133. Imo etiam regularis captus in loco immuni, pro delicto non excepto in bulla Gregor. XIV (adde nunc etiam in bulla Benedicti XIII) gaudere debet immunitate ecclesiastica; sac. cong. Immunit. in Fulginaten. 9 Martii 1639, lib. I decr. Paul., pag. 110. (134. Quinimo regularis sacerdos de ordine prioris conventus, et commissarii causæ criminalis extractus ab ecclesia conventus, ad quam confugerat, e carceribus ipsius conventus restituendus est, et injungitur archiepiscopo, ut mandet restitui; ead. sac. congr. Immunit. in Neapolitana 11 octobr. 1692, lib. decret. Grimald. pag. 209. (135. Unde caute legendi sunt doctores, qui aliter scripserunt, ex quo in una Æsina, die 19 April. 1701, fuerit ab eadem sac. congr. Immun. facta declaratio, ut sequitur : « Exposuit sacræ Congregationi super immunitate et controversiis jurisdictionalibus frater Carolus de Montechio ordinis Minorum Observantiæ Reformatorum S. Francisci se extractum fuisse de mandato patris provincialis ab ecclesia conventus Æsini in quo morabatur, instando propterea declarari incidisse in excommunicationem, tam ipsum provincialem, quam fratres exsecutores. Et eadem sacra Congregatio, auditis rationibus a patre procuratore generali allatis, inter quas adductum fuit prædictum fratrem Carolum extractum fuisse ad correctionem, et ob id ad domum disciplinæ translatum, censuit provincialem, aliosque fratres professos non incurrisse. »

Romæ, hac die 19 Aprilis 1701.

G. Cardinalis Carpineus.

Jo. Vallemanus secr.

Beatissimo Padre,

(136. Fra Pietro Paolo di Cirignola per grazia di Vostra Santità procurator generale della Cismontana Riformata famiglia di S. Francesco prostrato a' suoi Santissimi piedi riverentemente l'espone, come i ministri provinciali, e guardiani delle riformate province di detta famiglia, dovendo per debito de' loro Ufficj, et per la manutenzione della disciplina regolare talvolta penitenziare i loro sudditi delinquenti, con fargli anche mettere in carcere *ad correctionem, seu in domo disciplinæ*, acciocchè non fuggano, come gli viene concesso dalle costituzioni generali dell' Ordine, e ultimamente decretò la sacra Congregazione de' Vescovi in una Bergomen. 5 Decembris 1698, i suddetti delinquenti a pretesto di godere l'immunità ecclesiastica, si rifugiano con iscandalo del secolo nelle chiese degl' istessi conventi, pretendendo che tanto li superiori, che comandano, che siano estratti, come quelli, che gli estraggono, siano violatori dell' immunità ecclesiastica, non ostante, che la sac. congr. dell' Immunità in una Æsina 19 Apr. 1701, abbia decretato il contrario. Quindi umilissimamente supplica

la somma clemenza di Vostra Santità a degnarsi confermare i suddutti decreti, e più espressamente dichiarare : « Posse a ministris provincialibus et guardianis suos subditos intra septa monasterii delinquentes constringi ad subeundas pœnitentias salutares, et quatenus ob id ad ecclesias confugient, licite posse extrahi. Et Deus, » etc.

Die 19 mensis Septembris 1734.

« Sanctissimus ex causis in supplici libello expositis impertitus fuit licentiam et facultatem ministris provincialibus et guardianis ordinis, de quo in precibus, ducere faciendi delinquentes religiosos, et contumaces ab ecclesiis eorum respective conventuum ad claustrales carceres, quibuscunque in contrarium non obstantibus. »

Loco ✠ sigilli.

N. Card. Corsinus.

PAPIEN.

« Discusso in S. Congregatione super immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus articulo : An pater Antonius de Vignali provincialis provinciæ Papien. ordin. Minor. Observ. Reform. incurrerit in censuras ob extractionem ab ecclesia S. Crucis ejusdem civitatis, et successivam, implorato militum brachio, carcerationem P. F. Caroli de Gambolo, et fratri Joachini de cartunio ab eo demandatas. Eadem sac. Congregatio, auditis rationibus diffuse allatis a prædicto patre provinciali ex una, et a recensitis fratribus, partibus ex altera, rescripsit sub die 28 Februarii proximi præteriti : Non incurrisse, et superiores procedant, prout de jure. Iterumque proposita causa sub die 24 currentis Jul. ipsa sacr. Congr. pariter rescripsit. In decisis, et amplius. »

In quorum fidem, etc.

Dat. Romæ, hac die 28 Julii 1736.

Gregorius Cardinalis spinula.

Locus ✠ sigilli.

Joseph Maria arch. Damasc. secr. Dalla Segr. de' Memoriali li 28 Luglio 1736.

Essendo stata di sentimento la congregazione dell'Immunità di supplicare la Santità di nostro signore per rilevanti motivi di rivocare l'indulto, e facoltà conceduta per segretaria de'Memoriali sotto li 19 settembre 1734, ad istanza di fra Pietro Paolo di Cirignola procuratore generale della Cismontana Riformata famiglia di S. Francesco di poter estrarre i religiosi delinquenti rifugiati nelle chiese de'loro rispettivi conventi per condurli alle carceri claustrali la Santità Sua è restata servita di comandare, che in avvenire non abbia alcun vigore, e forza il rescritto del detto indulto, e facoltà, volendo, ed ordinando, che un tale affare si riduca a termini di ragione con lasciare illesa la dipendenza, che devono avere in simili casi i superiori regolari dai Vescovi. Per tutto ciò, ed in virtù d' espresso comandamento di Sua Beatitudine il cardinal Corsini ne dà l'avviso al padre Gio. da Pietrafitta vicecommissario generale de'Riformati di San Francesco, e in di lui assenza al P. Lettor Felice da Roma

Digitized by Google

provicecommissario generale, ad effetto; che abbiano notizia della mente santissima; per eseguirla, e facciano anche palese a tutti li ministri provinciali, e guardiani dell'Ordine, che è quanto in adempimento degli Ordini santissimi. E Dio gli prosperi.

(Præsens copia de verbo ad verbum collationata cum suo originali concordat).

Locus ✠ sigilli.

Frater Franciscus Antonius a Cirignola secretarius generalis.

(137. Supradicti omnes, tum laici, tum clerici, sive sæculares sive regulares gaudent jure asyli, etiamsi sint personaliter interdicti, aut excommunicati etiam denuntiati, et publici clericorum percussores; Tuscus, verb. *Ecclesia*, concl. 10, n. 26, Covarruv. lib. II Variar. resol. cap. 30, n. 11, Silvester, verb. *Immunitas* de except. n. 2; Laym., lib. IV tract. 9, cap. 3, n. 10; Pirhing., lib. III decr., tit. 49, n. 22; Reiffenstuel, ibid., n. 55; Remigius de Immunit. eccl. in 19; Fallen. n. 1; Jul. Clarus, in § fin. qu. 30, vers. *Quæro etiam nunquid excommunicati;* Fagnan., in cit. c. *Inter alia*, 6, de Immun. n. 42, cum aliis ibi citatis, et Boer. dec. 110, n. 7, qui dicit esse communem Judæi, Pagani, ac cæteri infideles, qui in Christum non credunt, gaudent immunitate asyli. (138. Sic pluries declaravit sacr. congregatio Imm. et signanter in Sarzanen. 26 Septembris 1651, lib. IV decr. Paul., pag. 161, his verbis: « Hebræus confugiens ad ecclesiam gaudet privilegio immunitatis ecclesiasticæ, » et in Pisauren. 26 Martii 1686, lib. III decret. Altovit., pag. 250, his verbis: « Judæus captus a Birruariis sub tecto seu stillicidio ecclesiæ gaudet immunitate, » et in Cathacen. 18 Februar. 1631; apud Pignatell., tom. VI, consul. 4, n. 112, his verbis: « Infidelis sive sit servus, sive mancipium, gaudet immunitate ecclesiæ. » (139. Etiam hæretici gaudent jure asyli, si non propter crimen hæresis, sed ob aliud delictum fugiunt ad ecclesiam, aut alium religiosum locum; Pirhing., lib. III decret. 49, n. 40; Reiffenst., ibid., num. 80; Zoesius, ibid., n. 16; Sannig., ibid., cap. 2, n. 7, et alii passim, et jam fuit dictum supra n. 126, et sub verb. *Hæreticus*, n. 58. Et ratio universim est, quia privilegium immunitatis non conceditur intuitu personarum, sed propter honorem et reverentiam, quæ locis sacris et divino cultui debetur; l. *Præsenti*, vers. *Ipsis servata loci reverentia*, cod. *De his qui ad eccl. confugiunt*, cap. *Reum* 9, cap. *Frater* 10, et cap. *Definivit* 35, caus. 17, q. 4.

(140. Immunitate asyli non gaudet, qui ligatus ducitur per locum sacrum ad carceres, vel ad supplicium, quamvis dicat: *Voglio qui goder l'immunità*, maxime in casu quo alia secura via e loco capturæ ad carceres, seu e carceribus ad locum supplicii non sit. Secus autem si alia secura existente via per locum sacrum duceretur; Peregrin. de Immunit. cap. 5, n. 8; Diana, part. I, tract. 1, resolut. 13; Reiffenstuel, l. cit., num. 155, et videtur congruere conciliationi factæ a Pignatello inter decreta sacræ congregationis Episcoporum et decreta sacræ congregationis Immunitatis ab ipso relata tom. VI, consult. 4, num. 108, his verbis: « Gaudet etiam comprehensus, qui per locum sacrum ducitur; sacr. congr. Episcop. in Sipontina, 12 Mart. 1602, et in Theanensi 13 Jul., et in Hieracensi, eodem die, ac anno. Verum contra censuit sac. congr. Imm. ut supra, sed alibi eas conciliamus. » Et ratio primæ partis conclusionis est, quia talis reus ad ecclesiam libere non confugit, sed invitus ducitur; ecclesia tamen tutatur confugientem libere, non vero inductum; nam Gregoriana constit. confirmata a Benedectina non loquitur de ductis, sed confugientibus ad ecclesias. (141. Et confirmatur a simili ex Engel. loc. cit., num. 17, de confugiente ad sacerdotem portantem Eucharistiam, qui apud eum immunitatem reperit, quæ non suffragatur ei, ad quem Eucharistia ad carceres defertur, ut declaravit sac. congregatio Immunitatis 22 Februar. 1707, apud Riccium in Synopsi verb. *Extractus*, num, 45. Sic Engel, loc. cit.; Sperel., dec. 104, num. 62; Vital., in Clementin. 1, num. 87, de Pœnit. et remiss. in quæstione: An violetur immunitas, si captus per ecclesiam deducatur, et inde invitus abstrahatur, ubi concludit his verbis: « Attende quia iste non confugit ad ecclesiam; et sic non debet gaudere. » Ratio autem secundæ partis esse potest, quia alia existente via, nulla adesset necessitas ducendi reum per locum sacrum, et sic ecclesia tutaretur reum ratione violatæ indebite a ministris reverentiæ sibi debitæ per l. *Præsenti*, vers. *Ipsis servata loci reverentia*, cod. *De his qui ad eccles. confug.*, cap. *Reum* 9, cap. *Fratres* 10, et cap. *Definivit* 35, caus. 17, quæst. 4.

(142. Confugitus non gaudet immunitate ecclesiæ, quando ligatus una cum Birruario ad ecclesiam confugit; sacr. congr. Immun. in Florentina, 6 Novemb. 1634, l. II decr. Paul. p. 205. (143. Item confugiens ad murum ecclesiæ, sed semper detentus nec unquam dimissus a birruariis, non gaudet immunitate; ead sac. congr. Immun. in Alatrina 2 Martii 1660, lib. decret Rocci, p. 236. Etiamsi ingrediatur Ecclesiam; ead. sac. cong. Immun. in Alban., 11 Octob. 1679, lib. II decr. Altov., pag. 1856. (144. Similiter sacerdos in processione publica occidens alium sacerdotem, captus a birruario curiæ laicæ de ordine vicarii foranei semper detentus ab ipso birruario, etiam quando vi confugit ad ecclesiam, non gaudet immunitate; ead. sac. cong. Immun. in una S. Agathæ Gothorum 18 Martii 1592, lib. decr. Grimald., p. 105. (145. Gaudent tamen immunitate confugientes ad ecclesiam etiamsi ligati catenis, et ferris confugiant; sac. congr. Immun. in Beneventana 6 Maii 1653, lib. V decr. Paul. pag. 12. (146. Sic etiam reus qui effugeret e manibus birruariorum ligatus ad ecclesiam gaudet immunitate, adeoque est restituendus; sacr. congr. Immun. in Ragusina 5 Maii 1699, lib. III decret. Vallem., pag. 218. (147. Ablatus a propriis

Digitized by Google

consanguineis a manibus satellitum, et inde confugiens in ecclesiam, gaudere debet immunitate; ead sacr. congr. Immun. in Beneventana 11 Febr. 1648, lib. IV decret. Paul., pag. 42.

(148. Hic juvat adducere varia decreta sacræ Congr. relata a Pignatello tom. VI, consult. 4, ubi sub n. 76 sic refert: « Qui cum armis prohibitis ad ecclesiam confugiunt, gaudent immunitate, » in Salernitana 30 Septembr. 1627.

(149 Confugiens ad ecclesiam, dum ducitur ad supplicium gaudet immunitate. In Vallisoletana, 19 Maii 1627, apud eumdem, num. 78.

(150. Confugiens ad ecclesiam, si ab ea exeat cum salvo conductu, et carceretur a curia laicali, est restituendus. In Ariminen., 3 Maii 1628; apud eumdem, num. 79.

(151. Condemnatus ad supplicium mortis effringens carceres, non autem compedes, si confugiat ad ecclesiam, gaudet immunitate; in Romana, 11 Februar. 1648, apud eumdem, num. 91.

(152. Condemnatus ad triremes confugiens a carcere ad ecclesiam, gaudet immunitate; in Anglonensi, 22 Jun. 1660. apud eumdem, num. 94.

(153. Confugitus metu inimicorum eum in ecclesia obsidentium, ab ecclesia exiens, gaudet immunitate ideoque restituendus est eidem ecclesiæ; Sac. cong. Immunit. in Spoletana, 4 Jun. 1641, lib. III decret. Paul., pag. 146.

(154. Confugiens ad ecclesiam cadens sub stillicidio si inde extrahatur, est restituendus ecclesiæ; sac. cong. Imm. in Firmana 18 Mart. 1698, l. II decr. Vallem., p. 142.

(155. Confugiens ad ecclesiam pro debito civili gaudet immunitate; sac. cong. Episcop. in Cortonensi 21 Jul. 1617, in Beneventana 10 Maii 1619, et in Senogalien. 22 Novembris ejusdem anni, apud Pignatel. loc. cit., num. 77, 101 et 102.

(156. Hic attendenda est constitutio Clem. XII incip. *In supremo justitiæ solio*, edita pro ditione temporali pontificia, et deinde per particularia brevia extensa ad diversa alia dominia, ac signanter ad totum dominium invictissimi nostri regis Sardiniæ a faustissimæ et sanctæ memoriæ pontifice Benedicto XIV, ut in ejus *Instructione dependenter a Concordatis Benedicti XIII pro Immunitate et exercitio jurisdictionis Ecclesiæ* § 9, in qua constitutione dictus Clemens XII, confirmatis Constitutionibus Gregorii XIV incip. *Cum alias*, et Benedicti XIII incip. *Ex quo*, ad id editis, declarat insuper, non gaudere immunitate ecclesiastica reum homicidii, quamvis in rixa commissi, dummodo non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, ibi: « Item declaramus omnes, et singulos prædictos, tam laicos quam ecclesiasticos, qui in Urbe ac ditione præfatis ex causa et occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum inquisiti, et processati, vel in contumacia banniti, et condemnati fuerint, dummodo homicidium non

fuerit casuale vel ad propriam defensionem, immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere. » Et quia Benedictus XIII in dicta sua constitutione excipiendo casum homicidii animo præmeditato ac deliberato commissi, nullam fecit mentionem de ecclesiasticis, nec expressit, an reis homicidii præmeditati suffragari deberet beneficium minoris ætatis et an si solum occidens homicidio præmeditato, sed etiam omnis consulens et adjuvans similem homicidam, excludatur ab immunitate locali, Clemens XII in cit. sua constitutione extendit et ampliat constitutionem Benedicti XIII, etiam ad ecclesiasticos reos homicidii præmeditati, ibi: « Ad ipsos ecclesiasticos cujuscunque gradus et Ordinis, existant in Urbe ac in universa ditione Nobis et Sedi apostolicæ mediate vel immediate subjecta homicidium animo similiter præmeditato ac deliberato patrantes, extendimus quoque et ampliamus; » Et insuper declarat ut sequitur: « Declaramus homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis, tam laicos quam clericos, atque omnes et singulos sive laicos sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta Benedicti prædecessoris constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque, quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus. » Et ne iracundiæ calor liberum possit reddere homicidam a pœna ordinaria, sic expresse declarat, ibi: « Occisor pœna pariter ordinaria puniatur, licet homicidium secutum sit in rixa, si homicida rixæ auctor fuerit; neque calor iracundiæ a pœna ordinaria delinquentem nusquam eximat, ubi inter tempus rixæ ac patratum homicidium, sex horarum spatium intercesserit, id sufficere volumus, ut reus ad actus extraneos diverterit, vel divertisse debuerit. » Ac alia saluberrima ad homicidia impedienda ibi disponit, et merito uti scitu dignissima ibi videnda ac attendenda.

(157. Præfatas constitutiones, nempe Gregorii XIV, Benedicti XIII atque Clementis XII, novissime confirmavit Benedictus XIV constitut. incip. *Officii nostri*, in qua insuper declaravit, beneficio immunitatis exclusos etiam ecclesiasticos, et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo aut saxo. Alia quoque statuit ac magis declarat, quæ ut melius innotescant constitutionem ipsam hic ad litteram subjicimus.

BENEDICTUS EPISCOPUS. ETC

Officii nostri ratio non eam modo sollicitudinem Nobis imponit, ut sacrorum canonum leges et prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium aut perplexum occurrit, exactissime servari et impleri curemus; sed id etiam a Nobis exposcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quæ earum debitæ exsecutioni multis modis officere dignoscitur,

Digitized by Google

opportunis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare ac removere studeamus.

Sane fel. record. prædecessor Noster Gregorius papa XIV providam juris canonici sanctionem præ oculis habens, qua scilicet sub Tit. : *de homicidio voluntario vel casuali* cap. 1, innovatum fuit vetus præceptum legis a Deo in Exodo latæ : « Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias ab altari meo evelles eum ut moriatur...; » per suam anno Incarnationis Dominicæ 1591, nono Kalendas Junii editam constitutionem, quæ incipit *Cum alias...* iis qui proditorie proximum suum occidissent ad ecclesias locaque sacra, et religiosa confugientibus ecclesiasticam immunitatem minime suffragari decrevit. Tum vero piæ memor. prædecessor quoque noster ac dignitatis nostræ amplificator Benedictus papa XIII, anno Incarnat. Dominicæ 1725, sexto Idus Junii, edita constitutione, quæ incipit *Ex quo Divina;* non eos tantum qui proditorie, ut præfertur, homicidium patrassent, verum etiam interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusit et repulit. Demum san. mem. proximus decessor noster Clemens papa XII, in sua constitutione quæ incipit *In supremo justitiæ solio*, anno Incarn. Dom. 1734, Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad propriam defensionem, immunitatis prædictæ beneficio minime gaudere voluit atque decrevit.

Insuper iidem proxime memorati prædecessores Benedictus et Clemens, ad ea, quæ in jure canonico et in Gregoriana constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quæ, si qui commisissent, eos a prædicto beneficio asyli et confugii apud ecclesias ac loca sacra et religiosa, exclusos fore statuerunt; variasque a doctoribus ac dicti juris, et constitutionum apostolicarum interpretibus, ac de immunitate locali agentibus, excitatas quæstiones et controversias, declarando ac definiendo sustulerunt; ut ex earumdem constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una e nostris institutionibus, quam olim dum archiepiscopalem Bononiensem eccl. præsentes moderabamur, pro illius populi curæ nostræ concrediti instructione edidimus, quæque impressa exstat t. II editionis Italicæ, num. 21, in Latina vero editione num. 41.

Ad hoc autem ut in curia aliqua ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad extractionem delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos carceres transferre posset cum præfatus Benedictus prædecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate ac personæ reitate, ea suppeterent indicia, quæ ad capturam decernendam sufficientia reputari solent, ut vero extractum hujusmodi ministris et officialibus curiæ sæcularis tradere, et consignare valeret, ea decrevisset indicia ex processu informativo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quæ, juxta

regulas Juris, vocantur ultra torturam; alter deinde prædecessor Clem. XII ampliando declaravit, ut quoties ecclesiastico judici, ex indiciis, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commisso constaret; posset idem extractum hujusmodi curiæ sæculari tradere, et consignare. Cæterum iidem prædecessores nec auctoritatem ecclesiasticam ullo pacto per præmissa imminui, nec inde ullam justitiæ lædendæ occasionem captari posse voluerunt. Siquidem extractiones delinquentium hujusmodi e loco immuni nunquam sine auctoritate episcopi et interventu personæ ecclesiasticæ ab ipso episcopo deputandæ fieri posse statuerunt; nec unquam extractos ipsos, prædictis etiam occurrentibus indiciis, curiæ sæcularis officialibus tradi et consignari, nisi ea lege sub gravissimarum censurarum pœnis servanda, ut Ecclesiæ seu loco immuni restituerentur, quatenus in progressu causæ iidem extracti indicia hujusmodi purgarent atque diluerent.

Cum autem ea, quæ per Clementem prædecessorem prædictum, juris communis, et Gregorianæ, ac Benedictinæ constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis domini apostolicæ Sedis minime extenderentur, visum est Nobis, eamdem ad alias quoque regiones, quarum supremi principes id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum quæ anno 1741 cum charissimo in Christo filio nostro Carolo utriusque Siciliæ rege illustri, tum quæ anno 1742 cum alio pariter charissimo in Christo filio nostro Carolo Emmanuele illustri quoque Sardiniæ rege sancita fuerunt, præmissas, aliasque in Clementis litteris præfatis contentas dispositiones in eorumdem regum dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia principum id spectantium dominia, peculiaribus respective editis litteris, quarum exemplum videre est t. I Bullarii nostri, constit. 88, quæ incipit *Alias felicis*, extendimus et ampliavimus.

Verum cum tot ista per prædecessores nostros dictos, ac per Nos ipsos adhibita studia, non omnes quæstiones, quæ in tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quæ pro exceptis haberi debeant, quam super modo exsequendi præfatas constitutiones in variis homicidiorum hujusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio tollere, seu penitus antevertere valuerint; id adhuc oneris Nobis relictum esse judicavimus, ut constitutas in hoc rerum genere agendi regulas, ad quas sæpissime tam ecclesiasticorum quam sæcularium judicum acta expendere et exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus et dubiis involutas remanere pateremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque gravium virorum, jurisque canonici peritorum, et in criminalibus judiciis versatorum consiliis, motu proprio ac de

Digitized by Google

apostolicæ, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, nostram et prædecessorum nostrorum mentem, in hunc qui sequitur modum declarare, et quædam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii prædecessoris constitutione, quæ incipit *Cum alias*, dum ea delicta enumerantur, quæ ab Ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusa censeri debent, de laicis delinquentibus duntaxat mentio habeatur; deque his etiam tantummodo locutus fuerit alter prædecessor Benedictus in supracitata constitutione, quæ incipit *Ex quo divina*, placuit laudato prædecessori Clem. XII hujusmodi constitutiones per suam, quæ incipit *In supremo justitiæ solio*, ad ecclesiasticos etiam cujuscunque gradus et ordinis homicidium animo præmeditato et deliberato patrantes, extendere et ampliare, ita ut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica immunitate juvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii causa ab eorum judice ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum sacrorum canonum condigna puniantur animadversione. Cum autem dubitatum fuerit, an sub hac Clementis prædecessoris ampliatione, et extensione regularium quoque ordinum professores, et alumni comprehendantur, Nos ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus et declaramus, omnes et singulos cujuscunque ordinis, congregationis, militiæ et instituti regulares, tam in ipsis expresse professos, quam illis quomodolibet ascriptos, cujuscunque gradus et conditionis exstiterint, etiamsi ex ipsorum ordinum privilegio, seu alias, quælibet expressa, et individua mentio de ipsis, eorumque ordinibus, ad hoc ut sub præsentis, aut præmissarum constitutionum censuras comprehendantur, habenda foret; si qui unquam, quod Deus avertat, homicidium animo præmeditato ac deliberato patraverint, a beneficio immunitatis ecclesiasticæ, juxta formam earumdem constitutionum Benedicti et Clementis, exclusos fore et censeri.

Et quoniam prædictus Clemens prædecessor speciali decreto edito die 5 octobris 1736 expresse declaravit, mulieres etiam, quæ aliquod delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta, et ab immunitatis localis beneficio exclusa, juxta præmissa, haberi debeat, pari jure hac in re cum viris censeri, et sub dispositione ipsius litterarum incip. *In supremo justitiæ solio*, æque in omnibus comprehendi debere : Nos hujus nostræ constitutionis tenore declarationem prædictam approbamus et confirmamus, eique inviolabilis legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino debeat, plenarium robur adjicimus : decernentes similiter ac declarantes, sub ejusdem Clementis nostræque hujus constitutionis dispositione, etiam milites in omnibus et per omnia comprehensos esse; nec ullum militare privilegium, h'' in parte, ipsis suffragari posse aut debere

Præterea cum in præfata Clementis decessoris constitutione ab immunitatis prædictæ beneficio excludantur omnes et singuli tam laici quam ecclesiastici inquisiti et processati, vel in contumaciam banniti et condemnati : « ex causa, et occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem ; » sæpe disputari contigit, an is, qui non casu, vel ex propriæ defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo aut saxo; quæ scilicet, vel arma non sint, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent; ab immunitatis localis beneficio exclusos haberi debeat. Nos igitur, super hujusmodi dubio definiendo decernimus, quemcunque homicidam, sive virum sive mulierem, sive laicum sive ecclesiasticum sæcularem, aut cujusvis ordinis regularem, qui etiam baculo aut saxo proximum suum occiderit, ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu aut ex necessaria defensione, sed ex odio et nocendi animo, ac voluntate prodiisse. Quæ quidem definitio nostra conformis est divinæ legi quæ habetur in libro Numerorum cap. 35, ubi designatis civitatibus refugii pro iis qui sanguinem proximi nolentes effudissent, ita subjungitur : « Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi homicidam interficiet; statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias : aut cum esset inimicus, manu percusserit et ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit ; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit. Quod si fortuito, et absque odio, et inimicitiis, quidquam horum fecerit, et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, et propinquum sanguinis quæstio ventilata ; liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem ad quam confugerat, manebitque ibi donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. »

Accidit autem in homicidiis id quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus aut ictus fuerit, non statim moriatur; sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad ecclesiam aliumve locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quandiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de saucii vita sollicite explorare non desint, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, magistratuum diligentiam præ-

Digitized by Google

vertens, tempestive sibi consulit, meritasque pœnas evasit. Quod cum ab iis, qui justitiæ administrandæ præpositi sunt, Nobis expositum fuerit persæpe evenire, et quidem non sine magna publicæ tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex hujusmodi evasionis fiducia concipiunt; iidemque postularint hujusmodi malum opportunis providentiæ nostræ remediis submoveri:

Ideo Nos, de prædictorum fratrum nostrorum aliorumque prudentium consilio, per præsentes decernimus ac mandamus, ut percussore ad ecclesiam aliumve sacrum aut religiosum locum confugiente, si chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni servatis servandis extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut ecclesiæ omnino restituatur, ubi is qui vulneratus fuerit ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, et quidem sub iisdem pœnis, quibus in memoratis Benedicti, et Clementis litteris ii subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus, sibi traditum restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Quod vero in citata Gregorii prædecessoris constitutione, circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis, statutum fuit; ut scilicet ea ad solos episcopos, aliosque episcopis superiores prælatos pertineat, non vero ad alios episcopis inferiores etiamsi alii ordinarii sint, aut nullius diœcesis; ita ut occurente casu in loco exempto, et nullius diœcesis; tunc negotium hujusmodi ad viciniorem episcopum devolvatur, id quod ab alio quoque prædecessore Benedicto in superius allegata ipsius constitutione confirmatum fuit; id ipsum Nos quidem præsentium litterarum tenore approbamus et confirmamus. Sed quoniam nonnullæ ad Nos querelæ super hoc delatæ fuerunt, quod quædam curiæ ecclesiasticæ pro parte officialium curiæ sæcularis requisitæ, extractionem delinquentium in casibus exceptis hujusmodi, diutius quam par est, protrahere consueverunt, Nos ipsis venerabilibus fratribus episcopis, aliisque superioribus ecclesiarum præsulibus, enixe studioseque suademus, et respective mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, et quoties de delinquentibus in casibus exceptis hujusmodi agatur, ad opportuna iudicia adversus eos colligenda animum intendere non recusent; sicque ea, quæ juxta præmissa requiruntur, revera suppetere agnoscant; eorumdem delinquentium extractionem e loco immuni quamprimum decernant; ut vel in episcopalibus carceribus nomine ecclesiæ detineantur, vel etiam ad curiæ laicalis carceres, ejusdem ecclesiæ nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut justitiæ cursus per apostolicas constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in ecclesiæ immunitate, aliisque omnibus ecclesiasticorum locorum, et personarum juribus asserendis, et sustinendis, cum ea, contra sacrarum legum præscriptum, infringi ac violari contingat. Cum tamen hujusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, cum præfata delicta excepta non in civitatibus, sed per diœceses, in locis a curia ecclesiasticæ residentia remotis, perpetrantur; idcirco, Nos, per easdem præsentes prædictis episcopis, aliisque superioribus prælatis facultatem concedimus et impertimus, ut quoties in hujusmodi casibus pro parte curiæ laicalis requisiti fuerint, vicariis suis foraneis, sive etiam aliis personis ecclesiasticis ad id per ipsos antistites deputandi, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridice colligant; ut his nimirum inspectis iidem antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant.

Et quidem hæc omnia, quæ per præsentes hucusque declaravimus, definivimus atque statuimus, tam in hac Urbe nostra, et in Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque omnibus civitatibus, terris, et locis, nobis, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectis, etiam specialem et individuam mentionem requirentibus, eorumque curiis ecclesiasticis, et sæcularibus, etiam baronalibus, quam etiam in aliis regnis, provinciis, atque ditionibus, ad quas dictæ prædecessorum nostrorum constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, ut supra, sive per viam *Concordati* extensæ, et amplitæ fuerunt, quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus, locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus et singulis ditionum, regnorum locorumque hujusmodi tam ecclesiasticarum quam sæcularium curiarum judicibus, magistratibus, officialibus, et ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit per omnia observari volumus atque decernimus.

Illud etiam, quod in præallegatis nostrorum prædecessorum constitutionibus, sub gravissimarum pœnarum interminatione, districte vetitum fuit, ne scilicet curiæ sæculares, earumque magistratus, judices, et officiales quicunque, ab ecclesiis, monasteriis, locisque sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine ecclesiasticæ auctoritatis interventu capere, extrahere aut incarcerare, neve ad declarandum crimina a prædictis admissa esse de exceptis in eorumdem prædecessorum constitutionibus (cum id ad solos, ut præfertur, episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant, seu præsumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, et innovamus; atque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter, etiam perpetuo observari præcipimus, contrafacientes quoque, et transgressores, easdem omnes pœnas, quæ

Digitized by Google

in præallegatis constitutionibus indictæ sunt omnino incurrere statuimus atque sancimus; decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse et censeri, qui in spretum ecclesiasticæ auctoritatis, et canonicarum sanctionum, præscripto ad superiores ecclesiasticos recursu posthabito, ecclesias, et loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur alimenta deferantur, sive aliter, eosdem in curiæ sæcularis potestatem se dedere cogunt. Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes et singulas pœnas atque censuras adversus ecclesiasticæ immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis constitutionibus apostolicis latas atque statutas, incurrere decernimus, ac declaramus. Sane hujusmodi artes, atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus; sed simul etiam ab ecclesia damnatas semper, atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea, quæ in pluribus provincialibus conciliis, labentibus decimotertio, ac decimoquarto Ecclesiæ sæculis, statuta leguntur (90); ibi enim, expositis ecclesiarum circumsessionibus, interceptione alimentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad ecclesias confugerant, ad deditionem adigebantur, quicunque similia attentare præsumpserint anathematis mucrone feriuntur. Et nos igitur, qui Ecclesiæ spiritum circa præmissa toties aperte declaratum, atque a prædecessoribus nostris constanter servatum, exuere neque possumus neque volumus, eidem per omnia inhærentes, decernimus et declaramus, omnes et singulos, qui sub ecclesiasticæ immunitatis tutela degentibus, hujusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, præter alias pœnas, atque censuras adversus ejusdem immunitatis violatores, ut præfertur latas atque sancitas, sine alia declaratione incurrendas, omni beneficio ac privilegio ecclesiastici confugii, et asyli tam apud ecclesias et loca immunia ab ipsis sic violata, quam apud alias quascunque ecclesias et loca sacra et religiosa, indignos atque privatos fore et habendos esse, non secus ac alii omnes, « qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab ecclesia, aliove loco immuni, violenter extrahunt et abducunt, » quas scilicet laudatus prædecessor Benedictus XIII, in sua allegata constitutione, « non illius tantum ecclesiæ, quam violarint, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere » declaravit; et quorum nos numero supradictos etiam jure, et merito accensendos esse decernimus.

Denique cum, sicut accepimus, inter temporalis dominii nostri, ac nonnullarum finitimarum ditionum curias, reciproca quædam consuetudo inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex ditionibus hujusmodi commiserint, et intra fines alterius se receperint, instante curia illius ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiantur eidemque curiæ tradantur, cumque, sicut etiam nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in terris, ad quas confugerunt, sub ecclesiæ alicujus, vel alterius loci immunis tutela se receperint: idcirco Nos, ecclesiasticæ immunitatis rationes cum recta justitiæ administratione, et reipublicæ tranquillitate, opportune copulare volentes, decernimus et mandamus, ut si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in apostolicis constitutionibus excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesiæ dominio patraverint, indicia ad capturam requisita, ab episcopo diœcesano, seu respective viciniori illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur seu cumulentur; eaque ad episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cœpit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate sua, et cum interventu personæ ecclesiasticæ, fieri mandet. Eadem ratione, si in præfatis aliorum principum ditionibus, in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ constitutionis, sive ratione *Concordati* cum apostolica Sede initi, sive extensionis alterius constitutionis Clementis XII ab eadem apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat, volumus, et statuimus, ut episcopus ille, ad quem ratione loci delicti commissi id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad episcopum ditionis ecclesiasticæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit; ut hujus scilicet antistitis auctoritate aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac, si ita res feret, externæ postulanti curiæ valeat consignari. Volumus tamen, in quolibet ex præmissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, et Clementis constitutionum, seu concordatorum respective leges, atque tenores inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquens Ecclesiæ nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per episcopos duntaxat, privative quoad omnes alios etiam ecclesiasticos judices, ex

(90) E. R. Concilium provinciale Lambetense hab. anno 1621, tom. XI, part. I; Labbeanæ Collectionis Conciliorum col. 810; Concil. Exoniense anni 1287, tom, XI, part. II dictæ Collectionis col. 1281, tit 15; Concil. provinciale Nugaroliense anni 1303, dicto tom. XI, part. II ejusdem Collectionis col. 1479, can. 6; Concil. Palentinum anni 1322, dicto tom. XI, part. II præfatæ Collectionis col. 1677. cap. 7; Concilium Vallisoletanum anni 1322, tom. III Collectionis Conciliorum Hispaniarum cardinalis de Aguirre pag. 564, tit. 18, num. 51; Concilia Marcianense et Silvanectense anni 1526, supracitato tom. XI, part. II, dict. Collect. Labbeanæ col. 1751, tit. 11 et col. 1770, cap. 5; Concilium Vaurense anni 1368, eodem tom. II, part. II dictæ Collect. col. 2012, tit 93. (EDIT. BARBIELLINIANA.)

Digitized by Google

indiciis, ut præfertur an torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est quæstio, inter excepta connumerari debeat, necne: tum denique in eo quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum constitutionum, quatenus is in progressu causæ, indicia hujusmodi sibi adversaria purgaverit, atque diluerit.

Ipsas demum præsentes litteras, et in eis contenta quæcunque, perpetuæ firmitatis vim, et robur habere, suosque integros, atque plenarios effectus in locis, atque ditionibus prædictis, ac respective ubilibet locorum, et gentium, sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et quoquomodo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis pœnis, atque censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari; sicque, et non aliter in præmissis, per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et cardinalium hujusmodi congregationes, et apostolicæ Sedis nuntios, necnon sæculares curias, et magistratus, etiam supremos, aliosve quoslibet, quacunque præeminentia et potestate fungentes, et functuros, etiam speciali nota, et mentione dignos, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, decernimus, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet apostolicis constitutionibus, regulis, et ordinationibus, necnon quarumcunque ecclesiasticarum aut sæcularium curiarum legibus, edictis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus : privilegiis quoque, indultis, et facultatibus, quibusvis personis etiam speciali mentione dignis, et quavis quantumcunque sublimi dignitate et auctoritate fulgentibus, et ex quibusvis etiam gravibus et urgentissimis causis, seu quibuscunque regularium ordinibus, etiam Mendicantium, et militaribus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu monachorum, aut clericorum regularium congregationibus, societatibus, et institutis, etiam societatis Jesu, aliisque quibusvis etiam sub quibuscunque verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscunque clausulis et decretis, etiam motu, et potestatis plenitudine similibus, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, illorum tenores, formas et causas præsentibus pro plene et sufficienter expressis, atque etiam insertis ac respective servatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat prædictis motu, scientia et potestatis plenitudine derogamus, et derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscunque : seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem sit Sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, certisque de causis excommunicari, suspendi aut interdici non possint, nisi per litteras ejusdem Sedis, facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Ut autem præsentes litteræ, et in eis contenta hujusmodi, ad omnium notitiam perducantur, etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostram, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1750, Idibus Martii, pontificatus nostri anno decimo.

D. card. Passioneus.

(158. Hæretici, aut de hæresi suspecti, et Judæi post baptismum in apostasiam lapsi, possunt ab inquisitoribus extrahi ab ecclesia; sed vel ante, vel post capturam commoneri debet episcopus.

(159. Qui e loco relegationis, sive e carceribus, sive triremibus in asylum se proripit, nisi reus sit criminum quæ immunitate privantur, jure asyli potitur.

(160. Sic statuit Benedictus XIV, novissima encyclica ad inquisitores contra hæreticam pravitatem; quam hic subjicimus.

BENEDICTUS XIV, etc.

Elapso proximo anno 1750, edita a Nobis fuit apostolica constitutio, data Idibus Martii, cujus initium est *Officii nostri*, quæque agit de locali ecclesiarum immunitate. In ea Nos decessorum nostrorum Romanorum pontificum Gregorii XIV, Benedicti XIII, et Clementis XII constitutionibus inhærentes sublatis de medio quibusdam cavillationibus et subterfugiis, quibus earum exsecutio impediebatur, decrevimus atque statuimus ut iis, qui criminis excepti reus foret, si aliquando in immunem locum confugeret, extrahi ab eo deberet, quotiescunque indicia ad torturam sufficientia haberentur, quæ delictum comprobarent, utque præterea extractio nonnisi auctoritate episcopi, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eodem episcopo deputandæ fieri deberet; ac demum ut dum curiæ sæculari traditio fieret, indicendæ censuræ essent ab eadem incurrendæ nisi extractus ecclesiæ restitueretur, quoties ab eodem in progressu causæ purgata fuissent indicia, ex quibus ipse patrati delicti reus arguebatur. Quia vero memorati decessores nostri decreverunt extractionem a loco immuni nonnisi a solis episcopis, aut a prælatis, qui eisdem superiores essent, fieri debere; exclusis inferioribus, licet ordinariis, ac *nullius diœcesis*, et separatum territorium habentibus, quo in casu extractio ad viciniorem episcopum devolveretur, idem a Nobis pariter in citata constitutione nostra decretum fuit.

§ 1. Hæreseos crimen, ut probe compertum habetis, exceptum est, quique illius est reus, asylo ecclesiæ minime gaudet, iis etiam inhærendo, quæ in constitutione Greg. XIV qua immunitatis localis regula, ac norma præscribitur, decreta fuerunt. Cum autem in congregatione sanctæ Inquisitionis feria v, die 28 Januar. vertentis anno 1751

Digitized by Google

coram Nobis de mere habita, excitatum dubium fuisset quæ ratio servanda et qui modus adhibendus esset, quoties reus hæreseos extrahendus esset ab ecclesia, ad quam confugisset, ne in carcerem duceretur, sive cum ex vinculis quibus tenebatur, aut ex triremibus, aliove loco ad quem relegationis aut operis faciendi causa damnatus fuerat, fuga evasisset; Nobis, qui præcedenti anno memoratam constitutionem condidimus, reservavimus, ut super hujusmodi re pronuntiaremus, quod nunc per ea, quæ subjicimus, præstare intendimus.

§ 2. Aut agitur de hæreseos crimine, quæ præcipua tribunalis Sancti Officii inspectio est; aut de aliis exceptis criminibus, quæ immunitate non gaudent : aut de aliis criminibus, quæ minime excepta sunt; et quæ immunitate gaudent, sed ideo ad id tribunal pertinent, quod ab aliquo ex illis commissa sint, qui, utpote ipsius Tribunalis jurisdictioni subjecti, judicium illius subire debent.

§ 3. Si de crimine hæreseos agitur, cum a decessore Nostro Joan. XXI qui XXII dictus est, in sua constitutione, cujus initium : *Ex parte vestra* in bullario Romano, tom. I, decretum fuerit quod hæretici, aut de hæresi suspecti, necnon Judæi, qui cum ad catholicam fidem conversi fuerint deinde in apostasiam incidunt, si ad Ecclesiam confugiunt statim per inquisitorem ab eadem extrahi debeant, minime quidem nostra mens est ut prædictæ constitutioni derogemus, imo eadem observari volumus, eam tamen methodum adhibendo ac servando quam modo subjungimus, videlicet quod inquisitor, quoties hujusmodi reus ab ecclesia extrahendus erit, omnem adhibeat curam ut id majori qua decet erga domum Dei reverentia contingat. Et quoniam fieri omnino nequit ut ante extractionem, indicia quæ contra reum habentur episcopo communicentur, cum secreti lex id minime patiatur, et quoniam, ubi etiam id fieri posset, inutile id prorsus esset, cum notum sit sacrum Inquisitionis Tribunal ad capturam minime procedere, nisi semiplena delicti probatio præcesserit; non tamen illud omittat ut vel ante, vel post capturam, episcopum de ea certiorem faciat, tam propter reverentiam quæ illius dignitati debetur, quam, ut quantum fas est, id quod in Constitutionibus Gregorii, Benedicti, Clementis ac Nostra decretum est adimpleatur, quod etiam ea de causa ita a Nobis decernitur, propterea quod viderimus, olim in congreg. S. Officii quæ cor. prædecessore nostro Urbano VIII, Feria v, 10 Junii 1638 habita fuit, proposito casu ac discusso dubio : « An reus de hæresi inquisitus, confugiens ad ecclesiam, debeat extrahi ab episcopo, vel ab inquisitore? » Pontifex, auditis votis, respondit « reum posse extrahi ab inquisitore, certiorato ante vel post ordinario. »

§ 4. Ubi autem de aliis criminibus exceptis agatur quæ tamen hæreseos minime sint, ac multo magis si de iis agatur quæ inter excepta non recensentur, etiamsi ad sacri Tribunalis cognitionem, vel quia ab aliquo

ejusdem jurisdictioni subjecto commissa sint, vel alio quocunque nomine pertineant, declaramus eos qui casuum minime exceptorum rei sunt immunitate gaudere debere, quoties autem casuum exceptorum rei, qui tamen hæreseos rei non sint, ab ecclesia extrahi debeant, ea omnia exacte observanda esse, tum quæ in Constitutione nostra, tum quæ in aliis præcedentibus Constitutionibus decreta sunt, indicia nimirum quæ ad torturam sufficientia sint episcopo communicari debere, cum hic secreti lex minime impedimento sit; præterea extractionem nonnisi auctoritate episcopi et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eodem deputandæ faciendam esse, aliaque omnia servanda quæ in dictis Constitutionibus leguntur.

§ 5. Quæ hactenus dicta fuerunt eorum etiam respectu servanda sunt qui ex carceribus, sive ex trireme, sive ex loco eorum relegationis effugiunt, et in ecclesiæ alicujus vel loci immunis asylum sese recipiunt; si enim hi rei vel damnati propter hæreseos crimen sunt, eorum extractio ab inquisitore facienda erit, ita tamen ut de ea, vel ante vel post, episcopus certior fiat si vero rei aut damnati sint propter aliquod delictum exceptum, non autem propter crimen hæreseos, sive pro alio delicto quod minime exceptum sit; quoad primos : exactio fiat episcopi auctoritate et ecclesiastica persona interveniente ab eodem episcopo deputanda; quoad secundos autem, si in asylo ad quod confugerunt remanere sinantur, etiamsi ex triremibus cum catenis effugerunt, dummodo a prædictarum triremium, aliorumve justitiæ ministrorum manibus liberi essent, nisi forte episcopus indultum a Sede apostolica habeat, ut a triremibus fugitivos extrahere ab ecclesiis possit, cum in hoc casu, ob fugitivum recuperandum ad eumdem recurrere liceat vel etiam ad apostolicam Sedem, si hujusmodi indulto episcopus careat cum ipsa sancta Sedes in particularibus casibus, quoties id delictum exigat, nequaquam renuat episcopis auctoritatem impartiri eos ab ecclesiis extrahendi qui e carceribus ac triremibus effugerint, licet criminis excepti minime rei sint. Hæc inquisitoribus quæ significaremus habuimus, atque interim illorum singulis apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die XX Februarii 1751, pontificatus nostri anno undecimo.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(161. Demum idem Pontifex, IV Id. Nov. 1752, in Constitutione *Detestabilem*, Benedicti XIII de homicidio deliberato constitutionem eis qui in duello occidunt clarioribus verbis applicat, his scilicet : « Statuimus atque decernimus ut, si quis in duello, sive publice sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Constitutio-

Digitized by Google

nis fel. record. prædecessoris nostri Benedicti XIII, quæ incipit : *Ex quo divina*, data IV Idus Junii anno Domini 1725 ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur, ita ut a cujuscunque sacri aut religiosi loci asylo ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi et Judicis competentis curiæ pro merito puniendus tradi possit et debeat : super quo, Nos, episcopis aliisque superioribus antistitibus ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, necessarias et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in gravi certamine vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere et legum severitatem evadere posse prospiciatur, volumus et respective permittimus, ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto episcopi et cum assistentia personæ ecclesiasticæ ab eodem episcopo deputatæ, ab ejusmodi loco immuni extractus sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege judicibus indicta ut illum ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus quæ de homicidio sunt constitutum, alioquin in easdem pœnas incidant quæ in iisdem Benedicti XIII litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit. »

(162. Anno deinde 1758 pridie Kal. Octobris Clemens XII litteras dedit, quarum initium : *Inter graviores*, ad preces sereniss. electoris palatini Caroli Theodori, constituitque ut, in oppido Manhemii carcer aliquis a laicali potestate exemptus jurisdictioni diœcesanæ, nimirum episcopi Wormatiensis subjiceretur, ejusque carceris custodes et ministri, in his quæ ad custodiam reorum ex locis immunibus extractorum pertinent, dicto episcopo ejusque officio et vicariatui, omnino parere teneantur. Cum igitur contigerit delinquentem laicum ad ecclesiam aliumque locum immunem in Palatinatu confugere, si quidem is publica voce et fama reus arguatur ejusmodi criminis cui, juxta canonicas sanctiones, ecclesiasticæ immunitatis præsidium denegatur, non alio ad id requisito argumento, satis esse et fore declarat pontifex ut ad illius extractionem procedatur per ministros curiæ laicalis, prævia tamen semper licentia, seu facultate in scriptis obtinenda et concedenda a superiore ecclesiastico, seu ab alia persona ad id deleganda, et cum interventu et præsentia ecclesiasticæ personæ per eumdem superiorem ecclesiasticum deputanda ad hoc ut extractio hujusmodi cum districta modestia et sine populi scandalo perficiatur. Hæc porro licentia in scripto obtinenda et personæ designatio fiat ab ipso episcopo, vel ejus vicario generali in locis ubi isti resident; alibi vero, à vicariis foraneis, hisque deficientibus a parochis locorum, quos scilicet vicarios foraneos, atque parochos episcopus semel in conferendo singulis eorum officio irrevocabiliter delegabit : hi tamen de licentia ad extractionem rei a se data quamprimum certiorem reddent episcopum, vel ejus vicarium generalem. Reus autem hac ratione extractus ad ecclesiasticum carcerem supra designatum illico deducendus, ibique custodiendus erit nomine ecclesiæ et sub omnimoda dispositione episcopi, quoadusque idem episcopus, vel alius ab eo ad id deputatus de indiciis a sæculari curia allatis satis cognoverit, et sua sententia in scripto proferenda declaraverit constare aut non constare de crimine excepto. Si constat, reus erit curiæ sæculari tradendus; si non constet, loco immuni unde eductus fuerat restituendus erit.

(163. Idem Clemens XIII, duobus post annis, nempe 26 Aprilis 1760, ad instantiam serenissimi Bavariæ electoris decrevit, ut a S. Congregatione immunitati ecclesiasticæ præposita tribuatur episcopis Bavariæ facultas ad triennium duratura extrahendi, cum debita decentia et interventu ecclesiasticæ personæ ab episcopo deputandæ, milites reos desertionis aut cujusvis alterius delicti militaris, a quibusvis ecclesiis et locis immunibus suæ diœcesis, illosque consignandi eorum præfectis, reportata tamen prius ab iisdem promissione more nobilium de non plectendis ejusmodi militibus morte aut aliqua gravi pœna corporis afflictiva, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ adversus contravenientes Romano pontifici præterquam in mortis articulo reservatæ. De hac concessa facultate eminentissimus præfectus congregationis Immunitatis, cardinalis Delci, monuit Bavariæ ordinarios, cum potestate subdelegandi alios. Igitur sereniss. elector per decretum ad legionum præfectos, datum 23 Junii ejusdem anni 1760, jussit moneri milites de hoc pontificio indulto, exactamque ejus exsecutionem demandavit. Ut autem singuli scirent quænam essent delicta militaria, eorum catalogus decreto adjectus est. Eum vide, si placet, apud P. Zech. § 113.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt privilegia extractionem, et restitutionem confugientium et pœnas violantium jus asyli et absolutionem ab eisdem.

(1. Rei debent recipi in locis sacris ad quæ confugiunt, nec possunt inde repelli aut excludi. *Communis*, arg. l. II et 3, et l. Præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*; ibi : « Ex his (religiosis) locis eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur; » cap. *Reum* 9 caus. 17 qu. 4 ubi statuitur ut « rectores ecclesiarum pacem et vitam, membra ejus (rei nempe) obtinere studeant, » et concordat c. *Inter alia* 6, de Immunitate eccl., ibi : « rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, *et vitam*, » scilicet confugiti ad ecclesiam. (2. Rei con-

Digitized by Google

fugiti nequeunt a loco sacro seu immuni per vim extrahi, nisi commiserint aliquod crimen exceptum. *Communis*, textu expresso in cap. *Definivit* 35 caus. 17, quæst. 4, ibi : « Nullus audeat confugientes ad ecclesiam et residentes inde abstrahere ; » et cit. cap. *Inter alia* 6 de Immunit. eccles. ibi : « Quantumcunque grave maleficia perpetraverit (nisi sint de exceptis) non est violenter de ecclesia extrahendus, » et concordat l. II. cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*, » ibi : « Sancimus nemini licere ad SS. ecclesias confugientes abducere. »

(3. Neque possunt rei confugiti capi et extrahi ab Ecclesiis de eorum consensu. Sacr. congregat. Immunit. in Cajacen. 20 Novembr. 1640, lib. III decret. Paul., pag. 134, quia, non obstante illorum consensu et expressa renuntiatione privilegio immunitatis, adhuc violaretur ecclesiæ immunitas, cum tale privilegium sit concessum potius ecclesiæ quam personæ ; leg. præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*, cap. *Reum* 9, c. *Fratres* 10, et cap. *Definivit* 35, caus. 17, quæst. 4, et privilegio ecclesiæ, seu locali persona nequeat renuntiare ; arg. cap. *Contigit* 56, de sentent. excomm. ubi statuitur quod excommunicatus sit qui in clericum etiam volentem et consentientem manus injecerit violentas, et Clericus qui se sponte subjecerit excommunicetur, cum Clericus renuntiare non possit privilegio clericali, utpote non tam ob favorem personæ quam totius status clericalis introducto, ibi : « Cum ille canon non tam in favorem clerici ordinati quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus ; » et generale sit ut privilegio in favorem duorum concesso alter altero invito renuntiare non possit ; cap. *Ad apostolicam* 16, de regularibus, et ibi Glossa communiter recepta in verb. *Monasterii* ; Fagnan. in cit. cap. *Inter alia* 6 de Immunit., n. 87, sequent. ; Pignatell. tom. VI, consult. 2, n. 29 ; Farinaccius in Appendic. d. Immunit. cap. 19, n. 304 cum aliis ibi citatis ; Reiffenstuel, lib. III dec., tit. 49, n. 161, et alii apud ipsum. (4. Possunt tamen rei confugiti sponte ab ecclesia exire ac permittere ut egressi capiantur, quia tunc non violatur immunitas, cum nec ipsis nec ecclesiæ fiat injuria, non ipsis, quia volentibus non fit injuria ; l. Cum donationis, cod. *de Transactionibus*, et reg. 27 Jur. in 6 ; non ecclesiæ, quia in tali casu nec capiuntur in ipsa, nec violenter extrahuntur, sed prius rei ab ipsa sponte recedunt, unde ecclesiæ nulla fit injuria ; arg. l. *Quod factum*, ff. de Pactis. Guillelm. de Monte Laudun., et post eum Vitalin. in Clement. 1, n. 85, de Pœnit. et remiss. ; Fagnan. loc. cit. num. 90 ; Pignatell. loc. cit. n. 29 ; Farinac. loc. cit. n. 306 ; Reiffenstuel loc. cit. n. 18, et alii.

(5. Rei confugiti, quandiu in loco sacro existunt, non possunt per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam pœnam corporalem ; cap. *Reum* 9, c. *Id. constituimus* 96, caus. 17, quæst. 4, cap. *Inter alia* 6, de Immun. ibi : « Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam ; » quæ verba Fagnan. ib. num. 12, adductis variis sacris canonibus dicit non posse intelligi de exsecutione ipsius sententiæ, sed esse intelligenda de ipsa sententiæ prolatione seu condemnatione, ut ipse innuit verb. *Damnari*. Et dicit Judices sæculares in perniciem animarum suarum proferre sententias capitales, vel corporis afflictivas in confugientes ad ecclesias et ibi commorantes, Abbas in cit. c. *Inter alia*, n. 3 ; Hostiens. ibid. num. 1 ; Joan. And. ibid. n. 3 ; Innocent. ib. in verb. *Ad pœnam* ; Silvester verb. *Immunitas* 3, quæst. 4 ; Layman lib. IV, tract. 9, cap. 3, num. 13 ; Pirhing, lib. III decret., tit. 49, num. 47 ; Reiffenstuel ibid. num. 166, et alii. (6. Notant tamen Haunoldus tom. VI, tract. 1, n. 249 ; Castrapalao part. II, tract. 11, disputat. unic., punct. 11, num. 11 ; Jul. Clar. in append. *de Immunitate* cod. 19, et alii, huic juri in pluribus locis derogatum esse de consuetudine contraria, vi cujus rei ad loca sacra confugientes a judice citantur, et non comparentes condemnantur pœna juris ordinaria, quamvis sententia exsecutioni mandari non possit, nisi rei sponte exeant, aut alias extra loca sacra deprehendantur ; et a Fagn. loc. cit. sub. n. 15 advertitur « Sacram congregationem Immunitatis in causa Mantuana 10 Septemb. 1629 censuisse judicem etiam laicum posse procedere contra confugientem ad locum immunem prout juris in contumaciam, et in Januensi die 9 Octobris 1629, Nicolaum de Valle restituendum esse ecclesiæ, sed judicem laicum posse contra illum ad pœnam exsilii, et ad alias contumaciam procedere. »

(7. Rei confugiti, licet quandiu existunt in loco sacro, damnari non possint pœna mortis, vel alia corporali, possunt tamen puniri alia pœna, videlicet pecuniaria ; *Communis ac certa*, arg. cap. *Reum* 9, cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, qu. 4 et cap. *Inter alia* 6 *de Imm.*, ibi : « Super hoc tamen quod inique gessit est alias legitime puniendus. » (8. Imo, si per sua crimina alias damnificarunt, non solum possunt sed et debent compelli ad eis satisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, si quæ habent ; arg. c. cap. *Reum*, ibi : « Tamen legitime componat quod inique fecit : » componere autem pro damno dato est pecunialiter satisfacere, ut notat archidiaconus in c. cap. *Reum*, n. 3 et Fagn. in c. cap. *Inter alia* n. 17 et c. cap. *Id constituimus*, ibi : « Ei cui fuit criminosus (id est obnoxius, ut explicat Glossa ibidem) de satisfactione conveniat. » Et ideo, non obstante quod ipsi existant in loco sacro, adhuc ex communi praxi licite fit exsecutio in eorum bonis.

(9. Rei confugiti nequeunt in loco sacro carcerari, nec vinculis constringi ; arg. l. Præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt*, ibi : « Non patimur.., in ecclesiis quempiam detineri atque constringi. » Et cap. *Definivit* 35, caus. 17, quæst. 4, communis cum Farinac. l. cit. 297 ; Reiffenstuel l. cit. n. 171 ; Pignat. tom. VI, cons. 4, n. 93, ubi refert sic decrevisse sacram Congregationem his verbis : « Confugientes non possunt retineri in ecclesia in compedibus, aut ligari,

Digitized by Google

in Cosentina 11 Junii 1627. » (10. Imo neque possunt in loco sacro custodiri, et tam custodes quam apponentes compedes et manicas ferreas confugitis in locis immunibus incidunt in censuras, et ad hoc dantur hic varia decreta sacræ congregationis Immunitatis, prout referuntur a D. Riccio in sua Synopsi, verb. *Custodes*.

(11. Custodiæ a confugientibus ad locum immunem sunt removendæ, cum non permittantur et sint contra libertatem ecclesiasticam; sac. cong. Immunit. in Aquinaten. 20 Augusti 1635; lib. II decret. Paul., pag. 230; Neapolitana 22 Jun. 1627; lib. I decret. Paul., pag. 54; Regien. 6 Jul. 1680; lib. II decr. Alt., p. 2007.

(12. Episcopus curet etiam juris remediis amoveri custodias seu obsides confugitorum ad ecclesiam, Reatina 5 Jun. 1694, lib. I decret. Vallem., pag. 127.

(13. Monetur episcopus non esse bonam praxim apponere custodias modo et forma quibus ab eo appositæ fuerunt, nempe duorum militum die, et quatuor de nocte; Anconitana 24 Mart. 1637, lib. III decr. Paul., p. 27.

(14. Monetur archiepiscopus ut amoveat custodes, seu suos cursores ab ecclesia in qua degunt confugiti; Salernitana 23 Aug. 1667 lib. I decr. Altov., pag. 147.

(15. Custodias appositas loco immuni, in quo restituti fuere Hebræi violenter extracti, vicarius generalis curet auctoritate sua ordinaria removeri; in nullius Guastallæ 10 Febr. 1680, lib. II decr. Altoviti, pag. 1924. (16. Custodiæ istæ, etiamsi remotæ, sunt prohibendæ; Isclana 14 Februar. 1634, lib. II decr. Paul., p. 184.

(17. Apponentes custodias loco immuni incidunt in censuras comminatas contra violatores immunitatis ecclesiasticæ et indigent absolutione; Aprutina 1 Octobris 1647, lib. III decr. Paul., pag. 156. (18. Custodes refugiatorum absolvuntur in forma ecclesiæ impositis gravibus pœnis salutaribus; Soanensis 22 Maii 1694, lib. I decret. Vallem., p. 122; Hieracen. 28 Augusti 1700, lib. II decretal. Valleman., pag. 309.

(19. Semotis prius custodiis, per regios datur facultas archiepiscopo extrahendi clericum, et processum conficiendi super ejus delictis; Cosentina 19 Aprilis 1544, lib. III decr. Paul., pag. 224.

(20. Apponentes compedes et manicas ferreas confugitis in locis immunibus incidunt in censuras; Catacen. 25 Septembr. 1653, lib. V decret. Paul., p. 21. (21. Contra ponentes compedes, et manicas ferreas, ac custodientes confugitos in ecclesia, episcopus conficiat processum; Capuana 12 Augusti 1659, lib. decret. Rocci, p. 20.

(22. Archiepiscopus omnino removeri curet custodiam ab ecclesia, et conventu et liberari confugitum a compedibus et manicis ferreis, Rossan. 1 Sep. 1671, lib. I decr. Altov., pag. 195.

(23. Injungitur episcopo ut curet confugitos ad ecclesiam liberari a manicis ferreis et a compedibus, et amoveri custodiam a compedibus etsi adsint indicia de delictis exceptis in Bulla, extrahat et retineat dictos confugitos, necnon conficiat processum; Materanen. 1 Septem. 1674, lib. I decret. Altov., pag. 988; Puteolana 17 Dec. 1675, d. lib. p. 1187.

(24. Appositio compedum et manicarum ferrearum confugitis in ecclesiis et aliis locis immunibus de ordine archiepiscopi est improbata; Neapolitana 20 Januarii 1654, lib. V decret. Paul., pag. 31; Caven. 8 Februarii 1639, lib. III decr. Paul., pag. 85.

(25. Declarantur excommunicati ex causa custodiæ Baroncelli in ecclesia custodientes reos ad illam confugientes. In Amerina, 4 Decembr. 1629, ex sac. congr. Immun. ut refert Pignatell. tom. VI, consult. 4, num. 17.

(26. Potest tamen a curia sæculari poni custodia extra locum sacrum ad præcavendum ne libere rei confugiti effugiant, vel ut, si extra fines ecclesiæ seu loci immunis exierint, facilius capi et puniri valeant, quia per talem custodiam nulla penitus vis aut injuria infertur loco sacro et ipsis reis confugitis, cum uti supponitur et debetur ex mox dicendis numero sequenti, liber permittatur accessus deferentibus necessaria victui et vestitui ipsis reis confugitis; et solum in loco non sacro ponantur custodes, ut, si ipsi rei confugiti sponte exeant ab ecclesia seu loco immuni, ibi capiantur ubi jure capi possunt; Farinaccius in append. *de Immunitate* cap. 19, n. 299; Haunoldus tom. VI, tract. 1, num. 245; Castropalao tract. 11, dis. unic. punct. 11, numer. 6; Suarez lib. III *de Reverent. debit. locis sacris*, c. 12, num. 4; Felix Potestas tom. I, part. 2. num. 688; Pirhing lib. III Decret. tit. 49, num. 48; Reiffenst. ibid. num. 173; Bonacina tom. II, disput. 3, qu. 7, punct. 3, citans Mar. Ital. *de Immunitate* lib. I, c. 6, § 2, num. 52; Layman lib. IV, tract. 9, c. 3, n. 13, et alii passim.

(27. Nemo potest impedire seu prohibere quominus victus et vestitus aliaque necessaria ad victum deferantur reis confugitis, textu expresso in l. Præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesiam confugiunt*, ibi: « Nec patimur in ipsis eclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies. » Et ratio est quia esset aperta coactio qua rei confugiti vel ad exeundum vel in ecclesia moriendum compellerentur; ita communis doctorum. (28. Neque rei confugiti impediri possunt, quominus naturam etiam extra locum asyli (si reverentia loci id exigat) exonerare possint, c. *Definivit* 35, caus. 17, qu. 4, ubi propterea triginta passus in circuitu ecclesiæ concedûntur, « qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis, et nullo teneantur eventu necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserint claustris, » ut præcisis verbis ibidem dicitur. Unde qui necessitatis naturæ causa ad se exonerandum egreditur e loco sacro propter ei debitam et aliunde non salvabilem reverentiam, nequit capi a curia sæculari; Haunoldus tom. VI, tract. 1, n. 238 et 274, cum

Digitized by Google

pluribus ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. num. 159, et alii passim.

(29. Rei confugiti, si aliunde non habeant unde sustententur, debent de bonis ecclesiæ seu loci sacri sustentari, arg. lib. Præsenti 6, cod. *de his qui ad ecclesias confugiunt;* cap. *Aurum* 69, caus. 12, q. 2, ibi: Aurum ecclesia habetur non ut servet, sed ut eroget in necessitatibus. Et ratio est, quia tenentur rectores ecclesiarum, quicunque sint, etiam regulares conservare reorum confugitorum vitam; c. *Reum* 9, caus. 17, q. 4, c. *Inter alia* 7, *de Imm.* Tum quia confugitis non prodesset jus asyli cum alias indirecte cogerentur ad exeundum et curiæ sæculari se tradendum, aut fame moriendum. Sic Glossa communiter recepta in cit. cap. *Definivit* 35, caus. 17, q. 4. verb. *Defendantur;* Abbas in cit. cap. *Inter alia, de Immunitate* num. 28; Silvest. verb. *Immunitas* 3. num. 5; Reiffenst. loc. cit. num. 157; Matthæucc. Official. curiæ, cap. *de Immunitate* n. 33, et alii passim. (30. Notanter autem dicitur, « si aliud non habeant unde sustentetur, » quia, si possint sustentari ex bonis propriis, aut a consanguineis, aut ab amicis, aut ex eleemosynis, in tali casu de illis, et non de ecclesiæ bonis vivere debent. Imo possunt cogi ad laborandum, et serviendum in commodum et utilitatem ecclesiæ seu monasterii: ut sic expensæ in ipsos factæ de bonis ecclesiæ quæ nonnisi ad causas pias et pauperes erogari possunt compensentur, et etiam ne Immunitas sit eis occasio otiandi et exinde etiam peccandi, ita doctores supracitati, et alii.

(31. Rei confugit. non possunt spoliari rebus suis, quæ secum tulerunt in locum asyli; *Communis;* arg. cap. *Sicut* 6 caus. 17, qu. 4, ibi: « Qui personam, aut bona ejus subtraxerit (e loco asyli) excommunicetur, » etc. *Definivit* 35, ead. caus. et q. ibi: « Definivit sac. concilium ut nullus audeat confugientes ad ecclesiam, vel residentes inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis, vel damni, vel spolii residentibus in loco sacro inferre. » (32. Imo neque possunt spoliari armis, quidquid in contrarium senserit Covarruvias Variar. resol. cap. 20, n. 18, corollar. 36, et post ipsum Reiffenst. loc. cit. num. 170; Felix Potestas tom. I, part. II, num. 689, et alii plures. Sic pluries resolvit sacr. congregat. Immun. apud Sperell. dec. 127, n. 26, et signanter in una Neritonensi 13 Jan. 1628, in qua dixit practicandam non esse doctrinam Covarruviæ ex adverso sentientis. Et quod non liceat curiæ sæculari auferre arma a Laicis confugientibus ad ecclesias et alia loca immunia, decrevit ead. sacr. congr. Immun. in Adjacen. 18 Maii 1630, l. II. decr. Paul., p. 97; in Motulana 11 Aug. 1631, lib. II decr. Paul., pag. 86; in Tranen. 6 Nov. 1634, lib. II decret. Paul., pag. 207. (33. Etiamsi dicta arma sint prohibita; ead. Sac. Congreg. in d. Adiacensi 18 Martii 1630, lib. II decretor. Paul., pag. 79; in Venusina 18 Febr. 1635, lib. II decr. Paul, pag. 215. (34. Quare arma ablata a confugitis sunt omnino restituenda; ead. Sac. Congregat. in Camerinen. 20 Febr. 1629, lib. I. decret. Paul., p. 124; in Januen. 8 Jun. 1637, lib. III. decret. Paul., p. 34; in Fanen. 27 Martii 1703, lib. III. decret. Vallem., pag. 481. (35. Vel episcopus sibi consignari faciat ad effectum disponendi juxta ordines Sacr. Congregationis; ead. sac. Cong. in Neapolitana 24 Decemb. 1672, lib. I. decret. Altov., p. 757. (36. Ablatio armorum confugitis non est permissa absque facultate S. Sedis. Et conceditur facultas ad tempus archiepiscopo auferendi arma a confugientibus in ecclesiis etiam exemptis, et aliis locis immunibus, hac tamen conditione ut arma retineantur apud curiam archiepiscopalem, et ablatio fiat per ministrum ejusdem curiæ; ead. sac. Cong. in Neapolitana 20 Jan. 1654, lib. 5 decret. Paul., pag. 32. (37. Contra auferentes arma a confugitis procedendum est ad declarationem censurarum; ead. sac. Cong. in Tranen. 6 Novemb. 1634, lib. II. decr. Paul., p. 207. (38. Imo laudatur episcopus excommunicans eos qui confugitos in locis immunibus armis spoliarunt; ead. sac. Congr. in Martoranen. 15 Jul. 1636, lib. III decret. Paul. pag. 9. (39. Possunt tamen a confugitis auferri arma, sicut et alia bona quæ non sunt sua, sed aliena et ipsa tradi propriis dominis, *Communis;* arg. cit. cap. *Sicut* 6, caus. 17 quæst. 4, ibi: « Aut bona ejus (non alterius) subtraxerit. »

(40. Quoad modum extrahendi delinquentes e locis immunibus servanda est inviolabiliter novissima dispositio Benedicti XIII in citat. Constitut. incip. *Ex quo* § 9, ubi statuit quod quotiescunque curia ecclesiastica a curia sæculari fuerit requisita ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, habitis super delicti excepti qualitate ac personæ reiteratis indiciis quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia, aliisve locis immunibus, ope a medio suorum exsecutorum, implorato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ procedere teneatur, et extractum ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, in eo tandem casu præfatum extractum ministris et officialibus curiæ sæcularis tradere et consignare possit ac debeat, exacta tamen et recepta prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ; quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quod si ea non purgaverit et vere delinquens repertus fuerit, possit in tali casu curia sæcularis procedere contra ipsum ut juris esse censuerit.

(41. Curia sæcularis nullo modo potest propria auctoritate reos extrahere ab ecclesia seu loco immuni in casibus exceptis, citat. Gregoriana § 4, et citat. Benedictina § 9.

Digitized by Google

42. Imo curia sæcularis neque se potest ingerere in dignoscendo, an rei gaudeant immunitate et crimina ab eis commissa sint de exceptis, nec ne? cit. Gregoriana § 4, et cit. Benedictina, § 9. (43. Soli enim episcopi, aut eorum vicarii generales, et non alii Episcopis inferiores etiamsi locorum ordinarii sint, aut nullius diœcesis, aut conservatores a Sede apostolica specialiter vel generaliter deputati, cognoscere et declarare valent, an delicta pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt sint nec ne de genere ac numero exceptorum. Sic expresse novissime statuit Benedictus XIII, in dicta Constitutione *Ex quo*, § 9, confirmans dictam Gregorianam. (44. Occurrente casu in loco exempto et nullius diœcesis, tunc hæc cognitio et declaratio spectat ad episcopum viciniorem, et non ad alios, cit. Gregoriana § 4, confirmata a dict. Benedictina § 9. (45. Sic etiam, sede vacante, talis cognitio et declaratio non spectat ad vicarium capitularem, sed ad episcopum viciniorem, ut colligitur ex cit. Constitutionibus, et expresse declaravit pluries sac. congreg. Immunitatis, et signanter in Regiensi 19 Novembr. 1650, lib. IV decret. Paul., pag. 125; in Calaritana 30 Septembris 1698, lib. II decret. Vallem., pag. 178; et in una S. Severini, 29 Apr. 1704, lib. III decr. Vall., pag. 577.

(46. In casibus non exceptis non est licita episcopo extractio absque facultate apostolica, et sic extracti restitui debent ecclesiæ; sac. Congreg. in Brundusina 24 Augusti 1694, l. I decr. Vallem., pag. 131. Neque ad vitandum populi tumultum; Eadem sac. Congreg. in Perusina 1 Martii 1696, l. I decret. Valleman., pag. 176. Etiam respectu clerici sodomitæ in Anglonen. 2 Jun. 1699, lib. II decret. Valleman., pag. 224.

(47. Unde episcopus, qui sine dicta facultate extraxit, acriter corrigitur pœnis sanctissimo benevisis; ead. sac. Congr. in Cajetana 10 Septembris 1652, lib. V decr. Paul., pag. 197.

(48. Homicidæ extracti ab ecclesia de mandato episcopi ad instantiam communitatis ad effectum evitandi publicum malum sunt restituendi; eadem sacr. Congregat. in Cassanen. 1 Aprilis 1704, lib. III decr. Vall., pag. 568.

(49. Militem extractum ab episcopo ob plurima delicta, sed de non exceptis episcopus faciat restituere; ead. sac. Congr. in Lauretana 29 Decembris 1625, lib. Scripturarum veterum, pag. 78.

(50. Extractus a curia laica ob delictum exceptum episcopus curet sibi consignari vel retineri in carceribus laicalibus, reportata obligatione retinendi nomine sacræ Congregationis usque ad novum ordinem; ead. sacr. Congregat. in Alexandrina 1 Decemb. 1700, lib. II. decret. Vallem. p. 220. (51. Archiepiscopus abstineat a captura in ecclesia, quando non agitur de casibus exceptis; ead. sacr. Cong. in Cosentina 23 Julii 1625, ex reg. Script. deter. pag. 64.

(52. Ordinarius loci non potest extrahere bona decoctorum absque facultate Sedis apostolicæ; sic decrevisse sac. Congr. in Neritonen. 17 Januar. 1628; refert Pignatell. t. VI, consult. 4, n. 98.

(53. Episcopus non potest extrahere decoctores, cum non sint de exceptuatis; sacr. congreg. Immun. in Panormitana 21 Januar. 1626, lib. Scripturar. veterum, pag. 90.

(54. Sac. Congregatio tribuit archiepiscopo facultatem præfigendi confugito dolose decocto congruum tempus, intra quod vel solvat vel concordet cum creditoribus, et quatenus neutrum exsequatur, attentis gravissimis circumstantiis in isto casu concurrentibus, ejiciendi e dicto loco immuni et extrahendi libros ac res ad eumdem pertinentes; Avenionen. 14 Septemb. 1694, lib. IV decr. Vallem., pag. 154.

(55. Deinde attentis prædictis circumstantiis datur facultas illum extrahendi ad formam Bullæ, et retinendi in carceribus ecclesiasticis nomine sacræ Congregationis necnon perquirendi, extrahendi in forma, ibid.

(56. Mercatori fraudulenter decocto, annuente Sanctissimo, præfigitur tempus duorum mensium intra quod recedere debeat a loco immuni si parti non satisfecerit vel illam acquiescere non curaverit. Meliten. 13 Decemb. 1633, lib. II decr. Paul., pag. 179; Catacen. 21 Martii 1634, lib. II decret. Paul., p. 186.

(57. Datur episcopo facultas assecurandi libros decoctoris confugiti repositos in loco immuni ad effectum custodiendi et de eis disponendi, prout de jure; Ravennaten. 3 Jul. 1694, lib. I. decr. Vallem., p. 131, et 14 Aug. p. 139.

(58. Ut consulatur indemnitati creditorum qui nequeunt exsequi facere mandatum contra debitores qui res suas in locis immunibus transtulerunt, dantur episcopo litteræ perquisitionis in forma; Perusina 17 Augusti 1695. lib. II decr. Vall., pag. 110; Ariminen. 6 Decemb. d. an. et lib. pag. 234, et alibi. (59. Aliquando præfatæ litteræ diriguntur nuntio apostolico juxta formam consuetam ad annum; Neapolitana 25 Junii 1695, d. lib. p. 196, quibus litteris uti possit in ecclesiis suæ jurisdictioni subjectis, in ead. 12 Januar. d. an. et lib. p. 186.

(60. Ne creditores damnum patiantur a debitoribus decoctis, qui una cum rebus suis confugerunt ad conventum N. datur facultas D. nuntio illas perquirendi et extrahendi in forma, ad effectum illas consignandi interventariatas judici competenti; Pisana 6 Aug. 1695, lib. I decret. Vall., p. 208. (61. Datur aliquando facultas ut debitores ex causa civili cogantur exire a loco immuni; S. Severinæ 18 Decembr. 1635 lib. II decr. Paul., p. 240.

(62. Perceptor proventuum regiorum confugitus ad ecclesiam de rigore juris gaudet immunitate ob debitum prætensum a camera regia ex causa administrationis sed ex gratia, facto verbo cum Sanctissimo, concedi potest ut præfigatur eidem terminus duorum mensium, intra quem, si non reddiderit computa vel concordaverit seu satisfecerit cameræ

Digitized by Google

regiæ, ejiciatur a loco immuni Lycien 21 Augusti 1646, lib. III decr. Paul., p. 290.

(63. Injungitur archiespiscopo ut præfigat terminum agenti regis Poloniæ qui receperat scuta duodecim millia paucis diebus antequam se declararet decoctum, ad recedendum a loco immuni, et extrahere faciat pecunias ac bona ibidem translata ad effectum ea consignandi judici competenti in forma: Neapolitana 9 Octobris 1629, lib. II decr. Paul., p. 9.

(64. Aliquando, annuente Sanctissimo, injungitur internuntio ut præfigat terminum appaltatoribus seu arrendatoribus patrimonii regii et Gabellarum civitatis confugitis, quo elapso, si summa debita erit magna vel sibi videbitur intervenisse fraudem, extrahat, retineat et certioret; Neapolitana 11 Mart. 1625, ex Regest. script. veter., p. 51.

(65. Committitur archiepiscopo ut extrahere faciat debitores regiæ cameræ confugitos ad loca immunia a quocunque immuni ad formam bullæ Gregorianæ, et mancipari carceribus ecclesiasticis donec integraliter persolvant regiæ Cameræ; Neapolita 18 Junii 1625, lib. I litterarum Paul., p. 19.

(66. Item, annuente Sanctissimo, permittitur episcopo Perusino ut debitor extractus pro debitis in egregia summa communitatis et cameræ apostolicæ retineatur in carceribus, Perusina 18 Septemb. 1655, lib. V decr. Paul., p. 76.

(67. Debitor egregiæ summæ vocans creditorem ad propriam domum, ac armata manu una cum aliis extorquens quietantiam 2,000 scutor., gaudet immunitate, sed agendum Sanctissimo pro pœna extraordinaria, attenta mala qualitate rei; Sarzanen. 11 Jan. 1684, lib. III decr. Altoviti, p. 271.

(68. Censetur dolose extractus debitor habens promissionem a creditore quod non faciat exsequi mandatum personale contra ipsum, verum cum exierit a loco immuni, carceratus fuit ad instantiam ipsius creditoris; Nucerina 9 Maii 1702, lib. III decr. Vall., p. 420.

(69. Debitor virginis et pauperrimæ, nisi intra terminum unius mensis solvat, datur facultas Ordinario ipsum ejiciendi e loco immuni Sabin. 6 Novem. 1634, lib. II decr. Paul., p. 207.

(70. Licet non constet ex processu de extractione dolosa, seu blandis verbis confugiti ecclesia, quia tamen ex confessione extra judiciali habetur dolose extractum fuisse, sac. Congregatio resolvit gaudere et restituendum esse ecclesiæ; ead. sac. congr. Immun. in Ferrarien. 24 Jan. 1673, lib. I decr. Altov., pag. 765.

(71. Item declaravit gaudere illum qui dolosis verbis extractus fuit ex atrio collegii, seu domus pie litteratorum Romæ; eadem sacr. congr. Immun. in Romana 16 Julii 1675, lib. I decr. Altov., pag. 1124. (72. Similiter qui fuit impeditus a birruariis existentibus in loco immuni ne confugeret ad locum immunem; in eadem ibid. (73. Item qui tempore capturæ jam tetigerat columnam positam in angulo superiori domus ministrorum inservientium monialibus S. Silvestri Romæ in eadem ibid.

(74. Constat de dolosa extractione a loco immuni, quando baroncellus fingens se velle manducare cum confugito mittit ipsum cum vino ad fontem, ubi capitur a birruariis eadem sacra congr. Immun. in Reatina 27 Martii 1696, lib. II decret. Vallem., pag. 15.

(75. Est dolosa extractio, quando simulatus confuga seduxit Judæum confugitum exire de loco immuni, asserens non adesse birruarios a quibus mentitis vestibus captus fuit; eadem sacr. congr. Immun. in Anconitana 10 Febr. 1699, lib. II decr. Vallem., pag. 201. (76. Constat de dolosa extractione, quando birruarii mentitis vestibus et incogniti sub prætextu emendi certa mobilia inducunt confugitum ad exeundum ab ecclesia et veniendum domi, ubi ipsum carcerant; Bononien. 3 Decemb. 1697, lib. II decr. Vallem., pag. 123.

(77. Constat de dolosa extractione, quando debitor sub promissione creditoris de non faciendo exsequi mandatum personale contra ipsum, carceratur ad instantiam creditoris, postquam exiit a loco immuni; Nucerina 9 Maii 1702, lib. III dec. Valleman., pag. 420. (78. Item quando sub promissione reconciliationis faciendæ cum suo adversario confuga egreditur ab ecclesia, et capitur a birruariis; Ferentina 22 Jan. 1704, lib. III decr. Vall., pag. 550.

(79. Constat de dolosa extractione, quando fugitus exit ab ecclesia sub assecuratione baroncelli quod non carcerabitur, et postea ab ejusdem birruariis carceratur; Perusina 22 Sept. 1693, lib. I decr. Vallem., pag. 77.

(80. Quando confuga egreditur de ecclesia quamvis absque præcedenti tractatu cum curia laica, nec de ejus mandato, sed amicii, vel alterius privatæ personæ suasione habentis animum tradendi ipsum in manibus dictæ curiæ, prout de facto contigit, constat de dolosa extractione, adeoque est restituendus, Camerinen. 20 Sept. 1704, lib. III decret. Vallem., pag. 618. (81. Constito de dolosa extractione a loco immuni extractus debet restitui ecclesiæ; Aliphana 12 Julii 1689, lib. decret. Martelli pag. 490; Balneoregien. 11 Jan. 1695, l. I decr. Vall., p. 166; Ancon. 10 Febr. 1699, lib. II decr. Vall., pag. 256.

(82. Sarcina papyri fraudulenter extracta conventu per ministrum appaltatoris qui se finxit dominum dict. papyri, et decipiens portuarium conventus fraudulenter inde extraxit est restituenda in ecclesia; Civitatis Castelli 21 Nov. 1684, l. III decr. Altov., pag. 389.

(83. Non videtur constare de dolosa extractione, quando quis tanquam privatus promittit confugito eum benigne tractandum a judice ecclesiastico, in cujus propterea curia se constituit; Neapolitana, seu Nolana 31 Augusti 1700, lib. II decr. Vall., pag 311.

(84. Non constat de dolosa extractione, quando confugitus exiit a loco immuni ex eo quod tribunus militum, ut fieret miles promisit omnem securitatem, nullo tamen habito tractatu per tribunum cum curia laica

Digitized by Google

qua extra locum immunem captus fuit; Taurinen. 9 Martii 1702, lib. III decr. Vallem., p. 420.

(85. Non constat de dolosa extractione in confugiti ad ecclesiam ob debitum contractum cum duobus mercatoribus, cum quibus iniit contractum societatis, eo quod exierit ab ecclesia virtute transactionis factæ cum uno solum mercatore sine mandato, et conscientia alterius socii principalioris in interesse qui renuit ratam habere dictam transactionem tanquam ei præjudicialem, et fecit carcerare debitorem; Urbanien. 9 Maii 1702, l. III, decr. Vall., p. 420.

(86. Non constat de extractione dolosa a loco immuni, quando confugitus causa debitorum exiit ab ecclesia sub promissione et juramento unius creditoris de non inferendo ei ullam molestiam, sed postea carceratus fuit ad instantiam alterius creditoris absque intelligentia cum primo creditore; Nullius Orbetelli 21 Novemb. 1684, l. III decr. Altov., p. 390.

(87. In causa dolosæ extractionis episcopus procedat ad declarationem prout de jure: Neapolitana 12 Jan. 1700, lib. II decr. Vall., p. 166. (88. Aliquando injungitur, ut informet super dolosa extractione et interim supersedeat in fulminatione censurarum et curet sibi consignari carceratum; Reatina 22 Nov. 1695, l. I decr. Vall., pag. 229. (89. Post declarationem non constare de dolosa extractione, curia ecclesiastica tenetur admittere novas probationes; Perusina 18 Martii 1698, lib. III decr. Vall., p. 143.

(90. Extractus fraudulenter a conventu gaudet immunitate eccles. In una civitatis Vet. 1 Februar. 1661, lib. decr. Rocci, p. 312. (91. Extracti tamen ex fraude alicujus personæ privatæ non gaudent immunitate ecclesiastica. Æsina 16 Jan. 1663. lib. decr. Rocci, pag. 450. (92. Recedens ab ecclesia ex fraude suorum inimicorum non gaudet immunitate eccles. Casalen 20 Martii 1662, lib. decr. Rocci, pag. 390. (93. Exiens ab ecclesia de consilio personæ particularis, et accidentaliter captus a curia nulla habita intelligentia cum ipso consiliario, non censetur dolose extractus. Ferrarien. 2 Junii 1603, lib. I decr. Vallem., p. 50.

(94. Mulier, extracta ab ecclesia blandis verbis et circumventionibus a notario et Birruariis curiæ laicalis, est eidem ecclesiæ restituenda. Camerinen. 18 Octobris 1633, lib. II decr. Paulucci, pag. 173.

(95. Dolose abductus a particulari persona ex concordia cum curia ad exeundum ab ecclesia et postea ab eadem curia carceratus, gaudet immunitate ecclesiastica. Ferrarien. 26 Jan. 1672, lib. I decret. Altov., pag. 647. (96. Extractus ab ecclesia blandis verbis scilicet sub prætextu impunitatis promissæ a barone, gaudet immunitate. Tudertina 18 Aprilis 1679, lib. II decr. Altov., p. 1749.

(97. Exiens ab ecclesia cum assecuratione sibi acta a scriba curiæ episcopalis de immunitate ad dandam querelam in eadem curia, et a vicario generali post horum notitiam retentus in carceribus, restituatur, et vicarius consulat conscientiæ suæ. Senogallien. 24 Novembr. 1682, lib. III decr. Altov., p. 710. (98. Extractus ab ecclesia, sub promissione substituti curiæ laicæ de illo dimittendo post examen et postea detentus in carceribus gaudet immunitate et est restituendus. Æsina 13 Nov. 1663, libr. decr. Rocci, p. 115.

(99. In ordine ad dolosas extractiones frequenter allegari solitas, attendendæ sunt sequentes novissimæ emanatæ resolutiones.

DECRETUM.

Pro tollendis abusibus per eos invectis qui, ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese a locis immunibus, ad quæ confugerant, dolose extractos fuisse frequenter allegare solent.

(100. Cum ad aures sanctissimi nostri Domini Clementis papæ XI, delati fuerint graves abusus in plurimis locis, ac præsertim in provinciis Italiæ et insulis eidem adjacentibus, atque etiam in regnis Hispaniarum, a plerisque eorum invecti qui, ubi de mandato judicum capti fuerint, et carceribus mancipati pro causis civilibus vel criminalibus, ad eludendam justitiam, allegare frequenter solent sese ab ecclesiis aliisve locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis vel alias dolose extractos fuisse, et ad propriam allegationem comprobandam non solum in suis depositionibus facile pejerant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt. Quinimo aliquando ipsimet sunt qui, ad effectum libere vagandi, et forsan etiam impune delinquendi, per baroncellos, et exsecutores, aliosve similes justitiæ ministros, data opera, ab ecclesiis locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, ea spe freti quod interim ecclesiasticæ immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est quod Sanctitas Sua ejusmodi malis, quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus magnum in discrimen adducitur, pro eximia sua pastorali sollicitudine ac zelo occurrere intendens, exquisivit a congregatione particulari nonnullorum eminentissimorum ac reverendissimorum S. R. E. cardinalium, ac illustrissimorum et reverendissimorum Romanæ curiæ prælatorum, ad hunc effectum deputata, quomodo et qua ratione provideri posset ut tam graves abusus e medio tollerentur. Habita itaque congregatione prædicta sub die 5 Octobris 1716, cui interfuerunt D. D. cardinales Tanarius Spinula, S. R. E. camerarius; Vallemanus, Grimaldus, et Origus; ac RR. PP. Prosper Marefuschius, episcopus Cyrenensis, ejusdem Sanctitatis Suæ auditor; Antonius Bancherius, protonotarius apostolicus ac sacræ Consultæ secretarius; Carolus Cerrus, Rotæ Romanæ Auditor; Scipio de Ricciis, præfatæ congregationis secretarius; Prosper de Lambertinis consistorialis aulæ advocatus ac fidei promotor, et Nicolaus Jacobatius, R. C. A. procurator fiscalis generalis; re mature discussa, eadem congregatio censuit.

Digitized by Google

Consulendum Sanctissimo quod omnibus ordinariis tam Italiæ insularumque illi adjacentium quam etiam Hispaniarum, scribantur litteræ per quas illis injungatur ut publico edicto notificent et moneant omnes et singulos qui ad ecclesias aliave loca immunia confugerunt, vel in posterum confugient, ut quatenus gaudere velint beneficio immunitatis ecclesiasticæ localis, curent in eisdem ecclesiis et locis immunibus permanere, caveantque ne ullo prætextu, causa, vel quæsito colore, ad eas, vel ea deserenda se induci sinant. Nam si extra illas vel illa ab exsecutoribus justitiæ capti fuerint, minime eis proderit allegare, vel etiam probare, quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti fuerint; cum animarum saluti, justitiæ administrationi, ac publicæ etiam delictorum vindictæ, ubi de criminalibus agitur, expediat ut de cætero illæ duntaxat extractiones suffragentur, quæ, aut violenter patratæ, aut sub fide salvi conductus ab aliquo judice ordinario seu delegato concessi ab subscripti, secutæ fuerint; qui tamen salvus conductus suffragari poterit pro tempore tantum in eo præscripto, intra quod extracti ad loca immunia omnino reverti debebunt, si eorum immunitate iterum gaudere intendant. Præterea iidem ordinarii moneant, atque notificent in ejusmodi edicto, quod si quis vere extractionem dolose, ut supra, commissam ante promulgationem edicti passus fuerit, ac immunitatis localis beneficio gaudere velit, ecclesiasticum confugium repetere omnino debeat intra mensem a die promulgationis ejusdem edicti numerandum, petito etiam, quatenus opus sit, ad hunc effectum salvo conducto ab ipsis ordinariis gratis concedendo; ita tamen ut, eo tempore elapso, si extra locum immunem deprehensus fuerit, perinde habeatur ac si voluntarie sponteque sua inde recessisset, nec audiri possit super extractione dolosa quam de præterito se passum fuisse allegaret. Factaque eidem sanctissimo Domino nostro per me infrascriptum secretarium de præmissis omnibus relatione, Sanctitas Sua particularis congregationis sententiam benigne probavit, ac desuper præsente decretum edi, illudque a sacra congregatione Immunitati ecclesiasticæ et Controversiis jurisdictionalibus præposita promulgari et executioni mandari præcipit. Hac die 22 Decembris 1716.

S. A. card. Tanarius.
Scipio de Ricciis, secr.

EPISTOLA ENCYCLICA

Jussu Summi Pontificis ad archiepiscopos Hispaniarum conscripta pro tollendis abusibus eorum qui, ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese a locis immunibus, ad quæ confugerant, dolose extractos fuisse allegare solent.

Illustris. ac Revendissime Præsul. uti Frater.

(101. Cum ad aures sanctissimi domini nostri Clementis papa XI, plurimæ pervenerint querelæ fide dignorum testimonio comprobatæ, adversus eos qui, ubi de mandato judicum, sive in criminalibus, sive etiam in civilibus capti fuerint et in carceres conjecti, ad eludendam justitiam, falso plerumque affirmare solent sese ab ecclesiis aliisque locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis vel alias dolose extractos fuisse; dictumque suum perjurio confirmare audeant, ac insuper adhibita consanguineorum vel amicorum suorum opera, falsos testes inducere, et alia non minus detestabilia patrare non verentur; quinimo aliquando ipsimet sunt qui, ad effectum libere vagandi et forsan etiam impune delinquendi, per baroncellos et exsecutores, aliosve similes justitiæ ministros, data opera, ab ecclesiis locisve immunibus prædictis sese extrahi fecerant, ea spe freti quod interim ecclesiasticæ immunitatis beneficium amittere non deberent: hinc est quod Sanctitas Sua, graves ejusmodi abusus quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus in discrimen adducitur, pro pastorali sua sollicitudine eximioque zelo, e medio tollere ac radicitus extirpare cupiens, audito prius nonnullorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium ac Romanæ curiæ prælatorum, super hac re specialiter deputatorum consilio, decrevit per organum hujus sacræ congregationis Immunitatis ecclesiasticæ et Controversiis jurisdictionalibus præpositæ, injungi Amplitudini Tuæ, quemadmodum per præsentes injungitur, ut publico speciali edicto, tenoris in adjuncto folio expressi, moneat, denuntiet, atque notificet, quod omnes et singuli cujuscunque status, gradus, et conditionis fuerint, qui actu confugerunt, vel in posterum confugient ad ecclesias seu loca immunia istius diœcesis, si illorum immunitate gaudere velint, curent attente in eis permanere, nec se ullo prætextu, causa, vel quæsito colore seduci sinant ad discedendum ab eisdem ecclesiis seu locis immunibus : ubi etenim extra illas seu illa ipsos deprehendi contingat, minime eis proderit allegare et probare quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assertionibus, dolosisve machinationibus extracti, seu abducti inde fuerint; cum ad occurrendum fraudibus et abusibus supra expositis Sanctitas Sua, de præfatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium ac prælatorum consilio congruum ac opportunum duxerit, firmiter decernere et statuere, prout decernit et statuit, quod deinceps ii tantum extra ecclesias et loca immunia, ad quæ confugerant, ecclesiasticæ immunitatis beneficio gaudere pergant, qui ab ecclesiis et locis immunibus hujusmodi violenter extracti fuerint, vel inde discesserint sub fide salvi conductus ab aliquo judice ordinario vel delegato concessi et subscripti, non tamen nisi ad tempus in eo præfixum valituri. Jubet insuper præfatus sanctissimus dominus noster quod Amplitudo Tua eodem publico edicto moneat, prout similiter annexa formula cavetur, omnes et singulos, si qui fuerint in ista diœcesi qui ante publicationem edicti hujusmodi, revera blandis ver-

Digitized by Google

bis aut alias dolose ab ecclesiis aliisque locis immunibus extracti fuerint, ut quatenus gaudere intendant beneficio immunitatis eisdem ecclesiis et locis debitæ, debeant intra terminum unius mensis a die publicationis ejusdem edicti computandum, redire ad ecclesias vel loca immunia unde extracti fuerunt, exposcendo ad hunc effectum, quatenus opus sit, ab Amplitudine Tua salvum conductum pro tuo arbitrio et prudentia limitatum, ac gratis concedendum; addita insuper declaratione, quod si elapso prædicto termino in manus curiæ inciderint, ita habebuntur ac si ab iisdem ecclesiis et locis immunibus sponte sua, nullaque prorsus interposita fraude, discessissent, nec eis licebit amplius dolosam extractionem allegare. Cæterum, cum hæc sanctissimi domini nostri provisio, non in tua tantum, sed et in aliis istius provinciæ diœcesibus servari omnino debeat, Sanctitas Sua districte tibi præcipit ut hæc omnia quæ per præsentes tibi injunguntur, etiam episcopis suffraganeis tuis aliisque locorum ordinariis tibi metropolitico jure subjectis, accurate significes, et ab eis exacte pariter ac diligenter observari cures et facias. Placeat igitur Amplitudini Tuæ ita exsequi; dum ego interea deprecor eidem veriores felicitates.

Roma, 20 Januarii 1717.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater Addictissimus

S. A., card. TANARIUS.

Scipio de Ricciis, secretarius.

FORMULA EDICTI PROMULGANDI.

« Cum ad notitiam sanctissimi domini nostri Clementis papæ XI delati fuerint graves abusus a plerisque eorum invecti qui, ubi de mandato judicum sive in criminalibus sive etiam in civilibus capti fuerint et in carceres conjecti, ut inde emittantur, allegare frequenter solent sese ab ecclesiis aliisve locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel alias dolose extractos fuisse, et ad propriam allegationem comprobandum, non solum in suis depositionibus facile perjurant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt; quinimo aliquando ipsimet sunt qui, ad effectum libere vagandi, et forsan etiam impune delinquendi, per baroncellos et exsecutores aliosve similes justitiæ ministros, data opera, ab ecclesiis locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, ea spe freti quod interim ecclesiasticæ immunitatis beneficium amittere non deberent : hinc est quod Sanctitas Sua, ejusmodi malis pro eximia sua sollicitudine ac zelo occurrere intendens, speciali commissione per organum sacræ congregationis Immunitati Ecclesiasticæ et Controversiis jurisdictionalibus præpositæ, nobis directa, et inferius registranda, districte nobis injunxit ut ad præsentis edicti promulgationem procederemus.

« Apostolicis itaque Sanctitatis Suæ mandatis, qua par est, veneratione et obsequio morem gerentes, vigore præsentis publici edicti, monemus omnes et singulas personas, cujuscunque status, gradus, et conditionis existant, quæ actu confugerunt vel in posterum confugient ad ecclesias et loca immunia, si beneficio immunitatis hujusmodi gaudere velint, ne sub quovis prætextu exeant vel discedant ab eisdem ecclesiis locisve immunibus, imo diligenter caveant ne fidem adhibeant ulli assertioni, quam sibi ad id a quavis persona, etiamsi fuerit justitiæ minister, offerri contigerit, nisi eis simul exhibeatur salvus-conductus ab aliquo judice ordinario vel Delegato concessus ac subscriptus; quo casu salvus-conductus hujusmodi, pro eo tamen duntaxat limitato tempore quo concessus fuerit, ipsi suffragabitur.

« Curent igitur omnes et singuli confugientes ad ecclesias et loca immunia præcise servare confugium; quoniam, si deinceps extra ecclesias et loca immunia hujusmodi capti ad manus curiæ devenerint, nequaquam eis proderit, ad effectum fruendi beneficio ecclesiasticæ immunitatis, allegare vel etiam concludenter probare quod blandis verbis vel alias dolose ab ecclesiis vel locis immunibus prædictis extracti seu abducti fuerint, cum sanctissimi domini nostri mens sit quod de cætero eæ tantum extractiones seu abductiones extractis seu abductis ad præfatum effectum suffragentur, quæ, aut violenter, aut sub fide salvi conductus, ut supra concessi et subscripti, secutæ fuerint.

« Cæterum, ubi contingat in hac nostra diœcesi aliquam reperiri personam quæ revera blandis verbis, aut alias dolose ab ecclesia seu loco immuni extracta vel abducta fuerit, serio illam per præsens edictum admonemus ut quatenus frui intendat beneficio immunitatis ecclesiasticæ localis, redeat ad confugium intra terminum unius mensis a die publicationis præsentis edicti computandum, petito prius a nobis salvo-conductu, quem gratis concedimus. Quod si elapso prædicto termino, extra locum immunem deprehensa fuerit, sciat se habendam esse perinde ac si ab eodem loco immuni sponte sua discessisset, nec amplius audiendam super extractione dolosa, quam de præterito se passam fuisse allegaret, cum talis itidem sit mens Sanctitatis Suæ.

« Volumus autem hoc nostrum monitoriale edictum ad valvas metropolitanæ ecclesiæ hujus civitatis affigi et publicari, ac insuper in singulis parochialibus ecclesiis nostræ diœcesis, inter missarum solemnia promulgari, sicque affixum et publicatum, ac respective promulgatum post mensem a die illius affixionis et publicationis, ac respective promulgationis computandum, omnes et singulos quos illud concernit, perinde arctare et afficere ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatum fuisset. Datum ex nostro palatio archiepiscopali, hac die..... »

Digitized by Google

EPISTOLA ENCYCLICA

De eodem argumento, conscripta italico idiomate, ad universos Italiæ insularumque adjacentium ordinarios.

Illustrissimo e Reverendissimo Monsignore come Fratello.

(102. Essendo pervenute da più parti alla Santità di nostro Signore molte querele, che pur troppo si sono riconosciute appoggiate alla verità, sopra gli abusi ed inconvenienti che frequentemente nascono dall'allegarsi da molti di quelli, che vengono carcerati, tanto per cause civili, quanto per criminali, di essere stati dolosamente estratti dalle chiese e luoghi immuni; mentre li medesimi, per eludere la giustizia, bene spesso asseriscono falsamente di aver patita tale dolosa estrazione, per sostenerla, spergiurano ne' loro constituti, inducono testimonj falsi, e commettono altre simili cose coll'ajuto anco de'loro amici, e congiunti; anzi talvolta essi stessi sono quelli che per potere liberamente vagare e forse anco commetter delitti senza perder il benefizio dell'immunità, che pretendono di continuare a godere, si erano fatti a bella posta estrarre per mezzo de'Ministri subalterni della giustizia dalle suddette chiese e luoghi immuni: quindi è che la Santità Sua, per provedere a tanti e sì gravi incovenienti, che accadono in pregiudizio della giustizia, ed in notabile aggravio dell'anime dei fedeli; edito prima il parere di una particolare congregazione di alcuni signori cardinali e prelati a tal effetto specialmente deputati dalla Santità Sua, ordina, e comanda che tutti li ordinarj de'luoghi debbano ammonire e notificare con publico editto che tutti quelli, che ora si trovano rifugiati, e che in qualunque tempo a venire saranno per rifugiarsi nelle chiese ed altri luoghi immuni, di qualsivoglia stato, grado, e condizione siano, se vogliono goderne l'immunità, avvertano di non partirne, nè si lascino indurre sotto qualsisia pretesto, causa, o colore a uscir fuori di dette chiese ed altri luoghi immuni; poichè uscendone, se capiteranno nelle mani della giustizia, non varrà loro il dire, o pretendere di provare di esserne stati estratti dolosamente, o con fallaci suggestioni, o assicurazioni; volendo la Santità Sua, che dopo la detta ammonizione non possa più allegarsi, nè allegandosi, a chi si sia possa giovare l'estrazione dolosa, ma unicamente possa allegarsi, e giovar l'estrazione violenta, e quella, che fosse seguita sotto la sicurezza del salvocondotto conceduto e sottoscritto da qualche giudice ordinario o delegato, quale però dovrà valere solo per quel tempo limitato per cui sarà stato conceduto. Siccome parimente dovranno notificare publicamente, come sopra, che se alcuno veramente fosse stato per il passato dolosamente estratto da qualche chiesa o luogo immune, e voglia godere del benefizio dell'immunità locale, debba ritornare al confugio ecclesiastico dentro un mese da decorrere dopo la pubblicazione del medesimo editto, con chiedere agl'istessi ordinarj, quando gli occorra, per tal effetto il salvo-condotto, quale dovrà darsegli *gratis*, e per tempo limitato ad arbitrio de' medesimi ordinarî. Avvertendo inoltre, che, se passato il detto termine d'un mese sarà catturato fuori del luogo immune, dovrà considerarsi, come se volontariamente, e senza alcuna frode ne fosse partito, nè dovrà udirsi sopra l'estrazione dolosa, che pretendesse aver patita. Avendo però nostro Signore ordinato, che se ne faccia lettera circolare, in esecuzione de'supremi comandi della Santità Sua, partecipo il tutto a V. S. acciò possa adempire la mente di Sua Beatitudine, con farne pubblicare l' editto secondo la forma espresso nell'annesso foglio, che le trasmetto; come altresì sarà sua cura, che lo stesso si eseguisca da'vescovi suoi suffraganei, e da altri ordinarj dipendenti da cotesta sua chiesa metropolitana, a'quali perciò dovrà ella a tal'effetto pienamente significare quanto a lei stessa con la presente s'ingiugne. Ed io intanto col significarglielo, me le offro.

Roma, 20 Gennajo 1717.

Di V. S.

Come Fratello affezionatissimo.

S. A., cardinal. TANARA.

Scipione de Ricci, secret.

(103. Rei confugiti per vim extracti non servato modo præscripto a Benedicto XIII. in cit. constitut. incip. *Ex quo*, § 8, et relate supra sub n. 40, debent iterum restitui. *Communis*, et certa, arg. c. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, q. 4, ubi excommunicari jubetur, « qui personam hominis, vel bona ejus inde (id est e loco asyli) subtraxerit quoàdusque emendet, et quod rapuerit reddat; » et c. *Miror*. 8, ead. caus. et q., ubi sic expresse præcipitur: « Ecclesiæ igitur revoca, quæ irreligiosissimus rapuisti, » etcit. Benedictina, § 8; (104. etiamsi notorie constet, ipsos confugitos commisisse crimen exceptum, quia ex cit. Gregoriana et Benedictina ad extractionem requiritur semper prævia cognitio et declaratio episcopi, et ex novissima dispositione ipsius Benedictinæ § 8, inviolabilis observantia modi ibi præscripti, aliter extractio est nulla, et consequenter extracti sunt restituendi. Farinac. in appendic. *de Immun.* cap. 2, num. 51.; Diana, p. 1, tract. resolut. 41; Reiffenst., loc. cit., n. 204, et alii passim. (105. Confugiti etiamsi licite sint extracti, debent iterum restitui, si indicia contra eos acquisita in suis defensionibus purgent ac diluant; cit. Benedictina, §. 8.

(106. Imo debent restitui confugiti, etiamsi de eorum consensu et voluntate fuerint extracti, quia, quamvis renuntient immunitati, non possunt tamen per suam renuntiationem præjudicare Ecclesiæ: sic expresse decrevit Sac. Cong. Immunitatis in Cajacen. 20 Novembris 1640, lib. III decret. Pauiuc., pag. 134.

(107. Restitutio extractorum fieri debet eidem ecclesiæ vel loco a quo fuerunt ex-

Digitized by Google

tracti : et ad hoc, ut restitutio alteri ecclesiæ fieri possit, requiritur dispensatio Summi Pontificis, nec sufficit solus consensus partium. Sic pluries decrevit S. C. Immunit. ; et signanter Neapolitana 21 April. 1634, in hunc modum : « D. secretarius juxta mentem, scilicet, ut mediante auctoritate Sanctissimi faciat convalidare restitutionem factam alteri ecclesiæ, cum non dependeat a consensu partium, sed ab auctoritate Sanctissimi. » Sic refert Pign., tom I, cons. 172, num. 10.

(108. Amplius, quamvis extractus moram trahat in loco distanti ab ecclesia extractionis, attamen, attento consensu extracti, in his casibus Sanctissimus dispensat ut restituatur alteri ecclesiæ. Ead. sacr. congr. Imm. in Mediolanens, 28 Nov. 1634, lib. II decret. Paul., pag. 210; in Vercellen. 25 Maji 1655, lib. v decret. Pauluc., pag. 76; in Asculana 24 Junii 1655, lib. v decret. Pauluec., pag. 67.

(109. Quando quamplures sunt extracti qui restitui debent eidem ecclesiæ, ad evitanda scandala restitutio fit diversis ecclesiis et diverso tempore. Ead sac. cong. Immunit. in Castren; 3 Jun. 1640; lib. II decr. Paul., p. 43.

(110. Aliquando extractus ex facultate Sanctissimi restituitur ecclesiæ S. Joan. Lateranensis, uti matri ecclesiarum, loco ecclesiæ a qua fuit extractus Ead. sac. cong. Immun. in Spoletana, 18 Sept. 1646, lib. III decret. Paul., pag. 293.

(111. Permittitur, annuente Sanctissimo, quod restitutio extractorum fiat alteri ab ecclesia extractionis, ex causis urgentibus allatis a curia laica, eadem sac. congregat. Immun. in Sarzanen. 16 Januarii 1672, lib. I decr. Altovit., pag. 533. (112. Item permittitur ut extractum qui ob infirmitatem non potest restitui ecclesiæ violatæ, restituatur alteri ab ipso eligendæ, ead. sac. congr. Immun. in Aversana, 20 Januar. 1703, lib. II dec. Vall., p. 468.

(113. Restitutio extracti conceditur fieri alteri ab ecclesia extractionis ob minas et periculum occisionis parochi, et cum idonea cautione de non offendendo inimicum et testes, ac de non accedendo ad locum ecclesiæ a qua fuit extractus; ead. sac. congr. Immun. in Casertana 22 Janv. 1697, lib. II decret. Vallem., pag. 71.

(114. Aliquando Sanctissimus concedit archiepiscopo facultatem restituendi extractum alteri ab ecclesia extractionis, pro conscientia et arbitrio ipsius. eod. sac. cong. Immun. in Æsina, 15 Nov. 1661, l. decr. Rocci, p. 366; in Neapolitana, 18 Januar 1667. lib. I dec. Alt., pag. 80. (115. Aliquando injungitur archiepiscopo ut dato in actis curiæ eccl. consensu extracti, permittat restitui in alia ab Ecclesia extractionis extra diœcesim electa ab extracto. ead. sac. cong. Immun. in Salernitana, 20 Julii 1648, lib. decret. Mart., pag, 327.

(116. Fur extractus fuit ab una ecclesia, et episcopus ordinavit restitui eidem ecclesiæ; sed curia laica in cujus carceribus erat, attenta ejus infirmitate, et distantia loci, restitui fecit in alia ecclesia insigniori, et elapso aliquo tempore, cum idem fur ob nova furta carceratus fuerit in loco non immuni a curia laica, petiit denuo restitui ecclesiæ primæ extractionis Sacra congregatio dixit gaudere, et esse restituendum ecclesiæ extractionis pro reintegratione. Ead. sac. congreg. Immun., in Lauretana, 18 Aug. 1702, lib. III. decret. Vallemani, pag. 435.

(117. Extractus violenter a quadam ecclesia parochiali diœcesis S. Miniati per curiam sæcularem, ac in carceres laicales a quibus aufugerat conjectus, pendente processu curiæ episcop. contra extractores pro reparatione læsæ immunitatis, denuo fugiens ex ipsis carceribus in eademmet ecclesia se recepit; inde Romam veniens elapsis circiter tribus annis, nova ob delicta ab exsecutoribus em. Urbis vicarii in carceres iterum truditur; verum allegata per ipsum immunitate, appellavit a sententia ejusdem em. vicarii ad sacram congr., quæ declaravit restituendum esse ecclesiæ, sed cum Sanctissimo, ut restitutio fiat in urbe ecclesiæ, per extractum eligendæ. Ead. sacr. congr. Immun. in una S. Miniati, 12 Jul. 1707, lib. decr. Maref.

(118. Extractus restituitur ecclesiæ, sed annuente Sanctissimo, præstita cautione de non offendendo mulierem quam tentavit occidere. Ead. sacr. cong. Immun. in Casalen., 19 Jul. 1661, lib. decr. Rocci, p. 348. (119. In restitutione extracti ecclesiæ sæpissime requiritur idonea cautio de non offendendo testes, inimicum, ac querelantes; ead. sac. cong. Immun. in Civitatis Castelli, 28 Febr. 1668, lib. I decret. Altov., pag. 200; in Pertuen., 25 Sept. 1696, lib. II, decr. Vall., pag. 5, in Cajetana, 24; Sept. 1697, ibi pag. 213; in Montis Falisci, 30 Jan. 1703, lib. III decret. Vallem., pag. 471.

(120. Episcopus restituat extractum loco immuni, sed prius provideat ne oriantur scandala in præjudicium et cum periculo parocho ex parte extracti; ead. sacr. congr. Immun. in Lauden 20, Decemb. 1702, lib. III decret. Valleman., pag. 463.

(121. Restitutio carceratorum a curia laica in locis immunibus facienda est propriis ordinariis ecclesiarum non D. nuncio; ead. sac. cong. Imm. in Neapolitana, 10 Novemb. 1676, lib. I decr. Alt., pag. 1299. (122. Pendente articulo : An extractus gaudeat immunitate? restituendus est in carceribus ecclesiasticis; ead. sac. cong. Imm. in Asten., 29 Junii 1679, lib. II decr. Altov., pag. 1785.

(123. Discedens a loco immuni cum salvoconductu commissarii, ut ipsum commissarium alloquatur, et postea carceratus, de ordine Sanctissimi restituendus est Curiæ ecclesiasticæ, eadem sac. cong. Imm. in Ariminen., 3 Maii 1628, lib. II decr. Pauluc., pag. 93.

(124. Episcopus faciat restituere canonicum extractum de ejusdem ordine ab ecclesia, quatenus non habeat aliquid relevans in contrarium. Ead. sac. congr. Immun. in

Digitized by Google

Ferentinen; 9 Jan. 1700, lib. II. decret. Vallemani, pag. 264.

(125. Restitutio extracti debet fieri publice ipsi Ecclesiæ violatæ per eos qui extraxerunt, quia, cum per injuriosam extractionem fuerit facta publica injuria ecclesiæ, ac populus publice scandalizatus, requiritur publicus pœnitentiæ actus corresponsdens publico delicto, et tollens publicum scandalum; Arg. cap. *Filius*, § *Illud autem*, de pœnis in 6, et quidem per eos qui extraxerunt, « cum peccata suos debeant tenere auctores, » l. *Sancimus*, 22, Cod. pœnis, et cap. *Quæsivit*. 2, de his quæ fiunt a majori parte Capituli. Sic Pignatell., tom. I. consult. 173, num. 7; Peregrin., de Immunit., cap. 15, num. 26; Reiffenstuel, loc. cit., n. 208, et alii, et ex decreto Sanctissimi servatum fuit contra gubernatorem urbis in extracto ab ecclesia S. Mariæ de Pace, 27 Augusti 1629, in qua extractus repositus fuit ab iisdem birruariis publice post meridiem. Sic refert Pignatell., loc. cit. num. 4.

(126. Nec sufficit restitutio extracti facta episcopo seu vicario generali, aut repositio in carceribus ecclesiasticis, quia, cum non possit fieri restitutio neque alteri ecclesiæ sine dispensatione Summi Pontificis, etiamsi extractus esset in loco distanti ab ecclesia violata, sed necessario debeat fieri restitutio ipsi eidem ecclesiæ violatæ ut abunde patet ex supra allegatis decretis, tanto minus poterit fieri talis restitutio carceribus ecclesiasticis, aut episcopo seu ejus vicario generali, quia episcopus, ex quo non sit dominus, sed tantum procurator ecclesiæ; arg. cap. *Si privatum* 28, caus. 12, quæst. 1, nequit remittere injuriam illi facta per extractionem et retentionem confugiti. Glossa in cap. *Si is*, caus. 13, qu. 4, verb. *Possumus*; Abbas in cap. *Contingit.*, de Sentent. excomm., num. 11; Innocent., ibid., in princip.; Hostiens., ibid. num. 2; Pignatel., loc. cit., num 9; Reiffenstuel, loc. cit. num. 207 et alii quos refert Binsfeld., de Jur. et damn. dat. c. 7. num. 4, et ult. conclus.

(127. Nec etiam pro restitutione sufficit simplex excarceratio aut dimissio extracti, sed debet per extrahentes necessario reponi in eadem ecclesia seu loco a quo fuit extractus, ut respondit Sacra Congr. Immun. in un. Mediolanensi, 25. Febr. 1688, his verbis: « Scribatur eminentissimo archiepiscopo, ut oratorem faciat restituere eidem ecclesiæ a qua fuit extractus, nec sufficere illius excarcerationem pro reintegratione violatæ immunitatis ecclesiæ ob extractionem ipsius oratoris. » Sic Pign., loc. cit. num. 10; Reiffenstuel, loc. citat. num. 209; Riccius in Synopsi, verb. *Restitutio*, num. 1.

(128. Ultra restitutionem rei extracti pro reintegratione, tenentur etiam male extrahentes ad restitutionem omnium rerum et etiam armorum quæ fuerunt sublata in extractione *Communis*, arg. cap. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, quæst. 4, ibi: « Qui personam vel bona ejus inde subtraxerit, quoadusque emendet, et quod rapuerit reddat, excommunicetur; » et sic pluries decrevit sacra congregatio Immunitatis, et signanter in Asculana, 15 Januarii 1658, apud Riccium in Synopsi, verb. *Restitutionum*, 29, his verbis: « Ablata de tempore quo quis fuit extractus ab Ecclesia, Episcopus mandet restitui; » et in Verulana, 20 Febr. 1608, apud Riccium in loc. cit. num. 22. ibi: « Nulliter extracti ab ecclesia per curiam episcopalem, episcopus mandet restitui, quidquid solvit pro sua excarceratione vicario, cancellario, et aliis; » et in puncto de restitutione armorum censuit sac. congregatio quod ante absolutionem facienda sit restitutio in integrum armorum, in Lunen. Sarzanen., die 3 Augusti et die 24, etiam Augusti ejusdem anni in una Brundusina et in una Mediolanensi die 28 Maii 1625; apud Pignatel., t. I, consult. 172, n. 13.

(129. Violatores immunitatis asyli, ultra gravissimum sacrilegium quod committunt, ex c. *Miror* 7, cap. *Frater* 9, cap. *Quisvis* 17, caus. 17, quæst. 4, et aliis similibus, et nullitatem omnium eorum actorum ex cit. Gregoriana et Benedictina, § 9, incurrunt excommunicationem majorem latæ sententiæ. Habetur ex cit. Gregoriana, § 8, ibi: « Quod si quis quacunque dignitate et auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras et pœnas ejusdem incurrere quæ contra libertatis juris immunitatis ecclesiasticæ violatores per sacros canones, conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones, sunt promulgatæ; » et consimiliter habetur ex cit. Benedictina, § 9, et hanc excommunicationem esse latæ sententiæ jam habebatur ex repetitis declarationibus jussu Clementis VIII et Pauli V editis, de quibus testantur Castropalao, tract. 11. disp. unic., punct. 12, num. 3; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punct. 8, num. 3; Marius Ital., de Immun. lib. I, c. 6, § 2, n. 29, et sequent.; Haunold, tom. VI, tract. 1, num. 256, et hodie post dictas bullas, et declarationes est certa et communis. Unde violatores asyli non sunt excommunicandi, sed solum sunt declarandi excommunicati, seu incurrisse excommunicationem, ut optime tradit Sperell. decis. 48. num. 32. et dec. 105. num. 42 et alii passim.

(130. Talem majorem excommunicationem latæ sententiæ incurrunt quicunque cujusvis dignitatis et auctoritatis existant, qui in aliquo modo immunitatem asyli violant *Communis* ac certa ex citata Gregoriana § 8; ex cit. Benedictina, § 9. (131. Sic eam incurrunt omnes capientes, extrahentes, incarcerantes, vincientes reum in loco asyli existentem. *Communis*. (132. Item complices extractionis, et hujusmodi: sac. congr. Immun. in Hydruntina, 2 Decembris 1692, lib. I decret. Vallem., pag. 7; Balnecregien., 11 Januarii 1695, lib. I decret. Vallem., pag. 166; Regien. 2 Julii 1695, lib. I decret. Vallem., pag. 190. (133. Item fautores: eadem sacr. congr. in Neapolitana, 18 Novembris 1687, libr. decr. Martell., pag. 186. (134. Item cooperantes: eadem sacr. congr. in Regien. 16 Decemb. 1690, lib. decret. Mar-

Digitized by Google

tell., pag. 688; in una Aquipendii 13 Novembris 1691, lib. dec. Criminal., p. 36; Signina, 31 Julii 1695, lib. decret. Mart., pag. 751. (135. Item mandantes; eadem sacr. congr. in Neapolitana, 18 Novembris 1687, lib. decret. Martelli, p. 186; Camerin., 3 Augusti 1695, lib. I decr. Vall., pag. 406. (136. Item cogentes, obsidentes, et custodientes confugium, ut egrediatur ab ecclesia, et capiatur: eadem sacra congreg. in Perusina, 5 Junii 1694, lib. I decr. Vallem., p. 126; Hieracen. 28 Augusti 1700, lib. II decret. Vallem., pag. 209. (137. Item dolose et blande suadentes confugito ut exeat a loco immuni ut capiatur a birruariis: ead. sac. congr. in Marcisen., 31 Julii 1691, lib. decretal. Martelli, pag. 249; in Aquipendii, 13 Novembris 1691, lib. decret. Grim., pag. 36; in Neapolitana, seu Castri Maris, 23 Junii 1693. lib. I decr. Vallem., p. 58; in Camerinen. 13 Maii 1698, lib II decret. Vallem., pag. 153. (138. Item tentantes: ead. sac. congr. in Minerbinen., 2 Decembr. 1693, lib. I decr. Vallem., pag. 96; in Sutrina, 20 Augusti 1695, d. lib., pag. 210. (139. Item ipsi extrahentes, quamvis extractum consignaverint Potestati ecclesiasticæ: eadem sacra congreg. in una Civitatis Castellanæ, 18 Novembris 1687, lib. III decret. Altov., pag. 183. (140. Nec supradicti excusantur ab excommunicatione, quamvis reus libere consentiat capi, carcerari, extrahi, et hujusmodi, quia adhuc violatur immunitas ex dictis supra num. 3 et 106.

(141. Si violatores libertatis vel immunitatis Ecclesiæ appellaverint contra sententiam declaratoriam episcopi, talis appellatio non debet admitti, nisi prius Ecclesiæ fuerit satisfactum: Pignat., tom. II, consult. 65, num. 26, ubi affert plures declarationes præcisis his verbis: « Appellatio a declaratoria censurarum in materia violatæ immunitatis ecclesiasticæ non admittitur nisi prius ecclesia quoad suum honorem fuerit in integrum restituta: » sacra congregatio Episcop. in Neapolitana, 11 Octobris 1617, et in Liparen., 4 Julii 1620, et Rhegien., 28 Julii eodem anno, et Syracusana, 19 Julii 1622; et pluries declaravit etiam sacra Congreg. Immunitatis, ut refert Riccius in Synopsi, verb. *Appellatio*, ubi sub num. 3, sic præcise habet: « Appellatio ad metropolitanum super censuris latis in causa violatæ immunitatis non est attendenda ab episcopo: » S. Cong. Immun. in Bisacien., 6 Febr. 1694, lib. I decr. Vallem., pag. 102; et sub num. 4, his verbis: « Imo, neque appellatio ad Sanctissimum et sacram congregationem admittitur quoad effectum suspensivum, sed solum quoad devolutivum: » Materanen., 9 Sept. 1631, lib. II decr. Paul., p. 89; Beneventana, 22 Novemb. 1639, lib. III decr. Paul., p. 104; in una nullius abbatiæ S. Joannis in Lamis, 18 Octobris 1695, lib. III decr. Vallem., p. 224; Balneoregien., 18 Augusti 1700, lib. II decr. Vallem., pag. 307; et sub num. 7, sic refert: « Non obstante appellatione interposita ad nunciaturam per baroncellum excommunicatum ob violationem immunitatis, episcopus procedat contra ipsum ad ulteriora: » in una Burgi S. Sepulcri, 7 Maii 1688, lib. II decr. Vallem., pag. 151; et sub n. 8, refert: « Non obstante appellatione procedendum prout de jure contra violatorem immunitatis ecclesiasticæ: » Pisauren., 25 Septemb. 1627, lib. I decr. Paul., pag. 67; et sub num. 11, sic habet: « Non admittitur appellatio tam ad effectum devolutivum quam suspensivum a censuris in contumaciam promulgatis ex causa violatæ immunitatis: » Rossan., 8 Apr. 1642, lib. III decr. Paul., pag. 173.

(142. Absolutio a censuris contractis ex causa violatæ immunitatis, libertatis, et jurisdictionis ecclesiasticæ, est reservata Summo Pontifici, nec ab alio potest concedi sub quocunque prætextu, etiam restitutionis statim factæ ecclesiæ; et opinio contraria improbatur. Sic sac. congregat. Immunitatis in Lycien., 13 Julii 1638, lib. III dec. Paul., pag. 66; Casertana, 24 Januarii 1651, lib. IV decret. Pauluc., pag. 134.

(143. Et ita est reservata Summo Pontifici, ut, vacante Sede Apostolica, desit potestas absolvendi. Eadem sac. congr. in una S. Marci in Calabria, 2 Junii 1691, lib. decr. Martelli, pag. 374. Sic refert Riccius in Sinopsi, verb. *Absolutio*, n. 2.

(144. Unde ordinarii et episcopi absolventes censuratos hujusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidunt in excommunicationem eidem Sanctæ Sedi reservatam, a qua regulariter datur facultas ut se faciant absolvere a suis confessariis privatim, et cum Sanctissimo agitur pro dispensatione irregularitatis quatenus incurrerint. Ead. sacra congregatio in Squillacen. 16 Decembris 1664. lib. decretal. Rocci, pag. 608; Acernen., 29 Januarii 1636, lib. II decret. Paul. pag. 241.

(145. Quare præcipitur archiepiscopo qui sine dicta facultate absolvit censuratos ex causa extractionis confugiti ab ecclesia, ut reaffigat cedulones contra ipsos. Ead. sac. congr. in Brundusina, 28 Apr. 1671, lib. I decr. Altov., pag. 546.

(146. Sic pariter absolutio concessa ab Eminentissimo legato sine facultate apostolica non suffragatur, et injungitur episcopo, ut denuo absolvat auctoritate sacræ congregationis. Eadem sacr. congr. in Papien., 11 Julii 1676, lib. I, decr. Alt., pag. 1302.

(147. Absolutio obtenta a censuris ex causa violatæ immunitatis vigore brevis Sacræ Pœnitentiariæ non suffragatur in foro exteriori. Ead. sac. cong. in Gravinen., 9 octobr. 1629, lib. II decret. Paul., pag. 8.

(148. Nec absoluti ex causa præfata vigore bullæ Cruciatæ habentur pro bene absolutis a sacra congregatione, et injungitur reaffixio cedulonum. Ead. sac. cong. in Cosentina, 21 Jun. 1672, lib. I decr. Alt., pag. 705.

(149. Absolutio data vigore bullæ Anni Sancti per confessarium a censuris incursis ex causa violatæ immunitatis non suffragatur in foro exteriori. Ead. sacra congr. in Vicana, 27 Aug. 1675. lib. I decret. Altov., p. 1141.

(150. Absolutio vigore jubilæi non suffragatur censuratis, et reaffigi possunt ac debent cedulones. Eadem sac. congr. in Aqui-

Digitized by Google

lana, 17 Decemb. 1630, lib. II decr. Paul., pag. 66; Gravinen., 1 Octobris 1641, lib. III decret. Paul., pag. 157; Hyeracen., 4 Decemb. 1657, lib. decret. Rocci, pag. 47; Aversana, 19 Jul. 1661, d. lib., p. 347; Squillacen., 9 Maii 1702, lib. III decret. Vallem., pag. 420.

(151. Ordinario inferiori concedi non debet facultas absolvendi censuratos ex causa violatæ immunitatis; sed episcopo viciniori. Ead. sacr. cong. in una nullius Meliten., 23 Aug. 1632, lib. II dec. Pauluc., pag. 137 et sæpius alibi.

(152. Absolutio a censuris incursis ob violatam immunitatem non datur, nec dari potest, et data non valet, nisi prius restituto reo et facta satisfactione læsæ ecclesiæ. Arg. c. *Ex litteris* 11, de Constitution.; cap. *Qua fronte* 25, de Appellat., et cap. *Cum desideres* 15, de Sentent. excommunic., et expresse decrevit pluries sac. congr. Immun. et signanter in Lauden., 9 Octobris 1629, his verbis: « Absolutio ab excommunicatione non prodest, nisi secuta restitutione et reintegratione Ecclesiæ. » Sic refert Pignatell., tom. II, consult. 60, num. 38 et similiter in Messanen., 11 Aug. 1638, lib. III decretor. Paul. pag. 68; in Marsicana, 24 Januar. 1645, lib. III decretor. Paul., pag. 253; in Aquen., 18 Februarii 1639, lib. decret. Rocci, pag. 158; in Rossanen., 9 Maii 1662, lib. decret. Rocci, p. 399.

(153. Immunitatem sive libertatem ecclesiasticam publice violantes a Pœnitentiaria apostolica nequeunt absolvi. Bened. XIV, tom. I, const. 95, incip. *Pastor bonus*, § 14.

(154. Immunitate Ecclesiastica non gaudent homicidæ tam laici quam Ecclesiastici, etc. Vide verb. *Homicidæ*, et verb. *Banniti*, et dicta artic. super num. 156.

(155. Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos qui impediunt ne judex ecclesiasticus cognoscat in causis in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam. Benedict. XIV, Instit. Eccl., 40, § 10.

(156. Si quis reus dolose extrahatur ab ecclesia, et extra illam capiatur non per vim aut per salvum conductum, illa dolosa extractio reo non suffragatur, ut ex decreto sacr. congreg., die 22 Dec. 1716, Institut. Eccles., 41, § 9, n. 31.

(157. Quoniam ex facili religiosorum unius ordinis ad alios ordines refugio omnium ordinum disciplina collabitur, idcirco P. procurator ord. S. Augustini Eremitarum Mexicanæ provinciæ, pro hujusmodi abusu compescendo, recursum habuit ad S. P. Clementem XII, a quo instantis supplicatione ad congregationem Episcop. et Regularium remissa, ejusdem congregationis prodiit decretum, a Sanctissimo confirmatum, quo statuitur, aufugientes superioribus sui ordinis esse restituendos, sub conditionibus et cautelis in sequenti expressis.

CLEMENS PAPA XII, ETC.

§ 1. Alias pro parte dilecti filii Ignatii Padilla fratres expresse professi, in sacra theologia Magistri, provinciæ S. Nominis Jesu Mexicanæ, ordinis Eremitarum S. Augustini procuratoris ad specialia negotia missi, nobis expositum fuit, quod in dicta provincia

abusus valde observantiæ regulari præjudiciales, nempe quod aliqui religiosi inquieti et parum observantiæ sui instituti amatores obedientiam, reverentiamque, ac subjectionem suis prælatis debitas parvifacientes ad cœnobia aliorum ordinum, vel Congregationum, aut institutorum, prætextu evadendæ violentiæ et effugiendi rigorem suorum superiorum, confugiant, irrepserant; et licet superiores prædicti a prælatis conventuum ubi prædicti Religiosi confugiunt, petant ut patiantur quod obligatio obediendi propriis superioribus, et sese ad propria cœnobia restituendi intimetur, vel quod illos propriis superioribus tradant, neutrum obtineri solet, protestantes aliorum ordinum, vel congregationum, aut institutorum prælati ubi dicti religiosi confugiunt, eosdem gaudere immunitate refugii, et consequenter a proprio prælato non posse extrahi, requiri, aut notificari, utpote in alieno territorio existentes, neque superiores aliorum ordinum prædictorum debere dictos religiosos confugientes tradere: et in eadem expositione subjuncto, quod dilectus etiam filius Modernus, prior provincialis provinciæ et ordinis prædictorum in angustias positus, ad venerabilem fratrem Modernum, archiepiscopum Mexicanum, illius regni proregem, recursum habere coactus fuerat ut ei auxilium regium impertiretur quo dispersum gregem ad ovile proprii ordinis reducere, et hoc tantum medio relatis præjudiciis occurrere posset. Cum autem minime lateat quod si hæc janua asyli aut refugii religiosis pateat, funditus disciplina regularis ac debita propriis superioribus obedientia corruant, necnon jurgia et discordiæ inter superiores respective ordinum, cum sæcularium scandalo, procul dubio pullent.

§ 2. Porro, ut tot malis occurreremus, per nos declarari summopere desiderabat quod dictis religiosis ad conventus aliorum ordinum, vel congregationum, vel institutorum confugientibus immunitas refugii, seu asyli minime suffragetur, sed a proprio superiori judicialiter ex alieno conventu unusquisque confugientium hujusmodi extrahi, et ad proprium, quocunque privilegio regularibus concesso hac in parte non obstante, reduci possit. Quod si dicti religiosi adhuc rebelles in parendo propriis superioribus ad suum conventum eosdem redeundi jubentibus perseverent, vel dicti superiores eos tituli refugii recipientes, auxilium præstantes propriis superioribus tradere renuerint, utrique pœnas fugitivis, et eorum fautoribus et protectoribus, necnon rebellibus et inobedientibus per hanc Apostolicam Sedem impositas ipso facto, et absque alia declaratione incurrere debeant.

§ 3. Nos supplicem libellum nobis porrectum ad congregationem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. card. negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium præpositam remisimus, a qua emanavit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: « Sacra Congr. eminentiss. et reverentiss. S. R. E. card. negotiis, et consultationibus

Digitized by Google

episcoporum, et regularium præposita ad quam sanctiss. dominus noster supplicem libellum remisit, attenta relatione eminentissimi Firrao præfati ordinis apud sanctam Sedem protectoris, re mature perpensa, decrevit Regulares unius religionis, confugientes ad ecclesias et monasteria alterius religionis, superioribus propriæ religionis, restitui debere a prælatis alterius religionis, ad quorum ecclesias et monasteria confugiunt, præstito tamen ab iisdem superioribus confugientium juramento, et facta obligatione de servanda immunitate ecclesiastica, et de restituendo confugiente præfatis ecclesiis vel monasteriis ad quæ confugerunt, casu quo procedendum sit ad pœnas corporales, carceris perpetui, mortis, et triremium, propter delicta ab ipsis confugientibus commissa; secus, si ipsi superiores procedere deberent ad pœnas ordinarias, et ad correctionem regularem per constitutiones ordinis præscriptas, cujus rei declaratio ad definitorium provinciale, vel ubi illud non fuerit, ad concilium conventus spectabit. Quod si constito Regulares confugientes pœnas duntaxat ordinarias, et per constitutiones ordinis ad correctionem præscriptas promereri, prælati alterius religionis renuant eos propriis superioribus restituere, vel ipsi Regulares ad proprias religiosas domos redire recusent, sacra eadem congregatio utrosque ad instar apostatarum, vel apostatas recipientium, in ex communicationem Summo Pontifici reservatam incursos declaravit. Romæ 5 Septembris 1738. J. Cardinalis Firrao. C. archiepiscopus Damiatæ secretarius. »

§ 4. Cum autem, sicut dictus Ignatius procurator nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum cupiat;

§ 5. Nos ipsum Ignatium procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congr. Cardinalium.

§ 6. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus, etc.

§ 8. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 20 Decembr. 1738, pontific. nostri anno IX.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

In hoc et superiore articulo plura auctor, et quidem fuse, de immunitate locali habet, quæ tamen praxim tantum spectant; quæque ideo ansam nobis præbere videbantur, ut aliqua subnecteremus de ejusmodi immunitatis origine, progressu, satis variis, et præsenti statu. Verum hoc non perfunctorii laboris esset opus, et vix quidem dignum, quod hic subjungeretur. Cui tamen vacat, eaque tenere cupienti adeundus præ cæteris est Mascambronius recentissimus hujus generis scriptor in suo opere, Italice conscripto, cui titulus : *Degli Asili de' Cristiani ragionamento*, ubi capite 4 illud præsertim enodatur, palamque fit : quomodo nimirum asyli jus apprime cum natura, et civili delictorum vindice jure conveniat : quam bene hominum societati prospiciat : et qui fines sacerdotium inter et imperium intercedant.

At ut operi in quo versamur serviamus, e re duximus quatuor hic transcribere regulas, quas idem Mascambronius in fine penultimi capitis statuit ad amputandas ambages illas, ac tricas, quas de trivio scriptores inanibus movent quæstionibus, ibi : « E conciossi acosachè le questioni le quali spettano alla pratica della locale immunità sieno presso che innumerabili, a cagione che molti autori hanno più amato fantasticare, e stillarsi il cervello sulla corteccia delle parole, che consumare utilmente il tempo nell' investigare lo spirito della chiesa, e de' canoni già prescritti sul modello de' libri santi, e delle apostoliche tradizioni, ho io divisato di ridurre a poche regole tutto ciò, ch' é stato dibattuto e messo in controversia sino ad ora dagli altri. Per quello dunque, che concerne le persone, alle quali prestare si dee dal clero ajuto, e rifugio, la prima regola, con cui è da guidarsi tutto il sistema si è, che secondo l'indole primiera della religione gli asili e gli Uffizi di Misericordia non sono da negarsi ad alcuno. Ma giacchè i Sommi Pontefici i quali hanno da Cristo facoltà d' interpretare, ed accomodare eziandio l'eterne leggi, e le più sante istituzioni divine alle varie occasioni ed opportunità, le quali si moltiplicano senza misura, giacchè dico i sommi Pontefici hanno dichiarato, che alcuni delinquenti possono restare esclusi dal beneficio della franchigia, non lice a noi ampliare la significazione delle parole usate da loro nelle bolle, e nelle decretali più di quello, che porta la comune appravazione degli uomini. Facendo altrimenti s'accrescono sempre più le vane contese, e si reca spesse volte non piccolo pregiudizio ad una gran turba di Cristiani, i quali restano esclusi da' luoghi immuni, sol perchè così piacque decidere al capriccio di pochi autori. Così

Digitized by Google

per modo d' esempio quando si dice esser privato della franchigia chi commette omicidio deliberamente, ed a malizia, non sono per questo da escluderne quelli, che presi da tumultuaria passione tolgono altrui la vita. Oltre di che si dee sempre riguardare quella dolce indole del sacerdozio, per cui furono costantemente difesi, ed ajutati, e tolti ancora per forza dalle mani della giustizia tutti gli omicidi generalmente.

« Similmente allorchè si dice esser escluso dal dritto del refugio chi è reo di lesa maestà, offendendo la persona stessa del principe, par tal nome di principe non è da intendersi ogni superiore ma solamente il sovrano, e per nome di delitto di lesa maestà, non si dee prendere ogni trascorso, che si commette contro la volontà del proprio signore, ma quella colpa, con cui o si machina contro la vita di lui, o si tenta d'offendere qualche parte del suo corpo, o di contaminare il suo onore con ingiurie, e villanie, o pur se si faccia congiura co' suoi nemici, e loro si riveli il regio segreto, o finalmente se si concita ribellione, e tumulto, e gli si sollevino contro i sudditi stessi. Questi, che sono delitti di lesa maestà direttamente, e non gli altri, riguardati sono dalla bolla di Gregorio con quelle parole: *Aut læsæ majestatis in personam principis rei*, etc. E per vero dire chi non comprende, che altrimente tutti i colpevoli sarebbero rei di lesa maestà, come quelli, i quali operando contro le leggi, sempre fanno contro la volontà del legislatore?

« L'altra regola è, che discendendo gli asili dalle più sincere massime della carità Cristiana, o si neghino, o si concedano a' colpevoli, non mai però debbe mancare il sacerdozio di usare in verso di loro qualche uffizio di beneficenza, e di misericordia. Per la qual cosa debbono i Vescovi spedire quanto più presto si può il processo de' delinquenti eccetuati, perchè non si accresca sempre più l'odiosità de' laici contro l'ecclesiastica immunità, ma non deono trascurare di farlo maturamente, affinchè sempre abbiano i Cristiani da riguardare ne' loro pastori qualche particella delle antiche misericordievoli consuetudini, e del prisco amore inverso de' refugiti. Anzi non potendo tai colpevoli esclusi dalla franchigia esser privati di ogni uffizio di carità, e di clemenza, i Vescovi allorchè li consegnano al foro laicale, conviene che s' interpongano quanto più possono efficacemente per ottener loro il perdono. Così mancando a' Cristiani il locale rifugio, non mancherà loro almeno il primiero asilo, che fu l'intercessione, e l'amorevole sollecitudine de loro pastori.

« La terza regola è, che essendo indrizzata la locale immunità, non già perchè trionfi, e si dilati impunemente la colpa, ma bensì al correggimento, ed all' emenda de' tristi, si dee perciò attentamente invigilare acciochè colui che si ricovera nelle chiese, non vi entri, e non vi dimori qual se fosse uno scherano, ed un malandrino corredato d' armi, e confio di arroganza, e di fasto, forse più disposto con dannevole esempio ad incendiare lo stesso tempio di Dio, che a riconciliarsi col prossimo, ed a dare qualche contrasegno di pentimento. Questi perversi uomini, a mio credere, e tutti eziandio coloro, che trasportano ne' luoghi immuni contrabbandi, ed illecite mercanzie sarebbero indi da Cristo medesimo, che è il Padre delle misericordie, e che nel tempio giustificò il publicano, discacciati, e mandati via bruttamente, come già fece una volta per nostro esempio. Io non dico già, che contro tai rifuggiti sia da rinnovellarsi l' antico rigore delle pubbliche penitenze, non solamente perchè una tal costumanza non fu giammai comune rispetto ad essi, ma molto più perchè colla natura del rifugio si adatta del pari la pubblica, che la privata penitenza: Dico, però, che a sostenere il fine, per cui introdotti furono gli asili tra' Cristiani, è uopo, che i peccatori facciano almeno sembianza di ricorrervi umili, dimessi, e divoti: Non altrimenti, che non si riceve negli ospedali, se non chi vi si presenta in forma, o di meschino, o d' inferno. Quindi saviamente Gregorio IX, e con esso quasi tutti i migliori canonisti, pronunziò quella bellissima sentenza che non debba giovare il benefizio della legge a quelli che mentre il chieggono, se ne abusano, e peccano contro la stessa legge.

« La quarta regola da osservarsi è, che eccettuati gli oratori, e le private cappelle poste entro le case de' nobili, la franchigia non più conviene ad una chiesa che all' altra. Talchè debbono gli ecclesiastici ajutare, e con coraggio, e con indifferenza tutte le persone, che vi ricorrono. E se alcuni piccioli paesi fossero oltremodo ricchi ed abbondanti di sacri edifizi, non vi si debbe però introdurre alcuna variazione primà di chiederne consiglio, e licenza dalla S. Sede, la quale essendo guidata dal verace spirito di carità, e di prudenza, saprà adoperarci quei rimedî, che più le pareranno opportuni, e per servigio di Dio, e per bene del pubblico. In tal proposito io non so comprendere, come i laici abbiano continuamente molestati i Sommi Pontefici, affinchè restringessero l'immunità a piccol numero di delitti, e non abbianli anzi supplicati, acciocchè rivocando gli asili alla primiera loro condizione, cioè al comune benefizio di tutti, gli avessero collocati, e stabiliti oltre alle case de' Vescovi, alle quali convengono di loro natura, nelle chiese più nobili, come nelle cattedrali, nelle parrocchiali, e nelle insigni collegiate. Anche ciò sarebbe ridondato senza alcun dubbio in molto svantaggio de' dritti del sacerdozio, dal quale furono anticamente veduti i rifugi distesi anche alle croci, che s' impiantavano per le vie, non che a tutte le chiese, le quali non erano in poco numero appo i maggiori, ed infino a lunghissimi spazi fuori delle loro porte, ed alle prossime case, ed a' giardini, ed a' cimiterî, ed a' vicini portici, e bagni; Ma per lo meno non sarebbero stati i Sommi Pontefici costretti malgrado la soave indole loro ora a negare agli uni ora agli altri colpevoli i più sacro-

Digitized by Google

santi di uffizi di misericordia, e di carità. Infino a che però la Santa Sede prenda altri provvedimenti, giammai non sia; che alcuno osi variare sulla gelosissima materia de' sacri rifugi neppure le particolari consuetudini introdotte ne' luoghi intorno alla maggiore, o minore estensione della franchigia fuori de' templi immuni; ma si badi bensì a togliere di mezzo le dissensioni, che nascono talvolta tra il sacerdozio, e l'imperio a cagione o degli orti o de' forni o degli altri profani luoghi, ne' quali, contigui essendo alle chiese, pretendono di rifuggiarsi impunemente i colpevoli. In tal maniera si toglie l' occasione a quei, che scrivono sul modello di Pietro Giannoni di mettere in deriso ciò, che è venerando e sacrosanto per sua natura a cagione degli abusi introdotti, i quali non hanno a fare cosa del mondo colla santa dottrina, et disciplina della chiesa. Finalmente se la civil potestà voglia rispetto agli asili procurarsi vera quieta, e sicurezza di coscienza basterà, che ripensi, e rivolga per l' animo suo, che quando anche il sacro rifugio non discendesse dirittamente dalla dottrina di Cristo, è stato nondimeno mantenuto, e conservato in tutte le chiese per lo lunghissimo spazio di tredici secoli, e che i sacerdoti di tutte le cattoliche provincie hanno sempre avuto in costume di fulminare gravissime pene contro di coloro, i quali hanno tentato di contaminarlo e violarlo, e che i primi dottori della chiesa così Greca, come Latina, lo hanno vigorosamente sostenuto ad onta di tutti; senza ragionare della venerazione con cui è stato riguardato da tanti principi, e dagli imperatori più rinomati, e più santi. E se in così lungo spazio di tempo conservati si sono gli asili a favore di tutti i rei, quando non meno, che ora militavano i soliti pretesti della pubblica quiete, e del mal esempio degli altri, perchè sono eglino da abbolirsi nei giorni nostri con grave disprezzo di tanti canoni ecclesiastici, o di tante censure, e di tanti affaticamenti de' nostri maggiori? »

ARTICULUS IV.

Quoad ea quæ specialiter concernunt immunitatem realem, et personalem, et pœnas eam violantium, ac absolutionem ab eisdem.

(1. Immunitas realis et personalis ea est, et in hoc consistit, quod personæ ecclesiasticæ, et bona cuncta, seu res omnes ad personas ecclesiasticas, vel ad ecclesiam aliquam pertinentes, sint immunes et liberæ, ac exemptæ a jurisdictione cujusvis potestatis et personæ laicalis, atque ab exactionibus, et oneribus quibuscunque. Unde, ut vide, immunitas, qua res ecclesiarum et ecclesiasticorum sunt immunes vocatur *realis*: illa vero qua personæ sunt exemptæ a jurisdictione, et ab oneribus personalibus vocatur *personalis*. Ita in re omnes communiter: Arg. cap. *Non minus* 4, et cap. *Adversus* 7, *de Immunitate ecclesiarum;* cap. *Quia nonnulli* 1, *de Immunitate*, in 6, Clementin. unic. eod. cap. *Quanquam* 4, *de Censibus* in 6, Authent. *Item nulla*, codic. *de Episcop. et cleric.*

(2. Nomine personarum ecclesiasticarum veniunt omnes clerici, tum sæculares, tum regulares utriusque sexus, etiam novitii, et alii enumerati sub verb. *Clericus*, art. 1. a n. 5 ad 18, et art. 2 fere per totum. Vide ibi. (3. Nomine bonorum, seu rerum ecclesiasticarum veniunt omnes ecclesiæ, seu templa ædificata una cum cœmeteriis, item vasa sacra, paramenta, vestes et alia sive consecrata, sive benedicta ad divinum cultum deputata quasi instrumenta. Item bona a piis fidelibus oblata, donata et destinata pro dote, et manutentione ecclesiarum, earumque rectoribus, et ministrorum: Item alia bona ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum patrimonialia. (4. Omnes personæ vere ecclesiasticæ gaudent immunitate personali, indeque liberæ, immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione, et foro cujusvis potestatis et personæ laicalis, tum in causis civilibus ex cap. *Bona quidem* 1, distinct. 96; cap. *in Canonibus* 57, caus. 16, qu. 1; cap. *Ecclesiæ S. Mariæ* 20, *de Constitutionibus*; cap. *Qualiter, et quando* 17, *de Judiciis;* c. *Si delinquenti* 12, *de Foro competenti* et authent. *Statuimus;* cod. *de Episcop. et cleric.* cum similibus. Tum in causis criminalibus, ex cap. *Nemo unquam* 1; cap. *Nullus Judicum* 2; cap. *Relatum* 13, caus. 11, cap. *At si Clerici* 4, *de Judiciis* cum similibus. (5. Sic etiam omnes res ecclesiarum et personarum gaudent immunitate reali; indeque liberæ, et immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione laicali, et ab oneribus et exactionibus quorumcunque laicorum, cap. *Quæ semel* 4, caus. 19, quæst. 3; c. *Ligna* 28, *de Consecrat.*, dist. 1; c. *Non minus* 4, et cap. *Adversus* 7, *de Immunitate eccles.* cap. *Quia nonnulli* 1, *de Immun.* in 6, Clement. unic. eod. c. *Sancitum est* 1, *de Censibus;* cap. *Quanquam* 4, eod. in 6. Authent. *Item nulla;* cod. *de Episcop. et cleric.* l. *Sancimus* 21; cod. *de Sacrosanctis eccles.* Vide verb. *Clericus*, art. 2, et art. 7 per totum ubi late quoad immunitatem et exemptionem.

(6. Immunitas realis et personalis est de Jure divino ut jam probatum est antea art. 1, num. 7, et sub verb. *Clericus*, art. 1, a num. 77 usque ad 85 inclusive, et verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, a num. 16. Vide ibi. (7. Ecclesiastici etiam sponte non possunt solvere exactiones laicales, et laici a sponte dantibus non possunt accipere: Sic expresse statuit Urbanus VIII, constitut. incip. *Romanus pontifex*, § 6, per extensum adducta sub verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, num. 68, ubi declarat illicitas et invalidas, et res itutioni obnoxias exactiones laicales etiam sponte datas, ibi: « Necnon quascunque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas vel alias fructuum partes, aliaque onera, et gravamini quæcunque super ecclesiis, monasteriis, et locis piis, præsertim vacantibus, personis ecclesiasticis, earumque vel eorum bonis seu fructibus; etiam prætextu, vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi,

Digitized by Google

ac quomodolibet per laicos præfatos, et quoscunque alios, alias quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate apostolica impositas, exactasque etiam a sponte dantibus vel contribuentibus. » Et in bulla *Cœnæ Domini*, § 18, expresse excommunicantur laici omnes cujuscunque sint dignitatis et auctoritatis, qui collectas exactiones, aliave onera clericis, aut locis piis eorumque bonis imposita, etiam a sponte dantibus et concedentibus absque speciali et expresse Sedis apostolicæ licentia recipiunt, et ex declaratione sac. congr. Immun. in Volaterrana 18 Septembris 1629 : « Clerus non potest solvere collectas absque incursu censurarum, » sic præcisis verbis refert Pignatell., tom. II, consult. 54, num. 62, qui ibid. sub n. 88, subdit : « Clericus non potest sponte solvere gabellas a laicis impositas. » ead. sacra congr. in Vicentina 15 Junii 1638, et in Adrien. 27 Septembris 1632. Quoad hæc et similia, vid. verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, per tot. et signanter a num. 68, ubi adducitur bulla Urbani VIII incip. *Romanus pontifex*, in qua multa scitu necessaria statuuntur et declarantur, ut ibi videre est ; et num. 69, cum sequent.

(8. Quas pœnas incurrant violatores hujus immunitatis, quinam sint tales violatores et a quo possint vel non ab eisdem pœnis absolvi, jam satis dictum est sub verb. *Bona ecclesiastica*, art. 3, per tot. Unde ne jam scripta rescribantur vide ibi.

NOVISSIMÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(9. In prima hujus Bibliothecæ editione in articulo *Bannitus*, num. 22, impressa est quædam epistola de mandato Pauli V a cardinali Sabellio data ad nuntium regni Neapolitani, eaque reperiri asserebatur in registris sacræ congreg. Episcoporum et regularium negotiis præpositæ fol. 55. Sub fide auctoris hæc ipsa epistola impressa fuit in cæteris, quæ postmodum factæ fuerunt editionibus in eodem artic. *Bannitus* non excepta una, et altera Romana, tum hac postrema Veneta. Sed tandem aliquando animadversum fuit hanc epistolam immane quantum lædere localem immunitatem, atque ideo inquiri cœpit, an ea vera esset nec ne ? Et supposititia fuit deprehensa. In registris enim dictæ sacræ congregationis non ipsa, sed hæc alia epistola fuit reperta, quam ad corrigendum errorem in quem nos traxit auctor e re duximus hic imprimere.

« Avendo nostro signore inteso quello, che V. S. scrive alla congregazione de' Vescovi con sua de' 7. Giugno prossimo circa ai disordini, che nascono per la frequenza di quelli, che confuggono ai luoghi sagri, ed inteso anche il senso di lei, che allargandosi seco la mano col concedergli facoltà di poter far estrarre alcuni più insolenti, si potrà col castigo di pochi dar esempio, e reprimere l'insolenza agli altri ; si contenta la Santità Sua di rimettere in lei, che in alcuni casi più gravi possa, secondo la sua prudenza, dopo l'aver fatta ammonire i Delinquenti, che partano ; se ciò non giova, dar licenza alla Corte secolare di estraerli, persuadendosi Sua Santità, che ella sia per valersi di questa facoltà solo quando conoscerà, che lo scandalo, ed il servizio pubblico lo ricerchi, dando però in ciascuno di detti casi avviso del seguito : E per fine Dio, » etc.

De immunitate reali vide quæ diximus in additione ad verb. *Bona*, art. 2 per tot. ; de personali vero vide dicta n. 5, *Clericus* et *Forum*.

IMPEDIENS.

SUMMARIUM.

1. Impediens aliquem a consecutione boni, ad quod habet jus quæsitum *in re*, vel *ad rem*, peccat graviter contra justitiam, et tenetur proportionate ad restitutionem. — 2. Etiamsi impediat absque vi, fraude, detractione et mendacio.—3. Demonstratur quomodo sit facienda restitutio *proportionata*. — 4, 5. Impediens sine vi, fraude et mendacio aliquem a consecutione boni, ad quod nullum habet jus *in re*, nec *ad rem*, peccat mortaliter, si faciat ex odio, et non tenetur ad restitutionem juxta proportionem spei, probabilitatis, seu certitudinis habitæ illius boni consequendi, si per vim, fraudem et mendacium impediat a consecutione talis boni. — 6. Impediens aliquem a consecutione boni, revelando occultum, attamen verum crimen, peccat graviter, et tenetur ad compensationem, si id non faciat ex juxta causa. — 7. Advocati, procuratores, medici, chirurgi, ludimagistri, tonsores, artifices, mercatores, aliique similes, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos qui alios frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad proportionatam restitutionem. — 8. Non peccant autem contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, etc., sed solum communibus mediis, persuasionis, consilii, precum, etc. — 9. Imo Lugo eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam operam, et officinam trahere eos, qui alios frequentare solebant. — 10. Qui vi, fraude, minis impedit procuratorem, vel advocatum, ne assistant alterius causæ, seu liti, et sic ei impedit victoriam, peccat contra justitiam, et tenetur ad proportionatam restitutionem. — 11. Item tenetur ad restitutionem, qui ex industria aliis negotiis occupat procuratorem alterius, ne possit huic aliquod bonum. — 12. Imo etiamsi procurator esset voluntarius et sponte vellet servire. — 13. Injuste aperiens alterius litteras, ex quibus cognoscit ipsum aliquid pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, et hujusmodi, et postea prævenit, impedit, et sibi tali medio et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad proportionatam restitutionem. — 14. Item peccat contra justitiam, et tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas qui ex justitia tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni. — 15. Impediens bono fine et zelo sine vi, vel fraude, aliquem vere indignum, et ineptum a consecutione cathedræ, officii vel beneficii, etiamsi occulta ejus crimina manifestet, non peccat, nec tenetur ad restitutionem. — 16. Talem autem impediens ex odio vel vindicta, aut cum vi seu fraude, licet non teneatur ad restitutionem, nec peccet contra justitiam, peccat tamen contra charitatem, etc. — 17. Impediens aliquem dignum consecutione cathedræ, officii, vel beneficii, ut cathedra, officium vel beneficium conferatur manifeste digniori, quovis modo impediat, nec peccat,

Digitized by Google

nec teneatur ad restitutionem. — 18. Impediens malo et iniquo affectu digniorem, vel vere dignum quovis modo a consecutione cathedræ, officii vel beneficii, curans conferri manifeste indigno, peccat gravissime, et tenetur ad proportionatam restitutionem. — 19. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus, ne cathedra, officium vel beneficium conferatur uni digno, et occurrens conferri alteri æque digno, non peccat, nec tenetur ad restitutionem; peccat tamen, si id faciat vi et fraude, et hujusmodi. — 20. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus, ne cathedra, officium vel beneficium simplex conferatur digniori, sed digno, non peccat graviter, nec tenetur ad restitutionem. — 21. Peccat tamen graviter, et tenetur ad restitutionem proportionatam, si id faciat per vim, fraudem, etc. — 22. Impediens etiam sine vi et fraude, et a fortiori cum vi et fraude, ne cathedra vel beneficium conferendum per concursum conferatur digniori, peccat gravissime, et tenetur ad restitutionem. — 23. Impediens jurisdictionem episcopi censuris innodatur. — 24. Item impediens ne curia ecclesiastica possit vocare laicos ad comparendum personaliter pro examine. — 25. Item impedientes in exercitio sui muneris ministros curiæ ecclesiasticæ. — 26. Birrnarius impediens fugam sacerdoti, eum detinens per pallium, absolvitur ad cautelam. — 27. Ballivum addictum servitio utriusque curiæ, si quis impediverit, ne inserviat curiæ ecclesiæ, excommunicatur. — 28. Et ubi sufficienter non constat de tali impedimento, sed potius fuerit pro aliquo actuali servitio curiæ laicalis, tunc datur absolutio ad cautelam. — 29. Decretum magistratus sæcularis prohibens, ne prædictus ballivus inserviat curiæ ecclesiasticæ, est abolendum per actum publicum. — 30. Gubernator ballivum curiæ laicalis carcerans, eo quod ei præsentasset præceptum curiæ epi-copalis, excommunicatur. — 31 ad 51. Aliqua de impedimento legitimo.

(1. Impediens aliquem a consecutione boni, ad quod habet jus quæsitum *in re*, vel *ad rem*, peccat graviter contra justitiam, et tenetur proportionate ad restitutionem. *Communis, et certa*, cum S. Thoma 2, 2. q. 62 ad 8; Navar., in Manual., cap. 17, num. 69; Card. de Lugo, disp. 18, sect. 5, num. 8. (2. Etiamsi impediat absque vi, fraude, detractione, mendacio, quia quocunque modo impediat, vere violat justitiam auferendo bonum alterius, vel ad nimirum, ad quod alter jam jus in re, vel ad rem habuit *Communis* cum supracitatis. (3. Dicitur autem notanter teneri ad restitutionem *proportionate*, quia impediens consecutionem boni, ad quod alter jam habet jus perfectum seu *jus in re*, tenetur ad fere totum damnum compensandum, scilicet reddendo, seu restituendo ipsum bonum ei impeditum, v. g.: Beneficium sibi jam collatum, et confirmatum quamvis possessione nondum aditum, aut ejus valorem, detracta tamen æstimatione possessionis nondum habitæ quæ etiam est pretio æstimabilis, quia *jus in re* ante possessionem adhuc periculo subest, ideoque minus valet, quam ipsa res possessa; minus enim valet pecunia, v. g., tibi ablata et restituenda sed nondum restituta, et possessa quam pecunia, tam restituta, et possessa. Impediens autem a consecutione boni, ad quod habet jus imperfectum, *et ad rem* tantum, non tenetur compensare totum damnum, v. g.: totum beneficium promissum, et præsentatum tantum, sed nondum collatum, nec totum valorem ipsius; sed solum partem juxta æstimationem juris, et spei habitæ consequendi illud bonum. *Communis* cum S. Thoma loc. cit., et Scoto in 5, distinct. 15, quæst. 2, art. 4, numer. 40, § *Ad ultima dico similiter*.

(4, 5. Impediens sine vi, fraude et mendacio aliquem a consecutione boni, ad quod nullum habet jus ex justitia, nec *in re* nec *ad rem*, peccat mortaliter, si id faciat ex odio non ex justa causa, et non tenetur ad restitutionem, quia non peccat contra justitiam. *Communis*. Tenetur autem ad restitutionem juxta proportionem spei, probabilitatis, seu certitudinis habitæ illius boni consequendi si, per vim, fraudem et mandacium impediat a consecutione talis boni, v. g., si Titio volenti relinquere hæreditatem, vel legatum Caio, vim quis inferat, ne id faciat vel mendaciis, et falsis criminibus Caii relatis avertat vitium ab hac voluntate, quia licet non habeat jus absolutum ad illud legatum, habet tamen jus absolutum, ne per fraudem et vim impediatur ejus potentia, spes et probabilitas ad illud. *Communis* teste Card. de Lugo, disp. 18, sess. 5, n. 91. (6. Impediens aliquem a consecutione boni, revelando occultum, attamen verum crimen, peccat graviter, et tenetur ad compensationem, si id non faciat ex justa causa, quia non solum peccat contra jus quod ille habebat, ne inique per talem detractionem impediretur a consecutione talis boni. *Communis*.

(7. Advocati, procuratores, medici, chirurgi, tonsores, artifices, ludimagistri, mercatores, aliique similes, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio, curant ad se trahere illos, qui alios frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad restitutionem juxta proportionem boni aliis impediti, et consequenter damni causati, quia tales nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam. *Communis*. (8. Non peccant autem contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, mendacio et criminatione, solis communibus mediis persuasionis, consilii, precum et hujusmodi absque intentione alios offendendi, quia tales utuntur jure suo, quod habent ad alios persuadendos in sui utilitatem, nec alii habent jus strictum ad illos clientes, discipulos, et respective se frequentantes; sicut enim poterant illi sine injustitia sponte sua recedere, sic possunt sine injustitia suaderi. Sanchez, in consil. lib. 1, cap. 3, dub. 3, num. 2; Lugo, disp. 18, num. 109, ubi dicit hanc esse veriorem sententiam, et alii. (9. Imo Lugo, ibid., num. 111, eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam operam et officinam trahere eos, qui alios frequentare solebant, quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno proprio incommodo. Si enim peccarent mortaliter, ut volunt plures cum Sanchez l. c. n. 5. væ, dicit Lugo, væ magistris, et concionatoribus,

Digitized by Google

qui omnibus artibus, et mediis utuntur, ut auditores sibi accumulent etiam cum præjudicio omnium concurrentium; imo tunc majorem æstimant suam gloriam, quando ex schola vel audientia aliorum retrahunt auditores ad suam; quod quidem faciunt et advocati, procuratores, medici, chirurgi, tonsores, artifices, mercatores, aliique similes.

(10. Qui vi, fraude, minis impedit procuratorem, vel advocatum, ne assistat alterius causæ, seu liti, et sic ei impedit victoriam, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem boni impediti, et mali causati. *Omnes.* (11. Item tenetur ad restitutionem, qui ex industria aliis negotiis, v. g., invitando ad venationem, ludum, prandium et hujusmodi, occupat procuratorem alterius, ne possit huic aliquod bonum obtinere, ad quod procurandum tenebatur, vel ex officio, vel ex contractu, quia talis fecit fraudem, per quam est causa damni. (12. Imo etiamsi procurator esset voluntarius, et sponte vellet servire, qui ita tacite, et industrialiter occuparet eum ignarum intentionis suæ, adhuc teneretur restituere, quia adesset fraus; nam invitando ad venationem, ludum, prandium et hujusmodi, aliud significaret et aliud intenderet; fraus autem et dolus nemini patrocinari debent, cap. *Ex litteris* 2, *de Dolo et contumacia;* cap. *Sedis* 13, et cap. *Ex tenore* 16, *de Rescriptis;* cap. *Tuæ* 12, *de Clericis non resident.;* Lugo, loco citat. n. 103· La Croix, lib. III, p. 2, n. 78 et alii.

(13. Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum et hujusmodi, et postea prævenit, impedit et sibi tali medio et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi, quia talis injusta aperitio, et lectio litterarum fuit impeditiva ipsius boni, et causa mali. Lugo, disp. 18, sect. 5, num. 104, et in Respons. moral. lib. v, dub. 10; Lessius, lib. II, cap. 12, a num. 130; Sporer, tom. II, tract. 4, prælimin. ad præcepta secundæ Tabul., cap. 2, sect. 3, num. 205; La Croix, lib. III, part. II, num. 76 et alii. (14. Item peccat contra justitiam, et tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas, quas ex justitia, officio vel contractu tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni; talis enim dolosa litterarum detentio fuit graviter injuriosa, et præjudicialis ei, cui erant directæ. Doctores citati, et alii passim.

(15. Impediens bona fide et zelo, sine vi vel fraude aliquem vere indignum, et ineptum a consecutione cathedræ, et officii vel beneficii, etiamsi vera ejus crimina occulta et ineptitudinem incognitam manifestet collatori, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem : imo est potius laude dignus, et merito, quia maxime interest bono communi reipublicæ, et ecclesiæ cathedras, officia, vel beneficia non conferre indignis et ineptis, et ad illa nullum prorsus jus habent indigni. *Communis, ac certa.* (16. Talem autem impediens ex odio vel vindicta, aut cum vi seu fraude, licet non peccet contra justitiam, et non teneatur ad restitutionem, ex quo indignus, et ineptus nullum prorsus jus habeat ad illa, peccat tamen contra charitatem, vel aliam virtutem juxta suam malam affectionem, et iniquam artem adhibitam. Imo, si talem impediat, infamando injuste apud alios, peccat etiam contra justitiam injusta læsione famæ alterius, et ad hujus restitutionem tenetur, licet non teneatur ad restitutionem pro impedita consecutione cathedræ, officii, vel beneficii propter rationem adductam. *Communis.*

(17. Impediens aliquem dignum a consecutione cathedræ, officii vel beneficii, ut cathedra, officium vel beneficium conferatur manifeste digniori, quovis modo impediat, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem, quia dignus nullum prorsus jus habet respectu dignioris, unde illum impediendo, et hunc promovendo, recte agitur juxta intentionem Ecclesiæ, vel reipublicæ volentis dare cathedras, officia vel beneficia dignioribus, ita exigente justitia distributiva. *Communis.* (18. E contra impediens malo et iniquo affectu digniorem, vel vere dignum quovis modo a consecutione cathedræ, officii, vel beneficii, et curans conferri manifeste indigno, peccat gravissime, et ad restitutionem tenetur ipsi digniori, seu vere digno, juxta proportionem juris, si quod ad ipsa habebat : sin autem ipsi Ecclesiæ, vel reipublicæ pro damnis consecuturis, et primo loco restituere tenetur ipse indignus habens cathedram, officium vel beneficium, secundo loco collator, tertio loco ipse suasor, et promotor seu cooperator. *Communis;* arg. c. *Quia per ambitiosam* 15, *de Rescriptis,* et cap. *Grave nimis* 29, *de Præbend.* (19. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus, et suasionibus ne cathedra, officium, vel beneficium conferatur uni digno, et procurans conferri alteri æque digno, nec peccat, nec tenetur ad restitutionem : si autem id faciat vi, fraude et hujusmodi, licet non teneatur ad restitutionem, ex quo dignus non habeat jus justitiæ supra æque dignum, peccat tamen ob fraudem et vim adhibitam, quia æque dignus gaudet jure, ne malis artibus impediatur. *Communis.*

(20. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus et suasionibus, ne cathedra, officium, vel beneficium simplex conferatur digniori, sed digno, quamvis non desint magni nominis doctores dicentes quod peccet graviter, tamen non esse peccatum mortale conferre beneficia simplicia nullam curam animarum habentia personis dignis omissis dignioribus, tenent plurimi alii a nobis citati, et secuti sub verb. *Beneficia ecclesiastica,* art. 5, num. 28 et seq. cum La Croix, lib. IV, num. 591, cum Rota recentior. p. 10, dec. 262, num. 1 et 2, ubi præcise dicit, quod dignus in beneficiis simplicibus

Digitized by Google

elegi potest omisso digniori: quod si aliud diceremus, omnes fere prælati essent in statu damnationis providentes beneficia simplicia dignis, prætermissis dignioribus, quæ acerbissima profecto esset sententia. Hactenus Rota loc. cit. plurima alia adducens, ut ibi videre est. Attamen ibid., sub num. 8, dicit, quod tutius est etiam beneficia simplicia adjudicare dignioribus. (21. Impediens aut per vim vel fraudem, aut aliam iniquam artem, peccat, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis aut spei, vel probabilitatis, quam habuit dignior consequendi illam cathedram, officium, vel beneficium, quia ille dignior gaudet jure, ne iniquis artibus impediatur. *Communis.*

(22. Impediens etiam sine vi et fraude, et a fortiori cum vi et fraude, ne cathedra, aut beneficium conferendum per concursum et oppositionem, conferatur digniori, peccat gravissime, et tenetur ad restitutionem, seu ei resarciendum damnum judicio prudentis. Colligitur ex cap. *Metropolitano* 19, dist. 63, ex c. *Licet* 15, caus. 2, quæst. 1, ex cap. *Unica, Ut ecclesiastica beneficia*, ex Concil. Tridentin., sess. 24, c. 1 et c. 18, *de Reformat.* et constit. S. Pii V incip. *In conferendis beneficiis*, et ex propositione 47, inter damnatas ab Innocent. XI, die 22 Mart. 1679; et sic tenent Fagnan., lib. II Decretal. in cap. *Mandato* 46, *de Simonia*, num. 29; Navarr., in Manual. cap. 17, n. 74; Lessius, lib. II, cap. 34, dub. 15, num. 75: Lugo disp. 18, sect. 5, num. 107, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia dignior judicatus in concursu habet jus ex lege, uti recte dicit Navarr. cum Lessio loc. cit., num, 72; La Croix, lib. IV, n. 628: intervenit enim quasi contractus inter illos, qui indicunt concursum, et qui concurrunt, ut qui dignior fuerit renuntiatus, consequatur cathedram, seu beneficium; unde impediens digniori talem consecutionem, ad quam habet jam perfectum jus ratione habiti concursus, facit gravem injuriam contra justitiam, et ideo tenetur ei restituere, seu compensare damnum. Vide verb. *Beneficia ecclesiastica*, art. 5, a num. 18 ad 27.

(23. Impediens jurisdictionem episcopi, censuris innodatur: sac. congreg. Immun. in Ugentina 10 Mart. 1699, lib. II decret. Vall., pag. 207. (24. Ob recursum ad judices laicos pro impediendo, ne curia ecclesiastica posset vocare laicos ad comparendum personaliter pro examine ordinarius procedat: ead. sac. congreg. Immun. in una Montis Cassini, 20 Nov. 1696, lib. II decretor. Vallem., pag. 58. (25. Impedientes in exercitio sui muneris ministros curiæ ecclesiasticæ, censuris innodantur; ead. S. cong. Imm. in Asculana in Apulia, 9 Jul. 1695, lib. I decret. Vallem., pag. 196. (26. Birruarius impediens fugam sacerdoti eum detinens per pallium, absolvitur ad cautelam; ead. sac. congreg. Immun. in una S. Agathæ Gothorum 2 Jul. 1698, lib. II decr. Vallem., pag. 225. (27. Ballivum addictum servitio utriusque curiæ, si quis impedierit ne inserviat curiæ ecclesiasticæ, excommunicatur; eadem sac. cong. Immun. in Nucerina, 18 Novemb. 1687, lib. decret. Martelli, pag. 186. (28. Et ubi sufficienter non constet de tali impedimento, sed potius fuerit pro aliquo actuali servitio curiæ laicalis, tunc datur absolutio ad cautelam; *ibidem.* (29. Decretum magistratus sæcularis prohibens, ne prædictus ballivus inserviat curiæ ecclesiasticæ, est abolendum per actum publicum; ead. sac. cong. Immun. in Asculana, 5 Octob. 1688, lib. decretor. Martelli, p. 357. (30. Gubernator ballivum curiæ laicalis carcerans, eo quod ei præsentasset præceptum curiæ episcopalis, excommunicatur; ead. sac. congr. Immun. in Sutrina, 13 Januarii 1703, lib. III decretor. Vallemanni, pag. 468.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(31. De legitimo impedimento frequens est in foro disputatio: abs re igitur haud est de eo paucis disserere.

(32. Legitimum impedimentum non male definitur: « Justa causa alicui obstaculum creans, quominus quod ipsi faciendum incumbebat præstare possit. »

(33. Præstat igitur I. legitimum impedimentum morbus non omnis, sed sonticus tantum; Strik., Disput. juridic. vol. V, disp. 3, cap. 2, num. 3 et 4, qui n. 16 et plur. seq. una tradit., an et quando senectus præstet legitimum impedimentum. (34. Sonticus vero morbus, non solum proprius, sed et conjugis, tum liberorum, legitimum præstat impedimentum; Carpzov., Jurisp. Forens. part. I, constit. 9, defin. 8; Zanger., de Except. part. II, c. 9, n. 13. (35. Nonnunquam et morbus advocati impedimentum legitimum præstat, tunc scilicet cum reus facile alium advocatum, aut procuratorem habere haud possit; Styrk., Disput. juridic. tom. V, cap. 2, num. 10 et sequent.; Langius, in Process. jur. civil. et Saxon. cap. 70, num. 71.

(36. II. Præstat impedimentum legitimum captivitas, et quidem etiamsi culpa præcesserit; Mynsinger. Cent. 4, observ. 57; Rudinger, Centur. 2, observ. 10. (37. Idque extende ad violentam detentionem, et quidem etiamsi a privato ea fiat; Stryk., Disput. juridic. tom. V, disp. 3, c. 2, n. 22.

(38. III. Legitimum præstat impedimentum absentia reipublicæ causa. (39. At num abesse reipublicæ causa dici possint, et sic allegare legitimum impedimentum deputati, qui a civitate municipali, aut castro, aut villa mittuntur, non convenit inter doctores; consule Stryk., Disput. juridic. tom. V, disp. 3, cap. 2, num. 24, et plur. sequent. qui et de eo disputat, an legatio libera præstet impedimentum legitimum.

(40. IV. Militia legitimum impedimentum præstat. (41. Et quod singulare est, etiam milites urbanici legitimum impedimentum allegare valent; Bruneman. ad l. 53, ff. *ex quibus caus. major.*; Stryk., Juridic. dissert. volum. V, disp. 3, cap. 2, num. 32.

(42. V. Præstat legitimum impedimentum peregrinatio, sed non omnis. (43. Tributum, id est peregrinatio studiorum causa, tum causa mercaturæ; Stryk., Disput. jurid.,

Digitized by Google

tom. V, disp. 3, c. 2, n. 38 et plur. sequent.

(44. VI. Locus non tutus præstat impedimentum legitimum; Stryk., Jurid. dissert. vol. V, disp. 3, c. 2, num. 46, qui et exemplis rem illustrat; Coler. de Process. exsecut. part. I, cap. 12, n. 21.

(45. VII. Præstat legitimum impedimentum litis pendentia; Zanger., de Except. 2, art. 2, c. 13, num. 3; Mindan., de Process. lib. III, § 5, n. 11.

(46. Et ut alias causas legitimi impedimenti omittamus, de quibus consuli potest Stryk., Juridic. dissert. volum. V, c. 2, n. 50, ad fin., præstat et illud factum adversarii, vel etiam alterius cujuscunque.

(47. De ratione probandi legitimum impedimentum adi eumdem Stryk., Jurid. dissert. vol. V, c. 3, per tot. (48. Non vero, quoad factum adversarii vel alterius cujuscunque, satis haud esse illud probare, sed probare simul oportet, omnes adhibitas esse diligentias pro ejus remotione, easque nihil profuisse; Decius, consil. 677, numer. 4; Mindan., de Process. lib. II, c. 19, num. 2.

(49. Probato legitimo impedimento, causa restituitur in pristinum statum, in quo erat ante impedimentum, et de novo secundum juris ordinem proceditur. (50. De specialibus vero effectibus legitimi impedimenti pro varietate præsertim causarum ipsius, confer. Stryk., Juridic. dissertat. volum. V, cap. 4, per tot.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(51. Subjicere placet, quæ scribit Conciliati tractatu 9 de septimo Decal. præcepto cap. 5, § 8, num. 6, tom. I, pag. mihi 387, seq. Sunt autem hujusmodi : Titius novus artium liberalium magister, absque mediis injustis procurat modis civilibus divertere discipulos a Sempronii schola, ut ad suam conveniant, et reapse plures eorum ad suam traxit; ad quid tenetur? Si Titius non sit longe præstantior in docendo, quam sit Sempronius, peccat contra justitiam respectu Sempronii; quia cum non sit doctrinæ longe majoris, sed aut circiter æqualis, aut forte inferioris, injuste lædit illius famam, inducendo scholares, ut se eidem præferant; necnon illius justum lucrum, circa quod quoddam jus in re habebat, ne sibi tolleretur, ob æqualem, aut inferioris alterius magistri idoneitatem. Unde Cajetanus, in Summola, verbo *Magistrorum peccata*, dicit : « Quinto, peccant Magistri deviando scholasticos auditores ab aliis doctoribus in damnum ipsorum aut auditorum, et injuriam doctoris; et hoc esset mortale, si sic fieret. » Hæc eminentissimus ille. Si autem Titius reapse esset longe præstantior, et nulla arte injusta uteretur, videtur non peccare, quia neque injuriam faceret Sempronio, ob ipsius idoneitatem longe inferiorem sua : neque discipulis longe melius instituendis. Verum, quia in hoc casu multa sunt consideranda, et quia est casus exemplaris aliorum, idcirco audiendum puto S. Antoninum, qui p. II, tit. 2, cap. 2, § 1, ex Joan. de Rupella hæc profert: « Patet quid dicendum sit de his qui scholares retrahunt et subtrahunt doctoribus, cum quibus audiunt : quia aut hoc faciunt in odium doctorum, vel volentes sibi providere, vel aliis providere, vel volentes scholaribus providere. Si primo modo aut subtrahit scholarem qui jam intrabat scholas, et tunc tenetur doctori ad restitutionem scholaris, sive salarii et honoris sibi subtracti; si etiam doctor cui talis subtrahitur sit melior quam ille cui eum procurat, tenetur tali pro quanto utilitatem scientiæ sibi subtraxit. Si autem nondum scholas intravit, sed intrare disponebat, non tantum tenetur, licet obligetur scholarem inducere, ut redeat ad primum. Si autem hoc facit volendo sibi providere, puta : est doctor et vult sibi de scholaribus providere, si hoc sine fraude facit, et scholares nondum se dedere alicui doctori, non credo eum in aliquo obligari cum cuilibet sit licitum modo licito et debito procurare utilitatem suam, aliter non credo sibi licere. Si autem hoc fecit, volens alii providere, sicut quando scholaris alicujus doctoris subtrahere conatur scholares aliis doctoribus, ut intrent cum doctore, in hoc solum honorem et utilitatem sui doctoris intendens; si subtrahat jam intrantem cum alio doctore, credo ipsum obligari; nisi forte illius doctoris cui subtrahit eum, insufficientia, et scholaris aliqua specialis cura qua sibi tenetur, excuset. Si autem retrahat intrare volentem, cum ex hoc nullum jus doctori sit acquisitum, et hoc facit sine fraude, non credo eum doctori in aliquo obligari; obligatur autem scholari, si eum retrahat ne audiat meliorem. Si autem hoc faciat utilitati scholaris volens consulere, et super hoc a scholari requisitus, consulit, quod audiat alium doctorem meliorem, bene facit : et dicta in his casibus sunt cæteris paribus intelligenda. » Hæc S. archiepiscopus ex laudato Johanne. Ex hac resolutione, quam exemplarem vocavi, inferas quid respondendum sit in similibus casibus, de advocatis, procuratoribus, medicis, artificibus, mercatoribus, etc.; imo et concionatoribus qui abducent alienos clientes, infirmos, eosque qui ab alio emere solent merces, vulgo *avventori*, etc., uti sibi majora lucra et utilitates temporales procurent.

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Vide MATRIMONIUM *quoad impedimenta.*

IMPOTENTIA.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, *art.* 2, *a n.* 29 *ad* 38.

IMPUDICITIA.

Vide verb. LUXURIA *a n.* 70 *usque ad finem.*

Digitized by Google

INCENDIARII.

SUMMARIUM.

1. Incendiarius qui proprie sit et dicatur. — 2. Assignatur pœna incendiarii proprie talis. — 3. Assignatur pœna illius qui sine dolo malo, ex sola negligentia vel imprudentia, cum aliqua tamen culpa, sive lata, sive levi, sive levissima, incendium causavit. — 4. Talis incendiarius non tenetur ad restitutionem in foro interno ante sententiam judicis, nisi ex sua culpa lata theologica graviter peccaminosa sit causatum incendium, seu damnum. — 5. Incendium mere fortuitum sine ullius culpa ortum in nullo foro obligat ad restitutionem, nec ullam pœnam in aliquem inducit. — 6. De jure canonico incendiarii ecclesiarum et locorum piorum, seu ipsis ad triginta passus contiguorum, incurrunt excommunicationem ipso facto. — 7. Tales incendiarii, antequam per sententiam Ecclesiæ sint publice, et nominatim denuntiati, possunt absolvi ab episcopo. — 8. Postquam autem sunt publice, et nominatim denuntiati, a solo Papa possunt absolvi. — 9. Incendiarii rerum profanarum, seu locorum non sacrorum, eorumque fautores, non incurrunt excommunicationem ipso facto seu latæ sententiæ, sed solum sententiæ ferendæ. — 10. Incendiarii qui dolo malo id faciunt nequeunt absolvi, nisi damna causata resarciant, et jurent se non amplius id facturos. — 11. Incendiarii, si impœnitentes decedant, privari debent ecclesiastica sepultura. — 12. Si autem, ante mortem pœnitentes, fuerint ab excommunicatione absoluti, possunt in loco sacro sepeliri, et eorum hæredes tenentur ad reparationem damnorum ex incendio causatorum. — 13. Quando nescitur unde incendium sit exortum, præsumitur exortum culpa inhabitantium. — 14. Tamen inhabitantes ad damna inde secuta resarcienda etiam in foro externo non obligantur, nisi culpa alicujus in specie et determinate rationabiliter præsumatur. — 15. Qui adhibitis debitis cautelis in agro suo ignem accendit ut stipulas vel spinas comburat, si ex improvisa ventorum vi ignis ulterius egrediatur, et damna aliis causet, non tenetur ad restitutionem. — 16. Incendiarii, quando non sunt depopulatores agrorum, gaudent immunitate ecclesiastica.

(1. Incendiarius proprie loquendo est qui dolo malo, ex odio, vel vindicta, vel alicujus commodi, aut lucri consequendi gratia, civitatem, oppidum, pagum, prædium, ædes, vel alia bona aliena, ut segetes, acervos frugum, feni, lignorum, silvam, et hujusmodi, supposito igne incendit, vel ad hoc mandatum, auxilium vel consilium scienter dat. Est in re *communis*. Argum. c. *Pessimam*, 32, caus. 23, qu. 8, cap. *Si quis domum*, 6, de injuriis, et leg. *Qui ædes*, ff. de Incendio et ruina, cum similibus. (2. Pœna incendiarii dolo mala, data opera, ut supra, incendium causantis de jure civili habetur statuta, ut sequitur, in l. *Qui ædes*, ff. de Incendio et ruina, ibi. «Qui ædes acervumve frumenti juxta domum positum combusserit vinctus et verberatus, igne necari jubetur; » item in. l. fin., ff. de incendio, et ruina, sic statuitur: « Qui data opera in civitate incendium fecerint, si humiliori loco sint, bestiis objici solent; si aliquo gradu id fecerint, capite puniuntur, aut certe in insulam deportantur. » Ubi Glossa in fin. addit, « ut igne crementur. » Idem in l. *Capitalium* 28, § 12, ff. de Pœnis, ita habetur : « Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias vel prædæ causa incenderunt quid intra oppidum, et plerumque vivi exuruntur, qui vero casam aut villam aliquando levius; » et ut statuit Carolus V in sua constitutione, ar. 126, « incendiarii dolose omnes indistincte debent vivi igne comburi. »

(3. Qui autem sine dolo malo, ex sola negligentia vel imprudentia, cum culpa tamen sive lata, sive levi, sive levissima, incendium causavit, non tenetur ad pœnam ordinariam, sed de jure civili tenetur ad resarciendum damnum illatum, et ad aliam mitiorem pœnam arbitrio judicis imponendam. Arg. leg. *Qui ædes*, 9, ff. de Incendio et ruina: leg. *Capitalium*, 28, § 12, de Pœnis, § *Incendiarii*, vers. *Nam fortuita*, juncta Glossa, verb. *Juctura*, l. 1, § 1, ff. de Effract. Farinac., in Praxi criminali, q. 110, num. 10; Reiffenstuel, lib. v. dec., tit. 17, num. 28 et sequent.; Pirhing, ibid., num. 48, et alii passim. (4. Ad talem vero restitutionem non tenetur in foro interno ante sententiam judicis, nisi ex sua culpa lata theologica graviter peccaminosa sit causatum incendium seu damnum; culpa enim juridica levis vel levissima non obligat in foro interno ad reparationem damni ante sententiam judicis. Lugo, disp. 8, de Jure et Just., sect. 3, num. 46, et sect. 4, num. 54; Lessius, lib. II, cap. 7, numer. 44; Reiffenstuel, loc. citat., num. 3, et tit. 36, num. 43, et alii, communius et probabilius. (5. Incendium mere fortuitum sine ullius culpa ortum, in nullo foro obligat ad restitutionem nec ullam pœnam in aliquem inducit. Leg. *Si fortuito*, 11, ff. de incendio et ruina; l. *Si quis*, 9, § 3, ff. Locati, et l. *Ex conducto*, 15, § 2 et 3, ff. eodem.

(6. De jure canonico incendiarii ecclesiarum aliorumque locorum sacrorum, et locorum ipsis ad triginta passus contiguorum, juxta cap. *Definivit* 35, caus. 17, q. 4, si dolo malo id faciant, sunt ipso jure seu facto excommunicati. Arg. cap. *Canonica*, 107, caus. 11, q. 3, cap. *Omnes Ecclesiæ* 5, caus. 17, q. 4; cap. *Si quis*, 31, q. 33, n. 8. (7. Tales incendiarii antequam per Ecclesiæ sententiam sint publice et nominatim denuntiati, possunt absolvi ab episcopo. Hostiens, in Summa Rub. de incendiariis, tit. 17, n. 9; Silvester, verb. *Incendiarius*, q. 1, num. 2; Pirhing, lib. v Decret., tit. 17, n. 4; Reiffenstuel, ibidem, n. 35. (8. Postquam autem sunt publice et nominatim denuntiati, a solo Papa possunt absolvi ab ipsa excommunicatione, textu clarissimo in cap. *Tuas nos*, 19, de Sentent. Excomm., ibi : « Incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi. » (9. Incendiarii rerum profanarum seu locorum non sacrorum, sicuti, et mandantes, et qui auxilium vel consilium dolo malo eis dederint, incurrunt excommunicationem solum sententiæ ferendæ, non autem latæ, aut ipso facto, textu expresso in cap. *Si quis*, 31; et cap. *Pessimam*, 32, caus. 23, q. 8.

(10. Incendiarii qui dolo malo id faciunt nequeunt absolvi, nisi damna causata resarciant, et jurent se non amplius id facturos,

Digitized by Google

textu expresso in cit. cap. *Pessimam*, 32, caus. 23, q. 8, ubi de incendiario sic statuitur : « Nec absolvatur, nisi prius damno cui id intulit, secundum facultatem suam, resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum. » (11. Incendiarii, si impœnitentes decedant, privari debent ecclesiastica sepultura, textu expresso in cit. cap. *Pessimam*, ibi. « Et si mortuus fuerit incendiarius Christianorum careat sepultura. » (12. Si autem, ante mortem pœnitentes, fuerint ab excommunicatione absoluti, possunt in loco sacro sepeliri. At si ab ipsis non fuit facta reparatio damnorum ex incendio causatorum, tenentur ipsorum hæredes, et ad id compelli possunt, textu clarissimo in capit. *In litteris*, 5, de Raptoribus Incendiariis, etc.

(13. Quando nescitur unde incendium sit exortum, præsumitur exortum culpa inhabitantium, cum ædium incendia plerumque aliqua, si non lata, saltem levi, vel levissima culpa et negligentia inhabitantium oriantur l. *Nam salutem*, 3, § 1, ff. de Offic. præf. Vigil., ibi : « Plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium. » (14. Tamen inhabitantes ad damna inde secuta resarcienda etiam in foro externo non obligantur, nisi culpa alicujus in specie et determinate rationabiliter præsumatur. Farinac., in Prax. Crim., qu. 110, num. 93; Gailus, Practic. observ., l. II, observ. 21, num. 3; Alexander, consil. 50, n. 9 ; Reiffenstuel, loc. cit., num. 38, et communis aliorum. Et ratio est, quia incendium non probata culpa certi hominis, inter casus fortuitos numeratur. Gailus, l. c., arg. l. *Incendium*, Cod., Si certum petatur. Tum quia non præsumitur dolo alicujus certi factum tale incendium, quia dolus nunquam præsumitur. Leg. *Merito*, 51, ff. Pro socio; sed claris indiciis probari debet. L. *Dolum*, 7, Cod. de Dolo malo, ibi : « Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit. » Probatio enim debet esse certa, alias nihil valet, cap. *In præsentia*, 8, de Probationibus.

(15. Incendium dicitur casus fortuitus in eo qui in agro suo ignem accendit, ut stipulas, vel spinas comburat, ut facilius arare et serere possit, seu ut agrum impinguet et fecundet. Si exposta orta tempestate, et ventorum vi ulterius egrediatur, et fundo vicini damnum faciat, tunc enim is qui ignem sic in suo agro accendit non tenetur de tali incendio et damno, tanquam de casu fortuito, dummodo tamen adhibuerit diligentiam circa tempus, circa locum, et alias circumstantias, ne ignis longius egrederetur. Marian., in c. *Si quis domos*, num. 13, de Injur. et damn. dat.; Angelus, de Malefic. in verb. *Incendiario*, num. 9, ad med.; Rubeus, de Igne, n. 6; Farinac., in tit. de variis et divers. Crim., q. 110, n. 142 et 151 ; Panimoll., decis. 55, num. 19 et 20, Joseph et Ludovic; dec. Perusin. 21, num. 21, part. 1; Salicet, Cons. crim. diversor. 31, num. 2, vers. *vel etiam si subita vi*, lib. 1. in parvis; Cephal., consil. 362, numer. 22; Cepol. de Servit. rustic. prædior., cap. 44, et alii passim.

(16. Incendiarii, quando non sunt depopulatores agrorum, gaudent immunitate ecclesiastica seu asyli. Farinac., de Immunitate Eccles., cap. 6, num. 105; Diana, Resol. Moral. p. 7, tract. 1, de Immun. Eccles., resolut. 16, vers. *Sed hæc opinio;* Panimol., decis. 89, num. 27; Bonacina, et alii passim. Hoc enim crimen excipitur in bulla Gregorii XIV incipien. *Cum alias*, necnon in bulla Bened. XIII incip. *Ex quo*. Quamvis enim hoc crimen sit simile depopulationi agrorum, tamen, cum non sit idem, sed diversum, illius criminis exceptio firmat regulam in hoc alio casu non excepto, Arg. l. *In iis quæ*, ff. de Legibus. Unde ipsamet sacra congregatio Immunitatis decrevit, ut sequitur : « Gaudent immunitate mulieres detentæ in hospitali dedita opera incendiariæ ipsius hospitalis, et ideo una ex eis carcerata in dicto hospitali, est eidem loco restituenda. Et vicarius mandans, superior hospitalis consulens, ac birruarii exsequentes carcerationem, consulant conscientiæ suæ. » Sacr. congregat. Immunit. in Ferrarien., 13 Maii 1692, lib. Decret. Grimald., pag. 129.

INCENSATIO.

Vide verb. Thurific. *per totum.*

INCESTUS.

Incestuosum matrimonium quomodo, et quando in radice sanari possit, et incestuosa proles quomodo legitimetur. Vide in tom. III, *verb.* Filius. *Alia ad rem vide verb.* Luxuria *a n.* 12 *ad* 20, *et verb.* Poena, *art.* 2, *a n.* 138 *ad* 144.

INCORRIGIBILIS.

SUMMARIUM.

1. Requiritur sententia judicis ecclesiastici super incorrigibilitate clerici, ut tradi possit curiæ sæcu-lari. — 2. Incorrigibilis ejectus a religione gaudet privilegio fori. — 3 ad 5. De extractione incorrigibilis a loco immuni.

(1. Requiritur sententia declaratoria judicis ecclesiastici super incorrigibili ate clerici, antequam possit consignari curiæ laicæ. Sacr. cong. Immunit. in Hieracen., 26. Aug. 1636, lib. III decr. Paulue., pag. 12.

(2. Ejectus a religione tanquam incorrigibilis gaudet privilegio fori juxta decretum editum de ordine Urbani VIII de Regularibus Apostatis et Ejectis. Sac. congreg. Immun. in Nolana, 11 Maii 1660., lib. decr. Rocci, pag. 253.

(3. Conceditur facultas extrahendi incorrigibilem et induratum in suis iniquitatibus existentem in loco immuni, et retinendi in

Digitized by Google

carceribus ecclesiasticis ad correctionem usque ad novum ordinem. Ead. sacr. congr. Immun. in Sarzan., 20 Septemb. 1667, lib. I. decr. Altov., p. 162.

(4. Datur facultas extrahendi clericos incorrigibiles et vitæ scandalosæ, et retinendi in carceribus ad correctionem. Eadem sac. congr. Immun. in Lycien., 18 Junii 1669, lib. I decr. Altov., pag. 368; in Lauretana, 2 Martii 1677, lib. II decret. Altov., pag. 1357; in Asculana, 31 Aug. 1677, ibi, pag. 149; in Terracinen., 13 August. 1678, ibi, pag. 1627.

(5. Sacerdos vulnerans propriam concubinam et dans signa incorrigibilitatis extrahitur cum facultate sacræ congregat., et retinetur in carceribus ad correctionem. Ead. sac. cong. Immun. in Bituntina, 11 Jul. 1666, lib. decr. Altov., pag. 1276.

Alia, vide verb. *Ejecti*, per tot.

INDIA, INDI.

SUMMARIUM.

Statuta aliqua SS. Pontificum pro Indiarum regionibus.

(1. In Indiarum regionibus Hispaniæ regi subjectis permittitur esus carnium diebus Sabbati per annum Bened. XIV, tom. I. Const. 128, incip. *Jampridem*. (2. Indos Paraquariæ, et Brasiliæ in servitutem redigere prohibetur. Id. Const. 36, incip. *Immensa*.

(3. In Indiis maris Oceani S. Pius V indulserat ut animarum cura a regularibus exerceretur independenter ab ordinariis. Idem tom. II, Const. 1, incip. *Quamvis ad confirmandum*. Idque a Gregorio XIV confirmatum fuit. Idem, ibid., sed non constat privilegium executioni demandatum fuisse. Idem, ibid. (4. Innocentius autem X illud declaravit procedere in locis in quibus esset defectus parochorum. Idem ibidem.

(5. In Indiis regulares ad curam animarum non admittuntur, nisi cum examine et approbatione episcoporum. Idem, ibid. (6. In Indiis tam Orientalibus quam Occidentalibus, servari jubentur decreta Concilii Tridentini de jurisdictione episcoporum in omnes animarum curam exercentes. Idem, ibid.

INDIGNUS PRO PRÆLATURIS.

Vide verb. Abbatissa *n.* 49, *et verb.* Electio, *art.* 4, *n.* 40 *et seq.*

INDULGENTIA.

SUMMARIUM.

Articulus I. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus naturam, antiquitatem, et divisionem.*

1. Indulgentiæ nomen quod a verbo *indulgeo* derivatur, sumitur duobus præcipue modis, qui assignantur. — 2. Indulgentia quid sit. — 3. Indulgentiæ descriptio explicatur. — 4. Datur thesaurus ecclesiasticus, et describitur. — 5. Thesaurus Ecclesiæ constat ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis, et ex meritis B. Mariæ Virginis, et omnium sanctorum. — 6. Thesaurus Ecclesiæ ubi repositus sit et existat. — 7. Indulgentiarum usus est antiquissimus. — 8. Indulgentia dividitur in plenariam et partialem, et quæ sit utraq. — 9. Indulgentia plena, plenior et plenissima, quoad effectum non differunt. — 10. Potest tamen inter ipsos notari aliquid discrimen, si non quoad effectum, saltem quoad specialia privilegia et annexas facultates. — 11. Quid intelligatur per indulgentiam concessam instar jubilæi, in forma jubilæi et per modum jubilæi. — 12. Indulgentia partialis quid sit. — 13. Indulgentia partialis, alia vocatur Quarena, Quadragena, Quarantena; alia vocatur Septena. Alia vocatur Carena, et quid per ipsas omnes intelligatur. — 14. Alia vocatur centum dierum, centum annorum, mille annorum, centum mille annorum, biscentum mille, seu tercentum mille annorum, et hujusmodi. — 15. Alia vocatur indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, et quid sit. — 16. Indulgentia partialis concessa cum plenaria quomodo debeat intelligi. — 17. Indulgentia, alia est perpetua, alia temporalis, et alia indefinita, et qualis sit quælibet. — 18. Indulgentia insuper, alia est localis, alia realis, et alia personalis, et qualis sit quælibet. — 19. Afferuntur aliqua notanda circa indulgentiam localem. — 20. Afferuntur aliqua notanda circa indulgentiam realem.

Articulus II. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt auctoritatem eam concedendi, personas quæ possunt eam concedere et lucrari, et requisita ad ipsam.*

1. Est de fide dari in Ecclesia Catholica auctoritatem concedendi indulgentias. — 2. Summus Pontifex potest de jure divino concedere quibusvis fidelibus indulgentias, tum plenarias tum partiales, tum perpetua, tum temporales, tum locales, reales, et personales. — 3. Papa potest concedere tales indulgentias, etiam ante suam consecrationem. — 4. Papa solus potest concedere quibusvis fidelibus, sive vivis, sive defunctis, quaslibet indulgentias. Nec id potest sine Papa concilium Generale. — 5. Inferiores Papa, ut cardinales, legati, nuntii, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, non habent potestatem concedendi indulgentias jure divino, sed solum ecclesiastico. — 6. Supradicti inferiores Papa habent limitatam facultatem concedendi indulgentias. — 7. Assignantur indulgentiæ quas possunt concedere episcopi. — 8. Tales indulgentias possunt episcopi concedere etiam in perpetuum. — 9. Tales indulgentias possunt episcopi concedere etiam non consecrati aut ordinati, dummodo sint electi et confirmati. — 10. Episcopi possunt concedere indulgentias pro suis tantum subditis, licet extra diœcesim existentibus, et tantum per modum absolutionis, adeoque solis vivis. — 11. Episcopi possunt concedere indulgentias etiam religiosis et locis exemptis. — 12. Episcopi possunt facultatem concedendi indulgentias aliis delegare non solum sacerdotibus, sed etiam clericis. — 13. Hanc tamen facultatem non possunt episcopi delegare laicis. — 14. Episcopi excommunicati, denuntiati, seu vitandi, non possunt indulgentias concedere. — 15. Episcopi valide concedunt indulgentias, quamvis in peccato mortali existant. — 16. Archiepiscopi, primates, et patriarchæ possunt in suis diœcesibus indulgentias quas concedere possunt Episcopi in suis, et insuper in tota sua provincia. — 17. Et quidem id possunt etiam

Digitized by Google

extra tempus visitationis. — 18. Etiamsi tales indulgentiæ fuerint jam concessæ a suis respective episcopis, possunt adhuc similes conferre archiepiscopi, seu primates, et patriarchæ. — 19. Imo, secundum multos, archiepiscopi, primates, et patriarchæ possunt concedere indulg. 80. dierum, ubi epis. solum 40. — 20. Episcopi seu archiepiscopi coadjutores nequeunt per se concedere indulgentias. — 21. Neque eas concedere possunt episc. seu archiepisc. titulares. — 22. Nuntii et legati apostolici quas indulg. concedere possint. — 23. Cardinales quas indulgentias concedere possint. — 24. Summus pœnitentiarius quas indulgentias concedere possit — 25. Si supradicti inferiores Papa concedere indulgentias excedentes facultatem sibi competentem, licet tales indulgentiæ non valeant quoad excessum, valent tamen quoad partem non excedentem. — 26. Prælati episcopo inferiores nequeunt concedere indulgentias jure proprio et ordinario. — 27. Prælati regulares nequeunt jure proprio et ordinario concedere indulgentias suis subditis. — 28. Possunt tamen jure delegato et ex speciali concessione. — 29. Vicarius generalis de jure sine speciali commissione non potest indulgentias concedere. — 30. Capitulum, seu vicarius capitularis, Sede vacante, nequit indulgentias concedere. — 31. Solus Papa potest concedere indulg. pro defunctis applicandas. — 32. Non potest tamen Papa tot et tantas concedere indulgentias defunctis applicandas, ut totum purgatorium evacuet. — 33. Ut valide concedatur indulgentia etiam a Papa, requiritur ultra legitimam potestatem, etiam justa et rationabilis causa. — 34. Imo causa concedendi indulgentiam non solum debet esse justa et rationabilis, sed etiam spectatis omnibus circumstantiis proportionata. — 35. In aliquibus circumstantiis sufficit una causa pro concedenda indulgentia, quæ non suffecisset in alia. — 36. Si causa non sit sufficiens pro indulgentia plenaria, erit saltem sufficiens pro non plenaria, etc. — 37. Indulgentias lucrari possunt omnes baptizati rationis capaces et debitores pœnarum temporalium. — 38. Catechumeni tam vivi quam defuncti, secundum multos, sunt capaces indulgentiarum saltem per modum suffragii. — 39. Alii tamen sustinent contrarium. — 40. Indulgentias lucrari possunt etiam qui illas concesserunt. — 41. Assignantur conditiones requisitæ ad lucrandas indulgentias. — 42 ad 44. Aliæ conditiones pro lucrandis indulgentiis. — 45 et 46. Indulgentia plenaria in certos dies concessa semel duntaxat in die lucrari potest. — 47. Addendum est hoc aliud decretum ejusd. sac. congr. in declarationem præced. emanatum. — 48 et 49. Decreta Clementis XIV et Pii VI.

ARTICULUS III. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus effectus et tempus acquirendi, tam pro vivis quam pro defunctis.*

1. Effectus indulgentiæ non est remittere peccatum. — 2. Effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis, residuæ et restantis. — 3. Pœna temporalis relicta et restans ex peccatis condonatis luenda ab homine, est duplex, et assignatur. — 4. Indulgentiæ plenariæ effectus est remittere omnem pœnam debitam in foro sacramentali, seu liberari totaliter pœnitentem ab obligatione implendi quamlibet pœnitentiam etiam medicinalem sibi impositam a confessario. — 5. Afferentur probationes. — 6. Affertur, et solvitur instantia. — 7. Affertur, solvitur alia instantia. — 8. In praxi decet quod confessarius imponat pœnitentiam saltem *medicinalem* et *præservativam*, et eam pœnitens admittat. — 9. Indulgentiæ plenariæ effectus est etiam remittere omnem pœnam debitam foro Dei. — 10. Affertur et solvitur instantia. — 11. Hactenus dicta de effectu indulgentiæ plenariæ sunt proportionaliter et suo modo applicanda etiam indulgentiæ partiali. — 12. Effectus cujuscunque indulgentiæ non est remittere pœnam debitam pro peccato veniali nondum remisso. — 13. Indulgentiæ possunt a Summo Pontifice concedi et applicari etiam defunctis in purgatorio detentis. — 14. Solum tamen per modum suffragii, seu piæ solutionis, et exhibitæ satisfactionis. — 15. Quomodo differat indulgentia per modum absolutionis ab indulgentia per modum suffragii. — 16. Indulgentiæ pro defunctis rite concessæ et acquisitæ secundum ordinariam Dei legem prosunt certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus applicatur. — 17. Afferuntur rationes. — 18. Affertur et solvitur instantia. — 19. Affertur et solvitur alia instantia. — 20. Plures animæ remanent adhuc in purgatorio non obstantibus indulgentiis plenariis pro ipsis applicatis et a Deo acceptatis, quia descenderunt in purgatorium cum peccatis venialibus nondum quoad culpam dimissis. — 21. Ut quis lucretur indulgentias pro defunctis non requiritur quod sit in gratia. — 22. Aliqui sentiunt contrarium. — 23. Indulgentia concessa pro vivis non potest etiam defunctis applicari nisi in concessione exprimatur. — 24. Sic etiam indulgentia concessa per Papam alicui capellæ pro defunctis non extenditur ad vivos. — 25. Indulgentia concessa per Papam, ut possit quis eam lucrari pro se vel pro defunctis, non potest applicari pro se et defunctis simul. — 26. Indulgentiæ effectus potest sæpius obtineri, si sæpius opus injunctum peragatur, quando indulgentia est perpetua, et absque temporis determinatione concessa. — 27. Secus autem est dicendum quando indulgentia est concessa pro tempore determinato. — 28. Uno et eodem opere nequeunt diversæ et plures indulgentiæ obtineri, nisi forsan illæ essent per modum. — 29. Sic cum visitantibus certam ecclesiam conceduntur, v. g. indulgentiæ omnium ecclesiarum Urbis, possunt omnes illæ indulgentiæ obtineri unica sola visitatione. — 30. Per unicam solam confessionem et communionem potest quis lucrari plures indulgentias eodem die diversis ecclesiis concessas. — 31. Imo idem dicendum est, licet secunda indulgentia non eodem die sed sequenti vel intra debitam distantiam occurrat, dummodo perseveret in statu gratiæ. — 32. Quantum se extendat ly, *vel intra debitam distantiam*. — 33. Quando Papa concedit indulgentiam vere pœnitentibus et confessis, non est necessarium ad acquirendam talem indulgentiam facere confessionem die vel tempore quo indulgentia est lucrifacienda, sed satis est quod sint in gratia. — 34. Imo neque requiritur confessio venialium, nisi in concessione indulgentiæ expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. — 35. Est autem necessaria confessio actualis, nec sufficit contritio ad lucrandam indulgentiam, quando in bulla concedente indulgentiam requiritur confessio et lucraturus indulgentiam habet peccatum mortale. — 36 Quando vero in concessione indulgentiæ non expresse præscribitur confessio, sufficit ut lucraturus indulgentiam sit in gratia sanctificante per contritionem perfectam. — 37. Tempus lucrandi indulgentias in festis (nisi aliud in bulla concessionis caveatur) communiter nunc incipit a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei. — 38. Per primas vesperas quale tempus intelligatur in festis extra Quadragesimam. — 39. Et quale intelligatur in festis intra Quadragesimam. — 40. In feriis et non festis diebus, tam in Quadragesima quam extra Quadragesimam tempus lucrandi indulgentias incipit a nocte intempesta usque ad alteram noctem intempestam. — 41. Per solis occasum quale tempus intelligatur. — 42. Quando in brevi indulgentiarum ponitur hæc clausula *Præsentibus ad septennium tantum valituris*, hoc septennium incipit currere non a die publicationis, sed a die datæ brevis Romæ. — 43. Quando in brevi ponitur clausula *Præsentibus ad septem annos proximos, seu ad septennium proximum valituris*, debet inter ipsos annos computari et nume

Digitized by Google

rari etiam annus jubilæi, si intra id temporis occurrat; secus autem si dicatur simpliciter ad septennium seu ad septem annos. — 44. Clausula in brevi solita apponi, *dummodo in ecclesia tot missæ quotidie celebrentur*, quomodo debeat intelligi, ad n. 45. — 46. Clausula : *Volumus autem ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint*, quomodo debeat intelligi. *Remissive.* — 47. Missæ celebratæ de festo currente in altaribus privilegiatis, in diebus quibus non licet missas de requiem celebrare, habent eamdem vim et easdem indulgentias perinde ac si essent celebratæ missæ de requiem seu defunctorum. — 48. Translato festo in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam ipsa indulgentia, nisi ex concessione speciali. — 49. Indulgentia tandiu durat quandiu vult qui eam concessit. — 50. Indulgentia simpliciter et absolute concessa seu sine appositione determinati temporis durat perpetuo. — 51. Nec perit indulgentia morte concedentis, nisi in ipsa concessione ponatur explicite vel implicite iste terminus. — 52. Indulgentia concessa *usque ad beneplacitum concedentis* non est perpetua, seu perit morte ipsius concedentis. — 53. Indulgentia autem concessa *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ aut interim dum Sedes Apostolica voluerit*, non expirat morte Papæ concedentis. — 54. Indulgentia non cessat, quamvis cessat causa propter quam concessa fuit.

ARTICULUS IV.—*Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias revocatas et apocryphas, aliasque non tales, de stationibus Urbis ac variis declarationibus.*

1. Omnis indulgentia potest revocari a suo concedente, vel ejus successore, aut superiore, antequam suum sortiatur effectum. — 2. Ad hoc, ut indulgentia censeatur revocata, debet sufficienter promulgari ejus revocatio. — 3. Quando revocantur indulgentiæ alicujus ecclesiæ aut ordinis, non censentur revocatæ indulgentiæ alteri loco aut ordini instar earum concessæ. — 4. Imo, revocatis indulgentiis omnibus quæ alicui ecclesiæ sunt concessæ, non censentur revocatæ illæ quas habet unum alterumve illius ecclesiæ altare privilegiatum. — 5. Assignantur indulgentiæ revocatæ a S. Pio V. — 6. Assignantur indulgentiæ revocatæ a Paulo V. — 7. Affertur ad hoc integra ejus constitutio alias indulgentias concedens. — 8. Assignantur variæ indulgentiæ quæ non censentur revocatæ a Paulo V. — 9. Fratres Minores de corpore Observantiæ lucrantur indulgentiam plenariam obeundo spiritualia exercitia solum per octo dies. — 10. Regulares infirmitate, aut itinere, aut undequaque vere impediti, nec possunt ecclesiam propriam adire ad recitandas preces injunctas pro consecutione cujuscunque indulgentiæ, possunt illas ubi libet recitare. — 11. Provinciales Societatis Jesu aliique prælati regulares in actu visitationis conventuum largiuntur indulgentiam plenariam etiam absque comprecatione seu institutione 40 horarum. — 12. Regulares, non obstantibus revocatione facta a Paulo V, possunt consequi omnes indulgentias quas consequi possunt sæculares. — 13. Indulgentiæ ipsis regularibus concessæ et a Paulo V revocatæ non sunt censendæ hodie revalidatæ. — 14. Innocentius XI plurimas indulgentias, ut falsas, conflictas, apocryphasque declaravit. — 15. Affertur ad hoc per extensum decretum. — 16. Regulares per visitationem suarum respective ecclesiarum possunt lucrari omnes indulgentias stationum Urbis. — 17. Assignantur et afferuntur indulgentiæ stationum Urbis. — 18. Indulgentiæ stationum nequeunt applicari defunctis nisi ab habentibus bullam Cruciatæ, item nisi indulgentiæ stationum expresse sint concessæ pro defunctis. — 19 ad 31. Indulgentiæ stationum unde dictæ.

ARTICULUS V. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias concessas tribus SS. ordinibus S. P. N. Francisci eorumque ecclesiis, benefactoribus, et confraternitati Chordigerorum.*

ARTICULUS VI. — *Indulgentia quoad ea quæ concernunt varias indulgentias concessas omnibus Christifidelibus.*

ARTICULUS I.

Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus naturam, antiquitatem, et divisionem.

(1. Indulgentiæ nomen, quod a verbo *indulgeo* derivatur, sumitur duobus præcipue modis. Primo sumitur pro lenitate seu condescendentia, ut I ad Corinth. 7 : « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. » Secundo, sumitur pro remissione, ut Isaiæ cap. LXI : « Prædicare captivis indulgentiam, » quæ verba in Evangelio S. Lucæ, c. IV, sic referuntur : « Prædicare captivis remissionem. » (2. Hinc indulgentia recte describitur quod sit « remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus quoad culpam jam remissis, facta extra sacramentum ab habente facultatem, per applicationem thesauri ecclesiastici. » Est in re *communis*. (3. Dicitur primo : « Remissio pœnæ temporalis, » quia per indulgentiam non remittitur culpa, sed pœna tantum temporalis restans in hac vita, vel in purgatorio luenda. Unde, quando in forma seu concessione Indulgentiæ, dicitur per illam concedi remissionem peccatorum, accipitur peccatum pro pœna peccati, juxta illud II Machab., 12, « Ut a peccatis solvantur, » et quando vocatur indulgentia a pœna et culpa, intelligitur quod per talem indulgentiam conceditur facultas absolvendi a culpa etiam reservata, ut notant Lezana, tom. III, verb. *Indulgentia*; Raynaldus, in Scapulari, part. II, q. 5, n. 1; Gobat, in Quinario, tract. 4, c. 2, n. 17, et alii. Has tamen indulgentias a pœna et culpa esse apocryphas, etiamsi agatur de solis venialibus, autumat Bened. XIV, leg. 3, de Synodo, c. 18, n. 7.

Secundo, dicitur : « Debitæ pro peccatis actualibus, » etc., quia peccatum originale ejusque pœna remittitur per baptismum. Dicitur 3 : « Facta extra sacramentum ab habente facultatem, » quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis ecclesiasticæ (non ordinis) in foro externo competens Papæ plenarie, et aliis partialiter. Dicitur 4 : « Per applicationem thesauri ecclesiastici, » ut ostendatur istam remissionem non esse omnino gratuitam, sed habere annexam solutionem pœnæ æquivalentem.

(4. Dari autem in Ecclesia Catholica thesaurum ecclesiasticum, spiritualem, satisfactorium, qui nihil aliud est quam « maximus quidam et inexhauriabilis cumulus meritorum et satisfactionum quæ e Christo Domino ejusque vivis membris superfuerunt, et in acceptatione memoriaque divina servantur et inutilitatem Ecclesiæ membrorum erogari possunt per legitimam indulgentiarum concessionem, » tenent omnes catholici, atque patet, tum ex perpetua traditione ac sensu Eccle-

Digitized by Google

siæ, tum ex concilio Tridentino session. 25, in decreto de Indulgentiis; tum ex extravagant. *Unigenitus*, de pœnitentiis et remissionibus, inter communes, ubi sic expresse habetur : « Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris, in qua et ex qua nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ, in suppositi unitate, ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, et quod non erat assumens, ut haberet unde hominem lapsum redimeret, et pro eo satisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum sub Lege, natum ex muliere, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem reciperent filiorum; ipse namque factus nobis a Deo Sapientia, Justitia, Sanctificatio, et redemptio, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Non enim corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius Agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens, immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose, velut quoddam profluvium noscitur effudisse; ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis, nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde ut nec supervacua, inanis, aut superflua, tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum, non in sudario repositum, non agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent), vere pœnitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis, omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur, de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. »

(5. Unde, ut vides, thesaurus Ecclesiæ constat in primis ex meritis et satisfactionibus Christi, quæ, cum sint valoris infiniti, constituunt thesaurum inexhauribilem, et ulterius constat ex meritis B. V. Mariæ et omnium sanctorum. Quamvis enim satisfactiones Christi, utpote infinitæ, de se sufficiant et superabundent ad constituendum Ecclesiæ thesaurum sufficientem et superabundantem pro omnibus, congruum tamen fuit ut ex divina dignatione ad constituendum hunc spiritualem Ecclesiæ thesaurum assumerentur etiam merita et satisfactiones sanctorum, ne alioquin eorum merita et satisfactiones quoad vim satisfactoriam a Deo irremunerata remaneant, et ut per hoc magis elucescat perfecta unio sanctorum cum Christo, capite suo, et in corpore mystico Ecclesiæ perfecta servetur *Communio sanctorum*. Nam corpus mysticum Ecclesiæ non solum constat Christo tanquam capite, sed etiam sanctis, tanquam nobilissimis membris, juxta illud Apostoli ad Romanos XII. « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. » (6. Thesaurus autem hic, cum sit mere spiritualis, non reperitur repositus, sicut alii thesauri, in aliquo loco materiali hujus mundi, sed existit duntaxat in mente seu memoria divina, in quantum ante oculos Dei merita et satisfactiones superabundantes Christi et sanctorum nondum oblivioni sunt traditæ, sed adhuc vivunt et vigent, donec aliis indigentibus Ecclesiæ membris opportune communicentur, et sic, quantum fieri potest, remunerentur.

(7. Indulgentiarum usus non est noviter ab Ecclesia inductus, ut prætendunt hæretici, sed est in Ecclesia Catholica antiquissimus. Multi enim sacri interpretes et theologi apud Henric., de Sacr. Pœnit., disp. 4, q. 7, n. 44, docent S. Paulum II ad Corinth., II, dedisse incestuoso jam pœnitenti indulgentias, dum ait : « Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi, » et esse antiquissimum usum indulgentiarum in Ecclesia Catholica tradit expresse Tridentinum, sess. 25, in decreto de Indulgentiis, ubi loquens de facultate conferendi indulgentias concessas a Christo Ecclesiæ, docet, quod « antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit. » Et de facto plures antiquissimos summos pontifices concessisse indulgentias referunt ex probatis auctoribus Bellarminus lib. I de Indulgent., cap. 3; Kilianus Kazenberger, in supplemento Theologiæ Patritii, Sporer, cap. 3, de Indulgent., num. 5, et alii passim (91).

(8. Indulgentia dividitur in plenariam et non plenariam seu partialem. *Communis*, textu expresso in cit. et adducta supra n. 4, extravagant. *Unigenitus Dei Filius*, de Pœnitent. et Remission. Indulgentia plenaria est illa quæ remittit totam pœnam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam dimissis restantem et debitam. *Est in re comm.* (9. Circa hanc indulgentiam plenariam aliqui distinguunt inter indulgentiam plenam,

(91) Illud solummodo in controversiam vocari potest, quandonam concedi a Romanis pontificibus cœperint indulgentiæ plenariæ, de quibus mox auctor aget. Ven. card. Thomasius primam indulgentiæ plenariæ concessionem, de qua certo constet, eam esse censuit quam Urbanus II, anno 1095, illis impertitus est qui ad recuperandam Terram Sanctam militaturi religionis causa sese conferrent. Verum alia apud Schelestraten. et Amortium monumenta exstant quæ Urbano II antiquiorem produnt hujusmodi concessionem. Vide Benedictum XIV, de Syn. Diœces., lib. XIII, cap. 18, n. 6. (EDIT. BARR.)

Digitized by Google

plentorem, et plenissimam. Arg. extravag. *Antiquorum*, de Pœnitentiis et Remissionibus, inter communes, in qua dicitur: « Non solum plenam et largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedimus veniam delictorum. » At vero quoad effectum nullum inter eas apparet discrimen, cum non solum indulgentia plenissima, sed etiam plenior et plena in rite dispositis et confessis conferat remissionem omnium pœnarum pro peccatis quoad culpam jam remissis debitarum; ita enim docet modernus stylus curiæ Romanæ plurimorum jam annorum usu, et sapientium judicio et auctoritate roboratus; nempe, quod per indulgentiam *plenariam*, idipsum designetur quod per *plenissimam*, ita ut quoties datur indulgentia plenaria, toties censeatur dari et fieri relaxatio seu remissio omnium pœnarum quas quis in purgatorio luere deberet. Sic testantur Sotus in 4, dist. 21, qu. 2, art. 1; Suarez, tom. IV, disput. 50, sect. 2; Corduba, quæst. 11; Kazenberger, loc. cit., num. 7; Bonacina, Toletus, Lugo, Bellarminus, aliique prope omnes apud Gobat, tract. 4 de Indulgent., part. II, cap. II, num. 273. Imo Pontifex, in citat. extrav. *Antiquorum*, per illum loquendi modum nihil aliud intelligere voluit quam concedere « Indulgentiam adeo plenam, prout Clavium potestas se extendit: » sicuti ipsummet papam interpretatum fuisse in consistorio testatur glossa ibidem, verb. *Plenissimam*.

(10. Potest tamen, si non quoad effectum, saltem quoad specialia privilegia et annexas facultates, cum Marcantio, tom. III Tribunalis, tract. 5, tit. 2, q. 4; Mastrio, in Theologia morali, disp. 21, n. 21; Reiffenstuel in Theologia morali, tract. 12, dist. 3, qu. 2, num. 16 et aliis, sequens inter dictas indulgentias notari discrimen, ut indulgentia dicatur *plena* quando tota pœna pro peccatis jam remissis debita remittitur, *plenior* quando potestas extraordinaria absolvendi a casibus reservatis superadditur, *plenissima* quando ultra hæc, etiam dispensationes in votis et hujusmodi vinculis conceduntur, prout fieri solet in jubilæo, de quo procedit cit. extravag. *Antiquorum*, cum ibi, ut patet, sit sermo de jubilæo Anni Sancti.

(11. Indulgentia concessa instar jubilæi, vel per modum jubilæi, vel in forma jubilæi, nihil aliud importat quam indulgentiam plenariam sine tamen annexa facultate absolvendi a reservatis, commutandi vota, et hujusmodi, quæ alias conceditur in jubilæo: unde indulgentia instar jubilæi, in forma jubilæi, vel per modum jubilæi, non distinguitur ab indulgentia plenaria, ut pluribus efficacibus rationibus probat Gobat in suo Quinario, tract. de Jubilæo, c. 7, tr. 4, de Indulgent. par. II, cap. 5; et sic tenent Suarez, tom. V, in III part., disp. 7, sect. 5, n. 7; Viva, de Jubilæo, q. 1, art. 1; Lessius in Actuar. verb. *Indulgentia*, casu 3; Kazemberger, l. c., n. 2; La Croix, lib. VI, par. VI, n. 1380; Navarrus, Diana, Cotonius, et alii. Unde summi pontifices ideo aliquam indulgentiam plenariam vocant instar jubilæi, in forma jubilæi, vel per modum jubilæi, ut ostendant majorem, non effectus, sed affectus et causæ abundantiam; atque ut in fidelibus majorem lucrandæ indulgentiæ curam, majoremque ex ea consolationem excitent.

Illud insuper accedit, a Clemente VIII aliisque aliorum pontificum decretis abrogatas fuisse indulgentias in forma jubilæi concessas. Quare quicunque sibi facultatem asserit indulgentiam aliquam publicandi in forma Jubilæi, debet omnino exhibere concessionis litteras, enuntiatam formulam præseferentes, ac insuper ostendere, datas eas fuisse post pontificatum Clementis VIII, et post alia decreta ejusmodi gratias abrogantia. Ita egregie Benedict. XIV, in suo tract. de Synodo Diœcesana lib. XIII, cap. 18, n. 9. Videantur hac de re P. Theodorus in suo tract. de Indulgent. part. II, cap. 4, § 2; et P. Minderer in suo tractatu pariter de Indulgent. part. I, confer. 4, quæst. 10, num. 130, et in tract. de Jubilæo confer. 1, § 2, casu 1, cum auctoribus ibidem citatis.

(12. Indulgentia partialis est illa quæ remittit solum partem pœnæ temporalis peccatis quoad culpam jam remissis debitæ. *Est in re communis.* (13. Indulgentia partialis, alia vocatur *Quarena*, *Quadragena*, *Quarantena*, quæ significant indulgentiam 40 dierum, id est remissionem tantæ pœnæ quanta fuisset remissa ob pœnitentiam quadraginta dierum olim ab Ecclesia pro certis peccatis in Pœnitentialibus canonibus statutam: alia vocatur *Septena*, per quam significatur indulgentia septem annorum, seu remissio tantæ pœnæ quanta fuisset remissa ob pœnitentiam septem annorum. Alia vocatur *Carena*, quæ secundum multos est indulgentia utramque supradictam complectens, ita ut sit remissio tantæ pœnæ quanta fuisset remissa ob pœnitentiam quadraginta dierum in pane et aqua peractam, et per aliam pœnitentiam septem annorum subsequentem. Ita Tannerus tom. IV, disp. 6, dub. 8, num 99; Suarez tom. IV disp. 50, sect. 5, num. 14; Bonac. disp. 6, quæst. 1, punct. 2. Reiffenstuel in Theolog. moral. tract. 12, dist. 3, q. 2, n. 20, ubi asserit ita sentire alios magis communiter, et ita videtur nomen *Carenæ* accipi in cap. *Accusasti* 8 de Accusationibus, ibi: « Quadraginta dies in pane et aqua (quod *Carena* vocatur) cum septem sequentibus annis pœnitens. » Alii tamen per *Carenam* intelligunt pœnitentiam agendam solum per 40 dies in pane et aqua, et ideo dicebatur *Carena*, quia afferebat carentiam ciborum et consortii humani. Ita Glossa in cit. cap. *Accusasti*, verb. *Carena*, ubi sic habet: « Carena vulgare est Lombardorum, et dicitur a carentia hominum, quia tales recluduntur solitarii per quadraginta dies ad agendum pœnitentiam: » Layman lib. V tract. 7 cap. 3 La Croix loc. cit. numer. 1381; Kazenberger loco cit. num 7, et alii.

(14. Alia vocatur *centum dierum*, *centum annorum*, *mille annorum*, *centum mille annorum*, *biscentum mille*, *tercentum mille annorum*, et hujusmodi, per quam non est intel-

Digitized by Google

ligendum quod totidem dies, vel anni pœnæ luendæ in Purgatorio remittantur, seu mora tanti temporis futura in Purgatorio relaxetur, cum non sit verisimile quod Purgatorium duraturum sit ad biscentum mille seu trecentum mille annos, pro quibus indulgentia aliquando conceditur, sed per similem indulgentiam debet intelligi quod per ipsam remittatur tanta pœna quanta remitteretur virtute illius pœnitentiæ per canones Pœnitentiales in jure canonico post decretum Gratiani impressos statutæ, si ipsa per tot dies vel annos in hoc mundo perageretur. Sic Mastrius in Theologia moral. dis. 23, q. 2, art. 2; Gobat tract. 4, de Indulgent. par. II, cap. 3 n. 283; Layman lib. v, tr. 8, c. 3; Reiffenstuel loc. c. n. 19; La Croix loc. cit. num. 1381 cum Bellarmin, Suarez, et aliis; Kazenberg. loc. cit. n. 10 ubi testatur de communi. Has tamen indulgentias sublestæ esse fidei ob suos millenarios annos affirmat P. Minderer in suo tract. de Indulg. part. II Conf. 8, num. 501; Sotus in 4 sent. dist. 21 q. 2 art. 1 asserere non dubitavit fuisse commenta quæstorum. Estius in 4 sent. dist. 20 § 10 aperte ait confictas commentitiasque esse ac nullatenus S. Sedi tribuendas; ven. card. Thomasius, tom. VII Operum, incredibiles ac plane improbabiles esse concludit. Vide Benedict. XIV lib. XIII de Synodo c. 18 n. 8 et P. Minderer citatum, par. I Conf. 4 quæst. 4 num. 213, et Confer. 11 n. 809.

(15. Alia vocatur indulgentia tertiæ aut quartæ partis peccatorum, et hæc est remissio tantæ pœnæ quantæ persolvi debuisset hic, vel in Purgatorio pro tertia vel quarta parte peccatorum jam remissorum. Barbosa de Offic. et potest episcop. alleg. 88 num. 4, cum multis ibi citatis; Sporer. loc. cit. num. 6 et alii passim (92).

(16. Quando cum indulgentia plenaria reperitur concessa etiam alia partialis, tunc debet intelligi, vel quod fuerint diversi indulgentiarum largitores, ita ut unus concesserit indulgentiam plenariam et alter partialem; aut si sit unus solus concedens simul utramque indulgentiam, illos dies vel annos indulgentiæ partialis additos indulgentiæ plenariæ ad hunc finem concedi ut possint per modum suffragii aliis applicari, quod utrumque docet Suarez tom. IV, disp. 5 sect. 4 n. 9; Palaus par. III tract. 24 n. 12; Sanctarellus de Jubilæo cap. 15 dub. 9 citans Pinellum; Gobat tract. 4, de Indulgent. par. II, c. 2, n. 275; Kazenberger loc. cit. n. 6, et alii. Vel debet intelligi quod illa additio indulgentiæ partialis ad indulgentiam plenariam fiat ad cautelam, ut scilicet simus certi causam indulgentiæ esse sufficientem saltem ad acquirendam illam partialem, si non

(92) Nonnullæ aliquando occurrunt indulgentiæ, quibus absolutio a *pœna et culpa* concedi dicitur. Verum card. Cusanus celeberrimus apostolicæ Sedis per Germaniam legatus in Magdeburgensi, quam coegit Provinciali synodo fideuter asseruit Sedem Romanam hac in concedendis indulgentiis formula nunquam uti consuevisse. Quare præteritorum sæculorum quæstoribus tribuenda ea est, atque vel cum

totalem. Sic Reginald. lib. VII n. 149, post Cordubam et Valentiam; Gobat. loc. cit. n, 9, et alii.

(17. Indulgentia alia est perpetua, alia temporalis, alia indefinita. *Perpetua* est quæ expresse est concessa in perpetuum. *Temporalis* est quæ expresse est concessa ad certum solum et determinatum tempus. *Indefinita* est quæ indefinite est concessa; nulla temporis vel durationis mentione facta, et circa hanc notant, tum scholastici, tum summistæ apud Sporer loc. cit. num. 11, quod sit habenda pro perpetua, cum non sit major ratio cur indulgentia indefinita concessa pro tanto tempore intelligenda sit, et non pro majori; eo vel maxime quod, cum indulgentia sit favor et beneficium, potius ample quam stricte sit interpretanda; arg. cap. *Odia* 15 de Regul. juris in 6, ibi: « Odia restringi, favores convenit ampliari, » dummodo tamen non adsit aliqua lex et regula apostolica limitans, vel declarans, et terminans indulgentias hujusmodi indefinite concessas, quia tunc præsumitur quod pontifex indulgentiam concedat juxta consuetum curiæ stylum, ut recte advertunt Navarrus, Henriquez. Faber, Mastrius apud Kazenberg. loc. cit. n. 11.

(18. Indulgentia insuper, alia est localis, alia realis, et alia personalis. Indulgentia *localis* est quæ conceditur alicui pio loco, id est fidelibus aliquam determinatam ecclesiam seu capellam visitantibus, et in ea juxta expressa in formula indulgentiæ orantibus. Indulgentia *realis* est quæ conceditur rebus mobilibus ut coronis, crucibus, medaliis et hujusmodi, id est, fidelibus tales res penes se devote habentibus, et opera præscripta ad indulgentiæ consecutionem peragentibus. Indulgentia *personalis* est quæ independenter a loco et re, conceditur directe et immediate alicui personæ, aut individuæ et particulari, aut communi et generali, ut toti religioni, aut communitati, ut eam lucretur ubicunque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale aut tale opus peregerit. *Omnes.*

(19. Circa indulgentiam localem hæc veniunt notanda: 1. Si ecclesia, seu capella, totaliter destruatur et non reædificetur, perit et cessat indulgentia, quia ipsa non erat concessa loco simpliciter, sed ecclesiæ, seu capellæ; Layman. lib. v, tract. 7 cap. 3 num. 5; Gobat tract. 4, de Indulgentiis part. II, capit. 6, n. 320; Kazenberger loc. cit. num. 14, et alii passim. 2. Si ecclesia totaliter destruatur ut ibidem in meliorem formam reædificetur, seu ut auctoritate superioris in alium meliorem situm transferatur sub eodem titulo et patrono, retinet eamdem indulgentiam. Glossa in Regula 7 juris in 6; In-

nonnullis theologis de remissione peccatorum *venialium* quoad culpam intelligenda, vel potius (quoniam valde dubia hæc sententia est nec sanioribus theologiæ principiis consentanea) de remissione temporalis pœnæ culpis confessione expiatis debitæ, et, saltem quod ad aliquam partem spectat, pœnitentiæ in sacramento acceptæ. Confer Benedictum XIV *de Syn. Diœces.* lib. XIII, cap. 18, n. 7. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

nocentius in c. 2 de novi operis Nuntiatione; Ludovicus Bologninus in tractatu de Indulgentiis n. 79; Antoninus p. I, tit. 19, cap. 1, § 2; Layman l. c; Kazenberger l. c.; Suarez t. IV, in III part. disp. 42, sect. 1 n. 9 et lib. VIII, de legibus cap. 5, in fine; Bonacina, et alii citati a Gobat. loc. cit. num. 320. Et ratio est, quia indulgentia non est concessa ratione situs et loci, ut supponitur, sed absolute ecclesiæ sub tali suo proprio nomine et titulo adhuc retento, licet in meliorem ritum translatæ, seu in meliorem formam reædificatæ: unde censetur adhuc eadem moraliter ecclesia. 3. Si ecclesia non totaliter destruatur, sed tantum per partes, et paulatim reædificetur, retinet eamdem indulgentiam; certum enim est sic manere eamdem moraliter Ecclesiam, adeoque eamdem perseverare indulgentiam; *Communis* cum supracitatis.

(20. Circa indulgentiam realem hæc notanda sunt: 1. Si destruatur res in qua erat indulgentia, perit ipsa indulgentia. 2. Si crux, seu imago, cui est affixa indulgentia, ita frangatur ut non amplius referat speciem crucis, aut imaginis, cessat indulgentia. Non cessat tamen, si quod infractum est maneat et adhuc referat speciem crucis aut imaginis, aut partes fractæ seu disjunctæ denuo copulentur et compaginentur. 3. Si frangatur chorda, seu funiculus coronæ cui est affixa indulgentia, non perit ipsa indulgentia, sicut nec perit, quamvis penitus frangatur crucula coronæ, aut certa circiter pars granorum, pro quibus alii substituuntur, quia per mutationem chordæ, seu dictorum granorum, aut cruculæ non censetur mutata moraliter corona. 4. Si frangatur dimidia pars dictæ coronæ, indulgentia non remanet in parte integra, quia una solum dimidia pars non constituit coronam, aliter si corona divideretur in duas dimidias partes, ex una corona fierent duæ, ambæ gaudentes sua peculiari indulgentia, quod nequaquam est dicendum, cùm unica tantum indulgentia sit concessa pro tota Corona. 5. Ut aliquis, sive sanus, sive moribundus, lucretur indulgentias concessas crucibus, medaliis, rosariis, coronis et hujusmodi, debet crucem, medaliam, rosarium, coronam secum habere, secum portare, penes se habere. Non est tamen opus manibus tenere rem indulgentia affectam. 6. Nemo potest lucrari dictam indulgentiam realem utendo rosario, seu medalio alieno, corona, aut cruce aliena, et hujusmodi. Sic enim expresse decrevit Alexander VII die 6 Februarii 1657, anno secundo sui pontificatus decreto incip. *Sanctissimus*, relato ad litteram a Gobat tract. 4 de Indulgentiis part. II, cap. 37, n. 668, et Innocentius XIII, die 5 Jun. 1721 decret. incipiente *Nuper Sacræ*, relato a Kazenberger in Appendice Alphabetica Bullarum verb. *Indulgentiæ*. Ita quoad supradicta communiter doctores cum Kazenberg. loco citat. num. 15; Gobat tract. 2 de Indulgent. cap. 14, a n. 387.

ARTICULUS II.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt auctoritatem eam concedendi, personas, quæ possunt eam concedere, et lucrari, et requisita ad ipsam.

(1. Est de fide dari in Ecclesia catholica auctoritatem concedendi indulgentias, seu dispensandi thesaurum Ecclesiæ: habetur clare ex cit. extravagant. *Unigenitus*, de Pœnit. et remissionibus, inter Communes. Et est difinitum in concilio Tridentino sess. 25, cap. 31, de Reformat. in decreto de Indulgentiis, ibi: « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit sacrosancta synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et præcipit eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. » Et hæc catholica veritas evincitur ex verbis Christi Matthæi XVI, ibi: « Tibi dabo « claves regni cœlorum, et quodcunque « solveris super terram, erit solutum et « in cœlis; » quæ verba Christus Dominus contulit B. Petro, et ejus in officio successoribus potestatem solvendi vincula peccatorum quantumcunque gravium, quibus correspondet pœna æterna, ergo multo magis pœnarum temporalium ex culpis jam dimissis relictarum per indulgentias.

(2. Summus Pontifex potestate a Christo accepta, adeoque de jure divino, potest concedere quibusvis fidelibus indulgentias, tum plenarias, tum partiales, tum perpetuas, tum temporales, tum locales, reales et personales, textu expresso in c. extravagant. *Unigenitus;* et patet ex adductis n. antecedenti, et est *communissima* inter catholicos cum S. Thoma in 3, d. 20, q. 1, art. 4; S. Bonaventura art. 2, q. 3; Barbosa de Offic. et potest. episcop. part. III, allegat. 88, num. 5; Layman, lib. V, tract. 7, cap. 5, num. 1; Kazenberg. loc. cit., n. 19. (3. Papa potest concedere tales indulgentias etiam ante suam consecrationem; hujusmodi enim potestas est Jurisdictionis et non ordinis; cap. *Quod autem de pœnit. et remissionibus*, et tenent communiter doctores cum Barbosa, loc. cit., num. 6; Kazenberg. loc. cit., n. 19; Gobat, tract. 4, de Indulgent. part. I, cap. 6, num. 54. (4. Papa solus potest concedere quibusvis fidelibus, sive vivis sive defunctis, quaslibet indulgentias. Unde nec concilium generale sine papa, sive hic vivat, sive sit mortuus habet talem potestatem: Suarez, disput. 55, sect. 1, n. 7; Bellarmin., lib. I, cap. 11; Barbosa, loc. cit., num. 16; Layman, loc. cit., num. 1; La Croix, lib. VI, part. VI, n. 1317; Diana, part. X, tract. 6, resol. 12; Kazenberger, loc. cit., num. 19, ubi testatur de communi. Attamen Corduba *de Indulgentiis* qu. 10, proposit. 8; Henriquez Navarr. et alii apud Barbosam loc. cit., n. 6, tenent quod concilium generale, vacante sede, jure divino indulgentias concedere possit.

Digitized by Google

(5. Inferiores papa, ut cardinales, legati, nuntii, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, non habent potestatem concedendi indulgentias jure divino, sed solum jure ecclesiastico, scilicet ex concessione summi pontificis; ita S. Thomas, loco cit., art. 4, qu. 3; Richard., art. 5, qu. 3; Durand., q. 5 ad 2; Suarez, disp. 49, sect. 1, num 14; Coninch, disp. 12, dub. 1, conclus. 4; Silvester, verb. *Indulgentia*, q. 5; Augustinus de Ancona, lib. de Potest. eccles., q. 29, art. 5; Layman, loc. cit., n. 1, assertion. 2; Kazenberg., loc. cit., n. 20; Bellarm., loc. cit.; Barbosa, loc. cit., num. 8 contra Sotum, Navarrum, Medin. Valent et quosdam alios, quos citant, et improbant Bonacina de Sacrament., disp. 6, q. 1, punct. 3 num. 1; Sanctarellus de Jubilæo anni sancti c. 3, dub. 2, litt. B; Azorius, Institut. moral., p. 2, lib. III, c. 54, q. 2; Henriq. in Summ. lib. 7, cap. 31, § 3; Lavorius de Indulgentiis, part. II, c. 11, n. 45, tum sequent. et alii.

(6. Supradicti inferiores papa habent limitatam potestatem concedendi indulgentias; *Communis*. (7. Episcopi enim possunt solum concedere indulgentiam unius anni in dedicatione ecclesiæ, sive ab uno solo episcopo, vel a pluribus dedicetur, et in anniversario dedicationis, et aliis etiam casibus, et rationabilibus causis possunt concedere solum indulgentiam quadraginta dierum; *Communis*, textu expresso in cap. *Cum ex eo* 14 de Pœnit. et remissionibus in fin. ibi: « Decrevimus, ut dum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia extra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur. » (8. Tales indulgentias possunt episcopi concedere etiam in perpetuum, id est recurrentes omni anno; Lessius in Auth. verb. *Indulgentia* casu 1; La Croix, loc. c., num. 1319; Kazenberger, loc. cit., n. 20 et alii. (9. Tales indulgentias possunt concedere episcopi etiam non consecrati, aut ordinati, dummodo sint electi et confirmati, quia talis potestas est jurisdictionis, et non ordinis: *Communis* cum Barbosa loco cit., num. 7. (10. Episcopi possunt concedere indulgentias pro suis tantum subditis, licet extra diœcesim existentibus, et per modum absolutionis, adeoque solis vivis; Kazenberger, loco cit., num. 20; La Croix, loco cit., num. 1320; Barbosa, loco cit. num. 23, 24 et 27, et alii ibi citati. (11. Episcopi possunt concedere indulgentias etiam pro religiosis, et locis exemptis; religiosi enim exempti possunt sicut alii lucrari indulgentias concessas ab episcopis, quia inducta in favorem non debent converti in eorum læsionem, et facta in augmentum non debent parere diminutionem; leg. *Quod favore*, cod. de Legibus, leg. *Legata inutiliter*, ff. de Legatis 1, cap. *Quod ob gratiam* 61 de Regul. juris in 6, ibi: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non

est in ejus dispendium retorquendum; » Barbosa, loc. cit., num. 27; Bellarmin. de Indulgent. lib. I, cap. 11, quæst. 3; Navarrus de Indulgentiis notabil. 31, num. 12; Ludovic. Bolognin., tract. de Indulgentiis, num. 93; Sanctarellus de Jubilæo anni sancti c. 3, dub. 2; Paludan in 4, dist. 20, pag. 4, artic. 4; Reginal. Chochier., Alzed, Lavor, Bonacina apud Barbosam loc. cit. n. 27 et alii passim.

(12. Episcopi possunt facultatem concedendi indulgentias aliis delegare non solum sacerdotibus, sed etiam clericis; Barbosa, loc. cit., n. 10; Bellarm. de Indulgentiis, lib. II, cap. 11; Emmanuel Sa verb. *Indulgentia*, num. 16; Suarez, disp. 55, sect. 6, num. 6; Reginald. Valentia, Lavorius, Nugnus, Ugolin, Bonacina, Azorius, Alzedo, Torreblanca, citati a Barbosa, ubi supra n. 10; Kazenberger, loc. cit. num. 20; Lugo, Viva, cum La Croix, loc. cit., num. 1320, et alii communiter. (13. Hanc tamen potestatem non possunt episcopi delegare; et concedere laicis, cum laici jure humano removeantur a muneribus ecclesiasticis: ut post Jacob. de Graff. Suarez, et Reginaldum resolvunt Bonacina de Sacramentis, disp. 6, qu. 1, punct. 3, num. 12; Lavorius de Indulgentiis part. II, cap. 1, num. 49; Barbosa, loc. cit., num. 11. (14. Episcopi excommunicati, denuntiati, seu vitandi, non possunt indulgentias concedere, quia excommunicati vitandi carent usu jurisdictionis; et consequenter invalida sunt ipsorum acta ad jurisdictionem pertinentia; c. *Tanta* 18, de Excessibus prælator. cap. *Pia consideratione* 1, de Exceptionibus in 6; Barbosa, loc. cit., num. 12, cum pluribus aliis ibi citatis. (15. Episcopi valide concedunt indulgentias, quamvis in peccato mortali existant, nec peccant secluso scandalo non præviso; peccatum enim mortale præcise non tollit jurisdictionem; *Communis* cum Barbosa, loc. cit., num. 13.

(16. Archiepiscopi, primates, et patriarchæ possunt in suis diœcesibus concedere indulgentias, quas concedere possunt episcopi in suis, et insuper in tota sua provincia, textu expresso in cap. *Nostro* 15, de Pœnit. et remiss. (17. Et quidem id possunt etiam extra tempus visitationis, nam cit. c. *Nostro* non loquitur de visitatione, ut illud legenti patet. (18. Nec obstat quod jam tales indulgentiæ fuerint concessæ a propriis respective episcopis, nam possunt nihilominus similes conferre archiepiscopi, primates et patriarchæ, ita ut quis simul lucretur indulgentias, et episcopi, et archiepiscopi, seu primatis, et patriarchæ; Suarez, disp. 55, sect. 2, n. 8; Gobat, tractat. 4 de Indulg. cap. 6, n. 57; Rosella, num. 397; Barbosa, loc. cit., num 16 et alii. (19. Imo secundum multos archiepiscopi, primates et patriarchæ possunt concedere indulgentias 80 dierum, ubi episcopi possunt solum 40; Barbosa, loco cit., num. 16; Azorius, part. II, lib. 3, cap. 55, q. 6; Alzedo, p. II, c. 3, num. 22; Lessius, Henriquez et alii.

Digitized by Google

(20. Episcopi seu archiepiscopi coadjutores etiam cum futura successione indulgentias per se concedere non possunt; sacr. congreg. Rit. 13 Jan. 1591; Card. Petra, tom. III Comment. ad Constitut. 16. Alexandri IV, num. 31. (21. Neque eas concedere possunt episcopi seu archiepiscopi titulares; Card. Petra, loc. cit., num. 32, et alii passim. (22. Nuntii et legati apostolici possunt subditis suæ nuntiaturæ, et legationis pro quocunque opere concedere centum aut plurium dierum indulgentiam; attamen semper minus quam annum. Pro templo autem seu capella possunt concedere indulgentiam septem annorum, et septem Quadragenarum pro illis qui confessi communicaverint; et in eo loco de more oraverint ad intentionem Ecclesiæ. Quamvis enim talis facultas non reperiatur ipsis concessa in jure communi scripto, ut recte observant Suarez, tom. IV, in III part. disp. 55, sect. 3, num. 22; Gobat, loc. cit., num. 56, et alii, tamen a summo Pontifice inter alias facultates solet etiam ista ipsis concedi; ut patet in facultatibus nuntiaturæ Coloniens. 1 Octob. 1680, ab Innocentio XI concessis, La Croix l. c. num. 1322, Kazenberger, loc. cit., n. 20 et alii.

(23. Cardinales ultra indulgentias, quas concedere possunt in suis respective diœcesibus seu provinciis, si sint episcopi seu archiepiscopi, possunt concedere indulgentiam centum dierum in ecclesiis suorum titulorum, quamvis non sint nec episcopi, nec sacerdotes; Lavorius de Indulgentiis p. II, cap. 11, n. 15; Pavin, de Potestate capituli sede vacante, part. I princip. q. 4, num. 4; Jacob. de Graff. in aureis dec. in Append. lib. II, cap. 2, n. 32; Barbosa, l. c. sub num. 16 et 18, et alii passim. (24. Summus pœnitentiarius concedit indulgentias centum dierum non quod adsit aliquod jus, sed ex vivæ vocis oraculo, aut consuetudine, papa sciente et tolerante; Azorius, loc. cit. c. 55, vers. *Sexto quæritur;* Lavorius, loc. cit., num. 17; Navarr., tract. de Indulgent. notabil. 31, n. 17; Barbosa, loc. cit. sub. num. 16 in fine. Imo summus pœnitentiarius, audiente et testante Paludano in 4, dist. 20, quæst. 4, art. 2, semel dixit: « Auctoritate nostra ordinaria damus vobis centum dies Indulgentiæ; » sic Gobat, loc. cit. Nunc autem dicta facultas concedendi indulgentiam centum dierum iis, qui se pœnitentiali virga tangendos pie reverenterque in tribus Urbis basilicis ipsi submiserint, est summo pœnitentiario expresse concessa ab Innocent. XII, constit. incip. *Romanus Pontifex*, et novissime a fel. record. Benedicto XIV, constitut. incip. *Pastor bonus*. (25. Si supradicti papa inferiores in concedendis indulgentiis excedant facultatem sibi competentem, quamvis tales indulgentiæ non valeant quoad excessum, valent tamen quoad eam partem quæ numerum præscriptum seu facultatem eis competentem non excedit, quia est res separabilis, et in separabilibus utile per inutile non vitiatur; leg. *Utile*, ff. de Regulis juris, leg. 1. § *Trebatius* ff. de Aqua quotid. et æstiva. Sic enim resolvunt per textum in capit. Indulgentiæ 3 de Pœnit. et remissionib. in 6; Glossa, ibid., verb. *Certum est;* Aloysius Riccius in praxi fori ecclesiast., decis. 117, num. 5, in 2 edit. et resolut. 602, num. 5, in edit., Navarr. de Indulgent. notab. 31, num. 16; Suarez, disput. 55, sect 3, num. 11; Bonacina, de Sacram., disp. 6, quæst. 1, punct. 3, num. 3 et 4; Azorius, loc. cit., cap. 55, quæst. 6; Lavorius, loc. cit., cap. 11, num. 39 et 40; Reginal., in praxi fori pœnit., lib. 7, n. 120; Barbosa, loc. cit., num. 22, et apud ipsum Ugolinus, Petrus Sotus, Sanctarellus. Alzed. Torreblanca, Fagnan. in c. *Cum exeo* 14 de pœnit. et remissionib., num. 15, et alii passim.

(26. Prælati episcopo inferiores, quamvis in certis habeant potestatem quasi episcopalem, non possunt tamen jure ordinario et proprio concedere indulgentias; cum id nullibi reperiatur eis concessum; arg. cap. *Accedentibus* 12 de Excessibus prælatorum; Fagnan, in d. cap. *Accedentibus* a num. 7 usque ad n. 20; Barb., l. cit., n. 17, cum communi aliorum. (27. Hinc jure proprio et ordinario nequeunt prælati regulares, ut generales et provinciales, indulgentias concedere neque regularibus sibi subditis; arg. cit. cap. *Accedentibus;* Suarez, disp. 55, sect. 5, n. 1; Emman. Rodriq. qq. Regular. tom. II, q. 86, art. 1; Fagn., loc. cit. n. 19; Barb., l. c. n. 19; Gobat, l, cit., n. 72, et alii communiter, et sic decrevit sac. congreg. Rit. 27 Sept. 1659, apud card. Petram tom. V Comment. ad const. 4 Calisti III, n. 102. (28. Dicitur autem notanter *jure proprio et ordinario* quia dicti prælati regulares ex concessione facta provincialibus de ordine Minorum a Leone X et visitatoribus Societatis Jesu a Gregorio XIII, et aliis Ordinibus ab aliis summis Pontificibus possunt concedere indulgentiam plenariam suis religiosis peracta visitatione conventus. Nec tales indulgentias esse revocatas, quamvis alioquin viva tantum voce concessas respondit et declaravit Urbanus VIII, ut refert, et tenet La Croix, lib. I, n. 861; Kazenberger, l. cit., n. 21; Henric., part. IV, disp. 4, de Sacram. pœnitentiæ, quæst. 7, num. 61, et tenet praxis communis. Vide infra art. 4, n. 11.

(29. Vicarius generalis de jure sine speciali commissione non potest indulgentias concedere; arg. cit. cap. *Accedentibus* 12 de Excessibus prælator.; Barbosa, de Offic. et potest. episcop., part. III, alleg. 54, n. 90, et alleg. 88 sub num. 10; Gobat, loc. cit., n. 68; Borgas, de Irregular., part. III, tit. de Indulg. episcop., et part. VII, cap. fin. numer. 24; Rebuffus, tit. de Forma vicarii n. 172, Sbroz, lib. II, quæst. 50, n. 3; Azor., lib. III, cap. 45, q. 13; Franc. Leo, in Thesauro fori eccles., part. I, cap. 10, n. 12, in fine; Benzon., de Jubilæo, lib. II, cap. 30, vers. *Conveniunt;* Lavorius, de Indulgent., part. II, cap. 11, n. 51; Fagnan., in cit. cap. *Acccedentibus*, n. 17 cum pluribus ibi citatis; Card. Petra, tom. III Com-

Digitized by Google

ment. ad constit. 16 Alexandri IV, n. 26.

(30. Neque indulgentias concedere potest capitulum, seu vicarius capitularis, sede vacante, quia non succedit episcopo in potestate jurisdictionis extraordinariæ saltem in iis quæ sunt reservata dignitati episcopali; arg. c. cap. *Accedentibus;* Barbosa, cit. allegat. 88, n. 21, cum pluribus citatis; Fagnan., loc. cit., n. 27, cum pluribus aliis ibi adductis; Monac., t. 4, n. 64, ubi dicit quod posset vicarius capituli accusari, tempore sedis vacantis ipsum concessisse indulgentias, quas episcopus vivens concedere consuevit; nam talem potestatem vicarium sedis vacantis non habere constat ex declaratione sacræ congreg. Conc. 13 Novemb. 1688, quæ dubio proposito respondit: « Vicarius capitularis se abstineat; » card. Petra, loc. citat., n. 28. Vide verb. *Vicarius capitularis*, art. 1, n. 13.

(31. Solus papa potest concedere indulgentias pro defunctis applicandas, quia indulgentiæ applicantur defunctis per modum meræ solutionis, offerendo pretium ex thesauro Ecclesiæ; solus autem papa habet claves thesauri Ecclesiæ; *Communis* cum Diana, part. x, tract. 6, resolut. 12; La Croix, lib. vi, part. ii, n. 1348; Raynaudus in Heter t. XV, part. ii, sect. 3, punct. 5. num. 15.

(32. Non potest tamen papa tot et tantas concedere indulgentias defunctis applicandas, ut totum purgatorium evacuet, quia non potest esse rationabilis causa tantæ concessionis; La Croix, loc. cit. n. 1318; Raynaudus, loc. cit. a num. 13; Gobat, tract., 4 de Indulgent.. cap. 7, n. 87, ubi dicit quod asserere posse papam evacuare totum purgatorium est alienissimus ab opinione et persuasione fidelium, nominatim S. Thomæ in 5, dist. 45, q. 2, art. 2.

(33. Ut enim valide concedatur indulgentia etiam a papa, requiritur ultra legitimam potestatem etiam justa et rationabilis causa; *Communis* cum S. Bonaven. in 4, dist. 20, part. ii, art. unic., quæst. 6; Henric. Gandavens quolibet 15, quæst. 16; Major in 4, dist. 20, quæst. 2; Cajetan., de Indulgent. tract. 9, q. 1, et tr. 16, capit. 4, quæst. 1; Soto dist. 21, quæst. 2, artic. 2; Conin. disput. 12, dub. 7; Corduba, de Indulgent. quæst. 17; Navar., de Indulgent. notabil. 15, num. 7; Henriq. lib. vii, cap. 14; Suarez, disp. 54; Kazenberger, loc. cit., num. 22; Gobat, tract. 4 de Indulgent., part. i, cap. 7, num. 86; Reiffenstuel, Theolog. moral. tract. 12, dist. 2, quæst. 3, num. 30; Bellarmin., lib. i de Indulgent. cap. 11; Layman, lib. v, tract. 7, cap. 1, num. 1; Fagnan., lib. v Decretal. in cap. *Cum ex eo* 14 de Pœnit. et remis.; La Croix, loc. cit., num. 1301 et 1316, et desumitur ex cit. extrav. *Unigenitus*, de Pœnit. et remiss. inter communes, ubi expresse dicitur « Christum Ecclesiæ thesaurum per suos vicarios reliquisse dispensandum salubriter, et propriis et rationabilibus causis. » Et ratio est, quia papa non est dominus thesauri ecclesiastici, sed solum dispensator ex cit. extrav. *Unigenitus*, et ex prima ad Corinth. iv, ibi « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, » et quidem « in ædificationem, et non in destructionem, » ex eadem prima ad Corinth. x. Foret autem in destructionem, si absque ulla rationabili causa et excessive dispensaret; argum. cap. *Cum ex eo* 14 de Pœnit. et remiss., ubi sic expresse habetur: « Quia per indiscretas et superfluas indulgentias quas quidam Ecclesiæ facere non verentur, et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur. »

(34. Imo causa concedendi indulgentiam non solum debet esse justa et rationabilis, sed etiam, spectatis omnibus circumstantiis, proportionata, ut quanto major est indulgentia, tanto major causa requiratur, aliter non valebit indulgentia, nisi secundum proportionem causæ; Albertus Magnus in 4, dist. 20, art. 17; Cajetan., de Indulg. tract. 9, qu. 1; Suarez, disp. 54, sect. 4, n. 5, Sotus d. 21, q. 2, art. 2; Henriquez, lib. vii, cap. 14, n. 3; Coninch, disp. 13, dub. 6, conclus. 2; Layman, loco cit., cap. 4, sub n. 1; Gobat, loco cit., n. 92; Busembaum, lib. vi, part. ii, dub. 4, art. 2, n. 2; La Croix, ibid., n. 1301 et 1316; Tannerus, tom. IV, disp. 6, q. 7, n. 84 et sequent.; Kazenberger loco cit., n. 22; Mastrius, Theol. moral. disp. 22, qu. 3, art. 1, n. 40, cum communiori et probabiliori sententia S. Bonaventuræ, Cajetani, Suarez, Amici, et aliorum passim; argum. cit. extravagant. *Unigenitus*, et cit. cap. *Cum ex eo* 14 de Pœnitent. et remissionib. Et ratio est, quia si ad indulgentiam valide concedendam non requireretur causa proportionata, potest concedi indulgentia plenaria etiam sanis extra articulum mortis pro sola pronuntiatione nominis *Jesu*, seu *Mariæ*, et hujusmodi, quæ indulgentia caderet in maximum contemptum clavium Ecclesiæ et in enervationem thesauri Ecclesiastici, ut loquitur textus adductus in fine numeri antecedentis ex cit. cap. *Cum ex eo*. (35. Dicitur notanter *Spectatis omnibus circumstantiis*, quia in aliquibus circumstantiis sufficit una causa pro concedenda indulgentia, quæ non suffecisset in aliis; sic in circumstantia articuli mortis pro moribundis ascriptis alicui congregationi, vel habentibus certas cruces, coronas, medalias et hujusmodi, vel solitis facere aliquod præscriptum pium opus, facilius conceditur indulgentia plenaria ob sacrosanctorum nominum *Jesu et Mariæ* pronuntiationem, quam alias tempore perfectæ sanitatis. (36. Dicitur etiam notanter, quod « aliter non valebit indulgentia nisi secundum proportionem causæ, » quia, si fortasse causa non esset sufficiens pro indulgentia plenaria, erit saltem sufficiens pro non plenaria; si non pro perpetua, saltem pro temporali; si non pro majori quantitate, v. gr. pro trecentum mille annis, seu dimidiæ partis peccatorum saltem pro minori quantitate, v. gr. mille annorum, mille dierum, seu tertiæ vel quartæ partis peccatorum, quæ et obtineri poterit, quia « verba aliquid operari debent, » ut dicitur

Digitized by Google

in cap. *Si papa* 10, de Privilegiis in 6. Sic recte Gobat, loc. cit., n. 95, et alii passim per ea quæ adduximus supra, n. 23.

(37. Indulgentias lucrari possunt omnes baptizati, rationis capaces, et debitores pœnarum temporalium. *Communissima inter catholicos.* Imo secundum multos etiam catechumeni, tam vivi quam defuncti, sunt capaces indulgentiarum saltem per modum suffragii; Navarrus de Indulgent. notabil. 31 in fine; Benzonius, lib. v de Jubilæo c. 15, dub. 28, assert. 6; Henric., lib. 7, c. 18, n. 3; Layman, loc. cit. c. 16, n. 1; Gronad, in III parte teste Diana part. v, tr. 12, res. 9; Tannerus tom. IV, disp. 6, q. 7, n. 93; Lugo, t. VI, disput. 27, sect. 5, num. 77; Gobat, tract. 4 de Indulgent. c. 12, n. 145 et alii.

(38. Et ratio est quia catechumeni, cum sint per fidem et charitatem Christo uniti, sunt aliquo modo membra Ecclesiæ, adeoque etiam ipsis applicari potest communis thesaurus satisfactionum, si non per modum absolutionis et justitiæ, saltem per modum suffragii et impetrationis. Tum quia Ecclesia etiam pro catechumenis offert missæ sacrificium, ut observat Gobat, loc. cit., num. 145.

(39. Alii tamen sentiunt contrarium; sic Suarez, tom. IV, in III part. disp. 53, sess. 4, n. 8, cum aliis ibi citatis; Kazenberger, loc. cit., n. 27; Mastrius, disp. 23, Theol. moral. q. 4, num. 55, et alii plures apud Sanchez lib. IV, Moral., cap. 37, num. 37; Coninch, disp. 12, dub. 7 in princip. et Benzonium, loc. cit. Et ratio istorum est, quia quamvis catechumeni per fidem sint Christo uniti, tamen, quia talem fidem nondum solemniter professi sunt in baptismo, nec per talem baptismi januam sunt adhuc hanc visibilem Ecclesiam ingressi, ideo Ecclesia in eos jurisdictionem exercere non potest, uti significat concil. Trid. sess. 14, c. 2 *de Sacrament. pœnitent.* ibi : « Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. » Indulgentiæ autem non prosunt, nisi subditis; arg. c. *Quod autem* 4 de Pœnit. et remissionibus.

(40. Indulgentias lucrari possunt etiam qui illas concesserunt; *Communis*, cum S. Thoma in addit. ad III part., quæst. 27, art. 4; Barbosa, de Offic. et potest. episcop., allegat. 88, num. 28. Et ratio est, quia indulgentias concedentes non debent esse deterioris conditionis aliis. Nec obstat quod nemo possit uti jurisdictione in seipsum, quia hoc verificatur solum in actibus jurisdictionis contentiosæ vel coactivæ, non autem in actibus jurisdictionis voluntariæ, cum superior secum ipso dispensare possit, si habeat potestatem dispensandi generaliter cum omnibus suis subditis, et a fortiori poterit, ut persona privata, lucrari illas Indulgentias quas, ut persona publica et superior, concessit.

(41. Ad lucrandas indulgentias requiruntur sequentes conditiones : 1 Ut lucraturus indulgentiam sit in gratia Dei constitutus eo tempore quo indulgentiam consecuturus est, quia reatus pœnæ nunquam aufertur nisi ablata culpa. 2. Ut sit subditus concedentis, seu, si sit exemptus, existat saltem intra territorium jurisdictionis illius per dicta superius num. 11. 3. Ut non sit ligatus excommunicatione majore, quia hæc privat communione bonorum spiritualium. 4. Ut opera præscripta integre perficiat. 5. Ut ea perficiat ad intentionem concedentis indulgentiam. 6. Ut ea perficiat per se ipsum, excepta eleemosyna, quæ etiam per famulum potest fieri a domino. 7. Ut saltem ultimum opus præscriptum perficiat in statu gratiæ. 8. Ut habeat intentionem saltem habitualem et interpretativam eas lucrandi.

(42. Indulgentiæ a pontifice concessæ iis qui cum confessione et communione ecclesiam aliquam visitant, non exigunt ut ecclesia visitetur post confessionem et communionem; sed sufficit ut, si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi et communicandi, ut ex pluribus theologis firmatur a Bened. XIV, Instit. eccles. 48 § 10.

(43. Ut acquiratur indulgentia quæ concessa est pro confessis et sacra communione refectis, requiritur confessio actualis et communio sacramentalis. Idem pontifex Const. incip. *Inter præcipuos* § 3. Et solis missionariis in partibus infidelium commorantibus indultum fuit ut hujusmodi indulgentias lucrari possint præmisso contritionis actu. Idem ibid. § 6.

(44. Pro lucranda indulgentia non sufficit opera injuncta præstare ad quæ alias quis tenetur alio titulo, puta justitiæ, etc. Idem ibid. § 53.

(45. Indulgentia plenaria in certos dies aliquam ecclesiam vitantibus, aut aliud pium opus peragentibus concessa, semel duntaxat in die obtineri potest. Idem ibid. § 84.

(46. Ad rem attendendum est novissimum decretum sac. congregat. Indulgentiis præpositæ, emanatum die 19 Maii 1759, tenoris ut sequitur.

Ut Christi fideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum : *Qui vere pœnitentes, confessi, ac sacra communione refecti, ecclesiam visitaverint*, quæ in indulgentiarum Brevibus inferri solent, in Congregat. indulgentiis sacrisque reliquiis præposita discussis die 31 Martii proximi præteriti nonnullis dubiis, eadem sacra Cong. fuit in voto confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, necnon præfatam confessionem suffragari etiam posse, si explicatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante sive post aliorum piorum operum implementum.

Factaque de iis per infra scriptum ejusdem sac. congreg. secretarium relatione Sanctissimo D. N., Sanctitas Sua ejusdem sac. congregat. votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscunque

Digitized by Google

in contrarium facientibus non obstantibus.

F. I. CARD. PORTOCARRERO, PRÆF.

A. E., Vicecomes S. C. Indulg., secr.

Addendum est hoc aliud decretum ejusdem sac. congregat. in declarationem præced. emanatum.

(47. Cum S. C. indulg. et sacr. reliquiis præposita, die 31 Martii 1759, fuerit in voto confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiæ consecutione, peragi omnino debere, etiam ab his qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, necnon præfatam confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia festivitatis expleatur, votumque Congregationis SS. DD. N. Clemens Pp. XIII benigne approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19 Maii prædicti anni mandaverit, quamplures supplices libelli tum regularium communitatum et præsertim monialium, tum etiam parochorum et nonnullorum episcoporum pro suis diœcesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas quæ interdum, imo persæpe, incidit pro sacramentali confessione, sive in festo, vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem, ut adeo proficuus Indulgentiarum thesaurus reddatur fidelibus accommode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suæ ut opportuno aliquo remedio de apostolica benignitate providere dignaretur, quibus precibus ad prædictam sac. Congr. remissis, propositum in ea fuit dubium. — « An et quomodo sit consulendum Sanctissimo super præfati decreti exsecutione vel declaratione in casu, etc. — Responsum fuit — Consulendum SS. DD. N. ut concedere dignetur indultum omnibus Christi fidelibus qui, frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverant, et nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sunt, ut omnes, et quascunque indulgentias consequi possint etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin juxta præfati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias Jubilæi tam ordin. quam extraordin. aliasque ad instar Jubilæi concessas pro quibus assequendis sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in eorum concessione, præscripto peragantur. » Et facta per me infra scriptum ejusdem S. C. secret. de præmissis omnibus SS. DD. N. relatione, Sanctitas Sua piis bonorum desideriis ac votis satisfacere, et indulgentiarum gratias iis potissimum qui pie sancteque vivendo donis divinæ misericordiæ digniores efficiuntur elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, et præfatum indultum in forma supra scripta expediri et publicari mandavit, quibuscunque in contrarium non obstantibus.

Datum ex Secretaria sacræ congreg. Indulg. die 9 Decemb. 1763.

M. CARD. ANTONELLUS PRÆFECT.

Joseph de Comitibus S. C. Indulg. secr.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(Huc spectant duo recentiora decreta, alterum Clementis XIV, alterum Pii Sexti feliciter regnantis. Utrumque reddo cum præfatione primo a Cl. congregat. de Propaganda fide secretario præmissa.)

(48. Cum plerumque Patres ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia qui in Indiis occidentalibus sacris missionibus dant operam, nec non Christi fideles existentes intra limites præfecturæ Missionum dictorum Patrum copia confessariorum destituantur, unde nonnullas indulgentias certis statutisque diebus affixas consequi nequeant; SS. D. N. Clemens XIV ad relationem infra scripti R. P. D. Stephani Borgia sacræ congregationis de Propaganda Fide secretarii, extendit ad Patres et Christi fideles præfatos qui confessario carent, indulgentias alias sub die 24 Maii 1772 a Sanctitate Sua concessas favore episcoporum, vicariorum apostolicorum, Missionariorum et Christi fidelium imperii Sinensis, ad regnorum Tunkini, Siami, Cocincinæ, Ciampæ, et Cambodiæ, ut apparet ex decreto tenoris sequentis.

Datum Romæ, ex Ædibus prædictæ S. Cong. die 23 Maii 1773.

Stephanus Borgia, secretarius.

Ex audientia SS. D. N. D. Clementis PP. XIV habita per me infra scriptum sac. congregationis de Propaganda Fide secretarium die 24 Maii 1772.

« Cum ad plenarias lucrandum indulgentias necesse sit ut sacramentalis peccatorum confessio præmittatur, vel saltem, juxta indultum Christi fidelibus omnibus a sanct. mem. Clem. XIII sub die 9 Decemb. 1763 concessum, omnino oporteat ut, qui eas consequi cupiunt, semel saltem in hebdomada ad hoc sacramentum, nisi legitime impediantur, soleant accedere, et nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sint: per quod indultum SS. D. N. Clemens, divina providentia PP. XIV, die 17 Maii currentis anni declaravit fuisse derogatum quibuscunque aliis peculiaribus indultis, etiam illis a sanct. mem. Clem. XII per organum sac. congreg. de Propaganda Fide missionariis in regionibus infidelium degentibus concessis, acquirendi scilicet indulgentias plenarias cum solo actu contritionis et confessione in voto, quoties confessariorum copia desit: Hinc Sanctitas Sua animadvertens episcopos, vicarios apostolicos, et missionarios in imperio Sinarum, necnon in regnis Tunkini, Siami, Cocincinæ, Ciampæ et Cambodiæ commorantes non raro confessariis carere, proindeque quamplurimum indulgentiarum, præsertim certis statutisque diebus affixarum, adjumento destitui, inter

Digitized by Google

innumeras pastoralis officii sollicitudines huic incommodo consulere intendens, benigne eisdem eorumque in perpetuum successoribus impertitur plenariam indulgentiam, etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, quater in anno lucrandam in quacunque die qua peccata sua fuerint confessi, missam celebraverint, vel saltem sacram susceperint communionem; dummodo tamen eadem die ferventes ad Deum pro sanctæ fidei propagatione preces effuderint.

« Christi fidelibus vero utriusque sexus in dictis regnis existentibus idem SS. D. noster præfatam plenariam indulgentiam bis in anno in perpetuum concedit quatenus et ipsi iisdem diebus supra scripta opera fideliter religioseque adimpleant.

« Per hanc autem indulgentiarum concessionem eadem Sanctitas Sua non intendit, aut revocare, aut irritas declarare alias quascunque indulgentias vel a se, vel a prædecessoribus suis concessas, vel in posterum concedendas, et quas, non omissis cæteroquin operibus injunctis, supradicti episcopi, vicarii, apostolici, et missionarii cæterique Christi fideles lucrari possent.

« Et ne pontificia hæc dispositio ab aliquo illorum ignorari contingat, episcopis et vicariis apostolicis præcipit et mandat ut præsens decretum populis suæ jurisdictioni subjectis meliori, quo poterunt, modo notum faciant atque significent, ut de Ecclesiæ thesauro participare possint et valeant.

« Datum Romæ, ex Ædibus dictæ sacræ Congregationis die et anno quibus supra.

« Stephanus Borgia,

« Sac. congreg. de Propaganda Fide, secr.

« Loco ✠ Sigilli. »

Alterum Pii sexti decretum nunc accipe.

Ex audientia SS. D. N. D. Pii PP. VI habita die 5 *Januarii* 1777.

(49. Cum ad plenarias lucrandum indulgentias necesse sit ut sacramentalis peccatorum confessio præmittatur, vel saltem juxta indultum Christi fidelibus omnibus a sanct. mem. Clem. XIII, sub die 9 Decemb. 1763, concessum, omnino oporteat ut qui eas consequi cupiunt semel saltem in hebdomada ad hoc sacramentum, nisi legitime impediantur, soleant accedere, et nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sint per quod indultum sanct. mem. Clemens XIV die 17 Maii anni 1772, declaravit fuisse derogatum quibuscunque aliis peculiaribus indultis, etiam illis a sanct. memor. Clem. XII per organum sac. congr. de Propaganda Fide missionariis in regionibus infidelium degentibus concessis, acquirendi scilicet indulgentias plenarias cum solo actu contritionis et confessione in voto, quoties confessariorum copia desit; cumque in regionibus Sinarum, Tunkini, Siami, Cocincinæ, Ciampæ et Cambodiæ tanta sit hujusmodi confessariorum paucitas ut fideles difficillime possint semel saltem hebdomada ad hoc sacramentum accedere, proindeque valde incommodum sit sacramentalem confessionem exercere iis certis diebus qui ad lucrandas indulgentias præscripti sunt atque præfixi, idcirco SS. D. N. Pius divina providentia PP. VI ad relationem mei infra scripti sac. congregationis de Propaganda Fide secretarii in audientia habita die 5 Januar. anni 1777 declaravit Christi fideles, etiam triduo ante confessos lucrari posse indulgentias plenarias, dummodo nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi sint conscii, et ne pontificia hæc dispositio ab aliquo illorum ignorari contingat, episcopis et vicariis apostolicis præcipit et mandat ut præsens decretum populis suæ jurisdictioni subjectis meliori, quo poterunt, modo notum faciant atque significent ut de Ecclesiæ thesauro participare possint et valeant.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ sac. congregationis die et anno quibus supra.

Stephanus Borgia,
Sac. congr. oe Propaganda Fide, secr.

ARTICULUS III.

Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus effectum et tempus acquirendi tam pro vivis quam pro defunctis.

(1. Effectus indulgentiæ non est remittere peccatum, neque mortale, neque veniale; *Commun.* cum Maldonato t. 1 de Pœn, q. 6 tit. de Ind. par. 1 qu. 1, ubi sic expresse dicit : « Uno ore omnes theologi, nemine excepto, respondent indulgentiam non esse remissionem culpæ, sed pœnæ. » Unde quando in forma seu concessione indulgentiæ dicitur per illam concedi remissionem *peccatorum*, accipitur peccatum pro pœna peccati, juxta illud *II Machabæor.* XII, ibi : *Ut a peccatis solvantur;* et, quando vocatur indulgentia a pœna et culpa, intelligitur quod per talem indulgentiam conceditur facultas absolvendi a culpa etiam reservata, ut fuit dictum art. 1 n. 3. (2. Effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis residuæ et restantis; *Communis.* (3. Pœna autem temporalis relicta et restans ex peccatis condonatis luenda ab homine est duplex : una, ad quam persolvendam homo obligatur ex sacramentali pœnitentia a confessario injuncta; altera, ad quam persolvendam in hoc mundo, vel in Purgatorio est obligatus a justitia Dei; *Communis.*

(4. Unde indulgentiæ plenariæ effectus est remittere omnem pœnam debitam in foro sacramentali, seu liberare totaliter pœnitentem ab obligatione implendi quamlibet pœnitentiam, etiam medicinalem sibi impositam a confessario; Sic S. Th. in 4 dist. 20 q. 2 art. 3 q. 1; S. Bonav. in l. IV dist. 20 art. 1 q. 2; Gobat tract. 4 Indul. part. II, c. 3 n. 24; Kazenb. loc. cit. n. 40; Lugo tom. VI disp. 27 sect. 2 n. 22, et, ipso teste, communis aliorum. (5. Et hanc conclusionem probat l. c. n. 23, primo, ex c. *Cum ex eo* 14 de Pœnit. et remiss. ubi Innoc. III dicit « pro indiscretas et superfluas indulgentias satis-

Digitized by Google

factiones sacramentales enervari ; » ergo ideo quia aufertur obligatio implendi pœnitentias; alioquin, si manet obligatio implendi illas saltem ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Secundo probat ex Bonifacio VIII qui, ut refert Glossa in extrav. *Antiquorum*, de Pœnit. et remis., nolebat confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis qui Jubilæum anni sancti lucrabantur, quia nimirum satisfactione alia non indigebant, et auctor ipsius glossæ dicit se id ab ipsomet pontifice audivisse, ut observat etiam Lugo loc. cit. n. 17. Tertio probat ratione a priori, quia Confessarius imponit pœnitentiam ut pœnam ad satisfaciendam pro peccato ergo, sublato debito totius pœnæ prout fit per indulgentiam plenariam, cessat omnino fundamentum illius obligationis, sicut, si condonaretur a principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipso cessaret obligatio imposita per sententiam judicis ad pœnam aliquam pro illo delicto subeundum.

(6. Nec valet dicere, quod per lucrationem indulgentiæ plenariæ tollatur quidem obligatio implendi pœnitentiam sacramentalem impositam a confessario, quatenus est satisfactoria pro peccatis præteritis, non autem quatenus est medicinalis pro præcavendis peccatis futuris. Non valet, inquam, quia licet pœnitentia subinde etiam imponatur ut medicina, confessarius tamen illam imponere non potest nisi in pœnam peccati : sicuti, licet judex procurare debeat quod pœna delinquentis sit talis ut simul sit medicina in futurum, non tamen posset illam pœnam imponere etiam ut medicinam, si illa pœna fuisset a principe condonata : ergo, si per indulgentiam plenariam condonatur et remittitur pœnitentia ut satisfactoria, etiam tolletur ut medicinalis. (7. Nec etiam valet dicere quod adhuc remaneat obligatio implendi pœnitentiam, saltem propter reverentiam sacramenti et ejus integritatem, ne maneat sacramentum imperfectum sine una parte integrante. Non valet, inquam, quia sacramentum pœnitentiæ non exigit pro parte integrali satisfactionem sacramentalem, nisi ex supposito quod adhuc adsit pœna temporalis satisfacienda seu solvenda, cum ad hanc remittendam illa unice injungi debeat a confessario, adeoque, satisfacta et soluta seu remissa omni pœna temporali restante, non requiritur amplius talis integritas satisfactionis, cum non amplius possit juste exigi satisfactio ab eo qui jam integre satisfecit et debitum jam integre solvit, vel remissionem debiti integre consecutus est, ut verificatur in eo qui lucratus est indulgentiam plenariam. Unde post lucrationem ipsius, nec reverentia sacramenti, nec confessarii præceptum obligabit eum ad pœnitentiam adimplendam. Sic optime Lugo l. c. n. 24, et 27; Kazenberger l. cit. n. 40, et alii.

(8. In praxi tamen tempore indulgentiæ etiam plenariæ decet quod confessarius semper imponat pœnitentiam saltem *medicinalem* et *præservativam*, quando judicat necessariam, eamque pœnitens admittat, quamvis indulgentiam plenariam certo consequatur, quia hoc necessarium judicat Suarez apud Mastrium Theolog. moral. disp. 23 q. 2 num. 29, et alii. Imo tenetur confessarius injungere pœnitentiam *medicinalem* atque etiam *vindicativam* seu *satisfactivam*, quando probabiliter credit pœnitentem non consecutum esse, aut mox non consecuturum esse indulgentiam plenariam, teneturque pœnitens in tali casu illam adimplere. Si autem confessarius probabiliter credat pœnitentem jam consecutum esse, aut mox consecuturum esse indulgentiam plenariam potest omnem pœnitentiam, in quantum est, vindicativa seu satisfactiva, omittere juxta sanctum Thomam, S. Bonaventuram, et plurimos antiquiores et recentiores apud Tannerum, Dianam et Gobat de Jub. cap. 25, ob rationes num. antecedenti allatas. Ob reverentiam tamen sacramenti pœnitentiæ convenit confessario levem saltem pœnitentiam injungere, et pœnitenti eam adimplere, quia licet non sit necessaria pro satisfactione pœnæ temporalis debitæ, cum supponatur integre remissa per lucrationem indulgentiæ plenariæ, prodest tamen multum ad meritum, quod pluris faciendum est quam redemptio pœnæ temporalis, ut recte cum aliis advertit Lugo loc. c. n. 31.

(9. Indulgentiæ plenariæ effectus est etiam remittere omnem pœnam debitam in foro Dei, id est omnem pœnam relictam ex peccatis dimissis, ad quam persolvendam in hoc mundo, vel in Purgatorio est homo obligatus a justitia Dei. Sic S. Thomas in 4 disp. 20 qu. 1, art. 3 quæstiuncul. 1 communiter receptus ab omnibus recentioribus, ut testatur, et sequitur Gobat loc. cit. num. 25, et est jam communis et certa doctorum sententia, ut testatur Lugo loc. citat. num. 7. Imo, ipso teste, docet Suarez disp. 50, sect. 2 de fide esse papam virtute clavium habere potestatem remittendi pœnam illam etiam in foro Dei; et de facto Sixtus IV damnavit sequentem Petri Oxomensis propositionem : « Papa non potest indulgere alicui viro pœnam Purgatorii; » Sic refert Kazenberger loc. cit. n. 39. (10. Nec valet dicere cum nonnullis antiquis per indulgentias non relaxari pœnam in foro Dei, sed solum remitti pœnitentiam in foro sacramentali debitam, id est obligationem implendi pœnitentiam a confessario injunctam. Non valet, inquam, quia, ut optime eos confutant S. Thomas loc. cit.; Lugo loc. cit.; Gobat loc. cit.; Kazenberger loc. cit., et alii passim, sequeretur ex eorum sententia, quod Ecclesia concedendo indulgentias potius obesset quam prodesset fidelibus, cum sic illos liberaret levibus pœnitentiis, et remitteret ad graviores pœnas Purgatorii; clarum enim et manifestum fidelium gravamen esset velle per indulgentiam remitti solum debitum implendi pœnitentiam relinquendo debitum pœnæ, cum esset utilius pœnitentibus implere ad redimendam pœnam ipsa sine dubio graviorem. Unde, cum Tridentinum concilium sess. 25 c. 21 in decr. *de Indulgent.*, definiat : « Indulgentiarum usum esse populo Christiano maxime salutarem, » patet eorum sententiam esse

Digitized by Google

falsissimam. (11. Quod hactenus dictum est de effectu indulgentiæ plenariæ hoc proportionaliter et suo modo applicandum est etiam indulgentiæ partiali. (12. Effectus cujuscunque indulgentiæ non est remittere pœnam debitam pro peccato veniali nondum remisso, quia pœna non potest remitti, nisi prius remissa culpa; Kazenberger l. c. n. 8; Gobat l. c. par. II n. 278; Felix Potestas tom. I part. IV c. 8 *de Indulgentiis*, n. 2788; Reiffenstuel Theol. moral. tr. 12 dist. 3 q. 2 n. 12, et 13, et ipso teste communis aliorum.

(13. Indulgentiæ possunt a summo pontifice concedi et applicari etiam defunctis qui in Purgatorio detinentur; *Communis ac certa.* Id enim constat ex communi usu, et praxi Ecclesiæ in qua nihil tam usitatum est quam applicare indulgentias pro defunctis, ut tradit Joann. VIII in epist. 144, et Leo X, in Constit. incipien. *Exsurge, Domine*, contra Lutherum. (14. Non possunt tamen ipsis defunctis concedi indulgentiæ per modum absolutionis habentis annexam solutionem, sicut conceduntur vivis, sed solum per modum suffragii, seu piæ solutionis, et exhibitæ satisfactionis. *Communis* fere omnium Theologorum cum S. Thoma in 4 dist. 45, quæst. 2 art. 3, quæst. 2; S. Bonaventura part. 2, artic. 1, quæst. 5; Mastrio theolog. moral. disp. 23, qu. 4, num. 57; Kazenberger loc. cit. num. 43; Reiffenstuel Theol. moral. tract. 12, dist. 3, q. 4, num. 41 et 42. Et ratio est, quia summus pontifex Christi in terris vicarius non habet jurisdictionem in defunctos sicuti in fideles viventes, cum acceperit a Christo potestatem solvendi solum *super terram*, non vero *sub terra*. Qui autem non habet jurisdictionem in alium tanquam sibi subditum nequit eidem concedere indulgentias per modum absolutionis, quia concedere indulgentias per modum absolutionis est actus jurisdictionis, adeoque summus pontifex nequit defunctis concedere indulgentias per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii.

(15. Indulgentia autem per modum absolutionis differt ab indulgentia per modum suffragii specialiter per hoc quod indulgentia per modum absolutionis conceditur quando superior sibi subditum immediate et directe liberat a pœna temporali. Sic summus pontifex tanquam superior et minister a Deo constitutus immediate et directe liberat fideles vivos tanquam sibi subditos a pœnis temporalibus relictis in peccatis jam quoad culpam dimissis, concedendo eis indulgentiam *per modum absolutionis* habentis tamen annexam solutionem; quia hæc absolutio fit cum aliqua solutione ex thesauro Ecclesiæ, scilicet, applicatione et exhibitione satisfactionum Christi et sanctorum. Indulgentia vero *per modum suffragii* dicitur concedi, quando non immediate et directe, sed indirecte et mediate, scilicet mediante actione alterius. Sic summus pontifex concedit indulgentias defunctis, mediantibus aliquibus piis viventium fidelium operibus tanquam pretium æquivalens ex thesauro ecclesiæ Deo oblatum pro solutione illarum animarum quibus mente pontificis applicatur. Sic videtur insinuare, aut potius supponere S. Thomas in 4, dist. 45, qu. 7, art. 3 quæstiuncul. 2, ubi dicit indulgentias concedi defunctis « non directe et principaliter, sed tantum secundario et indirecte; » et videtur esse communior doctorum quamvis alii aliam explicationem afferant, ut videre est apud Gobat, tract. 4, de Indulgent., part. 2, a num. 477; Filiuc. tom. 1, tract. 8, cap. 8, num. 104 et sequent.; Lugonem, tom. VI, disp. 27, sect. 5, a num. 58 ad 73 inclusive.

(16. Indulgentiæ pro defunctis rite concessæ et acquisitæ secundum ordinariam Dei legem prosunt certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus ex intentione summi pontificis applicantur ita ut animæ illæ de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii sibi applicato juventur, vel ad totalem remissionem pœnæ et totalem liberationem e Purgatorio, si indulgentia est plenaria vel ad partialem, si indulgentia est partialis; Navarr. de Indulgent. et jubilæo notabil. 22; Lugo tom. VI, disp. 47, sect. 5, n. 59; Roderic. tom. II, quæst. Regular. qu. 97, art. 3; Gobat loco citato num. 484; Filiuc. tom. I, tract. 8, cap. 8, n. 208, Suarez tom. IV, disp. 53, sect. 4; Sotus quæst. 2, art. 3; Reiffenstuel Theol. moral. tract 12, quæst. 4, dist. 5, num. 44; Herincx disp. 4, de Sacramento Pœnit. quæst. 8 n. 66, et apud ipsum Bellarminus, Arriaga, Dicastillus, et alii Kazenberger loc. cit. numer. 43, ubi cum aliis testatur sic tenere recentiores communiter, Mastrius Theolog. moral. disp. 24, num. 47, asserens hanc esse communiorem et probabiliorem sententiam; P. Roa de Purgatorio cap. 15; Raynald. sect. 3, punct. 1, a num. 17, punct. 5, a num. 9, punct. 6, n. 12, citatus et secutus probabiliter a La Croix lib. VI, part. II, num. 1330, qui lib. VI, par. II, num. 534, dicit quod, si impleantur conditiones requisitæ, effectum liberationis determinatæ animæ esse infallibilem ut tenent S. Thom., Ledesma, Sotus, Valent., Coninch., Less., Filiuc., Castropal., Diana, Gran., Lugo, Tanner., Mendo d. 13, num. 96; Arriaga d. 15, sect. 1, et optime Suarez d. 79 sect. 10, ubi ostendit S. Augustinum, Chrysostomum et Cyrillum idem sentire, et dicit quod contrarium tenent S. Bonaventura, Richardus, Durand., Cajetan., Cordub., Bonac., Layman, Amic., et alii multi.

(17. Ratio autem nostra est quia Leo X in Const. incip. *Exsurge, Domine*, contra Lutherum absolute et æqualiter absque hæsitatione promittit effectum suum illis indulgentiis quæ applicantur defunctis, ac illis quas sibi vivi lucrantur; dicit enim expresse: « Omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, tanta temporali pœna secundum divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari quanta concessæ et acquisitæ indulgentiæ æquivalet. Et ita ab omnibus teneri et prædicari debere sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, etc., auctoritate apostolica decernimus; » atqui indulgentiæ rite concessæ et acquisitæ infallibiliter prosunt

Digitized by Google

illis vivis qui eas sibi lucrantur, ergo etiam debent prodesse infallibiliter illis determinatis defunctis quibus applicantur. Tum quia summi pontifices in Brevibus altarium privilegiatorum concedere solent, *Ut quicunque sacerdos*, servatis servandis ac diebus in Brevi specificatis, « Missam Defunctorum pro anima cujuscunque fidelium defunctorum ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini nostri, etc., suffragantibus meritis a Purgatorii pœnis liberetur. » Ubi ut vides ex ly *pro anima cujuscunque*, et ly *anima ipsa* videtur promitti liberatio animæ determinatæ a Purgatorio. Tum etiam quia licet Deus, ut recte probat Kazenberger loc. cit. num. 44, non teneatur acceptare applicationem indulgentiarum defunctis factam ex eo, quasi papa haberet immediate jurisdictionem in defunctos, tamen ex eo tenetur Deus acceptare applicationem indulgentiarum defunctis factam a papa, quia Deus voluit in ecclesia esse communionem Sanctorum; quare ex decreto hujus communionis inter ecclesiam Triumphantem, Militantem atque etiam Purgantem, tenetur acceptare illas satisfactiones, sive pro vivis, sive pro defunctis oblatas; et sic si infallibiliter prosunt illis vivis qui eas sibi lucrantur, etiam infallibiliter debent prodesse illis determinatis defunctis quibus applicantur.

(18. Nec valet dicere quod Deus non acceptet indulgentias semper pro omnibus illis quibus applicantur, sed pro illis qui ex hac vita decesserunt magis digni tali gratia quia v. g. in vivis fuerunt magis solliciti in acquisitione indulgentiarum et oratione pro defunctis, ut in simili de Missæ sacrificio, eleemosynis et orationibus dicit S. Augustinus lib. *de cura pro mortuis* cap. ultim. relatus in cap. *Non æstimemus* 19 caus. 13, quæst. 2, his verbis: « Non pro quibus fiunt omnibus prosunt, sed his tantum pro quibus dum vivunt, cooperantur ut prosint : » et in cap. *Tempus* 23, ead. caus. et qu. his verbis : « Sed hæc eis prosunt qui cum viverent hæc sibi, ut postea possent prodesse, meruerunt. » Non valet, inquam, quia licet etiam de mente S. Augustini credibile sit quod Deus facilius pro illis defunctis qui in vita fuerunt magis solliciti pro acquisitione indulgentiarum et oratione pro mortuis acceptet, nedum, missæ sacrificia, orationes, eleemosynas, jejunia et alia hujusmodi suffragia, sed etiam indulgentias generaliter pro defunctis omnibus applicatas, hoc tamen (secundum legem Dei ordinariam) non videtur dicendum de indulgentiis pro aliquo determinato defuncto applicatis, nisi hic ex speciali Dei providentia et dispositione fuisset merito privandus, ex quo, dum viveret, alios defraudasset similibus debitis suffragiis et indulgentiis, ut de exemplo Promi numero sequenti referendo.

(19. Nec valet objicere quod soleat sæpius pro una et eadem anima in altari privilegiato sacrificari, et indulgentia plenaria applicari, quod esset superfluum, si indulgentia certo et infallibiliter prodesset pro illa determinata anima cui applicatur. Non valet, inquam, quia merito pro una et eadem anima plures missæ etiam in altari privilegiato celebrantur, et plures indulgentiæ plenariæ applicantur propter varias rationes. Primo, quia non constat an causa ob quam pontifex concessit indulgentiam plenariam sit justa et sufficiens, defectu cujus sufficientis justæ causæ est invalida etiam indulgentia concessa a papa, ut ex communi diximus artic. 2, num 33. Secundo, quia non constat an et quomodo prior sacerdos celebrans applicuerit suam intentionem, seu an altare in quo celebravit habeat omnia requisita ad esse privilegiatum. Tertio, quia non constat an qui plenariam indulgentiam alicui animæ applicavit omnes conditiones necessarias impleverit. Quarto, quia ignoratur an non ob aliquam peculiarem causam velit Deus circa hanc, aut illam animam facere exceptionem a sua generali promissione, scilicet ob rationes omnino peculiares, non permittendo ut indulgentia in actu secundo prosit huic certæ animæ, ut habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur rejectio suffragiorum pro demortuo cœnobii Promo qui vivus defraudaverat defunctos subsidio eleemosynæ per abbatem constitutæ, sic refert Rainaudus tom. VII p. II, q. 5 fol. 289 col. 1 et 2; et ex ipso Gobat tr. 4 de Indulgent. p. II cap. 19 num. 458 et cap. 22 num. 486. Quinto, quia nostra sententia nondum est omnino certa, quamvis sit probabilior atque communior inter theologos; unde merito pro eisdem animabus reiterantur missæ, sacrificia, et indulgentiæ, « Melius enim supererunt ista eis quibus non obsunt quam eis deerunt quibus prosunt, » ut docet S. Augustinus relatus in cit. cap. *Non æstimemus* 19, caus. 13, q. 2.

(20. Quod autem plures animæ remanent adhuc in pœnis Purgatorii non obstantibus missarum sacrificiis et indulgentiis plenariis pro ipso applicatis et a Deo acceptatis, hoc oritur ex quo ipsæ descenderint in Purgatorium cum peccatis venialibus nondum quoad culpam dimissis. Unde indulgentiæ etiam plenariæ nequeunt tollere, seu remittere pœnas a talibus animabus persolvendas, cum pœna non tollatur, seu non remittatur, nisi prius remissa culpa, ex dictis supra num. 12. Culpa autem venialis nequit remitti per indulgentiam etiam plenariam (hæc enim remittit solam pœnam) sed per satisfactionem propriam usque ad novissimum quadrantem exstingui debet in Purgatorio, ut recte docet Scotus in 4 dist. 21 quæst. 1, et omnes sui apud Mastrium in 4 disputat. 4 quæst. 9, et Kazenberger loco cit. num. 45.

(21. Ut quis lucretur indulgentias pro defunctis, non requiritur quod sit in gratia, seu opera requisita adimpleat in statu gratiæ. Navarr. in Comment. de anno Jubilæi notab. 22 num. 31; Graff. in Append. dec. aur. lib. II, tit. de Indulg. cap. 1, n. 21, et 36; Monacell. tom. II, Formular. 6, n. 2; Felix Potestas tom. I, part. 4, num. 3789; Raynaud. sect. 3, part. 5, numer. 23; Escob. t. VII E.

Digitized by Google

5, cap. 7, num. 45; Herincx disp. 4 de Sacram. Pœnit. qu. 11, num. 77; Diana par. v, tract. 12, resol. 38, ubi ex Joanne præposito, Trullench., Reginaldo et aliis cum D. Th., ut refert Viva de Jubilæo q. 6, art. 2, n. 6, docet quod lucrari potest indulgentia pro mortuis, etiam qui omnia opera injuncta posuit in statu peccati, quia ratio satisfactionis, seu pretium pœnarum non est illud opus positum in statu peccati, sed thesaurus meritorum Christi, et sanctorum qui applicatur ab Ecclesia, posito tali opere; illud autem opus sit nomine Ecclesiæ in qua nunquam deest gratia, et ita etiam prodest domino eleemosyna quam mandat dari per suum servum quamvis peccatorem. Bussemb. lib. VI, part. II, dub. 4, art. 2, num. 10; La Croix ibidem. num. 1351 et 1410; Reginald. lib. VII, num. 195, apud Gobat tract. 4 de Indulg. par. II, cap. 23, n. 490, et sec. Bonac. de Indulg. disp. 6, qu. 1, punct. 6, propos. 1, num. 11, cum aliis pluribus, ubi ipse sic præcise dicit: Qui vero facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto, non est necesse ut sit in gratia, quamvis existens in peccato mortali non possit suis operibus satisfacere per se, aut pro alio, nihilominus potest indulgentiam pro defuncto lucrari, si faciat opus præscriptum ad obtinendam indulgentiam pro defuncto, tunc enim ipse non dicitur satisfacere, sed facere opus, quo posito, summus pontifex applicat defuncto indulgentiam, id est satisfactionem Christi et sanctorum; nam indulgentia habet suum valorem ex opere operato, et non dependet a gratia illius qui pro defuncto indulgentiam lucratur. Hæc ipse. Sic etiam tenent Toletus in Summa lib. VI, cap. 26, num. 5; Gabriel sup. Canon missæ lect. 57; Portell. verb. Indulg. in addit. num. 24; Suarez, Palao et alii plures. (22. Lugo tamen tom. VI, disp. 27, num. 75 dicit esse magis commune et secundum fidelium sensum, quod requiratur status gratiæ saltem in fine operis; consentiunt Dicastill. tom. II, in III p. tr. 9, disp. 2, dub. 17, et alii, ut testatur Toletus l. c., et hanc sententiam esse tutiorem dicit Busemb. loc. cit. quamvis probabiliter teneat nostram.

(23. Indulgentia concessa pro vivis non potest etiam defunctis applicari, nisi in concessione exprimatur, quia indulgentia sicuti pendet ab auctoritate, ita et a voluntate concedentis. Laym. lib. V, tract. 7, c. 7, num. 2; Busemb. loc. cit. num. 7; La Croix ibid., et communis aliorum. (24. Sic etiam indulgentia concessa per papam alicui capellæ pro defunctis non extenditur ad vivos, adeo ut qui vivens celebrat aut ibi celebrari facit pro se missam illam non consequitur. Navarr. conclus. 39, part. II, de Pœnit. et remiss. Monacell. tom. II, formul. 6, n. 1, et alii passim. (25. Indulgentia concessa per papam, ut possit quis eam lucrari pro se, vel pro defunctis, non potest applicari pro se et defunctis simul, quia tantum concessa est sub disjunctione, ut quis, vel pro se, vel pro defunctis eam lucretur, non autem ut pro se et pro defunctis. Quintanadren. dub. XII, n. 4; La Croix lib. VI, part. II, n. 1366, et alii passim.

Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant.

(26. Indulgentiæ effectus potest sæpius obtineri, si sæpius opus injunctum peragatur, quando indulgentia est perpetua et absque temporis determinatione concessa, v. g. si in concessione indulgentiæ dicatur: « Quicunque visitaverit talem ecclesiam consequetur talem indulgentiam. » Herincx disp. 4, de Pœnit. qu. 11; Kazenberger. loc. cit. num. 51; Reiffenst. Theol. moral. tract. 12, dist. 3, qu. 5, num. 51, ubi testatur de communi. (27. Secus autem est dicendum, quando indulgentia est concessa pro tempore determinato, v. g. pro tali die, nisi adsit speciale privilegium. Sic Suarez, Lugo, Bonacina et aliis apud. Kazenb. loc. c. num. 51, et sic indubitanter tenendum esse dicit Reiffenstuel cit. loc. n. 57 ob decretum sacræ congr. circa indulgentias editum ac per Innocentium XI die 7 Mart. 1678, approbatum et inviolabiliter servari jussum, ubi § final. declaratur: « Semel duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri. » Ita sonat decretum.

(28. Uno et eodem opere nequeunt diversæ et plures indulgentiæ obtineri nisi forsan illæ essent per modum unius, v. g. habens duas medalias diversis indulgentiis affectas, et uni sit annexa indulgentia quadraginta dierum; et alteri centum dierum obtinenda a recitantibus unum *Pater*, et *Ave*, per unicam solam hujusmodi recitationem non lucrabitur utramque indulgentiam, scilicet et illam quadraginta dierum, et aliam centum dierum; sed debet duplicare talem recitationem, quia ad utramque illam indulgentiam requiritur causa propria et diversa, et consequenter reiterata seu duplicata recitatio. Ita Suarez, Præpositus, et alii communius cum Herincx disp. 4, de Pœnit. q. 11, num. 9; Kazenberger loc. cit. n. 49; Lugo l. cit. n. 90, Mastrius l. cit. num. 65; Reiff. loc. cit. num. 54. (29. Dicitur autem notanter: « Nisi forsan illæ concessæ essent per modum unius » ut cum visitantibus certam ecclesiam conceduntur v. g. indulgentiæ omnium ecclesiarum Urbis, quia tunc, ut ipsamet formula concessionis demonstrat, unica sola visitatione possunt omnes illæ indulgentiæ obtineri. Kazenberger loc. cit. num. 49; Reiffenstuel l. c. n. 55, et communis aliorum.

(30. Sic etiam per unicam solam confessionem et communionem potest quis lucrari plures indulgentias eodem die diversis ecclesiis concessas. Lugo loc. cit. num. 99. Gobat tract. 3, c. 26, num. 180; Kazenberger loc. cit. num. 49; Reiffenstuel loc. cit. n. 51, ubi testatur esse certam, et communem doctorum sententiam. (31. Imo idem dicendum est, licet secunda indulgentia non eadem die, sed sequenti, vel intra debitam distantiam occurrat dummodo perseveret in statu gratiæ. Lugo tom. VI, sect. 6, num. 93; Gobat tract. 3; Quinarii cap. 26, num. 181; Comitolus q. 39; Kazenberger loc. cit. num. 49; Reiffenstuel loc. cit. num. 51; Portell. in dubiis Regular, verb. *Indulgentia* num. 5; Graff.

Digitized by Google

part. I, decis. aur. lib. IV, cap. 11, n. 34; Bassæus vers. *Indulgentiæ* num. 2; Escobar tract. 7, Exam. 5, numer. 57; Turrian. in Select. part. II, disp. 31, dub. 64; Diana tom. III, tract. 4, miscellan. resol. 166, et alii plures. Et ratio est quia confessio et communio non videntur exigi directe, tanquam opus injunctum per modum oneris, sed solum præsupositive, tanquam major dispositio subjecti ad lucrandam indulgentiam. (32. Quantum autem se extendat ly « vel intra debitam distantiam, » non omnino conveniunt doctores. Aliqui enim nedum extendunt ad duos, vel tres dies, sed etiam ad quatuor dies, dummodo intra id temporis in statu gratiæ perseveret. Portell. in dubiis Regular. verb. *Indulgentia* n. 5 post Comitolum, et Bonagrat. Habsens in Summula quæstionum regularium verb : *Indulgentia* n. 225, post Bassaeum. Alii autem extendunt ad quinque, vel sex dies dummodo semper intra id temporis in statu gratia perseveret. Sic Gobat tract. 3. Quinarii c. 26. n. 181 post Comitolum q. 39, qui interrogatus utrum qui primo die Augusti sacramenta confessionis et communionis susceperat, nil plane cogitans de indulgentia quæ omnibus confessis et communicatis proponebatur ad diem sextam ejusdem mensis, posset sine nova confessione et communione lucrari illam indulgentiam, rotunde respondit *posse* eam potissimum ob causam quod ille, de quo erat sermo, vere potuerit dici esse confessus et communicatus. Sic refert et tenet Gobat loc. cit. num. 181; et Reiff. loc. cit. num. 52. Idem tenent Turrianus, Diana, Escobar apud La Croix lib. VI, par. II, num. 1372, qui ibidem insuper subjungit quod theologi collegii Romani (uno excepto qui contradixit) interrogati ab ipsius provincia putarunt ad lucrandas indulgentias in festo circumcisionis sufficere, quod quis in festo Nativitatis Christi confessus communicarit referendo etiam ad indulgentias Circumcisionis.

(33. Accedit quod papa concedit indulgentiam vere pœnitentibus et confessis, non est necessarium ad acquirendam talem indulgentiam facere confessionem die, vel tempore quo indulgentia est lucrifacienda, sed satis est quod post ultimam confessionem perseveret in gratia usque ad talem diem, vel tempus indulgentiæ lucrifaciendæ. Sic Navarr. in Comm. de Jubil. et indul. notabil. 18, n. 18; Kazenberger loc. cit. num. 29; Leo Thesaur. for. Eccles. part. I, c. 7, de Indulg. num. 27; Bonacina tit. de Indulgent. disp. 6, q. 1, punct. 5, proposit. 2, n. 7, ubi citat Navarr. Filiuc, Henriquez, Suarez, Reginald., et alios. Viva de Jubilæo q. 8, art. 3, n. 2, cum multis ibi citatis; Gobat tract. 3; Quinarii c. 28; n. 167; Monacell. tom. II, formul. 6, num. 3 et 4; Reiffenstuel l. cit. num. 50; Graffius part. I, decis. aur. lib. IV, c. 15, num. 34, et alii passim. Et ratio est, quia non exigitur confessio tanquam opus injunctum per modum oneris, sed solum requiritur ex parte subjecti tanquam dispositio ad lucrandam indulgentiam; Unde, qui post ultimam confessionem perseverat in statu gratiæ consequitur effectum indulgentiæ, implet enim formam indulgentiæ, cum sit vere pœnitens, et rite confessus. Unde illud participium *confessis* exponendum est hoc pacto, id est, qui sunt vel fuerunt confessi, ut recte Graffius loc. cit., et alii. (34. Imo nedum non requiritur confessio peccatorum mortalium alias rite confessorum, sed neque confessio venialium, nisi in concessione indulgentiæ expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. Navarr. loc. cit. notabil. 30, num. 6; Graffius in Appendice decision. aur. lib. II de Indulgent. cap. 5, num. 9; Kazenberger loc. cit. num. 29; Bonacina, et omnes supra citati. Henric disp. 4 de Pœnit. n. 80; Suarez disp. 52, sect. 3, num. 5, et alii passim. Et ratio est, quia, quando in Bulla exprimitur confessio, sermo est de confessione respectu illius qui conscientiam habet peccati mortalis obnoxiam, nisi aliud exprimatur; confessio enim simpliciter dicta ex communi usu et sensu Ecclesiæ censetur confessio mortalium; arg. cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. et remiss.*, et ob id Ecclesia, sicut non solet præcipere confessionem venialium, ita neque consuevit confessionem venialium requirere ad consequendam indulgentiam, ut recte Bonacina loc. cit.; Monacell. loc. cit.; Kazenberger l. c., et alii. Nunc autem servanda est dispositio decreti supra relati art. 2, num. 46.

(35. Est autem necessaria confessio actualis, et non sufficit contritio ad lucrandam indulgentiam, quando in Bulla concedente indulgentiam requiritur confessio, et lucraturus indulgentiam habet peccatum mortale. Sic communior, probabilior, et tutior theologorum sententia cum Kazenberg. loc. cit. num. 29; Reiffenstuel. loc. cit. num. 49. Et ratio est, quia tunc confessio actualis censetur esse conditio necessario requisita ad indulgentiæ consecutionem. Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant, et explicandæ et acquirendæ sunt sicut in Bullis exprimitur. Et hoc verum est, etiamsi in Bulla dicatur quod conceditur indulgentia *contritis et confessis*, quia particula *et* non est disjunctiva, sed conjunctiva et copulativa; dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit. (36. Quando vero in concessione indulgentiæ non expresse præscribitur confessio, sufficit ut lucraturus indulgentiam existat in gratia sanctificante per contritionem perfectam, quia existens in gratia sanctificante per contritionem est capax indulgentiarum, nec in concessione ipsarum requiritur actualis confessio, ut supponitur, adeoque in tali casu non est necessaria actualis confessio. Sic Navarrus, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Faber, et alii cum Kazenberger loc. cit. num. 29 et communis aliorum cum Mastrio Theolog. moral. disp. 23 q. 4, n. 63. Reiffenstuel. loc. cit. n. 48.

(37. Tempus lucrandi indulgentias in festis extra Quadragesimam (nisi aliud in Bulla concessionis caveatur) communiter nunc incipit a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei. *Communis* cum Gobat tract. 4, p. II, de Indulgent. c. 6. Quintanad-

Digitized by Google

venas in Appendice ad sua singularia tract. 4, dub. 3 et 4; Kazenberger l. c. n. 57. (33. Per primas vesperas intelligitur illud tempus quo, ex probato usu, solent aut possunt in illo loco, ubi est indulgentia, recitari vesperæ, incipiendo non solum ab illa hora in qua vesperæ in choro inchoantur, sed ab ea etiam qua ad vesperas campanæ pulsantur, aut pulsari solent, etsi in loco in quo est indulgentia vesperæ non canantur, habenda est ratio vel moris diœcesani, vel vicini oppidi, vel generalis consuetudinis. Quintanadvenas cum Gobat loc. cit. sub num. 657. (39. In Quadragesima autem tempus lucrandi indulgentiam pro sequenti festo die concessam incipit media decima hora antemeridiana diei præcedentis, cum eo tempore in Quadragesima vesperæ dici possint, et soleant. Gobat, Quintanadvenas, et Kazenberg, locis citatis. (40. In feriis autem, et non festis diebus, tam in Quadragesima quam extra Quadragesimam tempus lucrandi indulgentias incipit a nocte intempesta usque ad alteram noctem intempestam, id est a media nocte antecedente usque ad mediam noctem sequentem, et sic illius mensura est dies naturalis; arg. l. More Romano, ff. de Feriis, l. Consuluit, de Offic. delegat; Gobat loc. cit. n. 656 vers. *Rursum quæras;* Kazenberger loc. cit. num. 57. (41. Per solis occasum intelligitur illud tempus quo sol jam plane sub horizontem est abditus et plane totus occubuit. Gobat, loc. cit. num. 655; Quintanadvenas, loc. cit.; Kazenberger, loc. cit.

(42. Quando in Brevi indulgentiarum ponitur hæc clausula : « Præsentibus septennium tantum valituris, » hoc septennium incipit currere a die datæ Brevis Romæ. Sic expresse declaravit sacra congr. indulgentiis et reliquiis præposita die 18 Maii 1711, et approbavit Sanctissimus die 20 ejusdem mensis et anni, ut apparet in sequenti decreto : « Discusso dubio in sacra congregatione indulgentiis et S. reliquiis præposita: An attentis verbis quæ in Brevibus indulgentiarum apponi solent : *Præsentibus ad septennium tantum valituris*, septennii initium a die publicationis brevis desumendum sit; ead. *sac. congreg.* die 18 Maii 1711 *declaravit non a die publicationis, sed a die datæ Brevis septennii tempus incipere. Et, facta relatione Sanctissimo domino nostro per me infra scriptum secretarium die ejusdem mensis, Sanctitas Sua congreg. sententiam approbavit.*

« I. M. CARDIN. GABRIELLUS PRÆFECTUS.
« *Raphael Cosmus de Hieronymis, secret.* »

(43. Quando in Brevi ponitur clausula « Præsentibus ad septem annos proximos, seu ad septennium proximum valituris, » debet inter ipsos annos computari et numerari etiam annus Jubilæi, si intra id temporis occurrat. Gobat, de Jubilæo num. 56 et de Indulgent. num. 663; Bellegambe, p. II, sect. 4, q. 6; La Croix, lib. VI, p. II, n. 1378; Kazenberg., loc. cit. num. 60. Si autem dicatur simpliciter *ad septennium* seu *ad septem annos* Gobat, loc. cit., Viva, q. 4, art. 5 apud La Croix et Kazenberg., loc. cit. contra Pasqualigum putant durare ad septem annos utiles.

(44. Clausula in Brevi solita apponi : « Dummodo in ecclesia tot missæ quotidie celebrentur, » debet intelligi juxta declarationem datam de mandato Sanctissimi a sacra cong. Concilii, in qua die 30 Julii 1701 propositis sequentibus tribus dubiis responsum fuit, ut infra.

I. « An absentibus religiosis ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ et Adventus, vel, quando occasione festivitatum, vel funerum aut similium a superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur indulgentiæ concessæ in certo numero missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent. Vel pro eo tempore quo dictus numerus missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ; vel potius remaneant in suo robore? » Quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimæ remanere suspensas; non autem in reliquis, dummodo raro contingat.

II. « An idem sit statuendum deficiente præfixo numero missarum ob infirmitatem sacerdotum tam regul. quam sæcularium? » Non remanere suspensas.

III. « An pariter idem sit statuendum deficiente dict. numero missarum ob absentiam ab ecclesiis sæcularibus canonicorum, ac sacerdotum per aliquot dies et menses? » Satis provisum in primo.

(45. Cum quibus resolutionibus processit *congreg. Concil. Trident. in Isclana* 23 *Septembris* 1713, quando renuente episcopo Isclano exsequi Breve concessum ecclesiæ B. Mariæ Lauretanæ terræ Forigi ejusdem diœcesis, eo quia in illo aderat clausula : « Dummodo in dicta ecclesia 14 Missæ quotidie celebrentur. » Ipse autem episcopus facta diligenti computatione omnium missarum invenerat illas fixe, et ex obligatione quolibet anno celebrandas in eadem ecclesia esse solum 3491, et sic longe minus quam 14 qualibet die. Licet computando alias quæ ex magna devotione confluentium ad eamdem ecclesiam in illa celebrabantur, missæ prædictæ ex obligatione unitæ cum adventitiis longe superabant numerum 14 quotidianarum, ut ipsemet episcopus in ejus relatione testabatur, assereus sibi difficultatem facere possibile decrementum, et diminutionem ejusdem numeri missarum adventitiarum pro uno, vel altero brevi tempore, nihilominus habito recursu ad dictam congregat. Indulgent. per administratores dictæ ecclesiæ primo dubio : *An episcopo Isclano relati Brevis publicatio injungenda sit?* Responsum fuit : *Affirmative.*

(46. Clausula : « Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus dict. Ecclesiam visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint; » debet intelligi juxta declarationem sacræ congregationis Indulgent. et S. reliquiis præpositæ a Sanctissimo approbatam. Vid. verb.

Digitized by Google

Altare privilegiatum num. 7, ubi affertur integra ipsa declaratio.

(47. Missæ celebratæ de festo currente in altaribus privilegiatis in diebus quibus non licet missas *de Requiem* celebrare habent eamdem vim et easdem indulgentias, perinde ac si essent celebratæ missæ *de Requiem*, seu defunctorum. Sic expresse statuerunt tres summi pontifices, scilicet Alexander VII, die 22 Jan. 1667, Const. incipien. *Creditæ;* Clemens IX die 23 Septembris 1669 Const. incip. *Cum felicis;* Innocent. XI die 24 Maii 1688; Const. incip. *Alias*, et novissime sacra congregat. Rituum *in Urbis et Orbis*, 15 Septemb. 1714, specialiter approbante Clemente XI die 29 ejusdem mensis. Vid. verb. *Missa*, art. 15, num. 10, 11, 12 et 13 ubi afferuntur tales Constitutiones et resolutiones ad litteram.

(48. Translato festo in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam ipsa indulgentia, nisi ex concessione speciali. Sac. cong. Rit. 30 Novembris 1679 et 10 Junii 1690. Sic in Rubr. breviarii Fratrum Minorum tit. 10, et apud La Croix, lib. vi, part. ii, decr. 298.

(49. Indulgentia tandiu durat quandiu vult is qui eam concessit; quia, sicuti ab ejus voluntate pendet in fieri, ita et in conservari. *Communis*, arg. cap. *Omnis* 1, de Regulis juris, ibi : « Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

(50. Indulgentia simpliciter et absolute concessa, seu sine appositione determinati temporis, durat perpetuo per se loquendo; nam, cum superior concedens eam non limitaverit, nec nos limitare debemus. Herincx, disp. 4 de Pœnitentia q. 12, num. 87; Kazenberger, loc. cit. num. 55, et ipso teste, communissima aliorum, arg. c. *Quia circa* 22, de privilegiis.

(51. Nec perit indulgentia per mortem concedentis, nisi in ipsamet concessione ponatur explicite vel implicite iste terminus. Kazenberger, loc. cit. num. 55; Gobat, tract. 4 de Indulg., par. ii, cap. 36, num. 646; Suarez, disp. 57, sect. 2, num. 2, et ipso teste, certa et communis aliorum; arg. cap. *Decet* 16 de Regul. Juris num. 6, ibi : Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.

(52. Indulgentia concessa *usque ad beneplacitum concedentis* non est perpetua, sed, si non fuerit prius revocata, perit morte ipsius concedentis. Gobat, loc. cit. num. 643; Kazenberger, loc. cit. num. 55; Filliuccius, tract. 8, num. 235, et alii; nam beneplacitum exstinguitur exstincto privilegiante; arg. c. *Si gratiose* 5 de Rescriptis, ibi : « Hujusmodi gratia per ejus obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino exstinguitur) eo ipso expirat. (53. Indulgentia autem concessa *ad beneplacitum Sedis apostolicæ*, aut interum *dum Sedes apostolica voluerit*, non expirat morte papæ concedentis, sed durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata, quia Sedes ipsa non moritur. Kazenberger, loc. cit.; Gobat, loc. cit.; Filliuccius, loc. cit., et communis aliorum, arg. cit. cap. *Si gratiose*, ibi : « Secus autem si usque ad apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta. »

(54. Indulgentia non cessat, quamvis cesset causa propter quam concessa fuit. Constat enim ob causam temporalem sæpe concedi indulgentiam perpetuam; si enim v. g. indulgentia perpetua sit concessa propter fabricam templi, vel propter conversionem ad fidem alicujus provinciæ, non cessat talis perpetua indulgentia; quamvis templum sit jam absolutum, vel provincia sit jam conversa. *Communis* cum Gobat, loc. cit., num. 645; Suarez, disp. 57, sect. 7, num. ultim.; Kazenberger, loc. cit. num. 56; Mastrio, Theolog. moral., disp. 23, quæst. 3, num. 50.

Quoad dicta supra, num. 33 ad 36, attendenda et observanda est novissima sanctio et declaratio Benedicti XIV adducta infra in Supplementis ad verb. *Jubilæum*, art. 1, n. 50 et seqq.

ARTICULUS IV.

Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias revocatas et apocryphas, aliasque non tales, de stationibus Urbis, ac variis declarationibus.

(1. Omnis Indulgentia potest revocari a suo concedente, vel ejus successore, aut superiore, antequam suum sortiatur effectum. *Communis*, arg. cap. *Omnis res* 1 de Regulis juris, ibi : « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Dicitur autem *antequam suum sortiatur effectum*, quia, si indulgentia sit jam effectum consecuta, non potest amplius revocari quoad illum effectum; nam remissio pœnæ semel facta non potest retractari, et divina clementia, dimissa, in ultionem ulterius redire non patitur, ut inquit Gelasius papa relatus in cap. final. de Pœnitent., dist. 4.

(2. Ad hoc, ut indulgentia censeatur pro omnibus revocata, necessarium est ut sufficienter ejus revocatio promulgetur : quamvis enim revocatio indulgentiæ sit facta publice, et affixa Romæ bulla revocatoria illius, non tamen statim incipit ubique desinere ejus valor. Navarrus de Jubilæo notabil. 31, num. 28; Gobat, tract. 4 de Indulg. p. ii, cap. 37, n. 666; Kazenberger, loc. cit., n. 63 et 64, et alii communiter; arg. cit. leg. *Si procuratorem*, ff. de Procuratoribus. Sed tandiu singulis in provinciis durat, donec communi et morali modo ad eas potuerit pervenire revocatio, quia alioquin orientur maxima incommoda, et infinitæ propemodum deceptiones. Sic recte Suarez, tom. IV, in iii, p., disp. 57, sect. 1, n. 9; Filliuccius, tract. 8, num. 341; Gobat, loc. citat.; Kazenberger, loc. citat. et alii passim.

(3. Quando revocantur indulgentiæ alicujus Ecclesiæ, aut Ordinis, non censentur revocatæ indulgentiæ alteri loco, aut Ordini instar earum concessæ. Ita Navarrus de Jubilæo notabil. 26, n. 8; Gobat., loc. cit., n. 675; Kazenberger, loc. cit., n. 65. Et ratio est, quia etsi ejusmodi indulgentiæ a prioribus pependerint quoad productionem, non tamen pendent quoad conservationem:

Digitized by Google

sicut privilegia uni academiæ instar alterius academiæ privilegiorum concessa, non tolluntur sublatis illius alterius privilegiis, ut recte docet Baldus communiter receptus in l. *Omnia* c. *de Episcop. et cler.* (4. Imo revocatis indulgentiis omnibus, quæ alicui ecclesiæ sunt concessæ, non censentur revocatæ illæ, quas habet unum, alterumve illius ecclesiæ altare privilegiatum : nam non est ratio, cur nomine ecclesiæ intelligantur in hac odiosa materia etiam altaria; arg. cap. *Odia* 15 de Regul. juris in 6, ibi : « Odia restringi, favores convenit ampliari. » Ita Gobat, loc. cit., num. 676, Lezana, vers. *Bulla cruciatæ*, num. 41; Kazenberger, l. c., num. 65.

(5. S. Pius V pontifex max. constit. incip. *Etsi Dominici*, edito sexto Kalendas Februarii 1567, revocavit omnes indulgentias quæ quæstum continebant. Vide etiam concilium Tridentinum de hac re sess. 25, in decr. de Indulgentiis, et sess. 21, cap. 9, de Reformat.

(6. Paulus V summus pontifex constit. incip. *Romanus pontifex*, edita 23 Maii 1606, revocavit omnes indulgentias per suos prædecessores summos pontifices concessas quibuslibet regularibus cujusvis ordinis, et alias de novo concessit; quæ constitutio, ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur :

PAULUS PAPA V, ETC.

(7. Romanus pontifex in B. Petri sede constitutus, cui inter alia cœlestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, sollicite prospicere debet, ac solerter, ut hujusmodi indulgentiarum dispensatio, et usus ad Dei gloriam et animarum salutem præcipue dirigatur, et ne ex illarum multiplicitate confusio aut inanis interpretatio exoriatur.

§ 1. Proinde cum felic. recor. Clemens papa VIII, prædecessor noster, magna cum diligentia et sollicitudine procuraverit abusus et corruptelas, tum in communicando indulgentiarum thesauros, tum in medio illos recipiendi irreptos tollere, et propterea sua quadam constitutione formam aggregandi, instituendi et recte administrandi societates et confraternitates præscripserit, licet morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem exsecutionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa indulgentias a plerisque Romanis pontificibus prædecessoribus religionibus, et ordinibus monasticis, et mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit.

§ 2. Nos, qui nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate, ad summi apostolatus officium vocati sumus, susceptum a tanto pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum catholicæ Ecclesiæ regimen suscepimus, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus ad hoc opus a dicto Clemente prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis prædecesssoris eramus, injunximus ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, et indulgentias regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent.

§ 3. Cum itaque præfati cardinales privilegia, concessiones et gratias prædictis religionibus et ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorumdem ordinum superiores et officiales pluries audierint, ac circa easdem indulgentias varia dubia et incertitudines, et confusiones adesse compererint, et ex judicio eorumdem etiam regularium, et aliquorum ex illis nobis proposuerint, valde expedire pro eorum securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis religionibus, et ordinibus adinstar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus et revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§ 4. Nos matura super hoc consultatione præhabita, cupientes personis regularibus quibuscunque quorumvis ordinum, tam monasticorum, quam Mendicantium spirituale solatium, et juvamen afferre, infrascriptas indulgentias et gratias, quas personis regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum superiorum legitima de causa illis concessa degentibus, tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§ 5. Omnibus igitur Christi fidelibus, qui canonice et juxta ordines cujuslibet religionis et constitutiones apostolicas habitum regularem a legitimis superioribus, causa profitendi in illo, susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam religionem, si vere pœnitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam.

§ 6. Ac cuilibet novitio, qui pœnitens et confessus, ac sacra communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam.

§ 7. Necnon cuilibet religioso intra claustra sui monasterii viventi, qui in festo principali sui ordinis confessus, et sacra communione refectus fuerit, aut missam recitans, pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, Romani pontificis salute, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

§ 8. In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter vere pœnitens et confessus, ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, nomen Jesu, ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit, etiam plenariam.

§ 9. Qui vero ad presbyteratus ordinem canonice promotus, et confessus, primam missam celebrabit; necnon etiam iis religiosis, qui pariter confessi, et sacra communione refecti eidem missæ interfuerint, aut ipso die missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.

§ 10. Iis vero, qui de suorum superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut aliorum conversatione separati, in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem et spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe

Digitized by Google

considerationes, et meditationes mysteriorum fidei catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum passionis Domini nostri Jesu Christi, et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in die, et nocte orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annalem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, aut missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§ 11. Præterea iidem religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, et, ut præfertur, oraverint consequantur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis, et extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent.

§ 12. Omnibus item religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam ante altare eorum ecclesiæ in quolibet die oraverint, quinque annos, et totidem quadragenas.

§ 13. Iis vero, qui de suorum superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam prædicatores, et lectores, quinquies eamdem orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos et totidem quadragenas.

§ 14. Necnon etiam eisdem religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, et sacra communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas.

§ 15. Qui vero contrito corde, et pœnitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, tres annos et totidem quadragenas.

§ 16. Quotiescunque autem de licentia summi Pontificis, aut suorum superiorum, in ditiones et terras infidelium aut hæreticorum ad concionandum aut catholicos docendum; vel infideles, et hæreticos ipsos ad fidem catholicam convertendum, et Ecclesiæ gremium reducendum, missi fuerint, si pœnitentes et confessi, ac sanctissima communione refecti fuerint, vel missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, et quando in provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur.

§ 17. Et insuper cum superior in visitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis religiosis qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, Romani pontificis salute, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ et observantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi, et sacra communione refecti fuerint, aut missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, ut præfertur, concedimus.

§ 18. Volumus autem ut omnes supradictæ indulgentiæ et gratiæ religionis regularibus cujusvis ordinis, tam monastici quam mendicantis duntaxat, ut præfertur, concessæ etiam omnibus monialibus cujusvis regulæ approbatæ et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, et perpetuam clausuram servantibus tam ordinariis locorum, quam etiam regularibus cujuscunque ordinis, regulæ, et instituti subjectis suffragentur, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§ 19. Cæterum omnes et singulas indulgentias quibuscunque ordinibus, et institutis, regularibus hujusmodi etiam mendicantibus, et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum, et litterarum apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo, per quoscunque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac Nos, et apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas et innovatas, auctoritate ac tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus, et ad præsentium nostrarum litterarum præscriptum reducimus et moderamur.

§ 20. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eorumdem ordinum et institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam Mare magnum, et Bulla aurea nuncupatis, eisdem ordinibus et institutis, eorumque monasteriis, conventibus, collegiis, domibus, superioribus et personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, tenores, hujusmodi præsentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 21. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitus eadem fides habeatur ubique, quæ præsentibus ipsis originalibus litteris haberetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub

Digitized by Google

annulo piscatoris die 23 Maii 1606, pontificatus nostri anno secundo.

(8. Per hanc tamen indulgentiarum revocationem factam a Paulo V non intelliguntur revocatæ variæ indulgentiæ, quas adhuc lucrari possunt regulares, ut recte notant et pro certo tenent Peyrinus, Lezana, Quintanadvenas, Gobat., tract. 4 de Indulgent., part. II, cap. 27; Kazenberger, loc. cit., num. 77, et alii. Primo, igitur non sunt revocatæ indulgentiæ promiscuæ reg. et sæc. concessæ, unde adhuc iis frui possunt reg. omnes. Secundo, non sunt revocatæ indulgentiæ regularium locales, seu ecclesiis et capellis regularium concessæ, ut declaravit S. Congr. 7 Sept. 1607 apud Vivam in Append. indulgentiarum § 1, n. 6, et Peyrinum de Privilegiis tract. 5, cap. 9, num. 82. Tertio, non sunt revocatæ indulgentiæ quæ impertitæ erant parentibus, cognatis et servitoribus religiosorum; Quintanadvenas in Appendice suorum singularium tract. 4, dub. 13, num. 4; Gobat, loc. cit., num. 546; Kazenberger, loc. cit., n. 77. Quarto, non sunt revocatæ indulgentiæ concessæ ipsis religiosis pro animabus Purgatorii ut v. g. possint tali die orando, vel sacrificando, liberare animam a Purgatorio. Sic idemmet Paulus V testatus est 23 Februarii 1600, ut refert Viva in Appendice indul. § 1, n. 6, cum aliis ibi citatis; Quintanadvenas loc. cit.; Gobat, loc. cit.; Kazenberger, loc. cit. Quinto, non sunt revocatæ indulgentiæ quas poterant regulares concedere, tam regularibus quam sæcularibus pro aliquo opere, ut est indulgentia quam regulares concionatores dare possunt audientibus ipsorum conciones, aut indulgentia plenaria quam provinciales suis largiuntur in fine visitationis, ex dictis art. 2, n. 28 et infra n. 11. Sic Kazenberger, loc. cit., n. 77; Gobat, loc. cit., num. 546; Quintanadvenas, loc. cit., n. 8. Sexto, non sunt revocatæ etiam indulgentiæ directe concessæ regularibus, vel agonizantibus in articulo mortis, vel jam vita functis; Sic probabilissime Lezana, verb. *Indulg.* n. 11 et 12; Kazenberger, loc. cit., n. 77; Gobat, loc. cit., num. 547; Diana, part. 4, tract. 9, resolut. 21; Pellizarius, tract. 8, cap. 6, n. 181, referens etiam Peyrinum et Alphonsum Leonem. Et ratio est quia, ut dicit Gobat, loc. cit., indulgentiæ pro articulo mortis et defunctis sunt ita favorabiles, ut censeantur involvi etiam Bullis tametsi universalissime suspendentibus omnes indulgentias. Imo addit Pellizarius, loco cit., num. 182 cit. a Gobat, loc. cit., num. 547, et Kazenberger, loc. cit., num. 77, nec illas esse revocatas, quæ erant quidem directæ concessæ regularibus vivis et sanis, ita tamen ut possent applicari defunctis, religiosis, aut sæcularibus, hoc enim ipso quod possint applicari defunctis gaudent privilegio concessarum immediate defunctis. Septimo, non sunt revocatæ indulgentiæ concessæ nostris Tertiariis substantialia religionis vota non emittentibus intra vel extra claustra degentibus, ut declaravit Innocentius XI die 10 Octobris 1686 per suum Breve incipiens:

Alias emanavit. Vide Rubricas nostri breviarii Franciscani particulares n. 173.

(9. Circa disposita in dicta Constitutione Pauli V notandum est quod, ubi ipse § 10 concedit indulgentiam plenariam omnibus regularibus obeuntibus spiritualia exercitia per decem dies, Alexander VII die 11 Jun. 1659, eamdem plenariam indulgentiam concessit Fratribus Minoribus de corpore Observantiæ dicta spiritualia exercitia obeuntibus per solos octo dies: quæ Constitutio, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

ALEXANDER PAPA VII, ETC.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Michael Angelus Sambuca ordinis Fratrum Minorum S. Francisci minister generalis, in capitulo generali ejusdem Ordinis novissime Toleti celebrato inter alia decretum fuerit ut successus, et spiritualia mortificationis, et orationis mentalis exercitia in omnibus provinciis Cismontanæ familiæ Ordinis prædicti reassumantur, et illis Fratres earumdem provinciarum aliquoties singulis annis vacent.

Nos, qui probe novimus quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, et confirmandis in illa Christi fidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de suorum superiorum licentia operi adeo pio et salutari vacaverint cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis invitare volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis prædicti Ordinis fratribus tam clericis quam laicis, seu conversis, qui in domibus regularibus provinciarum prædictarum de suorum superiorum licentia exercitia prædicta per octidui spatium quandocunque peregerint, et interea temporis vere pœnitentes et confessi sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem in Domino concedimus præsentibus in perpetuum valituris. Volumus autem quod, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eædem præsentes nullæ sint eo ipso quodve earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici, vel secretarii dicti Ordinis subscriptis et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, vel ministri generalis prædicti Ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, 11 Junii 1659, pontificatus nostri anno quinto.

G. GUALTERIUS.

Habetur in constitutionibus generalibus nostri Ordinis fol. 374, et in Theatro regularium Lantuscæ, verb. *Exercitia spiritualia.*

(10. Item notandum est quod ubi ipse

Digitized by Google

Paulus V in cit. sua Constitut. § 11 et 12 varias indulgentias concedit regularibus omnibus qui suas respective ecclesias visitaverint, ac in ipsis oraverint et ante altare præscriptas orationes recitaverint; si dicti regulares fuerint, aut infirmitate, aut itinere, aut undecunque vere impediti ne possint ecclesiam propriam adire ad recitandas preces injunctas pro consecutione cujuscunque indulgentiæ, possint illas ubilibet recitare, ut habetur in Compendio privilegiorum verb. *Indulgentia* § 2, et in Soc. J. Summario privileg. sanctæ Justinæ; Ita doctissimus P. Viva in Appendice Indulgentiarum § 1, num. 6; Kilianus, Kazenberger in cit. supplement. Theologiæ sacramentalis Patris; Sporer cap. 3, sect. 2 de Indulgentiis in specie n. 83. Et addit Sborgar tract. 9, cap. 2, num. 24, religiosos infirmos posse consequi indulgentias in suo lecto, si non possint adire ecclesiam, dummodo satisfaciant operi a pio confessario ipsis imposito. Ita declaravit ipse Paulus V congregationi S. Mariæ Fulien. die 14 Nov. 1609.

(11. Item notandum est quod, ubi ipse Paulus V, in cit. sua Constitutione § 17, concedit indulgentiam plenariam religiosis qui orationibus quadraginta horarum a superioribus in visitationibus generalibus ordinatis spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et confessi communicaverint aut celebraverint; hujusmodi indulgentiam provinciales Societatis in visitatione largiuntur absque hoc onere (intellige institutione 40 horarum) ut ex card. de Lugo docet Viva l. c. § 3; Kazenberger. loc. cit. num. 83 ex concessione prius Gregorii XIII, deinde Urbani VIII, post revocationem factam a Paulo V. Et talem indulgentiam plenariam posse etiam prælatos et visitatores aliorum religionum concedere suis respective religiosis peracta visitatione conventus, ut duximus supra art. 2. num. 29. Vid. ibi.

(12. Item notandum est quod, non obstante dicta Constitutione Pauli V, possunt regulares consequi omnes Indulgentias quas consequi possunt sæculares. Sic communissima doctorum cum Kiliano Kazenberger loc. cit. num. 83; Reiffenstuel loc. cit. num. 65; Bonagratia Habsensi in Summula, verb. *Indulgentia* num. 221; Peyrin, Lezana, Quintanadven. et aliis. Et ratio est quia regulares non debent esse deterioris conditionis quam sæculares. Tum quia, generatim loquendo, revocatæ sunt solum illæ indulgentiæ quæ concessæ erant directe et principaliter ipsis regularibus, et ipsemet Paulus V solum dicit a se revocari indulgentias « *Quibuscunque ordinibus, et institutis regularibus et quibuslibet regularibus personis concessas;* » quæ verba, cum sint correctiva jurium antiquorum atque odiosa, merito intelliguntur stricte; argument. capit. *Odia* 15, de Regul. juris in 6, maxime quia pontifex potuisset facile apponere clausulam *Quomodocunque*, quam, quia non apposuit, censendus est non voluisse subintelligi; arg. cap. 2, de Translat. episcop. Sic recte Gobat tract. 4, de Indul. part. 2, cap. 27, num. 546, et alii.

(13. Indulgentiæ autem ipsis regularibus concessæ, et a Paulo V revocatæ non sunt censendæ hodie revalidatæ, ut patet ex sequenti propositione 37 in ordine inter merito damnatas ab Alexandro VII *die* 18 *Martii* 1666, ibi: *Indulgentiæ concessæ regularibus et revocatæ a Paulo V hodie sunt revalidatæ.*

(14. Innocentius XI, summus pontifex, anno 1678 7 Martii in decreto quod incipit: *Delatæ sæpius* plurimas indulgentias revocavit, et ut falsas, confictas apocryphasque declaravit, unde, ut ab omnibus quæ sint percipiantur, datur hic ad litteram ipsummet.

DECRETUM.

(15. Delatæ sæpius fuere ad sac. Congregationem indulgentiis sacrisque reliquiis præpositam indulgentiæ quædam confictæ, et omnino falsæ quæ per diversas orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ vero examinandæ quæ, adhibitio studio, inventæ sunt vel apocryphæ, vel a Romanis pontificibus revocatæ, vel nullæ quod datum eis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Christi fideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem sacr. Congreg., vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui et indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi et indice referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ a Joanne II et Sixto IV recitantibus orationem charitatis Jesu Christi Domini nostri, *Precor te, piissime Domine*, etc., ab Urbano II ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Campagnolæ, et S. Victoriæ ab Eugenio III revelationi de plaga in humero Jesu Christi factæ S. Bernardo; ab Innocentio III Archiconfraternitati, et ordini Redemptionis; a Bonifacio IX visitantibus capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo; a Joanne XXII osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis; ab Alexandro VI imagini B. Mariæ, vulgo dictæ Laghetti; a Leone X gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressa, deinde Mediolani anni 1665. (suas tamen habent, et veras Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci) recitantibus salutationem angelicam ad pulsum horologii, et imagini Conceptionis Mariæ Virginis immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est; a Pio IV vel Pio V principi Senarum; a Clemente VIII dicentibus orationem: *O magnum mysterium*, etc. et ecclesiæ S. Mariæ quam vocant Montis Ferrati Avenione impressæ, tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Matriti 20 Julii 1606, a Paulo V cantantibus hymnum, *Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem confitemur*, etc., vel, si die Sabbati intererint, dum is canitur et coronis, rosariis, imaginibus et numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis Frederico cardinali Borromæo supplicante anno

Digitized by Google

1611, dum ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, et ab eodem Paulo et Gregorio XV dicentibus: *Sia lodato il Smo Sagramento*, *Laus Sanctissimo Sacramento*, ab Urbano VIII in honorem ejusdem sacramenti precibus cardinalis Magalotti et sacerdotibus celebrata missa dicentibus: *Ave, filia Dei Patris*, *Ave*, *Mater Dei Filii*, etc., a Clemente X recitantibus mane, meridie, ac vespere consuetam antiphonam, *Angelus Domini* etc., et in fine *Deo Gratias et Mariæ*: Ac demum aliæ a nonnullis Romanis pontificibus tributæ, ut aiunt, coronis mysteriorum passionis Domini nostri Jesu Christi prece magni ducis Etruriæ.

Talis est indulgentia sodalitatis S. Nicolai qua, repetita quinquies oratione Dominica et salutatione angelica, unam liberari animam quolibet die a Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii confraternitatis SS. Sebastiani, et Rochi, et Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani; Tales demum aliæ cruce signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, et Bononiæ.

Ejus generis sunt et illæ concessæ, ut aiunt, capellæ Rosarii in ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rhodigii, vel ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die festo Inventionis Sanctissimæ crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. V., vel recitantibus officium S. Franciscæ Romanæ, aut antiphonam *O passio magna* etc., in memoriam passionis Jesu, aut rosarium S. Annæ (quod congregatio sacrorum Rituum non probat) aut orationem quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet *Ave, gratia plena*, etc. (quæ oratio prohibetur) aut officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ quod asserunt, a Paulo V, probatum fuisse, aut orationem: *Deus, qui nobis in sancta sindone*, etc. (excipitur indulgentia 160 dierum anno 1671 concessa precibus ducissæ Sabaudiæ ad annos 25 cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, *Ave, filia Dei* etc. post communionem recitandam, vel alio conspicuo signo venerantibus sanctissimi Eucharistiæ sacramenti nomen; indulgentia rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscripta, quam in basilica Lateranensi asservari affirmant pro dicentibus orationem illam vere piam, *Deus, qui pro redemptione mundi* etc. Tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670 sub hoc titulo, « Sommario delle indulgenze concesse dalla Santità di nostro signore Papa Leone X, all' imagine della gloriosa Vergine Maria, vel Pisauri sub nomine B. Joannæ anno 1618 evulgatæ, vel Barlettæ, seu Baruli a recentibus quasdam non sane malas orationes, lucrandæ, vel Parmæ visitantibus per Quadragesimæ dies ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii, et Vastallæ a recitantibus orationem, *Ave, sanctissima Maria, Mater Dei, Regina cœli*, etc., et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus

frui dicuntdevotos seraphicos et benefactores.

His annumerandæ sunt quæ crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel coronæ sive stellario Conceptionis Virginis immaculatæ quod ex duodecim globulis precariis constat, vel granis, crucibus, et coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ monialis ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis Jesu Christi Domini nostri, vel imagini, ut mensuræ, vulneris lateri ejus inflicti, vel orationi, ut aiunt, in sepulcro Domini nostri repertæ, et indulgentiæ, ut aiunt, innixæ revelationi factæ S. Birgittæ, Mechtildi, et Elisabeth, vel beatæ Joannæ de Cruce, et concessæ, ut asserunt, granis quæ aliquot ex tribus granis tetigerint, extantibus penes Romanum pontificem, Hispaniarum regem, et ministrum generalem Fratrum Min. observ. S. Francisci.

Omnes vero et singulas jam dictas indulgentias sacra Congregatio partim esse confictas, et plane falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco ut veras publicari, et lucrandas Christi fidelibus proponi vetat, foliaque et libros, ubi sic proponuntur seu afferuntur, omnino præcipit aboleri nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris, et legitimis tacitoque probatis haberi.

Ac demum omnes indulgentias concessas ante decretum Clementis VIII latum die 9 Januarii 1587, coronis, rosariis, granis, seu calculis, crucibus et imaginibus sacris, vel ante Breve Pauli V quod incipit: *Romanus pontifex*, etc. editum 23 Maii anno 1606, personis regularibus quarumcunque religionum, et ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115 Clementis VIII, cujus initium *Quæcunque*, etc. et 68 Pauli V incipientem, *Quæ salubriter*, etc. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab archiconfraternitate ulla, ordine, congregatione, societate, etiam Jesu, capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum officialibus, superioribus aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, et individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ nullius esse roboris, et momenti pariter declarat.

Porro summaria indulgentiarum pro congregationibus Doctrinæ Christianæ, confraternitatibus SS. Trinitatis et Redemptionis Captivorum Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, et redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ Sancti Augustini, et S. Monicæ, nisi ab eadem congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias vero stationum Urbis, quæ a Romanis pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis, diebus tantum stationum in missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies eccle-

Digitized by Google

siam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus relatione facta per secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas Sua probavit, et inviolate servari jussit. Datum Romæ die 7 Martii 1678.

16. In quo decreto, ut vides, circa finem, § *Indulgentias pro stationum Urbis*, cum Innocentius XI, varia disposuerit quoad acquisitionem indulgentiarum stationum Urbis, et Paulus V in cit. const. incip. *Romanus Pontifex* § 11, concesserit quod eas lucrari possint regulares qui suam respective ecclesiam devote visitaverint, et ibi, ut præfertur, oraverint, hic juvat adducere, et assignare dies ipsos stationum in missali Romano descriptos, et indulgentias, quæ in iisdem acquiri possunt, prout reperiuntur in libro regulæ Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Romæ edito a R. P. Angelo Auda a Lantusca ordinis nostri Seraphici, et approbato a reverendissimo P. Hyacintho Libello ordinis Prædicatorum sacri palatii apostolici Magistro anno 1665, 11 Martii; qui liber postea fuit etiam Mediolani, Viennæ in Austria, et novissime anno 1697, Frisingæ denuo approbatus, et eas ex ipso ordine ut sequitur refert Kazenberger, loc. cit. n. 81.

IN JANUARIO.

17. *In Circumcisione Domini*. Statio ad Sanctam Mariam Trans-Tiberim, et indulgentia plenaria, et 25,000 annorum.

In Epiphania Domini. Statio ad S. Petrum indulgentia plenaria, et 18,000 annorum, et totidem Quadragenarum.

IN FEBRUARIO.

Dominica Septuagesimæ. Statio ad S. Laurentium extra muros et indulgentia plenaria.

Dominica Sexagesimæ. Statio ad S. Paulum, et indulgentia plenaria, et 10,000 annorum, et totidem Quadrag.

Dominica Quinquagesimæ. Statio ad S. Petrum, et indulgentia plenaria, et 28,000 annorum cum totidem Quadragenis, et remissione tertiæ partis peccatorum.

IN QUADRAGESIMA.

Feria 4 Cinerum. Statio ad S. Sabinam, et indulgentia plenaria cum 3,000 annis, et totidem Quadragenis.

Feria 5 post Cineres. Statio ad S. Gregorium, et indulgentia 10,000 annorum.

Feria 6. Statio ad SS. Joannem et Paulum, et indulgentia 10,000 annorum.

Sabbato post Cineres. Statio ad S. Tryphonem, et indulgentia 10,000 annorum, et plenaria.

Dominica 1 *Quadragesimæ*. Statio ad S. Joannem in Laterano, et indulgentia plenaria cum 18,000 annis, et liberatione animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad Vincula, et 10,000 an. indulgentiarum, uti etiam indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anastasium, et indulgentia 28,000 annorum cum totidem Quadragenis, et liberatio animæ e purgatorio.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia 28,000 annorum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium in Paneperna et indulgentia 1,000 ann. uti etiam plenaria.

Feria 6. Statio ad SS. duodecim Apostolos, et indulgentia 12,000 ann. uti etiam plenaria.

Sabbato. Statio ad S. Petrum, et indulgentia 18,000 ann. et totidem Quadragenarum, uti et plenaria.

Dominica 2 *Quadragesimæ*. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia 18,000 ann et totidem Quadragenarum.

Feria 2. Statio ad S. Clementem, et indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Balbinam, et 10,000 ann. indulgentiarum.

Feria 4. Statio ad S. Cæciliam, et indulgentia 10,000 annorum.

Feria 5. Statio ad S. Mariam Trans-Tiberim, et indulgentia 25,000 annorum.

Feria 6. Statio ad S. Vitalem, et indulgentia 10,000 annorum.

Sabbato. Statio ap SS. Marcellinum et Petrum, et indulgentia plenaria, item 10,000 annor. et liberatio animæ e purgatorio.

Dominica 3 *Quadragesimæ*. Statio ad S. Laurentium extra Muros, et indulgentia 19,000 annor., et 43 Quadragenarum, et liberatio animæ o purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Marcum, et indulgentia plenaria, ac 10,000 annorum.

Feria 3. Statio ad S. Pudentianam, et indulgentia plenaria et 10,000 annor.

Feria 4. Statio ad S. Xistum, et indulgentia plenaria et 1,000 annor.

Feria 5. Statio ad SS. Cosmam et Damianum, et indulgentia 10,000 annor.

Feria 6. Statio ad S. Laurentium in Lucina, et indulgentia 10,000 annorum.

Sabbato. Statio ad S. Suzannam, et indulgentia 10,000 annor.

Dominica 4 Quadragesimæ. Statio ad S. Crucem in Jerusalem, et indulgentia plenaria et liberatio animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad SS. Quatuor Coronatos, et indulgentia 10,000 annor.

Feria 3. Statio ad S. Laurentium in Damaso et indulgentia 10,000 annor. et remissio tertiæ partis peccatorum,

Feria 4. Statio ad S. Paulum, et indulgentia plenaria ac 10,000 annor.

Feria 5. Statio ad SS. Silvestrum et Martinum, et indulgentia 10,000 annor.

Feria 6. Statio ad S. Eusebium, et indulgentia 10,000 annor.

Sabbato. Statio ad S. Nicolaum in Carcere et indulgentia plenaria.

Dominica Passionis. Statio ad S. Petrum, et indulgentia 18,000 ann. et totidem Quadragenarum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 2. Statio ad S. Chrysogonum, et indulgentia 10,000 annor.

Digitized by Google

Feria 3. Statio ad S. Cyriacum, et indulgentia 10,000 annor.

Feria 4. Statio ad S. Marcellum, et indulgentia 10,000 annor.

Feria 5. Statio ad S. Apollinarem, et indulgentia 10,000 annor.

Feria 6. Statio ad S. Stephanum in Cœlio Monte, et liberatio animæ e purgatorio.

Sabbato. Statio ad S. Joannem ante Portam Latinam, et indulgentia 13,000 annor. et liberatio animæ e purgatorio.

Dominica Palmarum. Statio ad S. Joannem, in Laterano, et indulgentia plenaria cum 25,000 annis et totidem Quadragenis, ac liberatio animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Praxedem, et indulgentia plenaria, et 15,000 annor.

Feria 3. Statio ad S. Priscam, et indulgentia plenaria, et 18,000 annor.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria et 28,000 annor.

In Cœna Domini. Statio ad S. Joannem in Laterano, et indulgentia plenaria 11,000 ann., 38 Quadragenarum, et liberatio animæ e purgatorio.

In Parasceve. Statio ad S. Crucem in Jerusalem, et indulgentia plenaria.

Sabbato sancto. Statio ad S. Joannem in Laterano, et indulgentia plenaria, item 11,000 annor., 45 Quadragenarum, et liberatio animæ e purgatorio.

Dominica Resurrectionis. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria, et 28,000 ann. et totidem Quadragenarum.

Feria 2. Statio ad S. Petrum, et indulgentia plenaria, et 28,000 annor.

Feria 3. Statio ad S. Paulum, et indulgentia plenaria, item 20,000 annor. et 28 Quadragenarum.

Feria 4. Statio ad S. Laurentium extra muros, et indulgentia 28,000 annorum, totidem Quadragenarum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 5. Statio ad SS. duodecim Apostolos, et indulgentia plenaria, et 25,000 annor.

Feria 6. Statio ad S. Mariam ad Martyres, et indulgentia 15,000 annor.

Sabbato in Albis. Statio ad S. Joannem in Laterano, et indulgentia plenaria, item 15,000 ann., et liberatio animæ e purgatorio.

Dominica in Albis. Statio ad S. Pancratium, et indulgentia plenaria, et 15,000 annor.

IN APRILI.

Die 15, *in festo S. Marci evangelistæ*. Statio ad S. Petrum et indulgentia plenaria, item 15,000 ann. et totidem Quadragenarum.

IN MAIO.

Feria 2 *Rogationum*. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia 6,048 annorum et totidem Quadragenarum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 3 *Rogationum*. Statio ad S. Joannem in Laterano, et indulgentia plenaria.

Feria 4 *Rogationum*. Statio ad S. Petrum, et indulgentia plenaria.

In Ascensione Domini. Statio ad S. Petrum, et indulgentia plenaria, et 28,000 ann.

IN JUNIO.

Sabbato in Vigilia Pentecostes. Statio ad S. Joannem in Laterano, et indulgentia plenaria, et liberatio animæ e purgatorio.

Dominica Pentecostes. Statio ad S. Petrum, et indulgentia plenaria.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad Vincula, et indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anastasiam, et indulgentia 18,000 annorum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia 6,000 annorum, et totidem Quadragenarum.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium extra Muros, et indulgentia 28,000 annorum, et remissio tertiæ partis peccatorum et liberatio animæ e purgatorio.

Feria 6. Statio ad SS. duodecim Apostolos, et indulgentia multorum annorum.

Sabbato ante festum SS. Trinitatis. Statio ad S. Petrum, et indulgentia 6,040 annorum, totidem Quadragenarum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

IN SEPTEMBRI.

Feria 4 *Quatuor Temporum Septembris*. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria, item 2,400 annorum, et totidem Quadragenarum.

Feria 6. *Quatuor Temporum Septembris*. Statio ad SS. duodecim Apostolos, et indulgentia plenaria, et 28,000 annorum.

Sabbato Quatuor Temporum Septembris. Statio ad S. Petrum, et indulgentia 28,000 annor., et remissio tertiæ partis peccatorum.

IN DECEMBRI.

Dominica prima Adventus. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria, item 28,000 ann. et totidem Quadragenarum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Dominica 2 *Adventus*. Statio ad S. Crucem in Jerusalem, et indulgentia plenaria et 200 annorum.

Dominica 3 *Adventus*. Statio ad S. Petrum, et indulgentia plenaria, et 28,000 annor.

Feria 4 *Quatuor Temporum Adventus*. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria, item 28,000 annorum, totidem Quadragenarum, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 6 *Quatuor Temporum Adventus*. Statio ad SS. duodecim Apostolos, et indulgentia plenaria et 10,000. annor.

Sabbato Quatuor Temporum Adventus. Statio ad S. Petrum, indulgentia plenaria 28,000 ann.

Dominica 4 *Adventus*. Statio ad SS. duodecim Apostolos, et indulgentia plenaria.

In Vigilia Nativitatis Domini. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria, item 28,000 annor. et totidem Quadragenarum.

Digitized by Google

In Nativitate Domini ad primam missam in nocte. Statio ad S. Mariam Majorem ad Præsepe, et indulgentia plenaria, item 20,000 annorum, totidem Quadragenarum.

Ad 2 missam in Aurora. Statio ad S. Anastasiam, et indulgentia plenaria, item 28,000 annor., itidem Quadragenarum.

Ad 3 missam in die Nativitatis Domini. Statio ad S. Mariam Majorem et indulgentia plenaria.

In festo S. Stephani Protomartyris. Statio ad S. Stephanum in Cœlio Monte, et indulgentia plenaria, item 8,000 annorum, et totidem Quadragenarum.

In festo S. Joannis apost. et evangelistæ. Statio ad S. Mariam Majorem, et indulgentia plenaria, item 50,000 annorum, et liberatio animæ e purgatorio.

In festo SS. Innocentium. Statio ad S. Paulum et indulgentia plenaria, item 15,000 annor. et totidem Quadragenarum.

Has indulgentias merito suspectas habet P. Minderer in tract. de indulg. p. 2, confer. 1, qu. 8, n. 211, et seqq. cum sæpe præter plenarias tot millia annorum addantur, quod est contra rationem indulgentiæ plenariæ, et contra disciplinam Ecclesiæ in concedendis indulgentiis. Præterquam quod similes multorum millium annorum concessiones inter apocryphas reponit Benedictus XIV, ut supra demonstratum est art. 1, n. 14.

(18. Indulgentiæ stationum nequeunt applicari defunctis, nisi ab habentibus bullam Cruciatæ. Item nisi indulgentiæ stationum expresse sint concessæ pro defunctis, ut est liberatio animæ e purgatorio. Gobat., tract. 1, de Indulgent. p. II, c. 8, n. 134; Kazenberger, l. c., n. 82, et alii.

(19. Indulgentiæ autem stationum sunt eæ quæ conceduntur visitantibus certas quasdam Rom. stationes, id est Rom. ecclesias, quæ sint instar stationum, seu præsidiorum, excubiarumque spiritualium ut declarat partim Emmanuel Rodriq. quæst. 86, art. 1, partim cardinalis Toletus lib. VI, cap. 28, ubi sic loquitur : « Ut intelligas Stationum originem (93), adverte ex Tertulliano cap. 29 Apol. ex tempore persecutio-

(93) Summarium isthoc indulgentiarum *stationum* excriptum per cl. nostrum auctorem ex libro regulæ tertii Ordinis S. Francisci, copiosiores atque profusiores indulgentiarum elargitiones venditans, ultra quam veneranda novit antiquitas, aut ecclesiasticæ disciplinæ ratio patiatur, merito suspectum visum fuit non ignobili theologo; ut videre est sub finem num. 17 ejusdem art. Hinc non sine magna ratione factum est, ut hic Neapoli, cum primum gratiosum diploma bullæ S. Cruciatæ ad nos perlatum fuit, ubi præter cætera indulgentiæ *stationum* recipientibus prædictam bullam conceduntur, licet primis annis hoc idem summarium hinc excerptum ecclesiis affixum legeretur, postea re maturius perpensa repudiatum fuerit ac rejectum. Qua de re ut certius aliquid, ac vetustiori disciplinæ, atque ecclesiæ moderationi conformius hoc in genere haberetur, ad sacram indulgentiarum congregationem recursum fuit, unde prodiit responsum pontificio etiam confirmatum oraculo, in quo et dies *stationum*, atque indulgentiæ singulis affixæ accurate atque ordine recensentur. Atque inde summarium confectum est, quod et commissarii nostri eminentissimi auctoritate recognitum, atque Christi fidelibus hujusce nostri regni incolis propositum, singulis propemodum ecclesiis affixum visitur, longe diversissimus ab eo, quod auctor noster hic nobis exhibet tot millenorum annorum indulgentiis refertum; uti utrumque conferenti cuiquam perspicere facile est.

Hisce porro articulis, ubi de indulgentiis agitur, nihil præterea adjiciendum censemus; etenim præter quod hoc argumenti genus fusius discussimus in nostra Dissert. Histor. dogmat. moral. in bullam S. Cruciatæ huic Neapolitano regno concessam part. III, § 1, 2 et 3 : quapropter si vacet et libeat adeantur ibi dicta; præterea binæ sapientissimæ appendices hisce articulis de indulgentiis in prioribus editionibus attextæ supplere videntur quidquid ultra desiderari hic posset, sive ad auctoris nostri dicta illustranda, sive ad internoscendum qualis sit ecclesiæ spiritus, mens, animus atque votum in iisdem indulgentiis elargiendis.

Præterea in laud. nostra Dissert. § 4, egimus etiam, ac pro modulo disseruimus de stationibus, earumque origine ac vetustate, earum discrimen cum nostris recentioribus stationibus diligenter investigavimus; ubi cum eruditissimis viris Mabillonio, Morino, Graveson, Papebrochio, Van Espenio communem scholasticorum sententiam rejiciendam evicimus, quia diu creditum fuerat per D. Gregorium M. indulgentias primitus stationibus fuisse annexas. Consulantur ibid. dicta.

At quoniam sub laud. num 19, apud cl. nostrum auctorem auctoritate producta ex cardinali Toleto commemorantur, ea quæ factita fuisse creduntur perdurantibus stationum temporibus, operæ pretium ducimus ea diligentius perscrutari atque accuratius recensere, ut rectam illarum notitiam assequi inde possit studiosus lector, atque diligens quivis antiquitatum inquisitor, atque investigator.

Diebus itaque stationum, quæ quarta et sexta feria per singulas hebdomadas habebantur, Christi fideles prioribus illis atque beatissimis Ecclesiæ sæculis summo mane conveniebant in ecclesias, ibique ad horam usque nonam morabantur, et precibus et rerum divinarum contemplationibus vacabant, corporaque jejuniis, adgeniculationibus, lacrymis aliisque pœnitentiæ laboribus exercebant; denique hora nona, sacris peractis, atque Eucharistia recepta, stationem solvebant, ac domum revertebantur.

Ac primo stationes habitas fuisse quarta et sexta feria extra omnem dubitationis aleam futurum apud omnes merito arbitramur, cum id omnes antiqui scriptores testentur. Hinc Tertullianus : « Cur stationibus quartam, et sextam Sabbati dicamus. » Et Epiphanius in Compendio Doctrin. Christian. : « Quarta vero, et pro Sabbato jejunium statutum usque ad nonam. »

Deinde summo mane hisce stationum diebus ad ecclesias perrexisse fideles diximus; fideles enim ab ecclesiæ incunabulis solemne habuisse, ut ad ecclesiam summo mane convenirent, uti apertissime colligitur ex epistola Plinii ad Trajanum, qui locutus de hujusmodi Christianorum conventibus, eos vocat *antelucanos*. Hinc etiam Tertullianus : « Si statio facienda sit, maritus de die ad balneas condicat. » Ethnicos enim summo mane consuevisse sese lavare, et balneis uti, ex eodem Tertulliano in Apolog., cap. 42, constat. Quo eodem tempore et statio facienda erat.

Stationes porro productas fuisse ad horam usque nonam compertum est præsertim ex Epiphanio, cum ait : « Cæterum pro synaxibus, quæ quarta et pro Sabbato ad horam nonam fiunt in die Dominico matutinis horis synaxes fiunt. »

In iis etiam stationum diebus jejunia religiosissime servata fuisse, explorata quoque res est. Hinc apud D. Ambrosium Serm. 36, *stationes* vocantur jejunia.

Digitized by Google

nis solere Christianos noctu convenire in basilicas martyrum, tum ad laudes Dei, tum ad negotia circa religionem tractanda, tum ad corrigendos fratres qui non bene ambulabant. Postea persecutione cessante fideles remittebantur, et negligentes erant in stationibus continuandis. Propterea Gregorius Magnus ad attrahendas animas fidelium, ut vacarent divinis laudibus adjunctis magnas indulgentias visitantibus loca seu stationes: nam nomen stationis significat locum in quo frequenter conveniri solet ad negotia tractanda. » Ita Toletus, ex quo sicut etiam ex Rodriquez colliges auctorem stationum fuisse S. Gregorium Magnum, ut ex ipsis referunt etiam Gobat tract. 4, p. II, de Indulgent. c. 8, n. 337; Kazenberger, l. c., n. 79 et alii.

(20. Afferuntur varia decreta novissime emanata, et in bullario Clementis XI relata, in quibus multa de indulgentiis statuuntur et declarantur, et aliqua ut falsa et apocrypha prohibentur et interdicuntur.

DECRETUM

De indulgentiis, quas gestantes scapulare conceptionis B. V. Immaculatæ, et cincturati S. Augustini, et S. Monicæ consequi possunt.

(21. Præcipuas inter curas, quibus sacra Congregatio indulgentiis et sacris reliquiis præposita sedulo incumbit, ea est, ut indulgentias, quæ a nullis interdum temere evulgantur, mature expendat, et quas aut revocatas aut falsas aut apocryphas esse deprehenderit, ne fideles illarum assequendarum spe decipiantur, palam detegat atque prohibeat.

Cum itaque sacræ Congregationi delatum fuerit, in libello quodam Veronæ impresso anno 1711, cui titulus est: « Breve notizia del santo Abitino, che si dispensa da' Padri Teatini ad onore dell' Immacolata concezione di Maria Vergine, in virtù d'un breve apostolico di Clemente X, confermato con altro del regnante sommo Pontefice in data delli 12 Maggio 1710. Con le indulgenze proprie, e dell' aggregazione alla loro religione, » etc. Plurimas indulgentias falso contineri, veluti a summis Pontificibus concessas aut quoquomodo communicatas, gestantibus scapulare parvum cærulei coloris, quod vocant conceptionis beatissimæ Virginis Immaculatæ: ideo re mature perpensa die 22 Februarii 1712, declaravit nullas alias indulgentias pro gestatione prædicti scapularis acquiri, nisi illas, quas sanctissimus dominus noster litteris in forma brevis desuper editis die 12 Maii anno 1710 clementer concessit his verbis: « Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, quibus scapularia benedicta hujusmodi, ut præfertur, in posterum distribuentur, die quo illa primum susceperint, si vere pœnitentes et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam; nec non eisdem cujuslibet eorum mortis articulo, si etiam vere pœnitentes et confessi; ac sac. communione refecti, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, itidem plenariam; Ac ipsis pariter vere pœnitentibus et confessis ac eadem sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictæ congregationis, vel capellam, sive oratorium die festo ejusdem Conceptionis B. M. V. immaculatæ a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum, etc., preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper prædictis Christi fidelibus, etiam vere pœnitentibus et confessis, ac sac. communione refectis, ecclesiam, vel capellam, seu oratorium hujusmodi in aliis ejusdem B. M. V. festis diebus, ut præfertur, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. » etc.

Cumque pariter sacræ Congregationi innotuerit in alio libello Bononiæ impresso anno 1707, qui inscribitur: « Sacro diario delle grazie, e indulgenze concesse alla Compagnia della Cintura detta di S. Agostino, e di S. Monica, ec. » multas pro cincturatis referri indulgentias, quarum aliquæ aut revocatæ,

« Quod stantes, et commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus. » Ad hunc quoque modum loquuntur nonnulli alii Patrum. Hinc etiam Tertullianus loquens de jejuniis qui a catholicis servabantur diebus stationum, vocat illa *semijejunia*, propterea quod a catholicis hora nona solvebantur simul cum stationibus, cum tamen Montanistæ ad quorum partes defecerat Tertullianus, ad vesperas usque producendas et docerent, et suo exemplo insinuarent.

De geniculis quoque adorare et in genua provolutos in more positum apud fideles hisce stationum diebus. Hæc enim semper conjuncta fuere; isque habitus corporis servabatur in precationibus diebus tristitiæ, mœroris et luctus, cujusmodi erant dies stationum. Et licet vox *statio* a *stando* derivetur; *stare* tamen non semper in pedes stare significat, sed quandoque solum commorari, ut hic in re nostra contingit.

Orationibus etiam vacatum fuisse hisce stationum diebus, psalmosque et hymnos decantari solitos certam fidem faciunt ex eodem Tertulliano variæ productæ auctoritates.

Denique hora nona adventante Eucharistia recepta, et immortali poculo exhausto stationes dirimebantur; non ita tamen ut statim Eucharistia recepta ab ecclesiis discederetur, sed ibi aliquantisper constitisse, et orasse fideles ex eodem Tertulliano eruitur, stando potius quam humi procumbendo. Etenim eucharistia accepta non licebat ex eorum institutis, atque ex veteri disciplina, de geniculis orare. A die resurrectionis Dominicæ ad Pentecosten usque a stationibus vacatum fuisse, ut etiam a vigiliis, et jejuniis ex Epiphanio constat, quemadmodum si in diem natalis Domini statio incidisset, differebatur in alium diem. Hæc porro, quæ cursim præstrinximus, ut antiquiorum stationum mores, et servatos a primis Christi fidelibus ritus studiosis lectoribus exhiberemus, fusius et elegantius pertractantur ab eruditissimo Albaspinæo *Observation.* lib. I, Observat. 16 Adesis eumdem.

Digitized by Google

aut falsæ omnino sunt; Ideo sacra eadem Congregatio prædicta die 22 Februarii 1712 similiter declaravit, cincturatos nullas alias Indulgentias pro gestatione cincturæ lucrari posse, nisi illas quæ expresse continentur in Brevi a san. mem. Clemente X desuper edito, quod incipit: *Ex injuncto Nobis cœlitus*, dato die 27 Martii 1675.

Et, ut omnis in posterum erroris ac deceptionis occasio auferatur, districte prohibuit ne aliæ indulgentiæ voce aut scripto publicentur pro gestatione supra memorati parvi scapularis, aut prædictæ cincturæ, præter eas quæ in supradictis Brevibus sanctissimi D. N. Clementis XI et san. mem. Clementis X respective continentur. Ac insuper recensitos libellos, alterum Veronæ, alterum Bononiæ impressum proscribendos censuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quibus per me secretarium Sanctissimo domino nostro relatis, Sanctitas Sua sententiam sacr. Congregat. approbavit, et in omnibus servari jussit.

Datum die 24 Februarii 1712.

F. Thomas Maria card. s. Clementis.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.

DECRETUM

Quo tria summaria assertarum indulgentiarum Confraternitatibus S. Rochi concessarum proscribuntur, easdemque confraternitates non aliis indulgentiis gaudere posse declaratur, nisi illis quæ a san. mem. Paulo V in Brevi dato 3 Nov. 1606 concessæ reperiuntur.

(22. Cum tria nuper indulgentiarum summaria sac. Congreg. indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ delata fuerint, in quibus quamplurimæ indulgentiæ, aut falsæ, aut apocryphæ, aut a nonnullis Romanis pontificibus, signanter vero a fel. record. Paulo V, Brevi dato 3 Novembris anni 1606, expresse revocatæ continentur, et, quod longe deterius est, multæ etiam facultates, et concessiones, et nonnulla itidem privilegia, aut pariter revocata, aut omnino conficta, non sine magno fidelium scandalo, et animarum periculo temere evulgantur, sacra eadem Congregatio, quæ fideli ac prudenti cœlestis indulgentiarum thesauri dispensationi præest, die 12 mensis Martii labentis anni, re mature perpensa, declaravit confraternitates S. Rochi, in quibusvis locis existentes, et archi-confraternitati de Urbe aggregatas, nullis aliis indulgentiis, concessionibus et privilegiis uti et frui posse, nisi illis quæ in supradicto Brevi san. mem. Pauli V continentur, et quæ in aggregationibus ab eadem archi-confraternitate expediri solitis de verbo ad verbum referuntur. Prædicta autem summaria quorum unum ita inscribitur: « Sommario delle indulgenze concesse da' sommi pontefici alla venerabile compagnia di S. Rocco d'Ancona aggregata, etc. *In Ancona nella Stamperia Camerale* 1661. » Alterum vero: « Sommario del celeste Tesoro dell'Indulgenze, doni, grazie, facoltà, e privilegi concessi per molti

Romani pontefici, ed ultimamente confermati, ed ampliati dalla Santità di nostro signore Gregorio per la divina provvidenza papa XIV, alla ven. compagnia, ed ospedale di San Rocco di Roma, da potersi concedere dalli commissarî deputati a questo sant'offizio della publicazione di tante divine grazie a ciaschedun fedel Cristiano che vorrà entrare nella sacra confraternità di S. Rocco di Roma. » *In Roma appresso Paolo Blando Stampatore Camerale* 1561. Tertium denique: « Sommario del celeste tesoro dell'indulgenze, doni, grazie, facoltà, e privilegi concessi ec. a ciaschedun fedel cristiano che vorrà entrare nella santa confraternità di S. Rocco di Roma, e comunicate alla confraternità del medesimo S. Rocco e Sebastiano nella chiesa della B. V. Maria di Loreto nella citta di Roveredo. » *In Roma ed in Roveredo per Giuseppe Antonio Gojo* 1712 sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis proscribenda esse censuit, atque insuper districte prohibuit ne aliæ indulgentiæ, concessiones, aut privilegia pro supradictis confraternitatibus S. Rochi voce, aut scripto evulgentur, nisi ea quæ in sæpe memorato Brevi Pauli V concessa reperiuntur. Quam sacræ Congregationis sententiam per me secretarium sanctissimo domino nostro relatam Sanctitas Sua approbavit, et exsecutioni mandari jussit.

Datum die 14 Martii 1714.

L. card. Picus præfectus.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.

DECRETUM

Quo bina summaria indulgentiarum ut apocrypha proscribuntur eorumque usus interdicitur.

(23. Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis præposita die 17 mensis Julii anni 1714, mature perpensis duobus indulgentiarum summariis quorum unum ita inscribitur: « Sommario dell' indulgenze, grazie, e doni concesse da molti Romani pontefici, e nuovamente confermate dalla Santità di nostro signore papa Clemente XI alla venerabile chiesa e Ospitale di S. Maria di Monferrato di Catalogna, ed alli confratri e consorore d' essa Madre Vergine. » *In Palermo presso Francesco Ciche* 1714. Alterum vero: « Sommario dell' indulgenze concesse da diversi Romani pontefici, ed ultimamente ampliate, e confermate da nostro signore Clemente XI alli fratelli e sorelle del sacro reale e Militare Ordine, cosi dell'osservanza, come delli Scalzi di Nostra Signora della Mercè, opera della Redenzione de Schiavi Cristiani fra gl'infedeli. » *In Roma nella Stamperia della reverenda Camera apostolica. In Messina nella Stamperia detta di amico, ed in Palermo per Felice Marino* 1710. Dictorum summariorum usum interdixit, illaque prohibenda esse censuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Quibus sanctissimo domino nostro die 18 ejusdem mensis Julii per me secretarium relatis, Sanctitas Sua sententiam sacra

Digitized by Google

Congreg. approbavit, et exsecutioni mandari jussit.

Dat. die 19 Julii anni 1714.

L. CARD. PICUS PRÆFECTUS
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.

DECRETUM

Quoad indulgentias rosariis, seu coronis S. Birgittæ a summis pontificibus concessas.

24. Leo X pontifex maximus per litteras suas incipientes, *Ex clementi*, datas Idus Julii 1515, concedit omnibus et singulis utriusque sexu Christi fidelibus qui per et insuper rosaria, seu coronas S. Birgittæ devote oraverint, pro qualibet oratione Dominica centum dies, et totidem pro salutatione angelica, et pro quolibet symbolo, si dixerint, vel recitaverint, etiam centum dies indulgentiarum, necnon pro quolibet psalterio (id est rosario, aut corona quindecim decadum B. Mariæ Virginis) super illis integre per eosdem Christi fideles, per seipsos, aut cum socio, vel familiari; qui eamdem indulgentiam consequatur, dicto, vel recitato septem annos, et totidem quadragenas.

Sanctissimus dominus noster Clemens XI, pontifex maximus, in suo Brevi quod incipit: *De salute gregis Dominici*, dato 22 Septembris 1714, concedit omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus confessis et sacra communione refectis, ac pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. matris Ecclesiæ exaltatione orantibus, qui per integrum annum coronam S. Birgittæ, dummodo sit saltem quinque decadum, recitaverint, semel in anno, die per unumquemque Christi fidelem eligenda plenariam indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eamdem plenariam indulgentiam applicandi animabus in Purgatorio existentibus.

Ad lucrandum hujusmodi indulgentias requiritur ut coronæ a PP. superioribus monasteriorum, seu ab aliis religiosis ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctæ Birgittæ, ad id specialiter deputatis benedicantur.

DECRETUM.

Sacra Congregatio indulgentiis et S. reliquiis præposita die 26 Novembris 1714 censuit permitti posse impressionem præsentis summarii indulgentiarum concessarum coronis, quas vocant, S. Birgittæ, addita declaratione quod omnes aliæ indulgentiæ quæ in præsenti summario expresse non continentur sunt aut apocryphæ, aut nullæ, aut a sanctissimo domino nostro Clemente XI revocatæ per supradictum Breve datum die 22 Septembris 1714.

Prohibet insuper eadem sac. Congr. ne hujusmodi coronæ vendantur, aut alteri commodentur, et si secus fiat, declarat supradictas indulgentias cessare, et nullius esse roboris vel momenti.

Dat. die 4 Decemb. 1714.

L. CARD. PICUS PRÆFECTUS.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.

DECRETUM

Quo summarium indulgentiarum regularibus ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, nonnullas continens indulgentias ad quæstum, damnatur et prohibetur.

25. Quamvis indulgentiæ omnes pro porrigentibus manus adjutrices non semel ab apostolica Sede, signanter vero a S. Pio V, *Const.* 30 quæ incipit: *Et si Dominici gregis*, dat. 6 Idus Februarii anno 1567, revocatæ fuerint quæstoresque damnati nonnulli tamen, interdum docentes ea quæ non oportet, indulgentias ad quæstum evulgare præsumunt. Quapropter sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, huic malo occurrere cupiens, summarium quoddam, cui titulus: « Breve sommario delle principali grazie, ed indulgenze concesse alli religiosi dell' ordine della santissima Trinità della Redenzione delli Schiavi, delle quali godono tutti quelli, che portano lo scapulario, ovvero abitino, e visiteranno le chiese, o capelle di detto Ordine, » etc. impressum Neapoli apud Hiacinthum Pittante anno 1703, ubi nonnullæ indulgentiæ ad quæstum continentur, die 28 Januarii labentis anni 1716, sub pœnis in Indicem librorum prohibitorum contentis, damnandum censuit, insimul declarando confraternitates a superioribus ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum institutas, nullis aliis indulgentiis gaudere, nisi illis, quæ expresse continentur in earum summario, alias, nempe die 31 Januarii anni 1675 ab eadem sacra Congregatione recognito atque approbato et deinde Romæ typis R. C. apostolicæ impresso anno 1682. Quibus sanctissimo domino nostro per me secretarium relatis Sanctitas Sua sententiam sacræ Congreg. approbavit et exsecutioni mandari jussit.

Datum 11 Martii 1716.

L. CARD. PICUS PRÆFECTUS.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.

DECRETUM

Quo declaratur necessariam esse delationem scapularii ad lucrandas indulgentias concessas sodalibus confraternitatum ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

26. In sacra Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis præposita habita die 28 Aprilis labentis anni 1716, relatis precibus P. Joannis a S. Francisco procuratoris generalis fratrum ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniæ humiliter postulantis declarari, an sodales confraternitatum sui Ordinis loco scapularii quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui parvula crux rubri et cærulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferentes lucrari valeant indulgentias concessas iis qui scapularium deferunt: emi-

Digitized by Google

nentissimi Patres declararunt non lucrari.
Datum de 19 *April.* 1716.

L. CARDINALIS PICUS PRÆFECTUS.
Raphael Cosmus de Hieronymis, secr.

DECRETUM.

Quo declaratur indulgentiam pro feriis sextis mensis Martii dari solitam comprehendi sub clausula Volumus autem, etc., *quæ in Brevibus apostolicis apponi consuevit.*

(27. Ne contra veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, indulgentiarum numero nimis aucto, ecclesiastica disciplina enervetur, sæpius in Brevibus apponi consuevit clausula illa : « Volumus autem ut, si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam qualibet anni die visitantibus alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint. » Cum autem alias pro ejusdem clausulæ explicatione supplicatum fuerit, sac. Cong. indulgentiis sacrisque reliquiis præposita declaravit, « ea nullatenus comprehendi altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias; aut certo personarum generi concessas, ut confraternitatibus, regularibus, et capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut litanias aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis qui Christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui sanctissimi Eucharistiæ sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque stationum Urbis et septem altarium indulgentias ad instar septem altarium basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum si alia indulgentia sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano pontifice, generatim Christi fidelibus ecclesiam, vel aliquod ejus altare sed capellam visitantibus, eodem die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris apostolicis mentio, has litteras ob dictam clausulam esse prorsus irritas ac nullas. » Ut expresse habetur in decreto ab eadem sac. Congregatione desuper edito die 23 Junii anni 1676 (quod attulimus verb. *Altare privilegiatum*, num. 7). Postea tamen eidem sac. congregationi delatum fuit, non paucos esse qui, prædictum decretum non recte intelligentes, sibi suadent quod si in aliqua ecclesia jam concessæ reperiantur indulgentiæ quæ pro feriis sextis mensis Martii dari solent, et postea in eadem ecclesia alia indulgentia concedatur cum appositione in Brevi supra memoratæ clausulæ, *Volumus autem*, etc., indulgentia, quæ postremo loco data est, valida sit. Quapropter, ut omnis in posterum erroris occasio auferatur, eadem sacra Congregatio habita die 18 Aprilis anni 1716 declaravit, indulgentiam ultimo loco ita concessam ob sæpe dictam clausulam, *Volumus autem*, etc., Litteris apostolicis insertam, esse nullam.
Datum die 11 Septemb. 1716.

L. CARD. PICUS PRÆFECTUS.
Raphael Cosmus de Hieronymis, sec.

(28. Cum vero ex sequenti concessione indulgentiarum pro ipsis Feriis sextis Martii seu Quadragesimæ frequens pariter sequatur nullitas reliquorum Brevium, quæ de stylo cum restrictivis postea expediuntur, idcirco eadem sacra congregatio re maturius perpensa ad tollendas quascunque dubietates ac Brevium nullitates, quibus Christi fideles quandoque decipi possent, die 9 Februarii 1745, censuit, *hujusmodi indulgentias Feriar. sextarum mensis Martii seu Quadragesimæ excipiendas esse ita ut alias quaslibet impedire nequeant, ac propterea præfato Elencho indulgentiarum exceptorum die* 23 *Junii* 1676 *ab eadem sacra Congregatione edito, addendas esse. De quibus facta per me infra scriptum secretarium die* 13 *ejusdem mensis sanctissimo domino relatione, Sanctitas Sua votum S. Congregationis approbando benigne annuit.*

R. C. CARD. DE HIERONYMIS PRÆFECTUS.
A. M. Ebra Proton. Apost., secr.

Ita Carolus Maria Perusinus *in Chronolog. seraph.* tom. III, p. II, ad Capitul. General 83, f. 471. Sicut ergo indulgentiæ stationum Urbis, septem Altarium, etc., non invalidant alias indulgentias, sive ante, sive post illas impetratas, sic nec indulgentiæ Feriarum sextarum mensis Martii; quia per præfatum decretum prioribus æquiparatæ sunt, et in eorum Elenchum repositæ. Vid. Minderer p. II, Confer 4, n. 243.

DECRETUM

Quo summarium quoddam indulgentiarum regularibus ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Christianorum concessarum, ut continens quamplurimas falsas indulgentias prohibetur, ejusque usus interdicitur.

(29. Decet sacram Congreg. indulgentiis sacrisque reliquiis præpositam, indulgentias, aut revocatas, aut falsas et apocryphas detegere atque prohibere, ut quæ veræ sunt a Fidelibus dignoscuntur, et circumspecte prospicere ut omnis in re tam sacra turpis quæstus prorsus eliminetur.

Mature itaque perpenso sommario quodam indulgentiarum quod inscribitur : « Breve sommario delle principali grazie, ed indulgenze concesse alli religiosi dell' ordine della Santissima Trinità della Redenzione de' schiavi Cristiani, delle quali godono tutti quelli, che portano lo scapulario, ovvero abitino, e visiteranno le chiese, o capelle di detto Ordine, le quali indulgenze sono state approvate da' sommi pontefici, e di nuovo dalla fel. mem. di papa Innocenzo XII come si vede nella Bolla spedita l' anno 1693. » Et incipit : *Saranno privi di guadagnare le predette indulgenze*, impresso Neapoli anno 1716, in quo summario, nedum quamplurimæ indulgentiæ falsæ continentur, verum etiam contra apostolica decreta pro earumdem indulgentiarum assecutione pecuniæ solutio præscribitur. Sacra eadem congregatio die 20 Decembris sunt 1718, dicti summarii Neapoli, ut supra impressi, vel denuo ubicunque imprimendi usum interdixit, illud-

Digitized by Google

que prohibuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando nullis aliis indulgentiis frui posse confraternitates erectas, seu in posterum erigendas sub titulo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nisi illis quæ habentur in summario alias Romæ impresso, et ab eadem sacra Congregat. approbato die 31 Jan. 1675.

Quibus per me secretarium Smo dño nostro relatis, Sanctitas Sua sententiam sacræ Congregationis approbavit.

Datum die 22 Decembris 1718.

J. D. C. Parraccianus.
Raphael Cosmus de Hieronymis, sec.

DECRETUM

Quo duo summaria typis impressa, ut continentia nonnullas indulgentias falsas, apocryphas, aut ab apostolica Sede revocatas prohibentur, eorumque usus interdicitur.

(30. Cum sacra Congr., indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, re mature perpensa, deprehenderit, nonnullas indulgentias falsas, apocryphas aut ab apostolica Sede revocatas contineri in libello impresso per Carolum Josephum Astorinum an. 1712, Papiæ et Lauda Pompeia cui titulus: «Compendio della regola del terz'Ordine de'Penitenti del serafico padre San Francesco confermato da Pp. Niccolo IV, nuovamente per comodità de Terziarî, e Terziarie, che oggidi si trovano sotto la protezione del medesimo Santo Padre ristampato ad instanza delli fratelli e sorelle di dett' Ordine, eretto nell' insigne chiesa di S. Francesco di questa citta di Lodi, con l' aggiunta d' una breve notizia delle indulgenze, favori, e privilegi più cospicui concessi da' sommi Pontefici a quest' Ordine,» et in quodam summario indulgentiarum edito Ulysippone an. 1681, typis Antonii Gaesbech de Melo, quod inscribitur: Sommario de Thesauro celestial de las indulgengencias, gracias, faculdades, et privilegios concedidos per muytos Romanos pontifices ao Sagrado et apostolico Hospidal de santo Spirito em Saxia Cidade de Roma, confirmadas ora novamente pe lo sanctissimo Papa Gregor. XIII nosso Senhor: quaes se conceden pelos commissarios, collectores, deputados por este santo Officio a todos e cada hun dos lieis Christianos, que quizeren entrar na sanctissima Confraria de Casa, et Hospital de nossa Senhora da Victoria desta cidade de Lisbona.» Eadem sac. Congr. die 29 Jan. anni 1720, censuit libellum supra enuntiatum, prædictumque summarium prohiberi, illorumque usum interdici debere sub pœnis indice librorum prohibitorum contentis. Quam sacr. Congr. sententiam per me secretarium sanctissimo D. N. relatam Sanctitas Sua approbavit die 31 ejusdem mensis.

Datum 14 Februarii 1720.

J. D. Card. Parraccianus.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Sec.

DECRETUM

Quo statuitur, ut pro aggregationious archi-confraternitatibus almæ Urbis, seu potius pro illarum expensis nihil ultra unum scutum aureum recipi valeat.

(31. Ad tollendos nonnullos abusus, qui in expediendis litteris patentibus Aggregationum archi-confraternitatibus almæ Urbis, retro actis temporibus irrepserant, sac. congr. Indulgentiarum decreto edito die 6 Martii 1608, approbante san. mem. Paulo V, statuit atque decrevit ut pro expeditione prædictarum litterarum aggregationum seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, chordulis, cera, secretarii, notariique labore vel mercede, aliisque omnibus quibuscunque nihil omnino ultra scutum unum aureum pro singula aggregatione, vel confirmatione quovis prætextu, aut colore, etiam meræ eleemosynæ exigi, aut recipi valeat, sub pœna ipso facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque indulgentiarum, et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, et privatione pariter officiorum, et inhabilitate ad eadem officia in posterum obtinenda pro ministris, superioribus, officialibus, aliisque contra prædictum decretum facere præsumentibus, quæ a nullo alio, nisi a Romano pontifice pro tempore existente remitti valeat, aliisque etiam sub gravioribus pœnis arbitrio ejusdem Romani pontificis pro tempore existentis imponendis. Ne autem longo temporis decursu prædicti decreti oblivio induci, ac denuo abusus irrepere possint, sacr. congr. Indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, habita die 9 Aprilis 1720, decrevit, atque mandavit singulis ordinibus, religionibus, institutis, et archiconfraternitatibus, eorumque superioribus, ministris, atque officialibus quocunque nomine nuncupatis, ut pro expediendis litteris patentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscunque nihil ultra unum scutum aureum sub quovis prætextu, aut quæsito colore, etiam a sponte dantibus, aut titulo eleemosynæ recipere audeant, aut recipi permittant sub iisdem pœnis contentis in supra memorato decreto edito die 6 Mart. 1608, ne confraternitates aggregandæ sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, cœlestis Ecclesiæ thesauros non quæstus, aut alicujus lucrari causa, sed ad pietatem fidelium excitandam ex apostolicæ sedis benignitate aperiri. Quibus per me secretarium sanctissimo D. N. Clementi XI relatis Sanctitas Sua decretum sacr. Congr. approbavit, et in omnibus executioni mandari jussit.

Datum die 10 *Aprilis* 1720.

J. D. Card. Parraccianus.
Raphael Cosmus de Hieronymis, secr.

Ut omnis tollatur occasio evulgandi indulgentias falsas, seu apocryphas, debent episcopi antequam eas permittant, diligentissime et accuratissime examinare, cum ad ipsos privative spectet recognitio brevium Indulgentiarum, quæ de novo per papam

Digitized by Google

conceduntur. Nec aliquis sine eorum licentia, vel auctoritate potest illa brevia seu illas indulgentias publicare, non obstante quacunque exemptione, et prætensa consuetudine in contrarium etiamsi pro regularium Ecclesiis concedantur, ut a sac. congr. Conc. c. 9, sess. 21 de Reformat., decisum fuit apud Monacell. t. II, tit. 10, formul. 6, n. 8, et in una sancti Severini 30 Maii 1699 et 4 Febr. 1702; apud Petram, tom. V, comment. ad Constit. 4 Calisti III. n. 96, et ita declaravit quoque sac. congr. Imm. in Firmana 12 Julii 1703, lib. III decret. Vallem., pag. 494. his verbis: « Quoad consuetudinem assertam immemorabilem in civitate Firmi, et aliorum in Piceno publicandi per magistratum laicum brevia indulgentiarum absque licentia seu participatione tribunalis ecclesiastici, sacr. Congr. decernit, ministros laicos, quoad præteritum non esse amplius molestandos, sed quoad futurum non licere sine licentia ordinarium, et omnino abstineant. » Sic apud D. Petrum Andr. Riccium in sua Synopsi decr. sac. Congregat. Immunit. in verb. *Indulgentiæ*, quod decretum citat etiam Monacell. l. c. n. 8.

ARTICULUS V.

Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias concessas tribus sanct. Ordinibus S. P. N. Francisci eorumque ecclesiis, benefactoribus, et confraternitati chordigerorum.

(1. Leo X, summus pontifex, concessit omnibus Fratribus Minoribus regularis observantiæ ac monialibus S. Claræ, et Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies *Pater noster* cum *Ave, Maria*, et, in fine cujuslibet, *Gloria Patri* ad intentionem pontificis, et aliud *Pater*, et *Ave, Maria*, et *Gloria Patri* pro indulgentias concedente, lucrentur indulgentias omnes, tam plenarias, quam non plenarias concessas ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, et Portiunculæ quacunque hora diei, vel noctis prædicta 6 *Pater noster*, *Ave, Maria*, et *Gloria Patri* recitaverint; ita Casarubios, in Compendio nostrorum privilegiorum, verb. *Indulgentiæ stationum* § 15; P. Rodriquez, in nova Collatione bullarii fol. 318, num. 24; Lantusca in libro Regulæ Tertii Ordinis S. P. N. Franscisci Romæ edito, et approbato a reverendissimo P. Hyacintho Libello Ordinis Prædicatorum sacri palatii apostolici magistro anno 1665, 11 Mart.; Kazenberger, loc. cit., num. 88; Viva in Appendice indulgentiarum § 3, ubi testatur hoc etiam haberi in Compendio privilegiorum Societatis § 3, et alii plures.

(2. Istæ indulgentiæ non fuerunt revocatæ a Paulo V, quia Paulus V non revocavit indulgentias regularium ecclesiis concessas, seu locales, sed solum personales, ut sac. Cong. declaravit 7 Septembr. 1607, apud Vivam in Appendice indulgentiarum § 1, n. 6. Nec revocavit indulgentias pro animabus purgatorii regularibus concessas, ut idemmet pontifex 23 Februar. 1609 testatus est, sicut ex Gobat. Pelliz. Quintanadv. et Diana refert Viva in cit. Append. n. 6. Nec etiam revocavit pro regularibus indulgentias concessas pro omnibus Christi fidelibus indiscriminatim, ut pro certo tenent doctores communiter cum Gobat., tract. 4 de Indulg. part. II, cap. 27; Kazenb., loc. cit., n. 77; Viva in cit. Append. Indulgentiarum n. 6, cum Peyrino, Lezana, Quintanadven. et alii. Unde cum prædictæ stationum indulgentiæ non fuerint primitus concessæ personis regularibus, sed certis ecclesiis et locis, et indiscriminatim pro omnibus Christi fidelibus, et ipsarum multæ fuerint concessæ etiam pro animabus purgatorii, sequitur quod tales indulgentiæ non fuerint revocatæ, et adhuc possint eas lucrari regulares privilegiarii; siquidem in hoc casu summus pontifex solum dispensavit in modo lucrandi prædictas indulgentias, videlicet, ut prædictæ personæ absque eo quod se Hierosolymam, Romam, Compostellam et Portiunculam conferrent, et ibidem personaliter ecclesias, seu loca visitarent, præfatas indulgentias lucrari possent visitando proprias ecclesias, et ibi recitando prædicta 6 *Pater noster*, *Ave, Maria*, et *Gloria Patri*, sicut Romæ etiam sæculares lucrantur indulgentias visitantes ecclesias stationum. Hinc cum hujusmodi concessio non sit revera indulgentia, eo quod solum spectet ad modum lucrandi indulgentias; ideo in revocatione illa indulgentiarum facta a Paulo V non intelligitur revocatum hoc indultum, atque adeo tales indulgentiæ possunt adhuc obtineri a regularibus privilegiariis; Lantusca loc. cit.; Kazenb. loc. cit. n. 88; Fr. Joan. a Conceptione c. 6; P. Antonius Natalis in cœlestibus Aurifodinis cap. 6, num 43; Rodriquez tit. 2, q. 84, art. 7; Viva in cit. Appendice indulgent. § 1, sub num. 6, et § 3, verb. *Leo X*, et aliii passim.

(3. Hoc authentice confirmatur ex rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani novissimi confirmatis ab Innoc. XII, quæ num. 88 sic habent: « Circa stationem sanctissimi sacramenti ex sex *Pater noster* et *Ave, Maria*, cum totidem *Gloria Patri*, etc., coalescentem quotidie, et præsertim die Sabbati observandum est statutum Julii III, cap. 5, sic decernens: In omnibus etiam conventibus statim post *Ave, Maria*, fratres omnes ad ecclesiam vadant, et ante sanctissimum sacramentum dicant brachiis extensis sex *Pater noster* et totidem *Ave, Maria*, et *Gloria Patri*: ultimum pro eodem sanctissimo domino nostro papa pro lucranda indulgentia plenaria; et num. 89 cui statuto consonat omnino aliud hujus tenoris: Et quia indulgentiæ stationis sanctissimi sacramenti revocatæ non sunt (ipsius recitatio quotidiana omnibus tam fratribus, quam monialibus, et tertiariis sæcularibus enixe commendatur), quod adest insertum, et specifice confirmatum in Brevi, cujus initium: *Debitum Pastoralis*, a sanctissimo domino nostro Innocentio XII, die 19 Maii 1694, benigne concesso; » Hucusque Rubricæ nostri Fransciscani Breviarii, n. 88 et 89.

Digitized by Google

(4. Unde ista indulgentia obtinuit nomenclaturam stationis sanctissimi Sacramenti, quia acquiritur recitando prædicta sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, ante venerabile Altaris Sacramentum juxta adductas rubricas, et primam concessionem Leonis X apud Casarubios in Compendio privilegiorum verb. *Indulgentiæ Stationum*, num. 11, ibi : *Coram Sacramento Altaris*, et juxta concessionem Pauli V, ab Urbano VIII confirmatam, apud Hieronymum Rodriquez in Compendio resolut. 47; Quintanadven. in Appendice, tract. 4, dub. 2, num. 7; Antonium a Spiritu Sancto, num. 22; Antonium Natalem loc. cit., cap. 9; Vivam in cit. Appendice Indulgentiarum, § 3, vers. *Leo X*, et alios passim. Videatur præ cæteris P. Minderer, qui *P.* II, confer. 7, num. 404 et seqq. et num. 438, has indulgentias stationis SS. Sacramenti ad examen revocat atque defendit.

(5. Potest tamen adhuc secundum plurimos non spernendos doctores acquiri talis cumulus indulgentiarum a regularibus privilegiariis, etiamsi prædicta sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, recitent extra ecclesiam in propriis cellis, et in quocunque alio loco, quacunque hora diei vel noctis, ut concessit Leo X apud Casarubios loco cit., num. 15, ibi : « Idem Leo concessit omnibus Fratribus Minoribus Regularis Observantiæ, ac Monialibus S. Claræ et Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies *Pater noster* cum *Ave Maria*, et in fine cujuslibet *Gloria Patri*, et pro sanctitate sua unum *Pater noster* cum *Ave Maria*, similiter cum *Gloria Patri*, lucrentur stationes, indulgentias, et remissiones tam Urbis quam etiam Portiunculæ, sive Hierusalem, ac Sancti Jacobi in Compostella, et quod quacunque hora diei vel noctis, et quocunque in loco dicant, scilicet choro, ecclesia, claustro, oratorio, ac cella, lucrentur illas. » Et quod tales indulgentias lucrentur quotidie regulares privilegiarii, ubicunque recitent dictas orationes, referunt de novo id concessisse etiam Paulum III Summum Pontificem, Rodriquez, tom. II, qu. 84, art. 7, et ex ipso Viva, l. c., § 1, num. 6 et § 3, vers. *Leo X;* et hoc tenent plurimi alii, et passim scribentes in regula Tertii Ordinis plurimis in locis, etiam de recenti impressa dicentes quod qui recitant supradictas orationes ante sanctissimum Altaris Sacramentum lucrantur indulgentias supradictarum Stationum ex tribus concessionibus, scilicet Leonis X, Pauli III, et Urbani VIII. (6. Qui vero illas recitant in aliis locis lucrantur tales indulgentias ex duabus concessionibus, scilicet Leonis X et Pauli III. Nec ad ipsas indulgentias lucrandas requiritur modo, ut prædicta sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, recitentur brachiis extensis, ut ex multis notat Kilianus, Kazenberger l. c., n. 90.

(7. Quot autem et quam maximæ sint indulgentiæ Stationum Urbis, habes supra art. anteced., n. 17; et P. Antonius Natalis in suo Purgatorio, cap. 9, relatus et secutus a Viva in cit. Appendice Indulgentiarum, § 1, num. 8,

dicit indulgentias plenarias Romæ variis ecclesiis concessas esse quotidie ad minimum octo et triginta, easque per modum suffragii applicabiles pro defunctis; ac præterea extraordinarias esse singulis mensibus plurimas alias, nempe mense Jan. 63, Febr. 41, Mart. 55, Apr. 24, Maii, 44, Jun. 22, Jul. 52, Aug. 145, Sept. 58, Octob. 3, Nov. 59, Dec. 103. Non plenariæ vero sunt innumerabiles, eæque pariter per modum suffragii pro defunctis applicabiles, et P. Natalis loc. cit. recenset plurimas quotidianas; et quas solum recenset ascendunt ad bis centum, ac ter mille nongentos tres annos, ac centum septuaginta millia sexcentum quadragenarum, et undecies habetur remissio tertiæ partis peccatorum, sic ex ipso Viva loc. cit., num. 8.

(8. Indulgentiæ Terræ Sanctæ tum plenariæ tum non plenariæ recensentur in Familiari regularium a P. F. Joseph a Neapoli, edito Neapol. 1706, ubi fol. 319 tenore sequenti reperiuntur.

Indulgentiæ plenariæ Terræ Sanctæ.

In ecclesia S. Sepulcri, ubi Dominus Noster Jesus Christus triduo jacuit, est indulgentia liberationis unius animæ a pœna et culpa.

In loco ubi fuit inventa crux Dominica una cum clavis quibus in illa fuit confixus, est indulgentia plenaria.

In domo Pilati, ubi Dominus noster fuit flagellatus, et spinis coronatus, ac morti adjudicatus, est indulgentia plenaria.

In domo Herodis, ubi Christus fuit illusus et veste alba indutus, est indulgentia plenaria.

In ecclesia S. Annæ, ubi nata est B. Virgo Maria, indulgentia plenaria.

In Templo, ubi ead. B. Virgo fuit præsentata et postea desponsata, est indulgentia plenaria.

In porta quæ denominatur Aurea, per quam Christus ingressus est Dominica Palmarum, indulgentia plenaria.

In ecclesia ubi est sepulcrum B. Virginis, in quo aliquandiu jacuit, indulgentia plenaria.

In ecclesia quæ est in loco ex quo Christus ascendit visibiliter in cœlum, indulgentia plenaria.

In ecclesia ubi antiquitus fuit domus habitationis B. Virginis, indulgentia plenaria.

In Cœnaculo, ubi fuit institutum Sacramentum Altaris, etc., indulgentia plenaria.

In ecclesia, ubi juxta præsepe natus est Salvator mundi, indulgentia plenaria.

In monte Calvario, ubi Christus crucifixus est, indulgentia plenaria.

In Bethania, ubi est sepulcrum Lazari, a quo fuit ressuscitatus per Christum, indulgentia plenaria.

In monte seu deserto in quo Christus jejunavit quadraginta diebus, indulgentia plenaria.

Apud fluvium Jordanis in loco ubi Christus baptizatus est, indulgentia plenaria.

In Nazareth, in loco ubi fuit salutata ab angelo B. Virgo, indulgentia plenaria.

Digitized by Google

In ecclesia ubi fuit domus S. Elisabeth, et ubi natus est S. Joannes Baptista, indulgentia plenaria.

In loco ubi Christus parvulus natus et pannis mundis involutus est, indulgentia plenaria.

In altari ubi Christus fuit circumcisus, indulgentia plenaria.

In monte Thabor, ubi Christus transfiguratus est, indulgentia plenaria.

Infra ecclesiam montis Sion, ubi sunt sepulcra regum Juda et aliquorum prophetarum, indulgentia plenaria.

Ultra supradictas plenarias indulgentias, sunt multæ aliæ indulgentiæ annorum et quadragenarum in diversis locis Terræ Sanctæ, et primo in Hierusalem.

In introitu civitatis Hierusalem consequuntur peregrini qui ingrediuntur per portam civitatis quadraginta annos et totidem quadragenas remissionis.

In horto ubi Dominus post resurrectionem apparuit Magdalenæ in specie hortulani, sunt sexcenti anni et tot quadragenæ remissionis.

In loco ubi idem Dominus apparuit post resurrectionem suæ Matri, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Ubi fuit super vestem Christi missa sors, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo Annæ, ubi fuit alaphizatus Christus, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Item in loco ubi angariaverunt Simonem Cyrenæum ut portaret crucem Christi, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In quodam loco ubi Dominus Jesus prædicabat, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In cœnaculo, ubi Dominus lavit pedes discipulorum suorum, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Ibidem in loco ubi post resurrectionem intravit januis clausis et apparuit Apostolis, sunt etiam septem anni et totidem quadragenæ.

In via ubi apparuit Dominus tribus Mariis redeuntibus a sepulcro, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco ubi Dominus conversus ad mulieres lamentantes super eum dixit: *Nolite flere super me*, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco qui dicitur Spasmus B. Virginis, ubi, videns Christum bajulantem crucem, cecidit velut mortua, sunt etiam septem anni et totidem quadragenæ.

Itidem in loco ubi sunt duæ petræ albæ super quas sedit Christus lassatus ex pondere crucis, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In torrente Cedron, ubi erat lignum ex quo facta fuit crux, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In horto ubi oravit tribus vicibus et sudavit sanguinem, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi Dominus illuminavit cæcum,

sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo Simeonis, qui accipiens Christum in ulnas dixit: *Nunc dimittis servum tuum*, etc., sunt septem anni et septem quadragenæ.

In agro empto ex pretio sanguinis Christi, qui dicitur Aceldama, sunt septem anni et septem quadragenæ. Alias triginta anni et totidem quadragenæ.

In ecclesia quæ fuit domus in qua habitavit B. Virgo post ascensionem Christi, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In capella ubi S. Joannes Evangelista celebravit Missam B. Virgini post ascensionem Filii sui, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In oratorio ubi B. Virgo faciebat orationem, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Item in loco qui appellatur Palma B. Virginis, sunt quadraginta anni et totidem quadragenæ.

Item in loco ubi Judæi voluerunt arguere Christum propter sua opera, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Juxta lapidem quemdam ubi fertur quod Dominus sanavit multos infirmos, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In specu subterranea ubi Petrus post trinam negationem fecit pœnitentiam, sunt indulgentiæ quadraginta annorum et totidem quadragenarum.

In turri David, quæ fertur se inclinasse Christo ab ea descendenti, sunt decem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi decollatus est Jacob Zebedæus, sunt triginta anni, et totidem quadragenæ.

Secundo, apud civitatem Bethleem sunt sequentes.

In domo ubi tres Magi Orientales invenerunt et adoraverunt Christum puerum, sunt septem anni et totidem quadragenæ remissionis.

In loco ubi disparuit eis stella quam viderant in Oriente, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In quadam capella ubi sunt sepulcra SS. Innocentium, sunt etiam septem anni et septem quadragenæ.

Item in quadam ecclesia intitulata *B. Virgini*, ubi angeli ei apparuerunt et insinuaverunt viam Ægypti, ut illuc fugeret cum puero suo Jesu, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco ubi angeli apparuerunt pastoribus et cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo*, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Tertio, apud Bethaniam sunt istæ paucæ.

In domo Simonis Pharisæi, ubi Christus pepercit Magdalenæ sua peccata, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In domo ubi ante sex dies Paschæ fecerunt ei cœnam, et Magdalena attulit alabastrum unguenti et cætera, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Digitized by Google

In domo S. Marthæ sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo Magdalenæ totidem.

Quarto, in monte Oliveti et circumcirca reperiuntur sequentes.

Apud Betphage, ubi Dominus ascendit super asinam in die Palmarum, sunt quindecim anni totidem quadragenæ.

In via seu loco ubi Dominus videns civitatem Hierusalem flevit super eam, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco ubi angelus præsentavit Virgini palmam ante suam mortem, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Ibidem in viculo Betphage, ubi Apostoli composuerunt Symbolum, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Item in loco ubi Dominus docuit Apostolos orare et composuit *Pater noster*, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Quinto, in vallibus Josaphat et Siloe habentur infrascriptæ.

In loco ubi Dominus fuit captus et ligatus in nocte passionis, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi S. Stephanus fuit lapidatus, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi fuit sepultus idem S. Stephanus a Gamaliele, sunt totidem anni et quadragenæ.

In loco ubi Dominus in nocte passionis dimisit octo discipulos, assumpsit tres, scilicet Petrum, etc., sunt etiam septem anni et totidem quadragenæ.

In valle Siloe dicitur esse quidam fons in quo B. Virgo lavabat pannos pueri Jesu quando cum eo existente parvulo ascendebat in Hierusalem ad Templum, et ibi sunt septem anni et septem quadragenæ.

In natatoria Siloe, quo misit Christus cæcum ut lavaretur et illuminaretur, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Sexto, apud civitatem Nazareth sunt hæ.

In domo S. Joachim patris B. Virginis, ubi est quoddam monasterium, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Juxta fontem ex quo fertur quod Jesus Dominus noster cum esset parvulus deferebat aquam Matri suæ, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Item in domo ubi dicitur fuisse schola in qua B. Virgo didicit litteras, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo ubi nati sunt Jacobus Major et Joannes Evangelista, sunt decem anni et triginta quadragenæ.

Septimo, in montanis Judææ sunt istæ.

In domo Zachariæ patris Joannis Baptistæ, ubi B. Virgo salutavit Elisabeth, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Item ibidem, ubi dixit Zacharias: *Joannes est nomen ejus*, et composuit canticum *Benedictus*, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In eisdem montanis, ultra fluvium Jordanis, est quoddam monasterium ubi est quædam pars Crucis christi, et sunt etiam septem anni totidemque quadragenæ indulgentiæ.

Ibidem est aliud monasterium S. Joannis Baptistæ, ubi septem anni et totidem quadragenæ.

In deserto ubi S. Joannes fecit pœnitentiam, sunt septem anni et totidem quadragenæ remissionis.

Octavo, apud vallem Hebron sunt sequentes.

In campo Damasceno, ubi ex limo terræ formavit Deus primum hominem, dicuntur esse decem anni et quindecim quadragenæ indulgentiæ.

In loco ubi sepultus est Adam primus homo, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In eadem valle, in spelunca ubi sepulti sunt Abraham, Isaac, et Jacob, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Ubi dicitur nata fuisse arbor crucis, sunt viginti anni et totidem quadragenæ.

Nono, apud Galilæam.

In loco Galilææ ubi Dominus complens promissum suum apparuit Apostolis, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In monte quo diabolus tentans Christum duxit eum in locum excelsum, etc., sunt septem anni et septem quadragenæ.

D. Defendens Brusatus, Vic. Gen.

(9. Omnes supradictæ indulgentiæ non plenariæ cum aliis non plenariis Compostellæ et Portiunculæ pluries eodem die obtineri possunt, si pluries iteratur recitatio dictarum orationum, scilicet sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, etc. Idemque dicendum est de supradictis plenariis cum aliis plenariis Compostellæ et Portiunculæ, quatenus pro defunctis applicabiles. Et ratio est quia decretum Innocentii XI incip. *Delatæ sæpius*, adductum supra art. antecedenti, n. 15, quo sancitur neminem lucrari posse pluries eodem die plenariam indulgentiam cum non exprimat indulgentias pro defunctis applicabiles, non videtur eas comprehendere; nam, sicut in concessione alicujus indulgentiæ non intelligitur quod ea sit pro defunctis applicabilis nisi exprimatur, ut communiter docent doctores cum Lezana verb. *Indulg.*, n. 24; Suar., disp. 35, sect. 1; Viva, loc. cit., § 1, sub. num. 1; Molfes, et alii, ex D. Thoma in 3, dist. 45, q. 2, art. 3, quæst. 2; ita a fortiori in revocatione indulgentiarum non intelliguntur illæ revocatæ pro defunctis nisi etiam exprimatur, ut patet ex revocatione facta a Paulo V in cit. constit. incip. *Romanus Pontifex*, ubi, ex quo non expressit se revocare etiam indulgentias defunctis applicabiles, ipsemet sub die 23 Februarii 1609, ut diximus supra num. 2, testatus est non revocasse illas indulgentias, quæ pro defunctis poterant a regularibus applicari.

(10. Fratres et Sorores de ordine Minorum, et consequenter Tertiarii et Chordi-

Digitized by Google

geri recitando coronam B. M. V. ex 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster*, cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam sibi inprimis concessam a Leone X, quam Paulus V, post generalem indulgentiarum regularibus concessarum revocationem, de novo concessit 8 Junii 1608, ad instantiam P. Ludovici a S. Joanne Evangelista, commissario generali ultramontanæ familiæ Minorum de Observantia, ut referunt Lantusca in Theatr. Regularib. verb. *Indulgentia*, num. 3; Kazenberger, loco cit., num. 91; Portell. Sgobar, Sanig, Peyrin., Rodriquez, Bordon, Quintanadven., et alii passim, et demum confirmavit Innocentius XI. Quod certum esse patet ex rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani novissime confirmatis ab Innocentio XII, quæ n. 90 ita habent : *Sabbato præsertim, et singulis aliis hebdomadæ diebus privatim recitanda est a nostratibus ex devotione Corona beatæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ, approbata a san. mem. Leone X in brevi* Exponi nobis, *die* 14 *Septembris* 1517 *concesso, et per aliud ejusdem Pontificis breve quod incipit :* Dum præexcelsa, *die* 19 *Junii* 1515 *ea indulgentia decorata, quam Paulus V post generalem indulgentiarum revocationem benigne invocavit, et recol. mem. Innocentius XI per suas etiam in forma Brevis Litteras similiter incipientes :* Exponi nobis, *die* 15 *Maii* 1688, *firmam esse voluit atque sancivit.*

(11. Item Fratres Minores et alii regulares ex concessione Julii II et Leonis X, quoties recitant Coronam Domini Nostri Jesu Christi ex triginta tribus *Pater* et totidem *Ave Maria* in honorem annorum quibus inter mortales vixit Christus Dominus, aut septem psalmos pœnitentiales, aut graduales, aut officium defunctorum, lucrantur indulgentiam plenariam pro animabus purgatorii. Et Leo X pariter pro hac Corona concessit Minoribus plenariam indulgentiam sibi ipsis applicandam ; quam tamen Paulus V revocavit. Sed Peyrinus, Rodriquez, Bordon, qu. 3, num. 18, et Quintanadv. in Append. ad Jubil. tom. IV, dub. 4, n. 7, cum Viva Append. Indulgentiarum passim acquisibilium, § 3, asserunt illam Minoribus ab eodem Paulo V restitutam esse. Unde ab omnibus privilegiatis regularibus obtineri poterit. Et hanc plenariam indulgentiam ægroti et senes decrepiti obtinent, si pro ea recitent unum psalmum vel hymnum beatæ Virginis vel Domini Nostri, ex concessione Leon X. apud Casarub. in Compend. Privileg. vel Indulgentiæ Plenariæ quoad Fratres, n. 13. Et sic tenent supracitati doctores, et alii plures. Imo Portel et Rosighinus in templo Salomonis apud P. Antonium Natalem, cap. 9, testantur illam omnibus Christifidelibus concessisse eumdem Paulum V, ut constat ex authenticis Romæ impressis anno 1609. Sic expresse sapientissimus P. Viva loc. cit.

(12. Fratres Minores, Clarissæ, et Tertiarii possunt applicare per modum suffragii omnes indulgentias et opera meritoria animabus purgatorii ex concessione Gregorii XV per suum breve sub die 10 novembris 1622. (13. Sacerdotes Fratrum Minorum ex concessione Leonis X, celebrando tres missas in altari sibi assignato a suis superioribus, liberant animam suorum parentum in primo, secundo, et tertio gradu, a pœnis purgatorii, sicuti si celebrarent super altare S. Gregorii et S. Sebastiani Romæ. Sic refert Peyrin. in Const. 8 Pauli V, n. 6, pag. 252, et alii. (14. Fratres Minores sacerdotes ex concessione Innoc. VIII, celebrando diebus dominicis et in solemnitatibus D. N. J. Christi et B. M. V., et illi qui non sunt sacerdotes, quoties communicaverint, lucrantur indulgentiam plenariam pro defunctis, sed non pro se ipsis, cum fuerit revocata a Paulo V. Sic refert Peyrin. in cit. Constit., § 9, num. 8, pag. 252, et alii. (15. Fratres Minores aliique regulares, ex concessione Clementis VIII, in casu mortis alicujus ipsorum, aut patris, aut matris, aut alicujus habentis filiantiam, seu suffragia aut soliti in domo sua hospitare fratres, possunt unica missa per modum suffragii ipsum liberare a pœnis purgatorii. Sic refert Peyrinus in Constitut. 6. Clem. VIII, n. 2, pag. 234, et alii.

(16. Fratres Minores Regularis Observantiæ docentes doctrinam Christianam, et eisdem in hoc opere cooperantes, lucrantur eximias indulgentias concessas ab Innocentio XI 20 Maii 1686, constitutione incip. *Pietatis*, quæ ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur.

INNOCENTIUS PAPA XI, ETC.

Pietatis ac Christianæ charitatis opera ubique locorum cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Christifideles quoscunque, præsertim sub suavi religionis jugo, Altissimo famulantes, et ut ad illa exercenda promptiores reddantur indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus, prout ad Christianam religionem propagandam et animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii fratres ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, inter pia quæ exercent opera, etiam adultos et pueros quoscunque per universum Christianum orbem, catholicæ fidei rudimenta et Christianas virtutes omnes recte doceant; nos pro nostri pastoralis officii munere, hoc pium Christianæque reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenire ac multo uberiores post hæc ex eo proventuros speramus, confovere volentes, ut eorumdem fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli, apostolor. ejus, auctoritate confisi, supplicationibus etiam dilecti filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura, commissarii generalis curiæ pro Ultramontana familia dicti ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis dicti ordinis fratribus et aliis universis Christifidelibus, ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem fratribus ad infra-

Digitized by Google

scripta cooperantibus, qui de superiorum suorum licentia respective, ac de consensu ordinariorum locorum pueros et adultos quoscunque doctrinam Christianam juxta decreta concil. Trident. docere, vel eidem (dum docetur) interesse consueverint, si vere pœnitentes ac confessi SS. Eucharistiæ sacramento die festo (ab iisdem ordinariis, in ecclesiis in quibus doctrina Christiana docetur, semel in anno designando) refecti fuerint plenariam; nec non ipsis qui vere similiter pœnitentes, et confessi, SS. Eucharistiæ sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito Nomen Jesu, saltem corde, in mortis articulo devote invocaverint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis qui pariter vere pœnitentes et confessi, semel quolibet mense SS. Eucharistiæ sacramentum sumpserint, septem annos et tot quadragenas. Qui vero in causa fuerint ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ doctrinam Christianam frequentent, et qui diebus Stationum almæ urbis nostræ, hanc doctrinam in ecclesiis aut oratoriis de ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur quas consequerentur et consequi possent, si ecclesias stationum ejusdem urbis personaliter visitarent. Easdem etiam indulgentias visitatores scholarum doctrinæ hujusmodi (qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt) consequantur, si peccata sua confessi SS. Eucharistiæ sacramentum sumpserint. Insuper iis qui diebus feriatis doctrinam Christianam aut publice aut privatim explanaverint, centum dies; nec non omnibus et singulis præceptoribus qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam Christianam duxerint eosque illam docuerint, septem annos. Et qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint, aut collationes fecerint (licet illo die non intervenerint), in aliqua Schola discendi causa, septem annos; omnibus et singulis patribus, et matribus familias, qui in suis domibus, liberis, famulis, et familiaribus utriusque sexus, doctrinam Christianam similiter explicaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies; item iis qui per civitates, terras, et alia loca viros, mulieres, aut pueros, ad discendam eamdem doctrinam Christianam docendi causa convocando circumierint, septem annos; ac etiam, qui extra civitatem ad illam docendam per castra et villas exeunt, decem annos; omnibus etiam Christifidelibus qui per mediam horam doctrinæ prædictæ, aut discendi aut docendi causa studuerint, aut eidem interfuerint, centum dies; eisdem etiam qui doctrinam prædictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis iis, seu alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris: non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut, si aliquæ aliæ indulgentiæ prædictis fratribus præmissa agentibus a nobis vel prædecessoribus nostris ad tempus nondum elapsum vel perpetuo duraturæ concessæ fuerint præsentes nullæ sint. Utque earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici vel secretarii generalis dicti ordinis subscriptis, et sigillo ministri generalis ejusdem ordinis, vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur quæ ipsi præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, 30 Maii 1686, pontificatus nostri anno decimo.

(17. Fratres Minores, moniales, Tertiarii, aliique confratres et consorores quarumcunque confraternitatum et societatum in eorum ecclesiis canonice erectarum et erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam centum dierum, et si saltem per quadrantem horæ singulis diebus, et per totum mensem dabunt operam et confessi communicaverint pro quolibet mense, lucrantur indulgentiam plenariam etiam per modum suffragii defunctis applicabilem. Sic concessit Innoc. XII die 24 Dec. 1692, constit. incip. *Ad ea*, quæ habetur in rubricis particularibus Breviarii nostri Franciscani novissimi n. 177 et 178, ut infra.

INNOCENTIUS PAPA XII, ETC.

Ad ea per quæ animarum Christifidelium salus procuratur libenter intendimus, et eorumdem Christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cœlestium munerum elargitione libenter fovemus et incitamus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Francisci Diaz a S. Bonaventura, ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum definitoris generalis, nec non missionum pro Familia Ultramontana dicti ordinis Procuratoris nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis fratribus et monialibus, ac aliis utriusque sexus personis, ordinum et congregationum obedientiæ, seu directionis ministri generalis ejusdem ordinis nunc et pro tempore subjectis, ac etiam Christifidelibus confratribus et consororibus quorumlibet confraternitatum et societatum, sive sub Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis, sive sub alio quolibet titulo seu invocatione, tam hactenus in eorumdem fratrum et monialium ecclesiis canonice erectarum quam in posterum canonice pariter erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies. Qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, et per totum mensem dabunt operam, et vere pœnitentes et confessi SS. Eucharistiæ

Digitized by Google

sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense suorum peccatorum omnium indulgentiam et remissionem; quam per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

(18. Fratres Minores de Observantia missi a suis superioribus de ordin. locorum licentia ad exercendas missiones, et omnes utriusque sexus fideles ipsorum missionibus interessentes possunt consequi apostolicam benedictionem et Indulgentiam plenariam, ut concessit Innocentius XI, die 22 Martii 1688, per suum speciale breve, quod hic ad litteram datur.

INNOCENTIUS PAPA XI, ETC.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impartimur quos pro sua in Deum et proximos charitate, et Christianæ religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Fratres Minores ordinis Sancti Francisci de Observantia nuncupatos habeamus, eosque inprimis quos dilecti filii eorumdem fratrum superiores ob hanc causam hoc ipso, et consequentibus annis in diversas Christianæ reipublicæ provincias mittere constituerint: nos sane eorumdem fratrum pietatem ac operam, eorumque ad quos illi mittendi erunt, religionem et devotionem spiritualibus gratiis confovere atque augere cupientes, eorumdem superiorum precibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illorum deliberationem, quantum cum Domino possumus promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis fratribus de Observantia dicti ordinis ad missiones in quibusvis locis de ordinariorum licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt missionarii congregationis de Propaganda Fide, et aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per præsentes impartimur; nec non iisdem vere pœnitentibus et confessis, et sacra communione refectis, qui pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, principum Christianorum unione, infidelium conversione, hæresum extirpatione, prout unicuique suggererit devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino, auctoritate apostolica, tenore præsentium, pro unica vice duntaxat, pro unaquaque missione de ordinariorum licentia respective facienda concedimus et elargimur.

Hortantes venerabiles fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, et alios ecclesiarum prælatos; rectores, ac verbi Dei prædicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, præsentes litteras ac omnia in eis contenta publicent et publicari faciant, ac omnem iisdem religiosis favorem et auxilium in præmissis præstent, præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die decima secunda Martii 1688, pontificatus nostri anno duodecimo.

J. F. ALBANUS.

(19. Moniales ordinis S. Claræ, aliæque subjectæ ordini nostro Seraphico et generali nostro ministro, fruuntur ipsæ, et earum ecclesiæ omnibus indulgentiis nobis et nostris ecclesiis concessis: sic declaravit et concessit Innocentius XI, die 5 Septembris 1686, et approbavit Innocentius XII anno 1595, decimo septimo Kalendas Januarii constitut. incip. *Sua nobis*, ut habetur in rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani novissimi a num. 182. (20. Imo nedum moniales ordini et superiori nostro generali subjectæ, sed etiam illæ quæ sunt sub immediata jurisdictione episcoporum, gaudent omnibus indulgentiis et privilegiis nobis concessis, sicut generatim omnes moniales a cura regularium suorum ordinum ad immediatam jurisdictionem episcoporum translatæ aut transferendæ, fruuntur iisdem privilegiis ac indulgentiis, quibus ante ejusmodi translationem fruebantur, ut non semel declaravit sacr. congreg. indulgentiis et S. reliquiis præposita, et signanter novissime sequenti decreto a Sanctissimo approbato.

DECRETUM

Quo declaratur monasteria monialium a cura regularium suorum ordinum ad immediatam jurisdictionem episcoporum translata aut transferenda, iisdem privilegiis ac indulgentiis frui debere quibus ante ejusmodi translationem fruebantur.

« Licet ab hac sacr. congreg. indulgentiis et S. reliquiis præposita non semel declaratum fuerit nonnulla sanctimonialium monasteria quæ antea sub gubernio fratrum sui ordinis degebant, per hoc quod episcopo loci subjecta deinde fuerint, privilegia et indulgentias quibus antea fruebantur nullatenus amisisse; tamen, cum sæpius alia etiam monasteria quæ simili modo sub immediatam episcoporum jurisdictionem translata sunt, idem ab apostolica Sede declarari humiliter postulaverint, ut nulla in posterum dubitandi ratio supersit; eadem sac. congr., re mature discussa die 20 Aprilis 1711, de-

Digitized by Google

claravit monasteria omnia sanctimonialium quæ a cura et gubernio fratrum suorum ordinum sub immediatam jurisdictionem episcoporum translata sunt, et in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegiata et indulgentias quibus antea gaudebant amisisse seu amissura fore; sed eodem modo cunctis prædictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere ac si sub gubernio fratrum suorum ordinum actu existerent. Quam sacr. congr. sententiam sanctissimus Dominus noster die 22 ejusdem mensis approbavit.

« Datum Romæ die 14 Maii 1714.

« L. CARD. PICUS PRÆFECTUS.

« *Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.* »

Ad rem addendum est sequens ejusdem sacr. congreg. Indulgentiarum decretum.

Vienn. in Austria.

Per decreto della sacra congr. dell'Indulgenze e Reliquie in data de' 20 Aprile 1711, li monasteri di monache passate e che passeranno sotto la giurisdizione degli ordinari godono le stesse indulgenze de' suoi respettivi ordini; e per altro decreto de' 3 decembre 1736 li monasteri delle monache Elisabettine godono l'istesse indulgenze: ed il dì 23 Sett. 1741, il Papa, *audito prius voto ejusdem S. C.* il giorno 19 dell'istesso mese, dichiarò, *et quatenus opus sit, concessit, ecclesias monialium Clarissarum gaudere indulgentia Portiunculæ nuncupata die 2 Augusti* per tutti i fedeli, nel modo che godono le chiese di tutti gli ordini di S. Francesco: e finalmente 18 maggio 1744, dichiarò, che tutte le monache soggette agli ordinari godono le indulgenze dei suoi respettivi ordini, di cui recitano l'officio, e professano l'istituto. Et his non obstantibus, per parte delle monache del Terz'Ordine di S. Francesco della congregazione delle Elisabettine della città di Vienna in Austria fu proposto il seguente dubio: « An Indulgentiæ generaliter concessæ ecclesiis fratrum pariter et monialium tum in diebus festivis sanctorum ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus cunctæ et singulæ æque lucrari queant a Christifidelibus visitantibus ecclesias monialium quæ ordinariorum gubernio et jurisdictioni subsunt. » Et sac. eadem congregat., die 19 Augusti 1747, ad formam alterius decreti die 23 Februarii 1673, respondit ac declaravit, *Gaudere*. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem sacr. congregat. secretarium, die 26 ejusdem mensis; Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua voluit decret. sac. congr. benigne approbare.—Fr. J. Card. Portocarrero. — A. M. Erba Prot. Apost. Secr. — Cum vero pro parte monialium Elisabethinarum præfatarum dubitatum fuerit an ipsæ earumque ecclesiæ in præinserto favorabili decreto comprehendantur, ex eo quod licet consueta vota substantialia instituti et ordinis S. Francisci profiteantur, attamen non divinum vigore præallegati decreti 18 Maii 1744, sed B. M. V. officium tantummodo

recitant Et eadem sac. congreg. die 5 Febr. 1748, ejusmodi proposito dubio rescribendum censuit: *Consulendum Sanctissimo pro benigna declaratione*. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem sac. congreg. Secretarium, die 2 mensis Martii prædicti anni, Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum sacr. congr. approbando benigne annuit, ac ejusmodi declarationem seu concessionem quibuscunque etiam religiosis monialibus instituti et ordinis S. Francisci Assisiatis earumque ecclesiis suffragari voluit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRÆFECTUS

A. M. Erba Proton. Apost. Secret.

(21. Fratres et sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, qui emissis tribus substantialibus religionis votis collegialiter vivunt, gaudent omnibus indulgentiis quibus gaudent Fratres Minores primi ordinis, et moniales S. Claræ, ac cæteri alii regulares, cum veri religiosi et religiosæ existant. *Communis et certa.* (22. Et si prædicti Tertiarii et Tertiariæ subdantur nostro Seraphico ordini et nostro superiori generali, gaudent ipsi et eorum ecclesiæ omnibus indulgentiis quibus gaudemus nos Franciscani, et gaudent nostræ ecclesiæ ex cit. concessione facta ab Innocentio XI et approbata ab Innocentio XII in dicta constitut. incip. *Sua nobis.* (23. Prædicti autem nostri Tertiarii et Tertiariæ in propriis domibus sæcularibus habitantes gaudent in primis omnibus indulgentiis regularibus in communi concessis ex concessione Gregorii XV const. incip. *Injuncti nobis*, edita 1621, tertio Nonas Julii apud Lantuscam *In Regula Tertiariorum*. Secundo, ex concessione Leonis V, Pauli V, Innocentii XI et XII, gaudent omnibus indulgentiis nostro ordini Seraphico elargitis, modo nostræ directioni subdantur, ut patet ex verbis Innocentii XI et XII in cit. const. incip. *Sua nobis*; quæ, cum plurima contineat ad rem facientia, hic ad litteram datur.

BULLA

(24. *Innocentii fel. recor. Papæ XII executionem litterarum apostolicarum et communicationem privilegiorum et indulgentiarum etiam plenariarum inter ecclesias, loca, confraternitates, congregationes, ordines et personas utriusque sexus obedientiæ vel directioni ministri generalis de Observantia, et in specie indulgentias Viæ Crucis, et Montis Calvarii concernens, anno 1695, XVII Kalendas Jan. edita, et ad archiepiscopum Valentinum actualem inquisitorem generalem, et Nuntium Hispaniarum directa.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS, ETC.

« Sua nobis dilectus filius F. Franciscus Diaz a S. Bonaventura sac. congregationum Indicis, Rituum, et super Disciplina seu Reformatione regularium consultor, ac missionariorum diversarum provinciarum ord. FF. Minorum Sancti Francisci Familiæ Ultramontanæ procurator, petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam a fel. recor. Inno-

Digitized by Google

rentio Papa XI, prædecessore nostro litteræ in forma brevis sub die 5 Septembris de anno Domini 1686, emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum et indulgentiarum etiam plenariarum usque tunc non revocatarum inter ecclesias, loca, confraternitates, congregationes, ordines, et personas utriusque sexus, obedientiæ vel directionis ministri generalis ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci subjectas, a pluribus Romanis Pontificibus, ipsius Innocentii, et nostris etiam prædecessoribus eisdem, per diversa privilegia concessa, a qua communicatione, prout iteratis vicibus a Sede Apostolica exstitit declaratum, resultare dignoscitur, quod quando decoratum reperitur altare unius loci, vel una ecclesia, aut una confraternitas, seu quævis congregatio, ordove aliquarum e dictis personis aliqua indulgentia, sive plenaria, sive non, applicabili per modum suffragii, vel non applicabili pro animabus purgatorii, ad favorem earumdem tantum personarum, vel omnium simul Christifidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo loco, altari, vel ecclesia confraternitatum in diebus in concessione expressis perfecerint quod per eamdem concessionem fuerit præscriptum in omni loco, altari, vel ecclesia confraternitatum, congregationum, ordinum, et personarum præfatarum, eadem indulgentia ab omnibus respective acquiratur qui iisdem diebus easdem ibi emiserint diligentias in concessione taxatas. Verum, sicut eadem petitio subjungebat, prætendentibus nonnullis scrupulosis quod in præfata communicatione generali comprehensa non veniant loca et ecclesiæ Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem, ad tollenda de medio quæcunque dubia fuit nobis pro parte præfati ordinis humiliter supplicatum quatenus non essent exclusa prænemorata loca et ecclesiæ Terræ Sanctæ, et multo minus aliarum partium Orientis, a communicatione mutua et reciproca quæ includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquuntur privilegia et constitutiones pontificiæ præfatæ, ad hoc, ut indulgentiæ supradictæ eisdem concessæ, et usque modo non revocatæ, obtineri valeant sine ullo dubio in aliis ecclesiis, altaribus, et locis piis ac devotis spectantibus ad personas præmemoratæ obedientiæ vel directioni subjectas, stante quod Sanctæ Sedis mens fuit semper hæc omnia loca reddere æqualiter condecorata et a fidelibus venerata ob meritum æquale, uniforme, vel æquivalens. quod jam dictæ personæ in Dei et sanctæ Ecclesiæ servitio peragunt de continuo, declarare de benignitate apostolica dignaremur. Nos vero præfatam declarationem commisimus congregationi dilectorum fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concil. Trident. interpretum, quæ sub die 16 mensis Julii currentis anni, perpensis prædictis litteris dicti Innocentii XI prædecessoris nostri, declaravit, prædicta loca, et ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis extra Jerusalem esse comprehensa sive comprehensas in dictis privilegiis, indultis, et indulgentiis, et deinde sub die 27 ejusdem mensis sententiam prædictæ congregationis approbavimus, ut in decreto d. congreg. desuper edito latius continetur.

« Sed, quia adhuc post prædictum decretum dubitabant nonnulli an mens dictæ congregationis fuerit stabilire quod pia loca Viæ Crucis, seu Calvariæ, ad recolendam seu meditandam Christi passionem, a prænemoratis personis seu ordinibus ad instar stationum Calvarii montis juxta diversa etiam privilegia Sanctæ Sedis erecta, comprehensa sint in præfata mutua communicatione, eadem sacra congregatio sub die 12 mensis Novembris mox elapsi declaravit etiam præfata pia loca comprehendi in sæpe dictis litteris Innocentii XI, prædecessoris nostri, ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in eisdem litteris contentis et expressis, ac nos sententiam prænemoratæ congregationis sub die 15 ejusdem mensis Novembris pariter benigne approbavimus, sicut in decreto præfatæ congregationis desuper similiter emanato plenius continetur. Cum autem, sicut dicta petitio etiam subjungebat, idem exponens pro majori tam præfatorum missionariorum quam cæterarum personarum prænemoratarum quiete, cupiat ut litteræ præfatæ ac declarationes et decreta a memorata congregatione cum nostra approbatione desuper emanata, suum ubique sortiantur effectum, non obstante forsan sinistra interpretatione seu contradictione nonnullorum religiosorum aliorum ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adversariorum, quod facere nequit absque speciali nostro rescripto; ideo, ne litteræ, et declarationes, ac decreta hujusmodi suo debito careant effectu, nobis humiliter supplicari fecit, exponens prædictus, ut ei in præmissis opportune providere de simili benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statum et merita causæ et causarum hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque censuris et pœnis ecclesiasticis a jure vel ab homine, quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus inclinati, discretioni vestræ, attento, sicut dictus exponens asserit, quod agitur inter exemptos, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, vocatis dictis adversariis, et aliis, qui fuerint evocandi, ad exsecutionem memoratarum litterarum, ac declarationum, nec non decretorum hujusmodi, juxta illorum formam et tenorem, prout de jure, et dummodo judicium super præmissis alibi cœptum non sit, auctoritate nostra, procedatis, procedique mandetis, et faciatis. Nos enim vobis, et cuilibet vestrum, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fuerit, citandis illis, et quibus vide-

Digitized by Google

bitur, sub sententiis, censuris, et pœnis inhibendi contradictores in illas incidisse, servata forma concil. Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, et interdicendi, auxiliumque brachii sæcularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, nec non alia in præmissis necessaria et opportuna faciendi, exercendi, exsequendi, plenam et liberam, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1695, decimo septimo Kalendas Januar., pontificatus nostri anno quinto. »

(*Hæc bulla videri potest in Breviario nostro Franciscano in rubricis particularibus, num.* 182 *et sequent.*)

(25. Insuper Paulus V, constit. incip. *Cum certas*, data Romæ apud S. Petrum die 11 Martii 1607, concessit etiam sequentes indulgentias Tertiariis directe et specifice etiam in propriis domibus viventibus.

I. Die quo recipiunt habitum, vel chordam benedictam a superiore ordinis in memoriam S. Francisci, si contriti et confessi Eucharistiam sumpserint, indulgentiam plenariam lucrantur.

II. Eodem modo in festo primario ordinis lucrantur indulgentiam plenariam.

III. In articulo mortis invocato nomine Jesu, plenariam.

IV. Qui assistunt et sequuntur processionem chordæ omni mense fieri solitam, lucrantur indulgentiam 3 annor. et totidem quadragenarum. Si autem confessi communicaverint, plenariam.

V. Qui confessi et sancta communione refecti visitaverint ecclesias Fratrum Minorum in Festis S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Ludovici, S. Bernardini, S. Bonaventuræ, S. Claræ, lucrantur indulgentias septem annorum et totidem quadragenarum, præter indulgentias plenarias a Sixto V concessas.

VI. Qui assistunt Officio B. M. V. dum legitur in Oratorio, lucrantur indulgentias 100 dierum.

VII. Qui comitantur sanctissimum sacramentum dum portatur ad infirmos, lucrantur indulgentiam quinque annorum et totidem quadragenarum.

VIII. Qui comitantur sepulturam mortuorum, dant eleemosynam pauperi, conciliant pacem inter inimicos, toties quoties pro quolibet istorum operum impetrant indulgentias 100 dierum.

IX. Conceditur quod Fratres prædicti et Sorores possint has gratias spirituales consequi, et illas applicare animabus purgatorii per modum suffragii.

Ita Kilianus, Kazenberger in Supplem. Theolog. Sacramental. Patritii, Sporer, cap. 3, quæst. 2, § 7, n. 106; Engelbertus Pauck in tertia Seraphica Vinea cap. 25.

num. 112, citans etiam P. Angel. Lantuscam fol. 86, in idiomate Italico.

(26 Fratres et sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci de Pœnitentia semel in mense lucrantur indulgentias 560 dierum, dum conveniunt ad congregationem menstruam, et ibidem audiunt legi suam regulam, vel ejusdem explicationem. Ita concessit Clemens V, 8 Maii 1305 Constit. incipien. *Cum illuminatum*, quæ hic ad litteram subnectitur.

CLEMENS EPISCOPUS, etc.

Dilectis in Christo filiis et filiabus, Fratribus et Sororibus venerabilis Tertii Ordinis de Pœnitentia salutem et apostolicam benedictionem.

Cum illuminatum sit cor nostrum et illustratum Spiritu Sancto, cum effectu devoto et pietate concedendi liberaliter et donandi cum prompta manu locis piis et devotis personis, specialiter dilectis fratribus et sororibus venerabilis Tertii Ordinis Sancti Francisci, in omni parte terrarum ubi degunt, in quali ordine certo reperiuntur multa beneficia pro salute animarum; in respectum tanti ordinis totum mundum illuminantis, ad dicti venerabilis ordinis majorem exaltationem et honorem, virtute præsentium litterarum manifestum sit omnibus fratribus et sororibus dicti ordinis, quod omni vice, quando conveniunt insimul saltem quo ad majorem numerum, in uno deputato loco, et ibidem legitur dicta regula, vel de ista regula fiat memoria, vel mentio etiam peregrinis, et extraneis, qui non sunt de ista regula, considerando illorum merita: concedimus ex jugi fonte divinæ gratiæ 560 dierum indulgentiæ pro singulis, una vice in mense, quando lecta erit ista regula.

Datum Burdigalæ in Francia, die 8 mensis Maii 1305, pontificatus nostri anno secundo.

(*Hoc breve videri potest apud P. Lantusca, idiomate Italico, fol.* 34, *de Reg.* 3 *Ordinis, et apud P. Engelbertum Pauck in* 3 *Seraphica vinea, cap.* 6, *num.* 71.)

(27. Tertiarii utriusque sexus intra vel extra claustra moram trahentes, qui tria vota substantialia religionis non emittunt, frui queunt indulgentiis relatis in constitutione *Dum præexcelsa*, a Leone X die 19 Junii 1515 promulgata per eumdem pontificem in brevi *Dudum*, die 10 Decembris 1519 ad eosdem extensis, idemque dicendum de aliis similibus, ex decreto præmemoratæ congregationis reliquiis et indulgentiis præpositæ, quo declaravit personas substantialia religionis vota non emittentes sive intra sive extra claustra degentes, minime comprehendi in revocatione generali indulgentiarum a Paulo V die 23 Maii 1606, in brevi *Romanus Pontifex*, præscripta. Quam declarationem per breve *Alias* incipiens, apostolico robore munivit san. mem. Innoc. XI, die 20 Oct. 1686. Ita habetur in Rubricis particularibus nostri novissimi Breviarii Franciscani, num. 173. (28 Tertiarii nostri etiam in sæculo degentes et nostræ directioni subjecti possunt uti nostro Franciscano

Digitized by Google

Breviario. Ita enim præscribunt rubricæ particulares nostri novissimi Franciscani Breviarii sub. n. 1, 2, 4, 21 et 22. Vide verb. *Officium Divinum*, art. 3, n. 17 et seq.

(29. Chordigeri eximiis indulgentiis fruuntur, prout apparet in constitutione Sixti V incip. *Divinæ Charitatis*, et in constitut. Pauli V incip. *Nuper archiconfraternitatis Chordigerorum*, quæ habetur ad litteram verb. *Confraternitas*, artic. 1, num. 20 et 21. (30. Præterea Chordigeri ex concessione Gregorii XV, in brevi incip. *Pias Christi*, 10 Nov. 1622, lucrari possunt etiam illas indulgentias quas Paulus V concessit omnibus regularibus, 23 Maii 1606, constit. incip. *Romanus Pontifex*, adducta supra artic. 4, n. 7. (31. Insuper Chordigeri lucrari possunt omnes indulgentias Fratribus Minoribus directe et in specie concessas et non revocatas (non item alias eis per extensionem vel communicationem quomodovis competentes). Ita Clemens VIII constitut. incip. *Quicunque a Sede*, 1604, 7 Decembris, teste Lantusca in Theatro Regul. verb. *Confraternitas* num. 4 et 5. (32. Unde Chordigeri lucrari possunt indulgentias Stationis sanctissimi Sacramenti, indulgentias Coronæ B. Mariæ Virginis, indulgentias Coronæ Domini Nostri Jesu Christi, indulgentias Orationis mentalis, indulgentias Doctrinæ Christianæ. Ita Engelbertus Pauck in tertia Seraphica Vinea cap. 21, num. 93; Kazenberger loc. cit. num. 113, et alii passim. (33. Ulterius Chordigeri gaudent in articulo mortis privilegio absolutionis generalis, ex concessione Clementis VIII constitut. incip. *Quæcunque a Sede*, Pauli V constitut. incip. *Cum certas*, et Gregorii XV constitut. incip. *Injuncti nobis;* item *communicatione meritorum nostri ordinis;* Kazenberger loc. cit., numer. 113, et alii communiter.

(34. Hinc quantum ad indulgentias confratrum Chordæ S. P. N. Francisci, et Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia edita fuit ab Innoc. XI, 15 Maii 1688, sequens constitutio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

« Venerabilis Frater et Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« Exponi nobis nuper fecit dilectus filius frater Franciscus Diaz a S. Bonaventura, in Romana curia pro Familia Ultramontana, obedientiæ seu directioni ministri generalis totius ordinis FF. Min. subjecta, commissarius generalis, quod alias, ad favorem dilectorum filiorum utriusque sexus confratrum Chordæ S. Francisci et Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitent. emanarunt a diversis Pontificibus prædecessoribus nostris litteræ in forma brevis expeditæ : Primo a fel. rec. Paulo Papa V, sub die 25 Septembris 1607, incipientes verbo *Nuper*, etc.; secundo, a piæ mem. Gregorio XV, 26 Junii 1622, incip. verbo *Alias*, etc., et continentes tenorem aliarum bon. mem. Sixti V, etiam prædecessoris nostri; tertio, ab eodem Papa Gregorio XV, 10 Novem. 1622, incipientes : *Pias Christi*, etc.; quarto a piæ mem. Alexandro Papa VII, pariter prædecessore

nostro, 28 Junii, ac postmodum 5 Septembris 1666, quibus inter alia communicantur inter ipsos sexus utriusque tertiarios et confratres, seu cum ipsis tertiariis, confratribus religiosis diversorum ordinum, et conceduntur seu confirmantur diversa privilegia, statuta, concessiones, et indulgentiæ, illæ præcipue pro recitatione coronæ B. Mariæ Virginis a dicto Paulo V, 8 Junii 1608. Et pro statione sanctissimi Sacramenti, et exercitio Viæ Crucis, etiam a nobis, præviis supradictis litteris, sub dictis diebus 28 Junii et 5 Septembris impertitæ, et innovatæ, imo etiam decreta (a congregatione indulgentiis et reliquiis præposita) sub diebus 14 Januarii et 15 Julii 1681 formata. Et licet a nemine litterarum, privilegiorum, statutorum, concessionum hujusmodi, et indulgentiarum exsecutio impediri valeat (etiam non obstantibus quibuscunque conditionibus vel oblocutionibus superiorum quorumvis ordinum, maxime in Angelopolitana et Mexicana diœcesibus) nihilominus idem exponens pro interesse et indemnitate dicti ordinis Minor., cujus directioni præfati fratres et tertiarii sunt subjecti, et ad quem vigore præfatæ nostræ confirmationis directe concessiones extenduntur, ne litteræ, privilegia, statuta, concessiones, et indulgentiæ præfatæ debito frustrentur effectu, nobis humiliter supplicari fecit ut ei in præmissis opportune de benignitate apostolica dignaremur providere. Nos igitur statum et merita causæ, et causarum, litterarum, privilegiorum, statutorum, concessionum, et indulgentiarum hujusmodi tenores; præsentibus pro expressis habentes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis (a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis), si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestræ, attento, quod sicut dictus exponens asserit, agitur inter exemptos, per præsentes committimus et mandamus quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum, vocatis ad id (qui fuerint evocandi) ad dictarum litterarum, privilegiorum, statutorum, concessionum, et indulgentiarum hujusmodi exsecutionem, juxta illarum seu illorum seriem, et tenorem, prout de jure, auctoritate nostra procedatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum, quoties et quot fuerit opus, citandi, illisque et quibus videbitur, sub sententiis, censuris, et pœnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidisse, servata forma conc. Trid., declarandi, aggravandi, reaggravandi, et interdicendi, cæteraque in præmissis necessaria, et opportuna faciendi, exercendi, et exsequendi apostolica auctoritate, plenam et liberam (tenore præsentium) concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem,

Digitized by Google

sub annulo Piscatoris 15 Maii 1688, Pontificatus nostri anno decimo tertio. »

Superscriptio erat

Ven. F. Episc. Angelopolitano, et Dilectis Filiis, Nostro et Sedis Apost. Nuncio in regnis Hispaniarum residenti, et Scholastico Ecclesiæ Salmant., et eorum cuilibet.

(*Hæc bulla videri potest apud P. Engelbert. Pauck in* 3 *Seraphica Vinea c.* 19, *n.* 80, *et apud Kazenberger in Append. Alphabetica verb.* Indulgentiæ Confratrum Chordæ S. Francisci et Fratrum Tertii Ordinis de Pœnit.

Hic tamen opportune notandum occurrit, quod novissime Benedictus XIV, Constit. 41, tom. III Bullar., incip. *Ad Roman. Pontificem*, Indulgentias concessas fratribus et sororibus Tertii Ordinis sæcularis de Pœnitentia Sancti Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit, et cæteris omnibus revocatis alias de novo concessit, quas sigillatim ibidem enumerat. Sunt autem ejusmodi :

Indulgentia plenaria confessis et sacra Eucharistia refectis ea die qua in ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis et communione refectis die festo S. Francisci 4 Octob., S. Claræ, sancti titularis ecclesiæ, oratorii, vel capellæ ejusdem Tertii Ordinis, die Dedicationis S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, dummodo ecclesiam ipsam visitaverint, et de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis, confessis et communione refectis et ore, vel, si non poterint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus ecclesiam Tertii Ordinis, seu oratorium, sive capellam, diebus stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus, de more, indulgentiæ illæ conceduntur quas prædictis diebus visitantes ecclesias Urbis, et extra eam, consequuntur.

Confessis et sacra communione refectis in festo Stigmatum S. Francisci, S. Ludovici Galliarum regis, S. Elisabeth reginæ Portogalliæ, itemque S. Elisabeth Hungariæ reginæ, S. Margaritæ de Cortona, atque in duodecim aliis anni feriatis, vel Dominicis diebus ad libitum eligendis, et a superioribus ordinis approbandis, et visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum, septem annorum, et totidem quadragenarum indulgentiæ.

Itidem centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint Missis, aut divinis officiis in ecclesia, ut supra, celebrandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Tertii Ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint vel provocaverint, corpora defunctorum quorumcunque ad sepulturam associaverint, aut processiones de licentia ordinarii faciendas, SS. Eucharistiæ sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos defertur, vel saltem, si sint impediti, ad signum campanæ orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis fratribus et sororibus recitaverint.

Item si peccantem ad pœnitentiam redegerint; doctrinam Christianam rudes docuerint; tandem quoties opus aliud pietatis vel charitatis exercuerint.

Ad rem liceat adhuc adnotare sequentia.

Indulgentiæ pro fratribus Tertii Ordinis S. Francisci de Paula conceduntur a Pontifice ad instar fere indulgentiarum pro illis qui Tertium Ordinem S. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod indulgentiam plenariam consequuntur in festo S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, Dedicationis sancti Michaelis Archangeli, et in festo Omnium Sanctorum, si visitaverint ecclesiam aliquam ordinis si ibi sit, et in defectu unam aliquam civitatis vel loci ubi degunt. Cæteræ indulgentiæ eædem omnino sunt ac superiores pro Tertiariis S. Francisci Assisiensis. Quoad Chordigeros S. Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre ejus ordinis vel ab alio deputato a superioribus ejusdem ordinis deferentes, die qua cingulum assumunt, confessi et sacra communione refecti plenariam indulgentiam consequuntur, sicut et plenariam in festo S. Francisci de Paula, visitantes, ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis eo modo quo tertiarii S. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem D. N. J. Christi et SS. Apostolorum preces effuderint. Denique Chordigeri illi, sicut et Tertiarii, pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt a Tertiariis S. Francisci Assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt. Ita ex bulla indulgentiis Tertiariorum Sancti Francisci de Paula, incipit *Inexhausti* Bullar. tom. III, num. 56.

(35. Benefactores nostri Seraphici ordinis maximas Indulgentias consequuntur. Clemens enim VII, inprimis in constitut. incip. *Dum consideramus*, 16 Aprilis 1526, apud Kazenberger in supplemento Theolog. Sacrament. Patritii; Sporer cap. 2, quæst. 2, § 8, numer. 107; apud Matthæucci, in Officiali Curiæ Regularis, cap. 31, reperienda, sic loquitur : « Dum consideramus assiduos labores et vigilias quas dilecti filii syndici et procuratores domorum et monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ, et monialium S. Claræ, Conceptionis, Annuntiationis ordinum, et Sororum tertiæ regulæ S. Francisci sustinere non cessant, merito nos obligant ut animarum suarum saluti consulamus, idcirco uni syndico et procuratoribus hujusmodi, cum illius uxore, et liberis, præsenti, et futuro, singulæ domui et monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipsi et eorum quilibet, omnibus et singulis indulgentiis, et peccatorum remissionibus, favoribus, et gra-

Digitized by Google

tiis, quibus fratres ordinis observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, et gaudent, seu uti, potiri, et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum ut potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate apostolica concedimus et indulgemus.

(36. Alexander VI concessit ut medici ordinarii Fratrum Minorum et Sororum S. Claræ habeant eadem privilegia et gratias quibus gaudent syndici et procuratores prædictorum fratrum. Martinus IV concessit tam procuratoribus quam advocatis qui in curiis ecclesiasticis et civilibus seu sæcularibus laboraverint pro defensione ordinis Fratrum Minorum ecclesiarumque ejusdem ordinis, singulis annis indulgentiam centum dierum. Idem Martinus IV concessit cunctis fidelibus qui manus adjutrices porrexerint ad construendas ecclesias vel monasteria ordinis Fratrum Minorum, ac omnibus qui sepulturam elegerint in cœmeteriis ac claustris præfatorum fratrum, indulgentiam quadraginta annorum. Nicolaus IV concessit omnibus porrigentibus manus adjutrices pro fabricis monasteriorum Fratrum Minorum 40 annos indulgentiæ, Innocentius IV 40 dies; Nicolaus IV totidem; Clemens IV centum dies, et sunt in summa 180 dies. Alexander IV concessit omnibus recipientibus Fratres Minores viatores in domibus suis, et ministrantibus eis alimenta, et solventibus naula seu passalia, ac alia pietatis obsequia dictis fratribus exhibentibus indulgentiam 40 annorum. Innocentius VIII concessit ut procuratores Fratrum Minorum, eorumque substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, et uxores, possint promereri indulgentias Stationum et alias Fratribus concessas, dicendo in ecclesiis Fratrum prædictorum quinque *Pater noster* et totidem *Ave Maria* pro felici statu Romanæ Ecclesiæ. Julius II concessit seu declaravit quod verba in privilegiis Fratrum Minorum contenta, scilicet quod visitantes suas ecclesias et manus porrigentes adjutrices consequantur indulgentias tales, vel tales referantur etiam ad facientes eleemosynas de pane, ac aliis pro earum victu et vestitu, domorum suarum reparatione, necessariis.

(37. Porrigentibus manus adjutrices ad fabricam ecclesiarum Fratrum Minorum juxta possibilitatem suam concessa est in articulo mortis remissio omnium peccatorum. Item concessi sunt centum viginti anni pro qualibet re quolibetque beneficio quæ locis vel monasteriis Fratrum Minorum largiuntur. Ultra hoc propter communicationem privilegiorum Fratrum Prædicatorum sunt concessi amplius 79 anni et in summa sunt ducenti anni uno minus. Ita apud Casarubios in Compendio nostrorum privilegiorum, aliorumque Mendicantium, verb. *Indulgentia quoad sæculares*, § 4. Insuper consequuntur propter communicationem privilegiorum omnes alias indulgentias concessas benefactoribus quorumcunque aliorum regularium.

(38. Clemens IV concessit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, et qui cum eo elegerint sepeliri, remissionem tertiæ partis omnium suorum peccatorum. Id. concessit Nicolaus III; idem Urbanus V. Alexander VI extendit eamdem indulgentiam ad mulieres suscipientes ante mortem vel post mortem habitum S. Claræ. Leo autem X confirmavit et de novo concessit easdem indulgentias, et insuper concessit indulgentiam plenariam omnibus morientibus et sepeliri eligentibus in dicto habitu et in habitu sororum tertiæ regulæ S. P. N. Francisci sub obedientia ejusdem Ordinis degentium, et declaravit sufficere habitum prædictum petere ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. Ita apud Casarubios loc. cit. § 6; Kazenberg., loc. cit., num. 109. (39. Ad lucrandas tamen has indulgentias necesse est recipere talem habitum a guardianis seu aliis prælatis superioribus, vel ab aliis ad id destinatis. Sixtus IV constit. incip. *Sacri*. Unde prædictum habitum dare non potest subditus, neque confessarius monialium neque quivis alius, nisi id sibi a prælato fuerit concessum: Kerckove in Statuta generalia nostra, cap. 4, § 3, num. 5 et seq.; Kazenb. loc. cit., n. 109. (40. Petentes autem et suscipientes dictum nostrum habitum possunt quidem dare nobis eleemosynam pro ipso habitu religioso, non tamen pro ipsa indulgentia consequenda, alias hæc esset revocata per S. Pium V, qui in constit. incip. ***Etsi Dominici***, sexto Kalendas Februarii 1567, revocavit omnes indulgentias, ratione quarum datur aliqua eleemosyna. Kazenberg. l. c.; Kerckove, l. c.; Rodriquez art. 10, t. II, qq. Regul. q. 76; Lantusca Theatr. Regular. verb. *Habitus*, num. 5, et alii passim.

(41. Habitum Fratrum Minorum sicut et aliorum Mendicantium osculantes lucrantur quinque annos et totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis ex concessione Joannis XXIII, facta ordini Prædicatorum, et consequenter omnibus aliis Mendicantibus ratione communicationis privilegiorum: Casarubios, l. cit. § 6, n. 9; Kerckove, loc. cit., num. 8; Kazenberger, l. c. n. 109; Lantusca, l. c., n. 10; Rodriquez, loc. cit., qu. 77, art. 11; Portel, verb. *Habitus in addition.*, n. 4, et aliis communiter. Vide tamen infer. n. 48. (42. Quam indulgentiam lucrari possunt iidemmet regulares, quia conceditur omnibus Christifidelibus habitum osculantibus, inter quos non debent esse deterioris conditionis ipsi Regulares: *Communis*. (43. Urbanus VIII concessit ut generales et provinciales totius ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes, et dona spiritualia benefactoribus ordinis: Casarubios, loc. cit., § 4, num. 6, et communis aliorum; et sic tenet praxis quotidiana.

(44. Omnes nostræ ecclesiæ ac monialium nostri instituti gaudent indulgentiis plenariis perpetuis concessis pro omnibus Christifidelibus incipientibus a primis vesperis usque ad occasum solis, festis diebus sequentibus, scilicet:

Die 16 Januar., pro festo SS. Berardi et soc.

Digitized by Google

Prothom. ord. Min., ex concessione Bened. XIV 18 Oct. 1741.

Die 5 Feb., pro festo SS. Baptistæ et socior. martyr., ex concessione Clementis XII 13 Julii 1739.

Die 22 Feb., pro festo S. Margaritæ de Cortona, concessa a Benedicto XIII 26 Jul. 1728.

Die 9 Martii, pro festo S. Catharinæ virginis de Bononia, concessa a Clemente XI die 21 Mart. 1714.

Die 13 Maii, pro festo S. Petri Regalati, concessa a Bened. XIV 23 Aug. 1746.

Die 17 Maii, pro festo S. Paschalis Baylon, concessa ab Alexandro VIII 7 Sept. 1690.

Die 20 Maii, pro festo S. Bernardini Senensis, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 13 Jun., pro festo S. Antonii de Padua, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 19 Jun., pro festo S. Michaelinæ 3 ordin., ex concessione Clementis XII 27 Sept. 1737.

Die 9 Jul., pro festo BB. Nicolai et soc. mart., ex concessione Benedicti XIII 6 Dec. 1728.

Die 14 Jul., pro festo S. Bonaventuræ, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 24 Julii, pro festo S. Francisci Solani, concessa a Benedicto XIII 14 Aug. 1727.

Die 2 Aug., pro festo Portiunculæ, concessa immediate a Christo Domino, ut declaravit Benedictus XII, apud Casarubios l. cit., verb. *Indulgentia quoad Sæculares*, § 1, n. 13; de qua plura infra.

Die 12 Aug., pro festo S. Claræ virginis, concessa a Sixto V 27 Sept. 1585.

Die 19 Aug., pro festo S. Ludovici episcopi Tolosani, concessa a Sixto V 28 Sep. 1585.

Die 25 Aug., pro festo S. Ludovici regis, ex novissima concessione Benedicti XIV 17 Maii 1755. Vide infra n. 80.

Die 4 Sept., pro festo Translationis S. Rosæ Viterbiensis virginis, concessa a Clemente XI 14 Jan. 1701.

Die 17 Sept., pro festo sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci, ex concessione Clementis XII 30 Aug. 1731.

Die 4 Oct., pro festo S. P. N. Francisci, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 13 Octob., pro festo SS. Danielis et soc. martyrum, ex concessione Clementis XII 13 Jun. 1739.

Die 19 Oct., pro festo S. Petri de Alcantara, concessa a Clemente IX 2 Oct. 1669.

Die 23 Oct., pro festo S. Joannis a Capistrano, concessa ab Alexandro VIII 5 Dec. 1690.

Die 12 Nov., pro festo S. Didaci confessoris, concessa a Clemente VIII 26 Mart. 1598.

Die 19 Nov., pro festo S. Elisab. reginæ Hungariæ, ex novissima concessione Benedicti XIV 17 Maii 1755.

Die 27 Nov., pro festo Omnium Sanctorum ordinis, ex novissima concessione Clementis XIII an. 1765. Vide infra n. 81.

Die 28 Nov., pro festo S. Jacobi de Marchia, concessa a Benedicto XIII 14 Aug. 1727.

Die 8 Dec., pro festo Immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ, concessa a Benedicto XIII 12 Dec. 1729.

Pro festo B. Ludovicæ de Albertonibus, 31 Januarii, gaudent nostræ ecclesiæ indulgentia plenaria concessa ad annos 14 a Clemente XI, 22 Dec. 1714, et solet renovari et reconcedi post ipsos elapsos ad alios 14 annos, ut novissime fuit renovata et reconcessa ad alios 14 annos a Benedicto XIV 27 Nov. 1744.

(45. Omnes fideles assistentes divinis officiis in nostris et aliis ecclesiis in festo et octava Corporis Christi lucrantur sequentes indulgentias: scilicet pro missa 400 dies, pro matut. 400 dies, pro qualibet vesper. 400 dies, pro qualibet hora parva 160 dies; et in quibuslibet infra octavam diebus pro singulis matutinalium, missarum, et vesper., 200 dies, ac pro reliquis horis 80 dies. Item sequentibus processiones, et missas devote celebrantibus, tam in festo quam in aliis octavæ diebus, pro pace ac tranquillitate Ecclesiæ ac Sacramentum in festo hujusmodi sumentibus, conceduntur ducenti dies indulgentiæ. Sic ex concessione Urbani IV, Martini V, Eugenii IV, aliorumque Pontificum, refert Casarubios in Compendio privilegiorum, verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares*, § septim. n. 2, ut videri potest quoad hoc bulla Eugenii IV. incip. *Excellentissimum*, bulla Urbani IV incip. *Transiturus*, bulla Martini V incip. *Ineffabile Sacramentum*.

Sixtus IV, const. incip. *Cum præexcelsa*, supradictas indulgentias concessas pro festo Corporis Christi concessit etiam pro Festo et Octava Immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ in nostris ecclesiis. Ita Rubricæ particulares nostri Breviarii Fransciscani, n. 21.

Clemens VIII, const. incip. *Sacratissimi Nominis*, easdem indulgentias concessit pro festo dulcissimi et sacratissimi Nominis Jesu, dummodo assistentes divinis officiis dicant 5 *Pater* et *Ave* pro felici statu Romani Pontificis et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adversus Mahumeticam et Lutheranam perfidiam, ac universali principum et aliorum fidelium pace. Ita Rubricæ citatæ num. 53.

Bonifacius IX, 1390, pro festo Visitationis beatissimæ Virginis Mariæ concessit easdem indulgentias quæ sunt concessæ pro festo sanctissimi Corporis Christi Domini Nostri.

Callistus III, 1457, pro festo Transfigurationis D. N. J. C. concessit assistentibus divinis officiis in nostris ecclesiis easdem indulgentias quæ sunt concessæ pro festo Sanctissimi Corporis Christi. Ita apud Kazenberg. loc. cit., cap. 3, q. 2, § 3, num. 94.

Alexander IV concessit visitantibus ecclesias Fratrum Minorum causa devotionis qualibet hora diei 40 dies. Innocentius IV concessit similiter 40 dies; Clemens IV concessit centum dies; Nicolaus III centum dies; Urbanus V centum dies; Nicolaus IV concessit indulgentiam unius anni et quadraginta dierum; Alexander IV concessit omnibus venientibus ad horas canonicas in ecclesiis Fratrum Minorum infra annum

Digitized by Google

singulis diebus, vel ad audiendam missam vel concionem, indulgentiam 100 dierum pro qualibet vice.

(46. Alexander IV, Nicolaus III, Innocentius IV, et Benedictus XI, concesserunt a feria 1 Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis inclusive visitantibus ecclesias Fratrum Minorum semel in die causa devotionis de indulgentia annos universim 122 et dies 576; visitantibus autem quando prædicatur feria 2, 4, et 6, additur indulgentia annorum 6 et dierum 26. Urbanus vero IV concessit omnibus visitantibus ecclesias Fratrum Minorum in Quadragesima indulgentiam 40 annorum. Ita ex Casarubio, Kazenberger, loco citato, num 95.

Visitantes ecclesias Fratrum Minorum in festivitatibus Domini Nostri, et Dominæ Nostræ, B. Joannis Baptistæ, Apostolorum, B. Francisci, Omniumque Sanctorum dicti ordinis, ex concessione diversorum Summorum Pontificum lucrantur pro qualibet prædictarum festivitatum indulgentiam mille tercentorum quadraginta annorum quadragentarumque quadraginta et sex quadragenarum, atque triginta et unius diei, ut summarie notat Casarubios in Compendio Privilegiorum, verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares* § 1, n. 19, lit. *C*, ubi addit quod in alia summa extracta ex libro intitulato *Firmamenta trium Ordinum* habetur subsequenti modo : « Summa indulgentiarum festivitatum Domini Nostri Jesu Christi ejusque sanctissimæ Matris, ac etiam S. P. N. Francisci, et Sanctorum ordinis, ascendit ad annos quingentos quadraginta et octo, et dies ducentos sexaginta. »

(47. Sæculares facientes celebrari missas et alia divina officia in ecclesiis Fratrum Minorum lucrantur mille dies indulgentiarum. Ita Emmanuel Rodriquez q. 95; apud Sanig. de Sacramentis, dist. 13, q. 3, n. 8; Kazenberger. l. cit., n. 108. (48. Audientes concionem Fratrum Minorum aliorumque regularium privilegiatorum lucrantur indulgentiam quindecim annorum, ex concessione Gregorii IX, apud Kazenberger loc. cit., num. 95. Et si talem concionem in ecclesiis regularium audiant feria 2, 4 et 6, Quadragesimæ, lucrantur indulgentiam centum triginta octo annorum, ex concessione Alexandri, et Nicolai III, Innocentii, et Alexandri IV, et Benedicti XI, apud Vivam in Appendice Indulgentiarum, § ultim. De indulgentiis concessis osculantibus habitum regularium (*Vide sup.* n. 41) et eorumdem regularium concionem audientibus dubitare non leviter videtur P. Minderer part. I, Confer. 3, Collig. 4, n. 351, et part. II, Confer. 8, Collig. 15, num. 501. Tales concionatores regulares, ut ex Casarub. Miranda et Diana tradit Gobat, tr. 4. de Indulgent., c. 28, num. 561, etiam quando concionantur extra templum sui ordinis, possunt pro singulis concionibus impertiri suis auditoribus indulgentias 18 annorum et 222 dierum, dummodo expresse addant se id facere nomine Pontificis.

(49. Indulgentia Portiunculæ Assisiatensis est immediate a Christo Domino concessa. Ita Benedictus XII, apud Casarubios verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares*, § 1, num. 13; Gobat, part. II de Indulg., cap. 9; March. in Portiuncula theologica, et historica; Matthæucci Officialis Curiæ, cap. 26, n. 5; Kazenberger loc. cit., n. 97, et alii passim. (50. Per hanc indulgentiam *Portiunculæ*, uti pulchre docet undequaque sapientissimus cardin. Bellarminus lib. II de Indulgent., c. 20, et ex ipso Kazenberger loc. cit.. n. 98, tria fidei et Ecclesiæ Catholicæ dogmata confirmantur : primum scilicet *de Indulgentiarum existentia :* secundum *de Romani Pontificis auctoritate*, quia Christus Dominus præcepit S. P. N. Francisco ut ejus vicarium adiret, et ab eo suo nomine hanc indulgentiam postularet; et Tertium *de confessionis auricularis necessitate*, quia ad eam lucrandam requiritur confessio peccatorum sacerdoti facta, quod totum patet ex Breviario Franciscano, lection. 5, ad diem 2 Augusti, ubi igitur : Quod, cum quadam nocte Seraphicus P. N. Franciscus oraret in habitaculo suo dictæ ecclesiæ Portiunculæ proximo, et ei significatum esset divinitus in ipsa ecclesia esse Dominum Jesum ejusque sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine angelorum, et statim summa cum religione delubrum ingressus cum primum ineffabilem illam Filii Dei majestatem et gloriam aspexisset, ante conspectum ejus procubuisset, eumque maxima qua potuit animi submissione ac pietate adorasset, sicut sequitur est ei Christus locutus, ibi : « Quem Dominus benignissime appellans admonuit ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, supplex petiit ut omnibus ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam et indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum confessionem sacerdoti fecissent. Respondit Dominus id sibi placere, præcepitque illi ut ejus vicarium adiret et ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet. »

(51. Indulgentia plenaria concessa primitus pro ipsa sola ecclesia Portiunculæ a primis vesperis Kalendarum Augusti usque ad vesperas sequentis diei, extenditur in perpetuum ad omnes ecclesias ordinis ubique existentes, pro secunda die Augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, dummodo lucraturi fuerint confessi et sacra communione refecti, ut apparet in sequenti bulla Gregorii XV.

GREGORIUS PAPA XV, ETC.

« Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementi ejus majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias ordinis Fratrum Sancti Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri

Digitized by Google

et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui aliquam ex dictis ecclesiis in secunda die mensis Augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 4 Julii 1622, Pontificatus nostri anno secundo.

« S. CARD. S. SUSANNÆ. »

(52. Talis indulgentia in omnibus ecclesiis Religionis Seraphicæ pro secunda die Augusti potest applicari etiam pro defunctis, et adducitur bulla Innocentii XI. id concedentis.

INNOCENTIUS PAPA XI, ETC.

« Alias felic. recordat. Gregorius Papa XV, Prædecessor noster, omnibus et singuli utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui aliquam ex ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, etiam Reformatorum nuncupatorum, ubique existentium die 2 mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, annis singulis devote visitassent, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et alias prout in ipsius Gregorii prædecessoris litteris desuper in simili forma brevis, die 4 Jul. 1622 expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit uberius continetur. Cum autem dilectus filius modernus procurator Generalis dicti Ordinis, ut nobis nuper exponi fecit, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem, per dictum Gregorium prædecessorem, ut præfertur, concessam, etiam animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret; nos piis ejusdem procuratoris generalis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem Christifidelibus præfatis, supradictas ecclesias Fratrum ordinis Sancti Francisci de Observantia, et Reformatorum dicta die secunda mensis Augusti, ut supra visitantibus et præmissa peragentibus, concessam, etiam Christifidelium animabus quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus et indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Volumus, etc.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 12 Januarii 1678. »

(53. Talis indulgentia plenaria in ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum prope Assisium est perpetua quolibet anni die, ex concessione Innocentii XII sub die 27 Augusti 1695 tenoris sequentis.

INNOCENTIUS PAPA XII, ETC.

« Redemptoris et Domini Nostri Jesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium principum præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, ac religiosorum virorum propriæ alienæque saluti laudabiliter incumbentium vota postulant, et nos ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur. Itaque spirituali Christifidelium ad ecclesiam S. Mariæ Angelorum nuncupatam, domus Fratrum ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, prope et extra muros civitatis Assisien., assidue (ut accepimus) ex universis Christiani orbis partibus devotionis causa confluentium, consolationi atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, nec non dilecti filii Bonaventuræ Peorii, ministri generalis dicti ordinis, supplicationibus, etiam totius ordinis prædicti nomine, nobis super hoc humiliter porrectis, quibus piæ atque enixæ plurium orthodoxorum principum preces in idipsum tendentes accessere, favorabilem assensum præbere cupientes ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad ecclesiam supradictam, sicut præmittitur, confluentibus, qui illam vere pœnitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, in quocunque anni die devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 18 Augusti

Digitized by Google

1695, pontificatus nostri anno quinto.

« J. F. CARD. ALBANUS. »

(54. Eamdem indulgentiam plenariam perpetuam et quotidianam concessit visitantibus ecclesiam S. P. N. Francisci Conventualium d. civitatis Assisii idem Innocentius XII, sub die 18 Aug. 1695, const. incip. *Commissæ nobis.*

(55. Talis indulgentia plenaria pro die 2 Augusti non suspenditur per annum Sanctum in ecclesia S. Mariæ Angelorum prope Assisium, ut declararunt Innocentius X 5 Julii 1650, Clemens X 12 Novembris 1664, et Innocentius XII 21 Augusti 1699, in brevibus, ut sequitur.

INNOCENTIUS PAPA XII, ETC.

Cum ob sacri Jubilæi celebrationem, a vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime venturi anni inchoandam, et usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et aliis locis piis, sæcularibus et quorumvis ordinum, etiam mendicantium, Regularibus, sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessas, de apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus ac suspensas esse declaravimus, easque, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur : Nos cupientes ut ecclesiæ S. Mariæ Angelorum, domus ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, prope et extra muros civitatis Assisien. congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christifideles lubentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore præsentium declaramus mentis et intentionis nostræ minime fuisse nec esse sub præfata indulgentiarum suspensione, indulgentiam utriusque sexus Christifidelibus, prædictam ecclesiam die secunda mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, visitantibus, et requisita pro eadem indulgentia consequenda peragentibus, concessam, comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis attestamur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 21 Augusti 1699.

Similem declarationem jam fecerant alii pontifices, et signanter Clemens VII et Urbanus VIII; et novissime fecit Benedictus XIII.

(56. In aliis vero ecclesiis et locis ordinis suspenditur anno Sancto pro vivis, minime pro defunctis. Felix Potestas tom. I, part. IV, n. 3796. Per Jubilæum enim anni Sancti non suspenduntur indulgentiæ pro constitutis in articulo mortis et pro defunctis, ut declararunt Gregor. XIII, Clem. VIII, Urban. VIII, Innoc. XI, teste ipso Felice Potestate loc. cit., n. 3825; et tenent Busembaum, lib. VI, tract. 4, cap. 1, dub. 4, § 2, respons. 2, n. 1, et alii passim, et sic servat praxis.

(57. Indulgentia Portiunculæ pro secunda die Augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi potest obtineri seu acquiri *toties quoties* a Christifidelibus aliqua ecclesia ord. S. P. N. Francisci visitatur, et ibidem ad mentem Pontificis oratur, nempe semel pro seipsis, et aliis vicibus pro animabus Purgatorii. Ita Engelbertus Pauck in tertiarii Seraphica Vinea, c. 28, n. 136; Hermanus Born in suo Seraphico Firmamento, secunda die Augusti; Kazenberger loc. cit., num. 101. et alii passim; id clare colligentes, tum ex communi praxi ubique, et etiam Romæ observata, nedum a simplicibus, sed etiam a viris doctis et primatibus, tum ex sequenti responsione et declaratione sac. congregationis Concilii.

Cum enim in vim decreti sub Innoc. XI editi, 7 Mart. 1678, et adducti supra art. 4, num. 15, ubi disponitur : *Semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri*, dubitaretur an indulgentiam præfatam lucrarentur fideles toties quoties ecclesiam visitarent, pro declaratione dubii fuerunt preces sacræ cardinalium congregationi exhibitæ ut infra.

« Episcopus Labanensis a parte imperii orator devotus EE. VV. humiliter exponit quod non obstante decreto Innocentii XI de Apocryphis indulgentiis, sub die 7 Martii 1678, quo declaravit semel duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, lucrifieri, pergunt fratres ord. S. Francisci Reformatorum de provincia Carniolæ populo persuadere indulgentiam pro die secunda Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum ecclesiam visitantibus concessam toties quoties eadem die lucrifieri posse.

« Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab ordinariis deferri jubeat sacr. congreg. Conc. Trid., sess. 25, de Reform. c. 21, in decreto de Indulgentiis, idcirco orator quærit et declarari petit an præfata indulgentia de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur sub decreto et declaratione san. mem. Innocentii XI supradicta, pro qua gratia, » etc.

Die 17 *Jul.* 1700, *sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, audita relatione procuratoris generalis, et ministri provincialis, censuit servandum esse solitum* (apud impressorem cameralem). Et sic sæpius respondit eadem sacr. congreg. Concilii, et novissime in una ordinis S. Francisci 4 Dec. 1723. Et ad rem mirifice facit Apologia Indulgentiæ Portiunculæ toties quoties applicabilis, erudite ex multis compacta a P. Sabino Bononiensi in Luce Morale, parte secunda, tr. 65, ubi ipsam indulgentiam Portiunculæ esse toties quoties lucrabilem ad longum solide

Digitized by Google

probat omnibus solutis objectionibus, adducitque ad id etiam breve authenticum sancti Pii V asservatum in archivio monasterii de Cerravalle Civitatensis diœcesis. Vide ipsum *ibi*, ubi abunde de omnibus ad rem facientibus. Porro de validitate hujusce indulgentiæ Portiunculæ, ejusque extensione ad omnes alias ecclesias ordinis Sancti Francisci ambigi non potest; nullo licet exstante authentico documento, scientibus et non contradicentibus Romanis Pontificibus. Benedict. XIV, de Synod. Diœc., lib. XIII, cap. 18, § 5, nov. edit.

(58. Omnes Christifideles obeuntes Viam Crucis a nostris fratribus erectam, sive in locis ad nos spectantibus, sive in aliis non subjectis nec dependentibus ab ordine nostro, possunt quotidie, modo sint in gratia, et obeundo Viam Crucis devote recolant passionem ac mortem Christi, lucrari easdem indulgentias quas Hierosolymis obeuntes Viam Crucis lucrantur; quæ indulgentiæ sunt assignatæ supra num. 8. Sic ultra concessionem et declarationem factam ab Innocentio XI 5 Septembris 1686, et ab Innocentio XII decimo septimo Kalendas Januarii 1695 constit. incip. *Sua nobis*, adducta supra sub n. 24, concesserunt, et declararunt novissime Benedictus XIII 1726, quinto Nonas Martii, constit. incip. *Inter plurima*, et Clem. XII, die 16 Januarii 1731, constit. incip. *Exponi nobis*. Quæ constitutiones, cum sint ad hanc rem scitu dignissimæ et apprime necessariæ, hic ad litteram dantur cum admonitionibus ab eminentiss. præfecto sac. congregationis Indulgentiarum datis de mandato Sanctissimi, et litteris encyclicis a superiore generali hujus nostræ Cismontanæ Familiæ ad omnes conventus transmissis, et in earum respective archiviis de suo mandato servatis.

59. ***Sanctissimi in Christo Patris, et domini nostri Benedicti XIII, Pontificis Maximi, constitutio, in qua pium exercitium viæ crucis peragentes apud Fratres Minores de Observantia nuncupatos, indulgentiarum omnium quas Summi Pontifices stationibus Terræ Sanctæ concesserunt, participes efficiuntur, ipsæque indulgentiæ approbantur et confirmantur.***

BENEDICTUS EPISCOPUS, ETC.

I. Inter plurima, et maxima signa immensæ erga nos Dei benignitatis ubique occurentia, summam et admirabilem ejus in humanum genus charitatem declarat æterni ejusdem Filii Jesu Christi passionis inexplicabile sacramentum, quo erepti sumus e faucibus tenebrarum. Hinc Romani Pontifices antecessores nostri eamdem passionem memoria recolentibus apostolicas indulgentias et gratias donare consueverunt, quas ad pios Christifideles in Dominicæ Passionis contemplatione sese exercentes a nobis extendi et confirmari, ut Christiana religio in hominum cordibus augeatur, plurimum in Domino expedire putamus.

II. Eapropter dilectus filius frater Josephus Maria ab Ebora, procurator generalis ordinis Fratrum Minorum Beati Francisci qui de Observantia nuncupantur, petitionem nuper exhibendam nobis curavit, qua continebatur, fratres ejusdem ordinis pium exercitium Viæ Crucis appellatum, quo tota Dominicæ passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa, inque plures stationes distributa, eo modo quo peregrini civitatis S. Hierusalem loca ipsa ubi Christus passus est recolentes et frequentantes, invisunt, contemplanda proponeretur, in varias Christianorum provincias magno animarum fructu intulisse, ac piæ recordationis antecessorem nostrum Innocentium Papa XII hujusmodi exercitium largitione cœlestium munerum promovisse per litteras apostolicas in forma brevis, sub annulo Piscatoris, incipientes *Ad ea per quæ*, Romæ datas apud S. M. Majorem die 24 Decembris anno MDCXCII, Pontificatus 2, ubi inter alia, omnibus et singulis Fratribus et monialibus, atque aliis utriusque sexus personis ordinum et congregationum, obedientiæ seu directioni ministri generalis Fratrum Minorum de Observantia subjectis, Christique fidelibus confratribus et consororibus quarumcunque confraternitatum et societatum, sive sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, sive sub alia qualibet invocatione in eorumdem fratrum et monialium ecclesiis canonice erectarum sive erigendarum, orationi mentali quæ dicitur Viæ Crucis exercitium, quo, ratione suæ regulæ et constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, perque totum mensem orationi et exercitio hujusmodi vacantibus, dummodo vere pœnitentes et peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpsissent, proque Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. E. Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium Deo in charitate conjunctis ex hac vita migrantibus, applicare possent, apostolica auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.

III. Postmodum dictus Innocentius antecessor per alias apostolicas litteras incipientes *Sua Nobis*, sub plumbo Romæ datas, apud S. Mariam Majorem septimo Kalendas Januarias, Anno Dominicæ incarnationis MDCXCV, Pontificatus 5, inter alia decretum venerabilium fratrum suorum S. R. E. card. conc. Trid. interpretum, die 12 Novembris anni MDCXCV, per se die 15 ejusdem mensis approbatum declaraverat, pia loca Viæ Crucis seu Calvarii ad recolendam et meditandam Christi passionem a prædictis fratribus et monialibus, aliisque personis adinstar Stationum Calvarii montis erecta atque instituta, in privilegiorum atque indulgentiarum plenariarum nondum revocatarum generali mutua et reciproca communicatione per Apostoli-

Digitized by Google

cam Sedem cōncessa, et litteris piæ memoriæ antecessoris nostri Innoc. Papæ XI, in forma brevis, sub die 5 Septemb. anni Incarnationis Dominicæ 1686, comprehendi, ideoque frui et gaudere indulgentiis in iisdem litteris Innocentii Papæ XI expressis quæ omnia sub sententiis, censuris, et pœnis in contradictores infligendis, executioni tradi et publicari mandavit, ut in utrisque litteris ejusd. Innoc. Papæ XII plenius continetur.

IV. Cum autem, sicut eadem petitio fratris Josephi ab Ebora subjungebat, prædictum exercitium viæ crucis in omnibus ferme ecclesiis ordinis Fratrum Minorum de Observantia diebus festis tam pio operi assignatis religiose peragatur a quamplurimis Christifidelium ministro generali nequaquam subjectis extra ordinem quoque illuc accedentibus; idcirco iidem fratres, ut tam sanctum exercitium pro animarum salute ulterius propagetur, indulgentias et privilegia etiam per viam communicationis, ut præfertur concessa, et utriusque Innocentii antecessorum nostrorum litteras superius memoratas, atque alias, si quæ sunt, idem exercitium respicientes, Decretumque a venerabilibus fratribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ card. olim confectum, ac postmodum apostolica auctoritate confirmatum, prævia ejus declaratione, ad tollendas omnes ambiguitates super ejus interpretatione forsan exortas, per nos et Sedem Apostolicam probari et confirmari cupiant, easdemque indulgentias et Privilegia ad quoscunque Christifideles, etiam dicto ministro generali nullo modo subjectos extendi et ampliari enixe deposcant.

V. Hinc ad dicti fratris Josephi Mariæ preces, præmissis omnibus opportune providere cupientes, nos, qui omnem operam libenter impendimus ut omnes Dominicæ passionis memoriam sæpe animo repetant, et salutarem illius fructum percipiant, eumdem Josephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati indulgentias etiam pro animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles, et privilegia etiam per viam communicationis concessa in litteris utriusque Papæ Innocentii, inque decreto venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium expressa et declarata; ac quibuscunque aliis litteris apostolicis idem exercitium viæ crucis respicientibus, ad tollendam omnem ambiguitatem alienamque interpretationem inde quomodocunque ortam aut fortasse orituram; ut fideles per exercitationem bonorum operum sacrosanctos Ecclesiæ thesauros absque ulla animi hæsitatione adipiscantur, declaramus, fratres, moniales ac personas superius memoratas, exercitium viæ crucis hujusmodi peragentes de privilegiis et indulgentiis, etiam plenariis, sub generali, mutua, et reciproca communicatione per Sedem Apostolicam concessis, vere communicare et participes fieri, propterea que frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis quæ Romani Pontifices locis sanctis ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium prædictum ibidem peragerent, atque ita ab omnibus asseri et censeri debere volumus. Ideoque ea omnia hactenus recensita, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, approbamus, et innovamus, ac perpetuæ ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur iisdem adjicimus, omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

VI. Insuper, ne a participatione bonorum spiritualium quæ ab exercitio viæ crucis provenire speramus ullus arceatur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentias etiam animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles, et privilegia superius expressa, etiam per viam communicationis indulgentiarum quæ locis sanctis intra et extra Hierusalem concessa fuerunt, aut alias quomodolibet, fratribus, monialibus, ac personis jam dictis, quæ per nos approbantur et confirmantur, ad quoscunque Christifideles utriusque sexus ministro generali nullo modo subjecto, qui exercitium viæ crucis et alia Christianæ pietatis opera ejusdem modo et forma, quæ a fratribus et personis prædictis peraguntur, pie ac devote penes fratres dicti ordinis privative quoad alios quoscunque peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

VII. Decernentes præsentes litteras nostras inque eis contenta quæcunque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quocunque alio defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, aut contra illas quodcunque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos, vel successores nostros Romanos Pontifices, aut Sedem Apostolicam pro tempore factis, comprehendi non posse, sed semper ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo semper concessas, ac perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere debere: sicque, et non aliter, per quoscunque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. Roman. Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuntios judicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, piæ memoriæ Pauli Papæ V, similiter præ-

Digitized by Google

decessoris nostri nonnullarum indulgentiarum revocatione, sive moderatione, aliisque constitutionibus, et ordinationibus, ac nostra et cancellariæ apostolicæ regula de indulgentiis non concedentis adinstar, dictique Ordinis, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ Anno Incarnationis Dominicæ 1726, quinto Nonas Martii, pontificatus nostri anno tertio.

(60. Constitutio SS. D. N. Clementis Papæ XII qua declaratur quod viæ crucis erectæ et erigendæ in ecclesiis ac locis non subjectis, nec dependentibus ab ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, fruantur privilegiis, et indulgentiis quibus gaudent institutæ in ecclesiis ac locis ejusdem ordinis, incerta est in altero Brevi Benedicti XIV quod hic affertur ad litteram.

BREVE BENEDICTI XIV *quo confirmatur pium exercitium viæ crucis erigendum a fratribus tam Observant. quam Reformat. ministro generali O. S. Francisci subjectis.*

BENEDICTUS PAPA XIV, ETC.

« Cum tanta sit passionis, crucis, et mortis Domini Nostri Jesu Christi vis, ut nullum reperiatur tam efficax remedium ad curandum conscientiæ vulnera quibus infirmitas humana quotidie per peccatum sauciatur, nec non ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, quam passionis, crucis, mortis, atque vulnerum ejusdem Redemptoris Nostri sedula meditatio; ut Christifideles in hac nobis totius causa beatitudinis occupati quotidie sese alacrius exercerent, nec catholicæ Ecclesiæ Patres, nec Romani Pontifices prædecessores nostri unquam destiterunt, quin assiduis monitis exhortationibusque, et profusis cœlestium thesaurorum elargitionibus persuaderent, allicerent, ac locupletarent. Sane fel. record. Clemens Papa XII, prædecessor noster, non solum cætera ad recolendam potissimum tantorum passionis, crucis et mortis Dominicæ mysteriorum memoriam, alias ab iisdem prædecessoribus concessa et impertita indulgentiarum, ac peccatorum relaxationum, remissionumque munera, quæ et ipse confirmavit, ac de novo elargitus fuit, verum etiam viam rationemque in via crucis seu Calvarii, ut dicitur, pie peragenda traditam, aliis apostolicæ seu Providentiæ regulis ordinavit, disposuitque, prout clarius intelligitur ex ipsis Clementis prædecessoris in simili forma brevis litteris tenoris sequentis, videlicet :

« Clemens Papa XII, ad futuram rei memoriam.

« Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Monterde, Procurator generalis ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo quam dilecti etiam filii moderni ministri generalis dicti Ordinis nomine, quod cum antiqua vigeret, ac etiam nunc viget in ordine hujusmodi consuetudo erigendi et instituendi per illius fratres in vim facultatis sibi alias a Sede Apostolica concessæ, pia loca viæ crucis seu Calvarii nuncupata ad instar stationum montis Calvarii, nedum in ejusdem ordinis, sed etiam in aliis ecclesiis, ac locis ab eo minime dependentibus, isque mos in universis regnis Hispaniarum ac plurimis Italiæ regionibus semper ante hac retentus fuerit, et adhuc de præsenti servetur; licetque dudum fel. record. Innoc. Papa XII, prædecessor noster, ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, commissarii generalis pro Ultramontana Familia dicti ordinis, præfata loca pia viæ crucis seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innoc. Papæ XI prædecessoris quoque nostri, litteris in simili forma brevis die 5 Septembris 1686, super confirmatione diversarum indulgentiarum et privilegiorum ipsius ordinis editis comprehendi, ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in litteris hujusmodi concessis et expressis declarasset per suas itidem in forma brevis die 5 Decemb. 1696 desuper expeditas litteras, idque absque limitatione ac restrictione dictorum locorum viæ crucis seu Calvarii ad ecclesias et loca ordinis præfati factum fuisset, nihilominus aliqui existimantes facultatem illa erigendi et instituendi ad ecclesias et loca ordinis prædicti, indulgentias vero et privilegia ejusmodi ad personas obedientiæ ac directioni pro tempore existentis ministri generalis ejusdem ordinis subjectas respective limitata et restricta esse a piæ mem. Bened. Papæ XIII, etiam prædecessore nostro, indulgentias et privilegia præfata ad quoscunque utriusque sexus Christifideles dicto ministro generali non subjectos; qui tamen ejusmodi loca pia viæ crucis seu Calvarii penes fratres supradicti ordinis privative quoad alios quoslibet visitarent, ibique memoriam Dominicæ passionis devote recolerent, aliaque injuncta opera peragerent, extendi et ampliari obtinuerunt prout in ipsius prædicti prædecessoris litteris sub plumbo anno Incarnationis 1726, v nonas Mart., pontificatus sui anno tertio emanatis, uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus, non minus ratione sui officii procuratoris generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti moderni ministri generalis ad emanatam occasione præmissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, prædicta loca pia viæ crucis seu Calvarii per eosdem fratres, etiam in ecclesiis et locis quæ non sint dicti Ordinis erecta et erigenda, eisdem indulgentiis et privilegiis gaudere per nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto prædeces-

Digitized by Google

« sore, postquam litteræ suæ præfatæ prodierant ad supplicationem dilectæ in « Christo filiæ nobilis mulieris Violantis a « Bavaria principissæ Etruriæ viduæ fratribus recessus Sancti Francisci ad montem « Florentinum, et conventus de Ambrosiana « nuncupat. dicti ordinis in vim cujusdam « rescripti die 10 Novembris 1729, ejus « jussu editi, concessum fuisse memoratur: « nobis propterea humiliter supplicari fe« cit, ut in præmissis opportune provide« re, et ut infra indulgere de benigni« tate apostolica dignaremur. Nos igitur « ejusdem Bernardi votis hac in re, quan« tum cum Domino possumus favorabiliter « annuere cupientes, eumque, a quibus« vis excommunicationis, suspensionis, et « interdicti, aliisque ecclesiasticis senten« tiis, censuris, et pœnis a jure vel ab « homine, quavis occasione vel causa latis, « si quibus quomodolibet innodatus existit « ad effectum præsentium duntaxat conse« quendum, harum serie absolventes, et « absolutum fore censentes: nec non utrius« que Innocentii et Benedicti prædecesso« rum litterarum præfatarum tenore, et « alia quæcunque etiam specificam et indi« viduam mentionem, et expressionem re« quirentia, præsentibus pro plene et suffi« cienter expressis et specificatis habentes, « hujusmodi supplicationibus inclinati, « quod prædicta loca pia viæ crucis seu « Calvarii in ecclesiis, oratoriis, monaste« riis, hospitalibus, et aliis itidem piis « locis ipsi ministro generali non subjectis « nec ab eo dependentibus, per fratres dicti « ordinis nunc erecta et in posterum eri« genda, Indulg. ac Priv. fruantur et gau« deant quibus fruuntur et gaudent erecta « in Ecclesiis, et in locis ordinis præfati, « auctoritate apostolica tenore præsentium « decernimus, et declaramus, ac quatenus « opus sit et de novo concedimus et indul« gemus; ita tamen ut quoad illa sic dein« ceps erigenda modus et forma serventur « quibus ejusmodi erectiones in ecclesiis « et locis ordinis prædicti hactenus fieri « consueverunt, et accedat licentia ordina« rii loci ac consensus parochi et superio« rum ecclesiæ, monasterii, hospitalis, et « loci pii, ubi de eis pro tempore erigen« dis agi contigerit. Decernentes pariter « easdem præsentes litteras firmas, validas, « efficaces existere et fore, suosque plena« rios et integros effectus sortiri et obtinere, « ac illis ad quos spectat et pro tempore « spectabit plenissime suffragari. Sicque, « et non aliter in præmissis per quoscun« que judices ordinarios et delegatos, « etiam causarum palatii auditores, judicari « et definiri debere ac irritum et inane, si « secus super his a quoquam quavis aucto« ritate scienter vel ignoranter contigerit « attentari. Non obstantibus præmissis, ac « nostra et cancellariæ apostolicæ regula de « non concedendis indulgentiis ad instar, « et aliis constitutionibus et ordinationibus « apostolicis, cæterisque contrariis quibus« cunque. Volumus autem. etc.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma« jorem sub annulo Piscatoris, die 16 Januarii « 1731, pontificatus nostri anno primo.

« F. CARD. OLIVERIUS. »

« Quoniam autem dilectus filius Leonardus a Portu Mauritio ejusdem ordinis Min. Reform. nuncupator. frater expresse professus, nobis humiliter supplicari fecit ut non solum præinsertas litteras Clementis prædecessoris præfati, et in eis contenta quæcunque quo firmius subsistant et serventur exactius, confirmare, rerum etiam nonnulla, ut infra, declarare et præscribere de benignitate et auctoritate Apostolica dignaremur; nos igitur ipsum Leonardum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Leonardi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Clementis prædecessoris litteras, et in eis contenta quæcunque auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus; nec non earumdem præinsertarum litterarum tenorem, formam, et dispositionem sine ulla interpretatione et restrictione omnino in posterum servari mandamus. Præterea cuicunque parocho, ut prævia proprii ordinarii seu antistitis in scriptis obtinenda licentia, sub directione cujuslibet fratris ejusdem ordinis Min. sive Observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum, vel ad excipiendas sacramentales Christifidelium confessiones approbati, vel prædicatoris Verbi Dei de quocunque conventu, sive proximo, sive remoto, ad parochi arbitrium, de suorum tamen superiorum consensu ac permissu erigendi viam crucis seu Calvarii, ut præmittitur, sive in propria parochiali ecclesia, sive alibi in ejusdem parochiali ecclesiæ districtu, erigendi facultatem tribuimus et impertimur. Volumus autem ut via crucis seu Calvarii hujusmodi in iis civitatibus, oppidis, et locis ubi ab ipsis fratribus ordinis præfati in suis respective ecclesiis, sive alibi, jam erecta reperitur, de novo minime erigatur: nisi ubi licet alia in civitate, oppido, et loco quolibet via crucis seu Calvarii hujusmodi erecta fuerit, ea tamen vel itineris longitudo, vel viæ asperitas, ut Christifideles non sine gravissimo incommodo, aut nullo pacto illuc ad eamdem viam crucis seu Calvarii peragendam accedere valeant. Quo casu locorum ordinarii, quorum arbitrio, ac prudentiæ præmissa omnia ordinandi ac præscribendi relinquimus, ordinent et præscribant. Decernentes pariter easdem præsentes litteras, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad

Digitized by Google

quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in præmissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus, atque iis omnibus et singulis quæ idem Clemens prædecessor voluit non obstare. Volumus autem ut, etc.

« Datum Romæ ut supra die 30 Augusti 1741, Pontificatus nostri anno II.

« D. CARD. PASSIONEUS. »

AVVERTIMENTI ordinati a ben regolare il divoto esercizio della via crucis dati in luce per ordine di Clemente XII, e rinnovati dalla Santità di N. Sig. Papa Benedetto XIV, con alcune addizioni necessarie per maggior stabilimento di sì santa divozione.

(61. Avendo la santa memoria di Clemente XII, alle suppliche del procurator generale dell' Ordine de' Frati Minori detti dell' Osservanza, tanto a nome suo come del ministro generale dello stesso Ordine, ampliata la via crucis con suo Breve in data de' 16. di gennajo 1731, dal quale restano anche tolti alcuni dubbj, che erano insorti dopo il Breve di Benedetto XIII, suo predecessore; si degnò il suddetto Sommo Pontefice mosso dal paterno suo zelo per la salute dell' anime di ordinare al cardinal prefetto della sacra Congregazione delle Indulgenze, che nel tempo stesso si fossero stabilite quelle regole, ed avvertimenti, che avessero potuto contribuire, acciocchè un sì santo e profittevole esercizio, in cui deve meditarsi quell' atroce passione che il nostro Redentore s' umiliò a soffrire *ob nimiam charitatem qua dilexit nos*, si faccia da' fedeli con quella divozione, e raccoglimento, che è necessario a conseguire quell' effetto, che abbondantemente suol derivarne, conforme puntualmente si eseguì. Essendosi poi degnata la Santità di nostro signore Papa Benedetto XIV, con un suo Breve in data dei 30 agosto dell' anno 1741, non solo di ordinare che si osservi senza limitazione alcuna tutto il prescritto dal suo antecessore, ma di altresì ampliare la di lui concessione; ha giudicato molto espediente, che si rinnovino tutti gli avvertimenti e regole suddette; affinchè in avvenire con sinistre interpretazioni non si pregiudichi al fine per cui sono state stabilite, e resti dilucidato tutto ciò, che ordina nell' accennato suo Breve, e meglio si conosca la sua mente piissima in promovere questa santa divozione. Quindi è, che tutti quei che dovranno erigere la via crucis, come tutti gli altri, che vorranno approfittarsi di sì santo esercizio, dovranno unanimamente conformarsi agli avvertimenti che seguono.

I. Che essendo stata conceduta la facoltà di erigere la via crucis a' religiosi soggetti al ministro generale de' Frati Minori sì Osservanti, che Riformati *privative quoad alios quoscunque*, non è lecito ad altri di erigerle, ed erigendosi, non godono le indulgenze.

II. Che non possano esser erette se non da superiori locali dell' Ordine suddetto, o per loro commissione da un altro religioso dello stesso Ordine, il quale però sia predicatore, o almeno confessore approvato.

III. Che devono erigersi nella forma consueta, e sinora praticata nell'Ordine suddetto, cioè che sieno quattordeci stazioni, e che le croci, o cappellette rappresentino i misterj della passione. In quei luoghi poi, ne' quali si volesse erigere fuori della chiesa, come si usa in molti conventi del detto Ordine, si procuri sempre di terminare, o di cominciare dalla chiesa, o luogo sacro, con avvertire onninamente che le cappellette sieno chiuse con cancelli da non potervi entrare nè persone, nè gli animali, e che tanto esse, quanto le croci sieno collocate in luoghi non soggetti ad irriverenze, ed in caso che in progresso di tempo i luoghi, ne' quali fossero state erette, divenissero indecenti, debbano i superiori sospenderle, sopra di che s' incaricano strettamente le loro coscienze.

IV. Che nella stessa chiesa o luogo pio, quando sia capace, sarà bene erigere per maggior comodo del popolo due vie crucis, una delle quali serva per gli uomini, e l'altra per le donne, e quando una si pianti fuori di chiesa, se n' eriga sempre un'altra nella chiesa, qualora questa sia di tal capacità, che basti per non fare confusione, acciò in tempo di pioggia, o di altro impedimento si possa non ostante praticare sì santo esercizio.

V. Che questa pratica sia uniforme in tutti i luoghi senz' alterare punto quella che s' è osservata finora ne' conventi dell'Ordine, cioè o processionalmente da tutto il popolo sotto la direzione d'uno, o più sacerdoti, ovvero privatamente da ognuno. Quando si faccia la via crucis nel primo modo, si disponga la processione in maniera, che gli uomini vadano separati dalle donne, cioè quelli primi, e queste dopo con uno, o più sacerdoti intermedj, e ad ogni stazione un chierico, o sacerdote legga ad alta voce la considerazione corrispondente ad ogni mistero, e stazione, e dopo recitino un *Pater* ed *Ave*, e fatto un atto di contrizione, si tiri innanzi, cantandosi tra una stazione e l' altra lo *Stabat Mater*, o altra orazione, avvertendo tutti di contenersi con somma modestia, silenzio, e raccoglimento; mentre l' esperienza dimostra, che questo santo esercizio praticato con pietà, e divozione introduce a poco a poco ne' Fedeli d' ogni condizione l' uso del meditare, e la riforma de' costumi.

VI. Che praticandosi privatamente non è necessario recitare sei *Pater* ed *Ave* ad ogni stazione, come alcuni suppongono, ma basta meditare, benchè brevemente, la passione del Signore, che è l' opera ingiunta per far acquisto delle sante indulgenze, ed alle persone semplici basterà il pensare in

Digitized by Google

qualche modo, conforme alla loro capacità, alla suddetta passione; benchè si esortino tutti, senza però obbligarli, a recitare un *Pater* ed *Ave*, ad ogni croce, e far un atto di contrizione, conforme all' uso introdotto.

VII. Ch'essendo eretta la via crucis nella chiesa, per quel tempo degli uffizj divini, e della santa messa, e quando in chiesa vi sia tal concorso di popolo, che possa cagionar tumulto, e disturbo, si astengano di praticarla, tanto maggiormente, che non essendovi impedimento si devono visitare ad una ad una tutte le stazioni.

VIII. Che dovendosi erigere la via crucis in qualche monastero di monache, o conservatorio, non è necessario entrare nella clausura, ma basta che un religioso del medesimo Ordine di età matura, e qualificato, come s'è detto nel secondo avvertimento, con licenza dell' ordinario benedica le croci alle grate, e faccia una breve istruzione alle monache, ed altre che si trovassero in tal monastero, o conservatorio circa il modo, con il quale è necessario di visitare le croci per partecipare delle indulgenze, e riportarne profitto per le anime.

IX. Che non si pubblichi dai pulpiti, nè in altra forma, e molto meno si scriva nelle cappellette, o stazioni un numero certo, e determinato delle indulgenze, che si acquistano, poichè si è riconosciuto in più occasioni, che, o per inavvertenza, ed equivoco, o per trasporto di divozione si altera, o si confonde la verità delle Indulgenze; e perciò basti il dire, che chiunque s' impiegherà a meditare la passione del Signore in questo santo esercizio acquisterà per concessione de' Sommi Pontefici le stesse indulgenze, che acquisterebbe se visitasse personalmente la stazione della Via Crucis di Gerusalemme.

X. Per ultimo, desiderando la Santità di nostro signore felicemente regnante, che sempre più si dilati questo santo esercizio a profitto di tutto il mondo cattolico, esorta tutti i parrochi di qualsivoglia terra, o città, benchè in qualche terra vi si trovasse più di una parrocchia, ad arricchire i loro popoli con sì gran tesoro, introducendo nelle loro cure, o nel distretto delle medesime sì profittevole divozione, senza riguardo alla maggiore, o minore distanza da una via crucis all'altra; purchè l'erezione si faccia da un Frate Minore, soggetto al ministro generale dell'osservanza, dotato delle sopraccennate qualità, acciò istruiti i popoli del gran bene, che contiene la via crucis, l'abbraccino con maggior fervore, e riesca più fruttuosa all'anime loro. Quindi è che nel suddetto Breve concede l'arbitrio al parroco di eleggersi quel religioso, che giudicherà più idoneo, acciò con licenza del suo superiore locale benedica le croci, ed assista all' erezione che dovrà farsi in quella cura, o altro luogo pio. Si eccettuano però quei luoghi, ove si trovano i conventi dei Frati Minori suddetti, non dovendosi in tal caso erigere la via crucis in altre chiese non soggette al medesimo Ordine. Se pure detti conventi non fossero situati in tanta lontananza dalla terra, o città, ovvero fosse la strada sì malagevole, che senza grave incommodo, da giudicarsi dall' ordinario, non potesse frequentarsi dal popolo il santo esercizio; attesochè in tal contingenza rimette Nostro Signore all' arbitrio dei vescovi il decidere, se si possa erigere in altra chiesa non soggetta all' ordine suddetto, purchè l' erezione si faccia sempre nella forma sopraccennata, ed in questo modo resta dilucidata la clausula del suo Breve: *Volumus autem*, etc., acciò da alcuni non venisse sinistramente interpretato. Anzi accadendo simili dubbî, affinchè con continui ricorsi non s'inquietino i ministri della sagra congregazione ne rimette agli ordinarî la decisione.

Die 10 Maii 1742.

Ex audientia Sanctissimi. Sanctissimus annuit, nempe pro facultate addendi declarationem, de qua in precibus, simulque imprimendi una cum aliis monitis alias impressis.

L. CARD. PICUS PRÆFECTUS

Loco ✠ Sigilli

A. M. Erba Proton. Apost. Secr.

(62. Porro præfata monita ad rite peragendum pium exercitium viæ crucis jussu Clem. XII exarata, statim suis communicaverat P. Commissarius Ordinis, ut sequitur.

F. CRESCENTIO KRISPER.

Dell'ordine de' Fratri Minorî della più stretta Osservanza lettor emerito, scrittore dell'ordine, e in questa Cismontana Famiglia commissario generale, e servo; alli molto diletti in Cristo, Padri, e Frati, Superiori, e sudditi della Famiglia medesima, salute e pace nel Signore.

Il paterno zelo, e sollecita vigilanza con cui nostro signore Clemente XII porge al mondo cattolico prove ben chiare dell'animo suo continuamente applicato a' spirituali vantaggi del popolo cristiano, avendolo portato ultimamente alla rizoluzione di facilitare a' fedeli la strada d'esercitarsi nella contemplazione de' dolori e morte del Nostro Redentore, con permettere che possa erigersi anche nelle chiese fuori del nostr'Ordine la via crucis con quello stesso tesoro d'indulgenze, ch'era alle sole erette nelle nostre chiese ampiamente concesso, ed essendone a noi per somma benignità della Santità Sua, recata la notizia, stimiamo incombenza del nostro offizio il trasmetterla alle PP. VV. accompagnata dall'aviso d'alcune circostanze, che debbono inviolabilmente osservarsi, appartenenti al modo, con cui nelle chiese, o luoghi fuori dell'Ordine potrà la suddetta via crucis fondarsi. Posta dunque su tal particolare la volontà della Santità Sua, dichiarata, con breve apostolico sotto il dì 30 jennajo dell'anno corrente e successivamente, essendosi degnata d'ascoltare le suppliche del P. Reverend. Giuseppe-Maria d'Evora commiss. gen. di curia per la chiarezza d'alcuni dubbî insorti su questa materia, ne risultò quella particolare espressione.

Digitized by Google

del suo benignissimo sentimento, che vedesi ordinata per varj punti nel foglio stampato sotto il titolo : *Avvertimenti necessarj per regolare il divoto Esercizio della Via Crucis*, che annesso a questa nostra circolare vi si trasmette. Ciò non ostante, venuti poi fuori altri dubbj di non picciola rilevanza, e vedendosi, che lasciati senza il convenevole scioglimento, potevano turbare la divozione de' popoli, stimò bene il suddetto P. reverendiss. commiss. di curia umiliare a' piedi della Santità Sua nuove suppliche premurose, affinchè si degnasse venire ad una precisa ed individuale dichiarazione della sua mente intorno al modo, o circostanze, che possono occorrere nella suddetta erezione della via crucis. Delle quali umilissime preghiere avendo la Santità Sua ascoltato con egual bontà il contenuto, ad oggetto di mantenere lontani anche i sospetti di confusione, e disturbi, che da queste nuove fondazioni nascer potessero, per mezzo d'un suo rescritto sotto il dì 3 maggio 1731, venne ad una particolarissima espressione della sua volontà secondo il tenore de' punti che sieguono.

Primo. Che i superiori generali facciano pubblicare a tutte le provincie, e conventi con loro lettera circolare la istruzione con li avvertimenti suddetti del signor card. prefetto dell'Indulgenze, perchè sia a tutti nota la mente di Sua Santità

Secondo. Che invigilino ed avvertano li superiori locali a non essere tanto facili nell'erigere in ogni luogo questa divozione, ma cauti, e prudentemente, affinchè la moltiplicità non ne rechi confusione, e disprezzo.

Terzo. Che dove sono conventi dell'Ordine, essendo picciole le città, e luoghi, non possano erigerne altre fuori de' medesimi conventi, e nelle città grandi si regolino secondo una discreta distanza, e seguendo il bisogno di controversia spetti al superiore generale il determinarla.

Quarto. Ne' luoghi, dove non sono nostri conventi, il convento più vicino, ed il suo superior locale abbia la facoltà solamente per l'erezione, e quando ve ne siano due egualmente vicini, il più antico, e se di antichità ambi uguali, l'Osservante preceda il Riformato, e così rispettivamente con gli Scalzi per togliere in questa guisa ogni dissensione tra fratelli del medesimo istituto.

Quinto. Che in tutti i dubbj, i quali per simile materia possono nascere, si ricorra ai superiori generali per la decisione e determinazione sotto la pena ad arbitrio de' medesimi.

Essendo poi la volontà di Nostro Signore che i superiori locali non siano sì facili ad erigere in ogni luogo questa divozione, e che in tutti i dubbi si ricorra ai superiori generali, come appare dal secondo ed ultimo punto de' sopraddetti, restando per altro fermo il terzo, cioè, ch'essendo piccole le città, o luoghi, non possano erigerne altre fuori de' nostri conventi, stimiamo essere assai a proposito il prescrivere una regola più esatta, e stimiamo essere assai d'utile prevenire quelle dubbiezze, e disordini, che potrebbono accadere in ordine alle città grandi, e principali. Ritrovandosi adunque per ordinario in queste principali città più conventi dell'Ordine, sieno Osservanti, o Riformati, o Scalzi, sarà bene, che per evitare la confusione, e disprezzo, potendo bastare le sole erette, nelle nostre chiese, non se ne permettano altre fuori di queste. Quando però accadere dovesse nelle suddette città per calde instanze dei fedeli qualche nuova erezione della via crucis fuori de' nostri conventi, vogliamo, non v'ha dubbio, che si regoli l'affare secondo la già detta discreta distanza; ma determiniamo nel tempo stesso, che il corso, e termine della medesima sia bene ponderato da' superiori locali, che dovranno avvisarne il superiore generale, ed ascoltare da questo la risoluzione, se la distanza da' nostri conventi sia tale da potersi prudentemente concedere la richiesta fondazione.

Assistendo poi una special ragione per l'interiore de' monasterj di monache, sieno in città, o in altri luoghi, dovrà servarsi tal regola, che i monasterj non soggetti all'Ordine, dovranno farne la richiesta a' superiori rispettivamente, ed aspettar da questi la suddetta fondazione, giusta il metodo prescritto nelli avvertimenti dell'eminentissimo cardinale prefetto. Se poi fossero esenti dalla nostra giurisdizione, ad oggetto di troncare quelle contese, che potrebbono nascere tra conventi vicini, dovranno recarne a noi l'avviso per deputare un religioso, che stimeremo più a proposito per esemplarità di costume : siccome abbiamo di già cominciato a praticare con soddisfazione di que' monasterj, che ne han fatta la richiesta.

Ed affinchè specialmente i PP. superiori locali non possano allegare scusa, o ignoranza nei casi, che potrebbono accadere, vogliamo, che in ogni convento si tenga copia, non solo de' suddetti avvertimenti, ed istruzioni dell'eminentissimo sig. cardinale prefetto stese nel foglio annesso, ma ancora di questa nostra circolare, e particolarmente dei punti nella medesima espressi, che portano una dichiarazione più speciale della mente, e volontà di nostro Signore, per la felicità, e salute del quale in corrispondenza delle particolari obbligazioni, che gli professa il nostro Ordine, dovrà ciascuna delle PP. e RR. VV. impiegare calde preghiere all'Altissimo; siccome per il nostro reverendissimo ministro generale, e per noi finalmente, che salutandole di cuore diamo a tutti la nostra serafica benedizione.

Data in Roma in questo nostro convento di S. Maria d'Araceli il dì 26 maggio 1731.

Affezionatiss. servo nel Signore

F. Crescenzio Krisper comm. generale.

Loco ✠ del Sigillo.

D'Ordine di S. P. Reverendiss.

F. Gaetano sec. generale.

(63. Assignantur et enumerantur indulgentiæ quas Innocentius XI ad instantiam

Digitized by Google

P. Marini Sormani ministri generalis totius ordinis Seraphici Minorum S. P. N. Francisci concessit in perpetuum per breve quod incipit : *Unigeniti Dei Filii*, datum 28 Januarii 1688, crucibus, coronis, et rosariis, quæ tetigerunt loca Terræ Sanctæ, et sacras reliquias ibi existentes, revocando et annullando omnes alias indulgentias quæ dicuntur esse concessæ ab aliis Summis Pontificibus supradictis crucibus, coronis et rosariis.

Quicunque igitur habebit sacram aliquam crucem, et rosarium, aut coronam, quæ tetigit loca sancta et sacras reliquias Terræ Sanctæ, lucrabitur indulgentias sequentes, operando sicut sequitur : Videlicet :

Qui consueverit dicere semel ad minus in septimana coronam Domini, aut Dominæ, aut Rosarium, vel tertiam ejus partem, aut officium, vel divinum, vel parvum Dominæ, vel de mortuis, aut septem psalmos pœnitentiales, vel graduales, aut docere doctrinam Christianam, vel invisere carceratos, vel infirmos alicujus hospitalis, vel subvenire pauperibus, vel missam audire, vel, quando sacerdos est, illam legere, si vere pœnitens, et confessus apud confessarium approbatum ab ordinario, communicaverit in quolibet infrascriptorum dierum, scilicet Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, in festis Sanctissimæ Trinitatis, et Corporis Domini, in festis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis beatissimæ Virginis, in Nativitate S. Joannis Baptistæ, in festis SS. apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Judæ, Matthiæ, et Omnium Sanctorum, et devote oraverit Deum pro exstirpatione hæresum et schismatum, pro augmento fidei catholicæ, pro pace et concordia principum Christianorum, et pro aliis necessitatibus sanctæ Ecclesiæ, in ipso die acquirit remissionem omnium suorum peccatorum et indulgentiam plenariam.

Qui faciet illas ipsas res in aliis festis Domini aut beatissimæ Virginis, in unoquoque dictorum dierum, consequetur septem annos et totidem quadragenas de indulgentia; et faciendo easdem in unaquaque Dominica aut in alio festo anni, lucrabitur quinque annos et totidem quadragenas; faciendo in alio die anni, acquiret centum dies de indulgentia.

Quicunque in articulo mortis devote recommendabit Deo animam suam, invocando nomen Jesu, ore, aut, si non potest, corde, vere pœnitens, confessus, et communicatus, aut, si non potest, ad minus contritus, consequetur remissionem omnium suorum peccatorum et indulgentiam plenariam.

Qui faciet aliquam orationem præparatoriam ante celebrationem missæ, aut communionem, aut ante recitationem officii divini vel beatæ Virginis, consequetur semper quinquaginta dies de indulgentia.

Qui visitabit carceratos aut infirmos in hospitali, adjuvando eos aliquo opere pio, aut in ecclesia docebit doctrinam Christianam, vel domi tradet eam propriis filiis, parentibus, servis, semper lucratur ducentos dies de indulgentia.

Qui consueverit semel ad minus in septimana dicere coronam, aut rosarium, aut officium nostræ Dominæ, aut de mortuis, aut vesperas, aut unum nocturnum ad minus cum laudibus, aut septem psalmos pœnitentiales cum latiniis et precibus, lucratur in illo die quo id dicet centum dies, ultra indulgentias concessas a S. Pio V.

Qui ad sonum campanæ alicujus ecclesiæ, mane, aut sero, aut medio die, recitabit solitas preces *Angelus Domini*, etc., aut, si id non faciat, *unum Pater* et *unum Ave Maria* etc., aut pariter dum sonat signum pro mortuis dicet psalmum *De profundis*, etc., aut *unum Pater* et *Ave Maria*, etc., si non sciat illum Psalmum, consequetur centum dies de Indulgentia.

Qui in die Veneris devote meditabitur passionem et mortem Jesu Christi Domini Nostri, et ter dicet *Pater noster* et *Ave Maria*, in illo die lucratur centum dies de indulgentia.

Qui vere pœnitens de suis peccatis cum firmo proposito se emendandi faciet examen conscientiæ, et recitabit ter *Pater Noster* et *Ave Maria*, aut in honorem sanctissimæ Trinitatis similiter dicet ter *Pater* et *Ave Maria*, aut in memoriam quinque vulnerum Jesu Christi quinque *Pater noster* et *Ave Maria*, lucratur centum dies de indulgentia.

Qui orabit devote pro fidelibus agonizantibus, vel dicat unum *Pater noster* ad minus et *Ave Maria* pro ipsis consequetur in illo die quinquaginta dies de indulgentia.

Omnes supradictas indulgentias potest quis lucrari pro se in supradictis diebus, aut eas applicare per modum suffragii animabus purgatorii.

J. F. Albani secr.

(*Hoc Decretum Romæ, et alibi fuit impressum idiomate Italico.*)

(64. Indulgentiæ Coronarum et Crucium Hierosolymitanarum aut Caravacensium declarantur.

Decretum sacræ congregationis indulgentiis et S. reliquiis præpositæ sub Innocentio Papa XIII.

Nuper sacræ congregationi indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ relatum fuit passim evulgari Summarium quoddam indulgentiarum germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit : *Indulgentiæ quæ concessæ fuerunt a san. mem. Papa Sixto V, Paulo V, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, Clemente IX, super Coronis, Crucibus factis Hierosolymis et Bethlehem, denuo confirmatæ a Summis Pontificibus Clemente X, et Innocentio XI die* 11 *Junii* 1670. *Impressum Augustæ a Joanne Michaele Labbart, anno* 1720.

Cum autem in dicto Summario nonnullas indulgentias falsas, aut apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit, ideo, ne fideles decipiantur, eadem sacra congregatio habita die 11 Mar-

Digitized by Google

tii 1721 prædicti Summarii Augustæ impressi vel denuo ubicunque imprimendi usum interdixit, illud prohibuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, declarando gestantes cruces et coronas quæ loca Terræ Sanctæ et sacras reliquias ibi existentes tetigere, illas duntaxat indulgentias lucrari posse quas san. mem. Innocentius XI litteris in forma brevis emanatis die 28 Januarii anni 1688 prædicta gestantibus, et pia opera in eod. brevi præscripta devote peragentibus concessit. Insuper, dum eidem sac. congregationi pariter delatum fuerit nonnullos turpis lucri cupidos, non sine magno fidelium scandalo, prædictas cruces et coronas publice vendere, aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere, ideo stricte prohibuit ne in posterum aut publice aut secreto vendantur, aut quomodocunque commutentur; addita etiam declaratione quod non transeant personam illorum quibus prima vice distribuuntur, et quod neque commodari aut precario dari possint, et quod aliqua re ex prædictis deperdita pro ea subrogari altera non valeat: Quod si secus fiat, prædictæ cruces et coronæ careant indulgentiis jam concessis. Cum etiam sacræ congregationi Indulgentiarum innotuerit evulgatum fuisse alterum Summarium indulgentiarum germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis et nomine impressoris, cujus initium latine redditum est: *Indulgentiæ quæ Crucibus Caravacensibus concessæ fuerunt a Romanis Pontificibus Pio V, Gregorio XV, et Clemente X, denuo confirmatæ ab Innocentio XII;* et incipit: *Pro consolatione Christifidelium et Sanctæ Crucis Amatorum*, in quo multæ indulgentiæ penitus confictæ, apocryphæ, et falsæ deprehensæ fuerunt, sacra congregatio dicti Summarii impressionem et usum sub iisdem pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis interdixit. Quibus omnibus per me secretarium sanctissimo domino nostro Innocentio XIII relatis, die quarta mensis Junii, Sanctitas Sua sententiam sacræ congregationis approbavit, et in omnibus executioni mandari jussit.

Datum Romæ die quinta ejusdem mensis anni 1721.

J. Card. Picus præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

(65. Omnes personæ trium ordinum S. P N. Francisci possunt semel in vita, et in mortis articulo, ex concessione Sixti IV, plenarie absolvi per idoneum confessarium de licentia suorum superiorum eligendum, ab omnibus suis peccatis; et plenariam suorum peccatorum remissionem consequi; et hoc etiamsi ante factam eorumdem ordinum professionem eos decedere contigerit. Casarubios in Compendio privilegiorum nostrorum, et aliorum, verb. *Absolutio extraordinaria quoad Fratres*, num. 5 et 6, quoad indulgentiam plenariam in articulo mortis habetur etiam ex concessione Pauli V facta omnibus regularibus, constit. incip. *Romanus Pontifex*, § 8, relata supra art. 4, num. 7. Et pro absolvendis sic constitutis in articulo mortis potest adhiberi hæc formula:

Confiteor Deo, etc.; *Misereatur*, etc.; *Indulgentiam*, etc.

Dominus noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ passionis te absolvat et gratiam suam tibi infundat. Et ego auctoritate ipsius, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa et tibi concessa absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristi, et dispenso tecum in omni irregularitate si quam contraxisti, et restituo te unioni et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis. Item eadem auctoritate ego absolvo te ab omni transgressione votorum et regulæ tui ordinis, et statutorum papalium, generalium, provincialium, custodialium, localium, et synodalium quorumcunque. Item eadem auctoritate ego absolvo te ab omni divino officio male persoluto, horis indebite transpositis vel omissis. Item eadem auctoritate ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia, deliquisti, et ab omnibus pœnitentiis oblitis seu etiam neglectis; concedens tibi remissionem et indulgentiam plenariam peccatorum tuorum concessorum, et etiam cunctorum de quibus non recordaris aut oblitus fuisti, inquantum claves Ecclesiæ se extendunt. Item eadem auctoritate ego absolvo te a pœnis purgatorii, quas pro peccatis commissis et delictis in hoc mundo perpetratis meruisti, restituendo te illi innocentiæ in qua eras quando baptizatus fuisti. In nomine ✠ Patris, et ✠ Filii, et ✠ Spiritus Sancti. Amen. Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

Hæc forma absolvendi excerpta est ex manipulo Fratrum Minorum Sancti P. Francisci, sexta parte Parisiis impressa, anno 1582, et reimpressa Mediolani in Typographia Jo. Petri Cardi.

(66. Item ex concessione Leonis X possunt consequi eamdem plenariam absolutionem et indulgentiam ac insuper papalem benedictionem quater in anno diebus quibus maluerint. Casarubios l. c., n. 7 et seq. Et traditur formula pro tali absolutione et benedictione.

Confiteor Deo, etc.; *Misereatur*, etc.; *Indulgentiam*, etc.

Dominus noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ passionis absolvat, et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et Summorum Pontificum ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium necnon sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis. Item eadem auctoritate

Digitized by Google

absolvo vos ab omni transgressione votorum, et regulæ, constitutionum, ordinationum, et admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, et ab omnibus peccatis vestris quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia, deliquistis; concedens vobis remissionem et Indulgentiam plenariam omnium peccatorum vestrorum confessorum, et etiam cunctorum de quibus non recordamini aut obliti fuistis, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt; et restituo vos illi innocentiæ in qua eratis quando baptizati fuistis, et quomodo Sanctitas domini N. Papæ faceret si ipsemet in confessione peccata vestra auscultaret; Ac eadem auctoritate apostolica benedictionem papalem vobis impertior, In nomine ✠ Patris, et ✠ Filii, et Spiritus ✠ Sancti.

Injungitur deinde aliqua pœnitentia.

Ite in pace, et gratia Dei, et orate pro me.

(67. Item ex concessione ejusdem Leonis X possunt consequi plenariam absolutionem et indulgentiam in omnibus solemnitatibus seu festis Domini Sabaoth, et beatæ Mariæ Virginis, Omniumque Sanctorum, et apostolorum Petri et Pauli, ac sancti Patris Francisci, et Sanctæ Claræ, et per totam majorem hebdomadam; Casarubios loc. cit., n. 8 et sequent. (68. Ac insuper in festo sanctæ Catharinæ virginis et martyris; Casaruhios loc. cit. num 10; et traditur formula pro tali absolutione plenaria.

Confiteor Deo, etc.; *Misereatur*, etc.; *Indulgentiam*, etc.

Dominus Noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et Summorum Pontificum ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum, et regulæ, constitutionum, ordinationum, et admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis seu etiam neglectis, et ab omnibus peccatis vestris, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia vel malitia, deliquistis; concedens vobis remissionem et indulgentiam plenariam omnium peccatorum vestrorum confessorum, et etiam cunctorum de quibus non recordamini aut obliti fuistis, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt; et restituo vos illi innocentiæ in qua eratis quando baptizati fuistis: In nomine ✠ Patris, et ✠ Filii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Injungitur deinde aliqua pœnitentia.

Ite in pace, et gratia Dei, et orate pro me.

(69. Advertendum tamen est, ut notat ipse Casarubios loc. cit., quod supradictæ absolutiones plenariæ et indulgentiæ debent consequi de consensu suorum prælatorum, et confessores electi et ad id deputati debent eis aliquam salutarem pœnitentiam injungere. Ac insuper est advertendum, quod nunc licet subsistat indultum quantum ad absolutionem plenariam et benedictionem papalem, videtur tamen revocatum quantum ad consecutionem indulgentiæ plenariæ pro seipsis, per cit. constitutionem Pauli V incipient. *Romanus Pontifex*. Ad quod facit etiam propositio 37, in ordine inter merito damnatas ab Alexand. VII die 18 Martii 1666, ibi: *Indulgentiæ concessæ regularibus, et revocatæ a Paulo V hodie sunt revalidatæ*, contra asserentes dictas revocatas indulgentias hodie esse revalidatas; et solum videtur non esse revocatum tale indultum quantum ad consecutionem indulgentiæ plenariæ pro animabus purgatorii, quia, ut tradit clarissimus et eruditissimus Pater Viva in Appendice Indulgentiarum, § 1, sub n. 6, vers. *Illud certum est*, Paulus V non revocavit indulgentias pro animabus purgatorii regularibus concessas, ut idem pontifex 23 Februarii 1609 testatus est apud Gobat, Pellizar. Quintanadv. dub. 2, n. 1, et Dianam par. IV, tract., 4, resolut. 20. Tum quia Fratres Minores, Clarissæ, et Tertiarii possunt applicare per modum suffragii omnes indulgentias et opera meritoria animabus purgatorii, ex concessione Gregorii XV per suum breve sub die 10 Novemb. 1622. Et Leo X jam die 3 Februari 1517 concesserat ipsis Fratribus Minoribus ut omnes omnino indulgentias usque ad id tempus concessas per modum suffragii applicare possent, ut habetur etiam in Compendio Privilegiorum Societatis Jesu, § 7, ubi testatur dictus sapientissimus Pater Viva loc. cit., § 3, vers. *Plurimæ aliæ*, ubi subjungit, quod idem concessit Sixtus V, Chordigeris S. P. nostri Francisci, in constitut. incip. *Divinæ charitatis*, 7 Maii 1586. Vide supra n. 12. et art. 2, n. 28, et art. 4, sub n. 8 et 11, et verb. *Prælatus Regularis* a num. 67 ad 69, ubi multa ad rem.

(70. Omnes personæ utriusque sexus trium ordinum S. P. N. Francisci in Claustris degentes reverendissimo patri ministro generali totius ordinis immediate subjectæ possunt semel in die lucrari indulgentiam per modum suffragii, et liberationem animæ cujuscunque Christifidelis a pœnis purgatorii, recitando tertiam partem rosarii cum quinque *Pater* et *Ave*, ac totidem *Gloria Patri*, etc., juxta mentem Sanctitatis Suæ, ante altare SS. Sacramenti, vel (si fuerint rationabiliter impeditæ) quocunque in loco ante aliquam crucifixi vel Deiparæ imaginem. Sic concessit novissime Benedictus XIII, ut patet ex sequenti rescripto Romæ die 21 Dec. anni 1729, mihi, dum ministrum provincialem hujus observantis Provinciæ Sancti Didaci, licet immerito, agerem, transmisso a reverendissimo patre Josopho Maria ab Ebora, tunc commissario generali curiæ, et anno 1728, ex generali

Digitized by Google

totius ordinis et regis Portugalliæ ministro.

Rev. Adm. P. M. Observ.

Cum alias felic. recor. Paulus PP. III indulserit ut qui fratres laici hujus Aracælitani conventus semel in die pro anima cujuscunque Christifidelis in purgatorio detenta recitarent unam coronam beatæ Mariæ Virginis ad capellam seu altare privilegiatum S. Helenæ in hoc templo Aracælitano existens, adinstar sacerdotum in eodem altari celebrantium, pro eadem anima indulgentiam per modum suffragii, et a purgatorii pœnis liberationem obtinerent: novissime supplicatum fuit sanctissimo domino N. Bened. XIII et ab ipso impetratum ut de eodem privilegio frui possint ii pariter sacerdotes qui ad altare SS. Sacramenti tertiam partem rosarii cum quinque *Pater* et *Ave*, ac totidem *Gloria Patri* recitabunt. Cæterum, cum ejusmodi concessio ad solos fratres hujus almi conventus arctari videretur, cumque de thesauro hujus indulgentiæ seu privilegii fratres omnes ubique terrarum participare vehementissime cuperem, supplicem libellum porrexi Sanctitati Suæ, quatenus super hac re mentem suam declarare, dictumque privilegium extendere dignaretur *ad omnes personas utriusque sexus trium ordinum Sancti P. N. Francisci in claustro degentes, et reverendissimo P. ministro generali totius ordinis immediate subjectas*, quæ tertiam partem rosarii, ut præfertur, ac præterea quinque *Pater* et *Ave*, cum totidem *Gloria Patri*, juxta mentem Sanctitatis Suæ, ante aram in qua sanctissimum Eucharistiæ sacramentum asservatur, vel (si fuerint rationabiliter impeditæ) quocunque in loco ante aliquam crucifixi vel Deiparæ imaginem recitarent, cui quidem supplicationi Sanctissimus Pater pro sua ergo ordinem Seraphicum ejusque alumnos clementissima voluntate per rescriptum eminentissimi domini Nicolai Mariæ cardinalis Lercari a secretis status Sanctitatis Suæ, sub die nona Decembris hujus anni millesimi septingentesimi vigesimi noni, etiam annuere dignatus est. Hanc proinde concessionem redigi curabo in seriem indulgentiarum ordinis, de quibus a Sancta Sede specialis bulla in proximo emanabit. Verumtamen emittere non potui quin eam actu tum indicerem Paternitati Tuæ adm. reverendæ ut religiosissima pietas, quæ in provincia tibi subdita maxime floret, singularem hunc dignationis apostolicæ fructum statim percipiat, et animabus in purgatorio lugentibus tam insigne suffragium nullatenus retardetur; eamdemque sollicitudinem meam Paternitati tuæ adm. Rev. animi ad officia paratissimi testem exhibeo.

Romæ ex Aracæli, 21 Decemb. 1729.

Paternitatis Tuæ Adm. Rev.

Promptissimus ex animo servus

Fr. Joseph Maria ab Ebora,

Commiss. Gener. Curiæ.

(71. Omnes tres ordines a S. P. N. Francisco instituti ultra supra recensitas, et alias

indulgentias sibi specialiter a Sede Apostolica concessas, gaudent etiam indulgentiis aliis regularibus concessis ex communicatione cum ipsis concessa a variis Summis Pontificibus, scilicet Sixto IV, Julio II, Leone X. et expresse a Clem. VII, die 30 Maii 1525, const. incip. *Cum fructus uberes*, quæ bulla fuit confirmata a Paulo IV, Pio IV, S. Pio V, Greg. XIII, Sixto V, et aliis, specialiter a Clem. VIII die 20 Decembris 1593, constitut. incip. *Ratio Pastoralis Officii*, et novissime a Benedicto XIII, die 10 Decembris 1725, constit. incip. *Paterna Sedis Apostolicæ*, in qua referuntur plures alii Summi Pontifices qui similes ei fecerunt concessiones, et ab eodem Benedicto XIII quinto nonas Aprilis 1727, Constitut. incip. *Summe decet*, ubi plurimæ aliorum Summorum Pontificum referuntur constitutiones similes gratias et indulgentias eis concedentes.

(72. Cæteri etiam alii regulares gaudent, nedum indulgentiis sibi a variis Summis Pontificibus specialiter concessis, ut videre est in suis respective privilegiorum compendiis, sed etiam per viam communicationis gaudent indulgentiis nostrorum trium ordinum Seraphici Patris Francisci, et quorumcunque aliorum, ut patet apud Casarubios in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium et non Mendicantium, verb. *Communicatio Privilegiorum*, et in aliis respective aliorum compendiis: et sic certa et communissima tum canonistarum tum theologorum.

(73. Communicatio autem indulgentiarum inter regulares sic debet intelligi. Primo, quod indulgentias omnes concessas ecclesiis unius ex ordinibus regularibus lucrari potest in ecclesia sui ordinis quivis alius regularis, nisi obstet aliqua specialissima ratio. Non tamen potest idcirco quilibet sæcularis easdem lucrifacere in qualibet ecclesia alterius ordinis. Sic desumitur ex declaratione facta a Leone X in Constit. incip. *Dudum per Nos*, ubi, cum dixisset *illos plus sapere quam oportet*, qui, ex eo quod indulgentiæ templis unius ordinis mendicantium impertitæ, essent communicatæ templis aliorum ordinum mendicantium, inferebant sæculares posse in ecclesiis Prædicatorum, Minorum, etc., obtinere indulgentiam quam prædecessores ejus elargiti erant visitantibus ecclesiam B. Mariæ Virginis de Populo de Urbe ad Augustinianos Eremitas spectantem. « Attendentes, inquit, quod indulgentia intuitu Religionis concessa ad sæculares extendi non debet, volentes mentem prædecessorum nostrorum et nostram declarare, volumus, et auctoritate apostolica declaramus quod universi et singuli dictorum ordinum fratres, et moniales, etc., prædictis indulgentiis gaudeant, perinde ac si ipsi dictam domum B. Mariæ de Populo personaliter visitarent; quodque vigore prædictarum litterarum sæculares indulgentiis hujusmodi gaudere non possint. » Sic Gobat tr. 4. de Indulgent., part. II, cap. 27, n. 265, Quin-

Digitized by Google

tanadvenas in Appendice ad sua singularia, tract. 4, dub. 14.

(74. Hæc tamen indulgentiarum communicatio debet extendi ad indulgentias concessas pro singularibus festivitatibus hujus aut illius ordinis; unde, licet indulgentia Portiunculæ sit extensa ad omnes ecclesias trium Ordinum S. P. N. Francisci, non tamen censetur extensa ad ecclesias aliorum ordinum; Gobat loc. cit. num. 550, ubi dicit sic ex Casarubio notari in Compendio Privilegiorum suæ undequaque dignissimæ Societatis, verb. *Indulgentiæ*, § 12; Reiff. lib. v decr., tit. 33, § 3, n. 61; Kazenberger loc. cit., n. 85; Quintanadvenas l. cit., dub. 8; Peyrin, Lezana, et alii. Quapropter Lezana verb. *Indulgentia*, num. 8, censet prædictum communicationis privilegium intelligendum esse solum de indulgentiis quæ in genere concessæ sunt ecclesiis regularium, non autem de illis quæ speciáliter pro aliqua ecclesia in particulari datæ sunt. Sic etiam Kazenb. l. c., n. 85; Gobat loc. cit., n. 1550; Reiff. l. c., n. 72, ubi dicit idipsum asserendum esse de privilegiis quæ concessa fuerunt ob aliquam specialem rationem, ut quando indulgentia concessa est uni loco speciali, quia ibi est imago v. g. B. Virginis Mariæ cum magna veneratione fidelium; nam hæc est specialis ratio illius loci, qua alia loca carent. Idem pariter asserendum de altaribus privilegiatis ob specialem rationem talis altaris. Idem etiam dicendum de indulgentiis in honorem alicujus sancti concessis ecclesiis, per tot vel tot annos; nam hæ non communicantur aliis regularibus. Antonius de Spiritu sancto in director. Reg., tract. 1, disp. 1, sect. 3, n. 4; Donatus, part, 1, tom. I, tract. 7, q. 14 et 15; Reiffenstuel, loc, cit., n. 16; Kazenberger, loc. cit., n. 85, et, ipso teste, alii communiter; arg. cap. *Cum Cappella*, 16, de Privilegiis, ubi dicitur quod concessum uni ecclesiæ vel provinciæ seu loco, nequit trahi ad aliam ecclesiam seu provinciam vel locum.

(75. Secundo prædictum communicationis privilegium intelligendum est quod omnes indulgentiæ concessæ immediate et directe religiosis, vel eorum oblatis, parentibus, cognatis, procuratoribus, benefactoribus, servitoribus, et similibus personis ad aliquem ordinem spectantibus, intelligantur concessæ etiam omnibus aliis similibus religiosis et personis ad alios ordines spectantibus. Sic declaravit et concessit Julius II, die 1 Junii 1509, Prædicatoribus et Fratribus Minoribus per sequentem constitutionem.

VENERABILIBUS FRATRIBUS SALAMANTINO, PACEN. ET CORDUBEN. EPISCOPIS, ET EORUM CUILIBET.

JULIUS PAPA II, ETC.

Alias ad supplicationem charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi regis, etc., et infra, quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum, et indultorum prælatorum communicatione, tam universaliter per prædecessores nostros toti ordini Minorum, quam etiam per nos particulariter prædictorum regnorum fratribus facta, ea quæ ad absolutionem, dispensationem, vel alias ad priorem, generalem, seu magistrum ordinis prædicatorum spectant, ad ministrum vel vicarium generalem Fratrum Minorum pertineant, et ea quæ ad priores conventuales, id est prælatos singularum domorum ordinis Prædicatorum et eorum vicarios, similiter spectent ad guardianos et eorum vicarios ordinis Minorum, et ea quæ ad priores seu vicarios, vel subpriores vicarios, idest prælatos, qui medii sunt, quocunque nomine censeantur et vocentur, inter dictum generalem seu magistrum ordinis, et priores conventuales eorumque vicarios, simili modo spectent ad ministros et vicarios provinciales, ac custodes, qui etiam medii sunt inter ministrum, et vicarium generalem, et guardianos, eorumque vicarios similiter pertineant, et sicut de potestate prælatorum, scilicet de prælatis ad prælatos dictum est, ita de congregatione unius ad congregationem alterius ordinis, et de Fratribus privatis, id est sine prælatura, ad fratres privatos; et de Festivitatibus ad festivitates, in his casibus in quibus congregationibus, vel fratribus privatis, aut festivitatibus unius ordinis aliquid conceditur congregationibus fratribus privatis, aut festivitatibus alterius ordinis, nunc et pro tempore respective concessa intelligantur. Ita quod ea quæ in honorem sanctorum Dominici, Petri martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis, fratribus vel locis Prædicatorum sunt concessa, omnia illa fratribus Minoribus præfatis eorumque locis in festivitatibus sanctorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti ordinis qui apud Marochium martyrii coronam adepti sunt, S. Claræ, et in aliis festivitatibus dicti ordinis Minorum, licet sint in majori numero quam Festa ipsorum Fratrum Prædicatorum, sint, et intelligantur concessa ad tollendam quamcunque hæsitationem, et inde forte ortum scrupulum, auctoritate, et tenore præfatis declaramus.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Jun. 1509, pontificatus nostri anno sexto.

(76. Unde, ut vides, hæc privilegiorum, et indulgentiarum communicatio non debet esse identica, materialis, sed analoga, formalis, hoc est similis, et fere eadem secundum quamdam proportionem et status decentiam; ita ut totum id quod est concessum generali Prædicatorum pro suo ordine, censeatur etiam concessum generali Minorum pro suo, et quibusvis aliis generalibus pro suis respective ordinibus; et totum id quod est concessum provincialibus Prædicatorum pro suis provinciis, censeatur concessum provincialibus Minorum et aliorum regularium pro suis respective provinciis; et totum id quod est concessum priori Prædicatorum pro suo prioratu, censeatur concessum guardiano Minor. pro suo guardianatu, et superiori locali cujuslibet alterius reli-

Digitized by Google

gionis pro suo locali superioratu; et totum id, quod est concessum religiosis subditis, in et pro suo ordine Prædicatorum, censeatur concessum religiosis subditis in et pro suo ordine Minorum, et sic de omnibus aliis; et ita pariter est discurrendum de festivitatibus ad festivitates, et de indulgentiis ad indulgentias: ita ut festivitates sint respective pares in honore et dignitate in quolibet ordine, et, quemadmodum laicus visitans nostras ecclesias tempore festivitatum nostrorum sanctorum consequitur indulgentiam nostris ecclesiis concessam pro tali vel tali festivitate nostri alicujus sancti; ita a pari laicus visitans ecclesias aliorum regularium tempore festivitatum suorum respective sanctorum consequitur indulgentiam concessam pro tali vel tali festivitate sui alicujus respective sancti. Sic etiam, sicuti novitius suscipiens habitum nostræ religionis multa consequitur beneficia, et indulgentias lucratur; ita quilibet novitius suscipiens habitum cujuscunque alterius ordinis vel religionis; et sic proportionaliter est discurrendum de aliis indulgentiis, cum in generali communicatione veniant solum illæ quæ sunt communes et in genere ordinibus regularibus concessæ, non autem illæ quæ sunt propriæ et specificæ, ne eæ quæ raro conceduntur, et quæ quivis verisimiliter interrogatus non esset in specie concessurus: argum. cap. *In generali* 81, de regul. Juris in 6, cap. *Cum Capella* 16, de privilegiis, et cap., *Si propter*, X de Rescriptis in 6. Et sic tenent Donatus in praxi rerum Regular. tom 1, part 1., tract. 7, quæst. 14 et 15, cum multis ibi citatis; Matthæucci Officialis Curiæ, cap. 26, num. 17; Kazenberger loc. cit., n. 85; Reiffenstuel lib. v, decret., tit. 33, § 3, n. 61 et 62; Lezana loc. cit., num. 8; Quintanadvenas in Appendice ad sua singularia, tr. 4, dub. 9; Gobat. loc. cit., n. 550; Habsensis Summul. qq. Select. verb. *Privilegium*, num. 412, et alii passim. Et sic servat praxis, qua in dies videmus sæculares pro lucrandis indulgentiis in aliquibus sanctorum regularium festivitatibus concessis, pergere ad illas regularium ecclesias pro quibus indulgentiæ sunt specifice concessæ, et non ad ecclesias aliorum regularium. Aliter enim ecclesiis quibus expresse indulgentiæ conceduntur minueretur devotio et ipsæ vilescerent indulgentiæ, ut notant Peyrinus, Lezana, Matthæucci, et alii.

(77. Fratribus Minoribus de Observantia vacantibus exercitiis spiritualibus per octiduum concessa est indulgentia plenaria ab Alexandro VII, Const. incip. *Cum sicut*. Vide supra art. n. 4, 9.

(78. Affertur novissimum privilegium pro missis celebratis pro animabus fratrum et monialium ordinis Minorum.

BENEDICTUS PAPA XIV. ETC.

Cum, sicut dilectus modernus procurator generalis ordinis fratrum Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, per constitutiones ordinis hujusmodi auctoritate apostolica confirmatas in cujuscunque presbyteri, vel clerici, aut laici de Observantia supradicta, quam Reformatorum Excalceatorum, Recollectorum et Tertiariorum, aemonialium monasteriorum ordinis, et reformationum hujusmodi sub jurisdictione, cura, regimine, et gubernio, dilecti etiam filii ministri generalis totius ordinis hujusmodi existentium obitus vel aliis diebus aliquas missas unusquisque frater dictorum Ordinis et reformationum in sacro presbyteratus ordine constitutus celebrare debeat, ideoque procurator generalis missas hujusmodi cœlestium munerum, quorum dispensationem fidei nostræ credidit Altissimus elargitione a nobis condecorari plurimum desideret: nos piis ejusdem procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinari, et quandocunque sacerdos aliquis ordinis et reformationum prædictarum Missam, vel in die obitus præfatorum presbyterorum ac clericorum, et laicorum, nec non etiam monialium ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, ac reformationum hujusmodi sub regimine et gubernio præfati ministri generalis existentium, ac quoad moniales in earum respective ecclesiis sacerdos quoque quilibet sæcularis, vel alterius ordinis regularis, vel in alio die ad quodcunque altare ecclesiarum dictorum ordinis et Reformationum tam hactenus erectarum quam in posterum erigendarum pro illorum et illarum anima, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, missa hujusmodi animæ pro qua celebrabitur perinde suffragetur ac si ad altare privilegiatum celebrata fuisset, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus et indulgemus. Non obstante, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ apostolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu et sigillo procuratoris generalis ordinis prædicti pro tempore existentis munitis eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 24 Martii 1716, pontificatus nostri anno primo.

(79. Indulgentia plenaria perpetua in festo sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam eccle-

Digitized by Google

siam tam fratrum quam monialium nostro ministro generali immediate subjectarum devote visitaverint, ibique pro Christianorum principium concordia, hæresum exstirpatione, pias ad Deum preces effuderint, concessa est a Clemente XII, die 30 Augusti 1734, Const. incip. *Cœlestium munerum.*

180. Rescriptum *san. mem. Bened. XIV quo visitantibus ecclesias Fratrum Minorum diebus festis S. Ludovici regis Francor. et S. Elisabeth reginæ Hungar. plenaria indulgentia conceditur.*

BENEDICTUS XIV, etc.

Injunctæ nobis divinitus apostolicæ servitutis ratio postulat ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris sanctorum cum Christo in cœlis regnantium venerationem, excitandamque et fovendam erga illos fidelium devotionem, et animarum salutem procurandam, speramus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque dilecti filii Caroli Mariæ a Perusio, commissarii generalis curiæ ord. Fratrum Minor. S. Francisci de Observ. nuncupator. nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum dicti Ord. tam hactenus erectis quam in posterum quandocunque erigendis, et ubicunque locorum existentibus in S. Ludovici Francorum regis, ac S. Elisabeth reginæ Hungariæ natæ festis diebus, a primis vesp. usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam; monialibus vero supradicti Ordinis sub cura, regimine, et administratione fratrum præfatorum existentibus, et aliis in eorum quolibet monasterio nunc et pro tempore degentibus, vere pariter pœnitentibus, et confessis, ac sacra commun. refectis, quæ suam respective ecclesiam in suprad. diebus visitaverint, et, ut præfertur, ut supra oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 17 Maii 1755, pontificatus nostri anno decimo quinto.

181. Breve *alterum SS. D. N. Benedicti Papæ XIV quo plura rescripta Sanctitatis Suæ in favorem ordinis Minorum S. P. Francisci confirmantur.*

BENEDICTUS PAPA XIV, etc.

Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem tenuitati nostræ credidit Altissimus, liberaliori manu elargiri non dubitamus ad levamen et solatium animarum Christifidelium quæ ex hac vita migrantes, in charitate Deo conjunctæ in purgatorio detinentur, ut quantocius ad sempiternam beatæ felicitatis stationem in cœlis perducantur. Sane nobis alias humiliter obligati fuerunt supplices libelli tenorum sequentium; ac primus quidem:

Beatissime Pater,

Frater Raphael a Lugagnano, ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci minister generalis, ad pedes S. V. humillime provolutus exponit qualiter san. mem. Bened. XIII sub die 14 Decembris 1725 dignatus fuit omnia altaria privilegiata quotidiana variis ecclesiis dicti ordinis in perpetuum jam concessa approbare et confirmare; iis ejusdem ordinis ecclesiis quæ tali privilegio quotidiano in perpetuum non gaudebant concessit illud, sed proportionate ad missarum numerum quæ in eis celebrantur. Pro quatuor feriis iis in quibus viginti; pro tribus in quibus quindecim; et sic gradatim. Cum autem, Beatissime Pater, comprobaverit experientia hoc minime sufficere ad satisfaciendum populorum devotioni et ex alia parte variæ quotidie insurgant difficultates ex eo quod non semper idem missarum numerus in dictis ecclesiis celebretur nec celebrari valeat; ideo enixe S. V. supplicat orator ut prævia revocatione privilegii altarium pro determinatis hebdomadæ feriis, ut supra, per san. mem. Benedictum XIII concessi, dignetur cuilibet ecclesiæ fratrum oratoris jurisdictioni subjectæ altari privilegiato quotidiano perpetuo non decoratæ, unum concedere ab ordinariis locorum semel designandum, et hoc per rescriptum, seu aliter, ut S. V. bene visum fuerit, ut Deus, etc.

« Ex audientia Sanctissimi die 17 Decemb. 1748. Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita, pro missis tamen quæ a fratribus Minorum Sancti Francisci in altaribus per ordinarios respective designandis celebrabuntur; et voluit etiam gratiam hujusmodi per hoc præsens rescriptum perinde valere ac si per apostolicas litteras in forma brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset. »

Joseph Levizzani Secretarius.

Alter vero.

Beatissime Pater,

Frater Carolus Maria Perusinus, commissarius generalis curiæ ordinis Minorum de Observantia, orator obsequentissimus, ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, omni cum animi demissione exponit, qualiter san. mem. Bened. XIII, sub die 24 Aprilis anni 1725, indulsit omnibus fratribus infirmis, senibus, et imbecillibus ordinis Minorum Capuccinorum, qui propterea semper in valetudinario diversantur, in ejusque oratorio sacrum faciunt, suasque ad Deum preces effundunt, ut in eodem oratorio seu sacello lucrari possint singulas

Digitized by Google

indulgentias quæ in posterum a Summis Pontificibus suis pro tempore successoribus ecclesiis totius ordinis concederentur. Hinc orator humillimus, summa fretus S. V. charitate et clementia qua ordinem suum prosequitur, supplicat ut eamdem gratiam impertiri dignetur fratribus et monialibus jurisdictioni ministri generalis totius ordinis Minorum subjectis, qui, aut quæ, senes, infirmi, aut imbecilles in valetudinario diversantur, nec ecclesiam adeunt, sed in interno oratorio aut sacello preces suas ad Deum effundere solent, quoad indulgentias hactenus concessas et in posterum a Summis Pontificibus concedendas ecclesiis ejusdem ordinis. Pro qua gratia, etc.

« Ex audientia Sanctissimi die 11 Septemb. 1755, Sanctissimus petitis annuendo pro gratia benigne concessit ut fratres et moniales ministri generalis ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjecti, qui ex introscriptis causis senectutis, infirmitatis, ac imbecillitatis in valetudinaris diversantur, visitato oratorio aut sacello in eodem valetudinario existente, indulgentias de quibus in precibus lucrari possint, et valeant ac si ecclesiam ejusdem ordinis visitarent; reliquis expletis juxta præscriptum explendis. »

J. C. Boschi, Secretarius.

Tertius tandem.

Beatissime Pater,

Frater Carolus M. Perusinus, commissarius generalis curiæ ordinis Minorum de Observantia, ad pedes S. V. humillime provolutus, expouit qualiter cum P. Raphael a Lugagnano, præteritus minister generalis ordinis, V. S. supplicaverit pro altari privilegiato quotidiano perpetuo in qualibet ecclesia fratrum ejus jurisdictioni subjecta, S. V. clementer pro gratia indulsit, prodiitque rescriptum. — Ex audientia Sanctissimi die 17 Decembris 1748. — Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita, pro missis tamen quæ a Fratribus Minoribus Sancti Francisci in altaribus per ordinarios respective designandis celebrabuntur; et voluit etiam gratiam hujusmodi per hoc præsens rescriptum perinde valere ac si per apostolicas litteras in forma brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset.

Joseph Levizzani, Secretarius.

Nunc vero orator obsequentissimus, cum non videat in eodem indulto comprehensas quoque ecclesias sanctimonialium ejusdem ministri generalis jurisdictioni subjectas et aliunde sciat orta esse hac de re dubia inter fratres, omni cum animi demissione supplicat ut sua paterna clementia dignetur S. V. declarare etiam antedictas monialium ecclesias in relato indulto esse comprehensas. Cum porro fratres senes, infirmi, aut imbecilles ejusdem ministri generalis jurisdictioni subjecti hac gratia gaudere non possint, ut qui semper in valetudinario diversantur, in ejusque oratorio sacrum duntaxat faciunt; hinc idem orator omni cum animi demissione supplicat S. V. ut dignetur declarare altare privilegiatum quotidianum perpetuum illud memorati oratorii seu sacelli valetudinarii pro eisdem tantum fratribus. Pro quibus gratiis, etc.

« Ex audientia Sanctissimi die 22 Septembr. 1755, Sanctissimus petitis benigne annuendo, gratiam altaris privilegiati, de qua in precibus, etiam ad ecclesias monialium ministro generali ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjectarum benigne extendit, pro missis tamen prædictis in ecclesiis a fratribus ejusdem ordinis Minorum celebrandis, forma enuntiati rescripti Sanctitatis Suæ in reliquis observata; idemque privilegium altaribus in oratoriis valetudinariorum respective existent, pro religiosis senibus, infirmis, atque imbecillibus inibi celebrantibus clementissime juxta petita concessit. »

J. C. Boschi, Secretarius.

Quoniam autem memoratus dilectus filius Carolus Maria Perusinus, commissarius generalis ordinis Minorum de Observantia, nobis nuper humillime supplicari fecit ut hujusmodi præinsertos supplices libellos, et præinserta nostra rescripta, quo firmius in perpetuum subsistant et serventur exactius, per apostolicas in forma brevis litteras confirmare de benignitate apostolica dignaremur: ea propter nos, qui ipsum Carolum Mariam Perusinum commissarium generalem plurimi facimus, et inclytum Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci institutum novis apostolicæ benignitatis potestatisque testimoniis amplius decorare cupimus, tenore præsentium apostolica auctoritate confirmamus, et quatenus opus sit, omnia et singula in eisdem rescriptis contenta et concessa, iterum concedimus, et perpetuo apostolicæ firmitatis robore munimus.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, plenissime suffragari: sicque in præmissis per quosque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, etc.

Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 21 Januarii 1756, pontificatus nostri anno decimo sexto.

(82. *Alterum rescriptum novissimum ejusdem Pontificis, quo plenaria indulgentia conceditur iisdem O. M. fratribus et monialibus infrascripta pia exercitia peragentibus, ut sequitur.*

Digitized by Google

ALLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE PP. BENEDETTO XIV.

Per F. Clemente di Palermo, ministro generale de' Minori.

Beatissimo Padre,

« Fra Clemente di Palermo, ministro generale dell'Ordine de' Minori, prostrato umilmente al bacio de' vostri SS. Piedi espone, come da molti religiosi del suo Ordine viene continuamente, e con premurose istanze richiesto della facoltà di visitare i luoghi santi di Roma, di Loreto, del monte d'Alvernia, d'Assisi, e di Varallo; di maniera chè non accordandosi loro la ricercata licenza per impedire il vagare dei frati, o per altri giusti motivi, replicano essi le istanze, interponendovi anco degli impegni, e riducendo spesse volte il superiore in angustie. Desiderando pertanto l'oratore impedire, per quanto può, simili inconvenienti con qualche compenso, per cui e guadagnassero per una parte i tesori delle sacre indulgenze annesse alla visita de' riferiti santuarj, nè si discostassero per l'altra da' conventi di loro collocazione, supplica divotamente la Somma Clemenza di Vostra Santità della graz a, che tutti i religiosi dell'uno e dell'altro sesso soggetti alla sua ubbidienza potessero far acquisto delle suddette indulgenze con qualche divoto pellegrinaggio pei respettivi chiostri, e successiva visita delle proprie chiese, cioè : per le sette chiese di Roma, girando pel chiostro sette volte, e visitando in fine il SS. Sagramento : pel santuario di Loreto, con tre giri pel chiostro, ed una visita all'altare o immagine della B. Vergine: con simili tre giri, e visita all'altare o immagine del SS. Crocifisso pel sacro monte di Varallo; e finalmente con tre consimili giri, e visita all'altare o immagine del P. S. Francesco per li santuarj d'Assisi, e di Alvernia; pregando sempre in detti giri, o pellegrinaggi, e rispettive sacre visite per l'esaltazione della santa madre Chiesa, estirpazione dell'eresie, conservazione del Sommo Pontefice, e per la pace e concordia de principi cristiani; che della grazia, » etc.

Ex audientia Sanctissimi die 28 *aprilis* 1758.

« SS. attentis expositis, ministri generalis oratoris precibus annuendo, omnibus et singulis religiosis, viris atque mulieribus ordinis S. Francisci, eidem ministro generali subjectis, unumquodque ex introscriptis piis exercitiis devote peragentibus, semel in anno, eo nimirum respective die quo, præmissa sacramentali confessione, sumptaque SS. Eucharistia, et pias ad Deum preces, ut in supplici libello enunciatur, fundendo, hujusmodi exercitium peregerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, in forma Ecclesiæ consueta, benigne concessit. »

Loco ✠ sigilli.

J. C. Boschi, Secr.

163. *Rescriptum novissimum Clementis XIII quo indulgentia plenaria conceditur visi-*

tantibus aliquam ecclesiam Fratrum Minorum RR. die 27 *Novembris, qua festum Omnium Sanctorum ejusdem ordinis celebratur.*

Ex audientia SS. die 16 *Sept.* 1765.

Ad humillimas preces F. Francisci Antonii a Feltria, vice-procuratoris generalis Min. Observ. Refor. S. Francisci, SS. D. N. Clemens Papa XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ecclesiam prædicti Ordinis, die vigesima septima Novembris, in qua Omnium sanctorum ejusdem ordinis festum celebratur, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, ibique, juxta mentem Sanctitatis suæ, pie oraverint, indulgentiam plenariam benigne concessit. Voluitque Sanctitas sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla brevis expeditione.

Datum Romæ ex Secretaria sac. congr. Indulgentiarum, die et anno præfatæ audientiæ.

N. CARD. ANTONELLUS.

Loco ✠ sigilli.

S. Borgia, sac. congr. Indulg. Sec.

(84. Non omittam aliud Pii Sexti rescriptum, quod hujusmodi est.

Ex audientia SS. habita die 18 *Jan.* 1778.

« Cum ex parte R. P. D. vicarii apostolici provinciarum Xensi et Xansi, nec non administratoris provinciæ Hukuang in Sinis, exposita fuerint aliquot dubia circa indulgentias quibus gaudent PP. missionarii ordinis Minorum S. Francisci iisdem in partibus commorantes, sanctissimus dominus noster Pius divina providentia Papa VI, referente me infrascripto, sacræ congregationis de Propaganda Fide secretario, ad removendam in ejusmodi re quamlibet ambigendi occasionem, mandavit ut prædicti regulares, quocunque in loco versentur, eas omnes et singulas indulgentias consequi valeant quæ universe eorum Ordini concessæ sunt, dummodo tam in plenariis quam in partialibus injuncta opera fideliter adimpleant, et in plenariis sacramentalem peccatorum confessionem saltem triduo ante præmittant, quemadmodum a Sanctissimo Domino Nostro decretum fuit in audientia habita per me ipsum, sacræ congregationis secretarium, die 5 Januarii 1777. Insuper declaravit ut Fideles omnes qui in prædictis degunt provinciis Xensi, Xansi, et Hukuang, absque ulla proprii oratorii seu ecclesiæ oblatione, indulgentias omnes lucrari possint quas ordo Minorum habet ex pia liberalitate Sedis Apostolicæ, quatenus tamen præscriptis operibus pari modo satisfaciant. Quia vero nonnunquam accidit, ut ob locorum longinquitatem, vel altera justa de causa impediti tam regulares quam reliqui fideles oratoria seu ecclesias pro indulgentiis designatas visitare nequeant, vel eas visitare plerumque contingat in quibus sanctissimæ Eucharistiæ

Digitized by Google

sacramentum non asservatur; idcirco Sanctitas Sua benigne indulsit ut in ejusmodi casibus commutata oratorii seu ecclesiæ visitatione et sanctissimæ Eucharistiæ sacramenti adoratione, in orationem Dominicalem et in actus fidei, spei, charitatis, et contritionis, easdem indulgentias lucrari valeant. Cum autem plenariæ indulgentiæ non semper ab iisdem missionariis et fidelibus acquiri possint ob confessariorum defectum, sanctissimus Dominus Noster, ne idcirco Ecclesiæ thesauris prorsus destituantur, christianis omnibus in præfatis provinciis existentibus benigne concessit ut iis diebus in quibus plenaria aliqua indulgentia recurrit, quam ob dictam causam lucrari nequeunt, quatenus corde saltem contriti, ferventes ad Deum pro S. Fidei propagatione preces effuderint, partialem septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam applicabilem quoque per modum suffragii animabus in purgatorio detentis consequi valeant, perpetuis valituram temporibus.

« Datum Romæ ex ædibus sacræ congregationis de Propaganda Fide, die et anno quibus supra.

« *Stephanus Borgia, sacræ congregationis*
« *de propaganda Fide Secretarius.* »

ARTICULUS VI.

Indulgentiæ quoad ea quæ concernunt indulgentias concessas omnibus Christifidelibus.

SUMMARIUM.

1. Alios saltantes dicendo suo vulgari vel latino sermone *Laudetur Jesus Christus*, et respondentes *In sæcula*, vel *Amen*, aut *Semper*, lucrantur indulgentiam 50 dierum. — 2. Nominantes reverenter nomen *Jesu* vel nomen *Mariæ* lucrantur indulgentiam 25 dierum. — 3. Habentes talem piam consuetudinem sic salutandi et respondendi, vel nominandi nomen *Jesu*, si in articulo mortis, ore, vel corde idem nomen invocaverint, lucrantur indulgentiam plenariam. — 4. Recitantes litanias ejusdem SS. Nominis lucrantur trecentos dies indulgentiæ; recitantes litanias B. V. M., ducentos dies. — 5. Prædicatores qui inter prædicandum monuerint auditores ad hunc modum salutandi, invocandi, aut recitandi, seu nominandi nomen *Jesu* et *Mariæ*, et quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, lucrantur easdem indulgentias. — 6. Missæ Sacrificium devote audientes aut celebrantes lucrantur triginta millia et octocentos annos indulgentiæ applicabilis per modum suffragii animabus purgatorii. — 7. Quinquies *Pater* et *Ave* recitantes in honorem passionis Christi Domini et B. Virginis amaritudinum lucrantur decem mille annos indulgentiæ. — 8. Recitantes tertiam Rosarii partem lucrantur quinque annos et toti eam quadragenas indulgentiæ; et insuper lucrantur indulgentias ad instar recitantium coronam S. Birgittæ. — 9. Recitantes quindecim *Pater* et *Ave* pro iis qui in mortali degunt, consequuntur tertiam partem remissionis peccatorum. — 10. Recitantes *Ave Maria, Salve Regina*, caput inclinantes ad veneranda nomina *Jesu* et *Mariæ*, caput inclinantes ad *Gloria Patri*, genuflectentes coram SS. Sacramento, osculantes sanctam crucem, recitantes *Benedicta sit sancta et Immaculata Conceptio B. V. Mariæ*, quas indulgentias lucrentur. — 11. Sacerdotes ante celebrationem sacri recitantes : *Ego volo celebrare Missam*, etc.; sacerdotes legentes missam ante celebrationem, recitantes in fine horarum canonicarum *Sacrosanctæ et Individuæ Trinitati*, etc., quas indulgentias lucrentur. — 12. Sacerdotes recitantes orationem : *Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe*, etc., consequuntur remissionem omnium commissorum et omissorum in missa, nec non 2500 annorum indulgentiam; item indulgentiam 1000 annor. recitantes post missam orationem : *Anima Christi sanctifica me*, etc. — 13. Comitantes sacrum Viaticum quando ad infirmos defertur, quas indulgentias lucrentur. — 14. Interv nientes orationi quadraginta horarum quas indulgentias lucrentur. — 15. Qui ad pulsum campanæ in signum elevationis SS. Sacramenti in missa conventuali aut parochiali, genuflexi ubicunque oraverint, quas indulgentias lucrentur. — 16. In regnis regi Hispaniarum subjectis, quicunque die Commemorationis Defunctorum celebrat, animam liberare potest a pœnis purgatorii. — 17. Qui communicant ubi singulis mensibus fit communio generalis a Patribus Societatis, lucrantur indulgentiam plenariam, applicabilem pro defunctis. — 18. Recitantes flexis genibus vespere ad pulsum campanæ *Angelus Domini*, etc.; *Ecce ancilla Domini*, etc.; *Et Verbum caro*, etc., cum tribus *Ave Maria*, lucrantur indulgentiam plenariam. — 19. Recitantes flexis genibus ad pulsum campanæ mane, meridie, et vespere *Angelus Domini*, etc.; *Ecce ancilla Domini*, etc.; *Et Verbum caro*, etc.; cum tribus *Ave Maria*, quas indulgentias lucrentur ex novissima concessione Benedicti XIII. Is æ indulgentiæ non remanent suspensæ Anno Sancto. — 20. Circa talem indulgentiam emanatum est speciale indultum pro regularibus et aliis in religiosis domibus commorantibus; et novissime a Benedicto XIV facta est pro omnibus specialis declaratio ac nova dispositio, quæ affertur. — 21. Recitantes flexis genibus sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum *De profundis*, etc., vel semel *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam* cum versiculo *Requiem æternum*, quas indulgentias lucrentur ex novissima concessione Clementis XII. Et istæ indulgentiæ acquiruntur, sive prædictæ orationes recitentur ante, sive post horam noctis, juxta locorum consuetudinem. — 22. Ad indultum Benedicti XIII sub n. 20 allatum extendatur etiam pro *De profundis*. — 23. Habentes coronas, rosaria, cruces, et imagines, seu numismata aut medalia cum indulgentiis ordinariis solitis concedi a Roma is Pontificibus pro canonizatione sanctorum, quas indulgentias lucrentur. — 24. Visitantes septem principales ecclesias urbis Romæ lucrantur maximas indulgentias, et quas. — 25. Undenam sumpsit initium visitatio septem Romanarum ecclesiarum? — 26. Visitantes septem altaria in aliqua ecclesia habente indultum apostolicum lucrantur omnes indulgentias quas lucrarentur si visitarent septem altaria sita, et ad id designata in basilica principis apostolorum de Urbe. — 27. Recitantes orationem *Domine Jesu Christe*, etc., consequuntur octoginta annos indulgentiæ. — 28. Assignantur indulgentiæ concessæ assistentibus missæ et divino officio, et respective recitantibus ac celebrantibus in quibus dam solemnitatibus. — 29. Indulgentiæ suspensæ anno Jubilæi possunt applicari animabus purgatorii per modum suffragii. — 30. Alia ad rem, *remissive*. — 31. Indulgentiæ per visum a domino acceptæ non admittuntur sub fide referentis. — 32. Indulgentia centum dierum conceditur recitantibus genibus flexis singulis feriis sextis quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam ad sonum campanæ horæ tertiæ post meridiem. — 33. In constitutione Benedicti XIV quæ incipit *Ad Passionis* injungitur parochis, rectoribus, aliisque superioribus, ut campanam uniuscujusque ecclesiæ pulsari faciant tali hora. — 34. Indulgentiæ concessæ visitantibus ecclesias Urbis per octavam SS. apostolorum Petri, et Pauli. — 35. Indulgentia plenaria concessa pro ecclesia patriarchali Maronitarum. — 36. Indulgentiarum communicatio inter confratres B. M. V. de monte Carmelo et Tertiarios Capucinorum sancti Francisci revocatur. — 37. Indulgentia

Digitized by Google

centum dierum concedi potest a cardinali majori pœnitentiario omnibus Christifidelibus qui se pœnitentiali virga tangendos pie, reverenterque in tribus Urbis basilicis ipsis submiserint. — 38. Indulgentiæ visitantibus ecclesiam concessæ acquiri possunt absque eo quod SS. Sacramentum expositum sit. — 39. Indulgentia plenaria in articulo mortis applicari conceditur auctoritate apostolica ab episcopis et ordinariis inferioribus, etiam per alios subdelegatos.— 40. Ad eam acquirendam injungitur specialiter ægris morbundis acceptatio mortis in spiritu resignationis. — 41. Indulgentia plenaria conceditur per omnes ecclesiasticæ ditionis diœceses iis qui confessi et sacra communione refecti SS. Sacramentum expositum visitaverint diebus bacchanalibus. — 42. Præfatam indulgentiam ad omnes ecclesias catholici orbis pro triduo expositionis SS. Sacramenti nuperrime extendit Clemens XIII.— 43. Docentes rudes homines orationis mentalis regulam et modum itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos et totidem quadragenas de indulgentia. — 44. Item si assidue eo convenerint semel in mense, vere pœnitentes et communione refecti, orantesque more in indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam defunctis etiam applicandam lucrantur. — 45. Indulgentias in forma jubilæi concessas abrogavit Clemens VIII. — 46. Clemens XII indulgentiam plenariam die ad libitum quotannis eligenda, concessit iis qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint Ps. *De profundis*, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem*, in suffragium defunctorum sub conditionibus ut ibi. — 47. Adducitur decretum S. C. pro indulgentiis concessis iis qui pie ac devote actus virtutum theologalium recitant.—48. Adducitur rescriptum pro Christifidelibus morantibus in imperio Sinico, etc. — 49. Superiores cujuscunque ordinis, cæterique habentes facultatem communicandi privilegia, etc., non possunt privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro sui arbitrio. — 50. Indulgentiæ concessæ Ecclesiis alicujus ordinis, congregationis, etc., non debent censeri concessæ etiam ecclesiis tam parochialibus quam non parochialibus ab ejusmodi ordine dependentibus. — 51. Afferuntur pro ecclesiis parochialibus duo S. congreg. Indulg. decreta.— 52. Facultas concessa a Clemente XIV impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis in locis missionum. — 53. Modus a Benedicto XIV approbatus pro impertienda benedictione in articulo mortis. — 54. Affertur tabula designans horarium in materia indulgentiarum.

(1. Alios salutantes dicendo suo vulgari seu latino sermone *Laudetur Jesus Christus;* et respondentes *In sæcula*, vel *Amen*, aut *Semper*, lucrantur quinquaginta dies indulgentiæ : Sixtus V constitutione incipiente *Reddituri;* et insuper lucrantur alios centum dies ex concessione Benedicti XIII die 22 Jan. 1728. (2. Nominantes reverenter nomen *Jesu* vel nomen *Mariæ* lucrantur viginti quinque dies : Sixtus V, ibidem. (3. Habentes talem piam consuetudinem sic salutandi, et respondendi, vel nominandi idem nomen *Jesu*, si in articulo mortis ore, vel corde (si ore non potuerint) idem nomen invocaverint, lucrantur indulgentiam plenariam: Sixtus V, ibidem. (4. Recitantes litanias ejusdem Sanctissimi Nominis lucrantur trecentos dies indulgentiæ : Sixt. V, ibidem. Recitantes autem litanias beatissimæ virginis Mariæ lucrantur ducentos dies indulgentiæ : Sixtus V, ibidem. (5. Prædicatores qui inter prædicandum monuerint auditores ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen *Jesu* et *Mariæ*, et quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, lucrantur easdem indulgentias : Sixtus V in cit. constit. incip. *Reddituri*. Et sic expresse quoad omnia supradicta habetur ibi :

« Quia non est aliud nomen sub cœlo in quo nos oporteat salvos fieri, nisi nomen Jesu, idcirco omnibus et singulis Christifidelibus qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari seu latino sermone : *Laudetur Jesus Christus*, et his qui sic responderint *In sæcula*, vel *Amen*, aut *Semper*, utique tam salutantibus quam respondentibus quinquaginta, ubicunque id factum fuerit. Qui autem nomen *Jesu* nominaverint reverenter, vel nomen *Mariæ*, viginti quinque dies. Qui vero in mortis articulo, ore, vel corde (si ore non potuerint) idem Nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel nominandi idem Nomen Jesu, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem. Quique litanias ejusdem SS. Nominis recitaverint, trecentos; qui litanias ejusdem B. virginis Mariæ, ducentos: nec non prædicatoribus verbi Dei qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen Jesu et Mariæ auditores monuerint, et quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias ac peccatorum remissiones consequantur, auctoritate et tenore præmissis concedimus, et largimur. Volumus autem ut prædictæ litaniæ Nominis Jesu et beatæ Mariæ juxta morem et consuetudinem in Romana curia et domo beatissimæ Mariæ virginis usitatum recitentur. »

(6. Missæ sacrificium devote audientes aut celebrantes lucrantur triginta mille et octocentos annos indulgentiæ applicabilis per modum suffragii animabus purgatorii : triginta mille ex concessione Innoc. IV, octocentos ex concessione Urbani IV, Martini V, Eugenii IV, et Sixti IV, quorum quilibet concessit pro omni missa ducentos annos. Sic apud Lantuscam in Octavario exercitiorum spiritualium *fol.* 61, Romæ impresso an. 1660, cum approbatione et facultate reverendissimi patris magistri sac. palatii apostolici.

(7. Quinquies *Pater* et *Ave* recitantes in honorem passionis Christi Domini et B. Virginis amaritudinum lucrantur decem mille annos indulgentiæ, ex concessione Leonis X omnibus fidelibus facta ad instantiam Fratrum Minorum. Sic apud doctissimum P. Dominicum Viva in Appendice Indulgentiarum, § ult.; Kazenb. l. c., n. 128; Casarubium in Compend. Privil., verb. *Indulgentiæ quoad sæculares*, et alios.

(8. Recitantes tertiam rosarii partem lucrantur quinque annos et totidem quadragenas indulgentiæ, ex concessione Sixti IV apud Navarr de Oration. miscellan. 1; Gobat tract. 4 de Indulg., part. II, cap. 31; Kazenb. l. c., n. 128; Viva, loc. cit., § ult. Et insuper,

Digitized by Google

ad instar recitantium coronam S. Birgittæ, lucrantur centum dies indulgentiæ pro qualibet oratione Dominica, et centum pro qualibet salutatione Angelica; et si quotidie per integrum annum recitaverint, semel in anno, die per unumquemque eligenda, confessi ac sacra communione refecti, et orantes pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. matris Ecclesiæ exaltatione, consequuntur indulgentiam plenariam, etiam applicabilem animabus in purgatorio existentibus. Rosaria tamen debent esse juxta solitum benedicta a PP. ordinis Prædicatorum. Sic novissime concessit ac declaravit Benedictus XIII, ut habetur ex decreto sacræ congreg. indulgentiis et S. reliquiis præpositæ, dat. die 13 Aor. 1726 et signat.

LUDOVICUS CARD. PICUS, PRÆFECTUS.

Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

Nota tamen eos qui recitando rosarium, omissa consueta XV mysteriorum meditatione, alia meditantur, indulgentiis rosarii non gaudere, ut patet ex sequenti sacræ congregationis Indulgentiar. declaratione.

« Cum sacræ congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ P. procurator generalis ordinis Prædicatorum supplices preces porrexerit pro declaratione dubii : An qui SS. Rosarium B. M. V. recitant, omissa consueta meditatione mysteriorum humanæ reparationis, et illorum vice mortem aut cætera novissima, vel alia pia ac religiosa meditantur, indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione rosarii lucrentur? Sac. congreg. die 6 Augusti 1726 respondit *Non lucrari*. Quam sacræ congregationis declarationem per me secretarium SS. domino nostro relatam, Sanctitas Sua benigne approbavit. Datum die 12 Augusti 1726.

« L. CARD. PICUS, PRÆFECTUS. »

« Loco ✠ sigilli.

« *Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.* »

Excipiuntur tamen rudes et imperiti, qui sola devota recitatione rosarii indulgentias prædictas lucrari possunt, ut declaravit idem Benedictus XIII in const. incip. *Pretiosus*, § 4, ibi : *Ad consolationem personarum vero rudiorum ac divinis meditandis mysteriis in præfato sancto rosario comprehensis minus idonearum, præterea declarantes eas devota ac pia ejusdem rosarii recitatione prædictas indulgentias, juxta* posterius hoc decretum *mysteria illa meditantibus solummodo concessas, etiam lucrari posse : tametsi plane volumus ut iisdem reparationis nostræ mysteriis sacratissimis meditandis, juxta rosarii institutum, assuefiant.*

Nota quod *posterius hoc decretum* indicatum a Benedicto XIII est illud ipsum sac. congregationis hic immediate adductum. Et hic recolendæ memoriæ Benedictus XIII, ex Napoleone Ursino precibus S. P. Dominici vitæ restituto, est oriundus, ex Bullario Ordinis Prædicatorum, tom. I, pag. 9, Const. XI, n. 1, et vinculo cognationis S. Thomæ de Aquino conjunctus, ex eodem Bullario, tom. II, p. 162, Const. XI, n. 4.

Liceat mihi hoc addere decretum.

Ex audientia sanctissimi domini nostri Clem. papæ XIV habita die 19 *Septembris* 1773.

« Cum Christifideles inter hæreticos et infideles degentes confraternitati Rosarii sanctissimæ Dei Genitricis ascripti, ob frequentes persecutiones piis quibusdam exercitiis a Sede Apostolica ad indulgentiarum consecutionem statutis, vacare ut plurimum impediantur, sanctissimus dominus N. Clemens XIV, ad relationem mei infrascripti sac. congr. de Propag. Fide secretarii, benigne concessit confessariis uniuscujusque ex prædictis Christifidelibus facultatem commutandi memorata pia exercitia in aliud opus, quod virtutem charitatis vel religionis respiciat, ac circumstantiis personarum, locorum, et temporum conveniat; quibuscunque in contrarium nihil obstantibus. Datum Romæ die, et anno, quibus supra.

« *Stephanus Borgia, sacræ congregationis* « *de Propaganda Fide secretarius.* »

(9. Recitantes quindecim *Pater* et *Ave* pro iis qui in mortali degunt, consequuntur tertiam partem remissionis peccatorum, idque toties quoties recitaverint : Viva, loc. cit. ex Compend. Privil. Societatis, verb. *Indulgentiæ*, § 22.

(10. Recitantes *Ave Maria* lucrantur triginta dies indulgentiæ, ex concessione Joannis XXII, ac totidem alios, ex concessione Urbani IV. Recitantes *Salve Regina* lucrantur quadraginta dies. Caput inclinantes ad veneranda nomina *Jesu* et *Mariæ* lucrantur viginti dies. Caput inclinantes ad *Gloria Patri* lucrantur triginta dies. Genuflectentes coram SS. Sacramento lucrantur bis centum dies. Osculantes sanctam crucem lucrantur 40 dies, ex concessione ejusdem Joannis XXII; et unum annum, ex concessione Clementis IV : sic Viva l. c., § ult.; Kasenb. loc. cit., num. 129, et alii. Recitantes seu dicentes *Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio B. virginis Mariæ*, lucrantur indulgentiam centum annorum, ex concessione Gregorii XV, anno 1621 : Viva, loc. cit., § *ult.*, et novissime confirmata a Clemente XII, mense Novembris 1731. — De authenticitate indulgentiarum a n. 6 usque adhuc descriptarum vide prius P. Minderer, par. II, Confer. 8. n. 501, cui major fides in hac materia quam P. Viva citato a nostro auctore adhibenda est.

(11. Sacerdotes ante celebrationem sacri recitantes *Ego volo celebrare Missam*, etc., lucrantur indulgentiam quinquaginta dierum, ex concessione Gregorii XIII. Sacerdotes legentes missam prius quam pergant ad altare ad celebrandum, lucrantur indulgentiam 40 dierum, ex concessione Joannis XXII. Recitantes in fine horarum canonicarum, ad quas tenentur, orationem a D. Benaventura doctore nostro Seraphico compositam, videlicet *Sacrosanctæ et individuæ Trinitati*, cum

Digitized by Google

Pater et Ave, consequuntur remissionem culparum in recitatione ex humana fragilitate contractarum, ex concessione Leonis X.

(12. Ex concessione Clem. VIII, consequuntur remissionem omnium commissorum seu omissorum in missa, nec non 2300 annorum indulgentiam sacerdotes omnes recitantes sequentem orationem :

Obsecro te, dulcissime Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus qua muniar, protegar, atque defendar ; vulnera tua sint mihi cibus potusque quibus pascar, inebrier, atque delecter ; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum, mors tua sit mihi gloria sempiterna : in his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas, et dulcedo cordis mei. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Joannes XXII concessit sacerdotibus devote post missam orationem sequentem recitantibus veniam pœnæ debitæ mille peccatis lethalibus, nec non genuflexis indulg. annorum 10,000.

Anima Christi, sanctifica me; Corpus Christi, salva me; Sanguis Christi, inebria me; Aqua lateris Christi, munda me; Sudor Christi, vivifica me; Passio Christi, conforta me ; o bone Jesu, exaudi me ; intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari a te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, jube me venire ad te, et pone me juxta te, ut cum sanctis angelis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Vide tamen P. Minderer, loc. cit.

(13. Comitantes sacrum viaticum cum lumine accenso, quando defertur ad infirmos, lucrantur indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum. Comitantes sine lumine lucrantur indulgentiam quinque annorum et totidem quadragenarum. Legitime impediti lumen seu facem per alios ea occasione deferendam mittentes, lucrantur indulgentiam trium annorum et totidem quadragenarum. Sic concessit Innocentius XII die 5 Jan. 1695, const. incip. *Debitum pastoralis officii*, confirmando et ampliando concessionem jam factam ab Innocentio XI die 1 Octob. 1688. Insuper legitime impediti qui personaliter comitari nequiverint sacrum viaticum, recitando semel *Pater noster* et *Ave Maria* ad mentem Pontificis, lucrantur indulgentiam centum dierum, ex concessione Pauli V sub die 3 Novemb. 1606, confirmata a Clemente X *vivæ vocis oraculo* per viam sacræ congregationis Indulgentiarum die 23 Aprilis 1676.

(14. Intervenientes orationi XL horarum per spatium unius horæ lucrantur indulgentiam trium annorum. Intervenientes processioni factæ sive in initio sive in fine dictæ orationis, si fuerit in cathedrali, lucrantur indulgentiam decem annorum ; et si in aliis ecclesiis indulgentiam quinque annor. — Consueti dictis piis exercitiis, semel in anno, die præscripta ab episcopo confessi et sacra communione refecti, lucrantur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum. Sic concessit Gregorius XIII die 5 Apr. 1580, const. incip. *Quam uberes.*

(15. Qui ad pulsum seu sonum campanæ in signum elevationis sanctissimi Sacramenti in missa conventuali aut parochiali genuflexi oraverint, sive domi, sive ruri, sive in viis, aut ubicunque id fecerint, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam unius anni. Illi vero qui ad hunc finem seu respectum ad ecclesiam perrexerint, et ibi in dicto tempore sanctissimum Sacramentum adoraverint, lucrantur pro qualibet vice indulgentiam duorum annorum. Qui diebus festivis vere pœnitentes confessi fuerint, ac sacra communione refecti, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam quinque annorum. Soliti communicare semel in mense, et in solemnitatibus Domini Nostri Jesu Christi, B. V. M., omnium apostolorum, et S. Joannis Baptistæ, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam decem annorum. Et semel in anno in festo principaliori civitatis seu loci, confessi et sacra communione refecti, lucrantur indulgentiam plenariam. Sic concessit Gregorius XIII die 10 Aprilis 1580, constit. incip. *Ad excitandum.*

(16. In regnis regi Hispaniarum subjectis, quicunque die commemorationis defunctorum celebrat, animam liberare potest a pœnis purgatorii, ex concessione Innocentii XI 30 Sept. 1679. (17. Qui communicant ubi singulis mensibus fit communio generalis a Patribus Societatis, lucrantur indulgentiam plenariam pro defunctis applicabilem, dummodo in ea ecclesia ad mentem Pontificis vocaliter oraverint. Urbanus VIII illam concessit in bulla incip. *Ad augendum* 10 Maii 1634, per quindecim annos, et decimo quinto quoque anno renovatur. Viva, in Append. Indulg., § 2.

(18. Recitantes flexis genibus vespere ad pulsum campanæ *Angelus Domini*, *Ecce Ancilla Domini*, *Verbum caro*, etc. cum tribus *Ave Maria*, etc., lucrantur indulgentiam plenariam, ex concessione Adriani VI, ut refertur communiter cum Pellizar. tr. 10, cap. 9, n. 41 ; Gobat, Escobar, Rodriquez, Lezana, Diana, par. IV, tr. 4, resol. 24 : Viva, l. c. § 2; La Croix, lib. VI, part. II, n. 1370. Illa autem quæ declarata est apocrypha ab Innocentio XI die 7 Martii 1678, decr. incip. *Delatæ sæpius*, est solum indulgentia Clementi X adscripta recitantibus mane, vel meridie, aut vespere, *Angelus Domini*, cum *Deo gratias*, *et Mariæ*, ut notant Viva loc. cit., § 2; La Croix loc. c., 1370, et alii.

(19. Novissime autem, die 14 Aprilis 1724, Benedictus XIII concessit omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, seu vespere ad pulsum campanæ recitaverint flexis genibus *Angelus Domini*, *Ecce Ancilla Domini*, *Verbum caro*, cum tribus *Ave Maria*, et oraverint ad mentem Pontificis indulgentiam plenariam in uno die cujuslibet mensis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo. In reliquis vero anni diebus, quoties id egerint indulgentiam centum dierum, ut apparet in sequenti brevi.

Digitized by Google

BENEDICTUS PAPA XIII.

Injunctæ nobis divinitus apostolicæ servitutis ratio postulat ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris beatissimæ atque augustissimæ cœli reginæ virginis Deiparæ Mariæ, Patronæ et Advocatæ nostræ venerationem, excitandamque et confovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum. Itaque de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, seu vespere, ad pulsum campanæ : *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, cum tribus *Ave Maria*, flexis genibus devote recitaverint, et pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam, in uno die cujuslibet mensis duntaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero anni diebus iisdem Christifidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus : præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 14 Septembris 1724; pontificatus nostri anno primo.

Et hæ duæ indulgentiæ neque Anno Sancto remanent suspensæ, ut declaravit idem Benedictus XIII die 10 Januar. 1725.

F. CARD. OLIVERIUS.

(20. Circa quam indulgentiam ex post die 5 Dec. 1727, emanatum est sequens indultum pro regularibus et aliis in religiosis domibus commorantibus

INDULTUM *quo conceditur ut regulares aliique in religiosis domibus commorantes, si consuetas preces* Angelus Domini, *etc., ad sonitum campanæ recitare non possint, nihilominus indulgentias alias concessas lucrari valeant, dummodo easdem preces recitent flexis genibus, statim ac opus ad regularem observantiam spectans expleverint.*

« Litteris in forma brevis emanatis die 14 Septembris 1724, sanctissimus dominus noster Benedictus papa XIII, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad sonitum campanæ consuetas preces *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, et ter salutationem Angelicam flexis genibus recitantibus semel in mense, die ab unoquoque eligendo, si confessi et sacra communione refecti fuerint, et pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, et sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione oraverint, plenariam indulgentiam concessit. Reliquis vero diebus prædictas preces, ut supra, recitantibus indulgentiam centum dierum.

« Quia vero Sanctitati Suæ expositum fuit quod sæpe regulares aliique in religiosis domibus commorantes, et tempore quo mane, meridie, aut vespere campanæ pulsantur, quibusdam actionibus ad regularem observantiam spectantibus detinentur, et ideo easdem preces recitare tunc temporis minime possunt, ac insimul præfatorum nomine humillime supplicatum fuit ut ex Apostolicæ Sedis dispensatione prædictas preces alio tempore recitando, easdem indulgentias lucrari valeant.

« Quapropter sanctissimus Dominus noster, audito voto sacræ congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ, benigne indulsit ut regulares omnes aliique in religiosis domibus commorantes, si dum, ut supra campanæ pulsantur aliquod opus exercent quod ad regularem observantiam pertineat, nihilominus supra memoratas indulgentias acquirere possint, dummodo statim ac opus prædictum expletum fuerit preces supra memoratas flexis genibus devote recitent.

« Datum die 5 Decemb. 1727.

« L. CARD. PICUS, PRÆFECTUS.

« Loco ✠ sigilli

« *Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.* »

Et novissime a Benedicto XIV facta est pro omnibus sequens specialis declaratio et dispositio

NOTIFICAZIONE. *Fr. Gio. Antonio del titolo de' Ss. Silvestro, e Martino a' Monti, della S. R. C. prete cardinale Guadagni, della Santità di Nostro Signore vicario generale*, etc.

La santità di Nostro Signore sempre intenta a dar eccitamento, e stimolo a' fedeli di ricorrere al Signore per ottenerne le sue celesti benedizioni, volendo togliere la difformità, che s'incontra fra questi nelle pubbliche preghiere, quali si fanno al suono della campana la mattina, il mezzo giorno, e alla sera, allor quando si recita la solita orazione dell'*Angelus Domini*, etc., e con essa tre volte l'*Ave Maria*, etc., conferma in primo luogo le indulgenze già concedute dalla santa mem. di Benedetto XIII, cioè l'indulgenza plenaria e remissione di tutti peccati universalmente, ed in perpetuo a quelli, che veramente pentiti, confessati, e comunicati, in un giorno di ciaschedun mese a loro ele-

Digitized by Google

zione, reciteranno, come sopra, la mentovata orazione, e negli altri giorni dell'anno l'indulgenza di cento giorni per ciascheduna recita, parimente in perpetuo; ed inerendo alla disposizione della rubrica comanda, che detta orazione dal vespero di ciaschedun sabbato a tutta la domenica seguente si reciti in piedi.

Comanda inoltre, che durante il tempo pasquale, quale termina alli primi vesperi della domenica della SS. Trinità, invece della medesima orazione, si reciti in piedi l'antifona: *Regina cœli*, etc., col suo versetto ed orazione corrispondente: *Deus, qui per resurrectionem*, etc., per la recita della quale antifona concede anche benignamente la Santità Sua l'istesse indulgenze, come sopra, esortando premurosamente tutt'i fedeli a non trascurarne l'acquisto.

Quelli poi, che non sapranno a mente la suddetta antifona, acquisteranno le medesime indulgenze, recitando, come sopra, l'orazione dell'*Angelus Domini*, etc.

Dat. in Roma dalla nostra solita residenza, li 20 Aprile 1742.

F. G. A. CARD. VICARIO.

Gaspar Arch. Ori, Secret.

DDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Ex audientia Sanctissimi habita die 18 *Martii* 1781.

« Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia PP. VI, referente me infrascripto, sac. congr. de Propaganda Fide secretario, benigne concessit, ut in iis locis ubi deest campanarum usus, omnes et singuli Christifideles corde saltem contriti qui ter in die, scilicet primo diluculo, circa meridiem, et sub vesperam recitaverint piam precem quæ incipit *Angelus Domini*, etc., cum tribus salutationibus Angelicis, vel *Regina Cœli*, etc., tempore paschali, et circa horam primam noctis recitaverint psalmum *De profundis*, etc., vel earum loco orationem Dominicalem et salutationem Angelicam, omnes et singulas indulgentias lucrari valeant quæ recitantibus easdem preces ad signum campanæ a Summis Pontificibus hactenus concessæ sunt, quibuscunque in contrarium non obstantibus, etc.

« Datum Romæ ex ædibus dictæ Sacræ Congregationis, die et anno quibus supra.

« *Stephanus Borgia Sac. Congr.*
« *de Propaganda Fide Secr.*
« *Gaspar Arch. Ori, Secret.* »

(21. Recitantes flexis genibus sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum *De profundis*, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam*, in suffragium animarum purgatorii: quo die id egerint, lucrantur indulgentiam centum dierum; et qui per annum præmissa peregerint, in uno die cujuslibet anni per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, confessi et sacr. communione refecti, lucrantur indulgentiam

plenariam ex novissima sequenti concessione Clementis XII.

INDULGENTIÆ *pro recitantibus sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum* De profundis, *vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo* Requiem æternam, *etc.*

CLEMENS PAPA XII

Ad perpetuam rei memoriam.

« Cœlestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem nobis commisit Deus, ad Christifidelium pietatem fovendam atque augendam et animarum salutem promovendam, libenter erogamus: itaque de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum *De profundis*, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam*, etc., in suffragium animarum Christifidelium defunctorum, flexis genibus devote recitaverint, quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Insuper eisdem Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint: plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 14 Augusti 1736, pontificatus nostri anno septimo.

« F. CARD. OLIVERIUS. »

Et istæ indulgentiæ possunt acquiri, sive prædictæ orationes recitentur ante, sive post horam noctis, juxta cujusque loci consuetudinem, ut declaravit idem Clemens XII die 12 Decembris.

(22. An autem indultum concessum a Benedicto XIII allatum supra num. 20 pro Regularibus et aliis in religiosis domibus commorantibus, quod scilicet possint ipsi supradictam recitationem salutationis Angelicæ differre post terminatos actus religiosæ communitatis, si dum in ipsis reperiuntur contingat hora et sonitus campanæ pro tali recitatione, extendi, et applicari possit etiam pro consimili dilatione recitationis psalmi

Digitized by Google

De profundis : videtur de benigna interpretatione mentis pontificiæ dicendum quod sic; quia adest eadem ratio, ne videlicet interrumpantur et perturbentur pii ac devoti actus religiosæ communitatis. Ubi autem eadem est ratio, eadem etiam debet esse legis seu juris dispositio : Leg. *Ideo* 27, ff. de Legibus, L. *Illud* 32, ff. ad Leg. Aquil. c. *Inter corporalia* 2, de translatione episcop. Cum ratio legis sit anima legis : L. *Cum ratio* 1, ff. de bonis damnator. Et in similibus idem judicium habendum est, cap. *In causis* 19de sent. et re judic. Glossa *In consimilibus*, in cap. *Majores*, § *Verum*, de Baptismo, et Glossa *In similibus*, in Extrav. Sacrosanctæ, Joann. XII. Ac de similibus ad similia in jure propter identitatem rationis recte procedit argumentum. L. *Cum quidem* 26, et ibi addit marg. *C.* de administrat. Tutor. Tum quia privilegia, et beneficia principum sunt interpretanda latissime : cap. *Cum olim tibi*, de verb. *Significat.* cap. *Quia circa* 22, de privilegiis. cap. *Odia* 15, de Regul. juris in 6 Leg. *Beneficium* 3, ff. de constitut. Princip., cum similibus.

(23. Habentes coronas, rosaria, cruces, imagines, seu numismata ex auro, argento, alioque metallo confecta, vulgo medalia nuncupata cum indulgentiis ordinariis, quas postremi pontifices Innoc. XI, Alexander VIII, Innocentius XII, Clemens XI, et Benedict. XIII, pro canonizatione sanctorum concessere, dummodo semel in hebdomada recitent coronam Christi Domini, vel beatissimæ Virginis, aut tertiam rosarii partem, aut officium divinum, vel parvum beatæ Virginis, vel defunctorum, vel septem psalmos pœnitentiales, vel graduales, aut semel in hebdomada consueverint rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut missam audire, vel, si sacerdos sit, celebrare, indulgentiam plenariam defunctis applicabilem consequuntur quoties confessi communicant in primariis anni festis, et aliis in pontificia concessione enumeratis, et insuper certa opera facientes consequuntur varias indulgentias partiales defunctis pariter applicabiles; et demum in articulo mortis invocato SS. Jesu nomine, plenariam indulgentiam obtinebunt. Hinc pro exemplo adducitur tenor talium specialium indulgentiarum a Bened. XIII pro octo sanctis modo canonizatis concessarum.

I. Quicunque consuevit recitare, saltem semel in hebdomada, coronam Domini, vel beatissimæ Virginis, aut rosarium, vel ejus tertiam partem, aut officium vel divinum, vel parvum beatæ Virginis, vel defunctorum, aut septem psalmos pœnitentiales, vel graduales, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut missam audire, vel si sacerdos sit, celebrare, si vere pœnitens, et sacerdoti per ordinarium approbato confessus, Eucharistiæ sacramentum acceperit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum Nativitatis

D. N. Jesu Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, et Corporis Christi, et die Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis beatissimæ Virginis; tum festo Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, SS. apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Matthiæ, Josephi sponsi B. M. Virginis, et octo sanctorum modo canonizatorum Turribii Mogrobesii, archiepiscopi Limani, Jacobi de Marchia confessoris, Agnetis de monte Politiano virginis, Peregrini Latiosi, Joannis de Cruce, Francisci Solani, Aloysii Gonzagæ, et Stanislai Kostkæ confessorum, ac in festo Omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces effuderit pro hæresum exstirpatione, fidei catholicæ propagatione, pace, et Christianorum principum concordia, cæterisque sanctæ matris Ecclesiæ necessitatibus, plenariam suorum peccatorum indulgentiam et remissionem consequetur.

II. Quisquis in vigilia cujuslibet istorum octo sanctorum jejunaverit, et confessus in ipsius festo, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserit, oraveritque Deum ut supra, toties indulgentiam plenariam consequetur.

III. Quisquis vere pœnitens peccata commissa emendare firmiter proposuerit, et eadem die visitaverit septem ecclesias quaslibet, et, ubi tot ecclesiæ non reperiuntur quotquot ibi sunt, et si una tantum sit ecclesia, omnia ipsius altaria, et pro hæresum exstirpatione, ut supra, pie oraverit, semel in anno fruatur indulgentiis concessis septem Urbis ecclesias visitantibus.

IV. Quicunque devote cogitaverit de aliquo sanctissimæ passionis Domini Nostri Jesu Christi mysterio, et in ejusdem passionis honorem septies terram humiliter deosculatus fuerit, eo die lucretur indulgentias concessas ascendentibus Romæ per Scalam Sanctam : hoc autem semel tantum in singulis annis.

V. Quisquis peccata sua vere detestabitur cum firmo proposito non peccandi de cætero, vel ad imitationem prædictorum octo sanctorum, actum aliquem virtutis exercebit, toties lucretur indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum.

VI. Quisquis leget aut legi audiverit aliquod libri caput de vita eorumdem octo sanctorum aut inviset eorum altare, aut eorum imaginem venerabitur, et oraverit pro felici statu sanctæ matris Ecclesiæ, peccatorumque conversione, singulis vicibus percipiat indulgentiam centum dierum.

VII. Eamdem pariter indulgentiam centum dierum lucretur qui aliquid pauperibus tribuet, vel eosdem instruet, aut per alios instrui curabit in iis quæ pertinent ad fidem bonosque mores.

VIII. Qui se exercuerit in devotione erga sanctissimum Sacramentum altaris, aut beatæ Mariæ virginis, meditando illud mysterium et beneficia nobis inde provenientia, aut compatiendo doloribus quos beatissima Virgo propter Filii sui passionem

Digitized by Google

et mortem sensit, aut sanctissimum altaris sacramentum alio modo venerando, et Deum precando pro necessitatibus Ecclesiæ, qualibet vice indulgentiam centum dierum similiter consequatur.

IX. Qui ad pulsum campanæ alicujus ecclesiæ, mane, aut meridie, aut vespere, consuetas preces *Angelus Domini*, etc., devote recitaverit; vel si eas ignoret, semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam, vel dato signo orandi pro defunctis, psalmum *De profundis*, aut si hunc nesciat, unum *Pater* et *Ave*, ut supra, devote recitaverit, eamdem centum dierum indulgentiam consequatur.

X. Quilibet in Urbe commorans, vel ab ea ultra viginti milliaria non absens, si legitime impeditus non intererit benedictioni qua Romanus Pontifex in festo Paschatis et Ascensionis solemniter benedicere consuevit, confessus autem, sacrosancta communione reficiatur, et pias ad Deum preces pro hæresum exstirpatione effuderit, indulgentiis fruatur quibus præsentes fruuntur. Qui vero longius absunt ab Urbe, si hæc adimpleverint, etiam si legitime non sint impediti, easdem indulgentias consequentur.

XI. Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendaverit, et sanctissimum Nomen Jesu invocaverit, ore si potuerit, sin minus saltem corde, confessus et sacra communione refectus, si potuerit; alioquin saltem contritus, remissionem omnium suorum peccatorum et plenariam indulgentiam consequetur.

XII. Omnes supradictæ indulgentiæ fidelibus defunctis applicari possunt per modum suffragii. Ad illas autem consequendas sufficit habere coronam, vel rosarium, vel numisma vulgo medalliam ut supra benedictam, exercendo præscripta opera, quamvis alias facienda essent ex alia obligatione. Hujusmodi vero coronæ, rosaria, vel medalliæ, postquam fuerint alicui personæ appropriatæ, non possunt alteri concedi.

Cum tamen in hoc, ex præscripto SS. D. N. Benedicti papæ XIV, variatio aliqua inducta sit, propterea formam et summarium indulgentiarum, juxta ejusdem Pontificis dispositionem a S. C. reformatum, hic subjungere operæ pretium existimamus.

FORMA DELL' INDULGENZE *che la Santità di N. S. papa Benedetto XIV concede alle corone, rosarj, croci, ed immagini d'oro, e d'argento, o di metallo, dette volgarmente medaglie.*

Chi sarà solito dire, una volta almeno la settimana la corona del Signore e della Madonna, il rosario, o la sua terza parte, o l'offizio divino, o picciolo della Madonna, o de' morti, ovvero i sette salmi penitenziali, o graduali, ovvero avrà per usanza d'insegnare la dottrina cristiana, o visitare i carcerati, o gl'infermi di qualche ospedale, o di sovvenire i poveri, o d'intervenire alla messa, o dirla essendo sacerdote, se veramente pentito, e confessatosi dal confessore approvato dall'Ordinario, si comunicherà in qualsivoglia degl'infrascritti giorni, cioè Natale del Signore, Epifania, Resurrezione, Ascensione, Pentecoste, festa della Santissima Trinità, e Corpus Domini, festa della Purificazione, Annunziazione, Assunzione, e Natività della beatissima Vergine, Natività di S. Gio. Battista, festa de' SS. apostoli Pietro e Paolo, Andrea, Giacomo, Giovanni, Tommaso, Filippo, Giacomo, Bartolomeo, Matteo, Simone e Giuda, Mattia, di S. Giuseppe sposo della beatissima Vergine, e di tutti i santi, e divotamente pregherà Dio per la estirpazione dell'eresie, e degli scismi, per l'aumento della fede cattolica, per la pace e concordia de principi cristiani, e per altri bisogni di santa Chiesa, in esso giorno acquisti la remissione di tutti i suoi peccati, e l'indulgenza plenaria.

Chi farà l'istesse cose nell'altre feste del Signore, o della beatissima Vergine, in ciascheduno di detti giorni conseguirà sett'anni ed altrettante quarantene d'indulgenza, e facendo le medesime in qualunque domenica o in altra festa dell'anno, guadagnerà cinque anni ed altrettante quarantene; facendole in altro giorno dell'anno acquisterà cento giorni d'indulgenza.

Chiunque in articolo di morte raccomanderà divotamente a Dio l'anima sua, invocando il Nome di Gesù con la bocca, o non potendo, col cuore, essendo veramente pentito, e come sopra confessato e comunicato, o, non potendo, contrito almeno, conseguirà la remissione di tutti i suoi peccati, e l'indulgenza plenaria.

Chi farà qualunque sorta di orazione preparatoria innanzi di celebrare la messa, o comunicarsi, o di recitar l'offizio del Signore, o della beata Vergine, conseguirà ogni volta cinquanta giorni d'indulgenza.

Chi visiterà i carcerati, o gl'infermi degli ospedali, aiutandoli con qualche opera pia, ovvero in chiesa insegnerà la dottrina cristiana, o in casa a' proprj figliuoli, parenti, o servitori, ogni volta guadagni dugento giorni d'indulgenza.

Chi sarà solito una volta almeno la settimana dir la corona, o il rosario, o l'offizio della Madonna, o de' morti, o i vesperi, ed un notturno almeno con le laudi, o i sette salmi penitenziali, con le litanie, e sue preci, guadagni in quel giorno che ciò dirà, cento giorni d'indulgenza concessa da S. Pio Quinto.

Chi al suono della campana di qualche chiesa la mattina, la sera, o il mezzo giorno, reciterà le solite preci: *Angelus Domini*, etc., o, ciò non sapendo, un *Pater noster* ed un *Ave Maria*, o parimente suonando il segno per li morti, dirà il salmo *De profundis*, o un *Pater noster* ed un *Ave Maria*, se non saprà quel salmo, conseguisca cento giorni d'indulgenza.

Chi nel giorno di venerdì penserà divotamente alla passione, e morte di Gesù Cristo Signor nostro, e dirà tre volte il *Pater noster* e l'*Ave Maria*, in quel giorno, guadagni cento giorni d'indulgenza.

Chi veramente pentito de' suoi peccati

Digitized by Google

con proposito fermo di emendarsene, farà l'esame della coscienza e reciterà con divozione tre volte il *Pater noster* e l'*Ave Maria*, ovvero in onore della santissima Trinità, ovvero in memoria delle cinque Piaghe di Gesù Cristo cinque volte il *Pater noster* e l'*Ave Maria*, guadagni cento giorni d'indulgenza.

Chi pregherà divotamente per i fedeli che sono in transito, o dirà un *Pater noster* almeno ed un'*Ave Maria* per essi, conseguisca in quel dì cinquanta giorni d'indulgenza.

Chiunque avrà un crocifisso, croce, o altra sagra immagine benedetta in camera, o altro luogo decente della casa, dove starà ed adempirà le cose sopraddette, facendo però le orazioni prescritte innanzi a detto crocifisso, croce, o immagine, conseguisca respettivamente le medesime indulgenze.

Tutte le indulgenze dette di sopra può ciascuno guadagnare per sè ne' giorni suddetti, o applicarle per modo di suffragio all'anime del purgatorio.

Sua Santità però non vuole che le immagini siano di carta, ma d'oro, o d'altro metallo, e che le immagini de' santi siano de' canonizzati, o altri descritti nel Martirologio Romano.

Comanda Sua Santità che nella distribuzione ed uso di queste medaglie, corone, ec., si osservi il decreto della felice memoria di Alessandro VII, stampato sotto li 6 febbraio 1657, cioè che le medaglie, corone, ec., benedette con le sopraddette indulgenze, non passino la persona di quelli, a' quali saranno concedute, o a' quali da questi saranno distribuite per la prima volta: e che non possano prestarsi ad altri, o darsi precariamente, altrimenti perdono l'indulgenza che hanno: e perdendosene una, non se ne possa sostituire in suo luogo un'altra, non ostante qualunque concessione o privilegio in contrario.

Antonio Maria Erba, protonotario apostolico e segret.

SOMMARIO *delle indulgenze concesse alli rosarî; o corone dette di S. Brigida, benedette dai superiori de' monasteri, o da altri sacerdoti dell' ordine del SS. Salvatore, o sia della medesima S. Brigida a ciò deputati.*

La Santità di nostro Signore Benedetto papa XIV alli rosarî; o siano corone dette di S. Brigida benedette da' superiori de' monasteri, o da altri sacerdoti dell'ordine del Santissimo Salvatore, o sia della medesima S. Brigida a ciò deputati, oltre alle indulgenze infrascritte già concesse dalla santa memoria di Leone X, e di Clemente XI, riconosciute ed approvate a' 4 settembre 1714 dalla sag. congregazione delle Indulgenze e S. Reliquie, di nuovo per suo Breve de 15 gennaio 1743, ne aggiunge altre, come infra segue.

I. Chiunque a suo arbitrio dirà il rosario, o sia corona di S. Brigida, guadagnerà l'indulgeaza di cento giorni per ogni *Pater noster*, cento giorni per ogni *Ave Maria*, e cento giorni per ogni *Credo* che reciterà: Leone X a' 10 luglio 1515.

II. Chi reciterà detto rosario, o corona di quindici decine, oltre alle predette indulgenze di cento giorni, acquisterà di più l'indulgenza di sette anni, e sette quarentene: idem Leo, loc. cit.

III. Chi reciterà il medesimo rosario, o corona con altra, o altre persone, tutte, ed ognuna di esse conseguiranno le medesime indulgenze, come se ognuno dicesse detta corona da se solo: idem Leo, loc. cit.

IV. Tutte le suddette indulgenze può ciascuno guadagnarle per sè, oppure applicarle in suffragio delle anime del purgatorio: Benedetto XIV a' 10 marzo 1742.

V. Chi reciterà detta corona almeno di cinque decine ogni giorno per un anno intero, e veramente pentito, e confessatosi, un giorno a sua elezione si comunicherà, e pregherà Dio per la concordia fra principi Cristiani, e per l'estirpazione dell' eresie, e per l'esaltazione di S. Madre Chiesa, conseguirà l'indulgenza plenaria di tutti li suoi peccati, con facoltà di applicarla alle anime de' fedeli defunti: Clemente XI a' 22 settembre 1714

VI. Chi sarà solito recitare detta corona, almeno di cinque decine, una volta almeno la settimana, e confessatosi, e comunicatosi nella festa di S. Brigida visiterà la propria chiesa parrocchiale, o altra chiesa, ed in essa pregherà Dio, come sopra, acquisterà l'indulgenza plenaria di tutti li suoi peccati: Benedetto XIV a' 15 gennaio 1743.

VII. Chiunque nell'articolo di morte raccomandando la sua anima a Dio, e confessatosi, e comunicatosi, o se ciò fare non potrà per qualche impedimento, almeno contrito dirà GESU' col cuore, non potendo colla bocca, guadagnerà l'indulgenza plenaria di tutti li suoi peccati: idem Benedictus, loc. cit.

VIII. Chi sarà solito recitare detta corona ogni giorno per un mese continuo, e confessatosi, e comunicatosi in un giorno a sua elezione dentro detto mese visiterà una chiesa, ed in essa pregherà Dio, come sopra, acquisterà l'indulgenza plenaria di tutti li suoi peccati: Idem Bened., loc. cit.

IX. Chi portando con sè detta corona, pregherà genuflesso al segno della campana per qualunque agonizzante, qualvolta ciò farà, guadagnerà l'indulgenza di 40 giorni: idem Bened., loc. cit.

X. Chi avendo presso di sè detta corona, e pentito de' suoi peccati farà l'esame di sua coscienza, e dirà tre volte il *Pater noster* e tre volte l'*Ave Maria*, conseguirà l'indulgenza di 20 giorni: idem Bened., loc. cit.

XI. Chi tenendo con sè la medesima corona, sentirà in qualunque giorno tanto festivo, che feriato la santa messa, o interverrà a sentire la parola di Dio, o accompagnerà il SS. Viatico quando si porta a qualche infermo, o ridurrà qualche traviato

Digitized by Google

alla via della salute, o farà qualunque altra opera pia in onore di Nostro Signore Gesu' Cristo, o della Beatissima Vergine Maria, o di S. Brigida, e reciterà tre volte il *Pater noster* e tre volte l'*Ave Maria*, acquisterà l'indulgenza di cento giorni: idem Bened., loc. cit.

XII. Tutte le suddette indulgenze può ognuno guadagnarle per sè, oppure applicarle per modo di suffragio alle anime del purgatorio: idem Bened., loc. cit.

Per guadagnare tutte ed ognuna delle indulgenze sopra espresse, devono li rosarij o corone sopraddette essere prima benedette da' predetti padri dell'ordine del Santissimo Salvatore, o sia di S. Brigida, altrimenti non godono d'alcuna indulgenza.

La sagra Congregazione delle Indulgenze e sagre Reliquie, rinnovando il decreto del dì 26 novembre 1714, proibisce a chiunque si sia di poter vendere o dare in prestito o in pegno ad altri le suddette corone o rosarj, in quanto che sono benedetti, altrimenti dichiara essere privi delle indulgenze già concesse: e che perdendosene alcuna, non se ne possa surrogare un'altra in cambio di quella, se prima non è stata benedetta da' predetti Padri.

Eadem sacra congregatio suprascriptum Indulgentiarum Summarium, annuente ad relationem per me infrascriptum secretarium factam sanctissimo domino nostro Bened. Papa XIV, sub die 9 febr. 1743, quocunque idiomate in quibuslibet locis catholicis imprimi posse censuit.

A CARD. S. CLEMENTIS.

Loco ✠ sigilli.

A. M. Erba, Proton. Apost. Secr.

Non omittendus recentior hujusmodi Indulgentiarum indiculus ex audientia Sanctissimi.

Indulgentiæ *quas Summus Pontifex vel ab eo delegatus benedicendo coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas numismata* medaglie *vulgo nuncupata, impertitur Christifidelibus qui secum habentes vel apud se retinentes aliquod ex præfatis infrascripta pia opera implebunt*

Utriusque sexus Christifideles in primis admonitos vult Sanctitas Sua ut quis consequi valeat indulgentias, quas in præfata benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis numismatibus, coronis, etc., secum habere aut apud se retinere.

Item orationes devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo coronam, crucifixum, etc., vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suæ habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

Præterea ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua rejicit imagines, sive impressas, sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata vulgo *medaglie* nuncupata, quæ ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua imagines et icones benedicendas repræsentare sanctos, vel jam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His pro clariori intelligentia prænotatis, indulgentiarum series quas quis consequi potest, necnon piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra, videlicet.

Quicunque semel in singulas hebdomadas coronam Domini aut beatissimæ Virginis, vel rosarium, ejusve tertiam partem, aut officium sive divinum sive parvum ejusdem beatissimæ Virginis, vel defunctorum, aut septem psalmos pœnitentiales, vel graduales recitabit, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut missam audire, vel, si sacerdos est, celebrare consuevit: si vere pœnitens, et sacerdoti per ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus festis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ virginis; necnon diebus Nativitatis S. Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Mathæi, Simonis et Judæ, Mathiæ, sancti Josephi sponsi B. Mariæ virginis, atque Omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro hæresum atque schismatum exstirpatione, fidei catholicæ propagatione, pace, et Christianorum principum concordia, cæterisque Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, in unoquoque præfatorum dierum plenariam indulgentiam consequetur.

Qui eadem in aliis festis Domini aut B. virginis Mariæ peregerit, in quolibet eorum participet indulgentiam septem annorum ac totidem quadragenarum. Qui vero quavis Dominica vel alio anni festo indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum: qui demum in alio quocunque anni die ea præstabit, indulgentiam centum dierum.

Quicunque saltem semel in hebdomada recitare consuevit coronam, aut rosarium, aut officium beatæ Mariæ virginis, vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex nocturnis, et laudes, aut septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, earumque precibus, quo die id egerit indulgentiam centum dierum acquiret.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere pœnitens confessus ac sacra communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen Jesu ore,

Digitized by Google

si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam indulgentiam consequetur.

Quicunque ante missæ celebrationem vel sumptionem Eucharistiæ, aut recitationem divini officii, vel parvi B. Mariæ Virginis, aliquam devotam præparationem præmiserit, quinquaginta dierum indulgentiam, qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut ægrotos in nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut doctrinam Christianam in ecclesia, vel domi filios, aut propinquos, aut famulos docuerit, toties indulgentiam bis centum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanæ alicujus ecclesiæ, mane, aut meridie, aut vespere, consuetas preces *Angelus Domini*, etc., dicet; vel si eas ignoret, semel *orationem Dominicam* et *salutationem Angelicam*; vel dato signo sub horam noctis orandi pro defunctis, psalmum *De profundis*, aut, si hunc nesciat, *orationem Dominicam* et *salutationem Angelicam* recitabit, centum dierum indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eamdem pariter consequetur indulgentiam qui feria sexta devote cogitaverit, de passione ac morte Domini nostri Jesu Christi, terque *orationem Dominicam* et *salutationem Angelicam* recitaverit.

Quisquis vere pœnitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *oratione Dominica* et *Angelica salutatione* devote repetitis in honorem sanctissimæ Trinitatis; et ob reverentiam quinque vulnerum Jesu Christi *quinquies* devote eamdem *orationem et salutationem* recitet, eamdem indulgentiam consequetur.

Omnes et singulas antedictas indulgentias unusquisque, memoratis diebus poterit, aut pro se ipso adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

Declarat insuper Sanctitas Sua concessione præfatarum indulgentiarum nullo modo derogare indulgentiis quas alii Summi Pontifices prædecessores jam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum prædecessorum concessiones in suo robore permanere.

In distribuendis autem hujusmodi coronis et crucibus, etc., eorumque usu, sanctissimus dominus noster servari jubet decretum fel. recor. Alexandri VII, editum sub die 6 Februarii 1657, nimirum, ut coronæ, cruces, rosaria, etc., ut supra benedicta, quoad indulgentias non transeant personam illorum quibus concessæ sunt aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacunque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; necnon eadem commodari aut precario dari non possit pro indulgentiarum communicatione, alioquin amittant indulgentias jam concessas, tum etiam præfata post pontificiam benedictionem vendi non possint, juxta dispositionem decreti sacræ congregationis Indulgentiarum et sacrarum Reliquiarum, editi die 5 Junii 1721.

Insuper Sanctitas Sua confirmat decretum fel. record. Benedicti XIV, datum sub die 19 Augusti 1752, quo expresse declarat missam ad altare (in quo aliqua ex præfatis sive crucifixi sive numismatis imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a sacerdote hujusmodi imaginem secum habente celebratas, vigore dictæ imaginis nullo modo prorsus gaudere privilegio.

Præterea vetat ne quisquam quem infirmis morti proximis assistere contigerit, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis, vigore hujusmodi imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad hujusmodi effectum in constitutione Bened. XIV incip. *Pia Mater* satis provisum jam fuit.

Stephanus Borgia, sac. congr. del' Propaganda Fide secret.

(24. Visitantes septem principales ecclesias urbis Romæ, nempe Sancti Joannis Lateranensis, Sancti Petri, Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Laurentii, Sanctorum Fabiani et Sebastiani, et Sanctæ Crucis in Jerusalem, lucrantur maximas indulgentias, quæ hic dantur ad litteram prout referuntur ab Alphonso de Casarubios, et Hieronymo a Sorbo in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium et non Mendicantium verb. *Indulgentiæ septem ecclesiarum.*

Prima ecclesia Urbis est sacrosancta Lateranensis ecclesia, quæ ab antiquo dicebatur basilica Salvatoris, nunc autem communiter vocatur ecclesia Sancti Joannis Lateranensis, quæ ab imperatore Constantino in latere sui proprii palatii ædificata, et a sancto Silvestro papa in honorem sanctissimi Salvatoris Nostri Domini Jesu Christi, et sanctorum Joannis Baptistæ et Joannis Evangelistæ dedicata fuit; in qua fertur quod scilicet Silvester et Gregorius Summi Pontifices, qui eam successive consecraverunt, devote visitantibus concesserunt tot indulgentias quot eas nemo nisi solus Deus enumerare potest.

Nota, primo, quod in hac ecclesia, juxta rubricas Missalis novi S. Pii V jussu instituti, sunt Stationes Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum feria quinta Majoris Hebdomadæ, in Sabbato Sancto, et in Albis, vigil. Pent. in die sancti Joannis ante Portam Latinam, et est indulgentia plenaria et liberatio unius animæ a purgatorio; et a die S. Bernardini, quæ est 20 mensis Maii usque ad primum diem Augusti, die quolibet est indulgentia plenaria.

Nota etiam quod in hac ecclesia S. Joannis Lateranen. habetur quædam tabula antiqua in qua continentur sequentia, quæ bonus quidam Pater nostri ordinis tempore capituli generalissimi, anno 1516 ab illa extraxit.

Primo ad altare majus sunt indulgentiæ 48 annorum et totidem quadragenæ, et remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

Item Constantinus imperator postquam mundatus fuit a lepra per sacri baptismatis susceptionem, dixit B. Silvestro: *Pater, ecce domum meam in ecclesiam ordinavi, infunde in eam tuam largam benedictionem pro venien-*

Digitized by Google

tibus ad eam. Et ait ad eum beatus Silvester: *Dominus Jesus Christus, qui te mundavit a lepra, et purificavit te fonte perenni, per suam misericordiam mundet et purificet omnes huc venientes sine peccato mortali, et auctoritate Petri et Pauli, et nostra sit eis remissio omnium peccatorum quocunque tempore anni.*

Item sanctus Gregorius papa, qui hanc ecclesiam consecravit post destructionem ejus factam per hæreticos, confirmavit indulgentiam positam per B. Silvestrum papam antedictum.

Item papa Bonifacius dixit: *Indulgentiæ ecclesiæ Lateranensis numerari non possunt nisi a solo Deo, et ego omnes illas confirmo.*

Item in festo Salvatoris, cujus imago visibiliter apparuit omni populo Romano miraculose, scilicet quando S. Silvester consecravit dictam ecclesiam primo ubi fuerat populus Romanus congregatus, tunc prædicta imago apparuit visibiliter omni populo de Urbe, quæ imago remansit in pariete, nec comburi potuit, cum ecclesia bis combusta fuerit, est remissio omnium peccatorum.

Item papa Bonifacius dixit: *Si quis ad sedem nostram Lateranen. causa devotionis, orationis, peregrinationis, accesserit, ab omni sorde peccati sit mundatus totus.*

Item in ecclesia prædicta, in capella S. Joannis Baptistæ, in quam mulieres non intrant, ibidem ad fontes est remissio omnium peccatorum.

Item in cappella Sancti Laurentii, in quam similiter mulieres non intrant, quæ dicitur Sancta Sanctorum, est remissio omnium peccatorum.

Item si scirent homines indulgentias ecclesiæ Lateranensis, dicerent, tot et tantæ sunt quod non oportet nos ire ad Sanctum Sepulcrum ultra mare.

* Nota quod indulgentiæ prout descriptæ leguntur in veteri marmorea tabula ecclesiæ Lateranensis, de qua hic supra mentio facta est, declaratæ fuerunt apocryphæ anno 1657 et 1678 a congregationibus Sancti Officii et Indulgentiarum, ut constat ex earumdem decretis apud P. Gobat tract. 4, de Indulg., n. 703 et 709, et apud Rigantium in Regul. 54 Cancellar., num. 57. Vide SS. D. N. Benedict. XIV de Synodo lib. XIII, cap. 18, num. 3; et P. Minderer part. I, Confer. 2, num. 806. Itaque in materia indulgentiarum ecclesiæ Lateranensis recedendum non est a constitut. 45 prælaudati Pontificis, quæ incipit: *Assiduæ sollicitudinis.* tom. III ejus Bullarii.

* *Secunda ecclesia* principalis est ad Sanctum Petrum, ubi nunc est sancta Sedes Apostolica et palatium sanctissimi domini nostri papæ, in qua sunt omni die sex mille et 48 anni, et totidem quadragenæ, et remissio tertiæ partis peccatorum. Et in hac ecclesia sunt stationes in die Epiphaniæ, in Dominica prima et secunda Quadragesimæ, in sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ, feria secunda Paschæ, in die Ascensionis, in die Pentecostes, in Sabbato post Pentecostes, in omnibus sabbatis Quatuor Temporum, in Dominica prima Adventus, et in tertia, et in quarta, et in die Nativitatis Domini.

Item in eadem ecclesia fuisse dicuntur centum et novem altaria, quæ nunc pro magna parte sunt remota et in melius sub pauciori numero redacta sive ordinata, et pro quolibet 18 anni indulgentiæ dati sunt. Et inter alia sunt septem altaria principalia, quæ in gyrum cancellis cupreis vallata sunt, olim deauratis in quibus per totum annum integrum sunt stationes. Attamen in diebus festivitatum tam illorum quam aliorum altarium sunt in eis stationes ac infinitæ aliæ indulgentiæ.

Item quandocunque est festum sanctorum Petri et Pauli, vel Vocationis dictorum altarium, seu etiam festum Nativitatis Domini, Paschæ, seu Omnium Sanctorum, aliudque festum duplex, duplicantur omnes prædictæ indulgentiæ.

Item in festo Annunciationis B. Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiæ.

Item a prædicto festo usque ad Kalendas Augusti sunt ibi duodecim anni indulgentiarum et totidem quadragenæ, et remissio tertiæ partis peccatorum.

Item quicunque ascendit gradus Sancti Petri devote, huic conceduntur pro quolibet gradu septem anni indulgentiarum per Alexandrum VI.

Tertia ecclesia est ad Sanctum Paulum, in qua sunt omni die sex mille et 48 anni indulgentiarum et totidem quadragenæ, et remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Et in hac ecclesia sunt stationes Dominica quarta Quadragesimæ, feria tertia Paschæ, Dominica in Sexagesima, in die sanctorum Innocentium, et Conversionis sancti Pauli.

Item in Conversione S. Pauli sunt ibi centum anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, et plenaria omnium peccatorum remissio.

Item in festo SS. Innocentium, quorum multa corpora requiescunt ibi, sunt ibidem 48 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ ab antiquo: modo vero est indulgentia plenaria.

Item in Dedicatione ejusdem, quæ est in octava Sancti Martini, sunt ibi mille anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, et remissio omnium peccatorum.

Item, si quis intraverit dictam ecclesiam omnibus diebus Dominicis, habet tantas indulgentias ac si iret ad Sanctum Sepulcrum Hierosolymis ac ad S. Jacobum Gallitiæ. Ac visitans septem altaria hujus ecclesiæ tot lucrabitur indulgentias quot si visitasset septem altaria S. Petri.

* *Quarta ecclesia* est ad Sanctam Mariam Majorem, in qua sunt omni die sex mille et 48 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, et remissio tertiæ partis omnium peccatorum. In hac ecclesia sunt stationes in omnibus quartis feriis Quatuor Temporum; feria quarta Majoris Hebdomadæ, in die Paschæ, Dominica prima Adventus, in vigilia et in die Nativitatis, in die Circumcisionis.

Item in vigilia Ascensionis Domini, in qua celebratur festum Corporis sancti Hieronymi

Digitized by Google

ibidem quiescentis, ad altare ipsius est remissio tertiæ partis omnium peccatorum concessa a Pio papa II, et indulgentia plenaria.

Item in omnibus festivitatibus B. Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiæ et plenaria peccatorum remissio.

Item a festo Assumptionis Virginis usque ad ejus Nativitatem sunt ibi duodecim millia annorum indulgentiæ, ultra prædictas quotidianas indulgentias.

Nota tamen quod quarta ecclesia ab antiquo semper fuit S. Laurentii; sed tempore Alexandri VII, S. Maria tempore jubilæi fuit assignata pro quarta numero; et aliæ tres non visitabantur ex debito, sed ex devotione tantummodo, ad parcendum laboribus peregrinorum et Romanorum.

Quinta ecclesia est ad Sanctum Laurentium extra muros, in qua sunt omni die 7048 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum : item sex mille anni indulgentiæ. In hac ecclesia sunt stationes Dominica Septuagesimæ, Dominica tertia Quadragesimæ, feria quarta infra octavam Paschæ, et feria quinta post Pentecosten.

Item in festivitatibus sanctorum Stephani et Laurentii, quorum corpora ibidem requiescunt; et per octavas eorum, et in singulis stationibus ejusdem ecclesiæ sunt centum anni indulgentiæ et remissio tertiæ partis omnium peccatorum concessi ab antiquo. Sed Callistus III concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictam ecclesiam devote visitantibus in singulis festivitatibus et stationibus ejusdem ecclesiæ plenariam remissionem omnium peccatorum.

Item, si quis intraverit dictam ecclesiam per annum omni quarta feria, liberat unam animam a purgatorio.

Item intrans per januam australem ejusdem templi, de una Cruce ad aliam, contritus, et confessus, habet remissionem omnium peccatorum.

Sexta ecclesia est ad Sanctos Fabianum et Sebastianum extra muros, in qua sunt omni die 6048 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum. Et in die S. Sebastiani et in omnibus Dominicis mensis Maii indulgentia plenaria.

Item in eadem ecclesia sunt quotidie mille anni indulgentiæ dati a Pelagio papa.

Item in eadem ecclesia ad Catacumbas, ibi prope majus altare sunt tot et tantæ indulgentiæ quot et quantæ sunt in ecclesiis apostolorum Petri et Pauli, quia ibi prius corpora eorum jacuerunt abscondita longo tempore in puteo quodam, super quem est unum altare. Item Silvester, Gregorius, Honorius, Pelagius, Nicolaus, et Joannes summi Pontifices, concesserunt quilibet eorum mille annos indulgentiæ quocunque tempore anni devote visitantibus dictam ecclesiam.

Item ibidem in cœmeterio Callisti et plenaria remissio omnium peccatorum, secundum quosdam.

In hac ecclesia subtus terram est cœmeterium Callisti I, quod quisque ingrediens contritus et confessus, indulgentiam plenariam consequetur ob merita 7400 martyrum et 46 summorum Pontificum ibi sepultorum, quorum fuerunt 18 martyres.

Septima ecclesia est ad Sanctam Crucem in Hierusalem, in qua sunt omni die 6940 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

In hac ecclesia sunt stationes Dominica quarta Quadragesimæ, 6 feria Majoris Hebdomadæ, Dominica secunda Adventus. In diebus Inventionis et Exaltationis sanctæ crucis, et in eorum octavis, et in omnibus supradictis diebus est indulgentia plenaria.

Item in omni die Dominica sunt in eadem ecclesia tercenti anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac etiam remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

Item in Dedicatione ejusdem, quæ celebratur in vigilia S. Benedicti abbatis, in mense Martio, est ibi plenaria remissio omnium peccatorum.

Similiter in Inventione tituli sanctæ crucis, qui ibi in sublimi muro inventus est, tempore Alexandri VI, vigesima sexta Januarii, et etiam quotidie in cappella Sanctæ Helenæ, in quam mulieres non intrant nisi semel in anno, est indulgentia plenaria; item per omnes dies anni est indulgentia plenaria. Aliquas harum septem ecclesiarum, sicuti etiam stationum indulgentias suspectas esse credit cum Passerino quæst. 12, num. 135. P. Minderer part. I, Confer. 4, num. 271, et part. II, Conf. 4, num. 214; et hoc, vel ob millenarios annos; quia persæpe præter plenarias partiales quædam addantur, et non plenariæ, contra rationem indulgentiæ plenariæ et contra disciplinam Ecclesiæ.

(25. Hinc ad uberiorem notitiam juvat adducere motivum unde sumpsit initium visitatio dictarum septem Romanarum ecclesiarum. Cum enim Pontifices in Oriente ad fidei puritatem custodiendam quatuor patriarchatus instituissent, videlicet primum Alexandrinum, secundum Antiochenum, tertium Hierosolymitanum, quartum Constantinopolitanum, quatuor ecclesias Romæ pro his quatuor patriarchis designarunt : nempe pro primo ecclesiam D. Pauli, pro secundo S. Mariæ Majoris, pro tertio S. Laurentii, pro quarto D. Petri; ut si forte patriarchæ, conciliorum, vel aliorum negotiorum causa Romam ventitarent, sua in ecclesia decenter degerent. Ecclesia vero S. Joannis Lateranensis addicta erat supremo Urbis et orbis Patriarchæ, videlicet Vicario Christi Domini, quia quatenus Romanus episcopus est, suam ibi cathedralem habet; unde ad mille annos ibidem Pontifices diversati sunt. Summa itaque a Romanis veneratione habitæ fuerunt hujusmodi quinque patriarchales ecclesiæ, ipsæque continenter magna pietate ac frequentia invisebantur. Quia vero in earum visitatione opus erat per duas alias celeberrimas transire, scilicet per ecclesiam SS. Fabiani, et Sebastiani, ubi est cœmeterium innumerorum martyrum, et per ecclesiam S. Crucis, ubi valde magnum Crucis Domini frustum sancte colitur; idcirco septem istæ ecclesiæ una omnes visi-

Digitized by Google

tari consueverunt. Hinc, ut ad tantum pietatis opus fideles excitarentur, supradictæ aliæque innumerabiles indulgentiæ fuerunt a Romanis Pontificibus dictis ecclesiis concessæ. Sic ex Sanctarello, cap. 16 de Jubilæo, refert sapientissimus P. Viva de Jubilæo, q. 4, art. 2, num. 2 et 3. Advertendum tamen est quod stationum ordo pro dictis ecclesiis nunc observandus est, ut in Missali novo, et assignatus supra art. 4, sub num. 17; Vide ibi per tot. dict. num. 17.

(26. Visitantes duodecim vicibus pro quolibet anno per ordinarium specificatis, septem altaria ab eodem ordinario designata in aliqua ecclesia habente indultum apostolicum (quod solet concedi ad septennium), lucrantur pro qualibet vice id egerint omnes et singulas indulgentias quas lucrarentur si personaliter visitarent septem altaria sita et ad id designata in basilica principis apostolorum de Urbe. Sic patet ex formula brevis seu indulti a Sede Apostolica soliti concedi et pro sua benignitate jam concessi pro visitantibus septem altaria sita et designata in hac nostra ecclesia Sancti Bernardini civitatis Alexandriæ, prout explicat breve seu indultum apostolicum in Archivio hujus conventus asservatum.

(27. Ex concessione Bonifacii VIII, confirmata a Benedicto XII, uti legitur in quodam marmore posito in ecclesia S. Joannis Lateranensis Romæ, consequuntur octoginta annos indulgentiæ omnes recitantes sequentem Orationem:

Domine Jesu Christe, Pater dulcissime, rogo te ut amore illius gaudii quod dilecta Mater tua habuit quando apparuisti ei in illa sacratissima nocte Paschæ, et per illud gaudium quando te vidit glorificatum Divinitatis claritate, quatenus me illumines donis Spiritus sancti, ut tuam voluntatem adimplere valeam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis, et regnas, etc.

(28. Qui vere pœnitentes et confessi matutinali officio festi Corporis Christi intersunt aut illud recitant, lucrantur 100 dies indulgentiæ; item 100 pro primis et 100 pro secundis vesperis; item 100 qui celebrant missam aut eidem assistunt. Qui vero primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completorii officiis intersunt, pro qualibet ipsarum horarum 40 dies. Illi autem qui per octavam illius festi, matutinalibus, vespertinis, missæ, ac prædictarum horarum officiis intersunt, 100 dies singulis ipsius octavæ diebus, ex concessione Urbani IV, constit. incip. *Transiturus*, qui anno 1262 festum SS. Corporis Christi celebrandum instituit. Martinus vero V, anno 1429, const. incip. *Ineffabile*, supradictas indulgentias ampliavit, id est 200 dies pro missa, 200 pro matutino, 100 pro utriusque vesperis festi, et pro qualibet hora privata 50 dies. Infra octavam autem, pro singulis matutinis, et missis, et vesperis 100 dies, ac pro horis privatis 40 dies. Tandem Eugenius IV, anno 1433, constitut. incip. *Excellentissimum*, relatas Martini V indulgentias duplicavit, tam pro festo quam pro octava; in summa omnibus inclusis,

dictæ indulgentiæ pro matutino, missa, et utrisque vesperis festi, sunt 400 dies pro unaquaque actione; pro qualibet horarum privatarum 160 dies; et in quibuslibet octavæ diebus, pro singulis matutinis, vesperis, et missis, 200 dies, ac pro reliquis horis 80 dies; et pro interessentibus processionibus 200. Vide Compendium Privilegior. Fratrum Minorum, et aliorum verb. *Indulgentiæ quoad sæculares*, § septimo, post num. 2, vers. *Istæ Indulgentiæ*, Bullarium Cherubini et Wadingum suis respective locis et annis.

Easdemmet indulgentias lucrantur interessentes officiis et missis festi et totius octavæ Conceptionis immaculatæ B. M. V., et respective recitantes ac celebrantes, ex concessione Sixti IV, anno 1476, const. incip. *Cum præexcelsa*.

Item easdem indulgentias lucrantur dicentes 5 *Pater* et *Ave*, ac simul assistentes officio et missæ festi SS. Nominis Jesu, et respective recitantes ac celebrantes, ex concessione Clementis VII, anno 1530, constit. incip. *Salvatoris*.

Item easdem indulgentias lucrantur interessentes officio et missæ festi Transfigurationis D. N. J. C., et respective recitantes et celebrantes, ex concessione Callisti III, anno 1457.

Assistentes matutino, missæ, et vesperis Visitationis B. M. V., lucrantur 100 dies indulgent.: cæteris autem horis 40, et sic respective recitantes et celebrantes, ex concessione Bonifacii IX, an. 1390.

(29. Quoad indulgentias attendenda est constitutio Benedicti XIII incip. *Salvatoris*, edita 28 Aprilis 1725, in qua conceditur Christifidelibus omnibus facultas applicandi indulgentias anno jubilæi durante suspensas, per modum suffragii animabus defunctorum.

(30. Alia ad rem, vide verb. *Jubilæum*.

(31. Indulgentiæ per visum a Domino acceptæ non admittuntur sub fide referentis: Benedict. XIV, tom. I, constit. 141, incip. *Sollicitudini*, § 40. (32. Indulgentia centum dierum conceditur recitantibus genibus flexis singulis feriis sextis quinquies orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam, ad sonum campanæ hora tertia post meridiem, in memoriam passionis et agoniæ Domini nostri Jesu Christi. (33. Idem const. 9. incip. *Ad Passionis*, ubi injungit, et in virtute S. obedientiæ mandat ob id parochis, rectoribus, aliisque quocunque nomine appellatis superioribus, ut campanam uniuscujusque ecclesiæ hujusmodi pulsare faciant tali hora.

(34. Indulgentiæ concessæ visitantibus ecclesias Urbis per octavam sanctorum apostolorum Petri et Pauli ab eodem Pontifice, constit. 83, incip. *Admirabilis*, referuntur in tom. II, ad verb. *Cappella*: vide ibi. (35. Indulgentia plenaria conceditur pro ecclesia patriarchali Maronitarum quater in anno, et pro aliis cathedralibus ejusdem nationis bis in anno: idem, constit. 79, incip. *Nuper*, § 11.

(36. Indulgentiarum communicatio inter confratres B. M. V. de monte Carmelo et

Digitized by Google

Tertiarios Capuccinorum S. Francisci revocatur : idem, const. 94, incip. *Romanus Pontifex.*

(37. Indulgentia centum dierum concedi potest a cardinali majori pœnitentiario omnibus Christifidelibus qui se pœnitentiali virga tangendos, pie reverenterque in tribus Urbis basilicis ipsi submiserint : idem, constit. 95, incip. *Pastor bonus.*

(38. Indulgentiæ visitantibus ecclesiam concessæ acquiri possunt absque eo quod sanctissimum Sacramentum expositum sit : idem, tom. II, constit. 5, incip. *Accepimus in Civitate.*

(39. Indulgentia plenaria in articulo mortis applicari conceditur auctoritate apostolica ab episcopis et ordinariis inferioribus, etiam per alios subdelegatos : idem, constitut. 34, incip. *Pia Mater.*

(40. Ad eam acquirendam injungitur specialiter ægris moribundis acceptatio mortis in spiritu resignationis : idem, ibid. Vide tom. V, verb. *Moribundus*, sub n. 38.

(41. Indulgentia plenaria conceditur per omnes ecclesiasticæ ditionis diœceses iis qui confessi et sacra communione refecti, sanctissimum Sacramentum expositum visitaverint diebus bacchanalibus : idem, const. 45, incip. *Inter cætera.*

(42. Præfatam indulgentiam ad omnes ecclesias catholici orbis pro triduo expositionis SS. Sacramenti, in hebdomada sive Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, vel in singulis prædictis hebdomadis, vel in sola feria V infra hebdomadam Sexagesimæ, nuperrime extendit Clemens XIII, ut patet ex sequenti declaratione sac. congr. Indulgentiar., videlicet :

« Cum alias san. memoriæ Bened. XIV, ad frequentes episcoporum pontificiæ ditionis querelas, gravioribus abusibus qui bacchanalium tempore irrepserant, opportunoque remedio occurrere concupierit, perspexeritque in aliquibus ecclesiis salutari consilio institutam esse Sanctissimi Eucharistiæ sacramenti expositionem per tres dies, sive in hebdomada Septuagesimæ, sive in altera Sexagesimæ aut Quinquagesimæ ante diem Cinerum, ad hoc præcipue ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent, et in prædictis ecclesiis pie orantes divina impetrarent auxilia; universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et sacra communione refectis qui easdem ecclesias in quibus venerabilis expositio, sive in uno, sive in singulis prædictis triduis fieret, devote visitarent, indulgentiam plenariam misericorditer concessit et indulsit. Hinc SS. D. N. Clemens divina providentia papa XIII, sedulo recogitans, præfatam augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse ac deinceps fore profuturam, eamdem plenariam indulgentiam ad quascunque catholici orbis ecclesias ubicunque locorum existentes, ubi venerabilis expositio, sive in hebdomada Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, sive in singulis prædictis hebdomadis per tres dies, atque etiam, si tantummodo in feria quinta infra hebdomadam Sexagesimæ peragatur, ex uberi pontificiæ charitatis fonte benignissime extendit.

« Datum Romæ ex secretaria sacr. congregat. Indulgentiarum die 23 Julii 1765. »

(43. Docentes rudes homines publice vel privatim orationis mentalis regulam et modum ; itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos et totidem quadragenas indulgentiæ. (44. Item si assidue eo convenerint, semel in mense, vere pœnitentes et sacra communione refecti, orantesque pro more in indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur; quam pariter ita obtinent ii qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere pœnitentes et confessi, Eucharistiam sumpserint et orent pro concordia, etc. Concedente hæc omnia Pontifice in bulla incip. *Quemadmodum*, Bull. tom. II, num. 23. Vide verb. *Oratio*, n. 32.

(45. Indulgentias in forma jubilæi concessas abrogavit Clemens VIII aliique Pontifices ; quare si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia, videndum erit, num post ea decreta concessa fuerit, ut ex Tractatu de Indulgentiis P. Theodori, part. II, c. 4, § 2.

(46. Clemens XII in suo brevi dato die 14 Augusti 1736, indulgentiam plenariam die ad libitum quotannis eligenda, concessit iis qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint psal. *De profundis*, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem*, in suffragium defunctorum; dummodo, ea die confessi et communione refecti, preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties eamdem orationem ad signum campanæ recitantes, centum indulgentiæ dies consequuntur : Institut. Eccles. 61, § 5, Bened. XIV.

(47. Operæ pretium est hic addere etiam indulgentias concessas per decretum S. C. pie, et devote, atque ex corde recitantibus actus virtutum theologicarum fidei, spei, et charitatis, ut constat ex sequenti notificatione.

« Animadvertens SS. D. N. Benedictus Papa XIV quam utiles, quinimo necessarii sint ad æternam salutem theologicarum virtutum actus, fidei videlicet, spei, et charitatis ; ut omnes utriusque sexus Christifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto sac. congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ, indulgentias pro iisdem actibus a san. mem. Benedicto XIII die 15 Januarii anni 1728 concessas, benigne confirmavit, plenariam nimirum cum facultate eam fidelium defunctorum animabus applicandi, semel in mense lucrandum ab iis qui quotidie per mensem præfatos actus pie, devote, et ex corde peregerint, die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere pœnitentes, confessi, ac sacra communione refecti, pro Christianorum principum con-

Digitized by Google

cordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, ut decet, oraverint; nec non aliam similiter plenariam in mortis articulo. Ut autem commissas sibi oves ad frequentiorem hujusmodi actum usum alliceret, Sanctitas Sua, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quæ juxta ejusdem sui prædecessoris concessionem semel tantum in die consequi poterat, ad quamlibet antedictorum actuum piam, etc. ut supra, recitationem clementer extendit.

« Declaravit insuper Sanctitas Sua præfatas omnes indulgentias addictas minime esse certis determinatisque verbis, proptereaque unumquemque uti posse in recitatione dictorum actuum qualibet formula, dummodo in ea singularum virtutum theologicarum specialia motiva exprimantur.

« Datum die 28 Januarii anno 1756.

« F. J. Card. Portocarrero, Præf.

« *A. E. Vicecomes, sac. cong.*
« *Indulg. Secr.* »

(48. Addamus rescriptum ex audientia Sanctissimi, habita die 18 Januarii 1778.

« Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia PP. VI, referente me infrascripto sacræ congregationis de Propaganda Fide secretario, ad magis augenda inter fideles defunctorum suffragia, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus in quavis imperii Sinici, tum etiam Tunkini, Siami, Cocincinæ, Cambodiæ, et Ciampæ parte morantibus, qui vere pœnitentes, confessi, et sacra communione refecti, pie ac devote Deum oraverint pro animabus in purgatorio detentis, vel ea die in qua Commemoratio celebratur omnium Fidelium defunctorum, vel in qualibet alia die infra octavam ejusdem Commemorationis, plenariam indulgentiam applicabilem quoque per modum suffragii iisdem animabus, ac semel tantum in prædictis diebus lucrandam, benigne in perpetuum concessit. Illis autem qui vel in ipsa Commemoratione vel in reliquis ejusdem octavæ diebus, corde saltem contriti, pro animabus ipsis aliquas ad Deum preces effuderint, partialem septem annorum ac totidem quadragenarum indulgentiam applicabilem et lucrandam, ut supra, in perpetuum similiter est impertitus. Quam etiam partialem indulgentiam pari modo applicabilem Sanctitas Sua voluit ac declaravit, ut præfati Christifideles consequi valeant ter in quolibet mense cujusvis anni; dummodo corde saltem contriti pro ipsis animabus devote precentur.

« Datum Romæ ex ædibus Sac. Congr. de Prop. Fide, die et anno quibus supra.

« *Stephanus Borgia, sac. congregat.*
« *de Propag. Fide secret.* »

(49. An superiores cujuscunque ordinis sive instituti, cæterique habentes facultatem communicandi privilegia, etc., possint privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro sui arbitrio in aggregationibus : *Sacra cong. Indulgentiar., die 5 Februar. 1748, in respons. ad primum dubium respondit* negative. Vide verb. *Altare privilegiatum*, sub n. 29.

(50. An indulgentiæ concessæ ecclesiis alicujus ordinis, congregationis, vel instituti, censeri debeant concessæ etiam ecclesiis tam parochialibus quam non parochialibus ab ejusmodi ordine, etc., dependentibus, sive a monachis, aut fratribus, vel religiosis respective administrari solitis : *Sacr. Congr. Indulg.*, etc., *die 30 Julii 1748 respondit* negative. Vide decretum præfatæ congreg. desuper editum verb. *Altare privilegiatum*, sub n. 29, 2 loco.

(51. Ejusdem sac. congreg. Indulgentiar. decreta, quorum primo omnibus ecclesiis parochialibus orbis Christiani altare privilegiatum quotidianum conceditur; altero vero missæ omnes quæ in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ubicunque et a quocunque sacerdote celebrantur, indulgentiis donantur perinde ac si ad altare privilegiatum celebrarentur. Vide dict. verb. *Altare privilegiatum*, sub n. 33 et 34.

(52. Neque omittenda facultas impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria Christifidelibus in locis missionum in mortis articulo constitutis a Clemente XIV concessa.

« Ne Christifidelibus in locis missionum in qualibet orbis parte degentibus et in ultimo vitæ discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint quæ catholica pia mater Ecclesia filiis suis a sæculo recedentibus solet misericorditer impertiri : SS. D. N. Clemens, divina providentia papa XIV, me infra scripto sacræ congregat. de Propaganda Fide referente, in audientia habita die 5 Aprilis 1772, pro eximia charitate qua illos paterne complectitur, omnibus et singulis RR. PP. DD. patriarchis, archiepiscopis, episcopis, vicariis apostolicis, necnon RR. præfectis, seu superioribus missionum, tam cleri sæcularis quam regularis in locis missionum ut supra modo existentibus, seu quocunque tempore exstituris, peramanter concedit facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus prædictis ad extremum agonem redactis, cum ea etiam extensione, ut facultatem hujusmodi sacerdotibus et respective missionariis eorum jurisdictioni subjectis, pro locis tamen suarum diœcesum vel pro missionum districtibus tantum communicare possint et valeant : dummodo in hac benedictione impertienda servetur formula præscripta a san. mem. Benedicto XIV, in Constitutione data 9 Aprilis 1747, quæ incipit *Pia Mater* inferius registranda.

« Quoniam autem facile continget ut aliqui ex prædictis Christifidelibus ex hac vita decedant quin Ecclesiæ sacramentis fuerint muniti et absque Sacerdotis cujuslibet assistentia; ideo Sanctitas Sua, de uberi apostolicæ benignitatis fonte, etiam illis plenariam indulgentiam elargitur, si contriti nomen Jesu, corde saltem, invocaverint et mortem de manu Domini, ea qua decet Christiana

Digitized by Google

animi demissione et spiritus humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quæ postrema decreti pars, ut Christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis diœcesibus ac missionibus antistites et superiores memorati identidem, et præsertim sanctæ visitationis tempore, publicare curent ac satagant.

« Datum Romæ, ex ædibus sac. congreg. prædictæ, die 5 Aprilis 1772.

« *Stephanus Borgia, sac. congreg.*
« *de Propaganda Fide secr.* »

(53. Modus *a san. mem. Benedicto XIV approbatus et pro opportunitate temporis servandus, ut infra in rubricis notatur, ad impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis, ab iis qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.*

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ et extremæ unctionis, illis infirmis qui vel illam petierint dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguæ cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum ubi jacet infirmus, dicat : *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea,* ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, si commode haberi poterit, dicendo antiphonam : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor ; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat ; tum instruat, atque hortetur ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque se paratum offerat ad ultro acceptandum quiquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Postea dicat :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Antiph. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui* (vel *ancillæ tuæ*), *neque vindictam sumas de peccatis ejus.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Salvum fac servum tuum* (vel *ancillam tuam*).
℟. *Deus meus, sperantem in te.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam;*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum;*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem (vel *ancillam tuam N. quam*) *tibi vera fides et spes Christiana commendant. Visita eum* (*eam*) *in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Tum dicto a clerico si præsens sit, vel ab ipso Sacerdote *Confiteor*, idem sacerdos prosequatur :

Misereatur tui omnipotens Deus, et amissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Deinde.

Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam quam in baptismate recepisti, et ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo : in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut omnium præmissarum precum recitandarum tempus non suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

(54. Tandem ad complementum hic juvat adducere sequentem tabulam traditam in Cæremoniali Seraphico impresso Mediolani anno 1744, typis Donati Grisolfi, par. III, cap. 19, ibi.

Tavola *de' crepuscoli della sera durante i quali* (*come nota il Calendario Romano*) *durano le indulgenze concedute insino al tramontar del sole*

1 gennaio. Ora una e un quarto all'orologio della campana.
25 febbraio. Ora una.
1 aprile. Ora una e un quarto.
1 maggio. Ora una e mezzo.
1 giugno. Ora una e tre quarti.
13 luglio. Ora una e mezzo.

Digitized by Google

26 agosto. Ora una e un quarto.
17 settembre. Ora una.
1 novembre. Ora una e un quarto.

APPENDIX

SIVE NOVUS DE INDULGENTIA ARTICULUS

Si propriis in locis additæ fuissent, juxta monitum censorum, adnotationes, omittere hunc articulum potuissem; sed cum me absente typis jam consignata fuerint quæ auctor de Indulgentiis disputat, sine debitis animadversionibus quibus notatæ a censoribus propositiones indicarentur, exponerentur, vel confutarentur, et cum nonnullæ quoque desiderentur ad perfectam declarationem ecclesiasticæ circa Indulgentias disciplinæ, novum hunc addere articulum operæ pretium fuit; in quo articulo paucis explicatur : *Quid Indulgentia sit, et quinam in antiqua Ecclesia ejusdem fuerit usus, quæque variandæ disciplinæ causa; ac Ferrarianæ illæ opiniones quæ minus tutæ vel falsæ visæ sunt refelluntur : et nonnulla decreta recensentur.*

I. Indulgentiæ itaque nomine intelligitur *remissio pœnæ temporalis, quæ remissa jam culpa luenda foret, in foro interno coram Deo valida, facta extra sacramentum per applicationem thesauri Ecclesiæ ab eo qui potestate præditus sit.* Definitio quatuor complectitur partes indulgentiæ essentiales. Primo enim indicat, remissa culpa, superesse posse ac solere pœnam peccato, ita exigentibus divinæ justitiæ legibus, debitam atque in præsenti vel in futuro sæculo luendam. Secundo remissionem hanc valere etiam coram Deo, ita ut quam Ecclesia modo condecenti condonare velit pœnam, Deus non amplius exigat. Tertio ait per applicationem thesauri Ecclesiæ hanc fieri remissionem. Thesaurus vero Ecclesiæ bona spiritualia sunt, quorum distributio Ecclesiæ concredita est. Bona hæc sunt merita Christi Domini et sanctorum omnium atque fidelium. Sanctorum autem merita in Ecclesiæ thesauro collocantur, non ut quidpiam addatur meritis Christi Domini, quæ infinita sunt, et quidquid meriti est in sanctis, gratia ex illis prodeunte efficiunt; sed ut pateat sanctorum communio in Ecclesia, quæ est corpus mysticum Christi Jesu, et ipse ejusdem Caput, quod perficit membra sua, quibus veluti instrumentis utitur, communicando illis Spiritum et omnem salutarem motum per gratiam suam. In hac definitione non determinatur modus quo thesauri applicatio fieri debeat; quo fit ut ad indulgentiæ substantiam sufficiat aliquo modo fieri hanc applicationem, vel ex parte saltem præcipua thesauri, quæ in Christi meritis sita est; non enim necessario requiritur ut simul fiat ob merita sanctorum, ut post Bellarmin. notavit clariss. Amort, in Hist. Indulg., quamvis laudabiliter ita fiat, ac primis quoque Ecclesiæ temporibus, in indulgentiis, non tantum meritorum Christi, sed etiam sanctorum habita ratio fuerit. Quarto tandem designatur applicationem hanc ab eo fieri oportere cui regendæ Ecclesiæ, ligandi, et solvendi, atque clavium potestas concessa fuit. Huic enim bonorum Ecclesiæ administratio concredita fuit.

II. Disputare theologi solent concurrant ne merita dicta ad indulgentias per modum impetrationis an solutionis; sed levis momenti est hujusmodi quæstio, atque utroque modo concurrere probabilius videtur. De priori modo nulla controversia est; quod vero secundo modo concurrant, facile patet. Nam justi non pro se tantum, sed pro aliis satisfacere valent quantum ad debitum pœnæ temporalis; imo et mereri de congruo possunt peccatoribus pœnitentiæ donum. Hæc autem justi non præstant, nisi in virtutem meritorum Christi, cujus spiritu aguntur tanquam membra viva. Etenim, Augustino teste, lib. contra Parmen., *Hic est unus verusque mediator noster et advocatus, pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus aliquando quidem per membra corporis sui, quæ pro se invicem sollicita sunt.*

III. Orthodoxa fides docet, ut optime auctor ostendit, in Ecclesia potestatem esse concedendi indulgentias, earumque usum salutarem fidelibus esse. Nam Ecclesiæ ligandi et solvendi, remittendi peccata, et clavium potestas concessa est, et quæ ipsa remittit vel solvit in terris, remissa et soluta habentur in cœlis, ut ex dictis constat. Ex iis vero Patres omnes colligunt collatam apostolis eorumque successoribus potestatem injungendi pœnitentibus satisfactorias pœnitentias, et relaxandi : Patrum testimonia obvia sunt. Usus vero indulgentiarum ex perpetua et constanti traditione comprobatus rem ulterius confirmat. Paulus enim II ad Corinth. II, erga incestuosum Corinthium hac usus est indulgentia, *ne*, inquit, *abundantiori tristitia absorberetur.* Quæ verba Chrysost. hom. 11, in II ad Corinth. ita exponit : *Ex ea re docemur quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque pœnitentium oportet moderari disciplinam.* Indulgentias præterea secundo Ecclesiæ sæculo probavit Tertull. antequam ad montanistas transisset, in lib. quem scripsit ad Martyres, cap. 1. S. Cyprianus pluries scribit ad martyrum preces Ecclesiam in more habuisse remittere pœnas pœnitentibus. Usus præterea indulgentiarum in antiqua Ecclesia constat etiam ex relaxatione pœnitentiæ quæ fiebat ab episcopis in Cœna Domini iis qui per sacramentalem absolutionem initio Quadragesimæ a presbyteris absoluti fuissent, ut pluribus ostendit Amort op. cit. dissert. prælim., § 11.

IV. Ex antiquo Ecclesiæ usu constat hanc relaxationem pœnæ canonicæ validam fuisse etiam coram Deo. Primo, quia episcopi in relaxatione pœnæ canonicæ utuntur deprecatoria formula simili illi qua absolutionem sacramentalem concedebant, et in utraque absolutionem petebant a peccatis in remedium animæ, ut videre est in antiquo Ordine Romano. Secundo, quia tempore sancti Cypriani fideles putabant se liberari a Numinis vindicta et ira Dei, si mar

Digitized by Google

tyrum intercessione obtinuissent relaxationem pœnæ canonicæ, ut legere est in Cypr. ep. Tertio, qui Tertull. jam montanista, lib. de Pudic. c. ult., testatur hanc fuisse universalem Ecclesiæ persuasionem, ut meritis ac satisfactionibus martyrum peccata remitterentur, sive pœnæ peccatis debitæ. Idem præterea constat ex ep. cleri Rom. ad Cypr., et ex S. Ambr. lib. de Pœnit. c. 6 et ult., ubi ait. « Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum, et fletu, et oratione, et dolore est, et quasi fermento ejus se totam conspergat, ut per universos ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, viritim misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur. » Ex eodem de pœnitentia lib. 1, cap. 3, habemus, fieri consuevisse remissionem pœnæ canonicæ in primitiva Ecclesia ob intercessionem et merita sanctorum; et ex Tertulliano lib. de Pœnit., c. 9, aliisque.

V. Indulgentiæ remittunt pœnam temporalem, sive injunctam sive, injungendam. Audiatur S. Thomas in Supplem. q. 25, art. 1. « Quidam dicunt quod non valent ad absolvendum a reatu pœnæ quam quis in purgatorio secundum Dei judicium meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione qua sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam obligatur etiam ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est, *ut quod in terra remitteret, in cœlo remitteretur*: unde remissio quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent, et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. » Ita theologi omnes, et quidem jure meritoque. Nam potestas Ecclesiæ collata Matthaei XVI absoluta est et nulla limitatione circumscripta; neque in traditione fundamentum est ullum quo restringere cogamur hanc potestatem ad pœnas in sacramento injunctas, vel per canones constitutas. Et quamvis aliquando hac reperiantur concessæ formula indulgentiæ *de pœnis injunctis*, communiter tamen absque hac formula concessæ reperiuntur a Bonif. VIII in extr. *Antiquorum*, a Clem. VI in extr. *Unigenitus*, a Sixto IV in const. *Quemadmodum*, et ab aliis Summis PP. qui plenissimas indulgentias concedunt, hoc est, quantum se extendit eorum potestas. In hypothesi quod concedantur indulgentiæ sub hac formula de injunctis, card. Bellarm. c. 7, lib. II de Indulgent., negat. illas extendi ad pœnas injungendas; sed Suarez et alii bene multi affirmant.

VI. De indulgentiarum origine et variatione hæc Mabillonius scribit. Indulgentiarum triplex quasi gradus considerari potest:

Unus tempore apostolorum, qualis fuit relaxatio ab excommunicatione incestuoso illi Corinthio inflicta per apostolum Paulum; secundus tempore martyrum, cum ad eorum preces publica quibusdam pœnitentia remittebatur; tertius, sub defectu pœnitentiæ publicæ, quæ sæculo IX non parum minui cœpit. Ab eo tempore datæ sunt ad remissionem pœnæ peccatis impositæ aut debitæ quædam indulgentiæ, aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per ea tempora pœnitentiæ publicæ usus, sed ea redimi vel missis, aliisque suffragiis, vel eleemosynis, vel sacris peregrinationibus, aut piis operibus poterat. Patribus concilii Cloverhovisiensis anno 747 visa est nova pœnitentiæ per eleemosynas redemptio, *nova adinventio, periculosa consuetudo;* sed paulatim redemptio prævaluit. Postea vero compendiosior visa est indulgentiarum via. Istæ mortuis primum concessæ videntur. Nam Joannes Papa VIII indulgentiam his qui in bello contra paganos anno 878 occubuerunt vel in futurum occumberent concessit, eamdemque gratiam petiere Bajoariæ episcopi pro Arnulpho imperatore mortuo, a Joanne IX, cujus animam ipsius potestate absolvi postularunt. At vivis Salomon Constantiensis episcopus in Cœna Domini indulgentiam dedisse perhibetur apud Ekkehardum, id est absolutionem quæ in Cœna Domini quotannis ab episcopo impertiri solebat. Sed alia est indulgentiarum notio, cum peccatorum pœna, vel partim, vel omnino remittitur, unde plenariæ indulgentiæ, aut definiti temporis dicuntur. Si fides scholasticis habenda foret, concessæ hac ratione indulgentiæ fuere a Sergio II, qui indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum omnibus visitantibus ecclesiam SS. Silvestri et Martini in Montibus, concessisse traditur; a Gregorio Magno, quem septem annos de indulgentia concessisse perhibent in stationibus Romæ ab ipso constitutis, imo et a Silvestro. Sed hi, etsi maximi theologi habeantur, tamen infelices passim sese ostentant historicos, et fidem hac in re non merentur, ut optime ostendunt Mabillonius in Præf. ad Sæculum II Benedictinum; Papebrochius in Conatu Chronologico historico, dissert. 16, aliique eruditissimi viri, qui luculenter ostendunt indulgentiarum usum qua ratione hodie in Ecclesia conceduntur, undecimo sæculo antiquiorem non esse.

VII. Certo constat Alexand. II, an. 1070, peracta Lucensis ecclesiæ dedicatione, statuisse, *ut octo dierum spatio dedicationis memoria perageretur, concessa indulgentia pœnitentiæ;* ut habetur in codice ms. ejusdem ecclesiæ in Vaticana bibliotheca asservato. Sed deest ibi specificatio ipsius indulgentiæ, quæ tamen habetur in quadam Honorii II bulla; in qua iis qui intra novem dies ad celebritatem convenissent consecrationis ecclesiæ Casæmarii, *de Illius pietate confisi cujus est peccatorum remissio, de injunctis pœnitentiis annus unus misericorditer relaxatur.* « Hæc erat indulgentia maxima, inquit

Digitized by Google

Papebrochius. Postea cœperunt alii ad annorum numerum ampliorem addere etiam quadragenas. » Circa hæc eadem tempora concedi cœperunt indulgentiæ basilicæ Vaticanæ, quas recenset Nicolaus IV in bulla relata ab Onuphrio Panvinio in libello de Septem Ecclesiis Urbis, per hæc verba : « Sicut ad nos, tam ex scriptis antiquis in basilica ipsa repertis quam ex seniorum canonicorum ejusdem Basilicæ relatione pervenit, Prædecessores nostri, omnibus vere pœnitentibus et confessis, ad eamdem ecclesiam venientibus reverenter, videlicet in Nativitate Domini, septem annorum et septem quadragenarum, et ab octava Pentecostes hinc ad festum B. Petri... die quolibet, trium annorum et trium quadragenarum,... a principio Quadragesimæ usque ad festum Paschæ quolibet die, necnon in festivitatibus B. Mariæ, unius anni et quadraginta dierum remissiones suorum peccatorum concesserunt. » Has Nicolaus Pontifex ratas habuit; et deinceps confirmavere atque auxerunt Bonifacius VIII, Clemens VI, Urbanus VI, Nicolaus V, et alii Summi Pontifices, ut inquit idem Panvinius. Circa finem undecimi sæculi occurrunt quoque indulgentiæ concessæ proficiscentibus ad bellum sacrum, aut certe ad illud contribuentibus. En canon 2 concilii Claromontani, Urbani II auctoritate celebrati : *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.* Vide catalogum harum indulgentiarum apud Amort op. cit. part. II, pag. 36 et sequent. Habes itaque indulgentiarum originem, varietatem, atque initium illarum, quæ nunc ampliores etiam conceduntur.

VIII. Inquirendum modo est, *An disciplina Ecclesiæ circa usum indulgentiarum subierit variationem quoad substantiam.* Responsionem transcribendam duxi ex P. Eusebio Amort, qui ait Ecclesiam in collatione indulgentiarum retinuisse semper eumdem spiritum et disciplinam quoad usum, invariatam quoad substantiam mansisse. Idque comprobat ex comparatione veterum recentiumque indulgentiarum, quo recensemus ordine.

1° Antiquitus relaxatio pœnæ fiebat quando pœnitentes admittebantur ad sacram communionem. Nunc etiam ordinaria indulgentia connectitur cum sacra communione, quia ordinarie ad lucrandam indulgentiam requiritur communio.

2° Antiquitus, in articulo mortis fere omnes habebant plenariam indulgentiam, quia omnes admittebantur ad sacram communionem, sicque *ad Dominum dimittebantur*, licet pro foro externo, dein, si reconvalescebant, debuerint supplere opera pœnitentiæ. Nunc etiam omnes fideles in articulo mortis, si voluerint uti gratiis apostolicis per aggregationem in confraternitates, habent similiter plenariam indulgentiam.

3° Antiquitus indulgentiæ non poterant conferri nisi ab episcopis; nunquam autem a presbyteris, nisi haberent concessionem ab episcopo. Nunc etiam plenariæ non applicantur nisi ex commissione Summi Episcopi : v. g. dum indulgentiam in articulo mortis, vel alias per specialem formulam pœnitenti applicant, qui mos jam a multis sæculis invaluit.

4° Antiquitus omnibus ad omne opus bonum apertus stabat thesaurus Ecclesiæ ex communione justorum omnium non restricta a pastoribus Ecclesiæ, et specialiter impensa per preces ac vota antistitum. Nunc etiam ad omne opus bonum in confraternitatibus apertus stat thesaurus Ecclesiæ per applicationem specialem alicujus indulgentiæ

5° Antiquitus offerebantur ab Ecclesia pro pœnitentibus ac aliis specialiter participantibus de thesauro Ecclesiæ justorum intercessiones et opera. Idem nunc per prælatos fit, qui concedunt indulgentias, ut Deo offerant de thesauro Ecclesiæ.

6° Antiquitus episcopi habebant potestatem relaxandi partem pœnitentiæ, non totam. Nunc etiam jam a multis sæculis non habent potestatem indulgentiam concedendi excedentem 40 vel 100 dies.

7° Antiquitus requirebantur opera ardua ad obtinendam indulgentiam. Nunc etiam pontifices, ut in decursu probabitur, jam sæpius declararunt se nolle applicare plenum fructum indulgentiarum nisi iis qui se per opera pœnitentiæ congrue disposuerint ac dignos reddiderint.

8° Antiquitus modum indulgentiarum ac relaxationum ex tacito consensu summi Pastoris regulabat frequenter communis sensus et consuetudo Ecclesiæ; et quando oriebatur dubium, aut fiebat excessus in rigore, aut laxitate, apponebant limites summi Antistites Ecclesiæ. Sic enim Zephirinus indulsit primus mœchis veniam, ut testatur Tertullianus; et Nicolaus primus præscripsit modum relaxationum pœnitentialium episcopis Germaniæ, ut patet ex ejus epistola, quam dum lustrarem bibliothecas Bavariæ reperi in manuscripto codice sæculi duodecimi, in canonica ad S. Nicolaum Passavii, estque hactenus inedita.

9° Antiquitus ex toto orbe concurrebatur ad sepulcrum BB. apostolorum Petri et Pauli, ut ostendit P. Gretserus l. II de Peregrinationibus cap. 9, 10, 11, 12, 13, 14 et 15. Omnes gentes eo confluebant ut obtinerent patrocinium principis apostolorum, ut testantur Chrysostomus, Augustinus, Fortunatus, Gregorius M., etc. Confluebant præcipue ut obtinerent relaxationes pœnæ canonicæ, ut testatur concilium Cabilonense II, anno 815, et postmodum Selegustadiense. Nunc autem, dum plerisque, ob alium statum politicum regnorum, et divisionem linguarum post Romanæ linguæ interitum, non amplius datur tam facilis accessus Romam, summus Pastor præstat absentibus quod præsentes requirere non possunt beneficium, et ut in suis bullis communiter exprimit, *confisus de omnipotentis Dei misericordia, et BB. apostolorum Petri et Pauli orationibus,*

Digitized by Google

cuivis pro modo suæ congruæ dispositionis relaxat facinora.

10° Antiquitus relaxabantur, v., g., septem anni, vel integra quadragesima, et sensus erat quod peccatum cui talis pœnitentia debebat injungi foret ab omni pœna liberum. Nunc similiter relaxantur, v. g., septem anni, vel 40 dies, seu, quod idem est, Carema, aut Quadragesima. Sensus autem est, ut mihi videtur, quod peccatum, cui talis pœnitentia secundum canones deberet injungi, sit ab omni pœna liberum; vel, ut aliis videtur, quod tantumdem pœnæ in purgatorio luendæ quantum talis pœnitentiæ neglectui responderet, relaxetur. In quo iterum nulla est differentia, cum antiquitus indulgentiæ pariter valuerint coram Deo.

Objicies primo. Manifestum est quod per copiosas indulgentias nervus disciplinæ ecclesiasticæ et rigor satisfactionum pro peccatis sit penitus enervatus. Antiquitus enim non conferebantur, nisi post laboriosam et longam pœnitentiam : nunc dantur pro levissimis operibus, et creberrime. Ergo per has indulgentias introducta est enormis mutatio in Ecclesia.

Respondeo, antiquitus pro iis hominibus qui pro peccatis occultis non voluerunt ultro subire publicam pœnitentiam, ad quod non obligabantur, ut P. Francolinus l. II de Pœnit. ostendit, tot imo plures fuisse indulgentias plenarias quam nunc; quia omnes isti pœnitentes statim absolvebantur, et, si volebant, statim admittebantur ad communionem; nec illis imponebatur ille antiquus ordo longus pœnitendi, nisi consilii causa, quia alias non essent promerituri largitatem indulgentiæ ac plenitudinem remissionis, quod ipsum per modum dispositionis etiam in modernis indulgentiis requiritur, prout in hoc opere probabitur. Quod vero attinet rigorem illum pœnitentiarum veterum pro peccatis publicis, dico, neque in hoc mutatum esse spiritum Ecclesiæ; quia Ecclesia illum rigorem non assumpsit, ut convenientem statui Ecclesiæ perfecto, sed ut necessarium statui imperfecto, adeoque illum usurpaverit ut abjiciendum, non ut retinendum. Hanc meam assertionem probo ex doctrina D. Cypriani, omnium Patrum rigorosissimi, qui dum, reddita pace Ecclesiæ, rigorem suum plurimum temperavit ut de hac sua moderatione tanquam de inconstantia fuit reprehensus, hanc reddidit rationem, quod rigor fuit Ecclesiæ utilior tempore persecutionum ad conservandam honestatem Ecclesiæ coram gentibus ubique commixtis; sed benignitas tempore pacis sit utilior in plures. Idipsum contingere in moderna benignitate postmodum ostendam. Interim D. Cyprianum audiamus, ep. 52 sic habet : « Quoniam de meo actu motus videris, mea apud te persona et causa purganda est, ne me aliquis existimet a proposito meo leviter recessisse; et cum evangelicum rigorem primo inter initia defenderim, postea videatur animum meum a disciplina et censura priori flexisse, ut his qui libellis conscientiam suam maculaverint, et nefanda

sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverim; quod utrumque non sine librata diu et ponderata ratione a me factum est. Nam, cum prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu et pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, et lapsorum mentes animandæ, ut pœnitentiæ viam non solum sequerentur, sed et ad martyrii gloriam provocarentur. — Sed, persecutione sopita, temperamentum salubri moderatione liberavimus; ut nec in totum spes, communicationis lapsis denegaretur, nec plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent, nec tamen censura evangelica solverentur. Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa (*idipsum nobiscum statuentium*) numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium (*Papam*), qui et ipse cum plurimis coepiscopis, habito concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse nunc fuit scribere, ut scias me nihil leviter egisse, sed nemini ex lapsis communicasse, quando erat (*occasio*) ut lapsus coronam acciperet; postea tamen, sicut medendi vulneris utilitas exigebat, necessitati temporum succubuisse et saluti multorum providendum putasse. » Hucusque D. Cyprianus, qui proin ostendit, in moderando rigore regulam esse necessitatem temporum, utilitatem multitudinis, et Romani Pontificis declarationem.

Videamus ergo nunc quomodo Romani Pontifices antiquitus utendo rigore canonum, et nunc adhibendo eam moderationem, ut pœnitentiæ severiori modum relinquant communiter cujusvis arbitrio, semper respexerint ad necessitatem temporum et utilitatem plurimorum.

1. Antiquitus Christiani vivebant permixti cum gentilibus, qui majorem concipiebant reverentiam erga Ecclesiam si viderent vitia tam severe elui. Itaque ad conciliandam hanc venerationem et conversionem gentilium, congruum erat uti tali remedio; et utilitas paucorum fidelium debebat cedere publicæ honestati Ecclesiæ.

2. Natura Christianorum plurimorum recenter ex gentilismo conversorum in populi magna parte erat adhuc nimis barbara et vitiis dedita, ut posset mille exemplis per decem prima sæcula demonstrari, talis autem natura timore, ut servilis, durius tractari debuit, quia, ut Sapiens ait : *Disciplina servo.*

3. Illis temporibus plurima scelera non coercebantur legibus civilibus, maxime fornicatio, mollities, sodomia, perjuria extrajudiciaria, blasphemiæ, et universim omnes transgressiones legum Ecclesiæ. Cum ergo Ecclesia tunc non habuerit aliud medium expurgandi Ecclesiam ab his fœcibus nisi forum pœnitentiale, debuit in isto adhibere rigorem canonum. Principes Christiani cum viderint Ecclesiam satis punire talia scelera, judicia hæc Ecclesiæ reliquerunt usque ad sæculum undecimum, nec multum curarunt

Digitized by Google

in foro externo illa crimina punire. Nunc autem, cum omnia illa crimina severe puniantur per leges principum, poterat Ecclesia agere mitius, quia non amplius erat periculum ne publice talia scelera invalescerent.

4. Antiquitus non dabantur subsidia promovendi sanctitatem in populo, prout nunc dantur; multiplicabantur scelera, et non erat efficax remedium resistendi torrenti, ne prorsus inundaret omnia, nisi timor canonum pœnitentialium; nunc autem multiplicantur clerici, ecclesiæ, parochiæ, catecheses, conciones, scholæ, libri pii, exempla sanctorum ac piorum, leges juris ecclesiastici, religiosi ordines, monasteria, quæ omnia multum fœcis ex hoc mundo exhauriunt, juventutem Christianam partim bonis moribus imbuendo, partim a mundo extrahendo, partim in exemplum suorum propinquorum constituendo. Itaque rigore tanto amplius opus non est eo tempore, quo plus inferret damni quam lucri.

5. Antiquitus non erant introductæ in populum piæ consuetudines et devotiones publicæ, quæ, dum fideles perpetuo occupant ac distrahunt, potenter a malis occupationibus avocant. Tales sunt festivitates frequentes, confessiones, comprecationes, peregrinationes, confraternitates, etc. Itaque, sicut virga e domo ejicitur, liberis jam adultis et ad sanam rationem compositis, ita antiqua disciplina non est retinenda ab Ecclesia in optimo statu constituta; neque per hoc mutatur spiritus Ecclesiæ, quia, sicut anima una remanet in corpore humano pro diversitate ætatis ac senii valde diverso, ita in Ecclesia datur quædam una ac immortalis anima legum omnium, intentio videlicet legislatoris semper respicientis ad bonum commune, ad necessitatem temporum, et ad utilitatem plurimorum.

Objicies 1. Romani Pontifices nunc habent eum modum tenendi in suis indulgentiis, quasi possent satisfactiones sanctorum dispensare cui vellent, quod antiquitus non præsumpserunt; sed contenti fuerunt solis satisfactionibus Christi.

2. Iidem nunc potestatem suam etiam extendunt ad purgatorium.

3. Ii nunc soli pro toto mundo dispensant indulgentias, quod antiquitus non legitur.

***Respondeo ad* 1**, satisfactiones sanctorum indulgentiis esse accidentales; potuerunt ergo omitti vel addi in applicatione indulgentiarum, quamvis eas ob ipsam convenientiam intrinsecam, etiam antiquitus ordinarie adhibitas fuisse, jam supra ostensum fit. Cum ergo versemur in re accidentali, mutatio quoad substantiam fieri non potuit. Quod vero hæ satisfactiones sanctorum indulgentiis sint accidentales, testatur Bellarminus lib. 1 de Indulg., cap. 4, his verbis: « Non est quidem opus ut adjungantur passiones sanctorum passionibus Christi, quasi hæ per se non sufficiant; sed adjunguntur tamen, quia æquum est ut illæ passiones non sint inanes. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus sanctorum, id est, an applicetur una pars satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus sanctorum: an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum satisfactionis passiones sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. » Ita Bellarminus.

Ad 2. *dico* indulgentias pro defunctis esse solemnes deprecationes pro defunctis, in quibus Summus Pontifex, nomine totius Ecclesiæ, pro defunctis Deo offert sanctorum et justorum opera, prout ostenditur in decursu operis. Cum ergo semper Ecclesia oraverit pro defunctis, ut ostendunt polemici, et Baronius ad annum 34, a num. 314, nihil in hoc innovarunt per indulgentias Pontifices; sed per eas solum invitant fideles ad secum comprecandum pro defunctis, et ut ad hoc facilius excitentur promittit Papa se interpositurum simul pro tali anima deprecationem Ecclesiæ, et oblaturum Deo pro illa anima sanctorum opera.

Ad 3 ***respondeo*** etiam antiquitus relaxationes tantum fuisse factas ex tacito vel expresso consensu Summi Pontificis. Quod relaxatio pro mœchis habeat originem a Zephirino Papa testatur Tertullianus; quod lapsis in idololatriam facta sit communio et relaxatio, factum est ex ***consensu*** expresso Cornelii Papæ, ut testatur D. Cyprianus epist. 52, supra relata. Et modum relaxationum etiam pro homicidis præscripsit episcopis Germaniæ Nicolaus primus, ut testatur ejus epistola hactenus inedita. Denique quod antiquitus factum est ex generali consuetudine Ecclesiæ, haud dubie vim suam habet ex consensu tacito legislatoris. Quod si ergo in similibus taciti et expressi eadem est vis, sequitur etiam antiquitus omnes indulgentias per consensum tacitum summi Pastoris Ecclesiæ substitisse. Rectius autem et clarius ea dependentia postmodum exprimi cœpit per modernam indulgentiarum formam, quia solius universalis Episcopi potestas se extendit ad omnes fideles, vi cujus tacite ipsi omnes voluntates, intentiones, et dispositiones subjiciuntur. Quod si pater potest disponere de voluntate uxoris et liberorum quoad vota, princeps de voluntate subditorum quoad contractus et testamenta, superior communitatis quoad communicationem et participationem bonorum operum de voluntate subditorum, cur non conveniens fuerit ut etiam voluntates fidelium ac intentiones tacite subordinentur voluntati Papæ, ejusque dispositioni relinquant opera satisfactoria ad expiationem propriorum criminum ob largitatem Numinis redundantia? Si autem hæc subordinatio voluntatum ad voluntatem Christi in terris Vicarii est Ecclesiæ congenita ac essentialis ob ipsum ordinem hierarchicum, nihil novationis contingere potuit, dum Princeps fidelium eam voluntatem a suorum dependentium actuali dispositione circa satisfactiones justorum superfluas, et ad Deum oblatione piorum operum manifestius exposuit.

IX. Vera indulgentiarum idea juxta sen-

Digitized by Google

sum et spiritum Ecclesiæ hæc est. Cum nos peccatores impares simus ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro debitis per peccata contractis, partem vero istius debiti per opera nostra laboriosa solvere valeamus, clementissima mater Ecclesia thesaurum nobis aperit meritorum Christi, B. Virginis, et sanctorum; ac per hujus thesauri applicationem id supplet quod ob infirmitatem et imbecillitatem reddere non possumus. Itaque indulgentiæ in infirmitatis nostræ supplementum conceduntur. Quamobrem nos non liberant ab ea solvendi debiti parte quam solvere valeamus, sed supplent id quod, attenta imbecillitate nostra, reddere non valemus. Duo ergo hic attente ponderanda sunt, ut gravissimi doctores monent: primum indulgentias valde salutares et utiles esse, quod solvunt eam debiti partem quam per temporariam pœnam in hac vita vix possumus, in altera vero gravissimis purgatorii pœnis solvere deberemus; deinde indulgentias hac ratione concessas et usurpatas non enervare Ecclesiæ disciplinam, nec fovere pœnitentium ignaviam; sed imbecillitatem nostram erigere atque juvare, et spiritum inflammare nostrum ut alacrius et celerius id quod possumus reddamus, supplendo id quod pro infirmitate reddere non valemus. Audiatur cardinalis Cajetanus, qui adversus Lutherum Ecclesiæ de indulgentia disciplinam exposuit et propugnavit, ac regulas fidelibus exhibuit. In tract. de Indulgentiis, q. 2 hæc habet: « *Sunt* (pœnitentes) *duplicis ordinis*. Quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis; quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas pœnitentias vel petunt a confessoribus sibi imponi, parati eas implere; vel sponte illas assumunt, dum continuo student per sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando, etc. Secundi vero levissimam pœnitentiam, aut rogant, aut læti suscipiunt, et cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo; et hi sunt quibus indulgentiæ non prosunt judicio meo. Nullus enim indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiæ. Sed quilibet negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita. Ergo nullus negligens satisfacere per se ipsum acquirit fructum indulgentiæ. Præterea in qualibet bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere (*quod possent*) indigni censerentur adjutorio thesauri. Ex eo enim quod possunt de suo solvere, et non curant, indignos se reddunt tali sublevamine; et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia; quoniam alii, horum exemplo, ad similem negligentiam provocarentur. Legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes pro dignis habeat; hoc enim esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt ergo indulgentiæ negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt, etc. Parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita. » Consule etiam Benigni Bossuet instruct. pro indulg. comparand. Doctiss. episcopus animadvertens in Conc. Trident. sess. 14, c. 2, definiri plenam illam et integram peccatorum omnium remissionem quam per baptismum consequimur per sacramentum pœnitentiæ obtineri non posse *sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia*, ita concreditam sibi plebem alloquitur: « *Audite, filii, Ecclesiæ matris vestræ verba.* Illa vobis proponit magnos fletus magnosque labores, baptismum laboriosum; illa vos edocet divinam justitiam id exigere. Hic Ecclesiæ rigor a suo spiritu oritur, qui nunquam exstinguetur. Nec illa unquam cessabit bellum indicere laxitati. Quid refert cum concilio mollitiem detestari hæreticorum, qui sanctos satisfactionis rigores rejecerunt, si nos in similem languorem incidamus, et id reipsa contemnamus quod verbis confitemur? » Et postquam ostendit Concilium sess. cit., c, 8, docere divinam quoque clementiam decere, ut peccata post baptismum commissa sine pœna satisfactoria non remittantur, ac pœnam hujusmodi a novis patrandis peccatis nos coercere, similesque Christo nos efficere, ideoque confessarios convenientes pœnitentias imponere oportere, satis apte concludit Ecclesiam aperire thesaurum sibi concreditum, sive indulgentias concedere, ut suppleat inopiam nostram et integrum pœnarum debitum, hac præsertim ætate nostra, in qua vix unquam pœnitentiæ criminum pravitati æquales, aut a confessariis imponuntur, aut sponte suscipiuntur a nobis, sive ob vitæ brevitatem, sive ob spiritus languorem, diminutumque charitatis fervorem. Et sane, quis in animum inducat suum ecclesiam, dum concrediti sibi thesauri divitias nobis effundit, velle aut socordiæ nostræ inservire, aut peccandi liberius ansam præbere, liberando homines a pœnis satisfactoriis quibus a peccatis coercentur, quibus passionum impetum cohibent, quibusque in charitate illa exercentur, per quam Deo satisfacere eique placere studeant?

X. Quæ cum ita se habeant, quis æquo animo ferat Lucii Ferraris opiniones, quas recenset et probat, art. 3, num. 4, et sequentibus? Quis non videat injuria seniculum conqueri de nimio Romanorum censorum rigore, qui probatas a Venetis censoribus opiniones laxitatis notant? Scribit enim sub num. 4: *Indulgentia plenaria liberat ab obligatione implendi quamlibet pœnitentiam, etiam medicinalem, sibi impositam a confessario;* ac sequentibus num. 4, id argumentis ostendere conatur. In num. vero 5 ex glossa asserit Bonifacium VIII *Noluisse confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis*

Digitized by Google

qui lucrarentur jubilæum ; et num. 8, decere quidem, at non debere confessarium pœnitentiam imponere; ac dictis similia habet n. 10. Quæ enim superiori in numero exposita sunt, non solum medicinales, sed etiam satisfactorias pœnitentias injungendas esse probant iis quoque quibus indulgentiæ conceduntur, licet satisfactoria mitior esse possit, dum eam suppleant opera injuncta ; sed hac quoque in re cauti sacerdotes esse debent ne contra Ecclesiæ mentem agant. Videri poterit Euseb Amort op. cit., ubi ex Patribus, conciliis, Summis Pontif., ac gravissimis theologis, etiam satisfactoriæ pœnitentiæ obligationem ostendit. At Lucius noster a medicinali quoque pœnitentia homines absolvit, quæ imponenda est cum grave periculum peculiare relapsus jure naturæ auferendum est. Sed ad rem veniamus. Pœnitens est qui detestatur peccata, qui a peccato abstinere proponit, qui tactus vero cordis dolore, a peccato et creaturis aversus, et conversus ad Deum esse incipit. Fac vero medicinalem pœnam necessariam eidem esse, ut in proposito stet, ut in conversione perseveret, quis dicat, hunc, indulgentiæ virtute, a medicinali hac subeunda pœnitentia liberari? Indulgentia vere pœnitentibus conceditur; at vere pœnitens non est qui implere nolit pœnitentiam, qua propositum firmetur, quaque foveatur, perficiaturque conversio, ut consideranti liquet. Rursus quodcunque peccatum lethale malignas in anima qualitates relinquit etiam post sacramentalem absolutionem. Ergo peccatores omnes medicinali indigent pœnitentia, qua ab hujusmodi morbo curentur pro criminum et status diversitate. Nec iis favet antiquorum auctoritas, qui injungendam pœnitentiam negant dum sit indulgentia concessa ; nam illi de pœnitentia loquuntur quam confessarii ex præscripto canonum pœnitentialium injungere debebant, cujus loco opera injuncta adimplenda erant. Sed sufficiet in hujus rei comprobationem ea in medium afferre quæ cardinalis Denhoff, episcopus Cæsenatensis, scripsit.

XI. Is itaque, in instructione ad populum, cavete vobis, inquit, ab abusu quem nonnulli sacerdotes invehunt, qui tempore jubilæi aut occasione plenariæ indulgentiæ, gravissimorum criminum reis levissimas satisfactiones decernunt, hoc nimirum obtutu quod ejusmodi indulgentiæ, si opera in concessionibus Summorum Pontificum assignata accurate persolvantur, simul cum culpa pœnam etiam penitus aboleant. Hæc enim agendi ratio adversatur menti sanctæ Ecclesiæ ; quæ quidem cupit filiis suis opem ferre ut pœnæ debitum exsolvant, cui solvendo impares sunt, nonnulli quidem virium inopia, alii vero vitæ termino prohibiti : qua re complures non adimplent pœnitentiam delictis suis convenientem ; sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos pœnitentiæ fructus facere jubet. Neque desides reddere aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ tantopere in sacris Scripturis et a sanctis Patribus commendata sunt sedulo exercendis. Ideo concilium Trid. tradit nusquam esse in Ecclesia semitam tutiorem qua liceat evadere supplicia quæ Deus peccantibus minatur quam ut crebro quis in hujusmodi operibus pœnitentiæ agendis occupetur, idque cum vero et sincero doloris affectu : *Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Sess.* 14, *cap.* 8.

Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum litteris, quibus eas impartiri se *vere pœnitentibus* aiunt: his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relabendi, et voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Cum lapsus ad hunc modum animo est comparatus, et suis partibus sedulo defungitur, ut divinam justitiam placare queat, Ecclesia velut pia mater in auxilium accurrit, ut indulgentiæ beneficio quod restat debiti solvat: vel plene, si plena est ; vel in tantum quantum illa confert. Hinc usu venit ut plena indulgentia non omnibus qui, exuto peccandi affectu, præscriptas conditiones adamussim præstiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem ; quia non omnium eadem est debitorum ratio, neque eodem omnes studio pro viribus egerunt ut ea diminuerentur: quarum rerum beneficii dispensator semper rationem habere censendus est. Ita docet sanctus Bonaventura: « Indulgentiæ, inquit, quantum est ex potestate dantis, tantum valent quantum promittunt. Non tamen cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus ; sed secundum existimationem ejus quam habuit vel habere debuit qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere ; quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona et miserationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine ». In 4 sentent. dist. 20, quæst. 6, sub finem.

Idem colligitur ex constitutionibus quibusdam Summorum Pontificum, ubi expresse pronuntiant hanc sibi esse intentionem. Liquet ex decreto Bonifacii VIII, quod incipit *Antiquorum*, Extrav. de pœnit. et remission., ubi promulgando indulgentiam jubilæi universalis, *Unusquisque tamen plus merebitur*, ait, *et indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit.* Et in statuto Innocentii IV, edito in primo concilio Lugdunensi, quo plenam concedit indulgentiam iis qui sumptus conferrent in bellum sacrum, aitque unumquemque lucrifacturum *juxta quantitatem subsidii, et devotionis affectum.* His autem satis indicant plenæ indulgentiæ quemque fieri participem, tum secundum modum operum pœnitentiæ quæ fecerit, tum secundum piæ devotionis fervorem: atque ea ratione imminui debitum satisfactionis.

Cardinalis Baronius, vir sane magnus, et qui Ecclesiæ de indulgentiis sententiam apprime noverat, postquam indulgentiam a Gregorio VII concessam episcopo Lincol-

Digitized by Google

niensi, ea lege ne opera pœnitentiæ negligantur secundum cujusque facultatem, suis annalibus ad an. 1073, n. 71 inseruisset, ait, Sanctum Pontificem hanc legem seu conditionem adjecisse, ut « appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus. » — Ejusdem sententiæ fuit cardinalis Cajetanus, qui citata formula jam memorata, *vere pœnitentibus*, qua Pontifices Romani uti solent, ait « Indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos, qui soli sunt vere pœnitentes. » Deinde explicat hujus doctrinæ utilitates ad cujus normam, ut observat, « solvuntur omnes quæstiones, tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione sapientum, et oblocutionibus detrahentium; et excitantur fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum, sicut nil adimitur efficaciæ sacramentorum ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse bene dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia, ab illius fructu, juxta hunc dicendi modum, excluduntur. » Trac. 10, de Suscipientibus Indulgentias, quæst. 1.

Ecclesia hodie dum indulgentiæ munera dispensat, eadem qua olim mentis intentione. Nam in jubilæo commendat opera ad satisfaciendum idonea, puta jejunia, eleemosynas, et ecclesiarum visitationes. In reliquis autem plenis indulgentiis jubet ut, præstitis e præscripto operibus, pœnitentiæ sacramentum adeatur. Ita credentibus modum suggerit quo indulgentiæ donum sibi comparent, sive ad supplendam satisfactionem dudum inchoatam, sive ad eluendum pœnitentiæ neglectum : nempe faciendo opera pœnitentiæ quæ in bullis pontificiis designantur, et vehementi dolore peccata sua detestando. Igitur cum hæc opinio videatur menti Ecclesiæ magis consentanea, concludimus cum S. Bonaventura in 4 sent. dist. 15, part. 1, art. 1, quæst. 111 : *Ideo sanum consilium est quod homo semper pœniteat.*

Idem placuit S. Thomæ; idque omnino nobis in cathedra confessionis amplectendum est et sequendum : « Consulendum est, inquit, eis qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant; ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debitis pœnæ essent immunes : et præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant. » In 4, sent. 20, quæst. 1, art. 3, quæstiuncula 1 ad 4. Cardinalis Bellarmini doctrina dogmati Doctoris Angelici plane accinit : « Omnino, ait vir colendissimus, sic accipiunt prudentes Christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere. » Lib. 1 de Indulgent., cap. 12.

XII. Dicent vero : Indulgentiæ plenariæ sunt : ergo omnem plane temporalem pœnam remittunt. Nulla ergo a confessariis imponenda pœnitentia satisfactoria aut medicinalis, ac nulla in pœnitente obligatio esse debet hanc subeundi pœnitentiam, dum plenaria ei concessa sit indulgentia. At jam diximus plenariam vocari indulgentiam quatenus plene et integre supplet id quod ad integram satisfactionem deficit; ergo plenaria, non excludendo, sed includendo opera satisfactoria, qua ratione supra ostendimus. Præterea, plenaria indulgentia juxta mentem concedentis et dispositiones suscipientis attendenda est. Dum vero Summi Pontifices plenariam indulgentiam concedunt, eam vere pœnitentibus largiuntur. Numquid vere pœnitentes dici possunt qui injunctam a confessariis satisfactoriam pœnitentiam adimplere obtentu indulgentiæ recusent? Quid vero si pœnitentia medicinalis sit, sive ordinata ad illos animi morbos averruncandos, qui proclives homines ad peccandum faciant? Neque enim vere pœnitens haberi potest qui paratus non sit medicinam illam spiritualem usurpare quæ ad firmandum de non peccando propositum necessaria est. Plenaria præterea est ex parte suscipientis indulgentia, quando is tanto devotionis fervore, tanto charitatis affectu, et tantis pietatis operibus se disponit, ut ei omnis remittatur pœna : at hæ dispositiones in eo qui non suscipiat onus satisfactoriæ pœnitentiæ a confessario injunctum, omnino desiderantur. Tenetur ergo pœnitens etiam jubilæi tempore has pœnitentias adimplere; et confessarius imponere eas debet veluti opera ad sacramentum pœnitentiæ complendum ordinata. Fallitur ergo Lucius noster dum ait in praxi decere tantum *quod confessarius istas imponat*, cum imponere revera debeat, etiam attenta Bonifacii VIII bulla in qua jubilæi indulgentia *solis vere pœnitentibus* promittitur atque conceditur. Ad glossam quod attinet, quæ asserit noluisse Bonifacium ut confessarii aliquam pœnitentiam injungerent, dicere primum possumus id adversari ipsius Bonifacii bullæ, ut superius innuimus : deinde exponi mens Bonifacii poterit de pœnitentiis per canones, non vero de medicinali et satisfactoria a confessario injungenda ad animi morbos medendos. Atque hæc de indulgentiæ effectu sufficiant.

XIII. Venio nunc ad indulgentias quæ pro defunctis applicantur. P. Lucius Ferraris n. 16 ait : *Indulgentiæ pro defunctis prosunt certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus, ex intentione Summi Pontificis, applicantur, secundum ordinariam Dei legem*, etc. Audiatur hac de re Passerinus, cujus doctrinam probat clarissimus Eusebius Amort. Examinans, *an indulgentiæ pro defunctis habeant effectum infallibiliter*, sic respondet. Prima sententia id negans habet tres rationes : primo, quia inferior non potest aliquem infallibiliter liberare a pœna inflicta per superiorem, etiam compensando et dando æquivalens, nisi superior se specialiter obligaverit ad acceptandam compensationem. Quod vero Deus promiserit ac se obligaverit ad acceptandam compensationem pro defunctis, non constat. Secundo, sententia judicis post mortem transit ex conditionata

Digitized by Google

in absolutam, unde non remanet locus satisfactioni per compensationem, quæ innititur justitiæ, sed solum quæ innititur divinæ misericordiæ. Tertio, quia ob hanc causam, etiam privata suffragia non habent infallibilem effectum, dum fiunt pro defunctis, sed solum ex libera acceptatione divinæ misericordiæ. Hanc sententiam tenuerunt Richardus, 4, d. 15, qu. 203; Durand. q. 4, nu. 12; Cajetan. 1 tract. 16, quæst. 5; Cordub. n. 6, quæst. 13 et 15; Canus. l. XII de loc. theol.; cap. 13 ad 9; Domin. Sotus de Indulgent.; Henriq. l. 1, cap. 7, Layman. lib. V, tr. 7; Bonac. d. 6, quæst. 1, p. 6; Lezana v. *Indulg.* num. 5; Amicus t. 8, d. 20, f. 8, num. 176; et eamdem rationabilem vocat Bellarminus l. I, c. 14. Re bene perpensa apparet primam (hanc) sententiam esse veriorem, quia non constat de speciali promissione Dei qua se obligaverit ad acceptandam compensationem quam Pontifex in favorem animarum purgatorii facit, dando indulgentiam per modum suffragii. Notare hic juvat indulgentias non concedi mortuis per modum judicii et absolutionis: quia Ecclesia exercere judicium nequit in illos qui suæ jurisdictioni non subjacent, ut sunt mortui. Istis itaque conceduntur *per modum suffragii*. Nomine autem suffragii theologi intelligunt subsidium ecclesiasticum, quod conferri potest, aut merendo per opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatum, ut communiter auctores explicant.

XIV. Plura alia fuere a censoribus notata quæ nos paucis indicabimus. Primo, quod Lucius num. 32, art. 3, asserit a Summis Pontificibus non exigi confessionem et communionem veluti opus directe injunctum pro acquirenda indulgentia, id non placet; quia, dum Pontifex confessionem et communionem exigit, has inter præcipua opera recenset quæ ab iis præstanda sint qui indulgentias lucrari velint. Secundo, quia eodem in numero, paulo infra, docet sufficere indictam a Pontifice confessionem quæ etiam ante octo dies peracta fuerit. At id celebrioribus theologis improbatum est, et a sac. Indulgen. congregatione definitum fuit, confessionem saltem in vigilia fieri debere illius diei in quo acquirenda sit indulgentia, ut ex decreto sub die 19 Maii 1759. Tertio, quod dicat non requiri confessionem peccatorum venialium, nisi id expresse in concessione indulgentiæ declaretur. Saniores vero theologi, etiam tunc confessionem faciendam esse docent, non solum quia tutius id est, sed etiam quia consentaneum est praxi fidelium, et eodem indicato decreto definitum est. Quarto non placet dum asserit indulgentias ad septennium concessas complecti septem annos utiles; ita ut, occurrente anno jubilæi intermedio, in quo illa indulgentia cesset, protrahi debeat ad octavum usque. Nam id arbitrarie prorsus asseritur, atque in gratiæ concessione satis perspicue exprimi videtur, ut nova, expleto septennio, supplicatio fiat. Quinto, non adeo facile permittendum censores putant, quod affirmat Lucius de Indulgentiis tempore Quadragesimæ concessis, *quæ incipiant ab hora in qua vesperæ celebrari solent;* nam, ut animadvertit Amort qu. 55, quando conceditur indulgentia plenaria a primis vesperis usque ad occasum solis in die festo, incipiunt indulgentiæ ea hora qua in loco aut in vicinia solent inchoari primæ vesperæ, ac deficiunt ea hora qua ibi locorum sol subire solet horizontem. Quamobrem primæ vesperæ intelligendæ sunt juxta morem loci aut viciniæ. Non itaque videtur attendendus peculiaris Quadragesimæ ritus. Sed quidquid sit de hoc, « quando conceditur indulgentia plenaria pro aliquo die feriali, non exprimendo primas vesperas, videtur saltem circa indulgentias a ducentis annis concedi solitas, eam incipere a medio noctis, et durare usque ad medium noctis, non a primis vesperis. Ratio est quia illud discrimen quod in nonnullis bullis indulgentiarum statuatur a primis vesperis, in aliis autem bullis id non exprimatur, minime censeri debet otiosum et vacuum ratione, adeoque cum hujusmodi bullæ destinato consilio quoad determinandum indulgentiarum initium diversæ sint, etiam operantur earumdem initium diversum; et cum stylo ecclesiastico per analogiam cum aliis rebus ecclesiasticis, puta festis, horis canonicis, missis, jejuniis, conforme sit tempus a medio noctis usque ad medium sequentis, pronum est etiam Pontificem ad hoc tempus quoad indulgentias respexisse. » Sexto denique circa ea quæ Lucius habet num. 8, art. 4, de revocatione indulgentiarum facta per Paulum V, docti censores monendos esse lectores censuerunt ut attente legant Pauli V constitutionem incipientem *Romanus Pontifex*, ex qua facile intelligent quæ revocatæ fuerint, quæque confirmatæ pro regularibus, a Summo Pontifice indulgentiæ. Constitutio refertur n. 7 ejusdem 4 articuli.

Auctoris.

Instituit hic Rom. theologus novum articulum de indulgentia, et § 10 insurgit acriter contra a me tradita, quasi blasphemias ego vomuissem art. 3 n. 4. At ea quæ sunt *ibi* a me tradita et a *Theologo* nostro censura notata, sunt, ut cuique legenti patet, omnia solido fundamento rationum, SS. Patrum, classicorumque doctorum auctoritate suffulta, nec a me tantum pro arbitrio conclusa. Cæterum non ego conqueror de præstantissimis Romanis censoribus, quos summopere colo et veneror; sed tantummodo de ipso *Theologo* conqueror, quod, me Auctore adhuc vivente, ausus sit (ut alia præteream) opus meum pro libito suo typis evulgare, et me identidem confratrem suum injuria carpere. Sed ipse viderit, et Deus, scrutator cordium, retribuet.

§ 13. Suæ censuræ subjicit quæ ego tradidi art. cit., n. 16, scilicet: quod indulgentiæ pro defunctis rite concessæ et acquisitæ secundum ordinariam Dei legem, prosint certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus ex intentione Summi Pontificis applicantur. Et tamen dictam sententiam cum

Digitized by Google

pondere rationum ibi productarum a num. 16 ad 20 inclusive, defendunt præter *ibi* allegatos gravissimos auctores, etiam alii plures, quos inter noster Mathæucci cum aliis in Cautela Confessarii lib. I, c. 27, propos. 57, ab Alexandro VII damnata, n. 51, asserens quod id deducitur ex Epist. Leonis X ad card. Cajetanum de indulgent., in qua pari modo loquitur de indulgentiis rationabili causa tam vivis quam defunctis concessis. Sed vivis datæ indulgentiæ infallibiliter prosunt, si opera præscripta impleantur, et causa sit proportionata: ergo sic dicendum de datis pro defunctis, quibus certo et infallibiliter prosunt, vel ex parte, si indulgentia sit non plenaria, vel integre, si sit plenaria, habeatque conditiones necessarias. Hæc ille qui statim sub num. 52 subjungit: *sed dubitatur an determinate liberetur ea anima pro qua celebratur in altari privilegiato:* Respondet *affirmative;* et affert ad rem Breve Gregorii XIII pro concessione indulgentiæ altari privilegiato in Ecclesia S. Bartholomæi de Urbe, ubi ipse scribebat. Ita etiam doctiss. P. Augustinus de Gabrielis capuc. tom. III, tract. 7 de Pœnit., num. 540, cum aliis ibi citatis.—P. Concina lib. I, de Sacram. Pœnit. dissert. 5, num. 44, qu. 10, circa hanc quæstionem, hæc habet: *Plures quidem affirmant, at plures etiam negant; et quia ego quid verosimilius sit ignoro, rem indecisam relinquo.* Et card. Bellarminus lib. I de Indulgent., cap. 14, neutram sententiam audet reprobare, vocatque negantem valde rationabilem, et affirmantem valde piam. Videatur Appendix tract. 6 cursus Theol. Moral. Colleg. Salmaticensis, ubi tract. 6, cap. 3, punct. 2, num. 99 ad 104, a doctiss. auctore omnino certa judicatur et solidissime probatur nostra conclusio, et solvuntur omnes objectiones.

§ 14. Dicit *Theologus:* Lucius num. 32, art. 3, asserit a Summis Pontificibus non exigi confessionem et Communionem veluti opus directe injunctum pro acquirenda indulgentia, etc. Id est contra decretum sac. cong. Indulgent. approbatum a Clemente XIII, 19 Maii 1759. At illud decretum fuit jam integrum a me prolatum *in Supplementis* tertiæ editionis; et ad ipsius normam nunc moderanda sunt, quæ ante ipsius promulgationem ex gravissimis auctoribus *ibi* citatis adduxeram; ipsum autem decretum videre est *in Supplementis* ad verb. *Indulgentia*, art. 2, num. 46.

APPENDIX ALTERA.

DE INDULGENTIIS.

Multa sane congessit Lucius Ferraris titulo *de Indulgentiis* ex casuistarum placitis deprompta, doctrinæ disciplinæque Ecclesiæ minime consentanea, quibus Romanus Theologus in altera editione sapientissime occurrit, appendice addita ad calcem ejusdem tituli. Enimvero perpendenti mihi ea in appendice nonnulla adhuc desiderari quæ verum Ecclesiæ spiritum in indulgentiis conferendis, atque dispositiones ad eas lucrandas necessarias accuratius explicent, hinc me de publico bene mereri nullatenus ambigendum putavi, si altera appendice ea supplenda assumerem quæ in prima adhuc desiderari videntur. Qua in re nihil me facturum aliud propono nisi opusculum in urbe editum an. 1760, cui titulus: *De Indulgentiis et requisitis præsertim ad eas recipiendas Dispositionibus, et catholicæ Ecclesiæ Doctrinæ in conferendis et recipiendis iisdem illustratio*, veluti in epitomen redigere.

§ 1. Indulgentia, prout hoc loco sumitur, nihil aliud est nisi relaxatio aut moderatio extra sacramentum ab Ecclesia facta pœnæ temporalis quam divina justitia exigit a peccatoribus pœnitentibus, quibus jam remissa fuere peccata, et pœna sempiterna quæ iis debebatur. Hinc Ecclesia sive supremi Ecclesiæ Pastores, tunc *indulgentiam* concedere dicuntur, cum juxta facultatem sibi a Domino traditam eas pœnas temporarias remittunt, quæ ex divinæ justitiæ decreto pœnitenti luendæ supersunt, culpa jam deleta. Quanta porro sit pœna temporaria quæ peccato jam remisso respondeat, licet nobis exploratum minime sit, illud tamen pro certo tenendum, gravem admodum esse, eamque peccati gravitati proportionatam. Hoc sensu ac spiritu ducta vetus Ecclesia *Pœnitentiales Canones* constituit in hoc omnes consentientes, quod pœnas gravissimas a pœnitente subeundas præscriberent; quorum canonum etiam nunc habenda ratio est, cum S. Carolus Borromæus aliique præstantissimi episcopi, ipseque Summus Pont. Innoc. XII. eos edendos vulgandosque curarint ad confessariorum et pœnitentium directionem.

Ex his canonibus, quos omni prorsus ex parte nunquam abolevit Ecclesia, *Indulgentiarum* quas confert veluti forma profecta est, ut ex ipsa constat Ecclesia praxi et disciplina in indulgentiis elargiendis. Sicut enim juxta canones pro qualitate peccati injungebatur pœnitentia, vel quadraginta dierum, vel unius, vel duorum, vel quinque, vel septem, aut plurium annorum, vel etiam totius vitæ: sic etiam varia ad hunc modum constituta sunt indulgentiarum genera, quæ pœnitentiæ tempus, vel contrahebant, vel ab ea penitus absolvebant. Nam alia *quadragena* est, sive, ut alii vocant, *Carena;* alia *septena*, atque ita de cæteris partialibus; alia demum totalis, aut *plenaria*. Ex qua Ecclesiæ praxi et disciplina in indulgentiis concedendis illud colligere debemus, sanctissimas illas pœnitentiæ regulas nunquam fuisse abrogatas, nec pristinum suum omnem amisisse vigorem.

At vero, quanquam juxta tenorem aut statuta *Canonum pœnitentialium* ab Ecclesia confectorum concederentur olim, et nunc etiam concedantur indulgentiæ, absit ut cogitemus eas valere duntaxat *in foro Ecclesiæ*, adeo ut non absolvant a pœnis quas justitia divina a peccatoribus exigit, sive in præsenti, sive in futuro sæculo. Hanc sententiam refutavit S. Thom. q. 25, Supplem. art. 1, æque proscripta fuit a Leone X, qui sequentem damnavit Lutheri articulum: *Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam divinam.* Hinc cum laudato Angelico Doctore dicimus quod indul-

Digitized by Google

gentiæ *valent, et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad Judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ*, etc.

§ 2. His de germana indulgentiæ notione prælibatis, Ecclesiæ catholicæ doctrinam de præsenti controversia præmittere lubet in iis quæ sacrosancta Tridentina synodus, tum de satisfactione Deo a peccatore exhibenda, cujus quædam relaxatio indulgentia est, tum de indulgentiis ipsis definivit. Et ut a priore ordiamur, agit de satisfactione sacrum concilium sess. præsertim 14, ubi cap. 2 decernit in primis, quod *ad eam novitatem et integritatem quam per baptismum acquirimus, per sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus ac laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus*. Tum vero cap. 3, inter pœnitentiæ partes *Satisfactionem* collocat.

Uberius tandem de hac tertia pœnitentiæ parte disserens cap. 8, hæc inter alia statuit: *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in deteriora labamur*. Quod sancta Synodus confirmare pergit eum ex eo quod hæc pœnitentiæ opera *securior via sint ad amovendam imminentem a Domino pœnam;* tum ex conformitate quam oportet habere cum Christo, *qui pro peccatis nostris satisfecit*. Admonet deinde sacerdotes *pro qualitate criminum et pœnitentium facultate*, SALUTARES ET CONVENIENTES SATISFACTIONES INJUNGERE, *ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo*, ALIENORUM PECCATORUM PARTICIPES *efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam injungunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam et castigationem*, etc.

Ex his porro sacri concilii decretis plura colligere pronum est, quæ certa, firma et inconcussa esse debent apud catholicos omnes; atque illud in primis satisfactionem unam esse ex tribus sacramenti pœnitentiæ partibus, saltem quoad animi præparationem, necessariam omnino ad reintegrandam amicitiam cum Deo offenso, et reparandam injuriam ipsi per peccatum illatam.

2° Satisfactionis hujusmodi necessitatem ex ipso divino jure desumi. Hoc enim nitidissime constat ex verbis Concilii illis : *divina id exigente justitia.*

3° Satisfactionem hanc necessariam omnino esse, nedum *ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam et castigationem :* atque adeo proportione aliqua respondere debere numero et qualitati criminum.

4° Denique non esse in arbitrio ministrorum Ecclesiæ pœnas hasce satisfactorias ad libitum remittere vel recuperare; sed ad eas pro qualitate criminum injungendas obstringi divino præcepto. Non enim id concilium solummodo consulit, sed expresse præcipit, sive potius colligit ex jure divino : *debent ergo sacerdotes Domini*, etc.

Hæc omnia certissima sunt, atque extra disputationis aleam posita. Verum ad decretum alterum Concilii proferendum quod indulgentias spectat, gressum faciamus.

Decretum hoc habetur sessione 25, cap. ultimo, ubi Concilium ita loquitur : *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit..... sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem ac sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet ac præcipit.... In his tamen concedendis moderationem juxta veterem ac probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, etc., emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit*, etc., *omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde proveneruni*, etc., *mandat omnibus episcopis ut diligenter quisque hujusmodi abusus ecclesiæ suæ colligat*, etc., *ut ad Summum Pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentia quod universali Ecclesiæ expedit statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, et incorrupte, omnibus fideliter dispensetur.* »

Sancta igitur Ecclesia ab ipso Christo Domino potestatem accepit conferendi indulgentias.

2° Definit sacrosancta Synodus indulgentiarum usum utilem esse populo Christiano, maximeque salutarem. Hinc certi fideles esse debent firmiterque confidere quod, modo debitis cum dispositionibus indulgentiam recipiant, profutura sibi sit, nedum in facie Ecclesiæ, sed etiam coram Deo.

3° Concilium præcavere studet abusus qui in concedendis indulgentiis ac etiam recipiendis irrepere facile possunt; atque adeo in earum dispensatione moderationem adhiberi cupit, *juxta veterem ac probatam Ecclesiæ consuetudinem, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur*. Hæc est disciplina *pœnitentiæ*, sive *satisfactionis* pro commissis delictis, quam *enervari* Concilium timet nimia indulgentias conferendi facilitate, nimiaque, quam rudiores sæpe concipiunt, fiducia obtinendæ salutis via hac faciliore atque suaviore. Cum autem duplex quæstio excitari possit, quarum altera *Indulgentias* spectat ex parte conferentis, altera ex parte suscipientis, idcirco de priore in antecessum disseramus oportet.

§ 3. Illud ergo pro certo statuendum tanquam *Ecclesiæ doctrinam*, ad indulgentiæ valorem, præter auctoritatem in conferente, requiri piam ac justam conferendi causam. Addo justam et rationabilem causam esse non posse, nisi proportionata quodammodo sit indulgentiæ quæ confertur. Rationabilem autem causam semper adesse præsumendum est, nisi aliud nimirum evidenter constet.

Primam assertionis partem, quæ in confesso est apud omnes, iisdem ferme momentis confirmo quæ proferunt cardinalis

Digitized by Google

Bellarminus, Pater Gabriel Antoine, aliique. Primum hoc est : « quoniam (inquit Bellarminus lib. I de Indulgentiis, cap. 12) pœna expianda est jure divino : non potest autem Summus Pontifex sine justa causa dispensare in iis quæ aliquo modo pertinent ad jus divinum, quoniam minister Dei est, non Dominus. » Quam rationem proponit insignis alter ac primarius Summi Pontificis in concilio Tridentino theologus, Petrus de Soto, lectione 2 de Indulgentiis : « Thesaurus unde indulgentiæ dantur, non est in manu Pontificis, ut pro suo libitu, cui vult, donet efficaciter; sed apud Deum reconditus est... qua de re indulgentia, ut ex parte conferentis sit efficax, sive valorem obtineat, talis sit oportet causa conferendi. ut verosimiliter probetur a Deo. »

Demum neque ipsi Summi Pontifices talem in se potestatem agnoscunt ut Indulgentias sine justa causa concedere valeant. Nam Clemens VI, in extrav. *Unigenitus*, expresse profitetur thesaurum Ecclesiæ ea lege Petro ejusque successoribus fuisse concreditum, ut eum nonnisi *pro piis et rationabilibus causis dispensent;* adeo ut, quemadmodum ipsemet exponit, ex hac dispensatione *Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, et charitas vehementius incalescat.*

Verum hæc ita certa sunt, ut nec in controversiam adduci queant. Quod in disputationem vocatur illud est, an scilicet quælibet pia causa sufficiat ad indulgentias valide conferendas, an vero requiratur ulterius proportio aliqua operis injuncti cum ipsa indulgentia. Partem priorem docuerunt olim nonnulli, quos inter refertur etiam sanctus Thomas, sed plane immerito. Posterior autem communior est, tum apud veteres, tum apud recentes doctores, quam ego quoque defendo.

Hæc ut magis explicetur, duo præsertim observo cum Bellarmino : primo scilicet ad causam justam, ut plurimum duo requiri, nempe finem aliquem pium, Deoque gratum, cujus assecutio Deo magis placeat quam satisfactio pœnitentialis quæ per indulgentiam relaxatur : ulterius opus aliquod fini assequendo proportionatum sit oportet. Nam licet finis Deo valde placeat; si tamen per opus injunctum congrue obtineri non possit, non videtur justa causa concedendæ indulgentiæ : ut, si, verbi gratia, plenaria indulgentia dispensetur iis qui precatiunculam aliquam recitant pro hæreticorum conversione, « causa, inquit pius cardinalis, non videbitur justa; quoniam licet conversio hæreticorum res sit maxima, et Deo gratior quam pœnitentialis satisfactio multorum fidelium, vix tamen confert ad illum finem obtinendum brevissima oratio. »

2° Observo ex eodem omnes in eo convenire « ad *causæ proportionem non requiri* (ut ait Pater Antoine Tractatu de Indulgentiis, quæstione 8), ut opus injunctum sit ita de se satisfactorium, ut per se plane compenset et tollat debitum pœnæ. Nam tunc nulla fieret remissio per indulgentias, et sic indulgentiæ forent prorsus inutiles. »

His animadversis, primæ nostræ, et communis sententiæ probatio desumitur ex cardinali Cajetano, capite 8, de Indulgent., cujus de Indulgentiis doctrinam Raynaldus ad annum 1517 et seq. ubique proponit tanquam *doctrinam Ecclesiæ catholicæ* « Dispensatio, inquit, thesauri cœlestis credita Petro ejusque successoribus, imitari debet dispensationem factam ab ipso Christo. Constat autem quod Christus eumdem thesaurum dispensat commensurate, juxta concurrentes conditiones causarum mediarum.... Ergo ipsius Vicario commensuratam quoque applicationem dicti thesauri creditam esse rationabile est. »

Altera probatio hæc est ab eodem eminentissimo auctore paucis hisce verbis proposita : « quia, inquit, constat prælatos omnes Ecclesiæ, non nisi ministros et dispensatores esse, tota igitur eorum potestas supra thesaurum Ecclesiæ infra limites dispensativæ potentiæ clauditur. »

Atque hinc 3 alia probatio subnascitur. Nam, juxta doctores omnes, ad indulgentiæ valorem in conferente requiritur justa et rationabilis causa. Justa autem et rationabilis ea reapse vocari nequit quæ nullam habet cum effectu proportionem; planeque pervertunt vocabulorum vim, qui justam causam requirentes, pro quocunque etiam levissimo opere indulgentias quaslibet valide concedi posse contendunt.

Probatio 4 congrua nititur paritate : eodem nempe modo loqui par est de dispensatione indulgentiarum ac votorum. At, juxta communiorem sententiam, dispensatio in votis facta sine gravi causa, quæ gratior Deo sit quam voti ipsius adimpletio, judicatur invalida. Igitur hoc ipsum de indulgentiarum dispensatione sentiendum.

Tandem in concilio Lateranensi IV plures indulgentiæ repudiatæ fuere veluti *indiscretæ et superfluæ*, adeoque inutiles. Cur autem indiscretæ et superfluæ dictæ sunt? Num quia nullum pium finem earum concessioni prælati apposuerint? Quis hoc sibi persuaserit? Dicendum igitur illud est, causam qui dem piam aliquam exstitisse, sed non proportionatam indulgentiis distributis.

§ 4. Gravior modo, eaque summi momenti controversia accurate discutienda succedit de dispositionibus requisitis *ex parte recipientis indulgentias* ut effectum pro quo conferuntur obtineant, solvanturque a pœnarum temporalium debito, culpa jam dimissa. In hoc plures graves theologi conveniunt, ut infra clarius fiet, quod præter statum gratiæ et exsecutionem operis injuncti, quod exiguum nunc esse solet dum indulgentiæ præsertim generales conferuntur, requiratur etiam ex parte suscipientis, tanquam conditio prorsus necessaria, saltem ad plenam earum assecutionem, sincerum, et efficax propositum, ac sollicitudo satisfaciendi juxta vires Deo pro peccatis, ferendique fructus dignos pœnitentiæ, facultati ac infirmitati cujusque accommodatos, adeo ut ex proportione hujusce sollicitudinis, ac devotionis, etiam pietatis et charitatis fervore, quibus

Digitized by Google

pœnitentiæ opera peraguntur, major minorve percipiatur indulgentiæ fructus, sive remissio temporalium pœnarum divinæ justitiæ debitarum. Hæc est paucis exposita verbis hac de quæstione sententia, quam tum veteres omnes tradunt, tum plerique recentiorum, qui rem hanc accuratius discussere, secundum ea principia quibus dirimendæ sunt theologicæ controversiæ, et quam esse contendo *Catholicæ Ecclesiæ doctrinam*. Quod nemo arroganter a me dictum existimet : idem quippe longe ante jam asseruit cardinalis Baronius, cujus alibi opportunius referuntur verba. Interim vero audire non pigeat eminentissimum alium purpuratum.

Is est cardinalis Denhoffius, qui in sua celebratissima instructione pastorali de Pœnitentia, tot in linguis conversa et Sedis Apostolicæ auctoritate probata, ita scribit in rem nostram : « Mens Ecclesiæ in dispensandis indulgentiis hæc quidem est, nempe filiis suis beneficio indulgentiæ opem ferre, ut pœnæ debitum exsolvant, cui solvendo impares sunt... Sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos pœnitentiæ fructus facere jubet, neque desides reddere, aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ tantopere, et in sacris Scripturis, et a sanctis Patribus commendata sunt, sedulo exercendis. Ideo concilium Tridentinum tradit nusquam esse in Ecclesia semitam tutiorem... quam ut crebro quis in hujusmodi operibus pœnitentiæ agendis occupetur... Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum litteris, quibus eas impertiri *se vere pœnitentibus* aiunt, his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relabendi, et voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Cum lapsus ad hunc modum animo est comparatus, et suis partibus sedulo defungitur... Ecclesia, veluti pia mater, in auxilium occurrit, ut indulgentiæ beneficio, quod restat debiti solvat... Hinc usuvenit ut pœnæ indulgentia non omnibus qui, exuto peccandi affectu, præscriptas conditiones adamussim præstiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem. » Quod subinde roborat auctoritate S. Bonaventuræ ac Summorum Pontificum Innoc. IV et Bonifacii VIII : « Quibus, subdit, satis indicant plenæ indulgentiæ consecutionem quemque fieri participem, tum secundum modum operum pœnitentiæ quæ fecerit, tum secundum piæ devotionis fervorem. »

Ex iis facile quisque colligere valet in quo sita sit indulgentiarum utilitas.

§ 5. Ab ea discutienda sententia omnino abstinere statui, quæ in hoc est posita, quod major minorve percipiatur indulgentiæ fructus juxta mensuram actualis charitatis Dei, fervoris, pietatis ac devotionis, quibus perficiuntur opera injuncta in indulgentiarum largitionibus ; quamque defendunt Adrianus VI, cardinalis Pallavicinus lib. II, cap. 3, Hist. Concil. Trid. ; S. Bonavent., Richardus, Gabriel, Major, Gerson, Innocentius, ac Felinus, omnes a Pallavicino citati : quibus adde Cajetanum, Natalem Alexandrum, aliosque complures. Hic duntaxat vindicare ac comprobare sententiam nostram aggrediar sub iis terminis quibus frequentius a sanis theologis defenditur ; requiri videlicet *ex parte subjecti* ad indulgentias lucrandas, præter statum gratiæ, propositum sincerum, et efficax satisfaciendi Deo pro peccatis : propositum, inquam, *sincerum et efficax*, quod nempe in actus convenientes prodeat juxta vires ac facultatem subjecti, aliasque quæ occurrere possunt ac solent circumstantias.

Hanc sententiam, quam *ut Ecclesiæ Catholicæ doctrinam* propugno, probo imprimis argumento ex Scripturis ducto, quod ita proponit Antoine cap. 14 de indulgentiis. Extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc est opera pia et pœnalia, quæ satisfacere valeant pro peccatis, ut explicat concilium Tridentinum, a quo præcepto Ecclesia dispensare non potest... Et idem concilium Sess. 6, c. 14, de justific., docet generaliter pœnitentiam Christiani lapsi, præter contritionem et confessionem, necessario continere *satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia*, etc. Ista ille.

Hoc argumentum sic proponere præstat. Jure divino in sacris libris asserto constitutum est ut pœnitenti, reatu culpæ remisso, reatus pœnæ temporalis remaneat luendæ, sive in hac vita, sive in alia, juxta ejusdem gravitatem et meritum. Hæc propositio ita certa est, ut si quis eam inficietur, jam inter heterodoxos recensendus videatur, quam confirmare placet sententia S. Caroli, qui, in sua Confess. Instructione, ita ait : « Sacræ litteræ ab iis qui pœnitentiam agunt hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu et planctu. » Hæc igitur major propositio certissima est. Ad minorem venio. Sed quod divino jure constitutum est, firmum et constans sit oportet, nec ab auctoritate Ecclesiæ solvi potest ulla indulgentiarum largitione ; siquidem nulla gaudet Ecclesia potestate supra jus divinum, quod declarare quidem valet, nullatenus vero solvere vel abrogare. Igitur peccator per indulgentias non eximitur ab hac obligatione satisfaciendi Deo operibus hisce pœnalibus.

Confirmatur magisque urgetur hoc argumentum. Certum apud omnes est Ecclesiam thesaurum meritorum Christi et Sanctorum dispensare non posse contra ejus voluntatem. Ejus porro voluntas esse noscitur, *ut dignos pœnitentiæ fructus* faciamus, et quidem *dignos*, hoc est juxta criminum qualitatem et numerum. *Fructus autem pœnitentiæ* quinam præsertim sunt, aut in quo consistent, nisi in congruis pœnalis satisfactionis operibus, ex quibus etiam pœnitentia nomen sumpsit ? Ita exponunt hunc textum similesque alios sancti Ecclesiæ Patres, et præ reliquis S. Th. Quodlib. 3, q. 12, art. 28. Unde inferendum est indul-

Digitized by Google

gentias ab Ecclesia collatas non exstinguere debitum a peccatoribus contractum faciendi fructus dignos pœnitentiæ prout suppetunt vires, neque eas lucrari qui id præstandi sincero carent et efficaci proposito.

§ 6. Si consulamus Ecclesiæ praxim atque disciplinam ad apostolos usque perductam, clare deprehendimus in ea semper usum viguisse congruas exigendi a peccatoribus pro suorum qualitate delictorum satisfactiones conjunctas cum indulgentiis. Atque, ut ab apostolis ipsis ordiamur :

Primum indulgentiarum exemplum præbet Apostolus, qui, ex auctoritate sibi a Christo collata, remissionem quidem pœnæ flagitioso Corinthio clementer indulsit, et indulgendam edixit; sed nonnisi post diutinam dilecti sui pœnitentiam, ut ex textu evidenter eruitur, et *ne abundantiori tristitia absorbeatur*, ut inquit Apostolus.

Crescente Ecclesia Christiana, celebres canones qui *pœnitentiales* dicuntur confecti sunt, Ecclesiæ spiritum nobis exhibentes in imponendis pro quolibet peccato gravissimis pœnis, quas tamen moderari solebant episcopi (quod perinde erat ac indulgentiam tribuere); sed nonnisi ob justas ac rationabiles causas, et pœnitentium fervore in iis subeundis aliisque circumstantiis accurate perpensis. Atque hæc, ut advertit S. Cyprianus, lib. de Lapsis, generatim tunc temporis erat Ecclesiæ praxis et disciplina, ut episcopi prius probarent lapsorum pœnitentiam, lacrymas, jejunia, etc., ac tum demum absolutionem a peccatis simul et indulgentiam impertirent « Si precem (*verba sunt S. episcopi*) toto corde faciat; si veris pœnitentiæ lamentationibus et lacrymis ingemiscat : si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis precibus inflectat... roganti potest clementer ignoscere (*episcopus*) : potest acceptum referre, » etc.

At audire præstat Ecclesiam Romanam, ut omnibus liqueat quam semper hæc omnium Ecclesiarum mater tenax fuerit primævæ disciplinæ. Hæc consulta a S. Cypriano reposuit : « Quid in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, *quam debitam severitatem divini vigoris* tenere? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret, necesse est... *Absit ab Ecclesia Romana* vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis reversa fidei majestate dissolvere, ne properata nimis remedia, utique non profutura, præstentur, et nova per misericordiam falsam veteribus vulnera imprimantur. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si medicus interrupta pœnitentia indulget periculis? Hoc non est curare, sed occidere... Pulsent fores (*pœnitentes*), adeant ad limina ecclesiæ, castrorum cælestium excubent portas, resumant precum suarum tubam. »

Verum alios afferamus hujusce traditionis testes. Eusebius lib. VI Hist., cap. 48, refert, post Decii persecutionem plura coacta fuisse concilia, omnesque episcopos in hanc convenisse sententiam, indulgendum quidem

esse, sed nonnisi iis *quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspexerint.*

Longa ultra quam par est mea evaderet oratio, si canones omnes a conciliis præscriptos recensere vellem. Unum vel alterum lectorum oculis sisto. Concilium Nicænum I, can. 12 de Indulgentia impertienda relapsis ita loquitur : « Quicunque metu, lacrymis, patientia, et bonorum operum studio, conversionem opere ostendunt, hi definitum tempus auditionis implentes, tum de manu fidelibus in oratione communicent, postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare. » Quod perinde erat ac indulgentiam elargiri.

OEcumenici concilii statuto morem gessit synodus Aurelianensis II, decernens penes episcopum facultatem esse moderandi pœnitentiam injunctam, si pœnitentes *ex animo errorem deflere et agere pœnitentiam videret.*

Innocentius I, qui sub initium sæculi quinti Petri sedem obtinebat, praxim Ecclesiæ Romanæ in Indulgentiis conferendis exhibet, asserens hanc non esse a Sacerdote conferendam, nisi *cum viderit congruam satisfactionem.* Eadem disciplina vigebat in Africa, ut constat ex Can. 75 et 76 Concilii Carthaginensis an. 424 celebrati.

Ne sim prolixior, paucis perstringam aliqua, quæ sequioribus sæculis hac de re constituta fuere. S. Basilius in Epist. ad Amphilochium testatur se Indulgentias concedere iis tantum, *qui vitam misericordia dignam ostendunt, qui pœnitentiæ fructus monstrant.* Concilium Aurelianense IV an. 541 præscribit episcopis, ut indulgeant cum pœnitentibus, *cum eos viderint dignam pœnitentiam agere.* Nicolaus I, an. 860, rigidam pœnitentiam magno peccatori injunctam mitigandam edicit : « si ejus conversionem et lacrymarum fontem floridis actionibus et optimis operibus pullulare constiterit. » Concilium Salegunstadiense an. 1022, cap. 18, quia multi, confisi Indulgentiis, quæ Romam petentibus concedebantur, pœnitentiam agere recusabant, aperte eos monuit « talem Indulgentiam illis non prodesse, nisi prius, juxta modum delicti sui, datam sibi pœnitentiam adimplevissent. »

Verum quid pluribus opus est? cum ex ecclesiastica historia compertissimum sit, per decem sæcula nonnisi indulgentias partiales concessas fuisse; postmodum vero plenarias elargitas nonnisi pro operibus quam maxime arduis, exempli gratia, pro bellis gerendis in longissimis regionibus? Quare mirum esse non debet sanctum Thomam docuisse aliam tunc temporis requisitam non fuisse ab illis pœnitentibus satisfactionem; quoniam quæ assumebant ipsi laboriosissima opera cedere utique poterant in locum satisfactionis.

Colligamus itaque ex his omnibus traditionem Ecclesiæ de indulgentiis cum satisfactione pro peccatis congrua necessario conjungendis.

§ 7. Ut liquido constet eumdem, quem hactenus ostendimus, immobilem in Ecclesia catholica semper permansisse spiritum, nullo

Digitized by Google

alio aptiore uti possumus argumento quam quod ex ipso deducitur omnium Ecclesiarum capite, Ecclesia nimirum Romana, quæ nullum nobis de sententia sua relinquit ambigendi locum. Quare testimonia referam nonnullorum Summorum Pontificum quæ in rem nostram potiora videntur.

I. Testimonium sumitur ex rescripto Sancti Gregorii VII, episcopo Lincolniensi indulgentiam pro peccatis suis petenti dato. *Absolutionem*, inquit, *peccatorum tuorum, auctoritate principum apostolorum Petri et Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus : si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Dei mundum templum exhibueris.* In quem textum peculiari digna consideratione sunt quæ subdit Baronius ad an. 1073, inquiens : « ut appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt. »

Gemina docent Urbanus II et Gelasius item II. Primus enim indulgentiam concessit an. 1095 plenariam *Crucesignatis* pergentibus ad Terræ Sanctæ liberationem; sed tamen præscripsit *ut illud iter* laboriosissimum *pro pœnitentia susciperent*. Alter vero, an. 1115, eamdem confirmans indulgentiam, adjecit : *Quoniam vos ipsos et vestra extremis periculis objecistis.*

Innocentius III, in concilio Lateranensi decretum edidit quo potestas coercebatur episcoporum in indulgentiis conferendis. Rationes assignantur quod nempe « per indiscretas et superfluas indulgentias, et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur ». Mens proinde Summi Pontificis fuit ut *pœnitentialis satisfactio*, quæ laboriosis admodum operibus tunc etiam peragi consueverat, nullo pacto per indulgentias relaxaretur.

Bonifacius VIII in bulla pro indictione jubilæi hæc habet : « Unusquisque tamen plus merebitur et Indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. »

Eadem veritas comprobatur ex formulis quas adhibere solent Summi Pontifices in concedendis indulgentiis. His etenim aliisque plerumque utuntur similibus verbis, ut fideles *redimant sua peccata operibus pœnitentiæ : ut jejuniis, orationibus, ac eleemosynis, iram Dei placent.* Id patet ex bullis S. Pii V, Sixti V, Clementis VIII, Urbani VIII, et Alexandri VIII : quod ulterius exprimunt per illam particulam *verepœnitentibus*, quæ nedum hominem contritum indicant, verum etiam illum qui satisfacere satagit pro commissis delictis, ut optime ostendit cardinalis Denhoffius in laudata sua pastorali instructione.

Quod etiam magis magisque constat ex conditione apposita in bullis jubilæi, nimirum *injuncta pro modo culpæ pœnitentia salutari*. Quæ sane Summorum Pontificum mentem clare aperteque ostendunt, scilicet indulgentias plenarias minime lucrari qui pœnitentiam culpæ commensuratam pro viribus non implen[t]

Verum præ cæteris omnibus splendidissima sunt tot hujusce rei testimonia a duobus edita Summis Pontificibus. Primus est Innocent. XII, qui pro jubilæo instante an. 1700, hanc de argumento nostro instructionem edendam curavit. En ejus verba, seria animi consideratione pensanda. « Proponatur fidelibus utilitas quam ex magna hac indulgentia consequuntur, *modo divinæ gratiæ condigna satisfactione cooperentur*. Doceatur populus quod licet sacramento pœnitentiæ culpa et æterna pœna remittatur, nihilominus post remissionem delictorum debitum temporalis pœnæ, adeoque *grave onus satisfactionis* remanere, quod *copiosis eleemosynis, rigorosis jejuniis, ac difficilibus operibus pœnitentiæ*, ut tempore veterum fervidorum Christianorum factum esse liquet ex *Canonibus Pœnitentialibus*, aut horrendis pœnis purgatorii, solvi deberet. Cum vero talia sufferre humanæ infirmitati nimis grave foret, ideo Vicarius Christi tales satisfactiones per indulgentias *minuit*. »

At plane decretorium est quod suppeditat testimonium Bened. XIV in suis litteris de præparatione ad annum jubilæi 1750, in quibus versus finem prolixum sermonem habet de indulgentiis, quem, ne tædio Lectores afficiam, in pauciora redigam. « Illud vero (*verba ejus sunt*) tum nobis, tum aliis qui nostro loquentur nomine, curæ erit, ut clausulæ illius quam bullæ nostræ inseruimus, *fidelibus vere pœnitentibus*, etc., vis et significatio probe intelligatur. Illud idem re atque exemplis demonstrabimus, quam futilis atque inanis sit illorum sententia qui, a catholica communione extorres, perperam asserunt indulgentiarum usu pœnitentiam imminui, aut etiam de medio tolli. » — Hinc mentionem faciens de instructione a se edita in archiepiscopatu Bononiensi : « In hac, inquit, instructione universum diœcesis nostræ populum monuimus et hortati sumus ut occasione indulgentiæ plenariæ quam prædecessor noster Clem. XII promulgaverat, injunctis operibus *alia pietatis opera superadderent, ac dignos pœnitentiæ fructus facerent*, aureo illo ven. card. Bellarmini documento ex t. II, Controvers. l. v, cap. 12 : Sic accipiant prudentes Christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, et pro suis peccatis Deo satisfacere. *Sed et illud adjecimus quod cardinalis Pallavicinus* in Histor. Concil. Trid. l. IV, cap. 12, num. 6, *adnotavit*, falsam nimirum esse illorum sententiam qui rentur Christianos propter indulgentiarum usum desides fieri, atque a satisfactione quæ Deo, criminum nostrorum vindici, præstanda est, avocari.... Hæc omnia iis affinia sunt quæ et nos supra inculcavimus, monentes ut præter opera quæ præcipiuntur, alia Christifideles exerceant pia opera, quæ spiritui ac votis Ecclesiæ consona sunt, » etc.

§ 8. Adductis jam Summorum Pontificum disertissimis testimoniis, superfluum videri potest alios adjungere. Nihilominus non abs re futurum arbitror, si cursim saltem nomina potius quam testimonium nonnullorum re-

Digitized by Google

citem clarissimorum in Ecclesia virorum, aliis omissis.

Floruit sæc. XV cardinalis Cusanus. Hic, dum per Germaniam Sedis Apostolicæ legati fungeretur officio, synodum in Belgio provincialem coegit anno 1445, ubi inter alia declarandum curavit « idcirco dari indulgentias ut Ecclesia de thesauro (*Christi*) suppleat quod homo pro digna satisfactione sentit sibi deesse, quia, multis obnoxius criminibus, dignam agere pœnitentiam vix posset, eo quod pro uno peccato mortali jam septennis pœnitentia agi deberet. »

Quod idem senserit Cajetanus nullus ambigit, qui etiam videtur in nimium rigorem delapsus. At certe legitimam de indulgentiis sententiam secutus est S. Carolus, qui *Pœnitentiales antiquos Canones* edidit, et in anno jubilæi 1575, quid agere debuerant Romam petentes ad illud lucrandum, præscripsit his verbis. « Non id vobis satis videri debet quod urbem Romanam ac ecclesias et reliquias sanctorum visendas adieritis; sed huic quoque *vestram et perfectam pœnitentiam* adjungere debetis. »

Suffragantur sententiæ nostræ theologi concilii Tridentini, quorum scripta supersunt. Suffragantur cardinales Baronius, Bellarminus, ac Denhoffius, jam laudati; Stephanus cardinalis Le Camus, vir non minus vitæ sanctimonia quam doctrina conspicuus; Benzonius, episcopus Lauretanus; Franciscus Cajetanus Incontri, archiepiscopus Florentinus; Joannes Bragadenus, patriarcha Venetiarum. His accedit tota Gallicana Ecclesia, cujus episcopi doctrinam nostram, veluti unice certam ac tutam tradiderunt, quorum agmen ducit magnus et nunquam satis laudandus Jacobus Benignus Bossuetius, episcopus Meldensis, in sua instructione de Indulgentiis. Quis omnibus istis præferre audebit aliquos casuistas diversimode opinantes? Adde theologos alicujus nominis nostræ sententiæ subscribere, ex quibus supra sexaginta recenset Amort in suo de Indulgentiis Tractatu.

§ 9. Præstat hic attexere rationes aliquas, quarum prima sit: Mens Ecclesiæ est ne per indulgentias disciplina ecclesiastica pœnitentiæ relaxaretur. At posito quod ad indulgentiam lucrandam non requiratur saltem desiderium efficax Deo satisfaciendi per opera pœnalia, jam pro quibuslibet peccatis *leviores* atque etiam *levissimæ* injungi valerent pœnitentiæ, vel *nullæ* etiam, ut casuistarum nonnulli contendunt, dummodo pœnitentes indulgentias se recepturos promitterent.

Huic affinis est altera ratio, scilicet, quod si hæc foret indulgentiarum vis ut etiam iis qui sincero carent proposito satisfaciendi Deo, pœnam omnem remitterent, foveretur hominum negligentia, iique, tametsi ingentibus peccatorum debitis prægravati, desidiores fierent in agenda pœnitentia, quam sane non esse Ecclesiæ mentem nemo non videt.

Tertiam rationem ita proponit Cajetanus. « Nullus indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita consequitur veraciter fructum indulgentiæ; sed quilibet negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita: ergo nullus negligens satisfacere per seipsum acquirit fructum indulgentiæ. »

Quarta ratio ab eodem Cajetano verbis hisce proponitur: « In quamlibet bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri.... Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est ut spiritualis dispensatione thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat. »

Quinta ratio, quæ præcedentem amplius confirmat, hæc est: sancti Ecclesiæ Patres in ea semper persuasione fuerunt, noluisse Christum Dominum applicari ab Ecclesia fructum passionis suæ peccatoribus post baptismum lapsis, sine propria ipsorum satisfactione. Igitur Ecclesia non habet potestatem per indulgentias sic applicandi fructum passionis Christi, ut cesset studium ac sollicitudo satisfaciendi juxta uniuscujusque vires.

Tandem, ut alias missas faciam rationes, argumentum subjicio quod mihi semper visum est ad persuadendum omnibus aptissimum; videlicet, quod veritas, quam defendimus, quædam sit velut insita fidelium mentibus atque insculpta sententia: siquidem quid causæ est cur veri pœnitentes intime sentiant se debitores pro peccatis suis divinæ justitiæ, atque ex hoc intimo sensu promoveantur ad exercenda impigre pœnitentiæ opera, quanquam bene noverint apertum esse in Ecclesia thesaurum meritorum Christi, et indulgentias lucrari studeant?

Nonne persuasum est omnibus gravissimis obnoxios esse purgatoriis pœnis eos qui, non peracta pœnitentia, decesserunt e vita, licet pie obierint, et pluries indulgentias in mortis articulo susceperint? Unde sacrificiis, orationibus, eleemosynis solari satagimus? Cur tantopere ascetæ in libris, confessarii in sede sua, sacri oratores e suggestibus hortantur, imponunt, detonant faciendos esse pœnitentiæ fructus, nisi ex penitiore quadam persuasione indulgentias ex benignitate Ecclesiæ collatas prodesse quidem plurimum, sed nonnisi ex posita conditione, quod pœnitentes, quantum suppetunt vires, Deo propriis operibus satisfacere studeant?

§ 10. Ex tradita doctrina varia derivantur corollaria: primum, ut verbis utar P. Antoine: « Ex dictis sequitur, ad lucrandas indulgentias requiri has conditiones ex parte recipientis: 1° ut sit subditus concedentis..; 2° ut immunis sit ab excommunicatione majore..; 3° ut sit in statu gratiæ (saltem dum ultimum opus injunctum perficitur); 4° ut opus omne injunctum, saltem moraliter, totum et integre impleatur... Quibus omnibus merito additur a multis propositum satisfaciendi Deo per opera bona satisfactoria, » etc.

Digitized by Google

Corollarium secundum. Liquidò constat falsam esse quorumdam opinationem, qui censent nullum percipi fructum ex indulgentia puta plenaria, si tota et integre non recipiatur. Nam, ut alia plura omittam, Bonif. VIII, in bulla Jubilæi aperte testatur quod *unusquisque plus merebitur et indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas amplius et frequentius frequentaverit.* Quod clarius exprimit Innoc. IV, in cap. *Quod autem*, de Pœnitent.; nec non S. Thom. suppl., q. 25, art. 2, ad 3, et sanct. Bonavent. in 4, dist. 20, q. ult.

Corollarium tertium. Ad percipiendum integrum fructum indulgentiæ plenariæ animus suscipientis liber esse debet ab omni affectu cujuscunque vel levioris peccati: alioquin non integre, sed partialiter duntaxat indulgentiam consequetur, si tamen aliæ conditiones non desint. Ratio evidens est quia, in omnium sententia, relaxatio pœnæ supponit culpam remissam: hæc nunquam remittitur nisi animus ab ea sit aversus.

Corollarium quartum. Consequitur etiam ex dictis nihil vel parum prodesse indulgentiam iis qui, cum vitam omnem transigant in vitiis et peccatis, sacramento pœnitentiæ recepto, sibi persuadent se ab omni pœna reddere immunes, mediis quibusdam precatiunculis, quas recitare non omittunt pro consequenda aliqua indulgentia; et interim nullum studium impendunt ut juxta vires suas Deo satisfaciant laboriosis operibus a vere pœnitentibus requisitis.

Corollarium quintum. Christiani omnes, iique præsertim qui plura commisere gravia flagitia, solliciti esse debent in conjungenda pœnitentia cum indulgentiis, quatenus utroque medio divinæ justitiæ securius satisfaciant. Hoc est autem illud Bellarmini documentum nempe « utilius quidem est ac tutius pro se satisfacere quam indulgentias quærere; sed utroque utilius est illud facere, et istud non omittere. »

ADDITIONES CASINENSES.

Duo de indulgentiis dogmata fide tenenda tradidit Tridentina synodus, sess. 25 in Decr. de Indulgent. primum, potestatem easdem conferendi a Christo ecclesiæ fuisse concessam; alterum hujusmodi Indulgentiarum usum Christiano populo esse maxime salutarem.

Porro potestate eas impertiendi antiquissimis etiam temporibus, ut cum eodem Tridentino loquar, Ecclesia usa fuit.

Quoad vero usum illius potestatis spectat « varius sane esse potest, pro temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum diversitate; et ex Ecclesiæ judicio mutari etiam potest. » Papebroch. in respons. ad P. Sebast. a S. Paulo, apud Benedict. XIV, de Synod. Diœces. lib XIII, c. 18, n. 6.

Hoc sane pacto plures indulgentiæ species sive formulæ; aliæ antiquiores, aliæ recentiores occurrunt. Prima quidem atque antiquissima ea est, qua apostolus Paulus erga incestuosum Corinthium usus est, ex abundantia videlicet doloris quo is peccatum suum detestatus afficiebatur:

« *Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio hæc, quæ fit a pluribus; ita ut a contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur* (II ad Corinth. II, 6 et 7). Quem Pauli locum sic commentatur Chrysostomus: « Quamvis peccatum confessus fuerit ipsiusque pœnituerit, ostendit tamen apostolus eum non tam pœnitentiæ opera quam gratia et beneficio veniam consequi: ob idque ait *donetis, et consolemini.* Non enim inquit quod id promereatur, nec quod eam quæ per sit pœnitentiam præstiterit, sed quia infirmus est, idcirco hoc peto; unde etiam subjunxit, ne forte *abundantiori tristitia absorbeatur.* Quæ verba sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis. » Homil. 4 in Epist. II ad Corinth.

Secundum hanc regulam, Apostolo auctore, Patres Nicæni, et Ancyrani, aliique veterum conciliorum canones episcopis permittunt ut pro dolore, et lacrymis pœnitentium, et modo conversationis ipsorum, indulgentiam, necne impertiantur. « In omnibus; *en Canon Nicænus*, propositum, et speciem pœnitentiæ convenit explorare: quotquot enim metu et lacrymis et pœnitentia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant..... licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare: » Can. 7. Hinc Suarez « Episcopis, inquit, licuisse ex canonicis pœnitentiis publicis quæ pro diversis criminibus imponi solebant, aliquid pœnitentibus remittere, si eorum vita, et laudabilis conversatio id mereretur. » In disput. 49, de Indulg. sect. 3, n. 1.

Altera species indulgentiæ apud veteres, et præsertim apud S. Cyprianum, sese exhibet, quæ nimirum ab episcopis, ad preces et intercessiones martyrum in idololatriam lapsis concedebatur. Siquidem mos fuit ut lapsis qui statutum pœnitentiæ tempus non absolvissent, ad martyres confugerent, quorum intercessione reliqua pœnitentia illis condonaretur. Hanc consuetudinem Tertullianus laudabat in lib. ad Martyr., priusquam a communione catholica deficeret; eamque postea, factus montanista, sui ipsius immemor, insectabatur. Hujus quoque veteris Ecclesiæ moris meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, Histor. Eccles. lib. VI, cap. 41, 42, hoc pacto: « Cæterum hi divini martyres (martyres Alexandrini), qui nunc assessores sunt Christi et regni illius consortes, dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos et idolis sacrificasse convictos susceperunt; et conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicassent eam placere posse illi qui peccatoris pœnitentiam mavult quam mortem, eos admiserunt, et collegerunt atque in cœtum suum receperunt. »

Scimus porro ex Cypriano, epist. 11, martyres ac confessores in hujusmodi libellis dandis modum quandoque excessisse; atque hæc profecto causa est cur in synodis Illiberitana can. 25, et Arelatensi I can. 9, sa-

Digitized by Google

pientissima œconomia fuerit hac in re constabilita.

Aliam quoque speciem indulgentiarum pro lapsis reperies, occasione nempe imminentis alicujus persecutionis; ita ut hi, pace et communione Ecclesiæ donati, fortius tormenta tolerarent : qua ratione eumdem Cyprianum indulgentias impertiisse constat. Præterea hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, si secum reducerent quos suis sophismatis deceperant, humanius consultum, pœnitentiarum scilicet remissione, ex veterum monumentis sat compertum habemus.

Subsequentibus temporibus aliud indulgentiarum genus occurrit, quales in primis pro visitationibus certarum ecclesiarum et altarium quas *Indulgentias Stationarias* appellant.

Harum indulgentiarum institutionem Gregorio Magno attribuit Guilielmus Altisiodorensis, in Summa lib. IV, tract. 6, cap. 9, cujus tamen testimonium suspectum vel mendosum Morino visum est. Quomodocunque vero se res habeat, certe nihil ex indulgentiarum valore detrahitur, sæculo sexto an posterioribus indulgentiæ hujusmodi stationariæ cœptæ fuerint.

Sic quoque quædam alia indulgentiarum species locum habuit, intuitu nimirum alicujus operis laboriosi in Ecclesiæ utilitatem suscepti, hac fere formula : *Qui hoc opus egerit, aut, ut peragatur, pro viribus annixus fuerit, peccatorum omnium remissionem consequatur.* Apud Espenium, cap. 1, de Indulg., n. 9.

Opera vero quæ pro lucranda indulgentia imponebantur, hæc ferme fuerunt, scilicet arma contra ethnicos, et hæreticos, aut schismaticos ferre; vel si ipsi non possent, suis sumptibus alere qui ferrent. Insigne hujus indulgentiæ seu remissionis exemplum habemus in expeditione Hierosolymitana.

Concessæ etiam sunt indulgentiæ ob pecuniæ erogationem in ecclesiarum ædificationem aut reparationem; formulaque relaxationis, Morino referente, lib. X, cap. 20, de Pœnitent., sic expediebatur : *Qui denarium in ædificationem aut reparationem hujus ecclesiæ aut oratorii contulerit, tertiam vel quartam*, etc., *partem pœnitentiarum imponendarum, illi in Domino relaxamus.*

Additque Morinus loc. cit. « Eodem prope tempore extensa est ista relaxatio ad res sæculares, pontium, itinerum, rerumque similium refectionem. Nonnunquam integra pœnitentia relaxabatur; sed raro id sibi arrogarunt episcopi : hoc erat Summo Pontifici, velut communi consensu delatum : vix tertiam pœnitentiæ partem excedebat relaxatio ab episcopis concessa. » — Quas quidem constructiones et opera sat laudabilia exstitisse, et Christianorum vel securitati, vel commodo in ordine ad spiritualia plane faventia, quisque rationis compos inficiari minime poterit. « Temporalia, sic Thomas, ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus; et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia : sicuti repressio inimicorum ecclesiæ, qui pacem ecclesiæ perturbant; vel sicut constructio ecclesiarum, et pontium, et aliarum eleemosynarum collatio. Nec fit ibi simonia; quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali. » In 4 sent., distinct. 20, quæst. 11, art. 3, quæstiunc. 3.

Jam vero cum quæstores, sic dicti, eleemosynarii instituti fuissent, prædicatores nempe, qui occasione alicujus operis in ecclesiæ utilitatem suscipiendi, indulgentiis ad hoc concessis, fidelium oblationes et pecunias colligerent, hi ingenium suum facientes, quædam minus recta circa hujusmodi indulgentiarum virtutem atque efficaciam, sanctissimæ Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ disciplinæ attexerunt. Præstat hic audire Benedictum XIV in hæc verba « Nonnullæ aliquando occurrunt indulgentiæ quibus absolutio *a pœna et culpa* concedi dicitur. Hujusmodi dicendi formula tribuitur præteritorum sæculorum quæstoribus, quos licet affirmare veros fuisse auctores tempestatum quas Ecclesia propter indulgentias perpessa est. Clemens V Pontifex, in Clementina, de Pœnit. et remiss. loquens de ejusmodi quæstoribus, deque publicationibus indulgentiarum quæ per ipsos fiebant, eos dicit solitos fuisse hac formula uti *a pœna* et *a culpa*, UT EORUM VERBIS UTAMUR : quo satis ostendit Pontifex incongruum omnino fuisse hujusmodi dicendi modum... Alias itidem reperire est indulgentias millenorum annorum. Porro Sotus... asserere non dubitavit fuisse hæc omnia commenta quæstorum. Estius... aperte ait conflctas commentitiasque esse hujusmodi concessiones, ac nullatenus Sanctæ Sedi tribuendos. » De Synod. Diœc. lib. XIII, cap. 18, n. 7 et 8.

Hinc profecto est cur Tridentinum, sess. 21, cap. 9, de Reformat. hujusmodi quæstorum nomen, atque usum, in quibuscunque Christianæ Religionis locis, penitus abolendum esse decreverit.

Quoad vero indulgentiam plenariam attinet « hanc affirmare possumus nonnullorum esse eruditorum sententiam, nimirum omnium primam indulgentiæ plenariæ concessionem qua certo constet eam esse quam Urbanus Papa II, anno 1095 impertitus est iis qui religionis causa, ad recuperandam Terram Sanctam militaturi se conferrent. hanc indulgentiæ plenariæ concessionem cæteris omnibus, quæ cognitæ sunt, antiquitatis prærogativa antevertere demonstrat venerabilis servus Dei cardinalis Thomasius... Suspectam ergo aliquis habere posset aliquam plenariam indulgentiam quæ ante prædictum tempus concessa asseratur. At id sufficienti fundamento destitutum alii dicere possent, asserendo nempe quæ exstant in actis... collectis opera et studio Emmanuelis a Schelstrate, ubi late agit de concessionibus indulgentiarum plenariarum ante tempora Summi Pontificis Urbani II. » Benedict. XIV loc. cit. n. 6.

Quæ sub n. 25 art. 6, vers. *Hinc ad uberiorem*, basilicas Urbis recensendo, de Orien-

Digitized by Google

tatis Ecclesiæ patriarchis numero et ordine referuntur, operæ pretium est rectius enucleare.

Sedes patriarchales in maximis tantum urbibus erectas fuisse exploratissima res est. Tres porro ævo apostolorum supereminebant in orbe Romano urbes primariæ, Roma, Alexandria, et Antiochia. Totius orbis domina Roma occidentales præcipue regiones administrabat. Secundam sub sole urbem *Alexandriam* appellavit Chrysostomus, orat. 22, ubi præfectus Augustalis Ægypto Africæ, et regionibus imperabat meridionalibus. Antiochia, orbis Romani tertia metropolis (Syriæ metropolis) dicta a Josepho lib. III, de Bello Judaic. cap. 2, n. 4, atque a Chrysostomo, hom. 5 ad Popul., mater urbium orientalium. Eodem ordine sublimiorem auctoritatum super Occidentalibus Ecclesiis peculiarem Pontifici *Romano*, qui cæteroqui Patriarcha OEcumenicus revera est, reliquit; alteram super meridionalibus *Alexandrino*; tertiam *Antiocheno* super Orientalibus detulit vetustissima consuetudo ab apostolorum moribus derivata. Eam quippe prima synodus Nicæna ratam habuit, dum can. 6, decrevit, *Antiquos esse mores servandos, qui sunt Ægypto, Libya, et Pentapoli*, ut Alexandrinus *Episcopus horum omnium haberet potestatem: quia et* urbis Romæ episcopo *parilis mos esset: similiter*, et in Antiochia, *cæterisque provinciis privilegia sua unicuique servanda Ecclesiæ.* Adhæc subdit sequenti can. 7. *Heliæ*, id est Hierosolymæ *episcopo, ut honor deferretur* (solius puta præcedentiæ post Antiochenum), *ex more antiquo, manente* tamen *proprio metropolitanæ civitatis dignitate* (seu potestate).

Imperii autem sede translata Byzantium, quæ urbs, an. 330, Constantinopolis et novæ Romæ nomen accepit, Metrophanes ejus urbis episcopus licet Heracleensis metropolitæ et Antiocheni patriarchæ ad ea usque tempora suffraganeus, ejusque successores, non modo jura patriarchalia sibi usurpare in tribus diœcesibus Thraciæ, Ponti, et Asiæ, sunt aggressi; verum etiam superbo *Patriarchæ OEcumenici* titulo utentes, provincias occidentales intra Romani patriarchatus et diœcesium Occidentis fines sitas, invadere, ac patriarchalem Romani Pontificis dignitatem æmulari cœperunt: effrenaque ambitione, propitiis imperatoribus, et conspirantibus suarum partium episcopis, primum ex thronis patriarcharum vix post Romanum contendere, dejecto exinde Alexandrino archiepiscopo, tum reliquis etiam patriarchis in subsequentes abire gradus compulsis. Concilium Constantinopolitanum I, anno 381, can. 2 *Primatum honoris* post Romanum episcopum, detulit episcopo Constantinopolitano, *propterea quod urbs ipsa sit junior Roma.* At nec hujusmodi canonem, nec alios prædicti concilii Romanam Ecclesiam probasse, apertissime liquet ex S. Leone epist. 53; nec non ex Gregorio Magno, lib. VI, epist. 31, in hæc verba: « Romana Ecclesia eosdem canones (*nempe Constantinopolitanos*), vel gesta synodi illius hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eamdem synodum accepit quod est per eam contra Macedonium definitum. » — Id etiam constat ex legatorum Apost. Sedis testimonio in conc. Chalced. « Trecentorum decem et octo (*id est episc. Nicænorum*) constitutionibus postpositis, centum quinquaginta (*scilicet episc. Constantinopolit. concilii* I), qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem fecisse noscuntur. » — Porro Anatolius Constantinopolitanus episcopus sategit ut act. 15 memorat. synod. Chalced. absentibus Sedis Apostolicæ antedictis legatis, can. 28 conderetur, quo jus patriarchicum sedi Constantinop. confirmatum est, cum facultate ordinandi metropolit. in diœces. Thraciæ, Ponti, et Asiæ. Cumque postero die legati, Act. 16 hujusmodi canonem 28 coram ipsis recitatum, circumscribi et revocari institissent, utpote Nicænis regulis adversantem, Patribus tamen canonem illum iterum recensitum, licet Apostolicæ Sedis vicariis refragantibus, comprobare placuit. Deinde in epistola synodica cum iidem Patres Leonem Papam rogassent ut approbationem hac in re non denegaret suam, ac idipsum Marcianus imperator atque Pulcheria augusta postulassent, celeberrimus Pontifex, neque imperatoris, neque augustæ, neque tot Patrum Chalcedonensium, 630 numero, enixis precibus ullo modo flecti passus, canonem prius dictum *in irritum misit, et per auctoritatem B. Petri apostoli generali prorsus definitione cassavit.* Quinisexta synodus anno 692, renovato supradicti Concilii Constantinopolitani I decreto, privilegia quæ Roma senior haberet, similia tribuere sedi Constantinopolitanæ non dubitavit. Sed synodum hanc *erraticam* meritissime appellavit Ven. Beda, cujus plures canones rejectos ab Ecclesia Romana fuisse compertum est. Diuturnas Summorum Pontificum contradictiones synodalibus Orientalium decretis pro sede Constantinopolitana fregit summa imperatorum gratia. Posthæc VIII synodus œcumenica an. 869, can. 21, primum gradum Constantinopolitano episcopo post Romanum addixit. Tandem in concilio Lateranensi IV, Innocentius III, can. 5, constituit ut *post Romanam Ecclesiam, quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis habet principatum*, utpote Mater *universorum Christifidelium et Magistra*, Constantinopolitana *primum*, Alexandrina *secundum*, Antiochena *tertium*, Hierosolymitana *quartum locum obtineat; servata cuilibet propria dignitate.* — Ex Card. Gagliardo, lib. I, tit. 14, de Patriarch.

Atque hæc in ea quæ cit. n. 25, fortasse minus accurate per modum historicæ narrationis congesta sunt, notasse sufficiat.

Denique pro coronide præstat referre in materia indulgentiarum propositiones excerptas inter alias ex pseudoconcilio Pistoriensi (an. 1786), atque damnatas in celebri constitut. Summi Pontificis Pii VI *Auctorem Fidei*, tenoris sequentis.

40.

§ 39. — Propositio asserens, *indulgentiam*

Digitized by Google

secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ quæ per canones statuta erat peccanti; quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam :

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in artic. 19 *Lutheri damnata.*

41

Tum in eo quod subditur, *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum*; quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum :

Falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in artic. 17 *Lutheri damnata.*

42.

Tum in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerea isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos :*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum iterum damnatum in artic. 22 *Lutheri.*

43.

In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.:

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices, atque in praxin in tota Ecclesia frequentatam, contumeliosa.

INFAMIA, INFAMIS.

SUMMARIUM.

1. Infamia quid sit? — 2. Fama quid sit? — 3. Infamia est duplex, *juris* et *facti*, et quæ sit utraque? — 4. Infamia *juris* dupliciter contrahitur, scilicet ipso *jure* et *facto*, et per sententiam judicis. — 5. Assignantur qui contrahunt infamiam ipso jure et facto de jure civili. — 6. Assignantur qui contrahunt infamiam ipso jure et facto de jure canonico. — 7. Infames jure civili sunt etiam infames jure canonico. — 8. Nisi aliquam infamiam jure civili introductam canones speciatim sustulerint, ut fuit de facto sublata infamia quæ erat decreta mulieribus intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus. — 9. Assignantur qui contrahunt infam. juris per sententiam judicis. — 10. Ad hoc, ut condemnati a judice dicantur infames, requiritur quod sententia condemnatoria non sit suspensa per appellationem, sed jam transierit in rem judicatam. — 11. Referuntur summatim omnes infames, sive infamia *juris*, sive infamia *facti*. — 12. Infames, tam infamia *juris* quam *facti*, sunt irregulares, et ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur. — 13. Infames tam *juris* quam *facti* excluduntur a dignitatibus et honoribus præsertim ecclesiasticis. — 14. Infames tam *juris* quam *facti* excluduntur ab actibus legitimis et publicis muneribus. — 15. Electio facta de persona infami, seu collatio beneficii, sive sæcularis, sive regularis facta infami infamia *juris* latæ sententiæ, est ipso facto irrita. — 16. Sic etiam, si quis infamis eligatur seu provideatur post sententiam declaratoriam criminis, cui annexa est infamia ipso *jure*, electio seu provisio est ipso *jure* nulla. — 17. Si autem infamia sit tantum *facti*, quamvis sic infamis non debeat eligi nec provideri, ejus tamen electio seu provisio non videtur ipso *jure* irrita, sed irritanda. — 18. Multi tamen volunt etiam ipsam esse ipso *jure* nullam. — 19. Ob delictum occultum nulla contrahitur infamia neque *juris* neque *facti*. — 20. Imo varii volunt infamiam non incurri quando delictum propter quod ipsa infamia eo ipso irrogatur est occultum, nisi accedat sententia declaratoria. — 21. Infamia ipso *jure*, vel per judicis sententiam contracta, non tollitur per pœnitentiam, sed per dispensationem principis, cujus auctoritate infamia decreta fuit. — 22. Infamia *facti* penitus tollitur per vitæ emendationem, saltem triennalem. — 23. Solus Papa dispensat in infamia *juris*. — 24. Episcopus autem dispensare potest solum in infamia *facti*. — 25. Imo alii volunt episcopum seu prælatum neque dispensare posse in infamia *facti*. — 26. Alios infamare quale sit peccatum, et quam obligationem inducat, et an aliquando liceat? *Remissive*. — 27. Se ipsum infamare quale sit peccatum? *Remissive*. — De divisione infamiæ, ejusque effectibus vide amplius a n. 28 ad n. 41.

(1. Infamia est privatio seu diminutio bonæ famæ : est *in re communis*; seu, ut loquuntur juristæ, *Infamia est lædæ dignitatis status legibus et moribus reprobatus*. Sicuti e contra per ipsos juristas. (2. *Fama est illæsæ dignitatis status legibus et moribus comprobatus* : leg. 5, § 1, ff. de Extraordin. cognit.

(3. Infamia est duplex, *infamia juris*, *et infamia facti*. Infamia *juris*, quæ etiam *legalis* dicitur, est quæ ipso jure seu lege infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Infamia vero *facti* est quæ oritur ex evidentia commissi alicujus delicti infamantis, seu vulgata opinione de tali commisso delicto, propter quod delinquentis bona existimatio apud probos, et honestos viros læditur, licet ab ipso jure expresse non notetur aliqua infamia, nec per sententiam irrogetur, argum. leg. *neque famosis* 2, C. de Dignit.

(4. Infamia juris dupliciter contrahitur, scilicet ipso jure et facto, et per sententiam judicis : *Communis*. (5. Infamiam juris ipso *jure et facto* de jure civili contrahunt sequentes. *Primo*, qui, sive viri, sive feminæ, quæstuaria prostitutione lenocinium exercent, leg. *Athletas* 4, § *Ait prætor* ff. de His qui notantur infamia; leg. *Palam* 42. § *Lenocinium* ff. De Ritu nuptiarum. *Secundo*, qui quæstus causa seu pretio accepto, etiam cum homine ad privatum certamen descendunt : l. *Quod ait* 2, § 1, ff. De His qui notantur infamia. *Tertio*, qui ex simili quæstu seu pretio accepto histriones ac turpes ludos agunt : cit. l. *Quod ait* § ult. De His qui notantur infamia. *Quarto*, qui operam suam ad pugnandum cum bestiis locant : leg. 1, § 6 *Item senatusconsulto* ff. de Postulando. *Quinto*, qui vel quæ eodem tempore sponsalia vel matrimonium contrahunt cum duabus vel duobus; l. 1, et l. *Quid ergo* 13, ff. de His qui notantur infamia. *Sexto*, qui crimen perjurii promissorii committunt; l. *Si quis*

Digitized by Google

major 41, C. de Transact. *Septimo*, usurarii manifesti, et usuras usurarum exigentes; leg. *Improbum* 20, C. Ex quibus causis infamia irrogatur. *Octavo*, hæretici; Authent. Gazaros, Cod. de Hæreticis. *Nono*, mulieres intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntes; l. 1, C. De secundis Nuptiis: Ast hæc infamia fuit sublata a jure canonico in c. 4 de secundis nuptiis. *Decimo*, milites ignominiose exauctorati ob crimen commissum; leg. 1 et 2, ff. de His qui notantur infamia.

(6. Infamiam juris ipso *jure et facto* contrahunt de jure canonico ultra numero antecedenti specificatos, etiam illi qui tales expresse declarantur in c. *Infames* 17, caus. 6, q. 1, ibi : « Infames esse eas personas dicimus quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui Christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt; similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos; sepulcrorum quoque violatores, et apostolorum atque successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, et omnes qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur : similiter et incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, et de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, et qui fratres calumniantur aut accusant et non probant, vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant. » Et a Concil. Trident. sess. 24, cap. 6, de Reformat. matrimon., declarantur infames mulierum raptores, iisque concilium vel auxilium præbentes, et sess. 25, cap. 19 de Reformat. declarantur infames etiam in duellum descendentes eorumque patrini.

(7. Insuper jure canonico ii omnes censentur *infames* qui tales censentur jure civili, nisi aliquam infamiam jure civili introductam, canones speciatim sustulerint; *Communis*, textu expresso in cap. *Omnes* 2, caus. 6, q. 1, ubi sic præcise habetur : *Omnes vero infames esse dicimus quos leges sæculi infames appellant*; et cap. *Infames* 17, ead. caus. et q. ibi : *Infames esse eas personas dicimus... et omnes quos ecclesiasticæ leges vel sæculi infames pronuntiant*. Dicitur autem notanter:

(8. *Nisi aliquam infamiam jure civili introductam, canones speciatim sustulerint*. Quia de facto infamia jure civili leg. 1, Cod. de secundis nuptiis decreta mulieribus intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus fuit sublata cit. cap. 4, Ex. de secundis nuptiis.

(9. Infamiam juris *per sententiam judicis* contrahunt sequentes : *Primo*, omnes accusati et condemnati de publico delicto, id est de tali delicto cujus accusatio cuilibet de populo est permissa, ut crimen proditionis, falsi, adulterii, homicidii : § 1. Institut. de publicis judiciis, et leg. *Infamem* ff. eodem. *Secundo*, omnes accusati et condemnati etiam de aliquibus delictis privatis, ut crimen rapinæ furti, expilatæ hæreditatis injuriarum doli, mali; quia licet ista censeantur crimina privata, tamen per sententiam judicis condemnatoriam irrogant infamiam cit. leg. *Infamem*, l. *Decuriones* 5, leg. *Furti* 8, leg. *Si expilasse* 12, Cod. Ex quibus causis irrogatur infamia. *Tertio*, omnes illi qui de dolo malo, vel calumnia, aut prævaricatione, in publico judicio condemnati sunt; leg. *Athletas* § *Calumniator*, et § *Prævaricator* ff. de His qui notantur infamia; leg. *Fustibus* 16 Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur.

(10. Ad hoc tamen ut tales condemnati dicantur infames, requiritur quod sententia condemnatoria non sit suspensa per appellationem, sed jam transierit in rem judicatam; quia, sicuti interposita appellatio suspendit sententiam, ita etiam infamiam ex tali sententia oriundam, ut notant Molina de justitia et jure disput. 9, n. 4, Silvest. verb. *Infamia*, n. 12; Reiffenstuel lib. v decretal. tit. 37, n. 58; Layman lib. I, tr. 5, part. v, cap. 4, sub n. 1, verb. *Requiritur autem*, et deducitur ex leg. *Furti* 6 § 1 ff. de His qui infamia notantur. (11. Infames in universum, sive *infamia juris*, sive *infamia facti*, summatim a doctoribus referuntur, ut infra, scilicet apostatæ a fide, sive hæretici, fautores, defensoresque hæreticorum et eis credentes et faventes, schismatici, simoniaci, sacrilegi, sodomitæ, leones, publici usurarii, duas uxores habentes, ad bestias pugnantes, duellantes, milites ignominiose exauctorati ob commissum crimen, homicidæ, malefici, venefici, militiæ desertores, facultates ecclesiæ auferentes; contra parentes se armantes, fratres calumniantes, et accusantes, et calumniam seu accusationem non probantes, animos principum contra innocentes moventes, fures, raptores, adulteri incestuosi, perjuri, falsarii, proditores, blasphemi, sive maledici, sortilegi, seu qui ad sortilegos divinosque concurrunt, raptum mulierum perpetrantes, falsum testimonium dicentes, anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia expulsi, ducentes uxores viles et abjectas, vel meretrices, vel rejectas et repudiatas, vel joculatrices, saltatrices, scenicas, ancillas, concubinas. Denique infames sunt artem aliquam vilem, abjectam, vel ignominiosam profitentes et publice exercentes, vel officio vili fungentes, quales sunt mimi, scenici, cynedi, histriones, joculatores, ludentes in scenis, buffones, aleatores publici, carnifices, lictores, macellarii, tabernarii, cauponarii, aurigæ, et alii his similes. Item tutor vel curator qui pupillam sibi vel filio matrimonio junxit; item presbyteri condemnati ad triremes, postquam actu remigarunt; Sacr. Cong. S. Officii 4 Junii 1645. Secus si non remigassent; apud Monacell. part. III, § 15, de Irregularitate, n. 161. Vide Barbos. de Offic. et potest Episcopi, part. II, allegat. 43.

(12. Infames tam infamia *juris* quam *facti* sunt irregulares, et ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur; cap. *Qui aliquo*

Digitized by Google

crimine 4, dist. 51; cap. *Infames* 17, caus. 6, q. 1; cap. *Omnipotens* 4, de Accusationibus; cap. *Accusatum* 4, de Simonia, Reiffenstuel lib. v decretal. tit. 37, n. 59; Navarr. cap. 27, n. 204; Barbosa loc. cit., n. 29; Layman lib, I, tract. 5, part. v, cap. 4, n. 8; et alii passim.

(13. Infames tam *juris* quam *facti* excluduntur a dignitatibus, et honoribus præsertim ecclesiasticis, textu expresso in cap. *Infamibus* 87, de Regulis Juris in 6, ibi: *Infamibus portæ non pateant dignitatum;* et eg. *Infamia* Cod. de Decurionibus, l. *Neque famosis* 2, Cod. de Dignitatibus. Et ratio est quia dignitates et reliqua beneficia ecclesiastica nonnisi ab illis administrari debent qui probatæ sunt vitæ integræ æstimationis; cap. *Inter dilectos* ex 10, de Excessibus Prælator. Barbosa loc. cit., n. 19; Reiffenstuel loc. cit., n. 60; Layman loc. cit., n. 5; Covarruvias, Abbas, Garcias, et alii passim cum Rota recentior. part. XIX, tom. II, decis. 501, n. 5.

(14. Infames tam juris quam facti excluduntur ab actibus legitimis et publicis muneribus ac officiis, v. g. judicis, assessoris, advocati, accusatoris, testis, et hujusmodi; cap. *Infamis persona* 1; cap. *Infames* 2, caus. 3, q. 7; cap. *Licet* 23, et cap. *Testimonium* 54, ex de Testibus: leg. *Testimonium* 3, § 1, ff. eodem; Reiffenstuel loc. cit., n. 61; Layman loc. cit., n. 7; Silvester verb. *Infamia* q. 8, et alii cummuniter.

(15. Electio facta de persona infami, seu collatio beneficii, sive sæcularis sive regularis, facta infami infamia juris latæ sententiæ est ipso jure irrita; Layman loc. cit., n. 6; Passerin. de Elect., cap. 25, numer. 595. La Croix, lib. IV, numer. 787, et alii communiter. (16. Sic etiam si quis infamis eligatur seu provideatur post sententiam declaratoriam criminis, cui annexa est infamia ipso jure electio seu provisio est ipso jure nulla, nec toleratur, sed omni effectu caret: Passerin. loc. cit.; La Croix loc. cit.; Laurenius quæst. 340 et sequent., et communis aliorum. (17. Si autem infamia sit tantum *facti* quamvis sic infamis non debeat eligi nec provideri, ex communi doctorum sententia, ejus tamen electio seu provisio non videtur ipso jure irrita sed irritanda, quando sufficienter constabit de facto criminoso seu de delicto; et interim sic electus vel provisus beneficium in foro conscientiæ retinere potest, si per vitæ emendationem infamiam et consequenter irregularitatem amovere seu abolere velit. Cum enim talis criminosus, nec a jure nec ab homine condemnatus sit, non videtur illi tanta obligatio imponenda, si se ad beneficium habilem reddere velit: Garcias de Benefic., part. VII, cap. 8, n. 47; La Croix loc. cit., num. 787, cum aliis; Layman loc. cit., num. 6, ubi tamen dicit quod in foro externo debet judex talem electionem vel collationem perinde cassare ac si in principio irrita fuisset. (18. Multi tamen, ut Abbas, Joannes Selva, Navarrus, Molina, Avila apud Layman loc. cit., n. 6, et alii volunt absolute electionem seu provisionem factam de infami *infamia facti* esse ipso jure nullam.

(19. Ob delictum occultum nulla contrahitur infamia neque juris neque facti, cum nedum ad infamiam facti, sed etiam ad infamiam juris requiratur, quod adsit fama publica, et quod delictum sit publicum, et quod infamia sit bonæ famæ seu æstimationis apud alios diminutio quæ utique non sequitur ubi crimen est occultum; argum. cap. *Ex tenore* 4, et cap. ult. Ex de temporibus Ordination., et sic tenet Glossa in cap. *Inquisitionis*, de accusationibus; Abbas in cit. cap. *Ex tenore* n. 4; Covarruv., lib. III, variarum resol. cap. 3, n. 3; Navarr., cap. 27, n. 248; Coninch. disp. 18, dub. 7, n. 56; Henriquez, lib. XIII, cap. 38, et lib. XIV, cap. 5, n. 1 et 56; Avila, part. VII, disp. 3, dub. 7, conclus. 1; Sanchez, lib. II, Moral. cap. 26, n. 1; Reiff. loc. cit., n. 57, et alii passim, tradentes hanc regulam cit. cap. ultim. Ex de temporibus Ordinationum, nempe quod *Per nullum crimen occultum excepto homicidio* (adde tu violationem censuræ ecclesiasticæ) *irregularitas contrahitur.* (20. Imo varii volunt infamiam non incurri quando delictum propter quod ipsa infamia eo ipso irrogatur, est occultum, nisi accedat sententia declaratoria: Sic Bursat. cons. 14, num. 18, cum seq., lib. I; Azorius Instit. moral., part. I, lib. VIII, cap. 13, q. 7, vers. *Sed verius;* Sanchez in præcepta Decalogi, t. I, lib. II, cap. 26, n. 1; Farinac. de Hæresi, q. 188, n. 56, et alii contra Barbosam loc. cit., n. 18; S. Anton., part. III, tit. 28, cap. 5. Silvestrum et alios.

(21. Infamia ipso jure, vel per judicis sententiam contracta non tollitur per pœnitentiam, sed per dispensationem principis cujus auctoritate infamia decreta fuit. Cum enim infamia habeat rationem pœnæ sententialis quæ a legitimo principe illata est, sequitur non posse tolli nisi ab eodem principe aut ab alio qui ab ipso privilegium habeat, nam ejusdem jurisdictionis est ligare et absolvere *Communis*, cum Layman loc. c., num. 10; Suarez, disp. 48, sect. 2; La Croix, lib. VII, num. 516.

(22. Infamia *facti*, licet orta sit ex crimine enormi et digno depositione, penitus tollitur per factum contrarium, id est per publicam et constantem vitæ emendationem, saltem per triennium; sublata autem infamia, consequenter etiam cessat omnis inhabilitas tum civilis tum canonica. Colligitur ex c. *Testimonium* 54, ex de Testibus et Attestat., ex cap. *Nunquam* 4, dist. 56, ubi ex verbis S. Chrysostomi sic dicitur: « Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat; » ex cap. *Si duo* 4, caus. 35, quæst. 6, ibi: « Se... noverint segregatos atque infames effectos donec ab incesti facinore desinant. » Et ratio conclusionis est quia ex c. *Cum cessante* 60, ex de appellat. « Cessante causa cessat effectus » et ex cap. *Omnis res* 1, de Reliquis Juris in 6, « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Et sic tenet communis Doctorum cum Layman loc. c., n. 10; La Croix, ibid. 7, n. 517.

Digitized by Google

(23. Solus Summus Pontifex dispensat in infamia *juris* ac in irregularitate quæ ab ipsa procedit *Communis*, cum Barbosa loc. c., num. 30; Layman loc. c., num. 3; Fagnan., lib. v. decretal. in cap. *Vergentis* 10 de Hæreticis, n. 28. (24. Episcopus autem dispensare potest solum in infamia *facti*, qualis est quæ nascitur ex crimine aliquo notorio. Barbosa loc. c., num. 31; Navarr. in Manuali, c. 27, num. 204; Miranda in Manual. Prælator., tom. II, quæst. 8, art. 5, conclus. 1; Joann. a Cruce de statu Religion., l. I, cap. 6, dub. 17, conclus. 2; Fr. Sigismund. a Bononia de Election., dub. 87, num. 6, et alii. (25. Imo volunt alii episcopum aut prælatum neque posse cum subdito beneficiando dispensare in infamia *facti*, sed solum in effectibus quos causat infamia; nam, dicunt ipsi, infamia *facti*, quandiu non purgatur, est impedimentum quasi de jure naturæ excludens a beneficio. Passerin. de Election., cap. 25, num. 540; La Croix, lib. IV, num. 788.

(26. Alios infamare quale sit peccatum, et quam obligationem inducat: Et an aliquando liceat? Vide verb. *Detractio*, art. 1, et art. 2, per tot.

(27. Seipsum infamare quale sit peccatum. Vide verb. *Detractio*, art. 1, num. 58 *et* 59.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(28. Divisio infamiæ in infamiam juris et in infamiam facti, quam tradit auctor n. 3, nonnullis displicet. Vide Donell. Comment. Jur. Civil., lib. XVIII, cap. 6, litt. I. (29. Sed eam probat Osual. Hilliger. in suo Donell.: Enucleat loc. mox citat., et Freher. de Infam. lib. III, cap. 22, qui num. 18, hanc regulam tradit: « Quidquid bonis moribus adversum, et gravium virorum incorrupto judicio dedecens existimatur, facti infamiam gignit. »

(30. Recte vero notat Stryk. in Usu moderno Pandectar., lib. III, tit. 2, a. 1, quod sive de infamia juris sive de infamia facti agatur, ad mores provinciarum præcipue recurrendum sit, et exinde infamia sit dijudicanda. (31. Idque quia quod olim infamiam irrogabat, contraria lege vel consuetudine ab infamiæ macula liberari potuit. (32. De carnificibus, lictoribus, prodeuntibus in scenam, infra annum luctus nubentibus, tutoribus pupillas ducentibus, et aliis id genus, an hodiernis moribus pro infamibus habendi sint, vide apud laudatum auctorem loco mox allegato. (33. E. numero vero infamium tollendi sunt aurigæ, quos nescio cur auctor num. 11, infames reputavit.

(34. De effectibus infamiæ consule Freher., dict., lib. III, de Infam, cap. 24, et sequent. utrobique per tot. (35. Nota vero quod effectus illi filios non sequuntur, Carpzov., part. III, decis, 298, num. 14; Mev. part. V, decis. 117, num. 7. (36. De causis vero infamiæ juris vide Donel. Comment. Jur. Civil., lib. XVIII, cap. 7 et 8, (37. tum et maxime ibidem Osvald. Hilliger. qui hanc materiam accuratissime tractavit, et una docet quando tollatur infamia.

(38. An causa non pœna hodie infamet, expendit Stryk. in Usu moderno Pandectar., lib. III, tit. 2, § 13.

(39. Non omittendum quod observat Mornac. ad leg. 13, § 7, ff. de His qui notantur infamia, hodie ob pœnam graviorem alicui irrogatam famam condemnati non conservari. (40. At non video quare gravatus in uno, in alio non debeat sublevari, et beneficio d. l. 13, in conservanda fama gaudere.

(41. Nec est prætereundum receptum in praxi esse ut scilicet judici liceat condemnato de delicto famoso famam reservare dictata pœna; at praxim hanc improbat Stryk. in Usu moderno Pandect. lib. III, tit. 2, § 14.

ADDITIONES CASINENSES.

Quamvis auctori sub n. 12 videatur infames tam infamia juris quam facti fieri irregulares, attamen sententia Garciæ aliorumque accuratiorum canonistarum nobis magis arridet, nempe infames maxime infamia facti laborantes, non esse proprie, simpliciter, et absolute, stricteque irregulares, cum non sit id expressum in jure; et ideo tales non dicendos, sed large, et *secundum quid*, quatenus prohibentur promoveri stante infamia. Et in materia irregularitatis pro regula habendum est impedimentum illud quod absque dispensatione tollitur, et potest cessare facto, non esse proprie irregularitatem. « Et id existimo verum, etiamsi infamia procedat ex delicto vere notorio, depositione digno; nam adhuc non est irregularis vere. — Rursus existimo crimen notorium, etiam enorme, non inducere irregularitatem ratione infamiæ, etiam pro tempore quo durat talis status personæ. » Garcias de Benefic., part. VII, cap. 8, n. 64, 65, 66: part. XI, cap. 3, n. 118; Barbosa de Offic. et Potest. Episcopi allegat., 43, n. 29 et 31. « Infamia facti, inquit quoque Monacellus, non inducit irregularitatem, quia per triennalem vitam laudabilem aboletur, et bona fama recuperatur quoad omnia; tum demum quia in eo episcopus dispensat. » Formul. legal. Pract., part. III, tit. 3, n. 14, pag. 248.

Hinc porro est, eodem Garcia docente, quod licet infamis infamia facti sit inhabilis ad obtinenda beneficia ecclesiastica, obtentis tamen non privetur cit. part. VII, cap. 8, n. 36. Atque istud discrimen inter utramque infamiam, juris nempe et facti, intercedit; quod illa non solum impediat præfici, sed etiam removeri faciat a dignitatibus habitis; postrema vero non nisi a dignitatibus habendis quem repellat. Barbosa cit. allegat., n. 19.

Quibus præmissis, illud videtur deduci posse consectarium, scilicet collationem, electionem, seu provisionem infami factam seu criminoso, crimine non inducente irregularitatem (uti ea quæ ex homicidio voluntario contrahitur, conc. Trident. sess. 14, cap. 7, de Reformat.; sess. 24, cap. 6 ibidem) seu inhabilitatem ad beneficia, non esse ipso jure nullam, sed validam. Garcias cit., part. VII, cap. 8, n. 47.

Digitized by Google

Quoad infamiam juris: « Adverte quod licet Pontifex possit delinquenti famam restituere, et juris infamiam ex delicto incursam tollere, non potest tamen removere infamiam facti; quia opinio hominum de bonitate vel de malitia alicujus non potest ab aliquo, etiam maximo, vel supremo Principe removeri. Princeps quippe non potest facere ut homines credant illum esse bonum quem credunt et credere volunt esse malum; imo non nisi a Deo infamia facti aboleri potest, ut per Roman. sing. 469 incip. *Dubitatio est magna.* Verum Sfort. quem refert et sequi videtur, Farin. in praxi Crimin., p. 4, q. 6, n. 45 dicit quod Princeps restituit etiam ab infamia, facti si hoc ei placeat et exprimat. » Barbosa in 5 decret., tit. 34, cap. 8, *ex tuarum*; — item citat. allegat. 43, n. 20.

INFANTES.

Quoad infantes sine baptismo defunctos, qui ad quædam sanctuaria prodigiis celebrata deferri solent, et ibi fusis precibus ut Deus eos ad vitam revocare dignetur donec saltem baptismum recipere possint, ac si aliquod, licet incertum, in eis vitæ signum appareat sub conditione baptizantur; eumque deinde, ut plurimum, morti reddantur, seu potius dicta dubia vitæ signa non appareant, tanquam baptizati in loco sacro sepeliuntur, Benedictus XIV, de Synodo Diœcesana, lib. VII, cap. 6, num. 10 et 11, relatis variis diœcesanis synodis in quibus præmissa omnia vetita fuerunt sub gravium pœnarum interminatione, deinde sub num. 12 testatur quod a congregatione S. Officii, re diligenter examinata, die 27 Aprilis 1729 decretum fuit quod hujusmodi consuetudo de medio tolleretur; idemque confirmatum fuit die 19 Decembris ejusdem anni, item 20 Februarii 1737, 30 Januarii 1738, 3, et 6 Junii 1744, ac denique die 11 Maii 1751.

INFERNUS.

SUMMARIUM.

1. Inferni seu inferorum quatuor sunt loca seu sinus, et assignantur. — 2. Horum quatuor inferorum loca rationabiliter desumuntur ex quatuor pœnarum generibus. — 3. Ostenditur quod fuerit subterraneus limbus sanctorum Patrum. — 4. Ostenditur quod sit subterraneus limbus puerorum. — 5. Ostenditur quod sit subterraneum purgatorium. — 6. Ostenditur quod sit subterraneus infernus. — 7. Inferorum locus et ignis ejus creatus est in prima die in qua Deus creavit mundum. — 8. In inferno adest verus et proprie dictus ignis quo damnati cruciantur. — 9. Ignis inferni est corporeus, et ejusdem speciei cum hoc nostro elementari. — 10. Spiritus damnatorum ab igne infernali torquentur per modum alligationis et detentionis localis, ut in carcere, et per alligationem et detentionem objectivam. — 11. Probatur ex Scriptura quod pœna ab igne inferni spiritibus damnatorum illata sit pœna alligationis et detentionis. — 12. Idem probatur etiam auctoritate Sanctorum Patrum. — 13. Demonstratur quomodo dicta pœna ab igne corporeo spiritibus inferatur, *ad n.* 14. — 15. Ostenditur quod ignis inferni cruciet spiritus damnatos, etiam ipsos immutando objective. — 16. Hæc detentio objectiva est multo gravior et acerbior quam alligatio et detentio localis. — 17. Probatur signanter quod ignis inferni non cruciet spiritus damnatos actione physica, sed intentionali *ad n.* 18. — 19. Quamvis in inferno præter pœnam ignis, alias sensus pœnas ponat Sacra Scriptura; nemo tamen in hac vita scire potest distincte et determinate quænam et quot sint damnatorum pœnæ, nisi a Deo revelante eas percipiat. — 20. Homines damnati in inferno post judicium universale, etiam quoad corpora sunt igne cruciandi. — 21. Licet non sit improbabile quod damnati post judicium actione tantum intentionali sint ab igne cruciandi, absolute tamen tenendum est esse tunc cruciandos ab igne non solum actione intentionali, sed etiam actione reali. — 22. Adducitur et solvitur objectio. — 23. Post diem judicii non augebitur pœna et tristitia essentialis damnatorum, sed solum dolor et pœna accidentalis. — 24. Tam pœna damni quam pœna sensus in damnatis erit inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. — 25. Deus in inferno in punitione damnatorum exercet misericordiam parcentem et mitigantem, seu partialem, non vero liberantem et totalem. — 26. Peccatum veniale in inferno punitur sola pœna temporali, sicuti etiam peccatum mortale confessum, et nondum in hac vita ejus pœna soluta. — 27. Ostenditur quis sit verus sensus illius catholici axiomatis, quod *in inferno nulla est redemptio.* — 28. Anima Christi ad omnia loca inferni descendit. — 29. Christo non fuit aliqua pœna esse in inferno. — 30. Descensus Christi ad inferos contulit animabus justorum duo maxima bona, quæ assignantur. — 31. Christus ad inferos descendens nullum de purgatorio secum duxit, nisi talis tunc pœnam totam purgatoriam quam erat subiturus solverit. — 32. Et tanto minus Christus ad inferos descendens liberavit animas æternaliter damnatas in inferno. — 33. Nec liberavit animas infantium quæ decesserant cum peccato originali. — 34. Aliquæ animæ damnatæ interdum cruciantur in aliquibus locis extra infernum per divinam specialem ordinationem ad exemplum et correctionem vivorum. — 35. Ora inferni non sunt montes Ætna, Vulcanus, nec Vesuvius, et similes. — 36. Animæ damnatæ portantur in infernum a dæmonibus. — 37. Et in die judicii descendent in infernum per miraculum absque aperitione terræ. — 38. An Trajanus imperator gentilis aliique pagani et peccatores fuerint precibus aliquorum sanctorum liberati ab inferno, *ad n.* 39. — 40. Dato quod Historia Trajani et aliæ referentes aliquos gentiles et peccatores fuisse per apostolos et alios sanctos de inferno eductos, essent veræ; quomodo ipsi fuerunt damnati et liberati.

(1. Inferni seu inferorum quatuor sunt loca sive sinus, juxta qualitatem pœnarum quas animæ defunctorum in illis sustinent: nempe limbus sanctorum Patrum Veteris Testamenti, limbus sive locus parvulorum in peccato originali decedentium, purgatorium, et locus damnatorum, qui infernus communiter dicitur. Sic communis theologorum sententia, teste Bellarmino, tom. II, l. II, de Purgatorio, cap. 6, vers. *Octava, est communis Scholasticorum;* Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Infernus.*

(2. Horum quatuor inferorum loca, seu quatuor inferni partes, rationabiliter desumuntur ex quatuor pœnarum generibus, quia omnia illa quatuor loca sunt pœnalia, et omnis pœna, aut est tantum damni, aut etiam sensus; et rursus aut æterna, aut temporalis. Pro pœna igitur solius damni temporali, erat limbus SS. Patrum, qui nunc

Digitized by Google

vacuus remanet; pro pœna solius damni æterna est limbus puerorum; pro pœna damni et sensus temporali est purgatorium; pro pœna damni et sensus æterna est infernus; Bellarm. loc. cit. et alii passim.

(3. Quod limbus sanctorum Patrum Veteris Testamenti fuerit subterraneus, seu in inferno, constat ex Genesi XXXVII, num. 35, ubi Jacob, audita morte filii sui Joseph, *Descendam*, dixit, *ad filium meum lugens in infernum*, quem tamen sciebat esse in limbo. Item ex Apostolo ad Ephes. IV, habetur, quod Christus *descendit ad inferiores partes terræ*; et ex Symbolo, quod *descendit ad inferos*, constat autem quod ivit ad sinum Abrahæ, unde liberaret animas sanctorum Patrum, adeoque talis limbus est in inferioribus partibus terræ.

(4. Quod limbus puerorum sine baptismo decendentium sit subterraneus, seu in inferno, habetur ex concilio Florentino, sess. ult., ubi definitur eos qui cum solo originali moriuntur mox in infernum descendere. Et tradunt communiter doctores.

(5. Quod purgatorium sit in inferioribus terræ partibus, seu in inferno, deducitur ex Apostolo ad Philippens. II, ubi habetur quod *in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (93). Quæ ultima verba solummodo de animabus purgatorii intelligi possunt, cum nequeant intelligi de animabus in inferno damnatis, quæ nedum non flectunt genua Christo, sed potius illum continuo blasphemant, juxta illud psal. LXXIII, num. 33.: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Item ex illo psal. CXIII: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Unde colligitur, adesse aliquas animas in inferioribus terræ partibus quæ Deum laudant, quæ, cum non possint esse animæ æternaliter damnatæ in inferno, debent necessario esse animæ temporaliter puniendæ in purgatorio. Item, aliis Sacræ Scripturæ textibus omissis, ex illis verbis quæ in sacrificio missæ pro Defunctis dicuntur: *Libera, Domine, animas fidelium defunctorum de pœnis inferni et de profundo lacu.* Quæ verba intelliguntur solum de animabus purgatorii, cum in inferno nulla sit redemptio. Vide verb. *Purgatorium.*

(6. Quod infernus proprie dictus sit in inferioribus terræ partibus nemo est qui dubitet; imo per omnes est locus infimus inferorum. Et de hoc est sermo in præsenti; et de hoc intelliguntur omnes illæ comminationes Sacræ Scripturæ et parabolæ evangelicæ de Servo infideli et pigro, de Zizaniis, etc., Matth. XIII. Et in hunc descenderunt Core, Dathan, et Abiron, qui ut habetur Num. cap. XVI, num. 33, *descenderunt vivi in infernum operti humo*, et in hoc sepultus est dives ille de quo Lucæ XVI dicitur: *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.*

(7. Inferorum locus et ignis ejus creatus est in prima die in qua Deus creavit mundum; Abulensis, tom. VII, in Matthæum, cap. XXV, qu. 708, in principio, Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Infernus*, litt. *L.* Tirinus in Genesim, cap. I, num. 1, et alii passim, contra Ludovicum Molinam, existimantem tertia die creatum fuisse infernum, eo quod illa die terra ornata fuisset, in cujus centro internus est. Et ratio nostræ conclusionis est, quia Deus in prima die creavit angelos; et angeli, ut habentes actus celeberrimos, statim ut creati sunt, peccaverunt, et statim damnati sunt ad ignem inferni, adeoque dicendum est in prima die creatum fuisse infernum.

(8. In inferno adest verus et proprie dictus ignis quo damnati cruciantur. Sic communis theologorum sententia, teste Tirino in Judith, cap. XVI, num. 21; Mastrio Theolog. moral., disp. 26, num. 5, contra Calvinum et alios hæreticos Et hoc deducitur expresse ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, in quibus de tali igne fit frequentissima mentio, et signanter Matth., cap. II, num. 10: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur;* et num. 12: *Paleas comburet igni inexstinguibili;* cap. XIII, num. 42: *Mittent eos in caminum ignis;* cap. XXV, n. 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* Marc., cap. IX, n. 42: *In gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur;* Lucæ, c. XIX, num. 24: *Crucior in hac flamma;* Apocalyp., cap. XIV, num. 10: *Cruciabitur igne et sulphure;* cap II, n. 9: *Missus est in stagnum ignis;* cap. XXI, num. 8: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure;* Deuteronom. XXXII, n. 22: *Ignis succensus est;* Judith, cap. XX, num. 21: *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum;* Ecclesiastici, cap. VII, num. 19: *Vindicta carnis impii ignis et vermis;* Isaiæ, cap. XXXIII, num. 14: *Quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?* Psal. X, num. 7: *Pluet super peccatores laqueos ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum;* Psalm. XX, num. 10: *Pones eos ut clibanum ignis;* Psalm. CXXXIX, num. 11: *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos.*

(9. Ignis inferni est corporeus, et ejusdem speciei cum hoc nostro elementari; Scotus in 4, dist. 44, q. 2 et 3; S. Bonaventura, ibid., p. 2, q. 1; Mastrius Theolog. mor., disp. 26, num. 6, et alii passim. Nulla enim, est necessitas illum ponendi diversum, et citata foca Scripturæ sunt adeo clara, ut nonnisi de vero corporeo igne ejusdem speciei cum nostro elementari interpretari possint, alioquin Scriptura verbo valde

(93) « *Et infernorum*, inquit D. Augustinus Calmet interpretaturus allatum ab auctore ex Epistola ad Philippenses testimonium, mortuorum ipsorumque dæmonum ac damnatorum... qui ejus nomen, nunc quidem proscindunt; sed suprema judicii die illum sui Deum judicemque agnoscere, atque adorare cogentur. » Hæc porro interpretatio auctoritati innititur S. Joannis Chrysost., Theodoreti, Estii, Menochii, Zanchii, Tirini, aliorumque. Hinc patet dæmones damnatosque, sin minus sponte, saltem coacte se flectere in nomine Jesu.

Digitized by Google

æquivoco usa fuisset, et in significatione, nobis incognita. Nec obstat quod ignis infernalis pabulo non indigeat nec sublimiorem petat locum, sicut hic noster, quia, et in propria sphæra secundum philosophos ignis alimento non indiget; et facillimum est divinæ virtuti in infimo loco eum cohibere ad damnatorum cruciatum absque eo quod, sicut ignis noster, suapte natura sublimiorem petat locum.

(10. Spiritus damnatorum ab igne infernali torquentur per modum alligationis et detentionis localis, ut in carcere, ac per alligationem et detentionem objectivam, id est cruciantur ab igne non actione physica, sed intentionali, per tristitiam quam causat. Sic Scotus, et Scotistæ in 4, dist. 44, q. 2, et etiam Nominales ibidem, et sequuntur recentiores passim; Amicus disp. 22, sect. 4; Aversa, quæst. 64, sess. 1; Joannes de S. Thoma, q. 64, disp. 24, art. 3; Nazarius, et alii citati, et secuti a Mastrio cit. disp. 26, num. 18, et in secundo sententiarum disp. 3, q. 6, art. 3, num. 527, ubi ex Suarez testatur hanc fuisse etiam opinionem S. Thomæ et Thomistarum, part. 1, q. 64, art. 3 et 4, contra Gentes, c. 90; dicitque expresse quod sententia in scholis verior et communior, tam apud veteres quam recentiores, docet dæmones et spiritus damnatorum esse igni alligatos, ita ut ab eo se liberare non possint, et ex hac alligatione cognita et nolita admodum tristari et torqueri; quam alligationem ad ignem explicant, vel per modum carceris illos detinentis in certo loco, ne pro illorum libito ubique vagari possint, vel per modum objecti determinantis illos ad continuam sui considerationem, ne expedite pro suo arbitrio valeant ad alia objecta concilanda converti.

(11. Probatur igitur ex Sacra Scriptura quod pœna ab igne inferni spiritibus damnatorum illata sit pœna alligationis et detentionis : fere enim semper scriptura explicat illam pœnam ignis per dictum modum alligationis et detentionis, et patet ex Apocalyps. xx : *Et apprehendit angelus draconem, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille et misit in abyssum*, ubi, ut vides, cruciatus dæmonum in inferno explicantur per vincula et alligationem ac detentionem. Et II Petri II : *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*; et in Epistola Catholica S. Judæ apostoli dicitur : *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum vinculis æternis sub caligine reservavit.* Et Isaiæ xxiv : *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.* Et Threnorum III : *In tenebrosis collocavit me sicut mortuos sempiternos, ut non egrediar, aggravavit compedem meum.* Et hoc idem indicat petitio illa qua Lucæ VIII, dæmones Christum rogabant, *ne illis imperaret ut in abyssum irent*, ne scilicet ibi carceris, seu alligationis et detentionis pœna punirentur, ut Patres colligunt ex illis verbis Matthæi XVIII : *Quid nobis et tibi Jesu Filii Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?*

(12. Probatur etiam auctoritate sanctorum Patrum; sanctus enim Gregorius Papa l. IV, Dialogor., c. 29, interrogatus : « Quomodo rem incorpoream tenere ignis corporeus possit? » Sic respondit : « Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? » Deinde cujusmodi sit ea pœna, declarat : « Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur; ignem namque eo ipso patitur quod videt, et quia cremari se aspicit, crematur; sicque fit, dum res corporea incorpoream exurit, tum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur; ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. » Item S. Augustinus 21, de Civitate Dei, cap. 10, ait : « Cur non dicamus, quamvis miris, verisque tamen modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Nam si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei etiam nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc potuerunt corporum suorum vinculis perpetuo alligari... Adhærebunt ergo etiamsi eis nulla sint corpora, spiritus dæmonum; imo spiritus dæmonum licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; » et consimiliter loquuntur varii alii SS. Patres, qui brevitatis gratia omittuntur.

(13. Quomodo autem dicta pœna ab igne corporeo spiritibus inferatur demonstrat Scotus in 4, dist 44, q. 2, num 5, ubi dicit quod « dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam et in appetitu sensitivo, tristitia autem est proprie in appetitu intellectivo, aut in voluntate, et consequens apprehensionem eventus alicujus objecti noliti. » Deinde, num. 7, dicit quod « ignis inferni est objectum disconveniens dæmoninibus, idque dupliciter primo ut detinens spiritum definitive; secundo ut immutans objective, et utroque modo cruciat dæmones. Primo quidem, quia nolunt detineri ab igne cui ex lege Dei se alligatos agnoscunt tanquam perpetuo carceri ac instrumento divinæ justitiæ. Unde illa nolita alligatio ac violenta detentio infert magnam tristitiam et afflictionem damnatis spiritibus, qui ob innatum libertatis morem summe tristantur, quod sibi impeditam videant potentiam motivam ne possint pro libito ubilibet vagari. Si enim brutum animal, intellectu ac libertate carens, et solum sensum et appetitum habens, dum se catena ligatum videt, adeo vehementer affligitur et torquetur, multo magis dicta alligatio et detentio affliget et torquebit nobilissimos illos spiritus. »

(14. Unde ibidem, num. 9, subjungit Scotus, quod diabolus summe tristatur; « Non enim tantum odit detentionem activam Dei et suam passivam a Deo, sed etiam odit detentionem formalem perpetuam ab illo igne, et per consequens de illa detentione formali tristatur. Cum autem tristari sit formaliter cruciari, sequitur quod ignis, ut formaliter detinens diabolum, etiam aliqua-

Digitized by Google

tenus effective ipsum cruciet. Nec refert quod ipsum non detineat effective; inde namque non sequitur quod non possit ipsum etiam effective cruciare, quia ut detinens formaliter est objectum nolitum, et apprehensum, ut disconveniens: objectum autem nolitum effective infert tristitiam. »

(15. Ostenso igitur ex Scoto quod ignis inferni cruciet spiritus damnatos eos detinendo *definitive*, ostenditur quod etiam eos cruciet ipsos immutando *objective*. « Primo namque, inquit doctor, ibidem. n. 11, intellectus angeli determinatur perpetuo ad intense considerandum ignem in ratione objecti; secundo apprendit istam determinationem, *id est necessitatem*, ad talem considerationem; tertio odit, et sicut prius istud odium oritur ex affectione commodi, ex quo vult quodcunque objectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc, et nunc illud, et promovetur ex superbia, ex qua vult uti intellectiva sua secundum imperium voluntatis propriæ, et consummatur ex invidia, propter quam odit determinari a Deo ad aliquam considerationem unicam: quarto sequitur apprehensio non tantum nuda istius considerationis sicut in secundo, sed apprehensio certa de eventu istius considerationis intensæ et perpetuæ; quinto ex hoc sequitur tristitia. »

(16. Et hæc secunda pœna, nempe detentio objectiva, quatenus intellectus ita perpetuo detinetur in intensa consideratione illius ignis vindicis in ratione objecti, ut nullatenus considerare possit alia objecta, est multo gravior et acerbior quam prima, nempe alligatio seu detentio localis sui ab igne. Ignis enim, dicit Scotus ibidem, n. 13, objective detinens intellectum angeli, magis effective ipsum cruciat quam quatenus ipsum detinet localiter. Nam, ut detinens localiter tantum, affligit dæmonem effective, quatenus est objectum nolitum; ut vero ipsum detinet objective, causat effective primam apprehensionem, ad quam determinatur intellectus, quæ est nolita, et ita hæc ultima detentio habet quasi duplicem actionem in intellectum dæmonis; prior vero habet tantum simplicem et unicam.

(17. Probatur signanter quod ignis inferni non cruciet spiritus damnatos actione physica, quia ignis ille est corporeus et ejusdem speciei cum hoc nostro elementari, ut patet ex dictis supra num. 9; adeoque naturaliter saltem non potest agere in substantias pure spirituales, quales sunt dæmones et animæ separatæ. Nec facile dictu est quod per potentiam obedientialem res materialis et corporea possit elevari ad producendum physice accidens spirituale. Et dato etiam quod hoc sit possibile, non est dicendum quod Deus velit facere continuum et æternum miraculum, ut elevet virtutem illius ignis corporei ad afficiendum physice dæmones et animas damnatas: inconveniens enim esset Deum non posse punire dæmones et damnatos sine continuo et æterno miraculo: Unde concludendum est quod dictus ignis illos cruciet et affligat non actione physica, sed intentionali.

(18. Et hoc probatur, quia, ponendo quod spiritus damnati crucientur ab igne inferni actione intentionali per tristitiam quam causat, facilius explicatur quomodo sine miraculo illo talis elevationis dæmones torqueantur vere per ignem, scilicet quatenus cognoscendo se detineri ab illo igne velut carcere, nec posse ab illo eripi, nec unquam avertere cogitationem suam ab illo sic tormentoso, quia summe nolito objecto, utpote summe opposito suæ potentiæ motivæ et intellectivæ a tali alligatione locali, et detensione objectiva, ut summe eis displicita, summam et intensissimam concipiunt tristitiam. Hic autem modus torquendi est intentionalis et moralis, cum causet tristitiam, quæ est passio spiritualis in intellectu et voluntate, adeoque ignis inferni cruciat illos damnatos spiritus pœna intentionali. Et hæc tristitia ac spiritualis cruciatus quem ignis causat in mente illorum damnatorum spirituum per dictam duplicem alligationem ac detentionem localem et objectivam, est illa incorporea flamma ac invisibilis ardor quem S. Gregor. cit. sup. num. 12, siebat res incorporeas trahere ab igne corporeo et materiali: « Res corporea incorpoream exurit, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. » Unde hæc pœna dicitur pœna sensus, non quia per actus sensuum vel potentiam sensitivam sustineatur, sed quia causam et originem habet ab aliquo sensibili corpore quod causa est hujus pœnæ; quod in præsenti ignem esse habetur ex Scripturis et Patribus allegatis supra n. 11 et 12, ac aliis similibus.

(19. Quamvis in inferno præter pœnam ignis, alias sensus pœnas ponat sacra Scriptura, scilicet pœnam vermis, et pœnam fletus, et dentium stridorem, et frigiditatem nimiam, tenebras, fetorem sulphuris, spirituum procellas, etc., ut patet ex pluribus ipsius testibus, et Psal. x, num. 7: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars culicis eorum;* Psalm. LIX, n. 15: *Famem patientur ut canes.* Job cap. 15, num. 21: *Sonitus terroris semper in auribus impii;* et cap. XXIV, n. 19: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius;* Isaiæ, cap. III, n. 24: *Erit pro suavi odore fetor;* Isai., cap. XXXIV, n. 3: *De cadaveribus eorum ascendet fetor;* Ezechiel., cap. XXXII, n. 6: *Irrigabo terram fetore;* Judith., cap. XV, n. 21: *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant;* Deut., cap. 31, n. 35: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum;* Jerem., cap. XXXII, num. 16: *Cibabo illos absynthio;* Apocalyp., cap. XVIII, n. 9: *Plangent, cum viderint fumum incendii ejus;* Matth., cap. II, n. 13: *Ploratus et ululatus;* et cap. VIII, n. 12: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium;* Marci, IX, n. 43, 45 et 47: *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis*

Digitized by Google

non exstinguitur ; cum pluribus similibus. Nemo tamen in hac vita scire potest distincte, et determinate, et adæquate, quænam et quot sint damnatorum pœnæ, nisi a Deo revelante eas percipiat, ut, teste Mastrio in Theol. moral., disput. 26, art. 1, n. 9, docet communis Patrum et Theologorum sententia, cum S. August. lib. I, de triplici habitaculo, cap. 1, ubi de pœnis inferni loquens ait : « Mala autem inferni dicere, vel cogitarent sunt nemo potest ; pejora quippe sunt valde quam cogitantur. » Et infra subdit : « Locus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inexstinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, et omnis, et ineffabilis mali, quod nec dici nec cogitari potest. » Et paulo inferius tandem subjungit, quod « in inferno nihil invenitur quod desideratur, nihil videtur, nihil sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. » Et concludit, quod « omne malum abundat in carcere diaboli, et nullum bonum. » Et consimiliter, loquuntur alii passim Sancti Patres, et Theologi ; et in Evangelio ipso Lucæ, XVI, n. 28, vocatur infernus *locus tormentorum*, ubi Ugo Cardin. sic habet : « Bene dicit locum tormentorum, ubi omnia genera tormentorum sunt congregata. »

(20. Homines damnati in inferno, post judicium universale, etiam quoad corpora sunt igne cruciandi. Est de Fide, et communis doctorum ; et habetur aperte ex Matth. 25, n. 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* ; et ex aliis consimilibus Script. locis. (21. Unde, licet non sit improbabile quod damnati post judicium actione tantum intentionali ab igne sint cruciandi ; Absolute tamen tenendum est esse tunc cruciandos ab igne, non solum actione intentionali, sed etiam actione reali ; id est ignis post judicium cruciabit homines corpore et anima præditos, non solum actione intentionali, id est per dolorem in appetitu sensitivo causatum, sed etiam actione reali, revera corpus comburente, quamvis non corrumpente. Hic enim dicendi modus conformior est Sanctorum dictis, et ipsius sacræ Scripturæ ubique dicentis damnatos igne inferni esse cruciandos. Ignis autem non cruciat nisi actione reali, et executive damnatorum corpora calefaciendo et ignefaciendo, et dolorem intensum juxta peccatorum gravitatem et quantitatem causando ; Mastrius loc. cit., num. 25, cum sancto Bonav. et alliis allegatis.

(22. Nec valet objicere quod sic homines damnati post judicium magis torquerentur, quam Dæmones ; nam homines, præter pœnam illam intentionalem tristitiæ in anima ex alligatione locali, et detentione objectiva sentirent etiam diras et physicas pœnas quas non sentirent dæmones. Non valet, inquam, quia novit Deus sic attemperare pœnas animæ cum corporeis, ut ambæ simul commensurentur peccatis tam dæmonum quam hominum.

(23. Post diem judicii pœna et tristitia essentialis damnatorum non augebitur, quamvis augeatur dolor propter passionem et tormenta corporum, et pœna accidentalis ex multitudine damnatorum. Sicut enim post diem judicii universalis et corporum resurrectionem non augebitur in beatis gloria essentialis, sed solum gloria accidentalis, ita in damnatis non augebitur pœna et tristitia essentialis, sed solum pœna accidentalis ; Mastrius loc. cit., num. 27, et alii passim.

(24. Tam pœna damni quam pœna sensus in damnatis erit inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. Sicut enim beati inæqualem habent beatitudinem juxta meritorum inæqualitatem, ita damnati quoque inæqualem debent habere pœnam, sive damni, sive sensus, juxta inæqualitatem demeritorum, juxta illud Apostoli ad Romanos, cap. II, n. 6 : *Reddet unicuique juxta opera ejus*. Et Apocal., cap. XVIII, num. 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Et ibidem, cap. XXII, num. 12 : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Et Deuteronom., cap. XXV, num. 3 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*. Scotus in 4, dist. 44, qu. 2, et dist. 50, q. 6 ; Mastrius loc. cit., a num. 33 ad 36, et alii passim.

(25. Deus in inferno in punitione damnatorum exercet misericordiam parcentem et mitigantem, seu partialem, non vero liberantem, seu totalem ; sic expresse Scotus in 4, dist. 46, q. 4. in fin. ; Mastrius loc. cit., a num. 51 ad 55 : quod etiam docuerunt ibid. S. Th. et S. Bonav. Et prima pars colligitur ex illo ps. LXXVI : *Nunquid oblivisceturmisereri. Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et ex illo psalm. CXLII : *In misericordia tua disperdes omnes inimicos tuos* ; et ex illo Habacuc III : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*. Secunda autem pars colligitur ex illo Jacobi II : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam* ; et ex aliis similibus. Unde Scotus, l. c., ad conciliandos Scripturæ textus, qui quantum ad hoc videntur sibi contrarii, et demonstrandum quomodo misericordia in punitione damnatorum concurrat cum justitia, duplicem in Deo misericordiam distinguit ; unam totaliter a miseria liberantem, qua Deus utitur cum in hac vita electos liberat a servitute diaboli vel ab omni alio malo tam spirituali quam corporali, sive imminente sive præsente, defendit ; alteram parcentem, vel mitigantem, seu partialem, qua Deus utitur, vel in hac vita, vel in alia vita, sed tamen citra condignum demeriti, condonando scilicet aliquam partem pœnæ, licet non totam, juxta demerita : unde prima dicitur misericordia totalis, quia omne prorsus malum aufert ; secunda vero partialis, quia solam partem tollit malorum. Et sic illud Jacobi II : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam*, loquitur de misericordia liberante et totali, non autem de parcente et partiali.

(26. Peccatum veniale, sive in hac vita dimissum quoad culpam, sive non, licet

Digitized by Google

mortali conjunctum, in inferno punitur sola pœna temporali, sicuti pariter pœna peccati mortalis hic remissi, sed non in hac vita soluta, persolvitur ac terminum habet in Inferno : sic Scotus in 4, dist. 21, qu. 1, quem sequuntur Scotistæ omnes, et nominales, et alii plurimi apud Mastr. lib. II, sent. disp. 6, de Peccatis, quæst. 8. Vide verb. *Peccatum*, n. 78 et 79.

(27. Quisnam sit verus sensus illius catholici axiomatis, quod *in inferno nulla est redemptio*. Vide verb. *Peccatum*, n. 80.

(28. Anima Christi ad omnia loca inferni descendit. Colligitur ex illo Ecclesiastici cap. XIV, n. 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes.* Et S. August. Epist. 99 dicit, « Christum descendisse ad loca inferni, ubi erant dolores et tormenta. » Et S. Fulgentius, lib. III, ad Transimundum, cap. 30, dicit, « Christum descendisse usque ad infernum, ubi solebant peccatorum animæ torqueri. » Et S. Cyrillus Hierosolymitanus, Cath. 4; S. Ambrosius in libro de Mysterio Paschæ, S. Eusebius Emissenus in Oratione de Pascha, et alii Patres, dum describunt terrorem gehennæ ac dæmonum in descensu Christi, aperte indicant Christum præsentiam suam illis manifestasse. Sic cum aliis Bellarminus, t. I, de controversiis Fidei, lib. IV, de Anima Christi, c. 16, lit. *A* et B, ubi ait quod non videtur satisfacere id quod dicit S. Thom. 3, part. q. 52, art. 2 : nempe, quod Christus per realem præsentiam solum descendit ad limbum Patrum, per effectum autem ad omnia loca inferni. Nam, dicit ipse Bellarminus, hoc modo possumus cum Durando dicere ad nullum locum Christum descendisse aliter quam per effectum, cum Scriptura non distinguat loca.

(29. Christo non fuit aliqua pœna esse in inferno, anima enim Christi, dum fuit in inferno, fuit quidem in loco pœnæ, sed sine pœna : S. Bonav. in dist. 22, q. 4, cujus loquendi modus, teste Bellarm., l. c., litt. *D*, videtur magis conformis SS. Patribus.

(30. Descensus Christi ad inferos contulit animabus justorum duo maxima bona, nempe beatitudinem essentialem eductionem in cœlum. Beatitudinem enim essentialem continuo illis præstitit, juxta illud Ecclesiastici, cap. XXIV, num. 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ..... illuminabo omnes sperantes in Domino* ; et illud Lucæ 23: *Hodie mecum eris in paradiso ;* quod Origenes homil. 15, in Gen. asserit dictum fuisse non solum latroni, sed etiam omnibus justis qui in Inferno seu in limbo sanctorum Patrum erant. Et Tirin. in cit., cap. XXIII Luc., n. 43, claram Dei visionem, intuitu mortis Christi, statim ac exspiravit concessam fuisse omnibus in limbo; eductionem autem in cœlum præstitit illis die suæ Ascensionis juxta illud : *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem.*

(31. Christus ad inferos descendens nullum de purgatorio secum duxit, nisi talis tunc pœnam totam purgatoriam quam erat subiturus solverit : Tostatus Paradoxon 5, cap. 118; S. Thomas 3, par. quæst. 52, art. 8, ubi docet, animas purgatorii non esse liberatas simpliciter ex descensu Christi ad inferos ; Bellarmin. loc. cit., cap. 16, et alii contra alios. Non enim tunc liberavit Christus nisi illos qui habuerunt talem dispositionem qualem habent qui nunc liberantur.

(32. Et tanto minus Christus ad inferos descendens liberavit animas æternaliter damnatas in inferno, quia IN INFERNO NULLA EST REDEMPTIO : Sic doctores *communiter.* (33. Nec liberavit animas infantium qui decesserant cum peccato originali; pueri enim in limbo manentes semper ibidem manebunt : Tostatus Paradoxon 5, cap. 126 ; Bellarminus loc. cit., cap. 16, et alii. Vide verb. *Peccatum*, n. 66 et 67.

(34. Aliquæ animæ damnatæ interdum cruciantur in aliquibus locis extra infernum per divinam specialem ordinationem, ad exemplum et correctionem vivorum; Tostatus de statu Animarum, conclusione quarta; sanctus Gregorius in quarto Dialogorum, et alii plures ; et patet ex variis apparitionibus et revelationibus relatis apud Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ, verb. *Infernus*, et apud multos alios.

(35. Ora inferni non sunt montes Ætna, Vulcanus, nec Vesuvius, et similes : Tostatus Paradoxon 5, cap. 10, et alii. (36. Animæ enim damnatæ portantur ad infernum a dæmonibus : Tostatus tom. VII, in Matth., cap. 25, q. 779, et alii. (37. Et in die judicii descendent in infernum per miraculum absque terræ aperitione : Tostatus Paradoxon 5, cap. 187, et alii.

(38. An Trajanus imperator gentilis aliique pagani et peccatores fuerint precibus aliquorum sanctorum liberati ab inferno, variant doctores. Sanctus enim Joannes Damascenus in Oratione de mortuis dicit orationibus sanctæ Theclæ liberatam fuisse de inferno animam Falconillæ cujusdam feminæ paganæ; et orationibus sancti Gregorii Papæ animam Trajani imperatoris. Quod de anima Trajani imperatoris refert, et ad longum probat Abulensis in libro quarto Regum quæst. 57, Alphonsus Ciacconius in Apologia historiæ Trajani, et alii plures. Et in vita sancti Nicolai de Tolentino legitur ejus precibus liberatam fuisse de inferno animam sui consobrini. Sanctus Gregorius libro primo Dialogorum cap. 12. scribit a sancto Severo excitatum fuisse quemdam virum pessimum qui a dæmonibus in infernum deducebatur. Ægesippus libro tertio, capite secundo, refert, beatum Petrum excitasse affinem quemdam Cæsaris ethnicum a morte. Sanctus Ambrosius sermon. 90, et Maximus sermon. 2, de Sancta Agnete, scribit ab ea excitatum filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Evodius libro primo de miraculis Sancti Stephani dicit puerulum mortuum ante baptismum ad reliquias sancti Stephani fuisse excitatum : et de multis aliis gentilibus et paganis eductis de inferno per apostolos et viros sanctos Novi Testamenti refert et probat Abulensis locis cita-

Digitized by Google

tis, dicens multos ex illis qui erant per sententiam definitivam damnati in inferno eductos ab ipso fuisse per apostolos et viros sanctos, revocando animas eorum ad corpora, ut ibi pœnitentiam agerent et salvarentur.

(39. Melchior Canus autem libro 11, de locis Theolog., c. 2, absolute improbat historiam de Trajano imperatore, ut conflictam. Dominicus a Soto in 4, distinct. 45, quæst. 2, art. 2, et alii plures, ut incredibilem tenent hanc Trajani historiam; in quorum sententiam se magis propendere fatetur eruditissimus Bellarminus tom. II, de Controversiis lib. II, cap. 8, de Purgatorio, variis rationibus probans librum illum referentem hanc Trajani historiam non esse Damasceni.

(40. At dato etiam quod historia Trajani et aliæ referentes alios gentiles et peccatores fuisse per apostolos et alios sanctos de Inferno eductos, essent veræ, adhuc dicendum esset nec Trajanum nec alios gentiles et peccatores fuisse damnatos absolute et per sententiam definitivam ad infernum; sed, cum mererentur pœnas æternas, fuisse suspensam eorum absolutam, definitivam, æternalem sententiam, propter prævisas sancti Gregorii et respective aliorum sanctorum preces; et interim per sententiam interlocutoriam fuisse punitos in inferno secundum præsentia eorum demerita. Nec immediate ex inferno ad cœlum transiisse, sed prius fuisse suscitatos, et tunc gentiles baptizatos, et peccatores confessos, pœnitentiam in hac vita egisse, et sic salvatos fuisse. Ita communis sententia, et solutio S. Thomæ, Durandi, Richardi, et aliorum in 4, dist. 45, art. 2; et sequitur Bellarm. loc. cit., cap. 8, vers. *Respondeo*, et vers. *At quid respondebit*; et alii.

APPENDIX,

SIVE NOVUS DE INFERNO ARTICULUS.

Infernus Græce ἅδης, hebraice *scheol*, subterraneum terræ locum, sive infra terram positum designat. Negari non potest quin hac voce designatum quandoque fuerit in Scriptura sepulcrum. Doctissimus Calmet, Patres ac nonnullos interpretes secutus, Geneseos XXXVII, v. 35, Jacobum inferni nomine sepulcrum designasse opinatur per hæc verba: *descendam lugens in infernum*, scilicet dolore confectus, ingemiscens, ad sepulcrum properabo: eademque ratione exponit locum Num. XVI, v. 30, expressum, quo Core, Dathan et Abiron terræ hiatu viventes sepulti, in infernum absorpti dicuntur: atque hoc sensu vita functi hominis corpus in infernum, sive subtus terram positum dicitur. Nos vero inferni nomine locum tantum designamus in quem animæ a corpore separatæ deveniant. Inter omnes convenit infernum locum tormentorum exprimere in quem damnatorum animæ detrudantur: hoc enim sensu sumitur Isaiæ XIV, 9; Ezechielis XXXI, 15; Job XXVI, 5; Lucæ XVI, 23, atque alibi passim, tum in Scripturis, tum apud sanctos Patres. Significat etiam locum quemlibet animarum, quæ nondum in cœlo empyreo æterna beatitudine perfruantur; qua in acceptione sumitur psal. XXIX, 4; Act. II, v. 27, et alibi passim apud ecclesiasticos scriptores, ubi descensus animæ Christi ad inferos, vel locus ille indicatur in quo animæ sanctorum Christi adventum oppetientes detinebantur.

Fuerunt male feriati homines qui opinati sunt Judæos olim pœnas tantum et præmia temporalia agnovisse pro justorum pravorumque hominum merito: et inter hos alii a Græcis, alii vero ab Ægyptiis et Persis mutuasse Judæos putant inferni et paradisi dogmata. Sed quis hæc delirantium somnia non irrideat? Nam longe ante Hesiodum et Homerum, Græcorum antiquissimos, Isaias, Jeremias, Salomon, Psalmista, Job, atque Moyses scripserunt, ut est omnibus eruditis exploratum. At apud hos omnes mentio occurrit inferni, loci nempe suppliciorum quibus improbi in alia vita cruciantur. Videatur hac de re August. Calmet supplem. ad Diction. Bibl. verbo *Infernus*, ubi textus omnes recensentur quibus in libris Veteris Testamenti alterius vitæ suppliciorum sive inferni mentio aliqua occurrit; ex quibus perspicuum fit apud Judæos viguisse semper dogma de præmiis supliciisque vitæ futuræ; atque hujusmodi persuasionem non ex Ægyptiis et Persis, sed ab antiquis patriarchis accepisse, a quibus et vitam et religionem habuerunt. Nec putes hanc de alterius vitæ suppliciis doctrinam per solam traditionem, qua facta Adamo primum, deinde aliis quoque patriarchis revelatio propagata in Hebræa gente fuit, ad Mosem usque pervenisse. Nam ipsum quoque rationis lumen, dum demonstrat universum, et creaturas rationales Supremi Numinis providentiam regere et gubernare, ostendit etiam superesse in alia vita bonis præmia, improbis vero hominibus supplicia. Gulielmus Parisiensis, part. I de Universo, cap. 55, satis aptam congruentiam affert rationis lumini consentaneam, quæ admittendum esse suadet determinatum suppliciorum locum: «Cum universum, inquit, veluti domus quædam sit Creatoris, qui est Dominus omnium sæculorum, et Rex, ac Rector universi, necesse est ut domus ejus completa sit totalitate partium suarum, et opportuna sufficientia congruentium officiorum. Tu vero non dubitas quoniam necessarius sit carcer in omni regali palatio atque habitatione, præsertim ubi tanta multitudo latronum et justitiandorum. Amplius: nulla est civitas ordinata cui bonus rex præsideat et bono magistratu regatur, quæ non habeat locum exercendæ justitiæ. Cum igitur certum sit et omnium philosophorum consensione firmatum, universum seu mundum civitatem esse Dei altissimi, in qua cives sunt homines et angeli, hoc est omnes, et universæ substantiæ spirituales.... necesse est hanc civitatem quæ Deo altissimo rectore regitur, locum habere universalem, communem, et appropriatum exercendæ divinæ justitiæ.»

Digitized by Google

Atque hinc facile patet communem omnium cujuscunque ætatis populorum persuasionem de futuro miserrimo impiorum statu post hanc mortalem vitam, deque quodam suppliciorum loco in quo impii sunt cruciandi, a traditione originem trahere, a primis parentibus ad omnes homines traducta, quæ deinceps semper conservata fuit interiori quadam naturæ vi, quæ per rectam rationem suggerit, superesse in alia vita impiis hominibus supplicia ac paratum ipsis esse a Supremo mundi Rectore suppliciorum locum. De consensu omnium gentium cujuscunque ætatis circa dogma de suppliciis ab impiis in alia vita subeundis, plures hac ætate nostra scripserunt auctores; sed unum legere sat erit Joannem Vincentium Patuzzi ord. Præd., qui lib. De Futuro impiorum Statu hujusmodi argumentum luculenter pertractat.

Non defuerunt tamen impii atque hæretici homines qui vel omnino alterius vitæ supplicia de medio sustulerint, vel circa ea turpissime erraverint. Athei omnes ac materialistæ cum Dei providentia, et animi immortalitate, infernum dari negant. Ex hæreticis Seleuciani et Hermiani circa finem quarti sæculi, mundum istum infernum esse asserebant, et nullum aliud superesse. De iis locutus est Augustinus lib. XII de Genesi ad litteram, cap. 32, dum dixit : *Inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem.* In eadem deinceps hæresi fuit Almaricus, qui posuit unumquemque habere in se, vel paradisum, si habeat cognitionem Dei ; vel infernum, si habeat conscientiam peccati lethalis ; atque etiam Hermannus Rissuich Batavus, qui nullum post hanc vitam esse infernum asseruit. Horum vero impietatem atque errores refellunt luculentissima argumenta ex Dei providentia deducta, sacrarum litterarum auctoritas, atque omnium cujusque ætatis gentium consensus. Videatur supra citatus Patuzzi.

Inter omnes catholicos convenit inferni nomine sicut et empyrei determinatum quemdam locum designari, atque unanimi consensu oppositam huic sententiam detestantur, quam lutherani commenti sunt ex eorum secta quos Ubiquistas aut Ubiquetarios nominant. Prætendunt isti, juxta Bellarminum, Fevardentium, Gretserum, et ipsum Bezam Calvinianum, damnatorum locum sive infernum, ubique esse, sive diffusum per universum mundum, non uni, vel alteri, imo neque pluribus locis coarctatum. Quod si revera docuerunt, jam horum sententia exsibilanda potius quam refutanda est. Si enim ubique est infernus, necessario sequitur, nedum damnatos, sed et beatos cum Christo regnantes; non modo cacodæmones, sed etiam bonos angelos cunctosque homines in terra degentes, in inferno esse : quod nemo non rideat. At qui sibi persuadeat tam monstruosam opinionem cuipiam in mentem venire potuisse? Malim igitur ego ita ipsorum mentem exponere, ut infernum ubique esse asseruerint, sive diffusum per universum mundum, non quasi locus omnis damnatorum locus sit; sed quod nullum Deus puniendis improbis locum certum destinavit : verum, arbitratu suo, modo hunc, modo illum ad hujusmodi officium deligat. Quam sententiam etiam aliqui alii præter ubiquetarios amplexati sunt. Hæc tamen opinio, sic etiam temperata, falsa est, et aliena a fide cathol. Ecclesiæ, quæ docet, semperque docuit, unum esse certum locum a Deo ad punitionem reproborum sive dæmonum sive hominum deputatum. Nititur Ecclesiæ fides clarissimis sacrarum litterarum documentis, et perpetua sanctorum Patrum et fidelium traditione. Constat hæc in primis ex historia sive parabola de Lazaro et divite epulone. Nam Dives, dum in inferno inter horribiles flammas cruciaretur, elevasse dicitur oculos suos, ut videret Abrahamum, tanquam ex loco profundiore in altiorem respiciens. Abrahamus vero ipsum alloquens, præter alia, reposuit : *in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut qui hinc volunt transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Ac deinde Dives idem orans inducitur pro fratribus suis, *ne et ipsi*, inquit, *veniant in hunc locum tormentorum.* Cæcus sit oportet qui non videat in hoc textu, extento veluti digito commonstrari locum certum et peculiarem, illumque damnatis omnibus communem. Nam, et a sinu Abrahæ aperte distinguitur; et inter utrumque *magnum chaos* interjectum esse perhibetur, *et tormentorum locus* distincte nominatur, et nedum pro infelici divite, sed pro fratribus cæterisque omnibus qui ipsius vestigia secuti fuerint, deputatum. Id quoque constat tam ex eo quod corporeo igne impii sint cruciandi ut a Lucio quoque nostro demonstratum est : Tum etiam ex eo quod peculiaribus nominibus locus hujusmodi in Scripturis designatur, quæ determinatum locum indicant; nam Lucæ VIII, v. 13, et Apocalypseos XX, locus damnatorum vocatur Abyssus; Psal. XXIX, vers. 3, et Isaiæ XIV, vers 15, vocatur Lacus; atque alibi passim dicitur *Stagnum ignis. Gehenna*, etc. Quæ quidem nomina determinatum locum exprimunt. Iis accedit Patrum omnium omniumque theologorum, qui Patribus successere, consensus; quo fit ut manifesta Scripturæ oracula perpetua, atque constanti Ecclesiæ traditione ad certum quemdam indicandum suppliciorum locum ex hoc etiam capite determinentur. Dubitari ergo non potest quin, ut sanctis hominibus cœlum empyreum ita impiis certus suppliciorum locus præparatus sit qui inferni nomine designetur.

Etsi certo constat determinatum esse locum suppliciorum in quo improbi pœnas alterius vitæ subire debeant tamen nil certi Ecclesiæ judicio constitutum est circa universi situm in quo constitutus sit. Quamobrem Angelicus Doctor opusculo 10, art. 31, quærens an locus inferni sit in centro, vel circa centrum terræ, respondet : « Ad hoc dicendum videtur quod locus inferni sit infra terram ; unde Augustinus in lib. Retract. dicit : *De inferis magis dicere debuissem quod*

Digitized by Google

sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse dicantur. Ubi tamen sit infernus, an circa centrum terræ, vel circa superficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, et superfluum est de talibus sollicitari asserendo vel improbando. Id ex eo quoque patet quod variæ circa hujusmodi locum circumferantur opiniones. Quidam enim hujusmodi carcerem extra hunc mundum situm existimarunt, iis moti Evangelii verbis : *Ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Hinc Chrysostomus hom. 31, in epist. ad Rom. de gehenna disserens, ait : « Sed quonam in loco erit? Extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim regum carceres et metalla procul posita sunt, ita extra mundum hunc erit gehenna. » Ii ergo qui cum Chrysostomo sentiebant infernum locum cœlo empyreo oppositum constituerunt, etiam inferiorem ad empyreum ipsum comparatum, quamobrem infernus diceretur; sed extra terrarum orbem positum incognito loco. Alii putant in quadam telluris superficie situm esse infernum : fingunt enim regionem quamdam circa polum articum instar magnæ insulæ intemperatissimam, molestissimam, horribilissimam, et deformissimam, quæ infernus dicatur, sive locus excruciandis impiis destinatus. Alii opinati sunt impiorum carcerem in hoc aere caliginoso situm esse, quibus adhærere videtur Gregorius Nyssenus in disputat. de Anima et Resurrectione. Hæc autem opinio ex expositione hujus Paulini textus originem duxit : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus,* ad Ephes. VI, vers. 12. Atque ii omnes quos nominavimus inferni nomine non locum subtus terram positum, sed infra cœlum empyreum constitutum appellaverunt. Communis vero hac ætate nostra opinio est carcerem inferni in terræ visceribus, sive in ipsius centro situm esse ; quæ enim prope terræ superficiem situm asserit opinio universim rejicitur. Moventur theologi ad hanc amplectendam opinionem, tum quod hæc aptius exponat inferni vocabulum, ac Scripturis reliquis conformior videatur; tum quod pluribus Patribus probata sit; tum demum quia telluris centrum cœlo empyreo opponitur. Nova prorsus contra omnium sæculorum ac Gentium fidem excogitata opinio fuit de sede inferni paucis ab hinc annis a quodam Anglo scriptore, qui infernum in sole collocandum duxit, ea fortasse de causa quod perpetuus ibi sit ignis, et quod sol, juxta hujus auctoris opinionem, universi sit centrum. Opinio hæc vel ipsa novitate refellitur; eamque confutendam suscepit clarissimus Patuzzi superius a nobis laudatus, sed nondum egregium opus hac de re ab ipso præparatum publicam lucem aspexit.

Venio nunc ad quatuor illa inferorum loca expendenda, quæ Lucius noster num. 1, designat. Constituit ipse infra tellurem, limbum, sive locum SS. Patrum Veteris Testamenti; limbum, sive locum parvulorum in peccato originali decedentium; purgatorium; et locum damnatorum, sive infernum. Loca autem hujusmodi ita distinxit, ut designaret varios carceres pro varietate pœnarum quas homines in futura vita subire debeant. At hæc distinctio locorum, etsi multorum thelogorum suffragio comprobata est, tamen non adeo facile admittenda videtur; cum a scholasticis excogitata fuerit quin in Scripturis et apud antiquos Patres, vel leve fundamentum habuerint, tot astruendi veluti omnino distinctas inferorum sedes. Ad Scripturas enim quod attinet, satis constat inferorum nomine locum designare in quo animæ degant, quæ nondum in regno cœlorum cœlesti beatitudine perfruantur; sed quatuor illos carceres nullibi indicant. Nec unum reperire est ex antiquis Patribus qui de hac distinctione locorum meminerit. Quamobrem non ea confidentia exponenda videtur, ac lectoribus proponenda distinctio illa de quatuor Inferorum partibus, qua Lucius noster eam ex auctore Theatri vitæ humanæ descripsit, et inculcavit. Sed rem clarius exponemus expendendo singulas inferorum partes.

Incipiam a limbo SS. Patrum Veteris Testamenti. Locus, in quo animæ SS. patriarcharum ante Christi adventum versarentur, in illa parabola indicatur Evangelii in qua anima divitis in inferno, anima vero Lazari in sinu Abrahæ posita describitur Lucæ XXVI, v. 22 et 23. Evangelium vero magnum chaos interpositum innuit, locum inter suppliciorum divitis et Abrahami sinum, in quem per manus angelorum delatas animas fuisse narrat. At Abrahami sinum in visceribus terræ positum non asserit. Accedit etiam Patres plerosque SS. patriarcharum animas in deliciis positas asseruisse, quod vel ex indicata parabola eruitur. Imo S. Augustinus pluries asserere visus est etiam superna beatitudine animas illas fuisse donatas. At locus deliciarum in quem animæ per manus angelorum deferrentur, componi non potest cum carcere in terræ visceribus posito. Non nego, inferorum nomine fuisse quandoque etiam Abrahæ sinum designatum; sed reponere possem, tunc nimis late fuisse inferorum vocem usurpatam, pro omni scilicet loco, in quo defunctorum animæ versarentur nondum ad cœlestem patriam delatæ. Imo Augustinus contendit nunquam inferni vocem in Scriptura accipi in bonam partem. En Augustini verba : « Quanquam illud me nondum invenisse confiteor inferos appellatos ubi justorum animæ acquiescunt. » De Genesi ad lit. lib. XII, cap. 53. « Proinde, ut dixi, nondum inveni, et adhuc quæro, nec mihi occurrit, inferos alicubi in bono posuisse Scripturam duntaxat canonicam. » Ibid. : « Non facile alicubi Scripturarum inferorum nomen positum invenitur in bono. » Epist. 57. Præsertim quia nec ipsos quidem inferos uspiam Scripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quod si nunquam in divinis auctoritatibus legitur, non utique sinus ille

Digitized by Google

Abrahæ, id est, secretæ cujusdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum fuisse credenda est. Quanquam in his ipsis tanti magistri verbis, ubi ait, dixisse Abraham: *Inter vos, et nos chaos magnum firmatum est*, satis, ut opinor, appareat, non esse quamdam partem, et quasi membrum inferorum tantæ illius felicitatis sinum.» Epist. 99. Fatemur tamen Augustinum lib. xx, de Civit. Dei, cap. 43, asserere non absurde credi, animas SS. patriarcharum apud inferos fuisse, locis tamen a suppliciis impiorum remotissimis, donec eos inde Sanguis Christi ad ea loca descensus erueret. At superius expositam opinionem probare ipse videtur: quo fit ut, attenta Patrum auctoritate, incertum sit num Abrahæ sinus in terræ visceribus fuerit. Ut vero clarius appareat certo constitui non posse in terræ visceribus conclave illud in quo animæ SS. patriarcharum versarentur, hujus opinionis originem et historiam paucis recensebimus. Veterum Græcorum opinio fuit omnes mortuorum animas ad cendyn sive infernum mittendas fore. Infernum vero in duas distinguebant cellulas, alteram bonorum et virtuosorum, alteram malorum atque improborum; quam primam Latini poetæ appellaverunt Elysium, alteram vero Tartara. Ab antiquis Græcis ad Judæos paulo ante Salvatoris nostri tempora propagata hæc eadem opinio fuit, præsertim apud Phariseos, ut videre est apud Josephum Hebræum lib. xviii, c. 2 Antiquitatum Judaic. Patres nonnulli putantes vocem *Adis* eamdem retinere in Scripturis ac apud auctores Græcos habebat significationem, doctrinam illam de duplici apud inferos loco susceperunt, ac veluti hypothesim adhibuere in propriis exponendis de futuro animarum statu opinionibus. Justinus martyr, Irenæus, Tertull. aliique antiqui Patres, qui sanctorum beatitudinem ad finem usque mundi differendam opinabantur, hanc de duplici apud Inferos loco usurpavere hypothesim, ut sedem designarent animarum Sanctorum cum corporum resurrectione cœlestem beatitudinem exspectantium. S. Hieronym. aliique Patres, qui Christi animam ad inferos descendisse crediderunt, ut, disrupto antiquo carcere, animas SS. Patriarcharum in cœlestem patriam perduceret, eamdem hypothesim secuti, sinum Abrahæ in inferis constituerunt, ac hoc deinceps imitati sunt scholastici, limbum SS. Patrum in inferis adstruentes. Sed Ecclesiæ judicio nil certi definitum habemus, atque intacta fide Abrahæ sinus alibi quoque stabiliri potest extra cœlum empyreum; qui tamen locus ea ratione inferorum nomine designari potuit qua locum indicaret illis excipiendis defunctorum animabus destinatum quæ exspectarent retributionem atque æternam beatitudinem. Animadvertendum quoque est antiquis Ecclesiæ Patribus, quorum plerique Antipodas dari negaverunt, longe diversam fuisse telluris nostræ notionem ab ea quam in præsentia habemus. Non enim sphæricæ figuræ ac planetarum instar in aere suspensam tellurem existimaverunt, sed altissimis, immensis ferme radicibus in universi centro immobilem stabilitam credidere; qua de causa facilius ipsis fuit varias illas sedes in ejusdem visceribus imaginari, atque ante dictam hypothesim sine ullo examine amplecti. Quod sane non adeo facile fecissent, si terra, ejusdem figura ita ipsis perspecta fuisset, quemadmodum cognita nobis est. Accedit etiam, ex descensu animæ Christi ad inferos generalem inferri non posse Patrum consensionem in adstruendo Abrahæ sinu in terræ visceribus. Alii enim descendisse ad inferos Christi animam putarunt, *ut legem mortuorum servarent;* ita Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Gelasius; *ne nos inferos adiremus*, ut colligere est ex Tertulliano lib. de anima, cap. 51, et ex Augustino in Psal. lxxxv: alii, *ut iis qui in inferno erant prædicaret*, ut Herma, Origenes, etc.; alii præterea, *ut suum, devicta morte ac debellato Satana, triumphum omnibus manifestaret;* alii denique alios designavere hujusmodi descensus fines; atque omnes fere conveniunt Christi animam post ipsius mortem præsentia sua omnibus sese exhibuisse animabus, in quocunque illo loco degerent, iis nempe quæ in sinu Abrahæ erant, ut eas gloriæ suæ participes efficeret, reliquis vero alios ob fines. Ex quibus facile intelligere quisque poterit ne quidem ex hoc capite erui quidpiam certi posse de situ in quo Abrahami sinus constitutus esset.

Venio nunc ad limbum puerorum, quem Lucius noster cum communiori scholasticorum opinione alteram inferni partem constituit a purgatorio, et loco damnatorum omnino diversam. Distincti hujusce subterranei carceris a loco damnatorum nullum vestigium adest in Scripturis, nec mentio ulla apud Patres occurrit; sed scholastici a xii sæculo, nulla prævia revelatione ducti, illum confinxere, ut locum infra tellurem designarent iis præparatum qui solam damni pœnam sustinere debeant. Novitas ipsa suspectam hanc opinionem facit. At argumenta suppetunt quæ, meo judicio, etiam falsam luculenter ostendunt. Sat esset ad id probandum unum Florentinum concilium, ad quod auctor noster provocavit. Nam loco ab ipso laudato concilii Patres definiere, «cum peccato mortali, aut cum solo originali decedentes, mox in infernum descendere, dispari tamen pœna puniendos.» Hic vero inferni vocabulum damnatorum qui sub potestate dæmonis sunt, locum indicat. Ubi ergo est ex Florentinorum Patrum sententia limbus puerorum? Rursus parvuli sine baptismo decedentes adamitica culpa infecti sunt; ideoque cum Adamo incurrerunt «cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli,» ut definitum est a concilio Tridentino sess. 5, de peccato originali. Hac de causa Ecclesia in collatione baptismi exorcismos adhibere solet, ut hujusmodi cæremonia declaret parvulos eripi per baptismum a potestate dæmonum, et ad Christum transferri, ut aiebat Augustinus l. iii operis imperfecti contra Julianum: ubi ita concludit cap. 20. «Si non eruitur parvulus (per ba-

Digitized by Google

ptismum) de potestate tenebrarum, et illic remanet, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum?» Et lib. I de pecc. merit. et remiss., cap. 34, fingens parvulum a se baptizari inquit: «Quid in parvulo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?» In eadem fuere sententia plures summi Pontifices, scilicet S. Cœlestinus in epist. ad episcopos Galliæ cap. 12; Zosimus epist. 157, apud S. Augustinum, et S. Gregorius Magnus lib. XXVI Moralium, cap. 20, ac Patres concilii Carthaginensis anno 418 celebrati, qui parvulos nondum baptizatos *participes fore diaboli* definierunt. Et concilium denique 15 episcoporum in Sardiniam a Thrasamundo rege Vandalorum Ariano relegatorum, qui rogati a Petro diacono nonnullisque monachis Romæ commorantibus, ut brevem veluti fidei professionem adversus errores illius temporis ad eos mitterent, in lib. inscripto de Incarnat. et gratia, de peccato originali, cap. 27, hæc scripserunt: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos qui sive in uteris matrum, sive cum de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos; quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt.» Habes ergo explicatam per Ecclesiæ definitionem doctrinam, quæ tradit parvulos non baptizatos sub dæmonis potestate esse, ac tandiu in dæmonis familia manere, quoadusque per baptismum ex ipsius imperio eripiantur. At qui sub dæmonis potestate sunt constituti, atque ad ipsius familiam pertinent, in carcere cui dæmon præsit manere debent, ut consideranti patet. Et cum aliunde Patrum quos antea citavimus auctoritates adsint, quæ perspicue docent parvulos istos *in loco suppliciorum æternorum, cruciatuum, tormentorum, gehennæ, et ignis æterni, futuros esse*, manifestum est de medio tollendum esse limbum puerorum. Patribus quos citavimus addimus S. Prosperum carmine de Ingratis, S. Avitum Viennensem in Gallia episcopum, qui in carm. ad Fuscinam Sororem, *gehennæ* destinatum ait parvulum per baptismum non regeneratum; S. Prudentium episcopum Tricassinum, qui ejusdem *gehennæ* meminit; S. Isidorum l. II, dissert. Spirit. num. 26, qui hos in *æterno igne* futuros asserit; S. Gregorium Magnum, qui lib. IX Moralium, c. 12, ad tormenta perventuros scribit, et S. Anselmum, qui lib. de Concept. Virg., et peccato originali cap. 12, in inferno futuros parvulos non baptizatos asserit. Quæ quidem sententiæ satis perspicue ostendunt ante XII sæculum, non solum incognitum, sed universim quoque improbatum fuisse hunc puerorum limbum. Dicet vero Ferraris solam pœnam damni hujusmodi parvulis deberi, ideoque locum iis designandum fore in quo hanc tantum pœnam luant. At Norisius et omnes fere Augustiniani theologi, Florentius Corius, et Poncius e Franciscanis, doctissimus Petavius ex Jesuitis, ac alii bene multi illustres theologi, tum ex supra adductis Patrum sententiis, tum etiam ex eo quod in Scriptura homines peccato originali infecti vasa *iræ et vindictæ* nominentur; et quod in extremo judicii die ad sinistram judicis futuri sint, ideoque mittendi in *ignem æternum*, argumentati sunt hujusmodi parvulos pœnam quoque sensus subituros esse. Sed hac missa controversia, de qua alibi fortasse disseremus, ad præsens quod attinet, certum, exploratumque videtur, qui sub potestate sunt dæmonis ac de ipsius familia in illa futuros esse inferni regione cui rector tenebrarum præest; ubi, sicut pro varietate peccatorum dispares improbi homines sustinent pœnas, ita parvuli pœnas luent peccato originali debitas, quæcunque hæ futuræ sint.

Ad purgatorium quod attinet, orthodoxa fides docet animas sine originali et mortali peccato decedentes, in futura vita purgatorio igne tandiu esse quoadusque a peccatorum reliquiis expurgatæ fuerint ac perfecte satisfecerint. Sed num purgatorii locus sit ab inferno omnino separatus, nihil decernit. Patres vero ignem purgatorium ab igne inferni neutiquam distinguunt; ac theologi, Patrum auctoritate ducti, generatim asserunt *eodem igne quo cruciantur damnati electos purgari*. Ex quo apparet non adeo diversum esse locum, ut asserere visus est Lucius. At de iis satis.

Nunc de igne inferni paucis disserendum est. Etsi nullum Ecclesiæ decretum adest quod *definitivum* vocant de vero ac reali inferni igne, tamen universæ Ecclesiæ consensus satis superque ostendit quid sit cuique tenendum. Hinc ab omnibus theologis statim rejecta et explosa fuit Ambrosii Catharini sententia, qui ignis vocabulum allegorice intellexit, ac designari ea voce voluit in Scriptura summam aliquam pœnam, aut cruciatus omnes a reprobis perferendos. Quam quidem sententiam alii *hæreticam*, alii *hæresi proximam*, universim autem saltem *erroneam*, ac admodum *temerariam* appellant. Ex heterodoxis qui inferorum ignem tropice explicandum esse censuerunt, primo loco recensetur Origenes, qui, teste S. Hieronymo in epistola ad Avitum, in sola conscientia peccatorum inferorum supplicia posuit. Non defuere tamen qui Origenem ab hujusmodi errore vindicare conati sint, præsertim S. Pamphilus martyr in apologia pro eodem scripta, in qua loca nonnulla ex Origene deprompta affert quæ indicare videntur externam quoque intolerabilem damnatorum pœnam. Sed quidquid sit de Origene, illud pro comperto est sequiore ævo plures Origenis discipulos ansam arripuisse ex iis quæ ille in *Periarchon* scripserat, promovendi sententiam de igne metaphorico. Hanc eamdem sententiam docuit deinde Calvinus, ac postea Calvini discipuli Theodorus Beza, Lambertus Danæus, Junius, Filenus, et Reinoldus. At nemo confidentius hanc sententiam proposuit quam nuperus theologus Berolinensis, quem laudat ac

Digitized by Google

sequitur Franciscus Roches, pastor Genevensis epist. 27. Is enim postquam asseruit verum ac proprie dictum non esse ignem in sacris litteris ad puniendos impios denuntiatum, subjicit, « jam diu consensisse homines aut theologos Scripturæ verba de hoc igne prolata in sensu metaphorico accipienda esse, adeo ut ignis ille ferme exstinctus fuerit. » Sed quis hæretici hominis impudentiam non videat? Ignis semper meminit Scriptura, ut omnes fatentur. Ignem hunc materialem esse, non solum Christiani omnes, sed etiam Judæi et Mahometani docuere semper et docent; qui vero metaphorice hunc interpretari voluere, statim ac singularem hanc explicaverunt opinionem, fuere ab universo Ecclesiæ cœtu reprehensi atque damnati. Constat id ex Origenianis antiquis Ecclesiæ sæculis hanc ob causam universim improbatis; constat ex Calvino ejusque discipulis, quos vel ipsi novatores hanc ob rem irriserunt et confutarunt; constat denique ex censuris Ambrosii Catharini opinioni a theologis adjectis. Qui omnia argumentorum genera ad rem hanc pertinentia videre cupiat, legat lib. II Vincentii Patuzzi de Futuro impiorum Statu, qui, cap. 10, Patrum auctoritates quæ contra apponi solent erudite exponit, ac sequentibus capitibus omnia adversariorum sophismata luculenter dissolvit et explicat.

Hic tamen neutiquam prætermittenda duximus argumenta ab humana ratione petita, quæ ab adversariis opponuntur, cum aptissimis quas Patuzzi affert responsionibus. Ad quatuor itaque capita hæc revocantur. Primo, inquiunt, explicari non potest cujus naturæ sit ignis ille qui damnatos torquere asseritur, aut in qua materia subsistat. Secundo, quo pacto corporeus ignis in animas agat ac substantias immateriales? Tertio, si in corpora operatur eaque comburit, cur ipsa non dissolvat ac consumat? Quarto demum, quomodo non omnes reprobos æqualiter cruciet, cum æqualiter omnes afficiat ac naturaliter operetur? Hæc illi quidem ingenti verborum strepitu opponunt ac exagerant. Sed pessimæ causæ argumentum est decertare armis ab imbecilli ratione humana depromptis adversus dogmata quæ solidissimis Sacrarum Litterarum divinæque traditionis fundamentis nituntur. Quid enim? Tametsi explicare minime possem peculiarem illius ignis naturam aut actionem in immateriales substantias, aut alias difficultates solvere quæ ex eodem sobolescunt, nunquid idcirco negandus foret hujusmodi ignis nulla divinæ auctoritatis, clare distincteque loquentis, habita ratione? aut ad tropos et figuras confugiendum, cum literalis sensus lucidissime se prodit, nec citra summam violentiam ad metaphoricum detorqueri valet? Si ita res est, nulla jam erit ex catholicæ fidei veritatibus quæ pari jure negari non possit aut ad figuratum sensum referri. Nulla siquidem est quæ difficultatibus plurimis, iisque non raro gravissimis, non obvolvatur. Quæ tamen a me dicta esse nemo putet, ac si nullus ad propositas difficultates solvendas mihi pateret aditus, cum eædem prorsus sint quas tum sancti Patres, tum theologi, et Scripturarum interpretes sibi pluries objecerunt ac diluerunt. Ex quibus hic aliqua cursim delibo.

Ad illud itaque quod primo loco objectum est, dico gehennalem ignem ejusdem esse naturæ cum nostro vulgari, solumque quibusdam proprietatibus aut qualitatibus differre. Nimirum, ut ex sacris litteris et Ecclesiæ Patribus liquido constat, quod non indigeat fomentis ut conservetur, quod inexstinguibilis sit, quod non luceat, luce saltem clara et perspicua; quod non corpora tantum, sed spiritus etiam corporis expertes affligat, quæ omnia diversitatem naturæ non arguunt nec exigunt. Quod si de ejusdem materia scisciteris, respondeo eam certo definiri haudquaquam posse: neque tamen exinde quidpiam contra ejus exstantiam elici valet, cum Deus ex quacunque quæ sibi magis placuerit materia fornacem illam accendere potuerit, atque accensam perpetuo conservare. Quidam tamen non improbabiliter censent materiam illius ignis, saltem præcipuam, esse sulphurem; idque colligunt ex nonnullis Apocalypseos locis. Nam c. XIX legitur: *Vivi missi sunt hi duo viri in stagnum ignis ardentis sulphure;* et c. XX: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris;* et rursus c. XXI, de impiis omnibus dicitur: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure.* In iis quippe locis de futuræ vitæ suppliciis sermonem fieri certum est. Cum igitur diserte asseratur ignem illum ardere sulphure, jure colligi posse videtur materiam ejusdem, saltem præcipuam, esse sulphuream. Sed de hoc satis, non enim tanti est hæc objectio ut fusiorem responsionem mereatur.

Ad illud quoque quod secundo loco objectum est haud difficile est respondere. Paucis rem totam dirimi posse mihi videtur, si dixerimus gehennæ ignem torquere spiritus *modo* quodam *inenarrabili*, ut inquit Lactantius, sed plane haud absimili modo quo vulgaris ignis agit in animam spiritualem dum corpori conjuncta est. Scimus enim certissime immaterialem animam uniri corpori, vitam ipsi communicare, suppliciis corpori inflictis affici, etc., licet modum quo hæc contingant plane ignoremus. Igitur modus etiam quo animæ a corpore sejunctæ vel spiritus incorporei igne inferni corporeo afficiantur, poterit esse ineffabilis ac nobis impervius, quin tamen illud merito inficiari possimus. Hinc Joannes Clericus, sub nomine Petri Alethini, licet de veritate ignis materialis dubitanter loquatur, fatetur tamen hocce argumento neminem ad illum abnuendum induci debere, eodem ductus exemplo animæ nostræ in hoc corpore existentis. Sic enim scribit in notis ad cap. 6, lib. III, P. Petavii de Angelis: « Non negaverim ignem fore corporeum, eo quod spiritus illo sint torquendi. Hoc enim intellectu difficilius non est, quamvis aliter sentiat Petavius, quam intelligere qui motus corporis nostri mentem nostram incorpoream,

Digitized by Google

qualis vulgo statuitur, afficiant. Scio dicturum qui hæc legerit mentem esse cum corpore in unam personam conjunctam, ideoque corporis motibus necessario percelli. De re ipsa hic philosophari nolo. Sed quemadmodum mentes immateriales Deus ita cum corporibus conjunxit ut motibus eorum afficerentur, sic in loco pœnarum novis legibus naturis rerum impositis efficere posset ut spiritus igne conspicuo urerentur. » Hoc animæ nostræ exemplum late etiam prosequitur inter alios auctor Reflectionum in Histor. Judæorum tom. III, pag. 326.

Sed neque sanctus ipse Augustinus illud prætermisit in lib. XXI, de Civit. Dei, cap. 10, ubi quæstionem hanc proponit, inquiens: « Hic occurrit quærere si non erit ignis incorporalis, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? Idem quippe ignis erit, scilicet hominum attributus, et dæmonum, dicente Christo : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* » Et in medium prolata sententia tum eorum qui dæmonibus ærea quædam corpora tribuebant, tum aliorum qui eos omnes materiæ expertes faciebant, subdit, juxta horum decretum : « Non est de hac re laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? » Cæterum modi plurimi a theologis nostratibus assignari solent ad explicandum actionem ignis corporei in substantias spirituales, qui legi possunt apud Petavium lib. III, de Angel.; Suaresium item de Angelis, Sotum, et Estium in 4 sentent. dist. 50, et alios; neque enim necessarium judico huc eos derivare.

Argumentum tertio loco positum accuratissime expendit idem S. Augustinus disputans adversus gentiles, qui illud in primis opponebant : in eoque refellendo magnam partem insumit lib. XXI, de Civitate Dei. Quæ fusius disserit ille, in brevem summam redacta hæc sunt. Cap. 2 ostendit *corpora in ustione ignis esse posse perpetua*, idque declarat exemplo aliquorum animalium, quæ in mediis ignibus vivere perhibebantur. Hinc cap. 3, probat « consequens non esse ut corporeum dolorem necessario sequatur carnis interitus. Id quidem verum est, *docet*, de corpore in hoc corruptibili statu posito : quoniam si est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atque discedat : quoniam, et ipsa compago membrorum, atque vitalium sic infirma est, ut eam vim, quæ magnum, vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima, et eo connectetur modo ut illud vinculum, sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiamsi caro nunc nulla est, quæ sensum doloris perpeti possit, mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro qualis non est. » Tum, cap. 4, id pluribus exemplis naturalibus confirmat. Et cap. 5 decernit quod, tametsi modum ignoremus quo ignis corpora sine eorum consumptione comburat, non ideo hoc in dubium vocandum esse, quandoquidem multa sunt in rebus naturalibus certissima de quibus tamen reddi ratio nulla potest, sive rationem et modum ignoramus unde consistere valeant : quorum nonnulla profert. Et soluta, cap. 6, quadam objectiuncula quam inde gentiles conficere poterant, cap. 7 et 8 concludit : Omnipotentiam Dei « qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aere, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio majus et excellentius etiam ipse mundus miraculum, posse facere ut et resurgant corpora mortuorum, et igne æterno crucientur corpora damnatorum. » Hæc Augustinus.

Mihi vero rem hanc consideranti difficultatis propositæ solutionem facillime explicari ac pene oculis subjici videtur, si id ponamus, in quo jam philosophi omnes, aut ferme omnes, consentiunt, calorem scilicet aut ardorem vehementi concitatoque partium corporis motu constare vel produci, ipsumque ignem corpora calefacere ac comburere, cum in ea imprimit hujusmodi motum vehementem et concitatum (vibrationis, aut vertiginis, vel expansionis sit, parum curo). Quod igitur pleraque corpora ita agitata tandem consumantur, id causæ habet quod ex eo motu vehementi separentur invicem, ac diffluentur exiguæ primum, aliæque deinde resolutæ partes, quæ corpora ipsa componunt. Quare si nullas partes dissolvi aut a corpore separari contigerit, calidum illud, ignitumve inter flammas consistet citra ullum interitum aut consumptionem : quemadmodum etiam naturaliter hoc accidere in quibusdam corporibus experientia deprehendimus. Manifestum est enim aurum, v. g., in ardenti fornace vexatum liquatumque, insigniter calescere, quin tamen absumatur aut quidpiam primævi ponderis amittat, quia videlicet per agitationem et motum nihil a tota mole sejungitur aut evaporatur. Quod ergo naturaliter contingit in auro intelligi potest ac debet divina virtute futurum in humanis corporibus, ut nova nimirum in ipsis lege constituta, tartarei ignis actione vehementissime concutiantur, et agitentur fibræ eorum ac partes quin tamen separentur aut ipsarum textura dissolvatur.

Id evidentius apparet in systemate causarum occasionalium, quod multis philosophis plurimum arridet : juxta quod rem ita declarat quidam ex Anglia scriptor agens de pari argumento, seu de corporibus per miraculum in igne sine læsione persistentibus : « Ex hujus legis (*secundæ nempe ab ipso positæ circa motum*) suspensione corpus humanum, rubus, vel aliquid quodvis inflammabile corpus, etiamsi ardentissimo igne undique cingantur, poterunt tamen

Digitized by Google

non comburi, aut in cineres reduci, aut si forte flammas, uti rubus, capiant, concervatis in vorticem flammis, poterunt non consumi. Ignis enim particulæ non comburunt ex innata ulla virtute, aut insito impetu, ut supra vidimus. Sed quia supremus motus Auctor voluit ut ex occasione hujus impetus ipse dissolvat seu comburat projecta in ignem corpora, velle quoque poterit ut eadem non dissolvantur, etiamsi rapidissimis ignearum scintillarum cohortibus vorticoso impetu irruentibus impetantur. » Ac subinde ostendit etiam quomodo per divinam voluntatem in æternum aliquis vivere valeat, inquiens : « possunt enim omnes corporis partes in eodem situ semper retineri : possunt quoque omnes elementares particulæ a dissolutione cohiberi : sanguis, et alii humores etiamsi perenni et intestino motu intra se agitentur, impediri possunt quominus vapescant, seu quominus principia ipsorum diffringantur, aut eorumdem abradantur anguli, quominus eædem particulæ per habitum corporis non exhalent, et reparatione non egeant. Brevi, tota quanta nunc est corporis materia cum eadem figura, situ, numero, fabrica, et usu partium in statu in quo nunc est in perpetuum conservari potest, ac proinde corporis vita in æternum perdurare poterit. »

Ad postremum tandem argumentum ita respondet S. Gregorius Magnus : « Sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt : quia alius plus æstuat, atque alius minus, ita illis in uno igne non unus est modus incendii : quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. »

Verum hæc responsio moralem potius, sive meritoriam, quam physicam causam declarat, cur non una eademque vi, et impressione damnatos omnes inferni ignis excrucief. Quare aptius, ut mihi videtur, dicendum ignem illum corporeum, aut juxta plures causam esse mere occasionalem, aut juxta alios instrumentariam divinæ justitiæ vindicis, ac tanquam Dei instrumentum, vim et actionem suam in damnatos imprimere ; atque adeo a causa principe assumi posse ad majus minusve tormentum inferendum. Deus enim, qui demeritorum inæqualitatem perfecte cognoscit, ita ignem illum movet, et applicat, ut acrius in alios, in alios autem mitius operetur. Quod nemini mirum videri debet, cum et inter nos conspicua sit hujusce diversæ actionis experientia : videmus enim a voluntate unum idemque instrumentum adhibentis sæpe pendere, quod majorem minoremve ictum imprimat aut percussionem. De pœnarum æternitate agemus alio in loco.

Cum in Scripturis celebris sit sententia de inferorum portis, paucis hic explicamus quid nomine portæ inferorum veniat. Rex Ezechias in suo cantico depingens statum quo redactus esset in angustia morbi sui, ita rem explicat : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Jesus Christus, Matth. xvi, 18, Ecclesiæ suæ spondet : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Qua phrasi idem facile innuitur, ac in Psalm. ix, 15, illud : *Qui exaltas me de portis mortis;* et Psalm. cvi, 19 : *Appropinquaverunt usque ad portas mortis;* et Sap. xvi, 13 : *Deducis ad portas mortis.* Mortem, sepulcrum, infernos exhibebant Hebræi ceu regionem quo ex universo orbe homines, novam alteram acturi vitam, confluerent. Deprompsimus alibi ideam qua illi tenebantur, de sede veterum gigantum, qui reipublicæ speciem quamdam sub terram componebant. Pares recurrunt phrases apud profanos, e paribus forte opinionibus acceptæ. Achilles, apud Homerum Iliad. xi, 6, profitetur odio habere se tanquam portas mortis illum qui ore aliud, aliud corde præfert.

Instruitur infernus juxta Mahometanos septem portis, singulis vero illis suum est peculiare supplicium. Prior aditus ille est ubi Musulmani rei commissi criminis pœnas dabunt; secundus Christianis torquendis destinatur; tertius Judæis; quartus Sabiis; quintus Magis, vel Guerbis cultoribus ignis, sextus paganis et idololatris; septimus, qui profundissima abyssus, locus est hypocritarum, exteriorem tantum personam Religionis simulantium. Alii nomine septem illarum portarum designata credunt septem peccata capitalia, alii septem potissima membra hominis, quæ sunt ad peccatum instrumenta.

Habes itaque juxta superiorem expositionem idem esse *portas inferi*, adversus aliquem prævalere non posse, ac interitui, destructioni, et morti obnoxium illum non esse, cum allegoria ista nomine portæ *mortis et inferi* veluti ingressum designari videatur animæ in locum mortuorum, ac ejusdem ex hac vita transitum. Ex quo intelliges quam apte Christus Dominus eadem usus sit allegoria in citato Matthæi capite, ut innueret Ecclesiam suam supra Petrum fundatam perpetuam ac indefectibilem esse. Hac attenta allegoria Patres per inferi portas errores et hæresiarchas intellexere, per quos spiritus nequitiæ Ecclesiam Christi dilacerare atque destruere conatur. Hinc S. Epiphan. in Ancor. num. 9, *Portæ inferi*, inquit, *sunt hæreses et hæresiarchæ.* Et in Epistola encyclica octavæ generalis synodi, post relata verba « Portæ inferi non prævalebunt » hæc habentur : « Multoties alias inferi portas apertas contra Ecclesiam, et devorare eam tentantes obstruxit, contrivit, atque destruxit, hæreticas videlicet opiniones et iniqua conamina quæ in præteritis generationibus per sua tempora sunt exorta, sed nihilominus, et instantibus temporibus, inferno proprium os aperiente et dilatante, protector factus est Christus, » etc.

Responsio auctoris.

In hoc articulo Rom. *Theologus*, n. 6, hæc habet : « Venio nunc ad quatuor illa infero-

Digitized by Google

rum loca expendenda quæ Lucius noster num. 1 designat..... At hæc distinctio locorum, non adeo facile admittenda videtur..... Quamobrem non ea confidentia exponenda videtur, ac lectoribus proponenda distinctio illa de quatuor inferorum partibus, qua Lucius noster eam ex auctore Theatri vitæ humanæ descripsit et inculcavit. » Sed distinctionem illam quatuor inferorum partium descripsi ego et inculcavi, confisus oraculis Clement. VIII et Bened. XIV : qui in constitut. de doctrina Christiana populis tradenda, incip. : *Et si minime*, § 17, expresse habet : « Clementis Papæ VIII aliorumque prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hortamur in Domino, et enixe commendamus, in doctrina Christiana tradenda, adhiberi libellum de Clementis ejusdem mandato a cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata congregatione diligenter examinatum et approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus idemque modus in docendo et discendo Christianam doctrinam ab omnibus teneretur. » Et in hoc libello, qui titulum præ se fert : *Dottrina Cristiana composta per ordine di N. S. Papa Clemente VIII, dal R. P. Roberto Bellarmino della Compagnia di Gesù, cardinale di S. Chiesa* in declaratione quinti articuli Symb. Apostol. sic præcise traditur : *Ma in questo profondo della terra vi son quattro comme grandissime caverne : una per i dannati, che è la più profonda di tutte; così conviene che i superbi demoni e gli uomini loro seguaci siano nel più basso luogo, e più lontano dal paradiso che si possa trovare. Nella seconda caverna, la quale è alquanto più alta, vi stano quelle anime che patiscono le pene del purgatorio; nella terza, che è anco più alta, vi sono quelle anime di quei fanciulli che sono morti sensa battesimo,* LE QUALI NON PATISCONO TORMENTI DI FUOCO, *ma solo la privazione perpetua dell'eterna felicità : nella quarta, che è la più alta di tutte, stavano le anime de' patriarchi, profeti, ed altri santi, che erano morti prima della venuta di Cristo.* Unde videtur quod theologus noster, sicut suæ censuræ voluit supra in verb. *Capellanus in com.*, num 19, declarationem sacræ congregationis Concilii, ita hic etiam (ut critica oratio crescceret) voluerit ipsi subjicere adhuc ipsas pontificias sanctiones. *Et ecce plusquam Salomon hic*, Matth. XII, 42. Vide etiam ad rem S. Bonaventuram, a me allatum sub verb. *Peccatum*, num. 80, et S. Thomam, adductum in egregio Bullario præclarissimi ordinis Prædicatorum, tom. II, pag. 109; in Const. 3 Clem. V, incip. *Benedictus Deus*, sub num. 15, ubi sic expresse habetur : « Quadruplex autem est (infernus ut docet S. Thomas in 3, distinct. 22, quæst. 2, art. 1), damnatorum, scilicet puerorum limbus, purgandorum seu purgatorium, et sanctorum Patrum limbus, nempe sanctorum qui decesserunt ante Christi adventum. In primo sunt tria, scilicet tenebræ gratiæ, tenebræ gloriæ, et pœna sensus. In secundo sola duo prima. In tertio tantum secundum et tertium. In quarto erat solummodo secundum. » Hinc colligitur ex S. Thoma quis ille sit *infernus*, in quem, ut loquitur diploma, « illorum animæ, qui in peccato mortali, vel cum solo originali decedunt, pœnis tamen disparibus. » Illi siquidem, qui in sola culpa originis sunt pœnam damni duntaxat luunt; Alii vero actuali peccato lethali coinquinati pœnas non solum *damni*, sed etiam *sensus* persolvunt.

ADDITIONES CASINENSES.

De Trajani ab inferno S. Gregorii precibus liberatione, Joannes Diaconus, lib. II de Vita S. Greg., cap. 44, hæc habet : Trajano quondam ad imminentis belli procinctum festinanti, vidua quædam ei obviam procedens, flebiliterque narrans filium suum innocentem per vetitum nefas fuisse peremptum, homicidii ultionem instantissime efflagitabat. Cumque Trajanus respondisset, prælio confecto, se crimen vindicaturum, vidua ait : Si tu pugnando decedes, quis mihi justitiam redditurus sit? Cui Trajanus : Qui post me imperii habenas suscipiet delictum ulciscetur. Rursus vidua : Nonne satius tibi est ut tu mihi justitiam facias, sicque mercedem tuam recipias? Tunc Trajanus rationibus ac fletibus feminæ illius commotus, equo desiliens, crimen illico vindicandum curavit. Cujus præclari facinoris cum Gregorius Magnus per forum Trajani forte procedens meminisset, admiratione ac pietate erga clementissimum principem affectus, tandiu pro eo deflevit quousque responsum accepit se pro Trajano fuisse exauditum, videlicet pro illius liberatione ab inferno; ea tamen lege *ut pro nullo ulterius pagano preces effunderet.*

Hanc totam historiam, proindeque Trajani ab inferis liberationem, commentitiam esse, solidissimis argumentis demonstrare aggredimur.

Ac primum : si legem aliquam generalem a Deo constitutam ponamus, quæ ex sacris Scripturis vel traditione evidentissime innotescat, nullam ei exceptionem apponere fas est. Cum porro Deus legem constabiliverit de æterna impiorum in sua nequitia decedentium damnatione, deque exclusione eorum qui baptismo tincti non fuerint e regno cœlorum : Matth. XXV, Joan. III; cumque ab hac lege concessam alicui immunitatem minime in sacra Scriptura vel traditione innuatur; imo Ecclesia nulli concessam vel concedendam apertissime contestatur, dum dicit : in inferno NULLA EST REDEMPTIO; ergo Trajani ex inferis liberationem commentitiam prorsus esse concludamus necesse est.

Quod vero Joannes Diaconus loc. cit. hujusmodi rem tradiderit, nihil nos movere debet. Primo, quod is scriptor trecentis annis post S. Gregorium vixerit; secundo, quod hanc narrationem, non ex probatis actis vitæ antedicti Pontificis quæ in Romanæ Ecclesiæ scriniis diligenter asservabantur, et IN QUIBUS ALTUM DE HOC FACTO SILENTIUM, hauserit; sed ex obscuris quarumdam Eccle-

Digitized by Google

siarum Anglicanarum vel Saxonicarum monumentis, quibus hac in re Ecclesia Romana fidem denegabat suam, ut ipse profitetur, hoc sane pacto: « Legitur penes easdem Anglorum ecclesias, etc. : et infra, sed cum de superioribus miraculis, Romanorum nemo sit qui dubitet, de hoc (de facto Trajani), quod apud Saxones legitur.... vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor non præsumeret pro pagano prorsus orare, » loc. cit. — Quæ cum ita sint, narrationem sic allatam floccifaciendam esse nemo non videt.

Sed quod maxime facti hujus falsitatem evincit, illud profecto est, Gregorium M. cum universa Ecclesia constantissime docuisse POENAS INFERNI ÆTERNAS FORE, OMNIUM ET SINGULORUM DAMNATORUM RESPECTU. Et absque eo quod singulas hac de re ex ejus operibus sententias producamus, sequentem locum afferre satis sit : « Omnipotens Deus, quoniam pius est, miserorum cruciatu non pascitur ; quia autem justus est, ab iniquorum punitione in perpetuum non sedatur, » lib. XXXIV, Moral. cap. 16. Cumque hæc B. Gregorii mens fuerit, inverisimile prorsus est quod pro liberatione Trajani ab inferno preces ad Deum effundere voluerit.

Minusque nos detinere debet auctoritas Damasceni, qui eadem de liberatione Trajani ab inferis asseruit, in sic dicta *Oratione pro fidelibus defunctis*. Nam, ut cursim notemus, Damascenum octavo sæculo, longe post S. Gregorium floruisse, illud porro animadversione dignum est, hujusmodi Ecclesiæ Orientalis ornamentum, doctrinam uti supra Catholicæ Ecclesiæ de æternitate pœnarum in inferno absolute et sine exceptione in suis operibus sustinere. « Illud etiam, sic ille habet, scire non alienum fuerit, quod quæ hominibus mors est, hoc angelis lapsum exstitisse. Post lapsum enim præclusa jam est illis omnis resipiscendi facultas ; QUEMADMODUM ET HOMINIBUS POSTQUAM VITA MIGRARUNT, » lib. II, de fide Orthodoxa, cap. 41. Ex quo illud merito inferamus oportet, supradictam *Orationem* supposititicm esse, ac nullatenus Joanni Damasceno adjudicandam ; ne hunc doctissimum Patrem sibi ipsi in suis scriptis repugnantem dicamus.

Sed liceat amplius falsitates quibus ea oratio scatet recensere. Asseritur ibi Orientem atque Occidentem in liberatione Trajani D. Gregorii precibus convenire ; at id falsum est : quippe Joannes Diaconus hanc narrationem a Rom. Ecclesia improbatam satis aperte significat.

Ulterius in antedicta *oratione*, et *alia* laudatur sub nomine S. Athanasii, cui titulus : De his qui e vita discesserunt ; cum cæteroquin hæc oratio nullibi in S. Athan. operibus exstet, nec eamdem (ipsum) edidisse ex ullo monumento constet. Laudatur etiam ibi sententia quædam S. Greg. Nysseno afficta, quæ in hujus Patris scriptis minime reperitur.

Neque nos reddere sollicitos debet quod hæc Trajani historia in Euchologium Græcorum irrepserit ; siquidem Pseudamascenum pro fabellæ ejusmodi insertione Euchologio causam occasionemque præbuisse, cuique facile conjicere fas est.

Minusque super revelationibus SS. Birgittæ et Mæctildis Trajani factum asserentibus immorari nos oportet. Enimvero omnes revelationes quæ privatis personis, quantumvis virtute et sanctitate fulgentibus, fiant, si in alicujus catholici dogmatis eversionem intendant, nullius auctoritatis ac momenti apud theologos esse debere, Natali Alexandro docente, Hist. Eccles. sæc. II, dissert. 1, affirmamus : *Alioquin Spiritus Sanctus secum ipse committeretur sibique repugnaret*, quod absurdissimum est dicere.

Denique nec aliquid ponderis hujusmodi historiæ adjicitur ex auctoritate divi Thomæ in hæc verba : « Dicendum quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ita gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a pœna : sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras et damnatos fuisse ; de omnibus talibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam : secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum. Vel dicendum secundum quosdam quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnæ æternæ absoluta ; sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. » Supplem. 3, part. quæst. 71, artic. 5, ad 5 : Siquidem sancti doctoris mens non fuit historiam liberationis Trajani ab inferis calculo suo probare ; sed duntaxat, hac narratione posita, modum rite conciliativum ad illud factum explicandum proponere. Et cum de re historica agatur, nihil vetat a D. Thoma, si hanc narrationem uti veram habuisset, salva erga tantum virum reverentia, modeste recedere. — Tandem NEMINEM EX VET. SCRIPT. TRAJANI SUPRADICTUM FACINUS MEMORARE, ad hæc dissentionem auctorum in illius ab infer. liberatione referenda, vel in primis notasse sufficiat.

—

Quoad limbum puerorum, satius putamus hic afferre propositionem ex conventicula Pistoriensi (an. 1786) excerptam, atque damnatam a Pio Papa VI in constitut. *Auctorem fidei*, quo de Ecclesiæ, simulque de theologorum catholicorum doctrina magis magisque constet, tenoris sequentis.

26.

§ 29. — Doctrina quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum quem limbi puerorum nomine fideles passim designant, in quo animæ decedentium cum sola originali culpa, pœna damni citra pœnam ignis puniantur : perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis removent inducerent locum illum et statum medium expertem culpæ et

Digitized by Google

pœnæ inter Regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani;

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

INFIDELITAS.

Signa protestativa infidelitatis hæc indicat Benedictus XIV, in suis decretis pro incolis regni Serviæ incip. *Inter omnigenas*, bulla 5, tom. I, n. 89, nomina turcica assumere, infidelium templa scilicet moschæas frequentare, jejunorum dies per carnium esum profanare, ad effectum ut Mahometani credantur. Damnat etiam peccati illos qui ex hac vita emigraturi cadavera sua Turcarum sepulturæ demandarent cum istorum assistentia et mahometicis adhibitis ritibus.

ADDITIONES CASINENSES.

Inconcussa est Angelici Doctoris doctrina, ab omnibus theologis recepta, infidelitatem pure negativam, cujusmodi est in iis qui nihil audierunt de fide, non esse peccatum. « Si autem infidelitas, sic ille, accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. » 2, 2 quæst. 10, art. 1. — Quamobrem inter Baii propositiones, hæc etiam merito per Summos Pontifices S. Pium V et Gregorium XIII damnata fuit, n. 68 recensita: *Infidelitas pure negativa in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

INFIRMITAS, INFIRMUS.

SUMMARIUM.

Quænam infirmitas, et quorum judicio excuset ab auditione Sacri, ad n. 3. — 4. Et a recitatione horarum canonicarum, ad n. 18. — 19. Quæ sint observanda circa Viaticum infirmorum, ad n. 29. — 30. Infirmi, ac præsertim Fratres Minores, an teneantur ad jejunium, ad n. 32. — 33. Episcopi, parochi, et canonici infirmi an, et quando dispensentur a residentia, vel distributiones lucrentur, ad n. 35. — 36. An peccet infirmus remedia sibi procurans, ac a medicis oblata respuens, etiamsi mortis periculo laboret. — 37. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 41.

(1. Infirmitas quæ impedit egredi domo ad negotia magni momenti excusat ab obligatione audiendi missam. *Communis*, cum Suarez, Castropalao, Sanchez, Dicastillo, Gobat, et La Croix, l. III, p. 1, n. 678. (2. Imo Sanchez, Dicastill., Gobat, et La Croix cit. sic. n. 678, dicunt, quod quamvis infirmitas non impediat exire ad aliqua negotia, atque infirmus valde afficitur, adhuc excusat ab auditione missæ, si alias adsit periculum subeundi gravis incommodi. Non enim tenetur infirmus statim audire missam, si hanc audiens cum repugnantia naturæ, alterari possit et pati grave incommodum. (3. An autem in hoc, vel illo casu valetudinis censeatur incommodum sufficienter grave ad excusandum ab auditione Sacri, stari potest judicio medici, vel superioris, vel parochi, vel etiam proprio si infirmus ipse sit ita prudens ut possit per se ferre judicium; Sanchez, Dicastill., Bonac., Gobat, cum La Croix loc. cit., num. 679, et alii passim.

(4. Infirmitas gravis ob quam infirmus nequit recitare divinum officium sine læsione suæ valetudinis, vel sine incommodo, vel incremento morbi, excusat a recitatione totali. *Communis*, arg. cap. *Clericus* 2, dist. 91. (5. Non excusat tamen infirmitas levis, ut parvus dolor capitis, stomachi, vel pectoris, et interdum etiam levis febris tertiana, aut quartana, cum talis dolor aut febris non soleat tota die vehementer affligere, ita ut vacet tempus ad divinum officium recitandum. Navar. tom. IV, de orat., c. 11, n. 6, et in Manuali, cap. 25, n. 100; Sotus lib. X, de justitia, qu. 5, art. 3; Layman lib. IV, tract. 1, cap. 6; Donatus tom. IV prax. rerum Regul. quæst. 51, num. 1; Tabiena, Armilla, et omnes summistæ in verb. *Horæ Canonicæ;* Busemb. filiuc., et aliis citatis Bonacina de Horis, disp. 1, qu. 6, p. 1. (6. Infirmitas impediens infirmum ad recitandum, v. g., solum matutinum, non excusat ipsum a recitatione aliarum horarum quas recitare potest sine læsione suæ valetudinis. Est jam communis propter sequentem propositionem 5 in ordine inter merito damnatas ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, ibi: « Qui non potest recitare matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur quia major pars trahit ad se minorem. »

(7. In dubio an infirmitas sit gravis aut levis, et an infirmus seu convalescens possit sine gravi nocumento recitare totum officium aut partem, standum est judicio medici, vel superioris, aut, in horum defectu, alterius viri prudentis: Silvester, Sotus, Sanchez, Donatus loc. cit., num. 2, aliique cum Pelliz., tom. I, tract. 5, c. 8, n. 115. (8. La Croix lib. IV, num. 1225, qui insuper cum Gobat addit posse infirmum stare etiam judicio proprio, si sit ita prudens ut per se possit de talibus ferre judicium. Si autem nec supradicti, nec infirmus ipse possint solvere dubium, sed adhuc illud permaneat, tunc non tenetur infirmus tale officium recitare, quia non tenetur se periculo gravis damni et nocumenti exponere; Donatus loc. cit., num 3; Bonacina loc. cit., num 3; Castropal. tract. 7, d. 2, p. 6, n. 12; La Croix loc. cit., num. 1225; Neusser, Stoz, et alii plures. (9. Nec valet cum aliis dicere quod in tali dubio teneatur infirmus officium recitare, ex quo præceptum recitandi sit in possessione, quia id non obstat ob adjunctum periculum gravis nocumenti, ad quod pia mater Ecclesia non videtur

Digitized by Google

obligare, quia in ejusmodi dubiis vix attingi potest punctum et status obligationis, unde ne scrupulis aperiatur via, ex quo talis infirmus non possit in tali dubio et perplexitate se expedire, cum sit æque periculum nocendi valetudini, quod illicitum est, quam transgrediendi præceptum recitandi officium; in tali casu consuetudo legem interpretatur, ut sic dubitans censeatur liber. Sic citati doctores et alii.

(10. Regulares infirmi, quando non possunt nec sciunt se determinare an licite possint totum vel partem officii divini omittere, satisfaciunt præcepto dicendo psalmos, hymnos, *Pater noster*, *Ave Maria*, et alia judicio prælati, seu præsidentia loci, aut conventus assignanda. Sic concessit Leo X Minoribus apud Casarubios in compendio Privilegiorum, verb. *Infirmi Fratres*, num. 6. Et ex concessione Martini V, et Eugenii IV, facta fratribus S. Hieronymi, regulares infirmi, senes, valetudinarii, aut alias invalidi, satisfaciunt præcepto divini officii recitando aliquos psalmos, vel id, quod superiores vel sui confessores assignaverint; Casarubios, loc. cit., num. 11 et 12.

(11. Regulares infirmi ex concessione facta Minoribus de Observantia a Mart. V, Eug. IV, Call. III, Pio II ac Xisto IV, consequuntur indulgentiam plenariam in articulo mortis : Casarubios, loc. cit., num. 1. (12. Regulares infirmi in suis infirmariis, cellis, et etiam lectulis (quando commode aliter dicere non possunt), possunt promereri indulgentias stationum et alias concessas in suis ecclesiis, dicendo quinquies *Pater noster* et *Ave Maria*, pro intentione et proposito illius indulgentiæ. Sic concessit Innoc. VIII, apud Casarubios, loc. cit., num. 3. (13. Regulares infirmi ac senes in decrepita ætate constituti possunt lucrari indulgentias concessas dicentibus coronas D. N. Jesu Christi et Matris suæ, dicendo unum psalmum aut hymnum B. Virginis, aut Domini nostri. Sic concessit Leo X, apud Casarub. l. c., n. 5.

(14. Infirmi omnes qui ex recitatione divini officii versimiliter credunt aliquem dolorem capitis, aut aliquam cruditatem stomachi, vel virium lassitudinem, aut etiam febrim tardius remissuram, excusantur a præcepto illud recitandi, quia hujusmodi damna, quæ in corporibus sanis sunt levia, in ægrotis sunt gravia. Ita Sanchez in consil., lib. v, cap. 2, d. 45, n. 4; Stoz lib. I, part... num. 402; Tamburin. in Decalog. lib. II, cap. 5, § 8, a num. 13; La Croix lib. 4, n. 1224; Gobat. Pelliz, et alii, arg. cap. *Clericus* 2, dist. 91, ubi pro legitima causa non recitandi habetur inæqualitas corporis, quæ non sonat morbum gravem. (15. Imo supradicti doctores et alii cum Pelliz tom. I, tract. 5, cap. 8, n. 116, dicunt quod tales infirmi non teneantur adhuc ad recitationem divini officii, quamvis bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis causa legant; quia confabulationes ac lectiones illæ afferunt ægris recreationem, nec morbus ingravescit, sed potius levatur. Recitatio vero divini officii econtra est res seria, et ex sua natura caput gravat ac molestiam affert. (16. Item dum tales infirmi convalescunt, et adhuc vires sunt imbecilles, possunt ad aliquos dies differre recitationem, et aliquando etiam prius incipere celebrare quam recitare divinum officium. Gobat, in experient. tract. 5, num. 715; Stolz, loc. cit., num. 402; La Croix, loc. cit., num. 1224; Sanchez, et Tamburin. loc. cit. et alii plures (94).

(17. Qui ob infirmitatem non possunt Horas recitare debito tempore, possunt autem commode sine nocumento valetudinis recitare alio tempore ante, vel post, v. g. si post prandium laborant quartana, mane autem sint liberi, aut econtra, non excusantur a precepto; sic Castropal. tract. 7, d. 2, part. VI, n. 6; Stoz, loc. cit., num. 409; Tamburin. lib. I, c. 3, § 7, verb. *Horæ canonicæ*, num. 20; La Croix loc. cit., num. 1226; Pellizarius loc. cit., et alii. Et ratio est quia quod recitentur horæ hoc, vel illo tempore, est circumstantia accidentalis tantum; obligatio autem recitandi totum officium incipit a media nocte, et durat per singulas partes diei naturalis usque ad alteram mediam noctem. (18. Henriquez autem, Canus, Caramuel, et alii, volunt eos non teneri anticipare, postea supplere horas respondentes illi tempori quo ægrotant; quia obligatio anticipandi vel supplendi videtur tunc tantum esse quando impedimentum est ex nostra libertate, non autem quando est ex necessitate, uti ex infirmitate, et hanc sententiam dicunt esse probabilem; Diana part. IV, tract. 4, res. 10; Lessius l. 3, cap. 37, n. 43. Sanchez loc. cit., d. 43, num. 7; Gobat loc. cit., num. 711; Sporer in Theolog. Sacramental. num. 172, et alii (95).

(19. Si infirmus sit communicandus, et

(94) Quæ hic circa onus recitandi divinum officium afferuntur nimis laxa videntur. Consulat igitur lector hoc loco P. Antoine aliosque saniores moralistas.

(95) Multa pronuntiat Lucius Ferraris a n. 14 ad num. 18, obligationem infirmorum recitandi divinum officium spectantia, quæ, meo quidem judicio, a laxitate excusari nullatenus possunt. Quod autem majus negotium facessit illud est, quod, Diana, aliisque casuistis ducibus, veluti probabile venditatur, nimirum illos qui aliqua infirmitate præpediti officium recitare nequeunt debitis horis, non teneri anticipare, vel supplere horas tempori respondentes quo fuerunt infirmitate detenti. Hujus asserti absurditas per se constat. Certum enim est matutinis recitandis nocturnum tempus esse assignatum : pone, te sacerdotem privatum nunquam nocturno tempore assurgentem ut matutinum persolvas, nocte præterita aliquo laborasse incommodo, a quo, sole illucescente, perfecte convaluisti. Posita Ferraris sententia, te debris quidem horas diurnas persolvere, quia nullo laboras valetudinis impedimento; minime vero nocturnas ob morbum a quo jam convaluisti, quanquam si nullum pertulisses incomodum, diem expectasses ad matutinum recitandum. Imo nec prævenire teneberis, etsi prævideas morbum superventurum, quanquam assuetus sis canonicas horas anticipare, puta, matutinum recitare vesperæ antecedenti, diurnas horas de mane, etc. Quid in hac re absurdius?

Digitized by Google

desit stola, vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis; quia, quamvis ista spectent ad reverentiam Sacramento debitam, non est tamen positiva irreverentia, sed tantum omissio majoris reverentiæ; et necessitas hominis, propter quam instituta sunt sacramenta, videtur excusare : necessitas enim non habet legem, cap. *sicut.* 11, de consecrat, dist. 1; cap. *Omnes* 1, de Feriis, capit. *Consilium* 2, de observat. jejunior., cap. *Consuluisti* 3, de celebrat. Missar.; et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum : cap. *Quod non est* 4, de Reg. Juris, in 6; et sic expresse tenet La Croix lib. VI, p. 2, n. 335, et alii. (20. Infirmus, si commode jejunus exspectare non possit, communicari potest non jejunus, sed per modum viatici; *Communis*, cum la Croix, lib. VI, pag. 1, num. 602; Aversa quæst. 8, *sect.* 9, § 6; Gobat, Tamburin., Dicastill., et aliis. Inter quos non est omnino prætermittendus P. Benjaminus Elbel, part. III. Conf. 14, n. 90, ubi casum in hoc proposito valde singularem resolvit.

(21. Infirmus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici, quando est in periculo mortis constitutus, et hoc etiamsi non sit jejunus. Vide verb. *Eucharistia*, n. 34. (22. Et licet sit jejunus, recte adhuc adhibetur formula : *Accipe Viaticum.* Vide verb. *Euchar.*, 35. (23. Qui mane ante periculum communicavit ex devotione, si superveniat periculum, an teneatur eodem die per modum viatici communicare. Vide verb. *Eucharistia*, num. 36. (24. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus pos. septem vel octo dies repetere viaticum non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. Vide ibid. n. 57. (25. Quando morbus et periculum diu protrahitur post 7 vel 8 dies, potest iterum dari communio non jejuno. Vide ib. n. 38. (26. Viaticum dari debet infirmis in periculo, etiam in die Parasceves. Vide ibid. num, 39. (27. Si infirmus ob tussim vel ob aliam causam sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. Eucharistia devotionis causa. Vide ib. num. 50.

(28, 29. Pro consecrando viatico dando infirmo non est licitum sacerdoti non jejuno celebrare; S. Antonin., Suarez, Azorius, Jordanus, aliique plurimi cum Dicastil. dist. 9, n, 345; La Croix lib. VI, part. I, n. 611. Quamvis enim sacerdos teneatur celebrare jejunus solum de præcepto Ecclesiastico, et infirmus teneatur in periculo mortis sumere viaticum de præcepto divino, tamen præceptum divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia principalibus ritibus, et quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, ut recte observant Suarez, Fag. Diana, Amicus, Lugo, Tambur. Dicastill. Platell. apud La Croix loc. cit. num. 161. Tum quia in ipso casu defectu Hostiæ consecratæ infirmus excusatur a tali præcepto sumendi viaticum ob impotentiam, quia impossibilium nulla est obligatio; l. *Impossibilium*, ff. de Reg. Juris, et cap. *Nemo potest* 6, de Reg. Juris in 6, ibi : *Nemo potest ad impossibile obligari.* Aliqui tamen, ut Major., Zanard Zambranus, Philiarch. et alii tenent oppositum, et horum sententiam Suarez, Filiucius, Lugo; Dicastill. Layman, et alii vocant probabilem saltem in casu quo infirmus aliud sacramentum non possit suscipere.

(30. Infirmus non tenetur ad jejunium; *Communis.* Vide verb. *Jejunium* articulo secundo. (31. Infirmi non tenentur ad jejunium, sicuti non tenentur ad recitationem Horarum et ad audiendum Sacrum, quamvis propria culpa inciderint in infirmitatem; arg. c. *Infirmitas* 13, de pœnitentiis, et rem. Et ratio est quia etsi tales propria culpa sint impotentes, hæc tamen impotentia et hoc impedimentum ad observantiam jejunii et hujusmodi, nec a jure nec ab homine, sed ab ipso Deo illatum est, ut innuit textus in cap. *Percussio* 2, caus. 7, qu. 1, ibi : « Cum percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio. » (32. Fratres Minores non potentes jejunare bono modo propter infirmitatem vel debilitatem, non tenentur, ut eis concessit Sixtus IV, apud Casarub. in Compendio Privilegiorum, verb. *Infirmi fratres* n. 2.

(33. Episcopi infirmi, an, et quando dispensentur a residentia. Vide verb. *Episcopus*, art. 3.

(34. Canonici infirmi, an, et quando lucrentur distributiones. Vid. verb. *Distributiones quotidianæ.*

(35. Parochi infirmi, an, et quando conseantur dispensati a residentia. Vide verb. *Parochus.*

(36. Infirmus peccat quando, spretis medicorum consiliis et remediis, pro libitu suo sibi remedia procurat, seu remedia ordinaria recusat, Busemb., La Croix l. II, num. 201, et l. III, part 1, num. 769 et 775, cum aliis ibi citatis. Tunc enim vitæ suæ non consulit quantum potest et debet. In casu tamen quo aliquis infirmus diu et graviter ægrotaret, et a medicis tanquam incurabilis esset derelictus, non peccaret sumendo aliquod remedium periculosum, quia non tenetur homo se servare cum tantis doloribus, unde non censetur tunc, nisi indirecte, morti suæ cooperare : Henno tom. , tract. de conscientia, disp. 3, quæst. ult. conclus. 3, resol. 4. et alii passim. (Hæc tamen opinio non est satis tuta; *Rom. Th.*) Infirmus, etiam periculosus ad mortem, nequit licite omne remedium aut medicamentum respuere : quisquis enim tenetur vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis opitulari : Henno loc. cit.; Busemb., et La Croix loc. cit.; Diana, et alii passim. Vide verb. *Moribundus* num. 1 et 2.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(37. Infirmitatem inter legitima impedimenta recensuimus in Addit. ad verb. *Impediens.* At quia non raro accidit ut homines

Digitized by Google

nonnullis ex causis infirmitates simulent, ne modo in judicio comparere necessum habeant; hinc est quod infirmitates evidentibus probationibus probari debent, et simulatæ infirmitates a veris infirmitatibus sunt distinguendæ.

(38. Infirmitatis probatio ordinaria fit per litteras et testimonium medicorum. Paul. Zacchias in Quæstionib. Medic. Legalib. lib. II, tit. 2, qu. 1, n. 3. Quinimo in causa levi probari potest infirmitas attestatione unius medici : Strik. Jur. Dissert. vol. V, disp. 3, c. 3, n. 54.

(39. Recepta quoque est probatio infirmitatis per testes ad minus duos : Damhouder. in prax. crimin. cap. 19, num. 9; Farinac. de Testib., q. 63, in princ.

(40. Controversia vero non levis est an infirmitas, aliis deficientibus probationibus, per juramentum probari possit? Affirmant Mascard. de probat. conclus. 884, fere per tot; Carpzov. Jurisprud. Forens., part. I, constit. 9, defin. 11; Zanger. de Exception. part. II, cap. 9, num. 12; Mindan. de Process., lib. II, cap. 19.

(41. At non aliter hæc sententia admittenda est, quam si agatur de persona non suspecta de perjurio. Fides enim juramenti dependet a fide viri; Adi Strik. Juridic. dissert. vol. V, disp. 3, c. 3, num. 57.

INGRESSUS.

(1. Ingressus ecclesiæ denegari nequit mulieribus menstruatis; Benedict. XIV, tom. I, constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14, et 39. (2. Ingressus mulierum in monasteria virorum sub gravissimis pœnis prohibetur. Idem constit. 39, incip. *Regularis disciplinæ*. (3. In casibus exceptis, v. g. favore mulierum nobilium jus patronatus habentium, quomodo permittatur? Idem ibidem § 8. (4. Facultates permittendi hujusmodi ingressus revocantur et annullantur. Idem ibid. § 4 et 5. Vide tom. IX, verb. *Clausura*. Ingressus in clausuram monialium est omnibus sub gravissimis pœnis interdictus. (5. Vide dict. tom. verb. *Clausura*, et tom. V, verb. *Moniales*, art. 3, num. 99, ubi affertur ad id Pontificia constitutio.

INIMICUS.

Vide verb. Odium, *et verb.* Virtus *vers.* Caritas.

INJURIA.

Vide verb. Conservatores, *n.* 4; *et verb.* Poena, *art.* 2 *n.* 145, 146.

INQUISITIONIS S. OFFICIUM, INQUISITORES.

SUMMARIUM.

1. Inquisitionis tribunal quando erectum et quibus commissum fuerit, *ad n.* 3. — 4. Quinam olim habuerint, et nunc facultatem habeant inquisitores eligendi, *ad n.* 5. — 6. Congregatio sanctissimæ inquisitionis a quo fuerit instituta, quæ habeat jura, contra quos procedere valeat, etc., *ad n.* 14.—15. Inquisitionis officium impediens quas pœnas incurrat. — 16. Inquisitores in quibus causis et contra quas personas possint procedere vel non, *ad n.* 27. — 28. Inquisitores an possint admittere laicos ad judicandum, et an ipsis liceat aliquid pretii percipere pro actis S. Officii, *ad n.* 30. — 31. Inquisitores quos possint creare et assumere in notarios, et in quibus magistratus etiam sæculares compellere, *ad n.* 37. — 38. Inquisitores an possint procedere contra delinquentes in sua provincia, etiamsi alio se transtulerint. — 39. Quid mutuo sibi debeant inquisitores et episcopi, in causis ad fidem pertinentibus, *ad n.* 49. — 50. Quæ sint crimina in quibus inquisitores procedere possunt, *ad n.* 70. — 71. Inquisitores et episcopi ad quid teneantur in causis fidei, *ad n.* 75. — 76. An vigeat hodie constitutio qua Sixtus IV statuit ne inquisitores ordinis Prædicatorum procederint contra fratres ordinis Minorum; ac voluit inquisitores ordinis tam Prædicatorum quam Minorum a suis generalibus corripi, processari, et pœnis affici. — 77. Inquisitores quos possint absolvere judicialiter, *ad n.* 78. — 79. Inquisitoribus quæ jura competant ac privilegia, *ad n.* 86.— 87. An episcopi, parochi, vel canonici in officio inquisitionis impediti excusentur a residentia, vel distributiones lucrentur, *ad n.* 90. — 91. Familiares S. Officii an satisfaciant præcepto paschali, nisi communicent in propria parochia. — 92. An et quando vicarius, et ministri S. Officii ob violatam immunitatem censuras incurrere censeantur, *ad n.* 99. — 100. Subnectuntur additiones ex aliena manu, *ad n.* 108.

(1. Inquisitionis tribunal fuit primo erectum sub Innocent. III, ocasione hæresis Albigensium, rem eidem Innocentio proponente S. Dominico, præclarissimi ordinis Prædicatorum patriarcha, tunc Oxomensi canonico, cui primo hæc delegata inquisitoris jurisdictio commissa fuit. Paramus de Orig. Inquisitionis, lib. II, tit. 1, cap. 1, num. 13; Castil. in Histor. Ordinis Prædicatorum, cap. 17; Fernand. in concertat. Prædicat., pag. 16; Lucius Marinus Siculus in Histor. Hispan. Card. Petra, tom. III, commentar. in constit 16. Innocentii IV, n. 8, et alii passim.

(2. Inquisitionis munus seu officium fuit commissum a Gregorio IX solis patribus ordinis Prædicatorum, ut patet ex litteris datis anno 1231 eorum priori in Lombardia, quæ litteræ exstant tom. IX Conciliorum column. 335, et ex aliis inquisitoribus ejusdem Ordinis ab eodem Gregorio contra Albigenses missis, ut videri potest apud Leandr. de viris illustrib. lib. II; Bzovium ad annum 1235, a num. 4. (3. Deinde Innoc. IV tale inquisitionis officium commissit etiam Fratribus Minoribus, ut patet ex cujus constitutione incipiente *Quia tunc*, et refert cardin. Petra loc. cit., num. 9, et alii. Et aliquando fuit commissum etiam patribus Minimis Sancti Francisci de Paula : Clemens enim VII delegavit inquisitorem in regno Portugalliæ P. Didacum de Silva, dicti or-

Digitized by Google

dinis Minimorum, ut narratur in constitutione 8 Pauli III, incipient. *Illius*, § 1, ut refert card. Petra loc. c., n. 9.

(4. Superiores Prædicatorum et Minorum olim habebant facultatem eligendi inquisitores, ut patet ex constitutione 16 Innocentii IV, incip. *Quia tunc*, et ex constitut. 16 Alexandri IV, incipient. *Quod super*, et ex constit. 23 ejusdem Alexandri, incipient. *Catholicæ*, et notant Eymeric. part. 3, director., q. 3, et ibi Pegna comment. 52, § *Regulariter;* Azorius part. I, lib. VIII, cap. 18, quæst. 5; Sanctarell. de hæresi, cap. 40, dub. 1, num. 6; Delbene part. II, dubit. 195, sect. 8, num. 2; card. Petra loc. cit., num. 32. (5. Hodie tamen adempta exstat hæc facultas dictis superioribus regularibus, et inquisitores regulares eliguntur a congregatione sanctissimæ Inquisitionis, et a Sede Apostolica approbantur, exceptis solummodo inquisitoribus Hispaniæ, qui immediate ab inquisitore generali eliguntur, ut notant Salell. lib. I, cap. 2, regul. 10 et 11; Carena part. I, tit. 3, num. 5, et tit. 5, § 3, n. 11; Souza in aphor. Inquis. lib. I, c. 6, n. 6; Delbene l. c. sect. 8, n. 2; Castropal., Oper. moral., p. 1, tract. 4, disp. 8, punct. 12, § 2, n. 2; Card. Petra l. c. n. 34, et alii passim.

(6. Congregatio cardinalium sanctissimæ Inquisitionis erecta fuit a Paulo III, constit. 34, incipient. *Licet*, et denuo restituta a Sixto V, constit. 74, incipient. *Immensa*. Facultas hujus supremæ et universalis Inquisitionis est supra omnes civitates et loca Christianitatis, etiam ultra montes: Paulus III, in cit. constit. *Licet*. (7. Hæc suprema cardinalium generalium inquisitorum congregatio contra quoscunque procedit, appellationes ab aliis inquisitoribus audit, inquisitores ubivis locorum deputat, et alios, qui interesse debent et inservire in actu degradationis: Paul III, ib. (8. Hæc cardinalium generalium inquisitorum congregatio præcipere potest degradationem reorum clericorum qui damnati sunt, et uti potest brachio sæculari: Paul III, ib. (9. Potest privare beneficiis, etc., impedientes suum officium, et aliis inhabilitatibus afficere: Paul III, ib. (10. Omnia ab hac suprema universalis Inquisitionis congregatione decreta firma sunt, et observari debent: Paulus III, ib. (11. Potest procedere contra episcopos, et etiam contra cardinales hæreticos: Pius IV, constit. 67, incip. *Romanus*. (12. Quod a majori parte cardinalium hujus congregationis fuerit conclusum, ab omnibus factum esse censetur: Pius IV, constitut. 79, incipient. *Cum nos:* Pius V, constit. 23, incipient. *Cum felicis.* (13. Si duo tantum cardinales sint in congregatione, quod ipsi decernunt est ratum: Pius V, constit. 23, incip. *Cum felicis*. (14. Cum hæc cardinalium generalium inquisitorum Congregatio scribit aut præcipit aliquid ordinariis, vicariis, inquisitoribus, etc., isti statim debent rescribere et injuncta exsequi: Clemens VIII, constit. 76, incip. *Sanctissimus*.

(15. Inquisitionis officium impedieus, testes in causis fidei, aut denuntiantes offendens, carceratos extrahens, capi reos prohibens, occultans, adjuvans, consulens, vel similia in favorem reorum faciens, est reus læsæ majestatis, omni dominio privatur, ut hæreticus tractandus, infamis ipse, et filii ejus, pœnis hæreticorum subjacet, et curiæ sæculari est tradendus: Pius V, constit. 82, incip. *Si de protegendis*.

(16. Inquisitores possunt procedere in causis fidei contra quascunque personas cujusvis gradus, conditionis, vel dignitatis, contra magistratus, communitates, etc. Etiamsi habeant privilegium Sedis Apostolicæ ut contra eos non procedatur; cap. *Ut Officium*, de hæreticis in 6. Urbanus IV, constit. 2, incipient. *Licet*, § 16. (17. In causis fidei procedere possunt etiam contra quoscunque exemptos: Alexander IV, constit. 22, incipient. *Ne commissæ;* Clemens VII, constit. 27, incipient. *Cum sicut;* Paulus III, constit. 30, incipient. *In Apostolici;* Pius IV, constit. 51, incip. *Pastoralis;* Paulus V, constit. 26, incip. *Romanus;* ubi revocat facultates superioribus quorumcunque ordinum concessas cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes. (18. In causis fidei possunt inquisitores procedere etiam contra suosmet superiores ejusdem ordinis: Cochier de jurisdict. ordinar. in exemptos, part. II, q. 45, n. 58; Sousa in aphorism. Inquis. lib. I, cap. 4, n. 5; Card. Petra tom. III, Comment. in const. 23 Alexand. IV, num. 15, et alii passim. (19. An autem inquisitores procedere possint etiam contra generales religionum non conveniunt doctores: multi enim quos sequitur Diana part. IV, tract. 8, resolut. 23; Peyrin. in privileg. Minor. tom. II, Constit. 9, Pauli V, § 1, n. 2; Bordon. in Tribunal., cap. 27, n. 27, et alii, tenent non posse inquisitores procedere contra generales religionum, sed debere prius certiorare supremam cardin. inquisitionem; arg. cap. *Inquisitores*, de hæreticis in 6, et concil. Trident. cap. 11, sess. 25, de Regularibus, ubi quamvis submittat jurisdictioni, visitationi, et correctioni ordinariorum omnes parochiales ecclesias regulares, excipit tamen eas in monasteriis, et locis ubi generales seu capita ordinum sedem ordinariam et principalem habent ibi: « Exceptis etiam iis monasteriis seu locis in quibus abbates generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent »: et in continentia facti sic declarasse sac. congreg. Concilii pro ecclesia S. Hyppoliti de Faventia, quæ est sedes ordinaria et principalis generalis Camaldulensis, testatur Fagnan., lib. III, decretal. in cap. *Nullus Episcopus* 3, de Parochiis, num. 41, et ipsum sequitur Monacell: tom. I, tit. 5, formul. 1, num. 18, et tit. 6, formul. 20, num. 14, ubi affert decretum sacr. congr. Concil. in Lauden. Jurisdiction. 1 decembr. 1691, in qua, plene articulo discusso, et partibus informantibus, fuit resolutum bullam Gregorii XV incipient. *Inscrutabili* non derogasse privilegio cap. 11, sess. 25, de Regul., favore generalium ordinum concesso, et alii passim. Aliqui autem, his non obstantibus,

Digitized by Google

censent posse inquisitores procedere etiam contra generales religionum, dicentes hanc exemptionem seu exceptionem generalium non constare de jure, cum. cit. cap. *Inquisitores* loquatur solummodo de episcopis, ut advertit Freita in addition. ad Roderic. Acugna de Confessar. solic., q. 12, num. 20, et priorem opinionem procedere posse, inspecta solummodo quadam æquitate et decentia, ut ait Carena part. I, tit. 5, § 9, num. 78, et sequitur card. Petra loc. cit., num. 16.

(20. Inquisitores regulares in iis quæ ad munus inquisitionis pertinent, non sunt subjecti suis regularibus superioribus, nec eis tenentur obedire, ut de inquisitoribus Prædicatorum et Minorum expresse statuit Alexander IV constit. 23, incipient. *Catholicæ*. (21. In iis autem quæ pertinent ad statum religiosum et observantiam regularem, sunt subjecti suis superioribus regularibus, et eis tenentur obedire, ut ex cit. Constit. Alexandri IV, incipient. *Catholicæ*, docent Eymeric. in directorio part. III, q. 11 et 12, ubi Pegna, Comment. 60; Sanctarell. de hæresi cap. 40, dub. 1, n. 7; Decianus l. v, tract. Crimin., cap. 22, n. 33; Rojas de hæreticis, part. II, n. 418; Mascovius de Majestat. milit. Eccles. lib. I, part. I, cap. 11; Carena de Offic. Inquisit., part. I, tit. 5, § 8, num. 69; Salelles de Mater. Tribun. Fid. lib. I, cap. 2, regula 11, num. 13; Card. Petra, loc. c. num. 4. (22. Unde si extra officium deliquerint, certum est de juris rigore puniri posse a sus prælatis regularibus: Eymeric. loc. c., quæst. 12, num. 1; Locat. in judicial. verb *Inquis.*, n. 40; Sanctarell. cit. dub. 1, num. 7; Zanardus in director. part. II, cap. 6, quæst. 43; Rodriguez qq. regul. tom. II, quæst. 81, art. 5; Card. Petra loc. cit., num. 7, et alii. Ast tamen, quia eisdem superioribus regularibus vetita sunt ea ex quibus directe vel indirecte sui subditi inquisitores in eorum officio impediuntur; idcirco, dum isti extra officium delinquunt, poterunt quippe eorum superiores omni casu informationes capere, eosque monere et reprehendere, cum ex his nullum eis impedimentum in suo munere exercendo oriatur. Dum autem pœna est infligenda, ad eam devenire non debent, si inde inquisitores quodammodo a suo officio impediantur; et tunc informationes transmittere supremæ cardinalium Inquisitioni, ejusque mandata exspectare debent, ut post Farinac. de hæresi, q. 186, n. 132, tenent Castropal. tom. X oper. Mor., tract. 4, disp. 8, punct. 12, § 1, n. 23; Diana part. IV, tract. 8, resol. 53; Carena de offic. Inquisit., part. I, tit. 5, § 8, n. 72; Card. Petra l. c., n. 8, et alii.

(23. Inquisitores non possunt procedere contra episcopos, neque e contra, nisi habeant in commissis a Papa specialiter; sed occurrente casu suspensionis, vel accusationis, vel denuntiationis contra ipsos, debet significari Summo Pontifici; cap. *Inquisitores* 16, de hæreticis in 6; et Extravagant. de hæreticis, cap. *Cum Matthæus*. (24. Inquisitores non possunt excommunicare episcopos, nec econtra; cap. *Statuta* 20 de hæreticis in 6; et Extravagant. de hæreticis, c. *Cum Matthæus*. (25. Inquisitores non possunt procedere contra legatos vel nuntios Papæ, sed occurente casu, aut suspicione hæresis contra eos, debent id Papæ significare; cap. *Inquisitores*, de hæreticis in 6; Extravagant. de hæreticis, cap. *Cum Matthæus*. (26. Neque possunt excommunicare officiales Papæ, vel contra eos procedere; cit. cap. *Inquisitores*, et cit. cap. *Cum Matthæus*. (27. Inquisitores non possunt se intromittere in aliis causis quam in delictis contra fidem. Clement. de hæreticis, c. *Multorum* 1, § *Propter*. (28. Inquisitores non possunt in judiciis admittere laicos judices ad judicandum sub pœna (etiam inquisitoribus) excommunicationis papalis ipso facto: Julius III, constit. 11, incip. *Licet a diversis*. (29. Inquisitores non possunt extorquere a reis pecuniam modo illicito, sub pœna excommunicationis papalis ipso facto, a qua non possunt absolvi donec satisfaciant. Clement. de hæreticis, cap. *Nolentes* 2. (30. Unde pro actis S. Officii et processibus nihil possunt facere solvi, nec sibi, nec aliis officialibus, sed omnia gratis debent facere expediri. Clemens VIII, constit. 76, incipient. *Sanctissimus*.

(31. Inquisitores possunt creare et assumere in notarios clericos etiam in sacris: Urban. IV, constit. 2, incipient. *Licet*, § 3, et quosvis, sive sæculares, sive clericos, sive regulares: Pius IV, constitut. 36, incipient. *Pastoralis;* cap. *Ut officium*, § *Verum*, de hæretic. in 6. (32. In sententiis ferendis possunt assumere quoslibet peritos: Urban. IV, constitut. 2, incipient. *Licet*, § 10, cap. *Ut commissi*, de hæretic. in 6; et hi tenentur obedire, cit. cap. *Ut commissi*. (33. Possunt constringere magistratus omnes etiam sæculares ut observare faciant statuta contra hæreticos facta, sive contra fautores ac receptatores; et cogere possunt eos ad jurandum de tali observantia. Quod si nolunt jurare, fiunt infames ac suspecti in fide, et officio privandi sunt; cap. *Ut officium*, § *Compescendi*, de hæreticis in 6. (34. Possunt cogere omnes magistratus et judices ad exsequendum suas sententias, et isti debent sub pœna excommunicationis obedire: Innoc. VIII, constit. 10, incipient. *Dilectus*. (35. Possunt omnes magistratus compellere et alios ad dandum eis scripturas pertinentes ad S. Officium: Alexand. IV, constit. 18, incip. *Cupientes*. (36. In causis hæresis uti possunt brachio sæculari: cap. *Ut officium*, § *Compescendi*, de hæreticis in 6. (37. Inquisitoribus in causis fidei tenentur obedire omnes domini temporales, et si aliquem illi carcerari faciunt, isti tenentur fideliter custodire: et si illi sententiant, isti tenentur indilate obedire, non obstante appellatione rei: cap. *Ut Inquisitionis*, de hæreticis in 6.

(38. Inquisitores possunt procedere contra delinquentes in sua provincia etiamsi alio se transtulerint: Alexand. IV, const. 16, incip. *Cupientes*. (39. Possunt procedere in causis hæresis quas etiam episcopi cœperunt cognocere: Urban. IV, constit. 2, incip. *Licet*,

Digitized by Google

§ 3. (40. Possunt procedere etiam irrequisitis diœcesanis : Alexander IV, constit. 9, incip. *Ad capiendum*. (41. Inquisitor cum episcopo, et sine eo, et econtra potest citare in causis hæresis : Clementina de hæreticis, cap. *Multorum* 1, § *Propter*. (42. Inquisitor et episcopus possunt conjunctim et divisim procedere in causis hæresis, sed communiter sententiant; et si non conveniunt, referunt ad Papam : cap. *Per hoc*, de hæreticis in 6. (43. Debent communicare processus, quando divisim procedunt. Extravagant. de hæreticis, cap. *Ex eo*. (44. Inquisitor sine episcopo non potest carcerare duro vel arcto carcere qui datur ad pœnam. Clementin. de hæreticis, cap. *Multorum* 1, § *Propter*. (45. Inquisitor sine episcopo vel vicario non potest dare tormenta nec sententiare; si vero intra octo dies non possit inquisitor habere copiam episcopi vel vicarii ejus, et econtra, potest alteruter se solo id facere, postquam se requisierint : cit. Clementina, cap. *Multorum* 1, § *Propter;* Urbanus IV, constit. 2, incip. *Licet*, § 5. (46. Potest tamen episcopus aut vicarius inquisitori, et hic illis committere suas vices in dictis casibus, si nolint adesse; alias irritum est quod fit : cit. Clement. *Multorum*. (47. Vacante vero sede episcopali, loco episcopi requirendus est officialis capituli, seu vicarius capitularis, eodem modo quo supra; alias nulla est sententia : cit. Clementina *Multorum*. (48. Inquisitor cum episcopi vel vicarii consensu potest privare hæreticum officio et beneficio, et privatum declarare, excepto si episcopus contulit beneficium hæretico scienter, quia tunc sine eo sententiat; cap. *Ut commissi*, de hæreticis in 6. (49. Inquisitor non tenetur reddere rationem episcopo de expensis factis in causis hæresis : Extravagant. de hæreticis, cap. *Ex eo*.

(50. Inquisitores procedere possunt in omnibus contra fidem, ut circa hæreticos, fautores, receptatores, et suspectos de fide : Clementina de hæreticis, cap. *Multorum* 1, § *Propter*. (51. Possunt procedere contra impedientes suum officium, contra non juvantes, si requiruntur, etiamsi sit communitas, princeps, magistratus, etc. : cap. *Statutum* 9, de hæreticis in 6. (52. Inquisitores procedunt contra Saracenos, vel alios qui facti Christiani redeunt ad sectam : Gregor. XI, constitut. 2, incipient. *Admodum*. (53. Item contra Saracenos qui Christianos ad sectam suam trahunt : Gregorius XI, ib. (54. Item contra omnes maleficos et sortilegos qui malum aliquod procurant : Innocent. VIII, constit. 1, incip. *Summis*. (55. Item contra astrologos judiciarios, et alios magos, sortilegos, divinatores, et hujusmodi : Sixtus V, constit. 17, incip. *Cœli et terræ Creator*. (56. Inquisitores procedunt contra maleficos et sortilegos cum diabolo pactum facientes, a fideque apostatando alios lædentes : Gregorius XV, constit. 46, incip. *Omnipotens*. (57. Item procedunt contra astrologos qui de statu reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum judicia facere, nec non contra eos qui illos desuper consulere præsumpserint, cum innovatione dictæ constitutionis Sixti V, Urban. VIII, constit. incip. *Incrustabilis*. (58. Item contra impedientes neophytos, ne fidem complectantur : Paul III, constit. 32, incip. *Cupientes*, § 8. (59. Item contra hæreticos judicialiter confessos, et obstinatos, etiam istorum diœcesanis irrequisitis : Alexander IV, constitut. 6, incip. *Ad capiendum*. (60. Item contra hæreticos, eorumque fautores se negotio inquisitionis opponentes : Innocent. IV, constit. 16, incip. *Quia*.

(61. Inquisitores procedunt contra prædicantes doctrinam scandalosam, vel fidei contrariam, etiam regulares : Paul III, constit. 30, incip. *In Apostolici*. (62. Item contra omnes etiam regulares audentes in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, et aliis quibuscunque actibus publicis asserere quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali : Sacr. congr. sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis in palatio apostolico, coram Paulo V, sub die 31 Augusti 1617. Quod postea ad audentes asserere idem in sermonibus et scriptis privatis extendit : eadem sac. congr. coram Gregorio XV, sub die 24 maii 1622.

(63. Item contra eos qui utuntur litaniis novis non approbatis ab Ecclesia vel sacra congregatione Rituum : Clem. VIII, constit. 22, incip. *Sanctissimus*. (64. Item contra non ordinatos ad presbyteratum missam celebrantes, vel pœnitentiæ sacramentum ministrantes : Gregor. XIII, constit. 21, incip. *Officii nostri;* Clemens VIII, constit. 81, incip. *Etsi alias;* Urbanus VIII, constit. 79, incip. *Apostolatus*. (65. Item contra sacerdotes qui mulieres pœnitentes in actu confessionis ad actus inhonestos sollicitant : Pius IV, constit. 31, incip. *Cum sicut*. Et Gregor. XV, constit. 54, incip. *Universi*, hoc extendit ad sacerdotes sollicitantes quascunque personas ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis perpetranda, quomodolibet in actu confessionis sacramentalis, vel antea, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, etc. (66. Item contra confessarios negligentes monere pœnitentes ut denuntient sollicitantes aut docentes eos non teneri : Gregor. XV, in d. Constitut. *Universi*, § 7.

(67. Inquisitores procedunt contra testes falsum in causis fidei deponentes, eosque curiæ sæculari tradere possunt : Leo X, constit. 29, incip. *Intellexímus*. (68. Item procedunt contra Christianos ad Judæorum ritus transeuntes, et Judæos conversos ad illum redeuntes : Nicolaus IV, constit. 1, incip. *Turbato*. (69. Inquisitores libere procedere possunt contra Judæos et alios infideles paganos in sequentibus casibus : 1° si negaverint quæ circa fidem communia sunt cum Christianis; 2° si dæmones invocaverint aut eis immolaverint; 3° si quem Christianum hæc docuerint, vel ad ea perduxerint; 4° si hæreticas blasphemias dixerint; 5° si Christianos a fide deviaverint; 6° si infideles ad fidem Christi transire im-

Digitized by Google

pediverint; 7° si hæreticos scienter receptaverint; 8° si libros hæreticos, thalmudicos, aut alios judaicos quomodolibet damnatos tenuerint; 9° si hostiam salutarem, aut crucem, et similia, vel Christianos deriserint; 10° si nutrices Christianas retinuerint, vel easdem illa die qua Eucharistiæ sacramentum sumpserint, vel etiam diebus sequentibus, lac in latrinas effundere coegerint : Gregor. XIII, constit. 70, incip. *Antiqua Judæorum;* et concordat constit. 20 Clem. VIII, incip. *Cum Hebræorum malitia.* (70. Item procedere possunt contra eos qui dicunt usuram non esse peccatum. Clement. de Usuris cap. unic., § *Sane.*

(71. Inquisitores et episcopi tenentur procedere in omnibus causis contra fidem, ac omittentes id facere incurrunt excommunicationem Papæ reservatam : Clement. de hæreticis, cap. 1, § *Verum.* (72. Tenentur procedere sine acceptione personarum; cap. *Qualiter de accusat.* (73. Tenentur exigere juramentum ab omnibus officialibus sui tribunalis de secreto et fidelitate servandis : Clement. de hæreticis, cap. 1, § *Porro;* Innocent. IV, constit. 10, incip. *Ad exstirpandam.* (74. Item tenentur dare juramentum secreti advocato et procuratori reorum, et aliis quibuscunque manifestant dicta testium, et delicta, ut possit in causa procedi : cap. *Statuta* 20, de hæreticis in 6. (75. Tenentur prohibere ne sæculares in causis fidei se ingerant, et per censuras deterrere : Leo X, constitut. 43, incip. *Honestis.* (76. Sixtus IV, constitut. 19, incip. *Sacri,* statuit ut inquisitores ordinis Prædicatorum non procederent contra fratres ord. Minorum, et e contra; sed modo non est in praxi. Item ibidem statuit ut inquisitores ordinis Minorum et Prædicatorum a suis generalibus possint corripi, processari, puniri, et privari; sed modo non est in praxi.

(77. Inquisitores possunt absolvere judicialiter omnes hæreticos, qui pœnitentes hæresim abjurant et ad fidem revertuntur : Alexand. IV, constit. 18, incip. *Cupientes,* cap. *Ut officium* 11, de hæreticis in 6. (78. Item possunt absolvere judicialiter etiam alios fautores, receptatores, credentes, infamatos, seu suspectos de hæresi : ibidem, et Urbanus IV, constitut. 2, incip. *Licet.* (79. Item possunt non publicare nec debent nomina testium examinatorum in causa hæresis : Urbanus IV, constit. 2, incip. *Licet,* § 9; Pius IV, constitut. 26, incip. *Pastoralis.* Possunt tamen illa publicare viris illis de quorum consilio sententia danda est, et hoc sub secreto; ibidem. (80. Inquisitores possunt committere citationes et examinationes testium : Urbanus IV, constit. 2, incip. *Licet,* § 10. (81. Item possunt procedere *appellatione remota :* Clemens VII, constit. 22, incip. *Placuit.* Item in causis fidei possunt delegare et revocare delegationes : Clemens VII, in cit. constit. *Placuit.* (82. Inquisitores possunt concedere licentias portandi arma tot ministris quot per viam sibi sunt necessarii dum procedere debent in causa aliqua : Joann. XXII, constit. 9, incip. *Exigit;* Clement. de hæreticis, cap. *Nolentes.* Sed caveant ne abutantur hac facultate : Clement. ibidem. (83. Possunt concedere indulgentiam 40 dierum iis qui suæ convocationi intersunt pro exsequendo officio, seu suis concionibus pro fide habitis intersunt : Urbanus IV, const. 2, incip. *Licet,* § 12; Innocent IV, constit. 16, incip. *Quia;* Alexander IV, constitut. 18, incip. *Cupientes;* apud card. Petra tom. III, comm. ad Constitut. 16, Alex. IV, num. 9.

(84. Inquisitores et eorum officiales non possunt conveniri, excommunicari, suspendi, etc., neque ab ordinariis, neque a legatis Papæ, sine licentia Papæ : Urbanus IV, const. 4, incip. *Ne Inquisitionis;* Extravagant. de hæreticis, cap. *Cum Matthæus.* (85. Inquisitores non possunt in causis sui officii impediri a gubernatoribus aut aliis quibuscunque sub pœnis excommunicationis, etc. : Paulus III, constit. 30, incip. *In Apostolici.* Ipso facto excommunicat Julius III, constit. 11, incip. *Licet a diversis.* Inquisitores non possunt vindicari ab alio quam a Papa vel sacra congregatione Romana de processu male facto et aliis : Pius IV, constit. 48, incip. *Dudum.* (86. Inquisitores Hispaniarum in S. Officio sine Papæ licentia nullam innovationem pati possunt : Sixtus V, constit. 74, incip. *Immensa,* § 5.

(87. Inquisitoris etiam majoris officium non excusat episcopum a residentia in propria diœcesi : Sacra congreg. Concil., teste Gonzalez, ad reg. 8, Cancellariæ gloss. 43, num. 164; Barbosa Summ. Apostolicar. decision., verb. *Inquisitores,* num. 10. (88. Nec etiam excusat parochum a residentia : eadem S. Congr. conc. penes Nicol. Garciam, de Benefic., p. 3, cap. 1, num. 24; et Barbosa loc. cit., num. 10. (89. Si officiales et familiares tribunalis S. Inquisitionis sint canonici et hujusmodi, non lucrantur distributiones in abstentia ob tale officium, nisi speciali Sedis Apostolicæ privilegio muniantur : Sacr. congreg. Conc. in Toletana 4 Jun. 1594, et in Mediolanensi 3 Februarii 1635. (90. Imo, sine speciali privilegio neque lucrantur distributiones inquisitores ipsi, si sint canonici, et absint propter sanctum inquisitionis officium : cad. Sac. Congr. in citatis decretis, et rursus in Romana servitii Chori 23 Sept. 1690. (91. Familiares tribunalis S. Officii non satisfaciunt præcepto annuæ communionis per hoc quod in communione generali fieri solita feria quinta in Cœna Domini ab inquisitoribus Eucharistiam sumpserint, sed illam sumere debent a proprio parocho, ut resolvit sac. Congreg. Conc. in Neapolitana 3 Julii 1666. Nec iidem inquisitores cognoscere possunt de adimplemento ejusdem præcepti a suis familiaribus, ut suprema Inquisitio resolvit; apud cardin. Albit. de Inconstant. in Fide, cap. 29, num. 51; card. Petram tom. III, Comment. ad Constit. 29; Innocent. IV, n. 17.

(92. Vicarius S. Officii permittens officialibus sæcularibus ut propria auctoritate perquisitionem faciant, incurrit excommunicationem, et datur archiepiscopo facultas

Digitized by Google

delegandi quemcunque confessarium approbatum pro ipsius absolutione: sacr. congregat. Immunit. 29 Julii 1673, lib. I, decret. Altovit., pag. 824. (93. Vicarius S. Officii ob extractionem factam a loco immuni in personam sacerdotis, ob prætensam celebrationem duarum missarum, censetur incurrisse, et datur facultas ipsum absolvendi: sacr. congreg. Immunit. in Auximana 19 Novembr. 1680, lib: II decret. Altov., pag. 2088. (94. Ministri inquisitoris S. Officii qui de ejus mandato, in causa homicidii P. vicarii inquisitionis patrati a quodam religioso, fecerunt recognitionem cadaveris in loco immuni, et deinde extraxerunt dictum homicidam a conventu suæ religionis, et ad carceres S. Officii adduxerunt, ex utroque capite censuras contraxerunt: sacr. congregat. Immunit. in Cremonen. 1 Aprilis 1704, lib. III decret. Vallem., pag. 569.

(95. Sacræ inquisitionis Officium procedere debet juxta suas facultates et stylum contra confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina, si suspecti sint de pravo dogmate: Bened. XIV, tom. II, constit. 8, incip. *Ubi primum*. Vide etiam in nostro II tomo verb. *Complex*: ubi affertur dicta pontificia dispositio.

(96. Affertur decretum sanctæ universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitatione sacerdotum ad turpia sollicitantium, vel sacrificio missæ abutentium ad sortilegia.

Feria V, *die* 5 *Augusti* 1745.

In generali congregatione sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali, coram sanctissimo domino nostro Benedicto divina Providentia Papa XIV, et eminentiss., ac reverendiss. DD. S. R. E. cardinalibusa dversus hæreticam pravitatem inquisitoribus generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens quam grave sit delictum illorum perditorum hominum qui sacrosancto missæ sacrificio ac salutaris pœnitentiæ sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit quod in posterum sacerdotes tam sæculares quam regulares cujuscunque ordinis, instituti, congregationis, et societatis, etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut prætextu ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, et apostolicis constitutionibus, ac signanter san. me. Sixti V et Gregorii XV, contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem, quodque ejusmodi decretum significetur singulis cujuscunque ordinis superioribus ac præpræpositis ad hoc, ut de illo sicuti, et de dictis, aliisque Summorum Pontificum constitutionibus, juxta præscriptum in generali decreto supremæ Inquisitionis die 15 Decembris 1633, semel saltem in anno feria sexta post octav. Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, in publica mensa, vel in capitulo, ad hoc specialiter convocato; ac insuper in quocunque generali vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos ac religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema congregatione juratum testimonium exhibeant.

Paulus Antonius Cappellanus, S. Romanæ et universalis Inquisitionis notarius.

(97. Quoad extractionem reorum ad sacræ Inquisitionis officium spectantium a locis immunibus ad quæ forte confugerint vide novissimam constitutionem Bened. XIV, quam ad litteram attulimus supra, verb. *Immunitas*, art. 2, n. 158.

(98. Hic lubet adjicere decreta duo S. Romanæ et universalis Inquisitionis, recens edita, tenoris ut sequitur:

Noi fra Alessandro Pio Sauli da Forlì dell' ordine de' Predicatori, Maestro di sagra teologia, commissario generale della S. Romana ed universale Inquisizione.

Avendo Anna Appollonia Manfredi da Perizzano zitella di anni 30, con studiose invenzioni procurato di essere tenuta in concetto di Santa, con aver vantato visioni, apparizioni di angeli, della santissima Vergine, e di Gesù Cristo, Stimmate, ed altre cose credute prodigiose, e grazie particolari di Dio. E costando dagli Atti fabbricati sopra le cose predette, e dalla di lei confessione giuridicamente fatta in questo Santo Officio dopo la di lei riduzione alle carceri del medesimo, essere stati inganni, iattanze, falsità, e finzioni rispettivamente le asserite di lei visioni, apparizioni di angeli, della santissima Vergine, e di Gesù Cristo, Stimmate, ed altre cose come sopra credute prodigiose, e grazie particolari di Dio.

Per tanto in esecuzione del Decreto della sagra congregazione del Santo Officio, a fine che il pubblico resti disingannato, e per togliere dalle menti di ognuno qualunque falsa credenza della Santità della medesima.

Notifichiamo, e dichiariamo, che la santità della suddetta Anna Appollonia Manfredi è stata affettata, e finta, e le cose predette sono state rispettivamente false, e supposte; e perciò la medesima è stata condannata dal S. Officio alla carcere.

Niuno pertanto ardisca in avvenire di asserire, o tenere la suddetta Anna Appollonia Manfredi come santa per le cose suddette, sotto pena ad arbitrio degli eminentissimi e reverendissimi signori cardinali generali inquisitori.

Dato dal palazzo del medesimo S. Officio questo di 21 luglio 1746.

F. Alessandro Pio Sauli
commissario generale del s. officio.
Paolo Antonio Cappellone Notaro.

Die 23 Julii 1726, supradicta notificatio affixa et publicata fuit ad valvas basilicæ Principis apostolorum, palatii Sancti Officii, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per

Digitized by Google

me Petrum Remolatium sanctissimæ Inquisitionis cursorem.

DECRETUM,

Feria v, *die* 23 *Novembris* 1747.

(99. In congregatione generali S. Romanæ et universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali, coram sanctissimo domino nostro domino Benedicto divina Providentia PP. XIV, ac eminentissimis et reverendissimis DD. sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, in tota republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Proposita causa contra sororem Angelam Franciscam Zappata, monialem professam monasterii S. Claræ, Cherii, et ad præsens degentem in monasterio S. Agnetis civitat. Astæ Pompeiæ, inquisitam ob affectatam sanctitatem, SS. D. Noster, auditis votis supradictorum eminentissimorum et Reverendissimorum DD. cardinalium generalium inquisitorum, decrevit quod dicta soror Angela Francisca detineatur in eodem monasterio S. Agnetis, in quo nunc degit, ipsique fiat præceptum de non accedendo ad cratas, januas, et locutoria monasterii, et de non scribendo epistolas absque superiorissæ licentia, sub pœna, in casu contraventionis in unoquoque ex dictis capitibus, carceris formalis in eodem monasterio ad annum pro qualibet vice; quod diebus Veneris jejunet in pane et aqua per quinquennium, et in sabbatis recitet rosarium integrum beatæ Virginis, usquequo vixerit : insuper quod deputetur ei doctus et prudens confessarius, qui eam instruat et dirigat, nec sine ejus licentia accedat ad sacram synaxim.

Quod præpositus denique Podaverini Carolus Canonica, canonicus Franciscus Cuggia, et sacerdos Gaspar Antonius Bosco, directores olim præfatæ monialis, acriter moneantur. Tandem, quod hujusmodi decretum publicetur.

Supradictum pontificium decretum a suprema ac sacra congregatione eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium inquisitorum generalium, sub die 2 currentis mensis Decembris, nobis transmissum, ut juxta mentem sanctissimi domini nostri divina providentia PP. Bened. XIV, publicaretur; ordinamus ipsum typis mandari, et sic impressum publice exhiberi. In quorum, etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(100. De origine et progressu inquisitorum vide, si lubet, Van-Espen part. I Jur. Eccles. Univers., tit. 2, c. 3, et rursus part. III, tit. 4, c. 2, et Limbrocb. in Historia Inquisitionis, lib. I, per tot.

(101. Jurisdictionem inquisitorum a principio fuisse delegatam, et deinde ad ordinariam accessisse, tradit Petra in Comment. ad Const. Apost. Constit. 16 Innocentii IV, num. 29.

(102. Eam non privativam, sed cumulativam esse, concors est omnium sententia; nam possunt et hodie episcopi procedere in causis fidei. (103. In Hispania vero habere inquisitores privativam jurisdictionem tenent Sanctarell. de hæres. cap. 40, dub. 2, num. 15, Carena de Offic. Sacræ Inquisitionis part. I, tit. 4, § 3, num. 2.

(104. Non aliter tamen episcopus de juro procedere valet in causis fidei quam cum sui capituli consilio, cap. ad abolenda de Hæreticis. (105. Cæterum consuetudine obtinuit ut procedat inconsulto capitulo ; Passerin. in cap. *Per hoc*, num. 18, de Hæretic. in 6, Farinac. de Hæres., qu. 186, num. 14.

(106. An et prælati pollentes quasi episcopali jurisdictione procedere valeant in causis fidei, quæstionis est. Affirmant autem Passerin. in cit cap. *Per hoc*, num. 8, de Hæretic. in 6; Carena de Offic. S. Inquisitionis, p. 1, tit. 6, § 4, num. 14.

(107. Nota vero quod prælati regulares, tametsi habeant eamdem quasi episcopalem jurisdictionem, procedere haud possunt in causis fidei contra subditos regulares, ex prohibitione constitutionis Pauli V, quæ incip. *Romanus Pontifex*, ut monent Bordon. in Tribunal. cap. 27, num. 1 ; Salell. lib. I, cap. 3, Regul. 24, num. 42. (108. Fallitur vero hic auctor dum ait quod prælati regulares habentes quasi episcopalem jurisdictionem procedere nec possint in causis fidei contra subditos sæculares, ut observat card. Petra in comment. ad Constitut. Apostol. Constit. 16 Innocentii IV, num. 20.

INSIGNIA.

SUMMARIUM.

1. Insignia concedere canonicis ecclesiæ cathedralis, aut collegiatæ, vel concessa mutare non potest episcopus inconsulta Sede Apostolica.—2. Nec etiam de novo concedere almutiam. — 3. Nec cappam sine privilegio, et expressa licentia Sedis Apostolicæ.— 4. Nec licet novum habitum sive signum a canonicis ecclesiæ cathedralis, seu collegiatæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate assumi. — 5. Ins guia deferendi facultas quomodo sit petenda a Papa.—6. Talis facultas deferendi insignia regulariter non conceditur, nisi ex voto sacræ congregationis. — 7. Insignium concessio extra casum novæ erectionis ecclesiæ rationabilem causam requirit. — 8. Inter alias causas insignia concedendi est divini cultus augmentum, quod est maxime attendendum. — 9. Quamvis incongruum sit quod nobiliora insignia concedantur collegiatæ quam cathedrali; — 10. tamen quandoque insignia nobiliora collegiatæ, quam cathedrali conceduntur. — 11. Per concessionem cappæ intelligitur concessio etiam usus rocchetti. — 12. Cappa est antiquior habitus choralis, et proprius canonicorum.—13. Pro expensis faciendis, aut factis a canonicis pro obtinendo indulto deferendi cappam et rochettum, non possunt alienari bona capituli seu ecclesiæ. — 14. Capitulum tenetur exhibere cappas canonicis stante consuetudine, etiam absque solutione. — 15. Insignia canonicorum cathedralis et canonicorum collegiatæ non conceduntur uniformia, sed diversa.—16. Cappæ et rocchetti usus a instar beneficiatorum S. Petri de Urbe, conceditur beneficiatis de missa ecclesiæ cathedralis Urbevetanæ. — 17. Cappas deferendi privilegium concessum canonicis et capitulo Ferrariensi an

Digitized by Google

comprehendat capellanos Ferrarienses? — 18. Insignia archipresbyteri non debent apponi in valvis ecclesiæ, cum in festivitatibus ornantur, nisi sit consuetudo immemorabilis. — 19. Insignia nova præter solitum in processionibus deferre non licet. — 20. Capitulum non potest de novo addere suis insigniis, sive armis mitram, et baculum, seu pastorale. — 21. Cappa seu insigniis propriis debent uti canonici in divinis officiis, alias puncturi debent, et distributiones amittunt. — 22. Cappa est deferenda in processionibus. — 23. Item deferenda est in synodo diœcesana. — 24. Item adhibenda est in conventibus diœcesanis, sicut et insignia alia quibus quis in ecclesia sua uti potest. — 25. Item deferenda est a parochis urbanis, non in alienis ecclesiis, sed in suis solum, ac præterea foris cum aliquod ecclesiasticæ functionis munus collegiatim cum suo clero obeunt. A diœcesanis item in suis, non in alienis plebibus. — 26. Canonici et præbendati non possunt deferre cappam seu almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed deferre tantum possunt in casibus quando incedunt collegialiter una cum capitulo. — 27. Præbendati possunt solum deferre almutias in iis casibus, quando incedunt collegialiter cum capitulo. — 28. Canonici cathedralis et collegiatæ non possunt uti cappa et rocchetto in alienis ecclesiis, neque pro habendis concionibus, aut administrandis sacramentis. — 29. Canonici pluviali, planeta, aut tunicella induti nequeunt deferre almutias: canonico vero defuncto etiam sacris vestibus induto imponi potest almutia super brachium. — 30. Cappa et rocchettum, aliaque insignia canonicalia non denotant jurisdictionem. — 31. Prælati episcopis inferiores nequeunt uti suis insigniis extra ecclesias sibi subjectas. — 32. Concessio usus rotimiculi galeri abbreviatoribus de parco. — 33. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 38.

(1. Insignia concedere canonicis ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ vel concessa mutare non potest episcopus, inconsulta Sede Apostolica: sacra congreg. Rit. in Hydruntina 1 Septemb. 1612. (2. Nec etiam de novo concedere almutiam: ead. sac. Rit. congreg. in Camerinen. 25 Januarii 1602, et in Placentina 16 Januar. 1620. (3. Nec cappam sine privilegio et expressa licentia Sedis Apostolicæ: ead. sacr. congregat. Rit. in Elven., 10 Januar. 1604; apud Barbosam de Canonicis, c. 2, num. 27. (4. Non enim licet novum habitum sive signum a canonicis cathedralis seu collegiatæ ecclesiæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate assumi: sacr. congreg. Concil. in Taurinensi 21 Jun. 1641, et in Tarvisina 8 Februar. 1659; apud Pittonum, Constit. et decis. ad Canonicos, num. 694; et patet in omnibus concessionibus factis a Sede Apostolica diversis cathedralibus et collegiatis.

(5. Insignia deferendi facultas quomodo sit petenda a Papa, tradit Corrad. in praxi Benefic., lib. II, cap. 14, ad num. 7. Vide ipsum. (6. Talis facultas deferendi insignia regulariter non conceditur, nisi ex voto sacræ congregat. Rit., ut observat Corrad. loc. cit., num. 24. (7. Insignium concessio extra casum novæ erectionis ecclesiæ rationabilem causam requirit. Corrad. loc. cit., num. 29, id colligens ex formulis traditis pro petendis a Sede Apostolica ipsis insignibus. (8. Et inter alias causas insignia concedendi est divini cultus augmentum, quod est maxime attendendum, ut dicitur in una Civitaten. constructionis cappellæ penes Seraphin.: decis. 586, num. 3; ex Butrio in cap. *Cum olim*, num. 15, de Consuetudine, et in cap. *Ad audientiam* 2, de Eccles. ædificand., notat. Corrad. loc. cit., num. 19.

(9. Quamvis incongruum sit quod nobiliora insignia concedantur collegiatæ quam cathedrali, ut resolvit sacr. Rit. congregat. in Trojana Indulti Cappæ Canonicalis 10 Septemb. 1705, ad relationem emin. card. Collaredi apud Piton. discept. Eccles., discept. 49, n. 3, et advertit Corrad. loc. cit., sub num. 15, vers. *Sane*, cum incongruum sit quod collegiata nobiliori habitu suam cathedralem antecellat, ex quo majoritas habitus majoritatem personæ designet, juxta Text. in cap. *ut Apostolicæ*, de privil. in 6;

(10. Tamen quandoque insignia nobiliora collegiatæ quam cathedrali conceduntur, et præsertim si in limine erectionis collegiatæ aliquis laicus suis bonis eam dotando exposcat hæc insignia nobiliora: nam tunc Summus Pontifex deferre solet desiderio et petitioni dotantis, quia ita et non aliter voluit ecclesiam dotare, eamque erigi facere in Collegiatam, ut fuit dictum in una Milevitana Erectionis Collegiatæ, penes Rub. decis. 258, tom. II, in qua præsertim, n. 23, subditur quod etiamsi Papa scivisset canonicos cathedralis cappis non decorari, nihilominus illas concessisset collegiatæ, ne dotans retraheretur ab erectione, cum magis præponderet ratio augmenti cultus divini quod sequitur per erectionem, quam ratio præjudicii quod inferri potest canonicis cathedralis circa diminutionem honoris seu decoris, ut per Seraphin. decis. 847, num. 3; Carill. decis. 76, num. 12 et sequent.; Corrad. loc. cit., num. 16; Piton. loc. cit., num. 4. Et patet exemplo ecclesiæ collegiatæ oppidi Summæ, diœcesis Nolanæ, cujus canonicis fuit concessus usus cappæ magnæ, non obstante quod canonici cathedralis Nolanæ eum non haberent: apud Pignatell. tom. VI, cons. 59, num. 8, vers. *Quod prædictæ;* et Piton. loc. cit., num. 6.

(11. Per concessionem cappæ intelligitur concessus etiam usus rocchetti: Ceccoper. Lucubrat. Canonic. lib. I, num. 91; Carolus Dufresne in verb. *Cappa*, vers. *Cappæ Chorales;* Macr. in suo Hierolexico eod. verb. *Cappa;* Piton loc. cit., num. 1, et alii. (12. Cappa est antiquior habitus choralis, ac proprius canonicorum: Ughell. in Italia Sacra, tom. III, pag. 634; Ceccoper. loc. cit., n. 91, et alii.

(13. Pro expensis faciendis aut factis a canonicis pro obtinendo indulto deferendi cappam et rocchettum non possunt alienari bona capituli seu ecclesiæ: sacra congregat. Conc. in Praten. Beneplaciti 7 Jul. 1696; apud card. Petram tom. I, Comment. in Constit. 1 Divi Leonis Magni, sect. 4, num. 148, et in una Montis Regalis in causa insignis Collegiatæ Civitatis Cunei, sub die 19 Maii 1708, apud eumdem card. Petr. tom. III,

Digitized by Google

Comment. in Constitut. 7 Innoc. IV, sect. 2, num. 55.

(14. Capitulum tenetur exhibere cappas canonicis, stante consuetudine, etiam absque solutione : Rota in Gerunden. Capparum, cor. Pio 17 Jan. 1698; apud Antonell. tract. de juribus et oneribus Clericor., lib. II, dec. 41, num. 20; Card. de Luca, de Canonicis et Dignitatib., disc. 3, num. 3 et seqq.; Rota dec. 542, n. 4 et seq. dec. 545, n. 1 et seq. cor. Ric. in recent. par. XI, dec. 380, per tot.

(15. Insignia canonicorum cathedralis et canonicorum collegiatarum non conceduntur uniformia, sed diversa : sac. cong. Rit. in Lauden. 19 Maii 1602, et in Mediolanen. 23 Jun. 1608; Piton. loc. cit , n. 5, ubi ex aliis dicit sufficere diversitatem in colore et in circumstantiis.

(16. Cappæ et rocchetti usus adinstar beneficiatorum Sancti Petri de Urbe conceditur beneficiatis de massa ecclesiæ cathedralis Urbevetanæ : sac. congreg. Rit. in Urbevetana 13 Januar. 1611.

(17. Cappas deferendi privilegium concessum canonicis et capitulo Ferrariensi non comprehendit cappellanos Ferrarienses: sacr. Rit. congreg. 12 Novembr. 1695. Sed postea sub die 18 Januar. 1606, fuit dictum illis esse concedendum usum capparum juxta formam litterarum apostolicarum, non obstante supradicto decreto a canonicis contra ipsos cappellanos obtento. Sic refert Barb. in Summa Apostolic. verb. *Cappa*, num. 10; Aldanus in Compend. Canonic. resol., lib. III, tit. 19, num. 51.

(18. Insignia archipresbyteri non debent apponi in valvis ecclesiæ, cum in festivitatibus ornantur, nisi sit consuetudo immemorabilis : sacr. Rit. congreg. in Perusina 23 Maii 1602, apud Barbosam loc. cit., verb. *Insignia*, num. 2.

(19. Insignia nova præter solitum in processionibus deferre non licet : sac. Rit. congreg. in Andrien. 21 Augusti 1604.

(20. Capitulum non potest de novo addere suis insigniis, sive armis mitram, et baculum, seu pastorale : sacr. congreg. Episcopor. et Regular. in Firmana 20 Novembr. 1611, apud Pittonum Constit. et dec. pro Canonicis, n. 254.

(21. Cappa seu insigniis propriis debent uti canonici in divinis Officiis ; alias punctari debent, et distributiones amittunt : sacra Rit. congreg. in Lunen. Sarzanen. 3 Mart. 1633 ; Acta Eccles. Mediotanens. part. I. Concil. Provincial. IV tit. Quæ pertinent ad SS. Missæ Sacrificium et divina Officia.

(22. Cappa est deferenda in processionibus : Act. Eccles. Mediolanens., part. IV; Instructiones variæ tit. *Avvertenze per le Processioni Generali*. (23. Item deferenda est in synodo diœcesana : Act. Eccles. Mediolanens., part. I. Concil. Provinc. V, tit. *Quæ ad Synodum attinent*. (24. Item adhibenda est in conventibus diœcesanis, sicuti et insignia alia quibus quis in ecclesia sua uti potest : Acta Eccles. Mediolanens. 4, Instruct. Congreg. Diœces. tit. *De Vestitu ad conventum deferendo*. (25. Item deferenda est a parochis urbanis, non in alienis ecclesiis, sed in suis solum, ac præterea foris, cum aliquod ecclesiasticæ functionis munus collegiatim cum suo clero obeunt. A diœcesanis item in suis, non in alienis plebibus : Acta Eccles. Mediolanens., part. II, Synod. Diœcesan. IV, decret. 19, et part. II, Synod. Diœcesan. XII, tit. *Monita executionis Decretorum quæ ad Parochos pertinent*.

(26. Canonici et præbendati non possunt deferre cappam seu almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed deferre tantum possunt in casibus quando incedunt collegialiter una cum capitulo : sacra congr. Episcopor. et Regular. in Placentina Funerum 2 Maii 1659 ; apud Pitton. Constitut. et Decis. pro Canonicis, num. 695.

(27. Præbendati possunt solum deferre almutias in iis casibus quando incedunt collegialiter cum capitulo ; sacra congregat. Episcopor. et Regular. 10 Novem. 1662, apud Pignatell. tom. III, consult. 51, n. 4.

(28. Canonici cathedralis et collegiatæ nequeunt uti cappa et rocchetto in alienis ecclesiis : sic expresse sacra Rit. congr. in Capuana 20 Maii 1651, apud Pignatell. tom. IV, consult. 185, n. 15, ibi : « Capitulum et canonici cathedralis habentes usum cappæ et rocchetti tam in suis quam in aliis quibuslibet ecclesiis in functionibus et divinis officiis, supplicaverunt congregationi sacrorum Rituum declarari se illis uti posse in aliis ecclesiis, dum conciones habent ; vel ab eis pœnitentiæ vel baptismi Sacramentum administratur, et in aliis similibus functionibus. Eminentissimi vero Patres responderunt id eis non licere nisi in propria ecclesia. » Vide Pignatell. l. c., n. 15, et tom. II, consult. 33, per tot. ibi : idem resolvit de casu mitræ.

(29. Canonici pluviali, planeta, dalmatica, vel tunicella induti non possunt deferre almutias. Canonico vero defuncto, etiam sacris vestibus induto, imponi potest almutia super brachium : sacra Rituum congr. 4 August. 1663 ; apud Pittonum Constitut. et Decision. pro Canonicis n. 721.

(30. Cappa et rocchettum, aliaque insignia canonicalia non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem, gravitatem, et ornamentum personarum. Ceccoper. Lucubrat. Canonic. lib. I, num. 93; Franciscus Maria Pitonius, advocatus Romanus, deinde episcopus I Meriæ, et auditor Benedicti XIII, in cit. discept. 49, n. 9, ubi sic expresse subdit : « Et ideo habitus potest deferri nedum in Ecclesia, sed etiam extra in processionibus aliisque functionibus ecclesiasticis cum sit privilegium personale, quod non circumscribitur loco, ut resolvit sacr. Rit. congregat. 19 Aug. 1634, et testatur Ceccoper., ubi proxime, num. 92 et 93, ibi : « Antedicta insignia Canonicis impertita possunt ab eisdem deferri in functionibus ecclesiasticis, etiam extra diœcesim, etc., ut deducitur ex decreto sac. Rit. Congregat. die 19 Augusti 1634. Ratio est quia privilegium est perso-

Digitized by Google

nale, quod persona secum ubicunque defert, nec restringitur in loco. »

(31. Prælati episcopis inferiores nequeunt uti suis insigniis extra ecclesias sibi subjectas : sacra congregat Rit. coram Alexandro VII, 27 Sept. 1659, in decreto generali, § 8, Vide verb. *Abbas*, in fine.

(32. Abbreviatoribus de Parco majori conceditur usus redimiculi galeri vulgo *Cordone*, coloris violacei, etiam dimisso officio : Benedictus XIV tom. I, constit. 3. incip. *Maximo*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Episcopum nec majora nec minora insignia concedere posse canonicis, præter allegatos ab auctore, respondit Rota in Thelesina delationis Insignium 4 Jun. 1736, coram eminentiss. Crescentio.

(34. Dubitatum vero fuit an episcopus, accedente consensu capituli ecclesiæ cathedralis, insignia concedere queat canonicis ecclesiæ collegiatæ. (35. Ratio dubitandi inde oriebatur quod prohibitio fundata videbatur in præjudicio capituli ecclesiæ cathedralis, adeoque, consentiente capitulo ecclesiæ cathedralis, cessabat prohibitio.

(36. At contrarium fuit decisum a Rota in d. Thelesina delationis insignium 4 Jun. 1736, coram eminentissimo Crescentio, ex ratione illa quod (37. nequit episcopus concedere insignia, non ex præjudicio capituli ecclesiæ cathedralis, sed ex reservatione hujus concessionis facta a S. Sede.

(38. Non omittendum vero quod insignia minora posse ab episcopo concedi sensit sacra congregatio in Sorana 14 April. 1725.

ADDITIONES CASINENSES.

Recte monet auctor ex S. Rituum congregat. oraculo, insignia cathedralis et collegiatæ canonicorum diversa esse debere, saltem quoad colorem et quid hujusmodi ; quippe debet adesse distinctio inter canonicos cathedralis et Collegiatæ, tanquam inter majores et minores. Porro hoc procedit si cathedralis et collegiata sint in eodem loco ; at si inter se distent, et per quemdam tractum milliarium cathedralis a loco collegiatæ sit remota, eadem insignia concedi posse recte censet Pitonius discept. Eccles. 43, n. 6. Siquidem « tali casu cessat indecentia et incongruentia ob distantiam utriusque Cleri, ac etiam ex eo quod ubi simul conveniunt canonici utriusque ecclesiæ, illi collegiatæ non possunt eumdem habitum deferre limitatum (pro propria ecclesia); ex qua limitatione in congressibus satis obviatur indecentiæ, et demonstratur majoritas cathedralis. » Ibi.

Porro etiam lite pendente, nec non post rem judicatam favore cathedralis contra collegiatam, ne possit deferre habitum cappæ ac rocchetti, potest concedi indultum eidem collegiatæ, si habitus cathedralis sit dissimilis seu diversus. Neque obstat jus quæsitum colitiganti, etiam per rem judicatam. Agitur enim de regalibus summo Pontifici reservatis, in quorum concessione ipse utitur sua potestate, absque eo quod dependeat a privata æmulatione colitigantium : cum in hac materia « ipse solus habeat absolutam potestatem.... et passim videmus lites agitari ex defectu privilegii aut beneplaciti apostolici, quod postea partes succumbentes in via justitiæ obtinent ex gratia. » Pitonius cit. alleg., n. 8.

Insignium nomine Arma, et monumenta familiarum, Universitatis, etc., quoque veniunt. Vide verb. *Arma*.

INSIGNIS, INSIGNITAS.

SUMMARIUM.

1. Ecclesia collegiata potest esse insignis dupliciter, scilicet, vel de jure, vel ex privilegio.—2. Quæ sit collegiata insignis de jure. — 3. Quæ sit collegiata insignis ex privilegio. —4. Non omnis collegiata est insignis, sed alia insignis, et alia non insignis.— 5. Quæ dicatur collegiata insignis. — 6. Quæ dicatur collegiata non insignis. — 7. Insignitas collegiatæ resultat etiam ex provisionibus apostolicis de prima dignitate cum onere assumendi gradum magistralis vel doctoratus in jure canonico intra annum. — 8. Item insignitas collegiatæ probatur ex relationibus episcoporum. — 9. Collegiata non insignis a sua erectione potest progressu temporis declarari insignis. — 10. Qui locus sit et debeat reputari insignis.— 11. Canonici collegiatæ insignis tenentur ad diurnam officiaturam in choro, quacunque consuetudine non obstante. — 12. Canonici autem collegiatæ non insignis, quamvis regulariter teneantur ad assiduum chori servitium, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur : et assignantur tales limitationes.—13. Et sufficit, si dictæ limitationes concurrant alternative. — 14. Exemptio tamen a diurna officiatura in choro ob tenuitatem redituum durat solum quousque reditus non augeantur. — 15. Collegiata insignis præcedit aliis non insignibus, etiamsi fuerint prius erectæ. — 16. Quamvis erectio collegiatæ insignis fuerit cum clausula *sine alicujus præjudicio*. — 17. Inter collegiatas insignes, collegiata antiquior, quæ habet insignitatem a jure præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem.— 18. Et sic inter duas collegiatas insignes a jure semper præcedere debet antiquior. — 19. Et hoc procedit, etiamsi collegiata insignis posterior habeat insignia honorificentiora. — 20. Imo collegiata insignis antiquior præcedit insignem modernorem, quamvis insignis modernior habeat usum pontificalium respectu sui abbatis, et facultatem gestandi rocchettum et cappam magnam respectu suorum canonicorum. — 21. Collegiatæ insignes fere cathedralibus æquiparantur. — 22. Et quandoque præsertim in limine erectionis conceduntur collegiatæ insigni nobiliora insignia quam cathedrali. Alia ad rem ex addit. ex aliena manu a n. 23 ad n. 29.

(1. Ecclesia collegiata potest esse insignis dupliciter, scilicet, vel de jure, vel ex privilegio : *Communis*. (2. Collegiata insignis de jure dicitur illa quæ habet requisita descripta et enumerata communiter a doctoribus, nempe si sit matrix in loco, præcedatque aliis in publicis functionibus, sit antiqua et conspicua quoad structuram materialem, et numerositatem dignitatum, et canonicorum, aliorumve ministrorum deservientium, sitque in loco seu oppido nobili, et numeroso, et peritorum copioso : cardin. de Luca, de Præemin. disc. 8, num. 14; cardin. Petra, tom. III, Comment. in Constit. 7 Innocent.

Digitized by Google

IV, n. 36; Barbosa in cap. *Transmissæ* 33, de verbor. signific., et lib. II, cap. 6, n. 15, jur. Eccles. univers., n. 15, et de Canonicis, cap. 2, n. 18, et in Trident. sess. 24, de Reform., c. 12, n. 52; Massobrius in tract. de Synod. c. 4, dub. 14, n. 9; Lotter. De Re benefic., lib. I, q. 14, n. 8; Corrad. in Prax. benefic., lib. II, cap. 1, num. 18; Ceccoper. Lucubrat. Canonic., lib. I, num. 75; Aloysius Riccius in Collect decis., part. VI, collect. 2350, vers. *Insignis;* Mantica decis., 175, num. 2; Panimoll decis. 98, adnotat. 1, num. 24; Ursaya, tom. I, part. I, discept. 6, num. 39 et 175; Pitonius discept. 116, num. 35, et omnes alii scribentes in cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6; et sic tenuit Rota decis. 29, num. 4 et 5, part. II, diversar. et part. VII, recentior. decis. 288, num. 8, et sac. congr. Rit. in Firmana 24 Mart. 1622; apud Barbosam de Canon., loc. cit., et Pitonium loc. cit. (3. Collegiata insignis ex privilegio dicitur illa cui a Summo Pontifice tale privilegium conceditur ut ita vocetur; Pellegrin. in Praxi Vicar. part. I, sect. 5, n. 13; Ursaya loc. cit., n. 175.

(4. Non omnis autem collegiata est insignis. Alia enim est insignis, et alia non insignis : card. Mantica dec. 175, num. 2; Corrad. loc. cit., a num. 20 ad 22; Panimoll. loc. cit., num. 24 et 25; Pellegrin. loc. cit., num. 13, et alii passim scribentes in cit. cap. *Statutum* 11 de Rescriptis in 6. (5. Insignis dicitur illa quæ habet supradictas qualitates enumeratas sub n. 2, quas Corradus loc. cit., num. 19, ex Rota in Mediolanen. Præposituræ, decis. 29, num. 8, part. II, divers., reducit ad septem. (6. Prima nempe qualitas collegiatæ insignis est ejus matricitas; secunda, nobilitas et celebritas loci; tertia, antiquitas ipsius; quarta, præcedentia ipsius super alias; quinta structura sui ædificii, tam intus quam extra; sexta, numerositas ministrorum *in* ea inservientium; septima, multitudo et frequentia Christifidelium ad eam pro divinis officiis confluentium. Non insignis dicitur illa quæ habet exiguum numerum canonicorum, modicos reditus, et inferiorem qualitatem servitii, loci et personarum; Mantica, cit. decis. 175, num. 2; Corrad. loc. cit., n. 22; Pellegrin. loc. cit., num. 13; Pignatell. loc. cit., num. 25, et alii passim scribentes cit. cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6.

(7. Insignitas collegiatæ resultat etiam ex provisionibus apostolicis de prima dignitate, cum onere assumendi gradum magisterii vel doctoratus in jure canonico intra annum. Hoc enim est signum certum et univocum collegiatæ insignis, cum iste gradus non requiratur, nisi in prima dignitate cathed alis vel collegiatæ insignis, juxta dispositionem concilii Trid., sess. 24, c. 12, de Reform., et punctualissime, quod hoc demonstret insignitatem collegiatæ, firmarunt Lotter. de re Benefic., lib. I, q. 15, n. 9; Piton. loc. cit., n. 40; Rota dec. 29, n. 9, q. 2, diversor.

(8. Item insignitas collegiatæ probatur ex relationibus episcoporum : Rota coram Gregorio, decis. 472, num. 3, et coram Merlin., decis. 87, c. 2, n. 14, et in recent., decis. 469, num. 18, part. XIX, et in Comen. Canonicatus 6, Februar. 1704, § *Visa fuit, coram eminentiss. Scoto*, et in Materanen. archipresbyteratus 27 Jun. 1707, § *Collegiatas, cor. bon. mem. Kaun.*; card. de Luca, de Præeminent., disc. 52, n. 6; Fagnan. in cap. *Postulasti*, num. 14, de Jurepatron.; Piton. loc. cit. n. 37.

(9. Collegiata non insignis a sua fundatione seu a tempore suæ erectionis potest progressu temporis declarari insignis, maxime si augeatur numerus dignitatum, canonicorum, ac reddituum, et locus in quo fundata est evadat insignis : colligitur ex declaratione sacr. congr. Rit. in Firmana 24 Martii 1622, ubi collegiata ecclesia S. Pauli oppidi civitatis novæ, dictæ Firmanæ diœcesis, ad instantiam Ludovici Centofloreni fuit declarata insignis eo quod oppidum in quo reperitur est insigne, et reddit numerum quatuor millo habitorum, hoc est sæcularium 820, quatuor regularium conventus, et unum sanctimonialium monasterium, cum magna copia peritorum et nobilium ibi existentium : Corrad. loc. cit., n. 23, cum Mantica et Barbosa ibi citatis, et alii. (10. Unde patet quis locus sit et debeat reputari insignis, ille nempe qui, ultra conspicua et magnifica ædificia, copiosam continet nobilium et illustrium personarum, ac utriusque juris doctorum, aliorumque incolarum multitudinem, sicque pro tali communiter habetur, ac reputatur; Bald. in l. *Providendo*, num. 1, cod. de Postul.; Archidiacon. in cap. *Statutum* 11, col. 6, circa med. verb. *Locis Insignibus*, de Rescriptis in 6; Card. in Clementin. 1, n. 28, de foro competent.; Lupus alleg. 122, num. 2, in fin.; Innocent. in cap. *Præsenti*, num. 3, de Rescriptis in 6; Corrad. loc. cit. n. 8 et 10; Tiraquell. de Nobilitate, cap. 16, n. 8, cum Felino, Alexandro, Decio, et aliis ibi citatis.

(11. Canonici collegiatæ insignis tenentur ad diurnam officiaturam in choro, quacunque consuetudine non obstante : conc. Trid. sess. 24, de Reform., cap. 12, et ex pluribus docet Fagnan. in cap. *Cum omnes*, n. 31, cum seq. de Constit.; card. Petra loc. cit. num. 27, et alii communiter cum universali praxi.

(12. Canonici autem collegiatæ non insignis, quamvis regulariter teneantur ad assiduum chori servitium, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, scilicet, aut si ecclesiæ sint rurales, aut si adsit contraria immemorabilis consuetudo, aut demum si sint adeo tenues redditus, ut ipsi canonici ali non valeant, ut in fortioribus terminis obligationis residentiæ resolvit : sacra congreg. Conc. in Fundana 15 Octobris 1618, et fuse Fagnan, in cit. cap. *Cum omnes*, num. 31, § *Sed postea*; Garcias de Benefic., part. III, cap. 2, n. 197; Pignatell. tom. IX, consult. 114, num. 10, et consult. 134, num. 14, et tom. X, consult. 150, n. 84; Crispin., p. 2, Visitat. Pastor. § 19, n. 13.

(13. Quæ limitationes sufficit si concurrant alternative, tum ex dictione *Aut* per sac.

Digitized by Google

congr. adhibita, quæ efficit ut unica tantum pars verificari sufficiat : Altograd. consil. 70, n. 62; Rota decis. 1342, num. 3, coram Emeric. junior., tum ex speciali declaratione ejusdem sacræ congr., apud Fagnan. in cit. cap. *Cum omnes*, n. 31, vers. *Expresse*, et Pignatell. t. IX, consult. 134, n. 14, ubi declaratum fuit sufficere solam immemorabilem. Et in terminis collegiatæ non insignis sacr. congr. Visitationis Apostolicæ in quadam collegiata civitatis Laviniæ 28 Aug. 1704, declaravit non sustineri decretum visitatoris apostolici cogens canonicos ad diurnam officiaturam, sed quod servaretur solitum, quod erat de inserviendo tantum diebus festivis, licet alioquin canonici haberint pingues redditus. Et pariter sacr. congreg. Conc. in Narnien. servitii 26 Apr. 1658, lib. xx, decr. pag. 612, declaravit non sustineri decretum episcopi demandantis diurnum servitium in collegiata Otricoli, cum obstaret consuetudo.

(14. Cæterum quotiescunque exemptio a quotidiana officiatura prætendatur per canonicos collegiatæ non insignis ob tenuitatem reddituum, eadem exemptio durabit durante reddituum tenuitate; nam si isti augeantur, par est ut in officiaturæ onus reincidant. Hinc cum canonici collegiatæ non insignis oppidi Vallatæ, Aliphanæ diœcesis, prætenderent nullum esse decretum episcopi ipsos cogens ad quotidianam officiaturam, prætensionemque fundarent in consuetudine officiandi tantum diebus festis, et in tenuitate reddituum; sacr. congr. Conc. die 12 Februarii 1707, ad dubium : « An canonici SS. Annunciatæ Vallatæ teneantur ad quotidianam officiaturam in choro, respondit : Pro nunc negative. » Quæ resolutio non fundatur in prætensa consuetudine, quia ejus probatio non fuit juridice facta : sed solummodo in tenuitate reddituum, qui cum augeri possint, ideo fuit dictum : *Pro nunc*, et ex superius adductis rationibus in altera *Aliphana collegiatæ*, dubio proposito : *An canonici collegiatæ ecclesiæ S. Crucis quotidie officiare teneantur?* die 17 Decembris 1717, rescripsit : *Negative, et servetur reductio facta ab episcopo anno* 1671, *auctoritate sacr. congr.* Hactenus emin. Petra, t. III Comment. in Constit. 7, Innoc. IV, sect. 2, a n. 28 ad 31.

(15. Collegiata insignis præcedit aliis non insignibus, etiamsi fuerint prius erectæ : sacr. Rit. cong. in Firmana 24 Maii 1612, et in Nolana 24 Junii 1699. (16. Etiamsi erectio collegiatæ insignis facta fuerit cum clausula *sine alicujus præjudicio* : ead. sacr. congreg. Rit. in d. Firmana, et jam prius in Nolana 21 Apr. 1602; apud. Barbos. collect. Apostol. decis. verb. *Collegiata*, num. 5.

(17. Inter collegiatas insignes, collegiata antiquior quæ habet insignitatem a jure præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem : sacr. congr. Rit. in Castellana Præcedentiæ, 13 Febr. 1700, et in Novarien. 8 Maii ejusdem anni, ad dub. 11; apud Monacell. tom. I, tit. 1, formul. 4, num. 22, et Ursayam, tom. I, p. 1, discept. 6, n. 571.

(18. Et sic inter duas collegiatas insignes

de jure, semper præcedere debet antiquior, ut ex decreto sacræ congreg. resolvit Ursaya loc. cit. n. 177, citans Nicolium, Pellegrin., Tondut., et card. de Luca in Miscell. Eccles., disc. 45, n. 6.

(19. Et hoc procedit, etiamsi collegiata insignis posterior habeat insignia honorificentiora, ut declaravit sac. cong. Rit. in Novarien. 8 Maii 1700, decernens præcedentiam deberi collegiatis SS. Gervasii et Protasii, domus Ossulæ, et S. Jacobi Victoris, Intri, quæ minus honorifica insignia habent in concursu collegiatæ S. Bartolomæi, Burgii Mainerii, habentis insignia honorificentiora. Et in civitatis Castellanæ 13 Februar. 1700, respectu insignis collegiatæ terræ Gallesii, cui fuit adjudicata præcedentia in concursu insignis collegiatæ SS. Vincentii et Anastasii, terræ Arignani, habentis usum almutiarum, quem non habebat d. collegiata Gallesii. Et hoc patet in Urbe, exemplo collegiatæ S. Mariæ ad Martyres, seu Rotundæ, quæ, quamvis non habebat usum neque rocchetti, neque cappæ magnæ, neque almutiarum, nihilominus in processionibus et aliis publicis functionibus, ratione suæ antiquitatis præcedit omnes alias octo collegiatas ejusdem Urbis, quarum major pars habet insignia honorifica et ornamenta nobilia, ut refert et observat Ursaya loc. cit. num. 164, 165, 181, 182 et 183.

(20. Imo collegiata insignis antiquior præcedit insignem posteriorem, quamvis insignis posterior seu modernior habeat usum pontificalium respectu sui abbatis, et facultatem gestandi rocchettum et cappam magnam, respectu suorum canonicorum, ut in Januensi Præcedentiarum pro insigni collegiata S. Mariæ Vinearum cum insigni collegiata SS. Fabiani et Sebastiani habente usum pontificalium respectu sui abbatis, et cappam magnam respectu suorum canonicorum, utraque parte ad longum informante, resolvit S. R. C. 19 Julii 1710, ad relationem emin. Barberini, quæ circa infrascripta dubia :

I. « An constet de collegialitate cum qualitate insignitatis S. Mariæ Vinearum Genuæ? »

II. « An liceat canonicis ejusdem ecclesiæ capitulariter cum eorum præposito incedere in processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis? Et quatenus affirmative? »

III. « An eis debeatur præcedentia adversus parochos urbanos, et canonicos ecclesiæ S. Mariæ, et SS. Fabiani, et Sebastiani de Carignano, ejusdem civitatis? Respondit affirmative in omnibus. »

Sic refert Ursaya tom. I, discept. 6, per tot. Vide ibi ipsum, ubi multa ad rem.

(21. Collegiatæ insignes fere cathedralibus æquiparantur; cap. *Quia sæpe contingit* 11, de election. in 6; glossa in cap. *Statutum* 11, verb. *Cathedralium*, de Rescriptis in 6; conc. Trid., sess. 24, cap. de reformat.; Corrad. in prax. Benefic. lib. II, c. 10, n. 73; c. 13, n. 72, et c. 15, n. 4,

(22. Et quandoque præsertim in limine erectionis conceduntur collegiatæ insigni

Digitized by Google

nobiliora insigna, quam cathedrali. Vide verb. *Insignia*, n. 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. Opinio *Auctoris*, n. 13, quod canonici Ecclesiæ collegiatæ non insignis haud teneantur ad residentiam, vel si collegiata illa ecclesia sit ruralis, vel sit adsit immemorabilis consuetudo non residendi, vel si reditus habeat adeo tenues, ut minime sufficiant sustentationi canonicorum, haud potest recipi.

(24. Spectato enim pontificio decreto relato a S. M. Benedict. XIV, Instit. Eccles. 107, n. 1, relato a nobis in Addit. ad verb. *Canonicus* artic. 5, (25. a residentia nec excusat nuda qualitas ecclesiæ ruralis, nec sola consuetudo immemorabilis non residendi, sed utrumque concurrat oportet; idque quia pontificium illud decretum non *disjunctive*, sed *conjunctive* loquitur, (26. « In collegiatis autem non insignibus (*sunt verba decreti*) posse excusare, dum tamen sint rurales prorsus destitutæ, et in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solutum esset residere. »

(27. Neque tenuitas reddituum excusat a residentia in quacunque ecclesia collegiata non insigni, sed tantummodo in rurali, propterea quod de ruralibus loquebatur mox dictum pontificium decretum, dum inquit: (28. « aut quæ adeo tenuis redditus essent, ut canonicos, aliunde non habentes unde vivere, alere non possent. » (29. Consuetudo vero immemorabilis non residendi nequaquam requiritur in collegiata non insigni rurali, quæ tenues hosce habeat redditus, nam disjunctive loquitur præfatum decretum, ut patet ex verbis mox relatis.

ADDITIONES CASINENSES.

Videtur in Additionibus ex aliena manu, sub n. 23 et seq., immerito fuisse castigatum Lucium nostrum eo quod sub. n. 13 et seq., senserit canonicos collegiatæ non insignis, quamvis regulariter ad assiduum chori servitium teneantur, ex triplici tamen limitatione ab hujusmodi servitio absolvi; nimirum, si tales ecclesiæ collegiatæ sint rurales (prorsus destitutæ); vel si adsit contraria immemorabilis consuetudo non residendi; vel denique, si adeo tenues sint redditus, ut canonici ali non valeant. Ut proinde hæ limitationes disjunctim intelligi rite possint, adeoque unaquæque illarum separatim, ac per se, a residentia valeat excusare, contra id quod auctor additionis opinatur dum supponit duas priores supra allatas limitationes, non divisim, sed conjunctim pro assiduo servitio non præstando concurrere debere; nempe ut Collegiatæ ejusmodi non insignes sint rurales prorsus destitutæ, et amplius adsit consuetudo immemorabilis non residendi.

Et revera allata opinio auctoris innititur melioris notæ canonistarum auctoritati: imo est hæc firmissima doctrina ex ipso sacræ congregationis Concilii oraculo. Præstat audire in primis Fagnanum, in hæc verba:

« Quo vero ad collegiatas, cum episcopus Comen. habens in sua diœcesi plures collegiatas ecclesias, non tamen insignes, consuluisset sacram congregationem Concilii, an si in eis a tempore immemorabili nunquam consueverit resideri, posset compellere Canonicos ad residendum, juxta cap. 12, *Præterea*. sess. 24, *Concilii Trident. de Reformat.* sacra congregatio censuit; cap. 12, vers. *Præterea*, supradictum intelligi de omnibus collegiatis, etiam non insignibus: nisi tamen istæ non insignes collegiatæ essent rurales prorsus destitutæ, AUT in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset resideri, AUT quæ adeo tenuis redditus essent, ut canonicos, non habentes unde vivant, alere non possint.

« Sed postea, prosequitur Fagnanus, cum subdubitatum esset an decisio S. congregationis, ut immemorabilis excuset a residentia, procederet in collegiata non insigni rurali tantum, AN VERO ETIAM IN URBANA, ita ut illa verba, *aut in quibus*, non repeterent dictionem *rurales*. Cum autem quidam dicerent Gregorium XIII, in una Patavin. de immemorabili in non insignibus aliter sensisse, relatum est ad eum decretum congregationis: Sanctitas Sua probavit, quod visum est congregationi, ut scilicet, quando Ecclesiæ non sunt insignes, SOLA IMMEMORABILIS CONSUETUDO NON RESIDENDI EXCUSET CANONICOS A RESIDENTIA; sed in cathedralibus et collegiatis insignibus, immemorabilis nullo modo excusat. » Ad cap. *Cum omnes* ex. de Constitut. n. 31.

Amplius Barbosa in Summa apostolicarum decisionum Collect. 90, n. 6, sic habet: « Canonici collegiatarum, etiam in oppidis non insignibus existentium, tenentur ad residentiam, nisi essent collegiatæ rurales prorsus destitutæ, AUT in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, etc.: sacra congregat. Concil.... »

Consentit Pignatellus tom. IX, consult. 114, n. 10, his verbis: « Censuit sacra congregatio Concilii 24 Julii 1574, canonicos collegiatarum ecclesiarum, etiam non insignium, teneri ad residentiam; nisi tamen istæ non insignes collegiatæ essent rurales prorsus destitutæ; AUT in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere; AUT adeo tenues redditus essent, ut canonicos, aliunde non habentes unde vivant, alere non possent. Quod fuse explicat Fagnanus ad cap. *Cum omnes*, n. 31. » — Et consult. 134, n. 14, « Collegiatæ non insignes, ait, non requirunt residentiam, quando in eis supra hominum memoriam solitum non sit residere. »

Sic quoque in tom. X, consult. 150, n. 84: « Notandum, inquit, quod id (servitium chori assiduum) habet locum etiam in collegiatis non insignibus, nisi tamen collegiatæ istæ non insignes essent rurales prorsus destitutæ; AUT in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere; AUT adeo tenues redditus essent, ut Canonicos aliunde non habentes unde vivant, alere

Digitized by Google

non possent, ut per S. congr. concil. 24 Julii 1574. »

Idem docet Garcias hoc sane pacto : « S. D. N. Gregor. XIII, ex sententia congregat. declaravit immemorialem consuetudinem non excusare a residentia in cathedralibus et collegiatis insignibus : in collegiatis autem non insignibus posse excusare, si Ecclesiæ sunt rurales prorsus destitutæ, AUT in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, AUT in quibus adeo tenues redditus essent, ut canonicos, aliunde non habentes unde viverent, alere non possent. » Part. III, cap. 2 n. 197.

Sic etiam refertur apud Zamboni tom. II, collect. declarat. S. C. Concil., § 8, num. 4, pag. 141, per sacram congregationem fuisse decisum, collegiatis etiam non insignibus obligationem esse residendi « nisi tamen istæ non insignes collegiatæ essent rurales prorsus destitutæ, AUT in quibus nunquam antea ultra hominum memoriam solitum esset residere, AUT quæ adeo tenuis redditus, etc. »

Ex quibus omnibus luculenter evincitur quod tantum abest ut Auctor erroris vel inconsiderantiæ argui possit, quinimo eumdem solidam ac veram, ipsa congregatione Concilii docente, in re de qua agimus, sententiam fuisse assecutum dicamus oportet.

Auctor additionis, ut supra, suam opinionem firmaturus, affert textum instit. ecclesiasticarum Benedicti XIV, quem hic transcribere placet : « Locum esse censuimus, sic in cit. Instit. (quoad chori servitium), pontificio decreto, quod etiam consilio sacræ congregationis editum fuit (in caus. Burg. 1573 t. I, decret., p. 35 a tergo); illudque Fagnanus commemorat; Sanctissimus Dominus ex sententia S. C. concilii declaravit immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in cathedralibus et collegiatis insignibus. In collegiatis autem non insignibus posse excusari, dum tamen sint rurales prorsus destitutæ, *et* in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, aut quæ adeo tenuis redditus essent, ut canonicos, aliunde non habentes unde vivant, alere non possent. »

Ubi, ut vides, clausula supra hominum memoriam non disjuncte, et absolute ponitur, sed cojunctim *cum ecclesiis ruralibus :* adeo ut, secundum litteram textus, ad excludendum a residentia, duo impleri oporteat, nempe ut collegiatæ non insignes *sint rurales; et ut amplius supra hominum memoriam solitum non sit residere.*

At cum Benedictus XIV, modo relatum Gregorii XIII decretum a Fagnano quoque commemorari dicat, absque eo quod hunc, vel saltem typographum aliqua notet censura, ac si ejusmodi decretum quodammodo immutaverit, *aut* pro *et* usurpando : nec in alios eximios canonistas, quorum auctoritates supra attulimus, cæteroquin Lambertino notissimos (quique omnes idem decretum, ut apud Fagnanum jacet, producunt, eamdemque cum illo sententiam tenent), minimum quid observet, concludi posse videtur mendum typographicum in Lambertinianas editiones irrepsisse, *et* pro *aut* adhibendo. Ex iis porro quæ dicta sunt quisque videt quam minus recte auctor additionum, ut supra, n. 27, et seq. glossam suam, quoad tenuitatem fructuum, ac si clausula et circumstantia hæc ad collegiatas rurales tantum referatur, adjecerit. Cæterum, cum nobis ab Urbe absentibus decretum hocce, prout exaratum est, recognoscendi opportunitas desit; et quod magis est, ob summam qua tantum Pontificem prosequimur venerationem, satius putavimus S. congregationem Concilii consulendam, ab eaque enixis precibus postulavimus ut suum oraculum hac in re edere benigne velit. Cumque fidenter speremus futurum ut præstantissimus cardinalis præfectus aliique eminentissimi purpurati eamdem componentes, consueta charitate ac benevolentia vota supplicationesque nostras suscipere velint, responsum quod ardentissime præstolamur, ad calcem hujus tomi IV, in appendice novissimorum S. R. E. congregationum, Concilii, Rituum, etc., decretorum, suo loco, pro materiarum ordine inseremus.

INSORDESCENS, INSORDESCENTIA.

SUMMARIUM.

1. Insordescens quis dicatur? — 2. Insordescentia quamvis præcipue dicatur ratione excommunicationis, attamen convenit etiam aliis censuris. — 3. Ad efficium docendi de insordescentia alicujus censurati, opus est probare in primis excommunicatum seu censuratum habuisse notitiam excommunicationis seu censuræ. — 4. Secundo opus est probare quod sine rationabili causa distulerit post annum petere absolutionem, unde si distulit ex rationabili causa, non censetur insordescens. — 5. Sic eadem ratione non potest dici insordescens, si intra annum petiit, et non obtinuit absolutionem. — 6. Similiter non potest dici insordescens, si per sex menses perseveravit in censura, et deinde obtenta absolutione cum reincidentia post absolutionem reincidit, et permansit in ipsa per alios sex menses. — 7. Nec ad probandam insordescentiam sufficit probare solam perseverantiam per annum in censura, sed est etiam necesse probare animum induratum in contemptum clavium. — 8. Excommunicatus tamen post annum a declaratione citari potest uti suspectus absque ulla monitione. — 9. Insordescens in censura lata in causa hæresis habetur veluti hæreticus ipso jure, et absque alia sententia. — 10. Attamen priusquam publice declaretur hæreticus, citari debet uti se purget. — 11. Insordescens in censura lata ob aliam causam ab hæresi, habetur tanquam leviter suspectus de fide, ac specialiter de potestate clavium in ecclesia; potestque citari ab episcopo ut respondeat quid sentiat de his. Si purgare se noluerit, et permanserit altero anno, fit vehementer suspectus; citatus, nec purgans se, potest ex violenta suspicione declarari hæreticus. — 12. Insordescens in excommunicatione lata in causa criminali habetur pro convicto de eo crimine. Secus vero in causa civili. — 13. Insordescens in censura excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti, per annum, vel ultra an sit privatus ipso jure beneficiis. — 14. Contra excommunicatos non curantes absolutionem, et non obstante excommunicatione celebrantes procedit ordinarius, et quandoque

Digitized by Google

S. Officium committit informationes. — 15. Præcipitur vicario generali ut excommunicatos renuentes restituere ablatum ab ecclesiis aggravet, et reaggravet, et finito anno declaret insordescentes. — 16. Insordescenti in excommunicatione per annum, etiamsi in articulo mortis fuerit absolutus, potest ecclesiastica sepultura denegari, et sepeliri in loco profano. — 17. De insordescentia remissive. Subnectuntur additiones ex aliena manu a n. 18 ad n. 25.

(1. Insordescens dicitur ille qui animo pertinaci et obdurato, seu in contemptum clavium, quia scilicet noluit obedire, seu se subjicere clavibus, perseverat in censura per annum : C. *Cum bonæ memoriæ* 8, de ætate et qualitate; C. *Cum contumacia* 7, de hæreticis in 6, et concil. Trid. sess. 25 de Reformat., c. 3, ibi : « Obdurato animo censuris annexus in illis insorduerit. » (2. Insordescentia, quamvis præcipue dicatur ratione excommunicationis, attamen convenit etiam aliis censuris : argum. cit. text. Concilii Tridentini, ubi dicitur : *Censuris annexus*, et cit. cap. *Cum bonæ memoriæ*, ubi est sermo de insordescente per annum in censura suspensionis.

(3. Ad effectum docendi de insordescentia alicujus censurati, opus est probare in primis excommunicatum seu censuratum habuisse notitiam excommunicationis seu censuræ : Riciull. de jure personar. extra gremium Eccles. existent., l. IV, c. 8, n. 4; Barbosa in Concil. Trident. sess. 25, de Reformat. cap. 3, num. 34, et communis aliorum. Requiritur enim ad insordescentiam animus obduratus, et contemptus clavium, qui non supponitur in ignorante censuram : arg. cit., c. *Cum bonæ memoriæ*, cit. c. *Cum contumacia*, et concil. Trid. loc. cit. (4. Secundo, opus est probare quod sine rationabili causa distulerit post annum petere absolutionem ; unde, si distulit ex rationabili causa, v. g., quia absens, quia impeditus, et hujusmodi, non censetur insordescens, ex defectu animi indurati et contemptus clavium propter *citata jura*. (5. Sic eadem ratione non potest dici insordescens, si intra annum petiit, et non obtinuit absolutionem : Riciull. loc. cit., n. 5 et 9; Barbosa loc. c., n. 33, et communis aliorum. (6. Similiter non potest dici insordescens, si per sex menses perseveravit in censura, et deinceps obtenta absolutione cum reincidentia, post absolutionem reincidit, et permansit in ipsa per alios sex menses. Tempora enim in hac materia non conjunguntur, cum ad contrahendam insordescentiam requiratur perseverantia continua unius integri et interrupti anni in censura arg. citatis Juribus; Barbosa loc. c., n. 37; Navarr. consil. 7, n. 3, de Hæreticis; Monacell. tom. III, tit. 3, formul. 3, n. 12; Seraphin decis. 1285, n. 5, et alii communiter, cum Rota in Oscen. Archidiaconatus 15 Maii 1603, coram card. Lancellotto impressa per Farinac., tom. II, consil. decis. 196, num. 5; et refert Riciull. loc. cit., cap. 8, num. 3.

(7. Nec ad probandam insordescentiam sufficit probare solam perseverantiam per annum in censura, sed est etiam necesse probare animum induratum in contemptum clavium : cit. cap. *Cum bonæ memoriæ*, cit. cap. *Cum contumacia*, et concil. Trid. loc. cit.; Rota in d. Oscen. coram card. Lancellotto; Pignatell. tom. VII, consult. 18, num. 9, et communis aliorum. (8. Excommunicatus tamen post annum a declaratione citari potest uti suspectus absque alia monitione : ex sacra congregatione Concil. 22 Maii 1586, apud Pignatell. loc. c., n. 9.

(9. Insordescens in censura lata in causa hæresis habetur veluti hæreticus ipso jure et absque alia sententia : Authent. Gazaros, Cod. de hæreticis, cap. *Excommunicamus* ex. de hæreticis, ubi glossa verb. *Condemnetur*; Hostiens., n. 7 et 8; Abbas n. 11, ibi; Soccin. n. 24; Butrius n. 17; Joann. Andr. n. 4; Ancharan n. 4; Anan. n. 6, et communis aliorum cum Pignatell. tom. VII, consult. 18, n. 5, et tom. VIII, consult. 134, n. 1 et sequent. (10. Attamen priusquam publice declaretur hæreticus, citari debet ut se purget : Pignatell. tom. VII, consult. 18, n. 8, et tom. VIII, consult. 134, n. 2; Pegna, part. III, com. 46, vers. *Adveniente*; Chartar. de exsecut. sentent. cap. 15, num. 278; Sanctarell. de Hæresi, cap. 4, dub. 5, conclus. 1; Farinac. de Hæresi, quæst. 191, num. 17 : La Croix lib. VII, n. 188, et alii passim.

(11. Insordescens in censura lata ob aliam causam ab hæresi habetur tanquam leviter suspectus de fide, ac specialiter de potestate clavium in Ecclesia, potestque citari ab episcopo ut respondeat quid sentiat de his. Si purgare se noluerit, et permanserit altero anno, fit vehementer suspectus; et citatus, nec purgans se, potest ex violenta suspicione declarari hæreticus. Pignatell., tom. VII, consult. 18, a num. 2 ad 4, cum multis aliis ibi allegatis, Gonzalez. in Regul. 8, Cancellar. gloss. 15. num. 108; Pegna part. I director. quæst. 47, num. 7 et 8; La Croix loc. cit., num 289. arg. cap. *Excommunicamus* ex cap. *Cum contumacia* 7, de hæreticis in 6, et concil. Trid. sess. 25, de Reformat. cap. 3, in fine, ubi sic habet : « Excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit... Sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit. »

(12. Insordescens in excommunicatione lata in causa criminali habetur pro convicto de eo crimine : Farinac. lib. I, quæst. 18, num. 39; Gonzalez in regul. 8, cancellar. glos. 15, num. 106 et 108, cum aliis ibi allegatis; Pignatell. tom. VII, d. consult. 18, num. 18; La Croix loc. cit., num. 290, et alii. Secus vero in causa civili secundum veriorem, ut Gonzal. loc. c. Pignatell. loc. c.; La Croix loc. c., quamvis alii contrarium teneant, ut Salzed. ad Diaz, cap. 110, num. 4, vel cap. 118, num. 4, in nova editione.

(13. Insordescens in censura excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti per annum, vel ultra, secundum aliquos

Digitized by Google

doctores est privatus ipso jure beneficiis. Ita Menochius de arbitr., casu 416, n. 52. At optime ex Rotæ decisionibus Theodosius Rubeus in singular. Rotæ, tom. II, part. III, sub. verb. *Menochius* § 1, pag. 20, sic distinguit : Aut excommunicatio, seu alia censura lata fuit propter crimen quod ipso jure privat clericum beneficio, et tunc per insordescentiam habetur pro confesso, et censetur ipso jure privatus. Aut excommunicatio, seu alia censura lata fuit ob crimen propter quod non est privatus beneficiis ipso jure, sed venit per sententiam privandus, et tunc poterit post contractam insordescentiam privari. Aut crimen est tale propter quod nullo modo potest imponi pœna privationis, puta ad debitum civile pensionis, et tunc nunquam ob insordescentiam imponetur pœna privationis, sed alia arbitraria. Hæc apud Barbosam loc. c., n. 38.

(14. Contra excommunicatos non curantes absolutionem, et, non obstante excommunicatione, celebrantes, procedit ordinarius ; nam sic resolutum fuisse die 26 Maii 1609, et 1631, et 1632, refert Pignatell. tom. VII, d. consult. 18, num. 15, ubi subjungit quod quandoque S. Officium commisit informationes, ut in litteris patriarchæ Aquileiæ sub 15 Jun. 1591, (15. præcipitur vicario generali, ut excommunicatos renuentes restituere ablatum ab ecclesiis aggravet et reaggravet, et finito anno declaret insordescentes : sacr. congr. Immun. 12 Febr. 1647, lib. 4, decret. Paul., pag. 4.

(16. Insordescenti in excommunicatione per annum, etiamsi in articulo mortis fuerit absolutus, potest ecclesiastica sepultura denegari, et sepeliri in loco profano : Genuens. in praxi cap. 7, in addit. ; Pignatell. cit. consult. 18, num. 13 ; La Croix loc. cit. num. 292, et alii passim. (17. Plura alia de insordescentibus in censuris vide apud Pignatell. tom. VII, consult. 18, et tom. VIII, consult. 134, Barbosam loc. c. ; Monacell. loc. c. 80, et alios.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. De anno insordescentiæ libet aliqua adnotare. Hic annus numerandus est non a die incursæ excommunicationis, si ageretur de excommunicato a jure, sed a die quo fuit vel excommunicatus vel declaratus excommunicatus, cum ex illa die incipiat rumor contumaciæ et contemptus clavium Ecclesiæ : Sanctarell. de hæres., cap. 4, n. 6 ; Caren. de Offic. S. Inquisit. part. II, tit. 8, n. 5.

(19. Non ignoro esse qui limitant id in casu notorii : annumque tunc tenent incipere a die notoriæ excommunicationis incursæ ; Alber. in Rubric. de Hæret. in 6, quæst. 13, n. 35 ; Farinac. de Hæres. qu. 191, n. 26. At confutant hanc opinionem Passerin. in cap. *Cum contumacia*, n. 12, de Hæretic. in 6 ; Del Bene de Offic. S. Inquisitionis, dub. 211, sect. 1, n. 4. Et non immerito. Habetur enim in cap. *Cum contumacia*.... de Hæretic., n. 6. « Excommunicationis vinculo per vos fuerit innodatus. » (20. Hæc autem verba important excommunicationem ab homine per sententiam latam, aut saltem declarantem : « Neque in his (*ita recte ait Passerin. ubi supra*) potest habere locum notorium, neque enim sufficere potest notorium puri facti, quia necesse est quod in judicio constet, et de excommunicatione, et de persistentia in illa ; et sic requiritur notorium juris quod habetur per judicis pronuntiationem, per quam pronuntiet susceptum excommunicatum, et postea in excommunicationem pertinacem. Incipit ergo hic annus a die latæ vel declaratæ excommunicationis facta per judicem. »

(21. Debet itidem hic annus esse integer et continuus, cap. *Cum contumacia*, de Hæretic. in 6. Quæri propterea solet an habeatur hic annus integer et continuus, ubi quis plurium annorum spatio persistit in excommunicatione, sed in unoquoque anno obtinuit absolutionem cum reincidentia ? (22. Negant Carena de Offic. de Inquisitionibus, part. II, tit. 8, n. 3, ubi ex cardinal. Bellarmino, quod sacra congregatio Concilii interpres declaravit non posse procedi contra illum qui excommunicatus ab auditore cameræ, per triennium in excommunicatione persistit ; ita tamen ut in unoquoque anno in festo Paschatis ab eodem auditore cameræ absolutionem cum reincidentia obtinuerit : Del Bene eod. tract., dub. 211, sect. 1, n. 6, et 24, probeque monent quod in subjecta materia haud conjunguntur tempora.

(23. Major dubitatio est an habeatur hic annus integer et continuus, si intra ipsum excommunicatus in foro conscientiæ absolvatur. Haberi de juris rigore ex ratione illa quod absolutio in foro interno non suffragatur in foro externo ; non haberi vero de æquitate, cessante tamen partis oppositione, censet Carena de offic. S. Inquisitionis ; part. II, tit. 8, n. 26. (24. At indistincte non haberi alii tenent. « Sed cum verum sit (sic opportune inquit Passerin. In 6 cap. *Cum contumacia*, de Hæretic. in 6) quod absolutio in foro conscientiæ directe non juvat in foro externo, nec liberat a pœnis externi fori, indirecte tamen auferendo materiam, super qua fundantur pœnæ, potest a pœna liberare ; quia ablato sufficienter delicto etiam in futurum, et ut non duret, et ut non perficiatur, non remanet unde infligatur pœna, cessante etiam in foro externo delicto. Cum igitur, in proposito nostro non debeatur : nisi pertinaciæ duranti per annum, si tollitur pertinacia, tollitur pœna. Non potest vero dici pertinax in persistendo in excommunicatione ille qui absolutionem petiit in foro conscientiæ, et obtinuit, et de hoc in foro externo constat. Et eo magis, quia quod iste non obtineat absolutionem ab excommunicatione in foro externo, non potest tribui pertinaciæ et contemptui clavium, sed alicui alteri causæ, ex qua pro jure suo tuendo impeditur ne statim in foro

Digitized by Google

externo absolvi possit. In hoc enim negotio quamlibet causam, etiam injustam, excusare pertinaciam dixit idem Carena, etc. Et eo magis quod qui velit esse pertinax contra judicem in foro externo, et claves Ecclesiæ contemnere, non est dignus ut absolvatur in foro conscientiæ. »

(25. De eo etiam disputari solet an habeatur hic annus integer et continuus, si intra ipsum obtinuit excommunicatus rescriptum cum clausula : *Te absolventes*. At haberi tenent Passerinus in cap. *Cum contumacia*, n. 14, de Hæretic. in 6; Carena de Offic. S. Inquisitionis, p. I, tit. 8, n. 35; tum quia illa absolutio datur tantum ut rescriptum non sit nullum : tum quia dicta absolutio de stylo datur etiam non concurrente pœnitentia,

adeoque haud potest operari ut desit pertinacia; tum demum quia dicta absolutio non tollit excommunicationem, sed solum impedimentum proveniens ab illa excommunicatione suspendit, donec gratia suum sortiatur effectum.

Limitat autem hanc opinionem Del Bene de Offic. S. Inquisitionis, dub. 211, sect. 7, n. 2, in casu in quo Papa scivisset eum per annum in excommunicatione perstitisse. Sed neque huic limitationi locum esse posse propter mox allatas rationes firmat Passerin. loco proxime citat.

Insordescentia quomodo sit probanda, ut contra insordescentes in excommunicatione possit procedi, expendent post alios Pignatell. consultat. canon 18, n. 9, tom. VII; Rot. in recent. decis. 132. n. 7, part. I.

INSTITUTIO SEU INSTITUERE IN BENEFICIIS.

SUMMARIUM.

1. Institutio, seu instituere dupliciter in jure accipitur, late scilicet, seu pro quocunque provisionis modo, et proprie, seu specialiter. — 2. Institutio late accepta quid comprehendat et importet. — 3. Institutio specialiter accepta quid importet seu comprehendat. — 4. Institutio proprie et specialiter accepta valde differt a collatione et præsentatione. — 5. Præsentatio proprie quid sit, et quando fiat. — 6. Collatio proprie quid sit, et quando fiat. — 7. Institutio proprie quid sit, et quando fiat. — 8. Institutio est triplex, scilicet *Collativa*, *Auctorizabilis*, et *Corporalis*. — 9. Institutio collativa quæ sit. — 10. Institutio auctorizabilis quæ sit. — 11. Institutio corporalis quæ sit. — 12. Institutio collativa, de jure pertinet ad episcopum loci in quo situm est beneficium. — 13. Etiam vicarius generalis episcopi potest instituere in beneficiis præsentatos a patronis. — 14. Etiam capitulum, seu vicarius capitularis, sede vacante. — 15. Prælatis inferioribus non competit de jure communi potestas instituendi in beneficiis præsentatos a patronis. — 16. Potest tamen ipsis competere ex aliquo jure speciali, v. g., ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitime completa. — 17. Ostenditur posse eis competere ex privilegio seu speciali concessione. — 18. Ostenditur posse iis competere ex fundatione, saltem ante concilium Tridentinum facta. — 19. Non sic autem ex fundatione facta post Tridentinum. — 20. Ostenditur posse ei competere ex consuetudine. — 21. Ostenditur posse ei competere ex præscriptione legitime completa. — 22. Prælatis inferioribus, etiam regularibus, competit jus instituendi in ecclesiis sibi pleno jure, id est in spiritualibus et temporalibus subjectis. — 23. Laici, quicunque sint, nullo modo possunt proprie instituere clericum in aliquo beneficio. — 24. Institutio autorizabilis, de jure communi, pertinet ad episcopum solum privative ad prælatos inferiores. — 25. Secus autem, si prælati inferiores habeant jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, et populum privative ad episcopum. — 26. Institutio auctorizabilis non potest competere, neque vi consuetudinis seu præscriptionis, prælatis inferioribus non habentibus proprium territorium privative ad episcopum. — 27. Institutio corporalis de jure communi spectat ad archidiaconum. — 28. Secus autem ex consuetudine. — 29. Is ad quem spectat collatio beneficii non potest seipsum instituere. — 30. Imo is ad quem spectat collatio beneficii nec ab alio a se delegato potest instituí. — 31. In beneficiis ecclesiasticis non possunt instituí laici, sed soli clerici. — 32. Clerici possunt instituí in beneficiis certum ordinem sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant, dummodo intra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri, et alias sint idonei. — 33. Tempus institutionis presentatorum faciendæ in beneficiis non reperitur a jure præfixum et determinatum, dummodo non dolo differatur. — 34. Si autem habens potestatem instituendi præsentatos sit negligens, aut plus æquo differat, seu penitus recuset instituere, tunc recurrendum est ad superiorem, qui ei præfigat certum tempus ad instituendum; quo elapso, poterit ipse supplere, vel compellendo, vel instituendo. — 35. Ritus seu modi realiter et corporaliter instituendi seu investiendi in beneficiis, ex quo sunt varii pro diversitate locorum, observandi juxta antiquas laudabiles consuetudines cujuslibet loci. — 36. Institutus quoad titulum in beneficio, quamvis non possit ejus possessionem capere propria et sola sua auctoritate, accedente tamen consensu seu licentia legitimi superioris volentis tradere possessionem corporalem, potest eam capere, nullo alio eum introducente in ipsam. — 37. Instituens potest gratificari quando duo ab eodem patrono laico præsentati sunt æque digni. — 38. Quando plures patroni diversos æquali numero suffragiorum præsentant, si moniti nolint consentire in unum, et episcopus neutrum ex præsentatis possit instituere absque atroci scandalo facti, tunc potest gratificari uni, et tertium aliquem eligere. — 39. Institutio potest fieri extra diœcesim et territorium instituentis. — 40. Subnectuntur addit. ex aliena manu usque ad n. 45.

(1. Institutio, seu instituere in beneficiis, dupliciter in jure accipitur, scilicet late, seu pro quocunque provisionis modo; et proprie, seu specialiter : *Communis*. (2. Institutio late accepta comprehendit sub se quamlibet provisionem canonicam, seu modum legitime acquirendi beneficium ecclesiasticum, sive talis canonica provisio fiat per *electionem* rite celebratam et confirmatam, sive per *postulationem* a Papa admissam, sive per *nominationem* seu *præsentationem* factam a patrono cum institutione secuta, sive per *collationem* liberam beneficii factam a legitimo superiore, absque prævia capitulari electione vel alterius præsentatione, sive per *resignationem*, sive per *permutationem*, sive per *translationem* auctoritate legitimi superioris factam : argum. cap. *In litteris* 5, de restit. spoliator.; cap. *Non amplius* 1, cap. *Auctoritate* 4, cap. *Ad decorem* 5, et cap. *Cum venisset* 6, de Institutionibus, et cap. *Beneficium* 1, de Regulis Juris in 6. Vide verb. *Beneficia*, art. 3. (3. Institutio proprie seu specialiter accepta comprehendit solum-

Digitized by Google

modo eam concessionem beneficii quæ per legitimum superiorem fit cuipiam ad præviam præsentationem patroni; et definitur quod sit « concessio ecclesiæ seu beneficii, auctoritate episcopi vel alterius ordinarii facta non simpliciter cuivis clerico, sed ei qui est a patrono nominatus et præsentatus. » Sic in re communis, cum Barbosa par. III, de Offic. et potest. Episcop., allegat. 72, n. 174, et glossa in cap. 1, de Institution. in 6.

(4. Institutio proprie et specialiter accepta valde differt a collatione et præsentatione, textu expresso in cap. *Cum in illis* 16. § *Cum autem*, de præbend. in 6, ibi: « Cum autem, inter collationem, præsentationem, et institutionem, differentia magna esse noscatur. »

(5. Præsentatio enim proprie est et fit quando a patrono cui competit jus patronatus nominatur seu præsentatur clericus idoneus ordinario ad beneficium vacans. *Communis* cum glossa in cit. c. *Cum in illis*, verb. *Nona insuper*. (6. Collatio autem proprie est et fit quando beneficium est liberum, et in mera dispositione ordinarii, et libere confert cui vult, dummodo sit idoneus. *Communis* cum glossa loc. citat., et alia glossa in Rubrica de Institutionibus in 6, verb. *Nam Collatio*. (7. Institutio vero proprie est et fit quando beneficium non est liberum in dispositione ordinarii, sed est de jure patronatus alicujus, ad cujus patroni præsentationem ordinarius clericum idoneum præsentatum in tali beneficio instituit, seu ei tale beneficium concedit; *Communis* cum glossa loc. c.; Barbosa loc. c., num. 272; Abbas in cap. *Auctoritate* 4, de Institution. num. 7; Reiffenstuel lib. III, decretal., tit. 7, n. 4.

(8. Institutio est triplex, scilicet *Collativa*, *Auctorizabilis*, et *Corporalis*: Abbas in c. *Auctoritate*, num. 7 et 8; Fagnan. in cap. *Cum Ecclesia* 3, de causa possession., num. 28 et seq.; Reiffenstuel loc. c. num. 5, et communis aliorum cum glossa in cap. *Cum Beneficium* 1, de Regulis Juris in 6, ubi circa medium sic expresse habet: « Dicendum quod triplex est institutio: quædam est institutio tituli collativa; alia est institutio auctorizabilis quoad commissionem curæ animarum; alia est institutio realis et actualis, quæ vocatur investitura seu inductio in possessionem realem et corporalem. » (9. Institutio *collativa* (quam aliqui verbalem appellant) ea est per quam ab ordinario verbis aut litteris confertur seu conceditur titulus beneficii Clerico idoneo ad ipsum a legitimo patrono nominato seu præsentato. (10. Institutio *auctorizabilis* aliud non est quam approbatio ad exercendam curam animarum, sive commissio curæ animarum, ut expresse dicit glossa numero antecedenti adducta et summarium in c. *Cum satis* 4, de Officio archidiaconi, ibi: « Archidiaconus sine mandato episcopi non committit curam animarum, id est non habet institutionem auctorizabilem. » (11. Institutio *corporalis*, sive realis, aliud non est quam inductio in actualem possessionem beneficii, per quam videlicet datur vera et realis possessio ipsius beneficii per legitimum superiorem alicui collati, et de hac institutione corporali fit expressa mentio in cap. *Ad hæc* 7, de offic. archidiaconi, ibi: « Institutio corporalis tam super beneficiis quam etiam dignitatibus ad ipsum (archidiaconum) debeat pertinere. » Hæc institutio corporalis alio nomine vocatur investitura, installatio, missio in actualem possessionem.

(12. Institutio collativa de jure communi pertinet ad episcopum loci in quo situm est beneficium; cap. *Omnes basilicæ* 10, causa 16, qu. 7, c. *Ex frequentibus* 3, de institution., cap. *Cum ex inuncto* 12, de Hæretic. in fine. Et sic tenet communis cum Fagnano in c. *Eam te*, n. 6, de ætate et qualitate, et c. *Auditis*, num. 2, de præscription.; Barbosa part. III, de Offic. et Potest. Episcop. allegat. 72, num. 176; et Abbate in cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, num. 8, de electione. (13. Etiam vicarius generalis episcopi, virtute mandati generalis, potest instituere in beneficiis præsentatos a patronis: cap. *Ex frequentibus* 3, de institutionibus glossa ib. verb. *Officialium*; Abbas ib., num. 7; Barbosa ib. num. 3 et alii communiter. (14. Etiam capitulum, seu vicarius capitularis, sede vacante, textu expresso in cap. *Etsi capitulum* 1, de institution. in 6 ibi: « Etsi capitulum, sede vacante, beneficia quæ ad collationem episcopi pertinent conferre non possit, præsentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis ad quæ fuerint præsentati, licet ad episcopum (si superesset) admissio et institutio hujusmodi pertineret. »

(15. Prælatis inferioribus non competit de jure communi potestas instituendi in beneficiis præsentatos. *Communis*, arg. cap. *Omnes basilicæ* 10, caus. 16, quæst. 7; cap. *Ex frequentibus* 3, de Institutionibus; cap. *Cum ex injuncto* 12, de Hæretic. in fine; cap. *Etsi Capitulum* 1, de institutionibus in 6. (16. Potest tamen ipsis talis instituendi facultas competere ex aliquo jure speciali, verb. grat. ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitima completa: Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., part. III, allegat. 72, n. 134, cum aliis ibi allegatis; Pirhing. lib. III decretal.; titul. 7, num. 6; Reiffenstuel. ibidem, n. 5; Azorius part. II, lib. VI, cap. 22, quæst. 1, et alii; et ostenditur conclusio per singulas partes. (17. Quod enim possit eis competere talis facultas ex privilegio seu speciali concessione, colligitur ex cap. *Super eo* 15, de Officio Delegati, ex cap. *Ex frequentibus* 3, de Institutionibus, juncta glossa verb. *Officialium*, et cap. *Cum satis* 4, de Offic. Archidiaconi, ibi: « Sine licentia et mandato episcopi: » (18. Quod possit eis competere talis facultas ex fundatione saltem ab antiquo facta, colligitur ex c. *Significatum* 11, de præbend.; c. *Præterea* 23, de Jurepatron., et cap. *Quando* 16, de censibus. Ex quibus desumitur posse fundatorem beneficii in limine fundationis adjivere quascunque voluerit qualitates, leges, seu conditiones sibi benevisas, cæte-

Digitized by Google

roquin possibiles ac honestas cum consensu ordinarii. Unde, si in limine fundationis, de consensu episcopi, fuerit apposita qualitas ista seu conditio ut institutio in tali beneficio pertineat ad inferiorem, poterit equidem talis inferior instituere præsentatum ad ipsum: Abbas in cap. *Cum dilectus*, n. 4, de consuetudin.; Barbosa libr. III, Juris Ecclesiastic. univers., cap. 12, num. 208; Pirhing. loc. cit., n. 6; Reiffenstuel, loc. cit. num. 28, et alii. (19. Dicitur autem notanter *ex fundatione saltem ab antiquo facta*, quia in novis fundationibus non potest amplius poni talis lex seu conditio, eo quod concilium Tridentinum sess. 14, cap. 12, de Reformat. provide decreverit *ut in casu fundationis, hujusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori, reservetur*. Hinc sacra congregatio ejusdem concilii interpres consulta an in juribus patronatus quæ post Concilium acquiruntur reservari possit institutio alteri quam episcopo, respondit non posse in ecclesiis etiam exemptis, nisi rector illius ordinaria fungeretur jurisdictione. Sic refert Fagnan. lib. I, decretal. in cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, 31, de electione num. 31.

(20. Quod possit ei competere talis facultas ex consuetudine, colligitur ex cap. *Dudum* 53, § *Sed cum in jure*, de electione; cap. *Dilect.* 10, de Offic. Archidiacon.; cap. *Cum venissent* 6, de Institution.; cap. *referente* 7, de præbend.; cap. *Ad hæc* 2, de excess. ib. Prælat. Et tenet gloss. in cap. *Super eo* 17, verb. *Archidiaconus*, de Officio delegati, et alia glossa in citat. cap. *referente*, verb. *Assignavit;* Fagnan. in cap. *Eam te* 4, de ætate et qualitate, num. 7; Abbas in cap. *Cum satis* 4, de Offic. Archidiac.; Seraphin dec. 306, num. 9; Reiffenstuel loc. c., num. 30; Barbosa cit. allegat. 72, num. 184, cum aliis ibi allegatis. (21. Quod possit eis competere talis facultas ex præscriptione legitime completa, colligitur ex cap. *Placuit*, 1, cap. de quarta 4, cap. *Ad aures* 6, cap. *Auditis* 15, et cap. *Cum olim* 18, de Præscriptionibus. Et de præscriptione immemoriali tenet Barbosa cit. allegat. 72, num. 174, citans Marium Antonium Variar. resol., l. 1, resolut. 46, n. 6, et Lambertinum l. II, p. 2, qu. 1, princip. part. x. Imo Azorius part. II, lib. VI, cap. 22, quæst. 3; Pirhing. loc. c. num. 6; Reiffenstuel loc. cit., num. 31, et alii, istud concedunt absolute de præscriptione, et non necessario requirunt immemorialem, ut requirit Barbosa loc. cit., idque juxta generalia principia in materia præscriptionis tradi solita. Et sic tenet etiam Fagnanus in cit. c. *Auditis*, n. 6, ubi dicit quod prælatus inferior, si solus instituerit, spatio annorum quadraginta præscribit excluso episcopo; et idem sentire asserit Alexandrum de Nævo in cit. cap. *Auditis*, n. 25, et Innocentium in cap. *Cum olim*, de Restitut. spoliator.

(22. Prælatis inferioribus, etiam regularibus, competit jus instituendi in ecclesiis sibi pleno jure subjectis, ut colligitur ex cap. *in Lateranensi* 31, de præbend., argumento a sensu contrario desumpto ex sequentibus verbis, ibi. « Statuentes nihilominus, quatenus ad ipsos (religiosos) in ecclesiis quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem concilii statuta, episcopis instituendos presbyteros repræsentent, ut illis de plebis cura respondeant: » concordat Clement. unica, de Excessibus Prælat.; § *Quidam præterea*, et cap. *Cum et plantare* 3, § *In Ecclesiis*, de Privil., ubi glossa, verb. *Pleno jure*, infert quod in ecclesiis pleno jure, id est in spiritualibus et temporalibus ad religiosos pertinentibus, nihil possit episcopus attentare in illos, et ita institutio et destitutio quoad temporalia et spiritualia ad ipsos pertinent: cap. *Visis litteris* 1, caus. 16, quæst. 2; et tenent Fagnan. in cap. *Cum venissent* 6, de Institutionibus num. 14; Barbosa d. allegat. 72, num. 184; Pirhing. loc. cit., num. 32, et alii.

(23. Laici, quicunque sint, nullo modo possunt proprie instituere clericum in aliquo beneficio, ut colligitur ex cap. *Præterea quia* 4, de Jure patronatus, ubi laici qui clericos instituere vel destituere præsumunt in ecclesiis etiam patronatus, jubentur excommunicari. Item ex cap. *Si quis deinceps* 12, et cap. *Quoniam* 13, caus. 16, quæst. 7, ubi clericus non solum pœnæ suspensionis, sed etiam excommunicationis subjacere decernitur, qui investituram ecclesiarum, contra statuta sanctorum Patrum, de manu imperatoris, vel regis, aut alterius laicæ personæ, suscipere præsumpserit. Et ratio est quia potestas instituendi in beneficiis est spiritualis, cujus incapax est laicus: cap. *Decernimus* 2, de judiciis et cap. *Causam*, q. 6, de præscript. cum similibus.

(24. Institutio auctorizabilis, sive potestas conferendi curam animarum, de jure communi pertinet ad episcopum solum, privative ad prælatos inferiores, nisi habeant jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum privative ad episcopum, textu expresso in c. *cum Satis* 4, de Offic. Archidiaconi, ubi glossa fin. et DD. communiter, et concordat cap. *Nullus* 11, caus. 16, quæst. 7, ubi id expresse statuitur. (25. Dicitur autem notanter, *nisi habeant jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum privative ad episcopum;* quia tales prælati inferiores sunt nullius diœcesis, et sunt ita constituti in proprio territorio, ut veniant nomine diœcesani, juxta glossam in Clement. 1, verb. *Diœcesanis*, de foro competent., et Abbatem ibi n. 25; Cardinal. in quarta q. num. 2; Imolam num. 38; Vitalin. n. 4. Unde quia omnimodam habent jurisdictionem in clerum et populum privative ad episcopum, hoc ipso obtinent potestatem tradendi curam animarum, quam nemo alius præter Papam posset concedere: Fagnanus l. I, decretal. in cap. *Eam te*, n. 4, de ætate et qualitate, et in cap. *Cum eontingat*, num. 31 et 37, de foro competent., allegans sententiam sacræ congregationis Concilii; Reiffenstuel loc. c. n. 37, et alii communiter. (26. Institutio auctorizabilis, seu potestas conferendi curam animarum non potest competere neque vi consuetudinis

Digitized by Google

seu præscriptionis prælatis inferioribus non habentibus proprium territorium privative ad episcopum : cap. *Cum satis* 4, de Offic. Archidiaconi, ubi Alexander III Elianensi archidiacono (qui sine licentia episcopi sui committebat curam animarum, dicens hoc ex consuetudine sibi licere, prout refert Glossa in casu ibidem). Rescripsit in hæc præcisa verba : « Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis non debes contra SS. Patrum Constitutiones venire, et quod ad tuum non spectat officium vindicare, mandamus ut nemini sine licentia et mandato episcopi curam præsumas committere animarum; » et sic tenent in d. cap. *Cum satis;* Abbas num. 3; Joann. Andr. ibid., num. 6 et 18; Layman notand. unic.; Fagnan. in cit. cap. *Eam te*, de ætat. et qualitat., n. 3 : Azorius par. I, lib. V, cap. 19, § *Consuetudo, item;* Pirhing, lib. I, decretal. tit. 23, num. 13, Reiffenstuel lib. III, decretal. tit. 7, num. 38, et alii arg. cit. cap. *Cum satis* 4, de Officio Archidiaconi, et concil. Trident. sess. 7, cap. 13, de Reformat. ubi statuit nullos clericos posse institui, etiam prætextu « cujusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati et idonei reperti; » unde patet nulla consuetudine introduci posse ut in ecclesiis episcopo subjectis, sine ejusdem approbatione ab aliquo prælato inferiori instituantur clerici ad curam animarum; quidquid in contrarium sentiat Barbosa de Offic. et Potest. Episc., part. III, allegat. 72, num. 185, et nonnulli alii ab ipso citati, et post ipsum Engel lib. III, decretal., tit. 7, n. 8.

(27. Institutio corporalis, seu realis, vulgo *investitura* seu *installatio*, spectato jure communi, spectat ad archidiaconum, textu expresso in cap. *Ad hæc* 7, § *in quadam*, de Officio Archidiaconi, ibi : *Institutio corporalis tam super beneficiis quam etiam dignitatibus ad ipsum* (archidiaconum) *debet pertinere* (28. Dicitur autem notanter, *spectato jure communi*, quia ex consuetudine tale jus est archidiacono sublatum, et episcopo etiam adjudicatum, ut fere ubique institutio corporalis seu investitura in beneficiis jam pertineat ad episcopum vel delegatum ab eo : arg. cap. *Licet Episcopus* 28 de præbend. in 6; Gonzal. in cit. cap. *Cum satis*, de Officio Archidiaconi, num. 3; Barbosa de Dignitatib., cap. 5, num. 3; cardin. Petra tom. V, comment. in Constitutione 4, Callisti III, num. 123; Covarruv. lib. III, variar. resolut. cap. 16, num. 7, vers. *Tertius casus;* Engel. lib. III, decretal. tit. 7, num. 5; Reiffenstuel ibidem, num. 44, et alii passim.

(29. Is ad quem spectat collatio beneficii non potest seipsum instituere : *Communis*, textu expresso in cap. *Cum ad nostram* 7, de Institutionibus, assignata ratione : *Cum inter dantem et accipientem debeat esse distinctio personalis.* (30. Imo is ad quem spectat collatio beneficii nec ab alio a se delegato potest institui : *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Cum ad nostram*, ibi : *Sed nec ab alio beneficium recipere potuit, cum jus conferendi alius non haberet;* delegatus enim non confert jure proprio; sed jure aut auctoritate delegantis, cujus personam repræsentat ac vices gerit, et ideo in effectu delegans sibi ipsi conferret beneficium; et se ipsum institueret, nam, ut dicitur in cap. *Qui facit* 72, de Regul. Juris in 6, *Qui facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum.*

(31. In beneficiis ecclesiasticis laici non possunt institui, sed soli clerici : *Communis*, arg. cap. *In ecclesia vestra* 2, de Institutionib., ibi : *Cum laici non debeant in canonicorum numero computari.* Et adeo excluduntur laici, ut sine speciali dispensatione apostolica nequeant institui; nec sufficiat si post institutionem in beneficio, vel etiam collationem ipsius fiant clerici suscipiendo primam tonsuram arg. cap. *Ex litteris* 6, de Transactionibus; et notat glossa fin. et Abbas ibid., num. 3, et alii communiter. (32. Clerici possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant, dummodo intra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri, et alias sint idonei : *Communis*, textu expresso in cap. *Si is* 2, de Instit. in 6, ibi; « Si is ad quem rectoris præsentatio in aliqua parochiali ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodo alias sit idoneus, et infra tempus a jure statutum ad ordines quos ipsius Ecclesiæ cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum. »

(33. Tempus institutionis præsentatorum faciendæ in benficiis non reperitur a jure præfixum et determinatum, dummodo non diu differatur : *Communis* cum Corrad. c. 7, n. 11; Lotter, q. 13, n. 59 : Pirhing lib. III, decretal. tit. 7, n. 9; Garcia part. X, de Benefic., part IV, n. 1, et Rota in Dertonens. Juris Patronatus 8 Febr. 1599, coram *D.* Penna, in qua fuit dictum quod beneficium non est devolutum ex eo quod ordinarius distulerit instituere, cum non sit tempus præfixum, etc., ut ex Garcia refert et tenet Reiffenstuel. lib. III, decret. tit. 7, n. 73, et Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., part. III, allegat. 72, num. 191, ubi allegat etiam Rotam dec. 4, de Jure patr. in noviss. (34. Si autem habens potestatem instituendi præsentatos sit negligens aut plus æquo differat, seu penitus recuset instituere, tunc recurrendum est ad superiorem, v. g. ad archiepiscopum, qui episcopo præfigat certum tempus ad instituendum, quo elapso ipse archiepiscopus potest supplere, vel compellendo episcopum ad instituendum, vel ipsemet instituendo præsentatum, ne ex diuturniori vacatione beneficiorum ac defectu rectorum, ecclesiæ vacantes diutius patiantur in divinis, aut aliquod grave dispendium patiantur in facultatibus suis, et si sint curatæ, grave periculum immineat animarum, ut dicitur in cap. *Ne pro defectu* 41, de elect; et sic tenent doctores passim, cum Reiffenstuel loc. cit., num. 74; Anto-

Digitized by Google

nell. de tempor. legal., lib. III, cap. 17, num. 2; Barbosa loc. cit. Ob quam causam S. Pius V constit. incip. *In conferendis* statuit ut in parochialibus cujuscunque juris patronatus institutio fiat intra bimestre a die præsentationis computandum, quo tempore « Ordinariis (sunt verba bullæ, § 4,) institutionem facere negligentibus, possint patroni pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad metropolitanum vel viciniorem ordinarium, aut Sedem apostolicam; » Antonnell. de tempore legali, lib. III, c. 17, num. 3; Reiffenstuel loc. cit. n. 74; Pax Jordan. tom. II, de Re Benefic., lib. X, tit. 7, de Jure patronat., num. 406, et alii communiter. Castropalao autem apud La Croix lib. IV, n. 167, dicit fieri non debere institutionem durante tempore concesso ad præsentandum : tum quia laicus interea potest variare, tum maxime quia posset alius interea prætendere et probare jus præsentandi.

(35. Ritus seu modi realiter et corporaliter instituendi seu investiendi in beneficiis solent esse varii pro diversitate locorum, ut notant Engel lib. III, decretal. tit. 7, num. 5 et 6; Pirhing. ibid., n. 1; Zoesius ibid., n. 4; Reiffenst. ibid., n. 49; Sannig eod. tit., c. 2, n. 4, et alii. Unde in praxi expedit laudabiles cujuslibet loci consuetudines et ritus realiter seu corporaliter instituendi vel investiendi in beneficiis ab antiquo usitatos observare; arg. cap. *Cum tanto* 11, de consuetudine. (36. Institutus quoad titulum in beneficio, quamvis non possit ejus possessionem capere propria et sola sua auctoritate, accedente tamen consensu seu licentia legitimi superioris volentis tradere possessionem corporalem, potest eam capere nullo alio eum introducente in ipsam, ut passim fatentur doctores, eo quod jam interveniat auctoritas superioris : Abbas in cap. *Auctoritate* 4, de Institutionibus; Covarr. Variar. resolut., lib. III, c. 16, num. 7; Rebuffus in praxi Beneficior. tit. de missione in possess., num. 6; Layman in cap. *Nosti*, num. 4, de election.; Engel lib. III, decretal. tit. 7, num. 5; Reiffenstuel ibid., num. 52; Jul. Clar. in § *Feudum*, q. 26, num. 1; Jason. l. *Si ex stipulatione*, num. 5, ff, de acquirenda possess., et alii. Et observatur passim pro beneficiis erectis in ecclesiis regularium, pro quorum possessione sufficit legitima institutio, seu respective legitima collatio nullo alio introducente, maxime cum rerum possessio possit etiam acquiri traditione scripturæ, aut instrumenti in quo jus tradentis continetur, per textum in l. 1. Cod. de donationibus, ubi dicitur quod qui tradit instrumentum videtur tradere possessionem rei.

(37. Instituens potest gratificari, quando duo ab eodem patrono laico præsentati sunt æque digni, textu expresso in cap. *num autem* 24, de Jure patron. (38. Quando plures patroni diversos æquali numero suffragiorum præsentant, si moniti nolint consentire in unum, et episcopum neutrum ex præsentatis possit instituere absque atroci scandalo facti, tunc potest episcopus gratificari uni, et tertium aliquem eligere. Lotter. q. 6, cum. 27; La Croix l. 4, n. 364, cum variis aliis. (39. Institutio potest fieri extra diœcesim vel territorium instituentis, cum sit actus voluntarius et extrajudicialis; Garcias, Gonzalez, Leurenius, et alii cum La Croix, loc. cit., n. 366.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(40. In fundationibus post *concilium Tridentinum* factis haud posse institutionem reservari inferiori carenti ordinaria jurisdictione, præter allegatos ab auctore n. 19, recte firmavit Rota cor. Molin. decis. 158, n. 5, et sequent., (41. licet de hoc dubitasse videatur postmodum idem supremum tribunal in Colonien. Vicariæ de Butgen 9 Martii 1750, § 8, coram reveren. P. D. Canilliac.

(42. Et ut probe monuit Rota coram Molino dicta decis. 158, num. 7 et 8, concilium Tridentinum dum sess. 14, cap. 13, de Reformat. vetat in fundationibus reservari institutionem inferiori carenti jurisdictione ordinaria, intelligendum est non de institutione auctorizabili, sed de institutione collativa.

(43. Institutionem auctorizabilem, *vicario* tamen *nomine episcopi*, competere etiam posse præscriptione prælato inferiori, qui careat territorio separato, jurisdictionem vero ordinariam habeat contra quam tenet auctor, num. 16, firmavit pluries Rota, et signanter in Burgen. Jurisdictionis S. Joannis super territorio separato, 10 Decembr. 1725, § 13, et 2 Junii 1726, § 10, cor. bon. mem. *Cerro;* et 9 Januarii 1728, § 16, cor. bon. mem. Ratt. inter pressas dec. 163, num. 23; et 28 Martii 1735, § 16, et 20 Januarii 1737, § 12, cor. Rev. P. D. Bussio Decano; et 16 Maii 1738, § 15, cor. clar. mem. Calcagnin. (44. Atque hinc tenuit in mox allegatis decisionibus, auctorizabilem institutionem argumentum haud præbere territorii separati.

(45. Quando processum ab ordinario dici debeat potius per viam institutionis quam gratificationis, vel e contra, vide apud Rot. in Majoricens. Beneficii 4 Decemb. 1744, cor. bon. mem. Vicecomite, in Colonien. Personatus; 14 Februar. 1746, cor. R. P. D. Canilliac; et 13 Martii 1747, cor. bon. mem. Vicecomit.; et 29 *Januar.* 1747, *cor. Illustriss. Molino.*

ADDITIONES CASINENSES.

« Respectu juris instituendi ad beneficium de jur. patronatus, quod competere non possit, nisi episcopo aut alteri qui habeat jurisdictionem episcopalem cum territorio separato, habemus dispositionem concil. Trident. sess. 14, cap. 12, de Reformat., ubi disponitur quod jus instituendi in beneficiis de jur. patronat. non possit alteri quam episcopo reservari, etiam in limine fundationis. » Piton. alleg. 41, num. 9 et 10, de controv. Patron.

Circa vero formam provisionis, illud ex

Digitized by Google

d. Trident. cap. 13, sess. 7, de Reformat., scitissimum est, in beneficiis utcunque simplicibus præsentatos, seu electos, vel nominatos *a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Apost. Sedis nuntiis*, non debere institui, neque confirmari neque admitti, etiam prætextu cujusvis privilegii vel consuetudinis, etiam immemorialis, nisi prius fuerint ab ordinariis examinati et idonei reperti. Quod si institutio ad inferiores pertineat (nempe ex fundatione ante cit. concilium, vel ex immemorabili), præsentatos, etiam a patronis laicis, in beneficiis simplicibus juris patronatus, ab episcopo prius examinari et approbari debere, alias institutio ab inferioribus facta esset nulla, ex eod. concil., sess. 25, cap. 9, de Reformat., compertum habemus.

Ubi vero institutio ad episcopum pertinet, in præsentatis a Patronis laicis in ejusmodi beneficiis simplicibus juris patronatus non requiritur examen necessario; sed in arbitrio episcopi reliquit Tridentinum eosdem examini subjicere nec ne, per illa verba : « Ad hæc liceat episcopo præsentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere. » Sic docet Garcias, de benef., part IX, cap. 3, num. 9. — « Episcopus electos a Patronis potest examinare, et si non fuerint idonei, non tamen si idonei fuerunt, conceditur libertas eos repellendi, » ait Barbosa ad concil. Trident. sess. 25, de Reformat., cap. 9, n. 74. In provisione vero beneficiorum jur. patronatus misti, an examen a concilio Trident. in cit., cap. 13, sess. 7, de Reform., præscriptum requiratur : vide Garciam loc. cit., ubi affirmativam videtur sustinere. Cætera remissive sub v. *Jus patronat.*, et v. *Scientia in Beneficiariis*.

INSTRUCTIO PAROCHORUM, ET ALIORUM CONFESSARIORUM.

SUMMARIUM.

1. Asserter finis ob quem tradatur hæc brevis instructio. — 2. Assignatur quid in primis agere debeant parochi aliique confessarii ad quos accesserint pœnitentes cum casibus ad sacram pœnitentiariam spectantibus. — 3. Traditur formula scribendi eminentissimo cardinali majori pœnitentiario pro dictis casibus. — 4. Explicatur et demonstratur quomodo sit intelligenda et in variis casibus concipienda dicta formula. — 5. Afferuntur exemplaria aliqua pro recursu in dictis casibus, ad n. 6. — 7 Dicta exemplaria inservire possunt, variatis variandis, pro omnibus aliis casibus qui in dies occurrere possunt. — 8. Adducitur forma litterarum dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium. — 9. Quomodo sit intelligenda prima clausula ipsius formulæ. — 10. Quomodo intelligenda secunda. — 11. Quomodo tertia. — 12. Quomodo quarta. — 13. Quomodo quinta. — 14. Quomodo sexta. — 15. Quomodo septima, ad n. 16.—17. Quomodo octava. — 18. Quomodo nona.— 19 Quomodo decima ubi, quod pars inscia nullitatis matrimonii debet certiorari. — 20. Non est tamen necesse quod certioretur de causa nullitatis.— 21. Alii volunt quod non sit necesse quod pars inscia certioretur de nullitate matrimonii.—22. Assignatur pro nostra veriori et tutiori sententia aptissimus modus, qui inservire potest ad sufficienter insinuandam parti inscie nullitatem matrimonii, et ad evitanda mala quæ inde oriri possent. — 23. Alii ab aliis adducuntur modi in quibus omnibus tamen semper requiritur, quod consensus pro novo matrimonio debeat præstari de præsenti et in præsenti. — 24. Talis revalidatio matrimonii non est necesse, quod fiat coram parocho et testibus. — 25. Quomodo sit intelligenda undecima clausula. — 26. Quomodo duodecima.— 27. Quomodo tertia decima. — 28. Quomodo quartadecima. — 29. Quomodo quinta decima. — 30. Quomodo sexta decima. — 31. Clausula *gratis ubique*, solita a tergo inscribi, quid importet. — 32. Adducitur formula absolutionis dandæ, et dispensationis exsequendæ super dicto impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in matrimonio contracto. — 33. Confessarius potest absolvere et dispensare pœnitentem, quamvis ante exsecutionem dispensationis obtentæ iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore feminæ, quam ducere intendit. — 34. Secus autem esset dicendum si post obtentam ipsam dispensationem nondum exsecutam, dictus pœnitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona intra secundum gradum conjuncta feminæ, quam ducere intendit. — 35. Dispensatio concessa, seu gratia facta a Pœnitentiaria seu majori pœnitentiario non expirat morte Pontificis, etiam re integra. Et si major pœnitentiarius, aliique pœnitentiarii, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a collegio cardinalium.

(1. Cum sæpe contingat pœnitentes censuris, irregularitatibus, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, aliisque hujusmodi casibus reservatis ad sacram Pœnitentiariam seu sanctam Apostolicam Sedem spectantibus, irretitos accedere ad parochos seu confessarios qui, præsertim in pagis aut locis ruralibus, viam ac modum recurrendi ad dictam sacram Pœnitentiariam non plene et plane sciant; indeque ipsis pœnitentibus non parva ac pauca mala et incommoda obveniant, ad ipsa evitanda traditur hic brevis instructio qua omnibus prædictis recurrendi modus ac via explanatur.

(2. Parochi igitur aliique confessarii ad quos similes pœnitentes accesserint, debent ipsos diligentissime examinare circa causas omnesque circumstantias suorum casuum; ipsisque bene perceptis ac caute perpensis, poterunt casus plene cum omnibus suis causis et circumstantiis expressos, reticito tamen nomine et cognomine pœnitentis, scribere per simplex NN. in charta quocunque idiomate, sive latino, sive vulgari, ac nativo propriæ regionis, cum sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione pœnitentiarios subordinatos habeat : debebuntque in fine perfectæ expositionis casus significare modum et viam per quam a sacra Pœnitentiaria responsio secura dirigi possit : notando videlicet oppidum, seu civitatem, diœcesim, et provinciam cum expressione nominis et cognominis cui sit rescribendum; quamvis tale nomen et cognomen sit fictitium, et casum sic expressum, cum data diei, mensis, et anni, poterunt directe per postam seu communem publicum tabellarium, mittere Romam eminentissimo

Digitized by Google

majori pœnitentiario, in hunc modum.

Eminentissime et Reverendissime domine,

(3. NN. conscius (vel ignarus) impedimenti, contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium cum muliere cujus matrem, aut filiam, seu sororem prius carnaliter cognovit. Quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. Dignetur Eminentia Vestra rescribere NN. in civitate N. Interim orator ad Eminentiæ Vestræ pedes humiliter provolutus, et pro ejusdem incolumitate precans, silet. N., die 20 Jan. 1744.

(4. Advertendum hic est, quod loco NN. debet exprimi nomen et cognomen, quamvis fictitium illius cui a sacra Pœnitentiaria est scribendum, et loco *in Civitate N.* debet exprimi nomen civitatis seu oppidi, et pro majori facilitate exprimi etiam cujus sit diœcesis et provinciæ. Et insuper valde expedit ut in epistola supplicetur quod eminentissimus pœnitentiarius dignetur dirigere breve seu gratiam simplici confessario ex approbatis ab ordinario, maxime si in tali loco desint confessarii magistri in sac. theologia, seu Decretorum aut in jure canonico doctores, aut alii ad id privilegiati; vel si tales adsint, non possit de facili induci pœnitens ad eis suam aperiendam conscientiam, et tandem, ut supra concepta, et scripta epistola, seu supplicatio debet dirigi cum hac externa seu a foris inscriptione.

Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.

(5. NN. vir laicus, seu femina libera emisit simplex votum castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur Eminentia Vestra rescribere Caio Pamphilio presbytero confessario, in civitate Cremonæ provinciæ et status Mediolanensis, seu fratri Francisco Rubeo, a Turricella, sacerdoti professo Ordinis Minorum, in conventu S. Bernardini Alexandriæ, provinciæ Mediolanensis et ditionis ducis Sabaudiæ, regis Sardiniæ, etc. Interim orator ad Eminentiæ vestræ pedes, etc. ut supra num. 3.

(6. NN. sacerdos contraxit excommunicationem et irregularitatem ex homicidio occulto ab eo ob talem vel talem causam, clam, tali modo patrato aut procurato, in persona hominis diaconi, seu sacerdotis sæcularis, aut regularis, et ex tunc, vitandi scandali causa, vel ne se proderet, semper libere, ut prius, continuavit in exercitio ordinum, aut abstinuit: sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humillime supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia Vestra, etc., ut sup. n. 5.

(7. Et hæc adducta supplicationum exemplaria possunt, variatis variandis, inservire pro omnibus aliis casibus qui in dies possunt occurrere. Unde poterunt confessarii, seu pœnitentes, ipsis dictis exemplaribus instru-

eti, pro quocunque simili occulto casu consimiles supplicationes, tute et fidenter ad eminentissimum majorem pœnitentiarium Romam dirigere. Et si forte aliquando responsio tardaverit, iterum rescribere, ne forte prior epistola deperdita fuerit, sic firmiter certi, quod ad ipsum perventa eorum epistola, statim, gratis providebitur de opportuno remedio, quod solet expediri tenore sequentis formulæ.

(8. N. tituli S... sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis *discreto viro confessori, magistro in s. theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino.* « Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias matrimonium cum muliere cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiæ contraxit, et successive consummavit; cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator prædictus ob impedimentum ex præmissis proveniens, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Apostolicæ Sedis dispensatione, ad evitanda scandala quæ, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possunt, ac pro suæ conscientiæ quiete, cupit a præmissis, quæ sunt occulta, et de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica specialiter nobis concessa, discretioni tuæ committimus quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, ab incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur; et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum sit occultum, et separatio inter latorem et præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstet impedimentum, cum eodem latore et dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum et non aliter, neque ullo modo; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nul-

Digitized by Google

latenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, laniare teneatis, ita ut nullum earum exemplum exstet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub sigillo Officii Pœnitentiariæ. » (9. Prima clausula specialiter in ipsa formula observanda est sequens : *Discreto vero confessori, magistro in theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo.* Quæ clausula, quomodo sit intelligenda quoad omnes qualitates requisitas ad hoc, ut aliquis aperire, et exsequi possit litteras dispensationis a S. Pœnitentiaria emanatas, habes sub verbo *Exsecutor Litterarum Apostol.*, num. 39 ad 49. Vid. ibi.

(10. Secunda clausula nempe : « Discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, » etc., denotat quod exsecutor debeat diligenter indagare veritatem precum, diligenter se solo absque testibus examinando pœnitentem, an revera matrimonium sit jam contractum, an impedimentum sit occultum, an scandala ex separatione probabiliter sint metuenda, seu an alia causa finalis allegata subsistat, et hujusmodi. Et si reperierit preces veritate niti, dispensare poterit; si autem reperierit veritate non niti, dispensare non poterit. Et ratio est, quia veritas precum est conditio requisita, tanquam necessaria forma, ad valorem dispensationis; unde si non servetur, invalida erit dispensatio. Sic communiter doctores argum. leg. *Diligenter* 5, ff. Mandati, cap. *Cum dilecta* 20, de Rescriptis. Non est tamen necessarium tale examen, si exsecutor, sine ipso, certo, et indubitato sciat dictas preces veritate niti, ut tradunt passim DD. argum., cap. *Eum* 31, de Regul. juris in 6, ibi : *Eum qui certus est certiorari ulterius non oportet.*

(11. Tertia clausula nempe : « Audita prius ejus sacramentali confessione, » denotat quod confessarius ad exsequendam dispensationem electus, debeat prius pœnitentis confessionem sacramentalem audire, quia verba dictæ clausulæ conditionem important; l. *A Testatore* 109, ff. de Conditionib. et demonstrationib. Conditio autem dat formam omnino observandam : l. *Qui hæredi* 44, et l. *Mævius* 55, ff. eod. adeoque dicta clausula, quoad confessionem a pœnitente præmittendam et a confessario electo audiendam, est omnino ad valorem dispensationis observanda : arg. l. *Diligenter* 5, ff. Mandati, cap. *Cum dilecta* 22, de Rescriptis; Corrad. in praxi dispensat., lib. VIII, cap. 10, num. 31; Vincentius, de Justis de dispensat., lib. I, cap. 8, num. 106 et seq.; Gobat in Quinar., tract. 4, cap 37, n. 176; Reiffenst., lib. IV, decret. in Append. de dispensat. § 9, n. 457 et seq., et ratione moderni styli Pœnitentiariæ introducti tempore Pauli V, testibus Corrado, et Vincentio de Justis loc. c., jam omnes DD. communiter, quamvis ante dictum stylum varii scripserint contrarium.

(12. Quarta clausula : « Ac sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore peccandi, » indicat confessarium non posse dispensationem exsequi, nisi prius pœnitens talem occasionem proximam peccandi deseruerit, et se a tali incestu emendaverit, cum in formula dispensationis sit etiam ipsa posita tanquam conditio et forma necessario observanda per jura numero antecedenti adducta.

(13. Quinta clausula : « A quibusvis sententiis, censuris, etc., absolvas in forma Ecclesiæ consueta, » denotat confessarium quoad absolutionem debere uti ea forma qua Ecclesia in foro sacramentali uti solet : Reiffenst. loc. c. n. 468; Gobat in Quinar., tract. 5, c. 37, n. 207; Bonac., disp. 1, de Legibus, qu. 2, p. 2, n. 19.

(14. Sexta clausula : « Injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, » significat quod confessarius debeat necessario injungere pœnitenti ut per totam vitam, *ad minimum* semel in mense confiteatur; dictio enim *ad minimum* idem significat ac dictio saltem, quæ est implicativa, non limitativa. Barbosa de dictionibus dict. 255, num. 6; Reiffenstuel loc. c., n. 466; Gobat loc. c., num. 213 et 214, qui n. 22 concludit peccare mortaliter pœnitentem quoties in mense aliquo non confitetur saltem semel, argum. Clementin. *Ne in agro* 1, de statu Monachor. Reliqua autem gravis salutaris pœnitentiæ opera, cum non sint determinata a sacra Pœnitentiaria, videntur relicta arbitrio prudentis confessarii, qui ei imponat juxta qualitatem delinquentis; dummodo tamen talis sit, ut gravis dici possit; juxta verba clausulæ : *gravi pœnitentia salutari*, Reiffenstuel loc. c., n. 467, ubi, inter alias pœnitentias injungendas assignat litanias, aut quinquies *Pater* et *Ave* singulis diebus per unum, duos, aut tres annos, recitanda, vel singulis hebdomadis rosarium per totam vitam, aut jejunium uno vel pluribus diebus in mense, in hebdomada, eleemosynam faciendam pauperibus, etc.

(15. Sept. clausula : « Dummodo impedimentum præfatum sit occultum, » denotat quod dispensatio non possit exsequi si impedimentum jam esset manifestum; alias esset invalida, etiam pro foro interno, ut tradunt communiter DD. cum super impedimentis manifestis dispensatio obtineri debeat a Dataria Apostolica. (16. Imo, si impedimentum occultum, super quo conjuges secreto dispensati jam fuerint, aliquo casu, temporis cursu publicari contingeret, dispensatio a confessario facta non juvaret. Et si tale impedimentum denuntiaretur parocho, quamvis certo sciret conjuges fuisse pro foro conscientiæ secreto dispensatos, et ob id tutos esse coram Deo, nihilominus teneretur deferre dictum impedimentum ad ordinarium, qui, etsi sciret fuisse tales conjuges secreto dispensatos super dicto impedimento, si impedimentum probari posset per testes, teneretur ipsos

Digitized by Google

conjuges separare donec aliam dispensationem pro foro externo a Dat. Apostolica impetraverint : Corrad. in praxi dispensat., lib. VII, cap. 6, n. 35; Navarr., lib. IV, consil. tit. de privil. consil. 5, n. 7, in prima edit.; Sanchez, lib. III, disp. 15, a n. 9; Basil. Pont de Matrim., lib. V, cap. 36, n. 7; Vincentius de Justis l. c., lib. I, c. 6, a n. 175 ad 177, et cap. 8, n. 158 et 159; Felix Potest., tom. I, p. 4, num. 4244; Reiffenst. loc. c., n. 489, testans de communi.

(17. Octava clausula : « Et separatio inter latorem et præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, » mandat confessario ut solum dispenset, si, omnibus attentis, prudenter judicet conjuges nec sine scandalo amplius separari nec absque incontinentiæ periculo ut frater et soror cohabitare posse. Quod scandalum in separatione, et periculum incontinentiæ in continuatione cohabitationis, cum evitari ordinarie nequeat in similibus casibus, non est necesse ad dispensandum, ut confessarius nimium in his indaget, sed poterit tale scandalum et periculum sufficienter deducere ex præteritis et præsentibus, aut alias, consideratis considerandis personarum ac rerum circumstantiis, et sic dispensationem exsequi, seu dispensare, Vincent., de Justis, l. I, c. 8, n. 178. et seq.; Sanchez, l. VIII, disp. 34, n. 60. Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ*, n. 30; Reiffenst. l. c., n. 470, et, ipso teste, alii communiter.

(18. Nona clausula : « Aliudque canonicum non obstet impedimentum, » vult quod confessarius non possit exsequi dispensationem, si cognoscat pœnitentem irretitum esse alio canonico impedimento præter expressum in supplicatione, quamvis bona fide et ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit. Et ratio est quia dispensatio non datur nec data censetur, nisi super supplicatis et petitis, adeoque non potest extendi ad non expressa et non supplicata, ut tenent communiter doctores arg. cap. *Inter dilectos* 6, § *Cæterum, de fide instrumentor.*

(19. Decima clausula : « Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur » indicat quod ad valide exsequendam dictam dispensationem, et revalidandum matrimonium ratione impedimenti invalide contractum, etiam altera pars impedimenti inscia debet aliquo modo prudenter et caute certiorari de nullitate matrimonii prius contracti : Scotus in 4, dist. 35, quæst. unic. § *Respondeo*, vers. *Primus consensus;* Tambur., lib. VIII, de Matrim., tract. 4, c. 7, § 2, n. 6 et 8; Pontius, de Matrim., l. IV, cap. 25, a. n. 2; Guttierez, de Matrim., cap. 47, a num. 4; Bonacina, disp. 12, de Impedim. Matrim., sect. 14, concl. 2; Sanchez, lib. VIII, disput. 36, n. 5; Navarr. in Manual., c. 22, n. 17; Comitol., lib. I, resp. moral. qu. 120; Bossius, de Matr., cap. 2, a num. 74; Coninch., disp. 24, dub. 10, num. 90; Aversa, quæst. 11, de Matrim., 4, vers. *Quantum ad tertium*, Castropal., disp. 2, de Sponsalib., qu. 7, § 2,

num. 3; Cardenas d. 2, num. 673; Busemb., lib. VI, tract. 6, cap. 3, dub. 3; La Croix, lib. VI, part. 3, num. 114; Gobat in Quinar., tract. 5, cap. 37, num. 141; Leo in Praxi ad Litteras Pœnitentiariæ, part. II, pag. 251; Felix Potestas, tom. I, part. IV, a n. 4247, et seq.; Reiffenstuel loc. cit., § 13, n. 587, testans de communi aliorum contra Henriq., Hildesm., et alios, apud Sanch., l. II, disp. 36, n. 2, relatos. Et ratio est quia dicta clausula, cum sit in ablativo posita, conditionem necessariam importat : arg. l. *A. testatore* 109, ff. de Conditionib. et Demonstrat.; l. *Si debitor*, § 1, ff. Quibus modis pignora, adeoque est necessario observando arg. l. *Diligenter* 5, ff. Mandati, c. *Cum dilecta* 22, de Rescriptis. Tum quia matrimonium prius invalide contractum non potest novo consensu revalidari, nisi utraque pars sciat nullitatem ipsius, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Aristotele 2, de Anima comment. 39, et nihil incognitum sit volitum, ex S. Augustino 13, de Trinitate, et l. *Cum Aquiliana* 5, ff. de Transactionib., cum similibus. Tum etiam quia, teste doctissimo P. Comitolo, l. c., sic expresse respondit Clemens VIII, specialiter ab ipso super hac controversia consultus, nempe « esse necessarium novum consensum utriusque, admonito prius marito de matrimonii nullitate. » Tum tandem quia hic agitur de valore sacramenti. Unde quamvis contraria opinio esset probabilis, cum nostra sit vere probabilior ac tutior, et alia minus probabilis ac minus tuta, sequenda est nostra, alia relicta, utpote subjecta damnationi factæ ab Innoc. XI, die 2 Martii 1679, in 1 propositione, ut advertunt Cardenas in 2, Crisi disp. 2, a num. 669; La Croix l. cit., n. 814; Reiffenst. loc. cit., n. 605, et alii.

(20. Non est tamen necesse ut pars conscia certioret partem insciam de causa nullitatis matrimonii, seu ei revelet quale fuerit impedimentum, ut tenent communiter DD.; sed sufficit si dicat aliquid ad valorem defuisse, seu dicat se sufficientem consensum non habuisse, quod revera sine mendacio dicere potest, quia consensus ratione impedimenti invalidus revera non est sufficiens ad valorem Matrimonii, cum consensus invalidus reipsa non sit consensus, eo quod invalidum esse et non esse paria sint : arg. l. *Quoties* 6, ff. Qui satis dare cogantur; l. *Si non se obtulit* 4, § 6, ff. De re judicata; l. *Duo sunt Titii* 30. ff. de Testamentaria tutela. Sic Cardenas loc. c., num. 676; Sanchez, lib. II, disp. 36, num. 7; Reiffenstuel loc. c., n. 596; Felix Potestas loc. c., num. 4249, vers. *Addit.*; La Croix loc. c., n. 814, in fine, testans de communi.

(21. Sunt tamen graves alii doctores qui tenent, requiri quidem ad revalidandum dictum nullum matrimonium utriusque conjugis consensum, sed non esse necesse ut pars inscia certioretur de nullitate prioris consensus, volentes quod sufficiat, si pars conscia obtineat a parte inscia, ut pro sua scilicet partis consciæ consolatione renovet consensum jam factum, et renovante parte inscia, renovet etiam ipsa pars conscia. Et

Digitized by Google

ratio istorum est quia tunc conjuges sunt habiles ad matrimonium, cum supponatur jam ablatum impedimentum per dispensationem, adeoque si mutuo consentiant, habetur (dicunt ipsi) id quod requirit essentia matrimonii. Nec videtur conditio necessaria ut conjux inscius certioretur de prioris consensus nullitate, sed potius videtur simplex instructio. Alias, si id necessarium esset, sæpissime dictæ dispensationes suo valore frustrarentur, cum ut plurimum pars inscia certiorari non possit absque gravi partis consciæ periculo. Sic Vincentius, de Justis, loc. cit., lib. I, c. 8, n. 181, cum Reginald., Trullench, Bonac. et aliis ibi allegatis, Sotus, Rodriq., Henriq., et alii, apud Sporer de Matrim. c. 2, sect. 2, n. 459; Castropal. l. c.; Bossium l. c., n. 37, et apud La Croix loc. c., n. 814, qui dicit Lessium, Gobat, aliosque communiter admittere hanc sententiam in casu extremæ necessitatis: v. g. si pars conscia timeat aliam partem dissensuram, indeque oriri gravissima mala sibi, aut proli, perpetuas inimicitias, gravissima scandala, et mortem, quæ mala nequeant aliter evitari quam omittendo hujusmodi certiorationem partis insciæ. Tunc enim (dicunt ipsi) dicta necessitas videtur salvare reverentiam sacramenti, ideoque illam non videtur comprehendere damnatio Innoc. XI, in cit. 1 propositione. Hæc ille.

(22. Sed cum verior et tutior sit nostra sententia asserens ad revalidandum matrimonium requiri quod pars inscia de nullitate certioretur aliquo modo, vel formaliter, et absolute, vel saltem equivalenter, traditur hic quidam modus qui inservire potest ad sufficienter insinuandam parti insciæ nullitatem matrimonii, et ad evitanda mala quæ inde oriri possent. Et est quod pars conscia de nullitate matrimonii, nacta commodam occasionem discurrendi, sive per se, sive per alium, de præstantia matrimonii, de gratiis sacramentalibus et bonis quæ inde conjugatis obveniunt, deque pluribus impedimentis occultis, et variis causis ob quas matrimonium potet esse nullum, etiam inter conjuges in optima fide existentes, et ob id privari dictis gratiis et bonis, partem insciam de nullitate, sic caute et prudenter disponat, ut interne consentiat ad novum matrimonium conditionale; ita quod, si ex aliqua causa matrimonium esset nullum, velit nunc, sicut ipsa, matrimonium vere contrahere, ne fortasse tantis fraudentur sacramentalibus gratiis ac bonis. Quod facillime eveniet, si conjux conscius ostendat conjugi insciæ magna amicitiæ conjugalis signa, dicatque: « Si nullum fuit matrimonium nostrum, hic et nunc accipio te in meam uxorem, quasi nunquam accepissem, » quia tunc statim respondebit conjux inscia nullitatis: « Et ego idem facio, seu hic, et nunc etiam ego accipio te in meum maritum, quasi nunquam accepissem, » aut quid simile. In tali enim casu, licet ita consentiens non habet cognitionem formalem, habet tamen cognitionem æquivalentem de nullitate, hoc ipso, quod facta nullitatis mentione, et memoria forsan

existentis, expresse consentiat, vereque de novo velit matrimonium contrahere, et de præsenti contrahat, si forsan prius matrimonium invalidum fuerit aut sit, quod vere sufficit ad revalidandum dictum matrimonium; cum notitia seu cognitio nullitatis prioris matrimonii præcise ideo requiratur ut novus consensus partis insciæ non referatur ad prius matrimonium, quod putat validum, sed vere detur ad novum de præsenti contrahendum. Qui consensus vere de præsenti ad novum contrahendum matrimonium datur per supradictum modum hoc ipso quod nullitatis forsan existentis memor expresse dicat: « Si nullum fuit matrimonium nostrum, hic et nunc accipio te, etc., » aut quid simile. Nec refert quod dictus consensus detur sub conditione, quia consensus datus sub conditione de præsenti vel præterito æque valet ac consensus absolutus, si conditio est vera, ut in nostro casu; l. *Cum ad præsens* 37, ff. De rebus creditis, etc., § *Conditiones* 6. Instit. de verbor. oblig. Sic Sporer de Matr., c. 2, sect. 2, n. 459, id pro certo habens cum Henrinex, de Matr. disp. 6, q. 3, n. 33; Sanchez., lib. II, disp. 36, n. 5; Gobat in Quinar., tract. 9, c. 37, a n. 32; Bosco, de imped. Matr., disp. 12, sect. 14, concl. 2; Henno, tom. II, de Matr. disp. 3, q. 4, concl. 4, vers. *Respondetur, Convocato;* Reiffenstuel loc. cit., n. 597 et 604, et alii passim.

(23. Alii ab aliis adducuntur modi pro revalidandis similibus matrimoniis, qui brevitatis gratia videndi relinquuntur apud ipsos, et signanter apud Sanchez, Sporer, Reiffenstuel, Castropal., La Croix loc. cit. Solum hic advertendo quod in omnibus semper requiritur quod consensus pro novo matrimonio debeat præstari de præsenti, et in præsenti dicendo, v. g.: « Si matrimonium nostrum esset nullum, nunc de novo tecum contraho, » et quid simile; nec sufficit consensus præstitus in præterito imperfecto dicendo: « Si matrimonium nostrum esset nullum, vellem tecum contrahere » quia hic *vellem* non importat actualem consensum de præsenti requisitum pro essentia matrimonii, ut recte advertunt Sanch., lib. II, disp. 36, n. 6; Reiffenstuel loc. c., n. 604, et alii communiter.

(24. Talis revalidatio matrimonii nulli ob impedimentum occultum, quocunque modo fiat, non est necesse quod fiat coram parocho et testibus. Sic enim clare habetur ex formula dispensationis sacræ Pœnitentiariæ, quæ mandat secreto et nullis adhibitis testibus de novo contrahi matrimonium, et sic expresse declarasse S. Pium V refert Navarr. in Summa, cap. 22, num. 70; Reiffenst. loc. cit., num. 612; Pontius de Matr., lib. V, cap. 6, num. 5; Pignatell., tom. VIII, cons. 27; Tambur. loc. cit., § 3; Cardenas in 2 Crisi, disp. 2, n. 667; La Croix loc. cit., n. 815; Felix Potest. loc. cit., num. 815: idem, loco citato, n. 4248, et alii, testantes etiam sic declarasse sacr. congr. Card. et Rotam Romanam. Et declarationes quæ in contrarium possent afferri intelligendæ sunt in casibus ubi impedimenta sunt publica, ut recte explicat Pignatell. loc. cit., et alii, ac

Digitized by Google

colligitur ex decreto sacr. congr. Conc. quæ, 25 Maii 1657, censuit hujusmodi matrimonia esse nulla, sed prævia dispensatione Sedis Apost. esse renovanda, servata forma concilii Trid. *Dummodo impedimenta sint publica*. Sic apud Pignatell. loc. cit., num. 5. Et ratio nostræ conclusionis est, quia, cum dictum matrimonium fuerit publice contractum in facie Ecclesiæ coram parocho et testibus, cessant inconvenientia, scandala, ac mala, ob quæ evitanda Tridentinum sess. 24, de Reform., cap. 1, præscripsit præsentiam parochi et testium esse adhibendam, adeoque, etc. Sic Pignatell., Navarr., Pontius, Cardenas, Reiffenstuel, La Croix loc. cit., cum innumeris aliis apud ipsos, quibus accedit praxis.

(25. Undecima clausula: « Matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, » aperte declarat posse dictum matrimonium de novo contrahi sine parocho et testibus, ut dictum est n. antec.

(26. Duodecima clausula: « Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo: ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur, » de se clara est, et manifeste demonstrat quod sacra Pœnitentiaria absolvit, dispensat, et legitimat in solis casibus occultis, et pro solo foro interno, et nullatenus pro foro externo, si aliquando impedimentum evaderet manifestum: unde tam dispensatio quam prolis legitimatio necessario fieri debet pro solo foro interno in ipso actu sacramentalis confessionis, alias si fiat extra ipsam, erit invalida, etiam pro foro interno; juxta dicta supra num. 16, cum sit nimis clara dicta clausula, quæ expresse pro forma præscribitur.

(27. Tertiadecima clausula: « Nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, » mandat quod pro dispensatione facienda seu facta nulli adhibeantur testes, nec de ea facta confessarius det litteras testimoniales, aut conficiat processus, nec ipsemet oretenus desuper testetur, sed circa eam in foro externo se habeat, tanquam penitus nescius, cum fuerit facta præcise sub actu sacramentalis confessionis.

(28. Quartadecima clausula: « Sed præsentibus laniatis, quas, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, laniare tenearis; ita ut nullum earum exemplum exstet, » præcipit quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, et consequenter sub gravi peccato, teneatur confessarius litteras dispensationis taliter lacerare, corrumpere, comburere, etc., ut nullatenus possint notitiam parere et inservire pro foro externo.

(29. Quintadecima clausula: « Neque eas latori restituas, » prohibet sub gravi peccato ne confessarius dictas litteras jam exsecutas iterum pœnitenti restituat: quamvis tamen, si nondum fuerint exsecutæ, vel quia ex aliqua causa ipse exsequi recuset, vel quia

pœnitens alium promptiorem et benigniorem jam elegit ad id confessarium, ipsas iterum pœnitenti tradere teneatur. Pœnitens enim, si unus confessarius electus exsequi dictas litteras recuset, vel ob nimium rigorem sibi displiceat, potest variare, et alium benignioris opinionis eligere, ut patet ex dictis sub verb. *Exsecutor litterarum apostolicarum*, n. 47.

(30. Sextadecima clausula: « Quod si restitueris, nihil eis præsentes litteræ suffragentur, » indicat quod etiamsi confessarius illas, non obstante tali gravi prohibitione, pœnitenti iterum traderet, nihil prorsus ei pro foro externo suffragarentur, remanente tamen in suo esse, valore, et effectu pro foro interno, pro quo legitima jam fuit facta exsecutio.

(31. Clausula *Gratis ubique*, quæ a tergo solet inscribi, præscribit quod nec officiales pœnitentiariæ, nec exsecutores litterarum ipsius possint aliquid exigere vel acceptare, etiam sponte oblatum, nec etiam sub prætextu incommodi et laboris: Gobat in Quinar., tract. § cap. 37, num. 279; Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ*, num. 34; Reiffenstuel. loc. cit., num. 487, et alii communiter. Post exsecutam vero dispensationem posse recipi munera gratis oblata, tenent Sanch., lib. VIII, disp. 35, a num. 9; Guttierez, de Matr., cap. 128, n. 9; Filliuc, tom. I, tract. 10, part. II, cap. 10, n. 365; Tullench., tom. III, lib. 7, cap 10, dub. 11, n. 4; Reiffenst. loc. cit., num. 321 et 487; Vincentius, de Justis, lib. I, cap. 6, n. 235, et alii; eo quod talis prohibitio videatur respicere solum tempus ante dispensationem, ne officiales aut exsecutores, muneribus excæcati, munus suum minus recte exsequantur. Cavendum est tamen ne ante ipsam dispensationem fiat aliqua promissio, vel verbis expressis, vel signis, aut verbis æquipollentibus dandi aliquid post factam dispensationem, quia tunc per ipsam promissionem aut datam intentionem violaretur præceptum ac si illud fuisset effective traditum et acceptum ante dispensationem, cum sic officiales aut exsecutores possent corrumpi per dictam promissionem, ac per realem et effectivam largitionem ac receptionem.

(32. Adducta et satis explicata formula litterarum dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium, quæ, variatis variandis, inservire potest pro aliis consimilibus occultis impedimentis, adducitur hic formula absolutionis dandæ, et dispensationis exsequendæ super dicto impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente, ad remanendum in matrimonio contracto. Postquam igitur dixerit confessarius: « Absolvo te a peccatis tuis, etc., debet addere: Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi vel secundi affinitatis gradus ex copula illicita quam cum sorore, matre, vel, etc., tuæ putatæ conjugis habuisti, ita ut, illo non obstante, renovato consensu cum præfata conjuge, matrimonium cum illa contrahere,

Digitized by Google

consummare, et in eo remanere licite possis et valeas : In nomine Patris, et Filii, etc. Item eadem auctoritate Apostolica, prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fore decerno et declaro : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » etc. Quæ item formula, variatis variandis, potest etiam inservire pro aliis consimilibus casibus occultis.

(33. Hic pro complemento advertendum est quod Confessarius potest absolvere et dispensare pœnitentem, quamvis ante exsecutionem dispensationis obtentæ iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore feminæ quam ducere intendit, quia repeti'a illa copula non inducit novum impedimentum affinitatis, sed manet illud unicum, quod prius contractum erat, sicuti antequam obtinuisset dictam dispensationem decies : v. g. illam eamdem sororem cognovisset, unicum esset impedimentum, nec in supplicatione opus fuisset exprimere quoties illam cognovisset, cum affinitas non per diversas copulas cum eadem persona, sed solum per diversas personas multiplicetur. Sanch., lib. VIII, disp. 24, num. 38; Pontius, lib. VIII, cap. 17, §5, num. 30; La Croix, lib. VI, part. III,

num. 990; Vincentius, de Justis, lib. I, cap. 4, n. 161 et seq., cum aliis ibi citatis. (34. Secus autem esset dicendum si post obtentam ipsam dispensationem nondum exsecutam, dictus pœnitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona diversa intra secundum gradum conjuncta feminæ quam ducere intendit, quia tunc insurgeret novum impedimentum, et nova opus esset dispensatione, cum dispensatio non extendatur ad alias affinitates seu ad alios casus postea exortos : Ludovisius dec. 34, n. 2; de Justis, loc. cit., num. 163 et 164, et alii citati. Unde denuo deberet in tali casu recurri ad sacram Pœnitentiariam et exponi integre factum.

(35. Dispensatio concessa, seu gratia facta a sacra Pœnitentiaria seu majori pœnitentiario, non expirat morte Pontificis, etiam re integra. Ejus enim auctoritas non expirat morte Papæ. Et si major pœnitentiarius aliique pœnitentiarii, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a collegio cardin. Clementin. de electione, c. *Ne Romani*, § *Eo tamen*, Pius IV, Constit. 35, incip. *In sublimi*; S. Pius V, Constit. 83, incip. *In omnibus*.

INSTRUCTIO

PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM QUI INDUCUNTUR PRO CONTRAHENDIS MATRIMONIIS, TAM IN CURIA EMINENTISSIMI D. CARDIN. URBIS VICARII QUAM IN ALIIS CURIIS CÆTERORUM ORDINARIORUM.

(1. In primis, testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi in quo divina simul et humana majestas læditur, ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem, quod imminet pœna triremium et fustigationis deponenti falsum.

(2. Interrogetur de nomine et cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

(3. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

(4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus. Si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax ; si vero dixerit accessisse requisitus, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

(5. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio, ipsorum nomine.

(6. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis vel conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

(7. Interrogetur an contrahere volentes sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel diœcesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestationes ordinariorum locorum in quibus, contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

(8. Interrogetur sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti.

(9. Item, an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium? Si testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra,

(10. Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, etc., et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum

Digitized by Google

aliud impedimentum, etc. Si vero responderit negative,

(11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde judex colligere poterit an testi sit danda fides. Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

(12. Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si responderit mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo prædicti decesserunt, vel rectore ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, sacra congregatio non intendit excludere alias probationes quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ et sufficientes.

(13. Interrogetur an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus, transierit ad secunda vota. Si responderit negative,

(14. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex aliis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter; si vero negative,

(15. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, judex poterit judicare an sit concedenda licentia, necne.

(16. Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis, servata forma concil. Trid. in cap. *Multi*, sess. 24. Fides aliaque documenta quæ producuntur a partibus non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate episcopi ordinarii, recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum; et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

(17. Pro testibus in hac materia, recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia præsumuntur melius informati; et cives magis quam exteri, nec admittantur homines vagi, et milites, nisi data causa et maturo consilio. Et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula, *mihi bene cognitus;* sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputatus ab eminentiss. vicario; et extra urbem, vel vicarius episcopi, vel aliqua persona insignis et idonea ab episcopo specialiter deputata. Alias puniatur notarius arbitrio sacræ congregationis, et ordinarius non permittat fieri publicationes.

(18. Ordinarii præcipiant omnibus et singulis parochis in eorum diœcesibus existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato ordinario, a quo, vel ejus vicario generali, prius teneantur fidem authenticam reportare quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, etc. Contravenientes autem severe puniantur.

Franciscus Richardus, S. Rom. et univers. Inquisit., etc.

INSTRUMENTA.

Vide verb. SCRIPTURÆ.

INTENTIO

SUMMARIUM.

1. Intentio generatim sumpta quid sit, et quomodo dividatur, ad n. 2. — 3. Quæ sit intentio actualis, virtualis, habitualis, ad num. 5. — 6. In quo differant inter se intentio habitualis et virtualis. — 7. Quæ sit intentio interpretativa, explicita, implicita, directa, indirecta, absoluta, conditionata, ad num. 13. — 14. Ad valide conficienda, seu ministranda sacramenta, quæ intentio sufficiat, quæ vero non, ad num. 20. — 21. Ad valorem sacramenti an sufficiat in ministro intentio ponendi materiam, et formam, vel ex joco, vel serio, et pure materialiter, ad n. 30. — 31. Ad valide recipienda sacramenta, quid requiratur in pueris, et perpetuo amentibus, quid vero in adultis ratione utentibus, ad n. 32. — 33. Quænam intentio ad singula sacramenta sufficiat, ad n. 40. — 41. Qua intentione opus sit ad valide applicandum sacrificium missæ, ad num. 42. — 43. An pro consecrandis parvis hostiis sufficiat intentio ante habita, quamvis postea, dum major hostia consecratur, ad illas expressa reflexio non habeatur. — 44. Quænam intentio sufficiat pro satisfactione præcepti ad recitationem horarum canonicarum, vel ad auditionem Sacri, ad n. 56. — 57. Subnectuntur supplementa auctoris, ad n. 61.

(1. Intentio generatim sumpta est actus voluntatis volentis aliquid facere vel fieri a se, vel ab alio. *Est in re communis.* (2. Intentio dividitur in actualem, virtualem, habitualem, et interpretativam. (3. *Intentio actualis* est illa quam quis actu elicit et habet dum actualiter facit opus intentum, actu scilicet cogitans, et volens, seu intendens illud quod facit. (4. *Intentio virtualis* est illa vi seu virtute cujus antea realiter habitæ, et non revocatæ, hic et nunc aliquid fit, quod alias non fieret. Licet enim talis intentio actu jam præterierit, adhuc tamen manet in virtute sua, in quantum vi ejus applicantur potentiæ exteriores ad actum, licet operans non attendat hic et nunc ad id quod exsequitur. Talem intentionem virtualem habet, v. g. sacerdos, qui ex voluntate seu

Digitized by Google

intentione actuali celebrandi missam, induit se sacris vestibus, et vadit ad altare, et dum celebrat, sit distractus, et ex distractione non considerat actualiter actum quem exsequitur. Talis sacerdos sic distractus dicitur celebrare cum intentione virtuali, quia virtute intentionis prius actualiter habitæ celebrandi missam, applicantur potentiæ exteriores ad omnes illos actus concernentes et perficientes missæ celebrationem. (5. *Intentio habitualis* est volitio seu intentio mere præterita, et non revocata, sed ita interrupta, ut nec in se, nec in virtute, seu efficacia, censeatur adhuc perseverans in aliqua operatione morali, cum talis habitualis intentio possit esse nedum in homine rationis compote, vigili, et sobrio, sed etiam in homine rationis impote, dormiente, et ebrio, qui tamen moraliter operari nequeunt. (6. Unde in hoc potissimum differunt inter se intentio habitualis et intentio virtualis quod intentio habitualis duo tantum requirit: primo, quod præcesserit intentio actualis; secundo, quod talis intentio non sit revocata. At vero intentio virtualis, ultra hæc duo, requirit aliquod tertium, id est remanentem aliquam virtutem, vim, efficaciam instruentem, et moventem ad opus præsens intentum; ut patet ex dictis num. 4. (7. *Intentio interpretativa* est illa quam homo nunquam habuit, est tamen ita comparatus animo, ut eam haberet si de ea cogitaret.

(8. Intentio alia est *explicita*, qua volumus et intendimus aliquid in se clare cognitum et cogitatum. (9. Alia *implicita*, qua volumus et intendimus aliquid solum confuse cognitum, volendo aliquid sub quo, vel in quo illud continetur. Sic qui vult, v. gr., subdiaconatum, cognoscens in confuso quod aliqua onera gravia sint illi annexa, implicite intendit obligationem ad castitatem et ad horas, quamvis de illis explicite seu expresse non cogitet. (10. Alia *directa*, qua volumus et intendimus aliquid in se ipso formaliter et positive. (11. Alia *indirecta*, qua aliquid in se ipso directe quidem minime volumus et intendimus, et tamen volumus et intendimus directe causam aliquam, unde videmus illud aliud tanquam effectum secuturum. Sic volens bibere vinum meracum, probe advertens se inebriandum, quamvis tunc minime velit et intendat ebrietatem directe in se, ipsam tamen vult et intendit directe, tanquam prævisum effectum illius potationis. (12. *Alia absoluta*, qua volumus et intendimus aliquid simpliciter ac libere independenter ab omni conditione. (13. *Alia conditionata*, qua volumus et intendimus aliquid solum dependenter a tali vel tali conditione, ita ut nostrum velle non sit efficax, nisi illa conditio ponatur, vel posita esse cognoscatur.

(14,15. Ad valide conficienda seu ministranda sacramenta, quamvis sit optima, non est tamen necessaria intentio actualis. *Communissima.* Est enim ad id plene sufficiens intentio virtualis, ut sentiunt communiter doctores cum S. Thoma 3, part. Summ., q. 64, art. 8; S. Bonaventura in Breviloq. 6, p. cap. 5, de sacr. disput.; Soto in 4, d. 6, quæst. 6, et aliis passim. Et ratio est quia talis virtualis intentio sufficit ad omnes alios humanos contractus et actus, nec Christus majorem intentionem et attentionem requisivit ad sacramentorum confectionem et administrationem quam ad alios humanos contractus et actus, adeoque, etc. (16. Non sufficit autem intentio habitualis, quia ex habitu agere non est humano modo agere, ut quisque fatetur de eo quod stultus, aut phræneticus, aut dormiens agit vi habitus quem contraxit: *Communis.* (17. Multo minus sufficit intentio interpretativa, quia hæc, ut patet ex ejus definitione, nec est, nec fuit intentio re ipsa existens, sed tantum quæ existeret si occurreret cogitatio de illa elicienda. Quod autem non est non potest dirigere confectionem seu administrationem sacramenti, ut nomine Christi et humano modo fiat, adeoque, etc. *Communis.* (18. Nec etiam sufficit intentio indirecta tantum, quia ebrius, v. gr., prout in exemplo allato sub num. 11, pro hac intentione indirecta non agit humano modo et moraliter, sed mere naturali ac brutali, cum non agat libere seu ex deliberatione rationis: imo, dato etiam quod se inebrians, et prævidens, se in ebrietate adhibiturum materiam et formam, antea expresse intendat et velit conficere sacramentum in ebrietate, adhuc nihil efficiet, quia illa intentio præcedens moraliter nullo modo influit in actionem secuturam in ebrietate, sed eam mere naturalem et inhumanam relinquens, manet mera intentio habitualis: *Communis.* (19. Nec tandem sufficit intentio conditionata sub conditione de futuro: *Communis.* Et ratio est quia intentio ministri sacramenti debet adesse quando fit actio sacramentalis, cum non sit in ejus potestate suspendere effectum sacramenti in futurum. Intentio autem conditionata de futuro, eo ipso quod sit suspensiva in futurum, non adest, nec quidquam operatur de præsenti, quando fit actio sacramentalis, cum conditio nondum sit posita. Imo neque operabitur in futuro, quando ponetur conditio, quia tunc non erit amplius actio sacramentalis, neque ipsa intentio, nisi ad summum habitualis nihil operans; adeoque, etc. (20. Sufficit tamen intentio conditionata sub conditione de præsenti vel præterito, dicendo, v. g.: « Si adhuc vivis, si non fuisti baptizatus, ego te baptizo; — si es capax, si concubinam domo ejecisti, ego te absolvo. » Et ratio est quia conditio de præsenti aut præterito, cum sit posita extra causam, et non sit dependens in futurum, non suspendit intentionem et actionem; sed mox facit transire in absolutam et efficacem.

(21. Ad valorem sacramenti non sufficit in ministro intentio ponendi materiam et formam ex joco. *Est de fide*, contra Lutherum, Calvinum, et alios, apud Bellarmin. de Sacramentis, lib. 1, cap. 17, qui dicunt sufficere si res et verba quomodocunque ponantur, dummodo adsit fides in suscipiente. Colligitur ex concilio Florentino in decreto Eugenii IV ad Armenos, et conc.

Digitized by Google

Tridentino sess. 7, canone 11, ubi ad valorem sacramenti statuitur requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, et etiam ex articulo 12, inter justissime damnatos a Leone X constit. incip. *Exsurge, Domine*, ibi : « Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. » Quem articulum etiam expresse damnat conc. Trident. sess. 14, de Pœnitent., canon. 9, ibi : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat..... anathema sit. » Quod autem dicitur de absolvente valet de conficiente quodvis aliud sacramentum.

(22. Neque etiam sufficit ad valorem sacramenti intentio tantum materialis ponendi materiam et formam serio et pure materialiter, sed necessario requiritur intentio formalis ponendi ea, ut sacramentalia, et saltem faciendi quod facit Ecclesia : id est, non sufficit in ministro intentio pure materialis et externa, sed requiritur intentio vere formalis et interna. *Est fere communis*, contra quosdam antiquos et aliquos recentiores relatos et secutos a Juenin. dissert. 1, de Sacramentis in genere, quæst. 5, art. 3, per tot., ubi acriter tenet et defendit ponentem serio materiam et formam, etsi non intendat sacramentum, imo positive dicat : *Non facere sacramentum*, equidem illud conficere, quia intentio illa contraria tantum est inefficax, quandoquidem, illa non obstante, ponat partes sacramenti constitutivas, adeoque sacramentum. Ast hanc opinionem vocat Augustinus Bernal d. 17, n. 55, omnino falsam; Herincx d. 3, n. 16, improbabilem; Arriaga d. 19, n. 13, non tantum improbabilem, sed forsan etiam pene erroneam; Lugo d. 8, n. 15, dicit parum distare ab errore hæreticorum; Vasquez d. 138, n. 34, putat esse expresse damnatam, ideoque num. 29 dixerat oppositum ab Ecclesia definitum, et La Croix, lib. VI, part. II, sub num. 54, dicit hoc esse saltem certissimum, postquam Alexander VIII, die 7 Decembr. 1690, damnavit sequentem propositionem 28, in ordine, ibi : « Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vere in corde suo apud se resolvit : Non intendo facere quod facit Ecclesia. » Et per hanc damnatam propositionem fuisse damnatam supradictam opinionem tenet Viva in d. propositione 28 Alexandri VIII, n. 1; Henno in Theologia Dogmatica, tom. II, tract. de Sacramentis, disp. 4, qu. 2, art. 2, conclus. unic., et alii passim; quamvis Juenin. loc. cit., art. 1, contendat per ipsam non damnari talem opinionem. Imo Henno loc. cit., et alii dicunt talem opinionem expressissime contrariari concilio Tridentino sess. 14, de Pœnitentia, ubi La Croix, loc. cit., recte observat concilium ibi requirere in sacerdote animum, non tantum serio agendi, sed vere absolvendi; dicit enim ibi Concilium : « Atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, nec etiamsi..... sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet se esse absolutum vere, et coram Deo. » Ubi nota verba illa, *serio agendi et vere absolvendi*. Quod autem dicitur de hoc sacramento, idem est de aliis. Vide infra num. 57 et seqq.

(23. Probatur igitur veritas nostræ conclusionis, et simul ostenditur falsitas contrariæ opinionis. De fide est requiri ad sacramenta intentionem faciendi quod facit Ecclesia; hoc habetur expresse definitum ex concilio Florentino in decreto Eugenii IV ad Armenos, ibi : « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia ; » et ex concilio Tridentino sess. 7, canon. 11, ibi : « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. » Atqui Ecclesia non facit cæremoniam profanam et materialem, sed sacram et formalem, non naturalem, sed sacramentalem. Ecclesia enim per suos ministros in conficiendis sacramentis operatur nomine Christi, cum quilibet ejus respective minister dicat in nomine Christi : *Ego te absolvo : Hoc est Corpus meum*, et hujusmodi. Unde Apostolus, I Corinth. IV, dicit : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei;* Ergo non solum requiritur ad sacramentorum valorem intentio ponendi serio ritum externum ab Ecclesia præscriptum, sed etiam intentio operandi nomine Christi, atque adeo, sine intentione faciendi formaliter quod facit Ecclesia, nullum Sacramentum valide conficitur seu confertur, et a fortiori si habeatur intentio opposita, dicendo, *Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

(24. Tum quia Ecclesia in rubricis missalis, § de Defectu intentionis, expressissime declarat sacerdotem serio proferentem formam super materiam præsentem, et quidem in iis circumstantiis in quibus creditur ab omnibus consecrare, nihil tamen efficere, si desit intentio consecrandi : « Si quis habeat coram se, inquit, undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. » Quid clarius? Nonne ex his evidenter apparet solum contumacem posse deinceps de Ecclesiæ mente circa hoc dubitare? Tum etiam quia, si Ecclesia tantum exigeret intentionem ponendi ritum externum, nunquam exegisset ultra positionem materiæ et formæ intentionem ministri, cum sit impossibile ut quis in sui præsentia ponat materiam et formam, et non intendat ponere.

(25. Aliæ rationes passim assignantur a doctoribus, et signanter ex absurdis, quæ sequerentur. Nam si sufficeret sola intentio illa materialis qua quis libere velit ponere

Digitized by Google

talem materiam et recitare tana verba quæ ad Sacramentum requiruntur, sequeretur quod sacerdos legens ad mensam ex sacris Bibliis, vel alio libro verba illa : *Hoc est Corpus meum; Hic est sanguis meus*, consecraret omnem panem et omne vinum in mensa appositum. Item, si quis in theatro ageret personam Constantini, et modo agendi externo baptizaretur, reipsa rebaptizaretur, et alia hujusmodi, quæ sine dubio sunt maxime absurda. Unde, ne hæc admittantur, dicendum est quod ad conficienda sacramenta non sufficit intentio sola materialis, sed requiritur necessario intentio formalis conficiendi sacramenta.

(26. Objiciunt adversarii varias auctoritates sanctorum Patrum, et signanter, aliis brevitatis gratia omissis, auctoritatem sancti Augustini et S. Thomæ. Sanctus enim Augustinus, dicunt ipsi, lib. VII, contra Donatistas, c. 53, docuit baptismum fallaciter collatum valere, præcise dicens : « Nihil interest ad integritatem sacramenti in Ecclesia catholica utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant. » Et S. Thomas in 4, dist. 7, quæst. 1, art. 2, sic præcise docet : « Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo, si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est catechumenus. » Quod confirmat in sua Summa 3, part. quæst. 64, art. 8, ad 2, ubi postquam retulit opinionem eorum qui mentalem intentionem requirunt in ministro ut sacramenta valeant, sic de opposita sententia loquitur : « Alii melius dicunt quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister; in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis. »

(27. Ad supra dictas autem auctoritates respondetur, quod S. Augustinus ibi loquitur de baptismo dato et accepto fallaciter, hoc est in schismate, cum hæresis, schisma, et iniquitas ministri non obstet valori Sacramenti. Sic doctissimus P. Viva in cit. damnata ab Alexandro VIII propositione 28, n. 5, et alii. Sanctus vero Thomas (quem ob allata testimonia fecerunt oppositæ sententiæ patronum Vasquez, Bernal, et alii, et præcipue Juenin loc. cit., § 3, per totum) ibi solum docet non requiri intentionem mentalem expressam, seu exterius manifestatam, ut interpretatur Gonetus ex contextu : expresse enim, art. 10, requirit intentionem internam ad validitatem sacramenti. Sic Viva loc. cit., n. 5.

(28. Objiciunt adhuc adversarii dicendo quod lutherani et calvinistæ, v. g., non intendunt facere quod facit vera Ecclesia, nempe Romana, sed solum quod facit sua Ecclesia lutherana et calviniana, et tamen valide baptizant; adeoque, etc. Sed statim respondetur distinguendo antecedens : Non intendunt intentione particulari et explicita, concedo; intentione generali et implicita, nego. Intendunt enim facere *quod instituit* Christus, et consequenter cum nihil faciat Ecclesia Romana quam quod Christus instituit, intendendo primum intendunt secundum. Quamvis enim falso credant non Romanam catholicam, sed suam lutheranam et calvinianam esse veram Ecclesiam, adhuc tamen volendo facere quod *vera Ecclesia facit*, implicite volunt facere verum sacramentum quod vult facere vera Ecclesia, etiamsi ipsi circa existentiam veræ Ecclesiæ errent.

(29. Instant dicendo : Atheistæ possunt valide baptizare; sed isti, cum nec Deum, nec Christum, nec Ecclesiam agnoscant, imo omnia illa reputent chimerica, non possunt velle quod Christus instituit aut Ecclesia facit; ergo, etc. Respondetur autem distinguendo Minorem : non possunt velle expresse et distincte, concedo; implicite et confuse, nego : quia possunt velle facere quod vident a Christianis fieri, et consequenter quod Ecclesia facit; sicut accidit quibusdam paganis et infidelibus quibus Christus et Ecclesia erant ignoti. Unde Innocentius IV, in c. 1 l. III. Decret, sic dicit : *Non est necesse quod baptizans sciat quid sit Ecclesia.*

(30. Objiciunt insuper adversarii dicendo quod nostra sententia repugnat divinæ bonitati; quia ipsi divinæ bonitati repugnat quod damnetur infans vel homo tantum attritus, propter malitiam ministri, qui sine intentione interna externe tantum fingit se baptizare et absolvere : quod non potest evenire in sententia contraria, tenendo nempe quod ad valorem sacramenti non requiratur necessario intentio interna et formalis, sed sufficiat intentio externa et materialis. Ad id respondent Alensis, Durand, Gabriel, et alii apud Aversam q. 64, sect. 3, dicendo quod Christus in ejusmodi casibus supplet effectum gratiæ. Quam opinionem non improbat S. Thomas, favetque Valentia apud Escobar, lib. VIII, num. 254, et apud La Croix, lib. VI, p. 1, sub. n. 54. Similiter S. Bonaventura, Silvester, et alii apud Dicastill., de Baptism., d. 1, dub. 13, et La Croix loc. cit., putarunt Deum supplere in baptismo collato pueris nondum absoluta forma mortuis. Imo Cajetan. putavit tales pueros, qui baptizari non possunt, salvari per fidem parentum; Gerson. docuit Deum, saltem quandoque, supplere extraordinarie. At recte dicit Suarez in Comment. ad q. 64, art. 8, omnes suppletiones illas non fundari in ulla lege vel promissione Dei, imo carere omni ratione probabili. Hinc Henriquez opinionem primam vocat imperitam, Cabrera temerariam et erroneam, Escobar improbabilem, eamque recte confutant Gonet, d. 6, ad n. 42; Herincx, d. 6, a n. 21; Dicastill. loc. cit., et alii. Unde dicendum est tales damnari propter peccata sua originalia vel actualia quæ contraxerant et remissa non sunt. Quod autem remissa non sint, non est defectus bonitatis in Deo, qui dederat media, sed est occasionaliter per malitiam ministri, quam Deus impedire non tenebatur; imo nec poterat,

Digitized by Google

salva lege ordinaria Providentiæ. Hactenus sapientissimus P. Claudius La Croix loc. cit. Vide eminentiss. card. Gotti., tom. XIII, suæ Theolog. q. 7, dub. 4, et D. Cajetanum Mariam Merati, tom. I, part. III, tit. 7, n. 2, ubi multa ad rem.

(31. Ad valide recipienda sacramenta quorum sunt capaces pueri et perpetuo amentes, nulla requiritur in ipsis propria intentio aut consensus: *Communissima* inter catholicos ex universali Ecclesiæ praxi, quæ tales baptizat, licet noverit intentionis formandæ esse incapaces. (32. In adultis vero ratione utentibus requiritur semper aliqua intentio diversa, pro diversitate sacramentorum recipiendorum. *Communissima.* (33. Ad baptismum enim sufficit intentio habitualis semel habita et non revocata: *Communis ac certa.* Imo sufficit etiam intentio implicita tantum: *Communior ac probabilior*, cum Coninch., Rhodes, Dicastill., Bernal, Haunold, Gobat, Sporer, Bosco, apud La Croix, lib. VI, part. I, n. 168, et alii contra paucos. Si enim cathecumenus Christianam fidem jam animo amplexus, aut quivis infidelis curans se instrui in fide Christiana animo eam amplectendi, cum fuerit bene instructus, hac voluntate non revocata reperiatur in articulo mortis ratione et sensibus destitutus, quamvis de baptismo in specie nunquam cogitaverit, potest valide et licite baptizari. Nam, eo ipso quo voluit amplecti fidem Christianam, implicite etiam voluit servare Christi præcepta et admittere media salutis in Christiana religione constituta, inter quæ primum et omnium maxime necessarium est baptismus, et consequenter ea voluntate etiam implicita voluit baptismum, saltem pro illa extrema necessitate suæ æternæ salutis, et sic docet etiam S. August. lib. I, de Adulterinis conjugiis, cap. ultimo.

(34. Ad confirmationem sufficit intentio habitualis, forte etiam interpretativa, maxime in articulo mortis: Coninch., Arriaga, Bernal, Busemb., La Croix loc. cit., num. 169, et alii. Ad Eucharistiam sufficit intentio habitualis: *Communis.* (35. Imo in moribundo sufficit etiam intentio interpretativa, præsertim si ante confessus est quamvis jam a mente sit amotus, dummodo absit periculum irreverentiæ: Suarez, Coninch., Rhodes, Lugo, Aversa, Bernal cum La Croix loc. cit., num. 770; Sporer tom. III, part. I, cap. 2, sect. 3, num. 154, et alii. (36. Ad pœnitentiam sufficit intentio habitualis: *Communis.* Imo in moribundo sufficit etiam implicita vel interpretativa, dummodo dolorem aliquo signo externo exprimat, et in casu quo nullum signum externum possit exhibere, sufficit sola vita Christiane acta, ut possit, saltem sub conditione, absolvi; Sporer loc. cit., num. 158; Barbosa in Collectan. ad Concil. Trid., sess. 24, de Sacramento Pœnitent.; cap. 5, n. 2, alios purimos citans, Marcantius, Herincx, Pontius, Bosco, Basseus, Anacletus, Felix Potestas, Schilder, Moya, qui hanc sententiam vocant nunc communem. Vide verb. *absolutio*, art. 2, a n. 3 ad 7, inclusive, ubi pluribus adductis late probatur.

(37. Ad extremam unctionem sufficit intentio interpretativa: *Communis*, cum Bernal loc. cit., num. 79; La Croix loc. cit., num. 172; Sporer loc. cit., n. 154.

(38. Ad ordinem non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur saltem intentio habitualis: *Communis*, et secundum Gobat, tom. I, tract. 1, num. 245; Sporer loc. cit., num. 156; et alios sufficiet etiam intentio implicita, habita scilicet in alio volito sacramentum istud involvente. Ad matrimonium non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur intentio expressa, ad minus virtualis, saltem quando contrahitur inter præsentes, eo quod contrahentes sint etiam ministri: *Communis.* (39. Ratio autem cur potius requiratur intentio, saltem virtualis, in ministro quam in suscipiente; et in ipso suscipiente sufficiat intentio habitualis et interpretativa, et hæc non sufficiat in ministro: est quia (40. minister conficiens sacramentum debet se habere active et causaliter influere in actionem sacramentalem; adeoque ejus intentio debet actu, vel in se, vel in virtute a se relicta existere, quando conficitur sacramentum. At vero suscipiens sacramentum habet se passive tantum; adeoque in ipso non requiritur intentio quæ sit causa actionis sacramentalis, ut est intentio actualis vel virtualis, sed sufficit in ipso intentio quæ sit dispositio ad suscipiendum sacramentum et recipiendum effectum sacramentalem, ut est intentio habitualis, et pro aliquibus sacramentis, etiam implicita et interpretativa, ut patet ex dictis. Sic Sporer l. cit., n. 145; Henno tom. II, tract. de Sacramentis disp. 5, quæst. 2, conclus. 4, vers *Quantum ad Matrimonium;* La Croix loc. cit., n. 56 et 175, et alii passim.

(41. Ad valide applicandum sacrificium seu missam non requiritur intentio formalis et explicita, sed sufficit virtualis et implicita, et ita quidem, ut si religiosus nemini applicavit suum sacrum, censeatur esse ejus voluntas ut prosit illis pro quibus sacrificari et applicari mandavit superior: Diana, p. II, tract. 15, resol. 62; Gavant., part. II, tit. 8, n. 3, litt. P.; Gobat, t. I, tract. 3, n. 162; Stephanus, tom. V, d. 4, n. 61; La Croix, lib. VI, part. II, num. 204, et alii. (42. Pro tali missæ applicatione sufficit etiam intentio habitualis semel posita et non revocata, quamvis ante 10 annos præcesserit: Suarez, Coninch, Bonacina, Tamburin, Gobat, Quartus, Stephanus, Pasqualig., cum La Croix loc. cit., n. 205; Viva in propos. 28, n. 14, ex damnatis ab Alexandro VIII; et alii contra Vasquez, Gran., et alios. Et ratio est quia applicatio missæ est veluti donatio de præsenti sive assignatio rei futuræ, quæ fieri potest anticipate, et sub conditione, qua posita, sortiatur effectum, cum, purificata conditione, talis assignatio conditionata transeat in absolutam. (43. Pro consecrandis parvis hostiis sufficit intentio ante habita, quamvis postea, dum major hostia consecratur, ad illas expressa reflexio non habeatur: *Communis*, cum Castrop., part. VI, num. 3,

Digitized by Google

Dicastill. n. 215; La Croix, lib. VI, part. I, num. 458.

(44. Ad recitandas horas requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum : *Communis, ac certa.* (45. Non requiritur tamen intentio actualis et explicita, sed sufficit virtualis, quia tunc recitatio censetur adhuc moraliter fieri ex antecedenti intentione actuali, et sufficienter tendit in Deum precandum vel laudandum : *Communis ac certa.* (46. Et etiam sufficit intentio implicita, ut si quis intendat colere Deum, satisfacere suo officio, obligationi, intentioni, et ordinationi Ecclesiæ, legere, ne peccet, et hujusmodi, quia in his continetur, vel cum his est connexa voluntas orandi; adeoque, etc. *Communis.* (47. Intentio autem mere habitualis et interpretativa non sufficit, quia certum est quod intentio pure habitualis et mere interpretativa non sufficit ad hoc ut recitatio sit actus humanus, qualis debet esse oratio : Sporer, tom. III, tract. Append de Horis Canonic., cap. 2, sect. 1, n. 60; La Croix, lib. IV, n. 1326, et alii passim, contra Gobat, tom. I, tract. 5, n. 738.

(48. Non requiritur expressa intentio recitandi attente et studiose, quia in intentione orandi includitur intentio attendendi ad orationem : *Communis.* (49. Intentio nova vel primæ intentionis renovatio non requiritur, si plures horæ consequenter recitentur. Neque etiam ea requiritur si fiat interruptio et postea prosecutio horæ, quia hæc resumptio fit ex imperio et virtute prioris intentionis : *Communis.* (50. Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem horarum seu ad auditionem sacri, sed sufficit intentio ponendi opus debitum : *Communis,* cum Suarez, Sanchez, Bonacina, Castropal., Dicastill., Gobat, Layman, l. I, tract. 4, cap. 4, num. 7; La Croix loc. cit., n. 1329; Sporer. loc. cit., num. 61. Et ratio est quia præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est; ut aliquid fiat quia præcipitur, sed tantum ad materialem, hoc est ut fiat quod præcipitur. Ecclesia enim in nostro casu solum præcipit recitationem horarum, auditionem Sacri, etc.; nullo autem modo præcipit ut recitentur horæ, ut audiatur, sacrum cum intentione satisfaciendi præcepto. (51. Hinc, qui ignorans esse diem festum libere interfuit sacro, is satisfecit, nec postea intelligens esse diem festum tenetur audire aliam missam, aut tunc elicere intentionem volendi satisfacere per ipsam missam auditam; quia, quamvis non habuerit intentionem implendi præceptum de auditione missæ, ipsam audiendo implevit substantiam actus præcepti : S. Thomas, Henriq., Filiuc., cum Busemb., lib. I, de Legibus, cap. 3, dub. 2; Suarez, disp. 88, in 3; Gobat, t. I, tract. 5, n. 199, et alii passim.

(52. Imo satisfacit præcepto qui recitans horas seu audiens sacrum expresse intendit per illam recitationem seu auditionem non satisfacere, quamvis dicat : « Nolo hac horarum recitatione, hujus sacri auditione, satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed, ut satisfaciam, decerno iterum has horas recitare, adhuc uni sacro interesse : » Vasquez, tom. II, quæst. 100, cap. 9, n. 5; Suarez, disp. 88, in 3, part. sect. 3, ac rursum fuse, tom. II, de Religion., lib. II, de Festis, cap. 26; Sanchez, lib. I, moral., cap. 13; Bonacina, d. 4, de Sacram., qu. ult. p. 11, n. 23; Palaus, tract. 3, d. 1, p. 17, num. 12. Dicastill., tract. 5, de Euchar. d. num. 66; Lessius, lib. II, cap. 7, dub. 10; Valent., tom. III, disp. 6, qu. 10, in fine; Layman., lib. I, tract. 4, c. 4, n. 7; Gobat, tom. I, tract. 5, n. 201; Busemb., lib. I, de Legibus, cap. 3, dub. 3; La Croix, lib. IV, n. 1330, ubi dicit sic sentire alios communissime; Sporer loc. cit., n. 62; Coninch, Lugo, et alii plurimi, contra Azorium, Navarrum, Medinam, et alios. Et ratio est quia illud dictum : « Nolo hac horarum recitatione..... hac missæ auditione satisfacere præcepto Ecclesiæ, » est inefficax, continet quippe protestationem contrariam facto, et involvit implicantiam in adjecto; ergo non impedit quominus talis sic dicens revera satisfaciat suæ obligationi. Probatur antecedens, quia Ecclesia non petit ab illo plusquam ut semel in die recitet horas, et unum sacrum audiat die festo : non enim potest ulla seu lex seu ratio afferri qua probetur eam plus exigere; adeoque si semel recitet, seu unum sacrum audiat, faciet totum id quod ei præcipit Ecclesia, et consequenter etiamsi sexcenties dicat, *nolo, nolo satisfacere præcepto Ecclesiæ*, revera satisfaciet, sicuti, si fuste cædendo aliquem dicat, *nolo verberare*, nihilominus et verberat, et sentit alter verbera, ut recte dicit doctissimus P. Gobat loc. cit., n. 201.

(53. Nec valet dicere quod actus non operentur ultra intentionem agentis, adeoque, etc. Non valet, inquam, quia id intelligitur quando est in potestate operantis, v. gr., satisfacere, vel non; in nostro autem casu, cum Ecclesia tantum obliget ad substantiam oneris injuncti recitandi horas, audiendi sacrum, etc., illa scilicet recitatione horarum et auditione sacri posita, non est in potestate operantis, scilicet recitantis horas et audientis Sacrum, ut non satisfaciat, cum reipsa faciat totum id quod est præceptum : obligatio enim parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, et in nostro casu, ultra recitationem horarum et auditionem sacri. *Sic supracitati doctores.*

(54. Hinc qui legit horas seu audivit sacrum non ea devotione qua voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere recitationem horarum seu auditionem alterius sacri, et si deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. Dicitur autem notanter, *sine voto tamen*, quia si se obligasset repetere sub voto, peccaret mortaliter non stando suo voto, ut notant Gobat loc. cit., n. 203, et alii citati. (55. Advertendum tamen est quod si talis persisteret in falsa persuasione seu opinione quod non satisfecerit præcepto nisi repeteret, tunc ipse peccaret ratione conscientiæ erroneæ, nisi vel errorem

Digitized by Google

deponeret aut horas canonicas repeteret, vel etiam missam audiret, etc. *Communis*, cum Layman loc. cit., n. 7, in fine, et al. cit.

(56. Adducitur pro complemento tritum quidem, sed notabile dictum a Purchotio relatum tom. V, part. II, cap. 4, circa finem, videlicet : *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.* Unde Christus, Matth. VI, vers. 23, dixit . *Lucerna corporis tui*, id est operis tui, *est oculus tuus*, scilicet intentio (juxta D. Gregorio, lib. XXXVIII, Moral. 3, et alios). *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*

(57. Ad sacramentum valide administranoum satis esse ut minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum qui ab Ecclesia adhibetur, atque ideo, etiamsi suam intentionem retineat, aut interius dicat se nolle facere quod facit Ecclesia, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem prodat, ratum perfectumque sacramentum ab eo perfici, defendit Ambrosius Catharinus in opusculo de Intentione ministri. (58. Ante Catharinum id tenuerant Petrus Cantor, Robertus cardinalis Pullus, Paludanus, Silvester, eumque postea sunt secuti Salmeron., lib. I, Commentar. in Epist, D. Pauli III, part. disp. 2; Joannes Marius Scribonius in summa Theolog., de Sacrament. in genere, quæst. 6 et 7; Vincentius Contensonius in suo Tractat. de Sacrament. in genere ; Hyacinthus Serry in Vind. Vind. ; Natalis Alexander, Gaspar Juenin, aliique recentiores. Quæ opinio licet proprie non coincidat cum sententia Lutheri et Calvini, ut varii contendunt, vix tamen amplius sustineri potest, ut docet Benedict. XIV, de Synodo Diœcesana, lib. VII, cap. 4, a n. 6 ad 9, cum negari non possit grave vulnus præfatæ opinioni inflictum fuisse ab Alexandro VIII, per propositionem 28, inter ab ipso damnatas 7 Decemb. 1690, et a me ad id jam adducta superius, num. 22. (59. Unde vult quod in praxi sit omnino servanda, veluti tutior, contraria opinio exigens in ministro intentionem, vel actualem, vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia. (60. Et si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis quæ iterari nequeunt administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, sit sacramentum iterum sub conditione perficiendum. (61. Si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum sit exquirendum absque eo quod episcopus possit suos diœcesanos adigere ad unam præ altera in dictis opinionibus tuendam seu reprobandam, cum hæc sit una ex causis majoribus ad solam Sedem Apostolicam deferendis, ut statuit perpetua Ecclesiæ consuetudo, confirmata ab Innocentio III, in cap. *Majores* 3 de Baptismo.

APPENDIX

SIVE UBERIOR DE INTENTIONE MINISTRI AD VALOREM SACRAMENTI REQUISITA DECLARATIO.

I. Quæ sunt ab auctore in hoc artic. n. 57, exposita, ex opere Benedicti XIV de Synodo Diœcesana deprompta sunt. Quo in opere sapientissimus Pontifex duo exponit primum Ambrosii Catharini aliorumque catholicorum opinionem ab hæresi Ecclesiæ auctoritate proscripta omnino dissidere ; deinde monet non licere theologis in sacramentorum confectione vel administratione Ambrosii Catharini ac reliquorum istum sequentium opinionem sequi quia in his quæ ad salutem et sacramenta pertinent, non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, ut ex damnata ab Innocentio XI propositione liquet : tutior vero est opinio quæ ad sacramenti valorem exigit ut minister non modo voluntatem habeat externum sacrum ritum perficiendi, sive *externam intentionem* tantum, sed etiam interius animo contendat velle id facere quod Christi Ecclesia facere contendit. Exponendum itaque superest discrimen quod nostrorum theologorum opinionem et damnatam Lutheri aliorumque hæreticorum hæresim intercedit; atque verus germanusque sensus opinionis Catharini aliorumque catholicorum, istiusque a communi scholasticorum opinione discrepantia.

II. Circa ministri intentionem credidit Lutherus ne eam quidem desiderari quæ exteriorem jocum excludat. En ipsius verba, quæ habentur lib. de Captivit. Babylonica, cap. de Baptismo. « Non dubitem si quis in nomine Domini suscipiat baptismum ; etiamsi hujus minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse..... sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato ; » et art. 12, inter proscriptos a Leone X, habet : « Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret ; si tamen credat se esse absolutum, verissime est absolutus. » Hujusmodi error ridiculus visus est sequentibus novatoribus, ut patet ex his Kemnitii verbis in canonem secundum sess. 7, concilii Tridentini. « Non hoc vult institutio baptismi ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil aliud sit, quam ridiculus lusus, vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum. » At si novatores constare sibi velint, ac falsis eorum principiis cohærentia tradere et prædicare cupiant, hujusmodi hæreseos monstrum astruant et tueantur necesse est. Sacramenta enim in horum sententia non ex *opere operato* gratiam efficiunt ac suscipienti conferunt, sed homines justificant, quatenus animo Christi promissiones exhibent ; atque Christi passionem promissionesque in memoriam revocando, fidem in suscipientibus excitant, qua justificantur. Præstare autem hæc possunt sacramenta, seu serio seu mimice conferantur ; se habent enim sacramenta juxta novato-

Digitized by Google

rum hæresim instar verbi Dei, quod quantumvis, seu intus, seu exterius perversa ministri voluntas sit, Dei verbum esse non desinit, ac proinde justificare illos valent qui audiant et consentiant, et si per jocum ab impiis ministris Christi sacramenta adhibeantur. Velint ergo nolintque novatores, ex eorum systemate fit valida esse sacramenta et si ab ebrio imo et a psittaco. Contra vero catholici omnes, qui etiam cum Catharino sentiunt, unanimi consensu fatentur sacramenta ex iis quæ Christus Dominus pro nostra salute operatus est virtutem habere producendi et conferendi gratiam, atque hanc producere dum a ministris ita conficiantur, ut existimare eos homo possit se gerere veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum Dei, dum sacramenta conficiunt et conferunt. Quo fit ut omnes detestentur impium Lutheri commentum; cum pro Christi ministro et dispensatore mysteriorum Dei haberi et cognosci nequeat, qui id unum curet, ut interius exteriusque Christum Deique mysteria derideat atque subsannet. Vides ergo quam inepte Catharini aliorumque Theologorum opinio a scholasticis nonnullis cum hæresi Lutherana confundatur.

III. Qui intentionem faciendi quod facit Ecclesia, in voluntate ponendi ritum sacrum externum constituunt, eamque sufficere ad sacramenti valorem aiunt, repugnante quoque interiore voluntate, in hanc abiere opinionem, ne viderentur astruere sacramenti valorem a ministri voluntate pendere. Neque enim consonum divinæ bonitati visum hujusmodi theologis est ita sacramenta ministrorum arbitrio et voluntati committere, ut in pravi ministri libertate sit homines beneficio redemptionis per sacramenta applicando, eos salutari gratia privare, quin exterius constet aut constare possit de eorum prava voluntate, qua homines optato salutari effectu frustrantur. Notandum id duximus, ut deinceps mitiores sint vulgares theologi in hac reprehendenda et notanda opinione, quæ hac recta voluntate excogitata et propugnata a tot doctissimis viris fuit. At externæ hujus intentionis defensores circa illius usum invicem dissident. Alii enim eam sufficere credunt pro baptismo, quia baptismus nullum in ministro characterem exigit; non autem pro cæteris sacramentis. Alii eam valere putant pro sacramentis quæ habent in forma actum exercitum, seu per quorum formam exprimitur actum sacramentalem a ministro exerceri; unde sequitur externam intentionem in cæteris quidem sacramentis sufficere non tamen in Eucharistia, quia verba ista : *Hoc est Corpus meum*, nullam prorsus exprimunt actionem ministri; secus de istis : *Ego te baptizo, Te confirmo*, etc. Alii externam intentionem in iis sufficere volunt sacramentis in quibus homo est tantum agens instrumentale, non in iis in quibus est principale agens : unde hujus opinionis defensores matrimonium sine interna intentione validum esse negant, cætera vero sacramenta absque eadem valere opinantur. Alii demum externam intentionem generatim, et pro quibuslibet sacramentis sufficere putant; sed et hi duas in partes scinduntur. Quidam nimirum externam et seriam intentionem ubilibet ad confectionem sacramenti satis esse contendunt; quidam præfracte negant, et sentiunt ministrum, nisi vel in loco sacro præsens sit, vel ad confectionem fuerit invitatus, nihil operari, eo ferme modo quo judex totam sententiam, etiam contra mentalem intentionem profert, si sedeat pro tribunali; secus, si loquatur e loco ubi judicis personam gerere non intelligatur : ita Juenin, Serry, aliique recentiores non pauci.

IV. Nec pauciores nec ignobiliores theologi sentiunt, et hodie dum sentiunt, internam ad sacramenta valide conficienda requiri intentionem, sed et inter se divisi sunt. Alii nempe dubitarunt an non requireretur intentio finis explicita et particularis seu intentio producendi hunc in specie sacramenti effectum : tales fuerunt ii de quibus loquitur Ebroicensis synodus an. 1576, his verbis : « Antea inter doctos ac pios viros dubitatum fuit an baptisma a calvinistis administratum pro vero credi deberet, quoniam non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. » Alii, ut Scotus, et Gabriel, particularem illam intentionem finis rejicientes, generalem et quidem explicitam intentionem producendi effectum sacramenti tanquam necessariam postularunt. Alii ne hanc quidem potestatem necessariam esse rati, necessariam dixerunt intentionem explicitam conficiendi sacramenti. Alii demum, minime requirentes intentionem explicitam seu producendi effectum Sacramenti, seu etiam conficiendi sacramentum, docuerunt necessariam ac sufficientem esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, seu intentionem qua quis externum ritum sic frequentat, ut nec interius jocari velit, nec ritum hujusmodi materialiter duntaxat, et ut rem mere naturalem aut profanam peragere, sed illum potius formaliter ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum celebrare velit, et hæc multo communior fuit hactenus internæ intentionis defensorum opinio. Ita historiam hujus opinionis recenset continuator Tournelii ex Lamberto; Gaud, doctissimo Dominicano, qui de hac re luculentissime scripsit. Ad usum quod spectat dicemus paucis sequentibus numeris.

V. Itaque certum est ad valorem sacramenti non desiderari eam intentionem ministri qua velit explicite sacramenti effectum producere. Constat id ex Augustino epist. 98, alias 23, quæ est ad Bonifacium, ubi expresse asserit non privari parvulos gratia spirituali « qua ad vitam regenerantur æternam, quia non istis hac intentione sacramenta offeruntur; cum celebrentur per eos necessaria mysteria et verba sacramentorum. » Deinde Ecclesia, nec pelagianos, nec calvinianos iterum baptizat dum in ipsius gremium revertuntur. Imo id quoad Calvinianos expresse vetuit S. Pius V. Nota autem res est antiquos pelagianos ac socinianos,

Digitized by Google

qui illorum iterum excitaverunt errores, negare baptismum delere originale peccatum, ac conferre gratiam; et calvinianos aliosque hæreticos negare baptismum imprimi characterem; hi ergo dum baptizant, non ea voluntate baptizant ut velint deleri originalem culpam, conferri gratiam, ac imprimi baptizato characterem. Non est ergo necesse ut minister velit effectum sacramenti.

VI. Neque intentio requiritur explicita, vel conficiendi sacramenti, vel celebrandi ritum externum, ut in se revera et absolute sacrum. Nam Florentina et Tridentina synodus eam tantum in ministro intentionem exposcunt, qua velit facere quod facit Ecclesia; hæc vero intentio in eo quoque est qui licet hunc ritum pro sacramento non habeat, vel pro ritu in se sacro, tamen perficere eum contendit ut Christianæ Ecclesiæ ritum sacramque ipsius cæremoniam. Quamobrem ratus habetur baptismus a gentili, imo et ab Atheo ipso ea voluntate collatus ut facere unice contendat quod in Ecclesia Christianorum fit; at certum est gentilem atheumque nec pro sacramento, nec pro re sacra hujusmodi ritum habere. Ita rem explicat S. Thomas in 4, dist. 6, qu. 1, art. 3, resp. 2, ad primum : « Quamvis ille qui non credit baptismum esse sacramentum aut habere aliquam specialem virtutem, non intendat dum baptizat conferre sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse : et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite. » Manifestum ergo est ad valorem sacramenti non requiri intentionem explicitam sacramenti conficiendi, vel celebrandi ritum externum, ut in se revera et absolute sacrum, sed sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, hoc est voluntatem usurpandi et celebrandi ritum qui in societate Christianorum pro religioso habetur; quo in casu, juxta traditam a S. Thoma doctrinam, in ministro *ex consequenti et implicite* intentio inest rem sacram faciendi; quia Ecclesia, cujus se ritum usurpare contendit, *aliquid facit*, dum hujusmodi ritum celebrat.

VII. Age vero, videamus modo num. ii qui Catharini opinionem tenent, dum serio et attente ritum externum quem facit Ecclesia adhibendum prædicant, quin interior intentio adsit, ea revera adhibeant in sacramento conficiendo quæ supra commemoravimus. Nam rem consideranti et diligenter perpendenti facile apparebit, in ministro illo qui voluntatem habeat serio et attente id perficiendi quod facit Ecclesia, nil ex iis deesse quæ ad sacramentum perficiendum necessaria diximus. Jam statuitur hos materiam et formam adhibere; cum vero voluntatem, hoc est intentionem habeant dum illas adhibent faciendi ritum quem Christiana Ecclesia facit, quis non videat habere quoque illam intentionem quæ necessaria sit ad perficiendum sacramentum, ac contrariam interiorem intentionem, qua ex. gr. intra se dicant : *Nolo hominem baptizare*, aut per celebrationem ritus quo baptizant, irritam et inanem fieri, aut supra effectum cadere sacramenti, hoc est supra gratiam et characterem, ita ut interior illa intentio non baptizandi in hujusmodi ministris, nihil aliud sit nisi voluntas non conferendi characterem, non delendi peccatum, non sanctificandi hominem? At voluntas hæc, ut supra diximus, valori sacramenti non obest; imo præsumitur hæc voluntas in sociniano et calviniano, quin proinde dubitetur ab Ecclesia de valore baptismi ab iisdem collati. Videant ergo Catharinianæ opinionis adversarii hanc opinionem solo nomine a communi scholasticorum differre. Dicent vero necessarium saltem esse ad valorem sacramenti, « ut minister velit formaliter ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum illud celebrare. » Assentior; sed quid inde? Numquid ille qui serio et attente vult externum ritum celebrare quem Christus instituit ejusque Ecclesia facit, non vult illum formaliter ut ritum Ecclesiæ vel ut ritum in Ecclesia sacrum celebrare? Si exteriori apparatu, si exteriori attentione, si seria actione, si cæremoniarum usu, si denique eorum omnium applicatione, quæ fieri Ecclesia jubet dum sacramenta celebrantur, determinatur ad faciendum formaliter sacramentum ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum, quis in hujusmodi ministro deesse affirmabit hujusmodi intentionem? Imo actus ipsi quos supra recensuimus hanc inesse in ministro voluntatem satis superque demonstrant; cum enim voluntarie ac omnino libere fiant, interiori dirigente voluntate sive intentione, fiant necesse est; et contraria voluntas nonnisi in effectum cadere poterit. Reponent fortasse in improbo ministro voluntatem esse posse interiorem aut jocandi, aut rem ut mere naturalem et profanam perficiendi. Sed liberæ illæ operationes quas supra memoravimus hujusmodi voluntatem retractant et excludunt omnino; cum per illas ad rem ut formaliter sacram, et ad ritum ut in Ecclesia Christi sacrum celebrandum, determinari debeat, ac revera determinetur. Quo fit ut quæstio vel de solo nomine sit, vel eo reducatur : num scilicet exterior actio deliberate facta interiorem ipsi contrariam actionem necessario excludat aut retractet? Nam in utraque opinone ad valorem sacramenti requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia; in opinione Catharini hæc intentio habetur, dum minister velit serio et attente externum ritum celebrare quem Ecclesia facit, quidquid sit de interna voluntate, quæ tamen ritui per ministrum celebrato contraria esse non potest; in aliorumque vero opinione non requiritur intentio producendi characterem et alios sacramenti effectus, sed voluntas sufficit applicandi res et verba a Christo instituta, quemadmodum in societate Christianorum applicantur, etsi minister non credat virtutem illis inesse quam Christus contulerit. Quamobrem re diligenter exposita, sola voce invicem hujusmodi auctores dissident. Cum vero de valore sacramenti hic agatur, in praxi communior opinio semper tenenda erit, ut initio monuimus.

Digitized by Google

ADDITIONES CASINENSES.

Circa ministri intentionem in conficiendis ac conferendis sacramentis, nonnulla iis quæ ab auctore et in Appendice ex aliena manu dicta sunt nobis addere liceat.

Et quidem aliquam intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia in eo (in ministro) requiri, fidei dogma est, Tridentino definiente in hæc verba : « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. » Can. 11, sess. 7, de Sacramentis in genere.

Nec levia sunt rationum momenta quibus hoc fidei dogma firmatur. Sicuti enim Christus Dominus sacramentorum Ministros constituit, ita eorumdem (sacramentorum) administrationem *actionem humanam* esse voluit. Actio autem humana esse non potest, nisi ex rationis judicio et cum voluntatis intentione. Porro actio sacramentalis generatim accepta ad fines varios referri potest : Infans quippe, ut exemplo rem explanemus, aqua potest ablui ad munditiam corporis, ad sanitatem, etc. Quamobrem, ut ablutio sit revera sacramentalis, ad finem baptismi per intentionem abluentis determinetur necesse est. Deinde, quo sacramentum valide conferatur, qui illud administrat uti Ecclesiæ ministrum se gerere debet, proindeque illud animo intendere quod Christus instituit aut facit Ecclesia.

Ex his porro infertur eum qui jocose ac scurriliter sacramenti ritum celebrat, sacramentum non conficere nec valide administrare. Hinc novatorum error, sacramenta per jocum administrata nihilominus rata esse asserentium, a Concilio Tridentino, cit. can. 11, de Sacrament. in genere, optime merito fuit damnatus.

Nec quemquam movere debet quod Socrates, lib. I Hist. Eccles., cap. 15; Sozomenus, lib. II, cap. 17, et Rufinus, de Alexandro patriarcha Alexandrino tradunt : ei nempe ratum visum fuisse ac validum baptisma ab Athanasio nondum ex puerili ætate emerso, atque cum aliis pueris ludente, collatum. En verba Sozomeni : « Cum omnia (in baptismo collato ab Athanasio) juxta ordinem ecclesiasticum exacte in illis servata esse (Alexander) deprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel recipere meruissent. Reliqua vero, quæ a solis sacerdotibus baptismum tradentibus administrari fas est, in illis supplevit. Athanasium porro aliosque pueros qui in eo ludicro presbyterorum aut diaconorum partes egerant, sub divino testimonio, parentibus ipsorum tradidit, quo ipsos ad Ecclesiæ ministerium educarent, informarentque ad ea officia quæ fuerant imitati. » Loc. cit.

Quamvis enim id ita gestum a supra memoratis scriptoribus ponatur, sat dubiam tamen incertamque ejusmodi narrationem esse, vel potius intra fabellas amandandam, si artem criticam consulas, affirmare non dubitabis. Et revera ex Hieronymi Chronico constat Alexandrum anno 321 ad Alexandrinam sedem fuisse promotum. Porro Athanasius, eodem Sozomeno referente concilio Nicæno, anno 325, jam diaconus ac inter theologos celeberrimus interfuit; et quod magis est, insequenti anno, nimirum 326, Alexandro vita functo, episcopus Alexandrinus est inauguratus. Quod si Alexander Alexandrinæ Ecclesiæ gubernacula suscepit anno 321, et post quinque annos eidem in Patriarchatu Athanasius successit, absolute repugnans videtur quod puerilem ætatem circa illa tempora ageret : maximeque ex eo quod communiter teneant eruditi, eumdem ætatis suæ anno trigesimo, prout Ecclesiæ ferebat disciplina, episcopum fuisse renuntiatum; nec unquam ei ab arianis objectum legamus, ac sic junior episcopatum arripuisset.

Sed etsi Alexandrum anno 313 vel 314 ad sedem Alexandrinam evectum esse dicamus, ut PP. Maurinis, ex Eusebio, lib. VII Hist. Eccles., cap. 32, simul cum Gelasio Cizycæno collato, visum fuit attamen Athanasium annum duodevigesimum tunc attigisse oportuit; quæ sane ætas ab illis puerilibus nugis aliena est abhoretque quibus Socrates et Sozomenus ipsum distentum tradiderunt.

Et quamvis factum istud uti certum ponamus, nihil tamen ex eo ad hæreticorum errorem astruendum argui posse vel inde liquet, quod Athanasius, non irrisorie, sed serio baptisma, ritu ab Ecclesia peragi solito, contulerit, nec omnes promiscue pueros, sed duntaxat catechumenos, baptizaverit. Quod si antedicti scriptores asserunt in eo Athanasium lusisse, id significare videntur eumdem in re serio confecta, oblectamentum quoddam animi, tanquam extrinsecum finem, sibi proposuisse.

Quanquam vero inter catholicos constet in sacramenti ministro aliquam intentionem requiri, *saltem faciendi quod facit Ecclesia*, de hujus tamen intentionis objecto, seu quid illud sit, ad quod ferri debeat ejusmodi intentio, quam omnes necessariam fatentur, disceptatur. Ambrosius Catharinus, in opusculo de Intentione ministri, contendit ad sacramentum valide administrandum satis esse ut minister intentionem habeat ritum externum qui ab Ecclesia adhibetur serio perficiendi; adeo ut, quamvis suam intentionem retineat, aut interius dicat, *nolo facere quod facit Ecclesia*, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam pandat voluntatem, ratum perfectumque sacramentum ab eo confici, magno rationum apparatu propugnat : quod idem in comitiis Tridentinis videtur sane exposuisse.

Hanc opinionem minime ab eodem concilio damnatam cardinalis Pallavicinus hisce verbis testatur. « Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam; quapropter fas illi fuit affirmare eam concilio non contradicere. » Hist. Concil. Trident., lib. IX, cap. 6, n. 2.

Et hoc magis constare videbitur, si illud

Digitized by Google

notaveris, sessionem septimam synodi Tridentinæ, in qua hæreticorum dogma deturpiter ab illis intellecta ministri intentione fuit confessum, anno 1547, sub die 3 Maii, habitam fuisse; cum cæteroquin Catharinus opusculum suum de Intentione Ministri prælo mandaverit Romæ 1552. Ac tantum abest ut hujus opusculi causa in aliquam erroris suspicionem venerit, quinimo illud, eodem Pallavicino teste, habemus exploratum, nempe « cum excitata fuisset haud scio quæ litteraria contentio inter Catharinum et S. palatii apostolici magistrum, oppositisque invicem libellis litigaretur, rogatum a legatis (concil. Tridentini) Pontificem palatii sui magistrum moneret ut ab inferenda alteri molestia desisteret, affirmantibus vitam et doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Unde conficitur opiniones a Catharino defensas Patribus (Tridentinis) haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere : secus nunquam commisissent, ut per communes acclamationes ad episcopatum promoveretur; neque is qui tunc synodo legatus præerat (Marcellus cardinalis Cervinus) postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem thiara exornasset. » Loc. cit. n. 2.

Hinc porro est cur sanioris judicii theologi, Catharini opinionem ab hæresis censura vindicando, latum inter illam ac novatorum errorem discrimen intercedere non immerito censeant.

« Negari tamen haud potest, sic Benedictus XIV, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII, a quo, die 7 decembris 1690, hæc inter alias propositio damnata fuit : *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit. Non intendo facere quod facit Ecclesia.* » De Synodo diœces., lib. VII, cap. 4, n. 8.

Non equidem ignoramus illud quod Invenino et Contensonio visum est, nempe modo allatam propositionem non nisi in sensu hæreticorum fuisse damnatam, cum non sit in illa explicatum utrum minister serio an ludicre ritum servet externum.

« Verum, ut hæc res coram Deo se habeat, nulla usque adhuc de ea emanavit expressa Apostolicæ Sedis definitio. Quamvis *igitur communior sit sententia, exigens in ministro intentionem vel actualem vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id quod Christus instituit seu quod facit Ecclesia,* ET HÆC VELUTI TUTIOR SIT OMNINO SERVANDA IN PRAXI, non est tamen episcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc posteriorem, etiam theorice tuendam suos diœcesanos adigere. Causas quippe majores difficilioresque quæstiones fidem aut disciplinam spectantes, ad Apostolicam Sedem esse deferendas statuit perpetua Ecclesiæ consuetudo, ab Innocentio III, in c. *Majores*, de baptismo, confirmata. Quare si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis quæ iterari nequeunt administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum. » Cit. oper. de Synodo diœces., l. VII, c. 4, n. 9.

Atque hæc de intentione ministri dicta sunto

INTERDICTA

ARTICULUS I NOVISSIME ADJECTIS.

De Interdictis in genere, et de Interdicto quarum bonorum.

(1. Ad possessiones pertinent interdicta. De horum derivatione quidquid sit, vel ab *interdicendo* denominentur, quia *interdicere* est *prohibere;* l. *is cui bonis* 6, ff. de verb. oblig.; l. 1, ff. de curat. furioso et aliis extra minor. dandis, § 1, Inst. b. t. de interdict.; Vinn. inst. lib. IV, tit. 15, § 1, in fin. vers. *Proprie interdicta*, etc.; vel *ab interim*, vel *ab inter duos dicendo dicantur*, Inst. b. t. in princ., et Zoes. in Pand., lib. XLIII, tit. 1, de Interdictis in princ., illud certum est ex mouito imperatoris initio tit. Inst. de interd., quod interdicta antiquitus « erant formæ atque conceptiones verborum quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat : quod tunc maxime fiebat cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. » Et quanquam interdictum de itinere actuque privato, de aqua quotidiana et æstiva, de locis sacris et religiosis, proprietatis causam continere intelligantur, ex l. 2, § 2, de interd.; l. 3, § 11, cum §§ seqq. de itin. actuque priv.; l. 1, § ult., de aqu. quotid. et æstiv., hoc tamen eo sensu accipiendum, ut non possessionis tantum causam singula contineant, sed per consequentiam adjunctam habeant proprietatis causam aut velut proprietatis; quatenus in istis interdictis eum vincere placet qui jus de cujus usu agitatur ad se pertinere ostenderit : d. l. 3, § *hoc autem* 13; Donell. ad hunc tit. Cod., num. 6; Tulden. num. 2; Vinn. ad h. princ., num. 2; Huber. prælect. Jur. Rom. lib. IV, tit. 15, sub. num. 1. Et ex his intelligere est quod habet l. 1, § ult., de aq. quotid. et æstiva, quod nimirum hujusmodi interdictis tota finiatur quæstio, tum de possessione, tum etiam de proprietate, quæ sane cæteris distinguuntur, cum sint tantum judicii præparatoria juxta ea quæ habet Voet. ad Pand. h. t., n. 2; Vinn. loc. sup. cit., qui de eadem prima lege mentionem habet.

(2. At veterum hodie interdictorum formulis sublatis, et verborum conceptionibus, per interdicta juxta Huber. prælect. Jur. Rom., l. IV, tit. 15, sub. num. 1, *intelliguntur actiones extraordinariæ quibus in causa veræ vel quasi possessionis inter partes disceptatur*, § ult. h. t., Rubr. de interdict., *sive*

Digitized by Google

extraordinariis actionibus quæ illis competunt. Consule etiam Vinn. inst. tit. de interdict., in princ., num. 1, in fin., Zoes. in Pand. h. t., n. 1, etc. Quæ actiones ideo dicuntur extraordinariæ, quia in his extra solemnem judicii ordinem brevis cognitio ac semiplena sufficit probatio, l. 8, Cod. *Unde vi;* l. un. Cod. *si de moment. possess.;* l. 3, Cod. *de interdict.;* l. 13, Cod. eod.; l. 13, Cod. *de rei vindic.;* l. ult. Cod. *Quorum bonorum.* Moribus ergo sufficit hodienum, si actor factum suo simpliciter complectatur libello, et inde utilem in factum actionem ad instar interdicti proponat : Voet. ad Pand. l. 43, tit. 1, num. 1; Gothofred. in not. ad eumd. tit.; Oinotom. inst. tit. de interdict., § 1, num. 27 et seqq.; Zoes. in Pand., num. 3, de interd., etc.

(3. Interdicta, seu actiones extraordinarias ab actionibus proprie dictis in multis differre compertissimum est. Si quis autem de his curiosius inquirere velit, adeat Cujac. lib. v, observ. 17; Paul. Voet. ad princ. Inst. h. t.; Zoes. eod. tit., num. 4; Huber. prælect. Jur. Rom., lib. IV, tit. 15, num. 1, in fin.; Zoes. eod. loc., n. 4. Interdicta pene omnia esse in personam concepta facile colligitur ex l. 1, § 3, ff. h. t. Ulterius etiam interdictorum omnium fundamentum est possessio, vel quasi, quæ cum ex se ipsa *juris* non sit, *sed facti*, divisionem *juris in re*, et *ad rem* non recipit, quapropter pene nullum interdictum esse in rem plane constat. Excipiendum tamen, teste Ulpiano in l. 3, § 13, ff. de itin. actuq. privat., interdictum *de itinere actuque privato*. Sane nec interdicta *quorum bonorum*, nec Salvianum, nec *uti possidetis, et utrubi* in rem esse jam docuit Huber. prælect. ad instit. h. t., § 7.

(4. Triplex in hoc titulo proponitur interdictorum divisio. Prima est, quod sint vel *prohibitoria*, vel *restitutoria*, vel *exhibitoria :* Voet. ad Pand. h. t., num. 3; Zoes. eod. tit. num. 5, etc. *Prohibitoria* sunt ea quibus prætor aliquid fieri vetat, veluti : « Ne quis vim faciat sine vitio possidenti; Ne quis mortuum in locum quo jus ei est inferentem impediat; Ne quis in loco sacro ædificet, vel in flumine publico ripave aliquid faciat quo pejus navigetur. » Vide § 1, h. t., et l. t., ff. de mort. infer., l. 1, et passim ff. *Ne quid in loc. sacr.*, l. 1, ff. de Flumin. *Restitutoria* sunt interdicta quibus prætor aliquid restitui jubet, ut puta, cum jubet ei qui vi de possessione dejectus est, possessionem restitui, quod fit interdicto *de vi, et vi armata*, etc. Demum *exhibitoria* interdicta sunt ea quibus aliquid prætor jubet exhiberi : ut puta cum parentes de liberis quos in potestate habent exhibendis sibi agunt, etc.; de quibus videndi tituli particulares in Pandectis relati, De homine libero exhib. et de lib. exhib.

(5. Cum autem omnis de possessione rei privatæ contentio eo spectet, ut aut possessionem quam nunquam habuimus acquiramus, aut adeptam retineamus, aut quam amisimus recuperemus, ex his oritur altera interdictorum divisio, quod quædam sint *adipiscendæ*, quædam *retinendæ*, demum quædam *recuperandæ* possessiones, quæ vocabula ex præmissis satis clara putamus, § *Sequens inst.* h. t. l. 2, § ult. ff. h. t. Heinecc., in Pand., h. t., § 287, aliique plures. Adipiscendæ possessionis quam nunquam habuimus, duo sunt interdicta, *Quorum bonorum*, et *Salvianum*, quæ duntaxat proponuntur, licet eodem genere sint interdicta, *Quod legatorum. Ne vis fiat ei qui in possessionem missus est — De Tabulis exhibendis, et de glande legenda*, quæ exstant in lib. XLIII Digest. a tit. 3, etc. A verbis ejusdem interdicti initialibus interdictum hoc nuncupatum fuit *Quorum bonorum.* Ait enim prætor, *Quorum bonorum ex edicto suo alicui possessio data sit, id se ei restitui jussurum*, l. 1, in fin. ff. h. t., § *Adipiscendæ* Inst de interdict. Ex quibus prætoris verbis *restitutorium* hoc interdictum dicendum esse videtur, abusive tamen dictum fuit, quoniam vocabulum *restituere et dandi*, significationem recipit ex l. *Verbum reddendi* 94, ff. de verb. Signif.; Vinn. Inst. h. t., num. 2, in fin. Dicitur etiam hoc interdictum *ad universitatem bonorum, non ad res singulas pertinere*, uti ab Ulpiano scriptum est in l. 1, § 1, ff. h. t., in quo duo hæc judicia scilicet petitio hæreditatis, et interdictum *quorum bonorum* præcipue conveniunt l. 1, in princ., ff. de rei vindic.; l. 1, § 1, ff. *Quor. bon.*; Vinn Inst. tit. de interd. sub. num. 3. Neque inter se differre eadem dicendum est, eo quod petitione hæreditatis ille etiam teneri dicitur qui rem unam hæreditariam licet minimam possideat : l. 9, et seq. ff. de petit. hæredit., salvo enim Ulpiani responso in præcit. l. 1, etc., hoc recte accommodatur etiam interdicto *Quorum bonorum.* Nam qui vel unam rem hæreditariam non particulari titulo, sed pro hærede possidet, is totam hæreditatem jurisque universi sibi asserit successionem. Consule Chacherani decis. 74, l. *Hoc amplius* 29, ff. de furtis junct., l. *Regulariter* 9; l. 10 ff. de petit. hæredit. Neostadius Curluprem. decis. 25; Vinn. inst. h. t., num. 3, § 3.

(6. Interdictum quorum bonorum ab hæreditatis petitione pluribus differt : illud enim tantum est de corporibus : l. 2, ff. *Quor. bonor.*; Vinn. Inst. h. t., § *Adipiscendæ* 3, num. 3, adeoque contra debitores hæreditarios qui non corporum, sed juris sunt possessores, intentari non potest : Zoes in Pand. t. *quor. bon.*, n. 3; secus vero in hæreditatis petitione qua etiam debitores hæreditarii tanquam juris possessores tenentur : l. 2, ff. *Quorum bonorum*, juncta l. *Nec. ullam* 13, § ult.; l. *Si debitor* 42, ff. de petit. hæredit.; Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bon.* num. 1, in fin.; Huber. prælect. Jur. Romani, lib. IV Inst., tit. 15, num. 5; Perez. in Cod. de petit. hæredit., num. 14, etc. His adde quod in illo simplex petitur detentio, in hac rerum plenum jus atque dominium. Demum hoc interdictum, ut pote remedium possessorium, semiplenam requirit probationem, brevisque in eo est ac facilis via ad acquirendam possessionem; in petitione vero hæreditatis plenissime de omnibus inquiritur, et exactissimam requirit probationem : l. 1, Cod. *Quor. bonor.*; l. *Judices*

Digitized by Google

9, Cod. de judic. add. Affict. decis. 14; Menoch. de Adipisc. possess. rem. 1, num. 97 et seq. Consule etiam Ant. Fab. Cod. Sub. tit. *Quor. bon.*, defin. unic.; Perez. instit. imper. lib. IV, tit. 15, vers. *simile*, etc., pag. 128. Quas duas postremas differentias judiciis omnibus possessoriis et petitoriis communes esse testatur Huber. prælect. Jur. Rom., lib. IV, tit. 15; Inst. num. 5, in fin.

(7. In omnibus interdictis non modo rei principalis, sed et fructuum ratio habetur, qui tamen a die tantummodo motæ litis seu redditi interdicti, non retro veniunt: Text. in interdictis 3, ff. h. t.; l. *Quæsitum est.* 8, § *ex hoc interdict.* 4, ff. de precario.; Voet. ad Pand. h. t., num. 4; Peregrin. de fideic., art. 49, num. 145 et 148; Rot. cor. Coccin. decis. 1809, num. 4, cor. Merlin. decis. 330, num. 3 et 5; cor. Benincas. decis. 287, num. 10; cor. Crescent. decis. 126, num. 3, tom. I, et in Romana, seu Forlivier. Fideicommissi de Maraldis super fructibus, 26 Aprilis 1723, § *Sumus;* cor. Gamaches. Et in specie, quod in interdicto *quorum bonorum* fructus solummodo veniant a die litis contestatæ, et jurium productionis, tenent Salicet. in l., num. 10, Cod. *Quor. bonor.;* Beroi cous. 53, num. 3 et seq., lib. II; Manz. in § 1, num. 64, Inst. de interdict.; Achill. Personal. de interdict. quorum bonorum, num. 457; Menoch. de adipisc. possess. remed. 1, num. 3 et seqq.; Anton. Gomez. in l. 45; Tauri num. 167; Grass. de success. lib. III, titul. de transmiss., quæst. 4, ante med., et quæst 9, num. 8; Ridolphin. in prax. par. II, cap. 10, sub. num. 79, vers. 4, 6 et 7; Rot. cor. Seraphin., decis. 178, per tot.; cor. Cavaler. decis. 409, per tot in Rec. decis. 288, num. 1, cum plur. seqq. part. XVII, et cor. Ansald. decis. 98; num. 34, tom. I, etc. Cujus rei ratio in eo sita est, quia tale interdictum datur pro adipiscenda possessione bonorum per defunctum possessorum tempore mortis, adeoque fructus qui post obitum bona possidentis, et ante redditum interdictum percepti sunt, vi ejusdem interdicti nequeunt venire, uti habet Rot. Cor. Cavaler. decis. 409, num. 2 et seqq., et Menoch de adipisc. rem. 4, num. 800. Nullum enim in his tempore mortis jus habuit defunctus eodem modo quo in rebus creditis, necdum traditis nullum habere jus dicitur. Vide Perez. in Cod. lib. VIII, tit. 2, num. 7, quanquam ab his aperte dissentiat Rota in nuperr. dec. 82, num. 20, tom. VI.

(8. Verum hic non importune quærendum an, ad instar cæterorum interdictorum in judicio petitionis hæreditatis, præstandi sint fructus a die motæ litis sive jurium productionis. Atque ubi revera de judicio petitionis hæreditatis agatur, illud semper tanquam axioma receptum est, fructus a die obitus testatoris vel apertæ successionis venire: textus in l. *Item veniunt*, § *Fructus*, ff. de petit. hæredit.; Rot. in Rec. Decis. 249, num. 2, part. XIII, in Realina successionis super reservatis 14 Martii 1710, § *Objectum;* cor. Priolo, in nullius, seu subjacen. successionis 28 Aprilis 1755, § 1, cor. Molino, in Forolivien, fructum 16 Januarii, 1760, § 3; cor. Azpur., in Cæsenaten. Immissionis super fructibus 30 Aprilis 1779, § 3; cor. Sentmanat, et in Romana immissionis super fructibus Cambiorum 21 Junii 1779, § 3; cor. Soderino, etc. Quod ex eo maxime receptum est, quia in hoc judicio fructuum restitutio non a mala fide dimetitur, nec a litis contestatione, sed ab ipso dominio, quod post defuncti obitum defluit in verum hæredem, ad quem proinde a die apertæ successionis spectat hæreditatis emolumentum: De Luc. de hæred., disc. 9, num. 5; Affict. decis. 240, num. 2, et seqq.; Rot., cor. Ansald. decis. 578, num. 2, tom. V, in Urbevetana fideicommissi super fructibus, 26 Junii 1743, § 3; cor. Molino, in Eugubina bonorum super fructibus, 21 Junii 1751, § 13; cor. Cortada, et in Romana seu Neapolitana immissionis super fructibus, 26 Aprilis 1779, § 4; cor. Herzan. Illud autem dicitur petitionis hæreditatis judicium, in quo disputatur quisnam sit defuncti hæres, et ad quem ex collitigantibus pervenire debeat hæreditas: text. in l. prima, ff. *Quorum bonorum*, l. prima, ff. *Quorum Legatorum;* l. 2, Cod. eod., Perez. in cod. de petit. hæredit., num. 1; Rot. in Romana, seu Michilen. successionis super fructibus, 20 Februarii 1741, § 2; cor. Molino, in Eugubina immissionis 16 Martii 1753, § 4; cor. Bussio, in Stillerden. Hæreditatis de Gomar. super fructibus, 4 Februarii 1760, § 6; cor. Herreros, et in Romana seu Neapolitana immissionis super fructibus, 26 Aprilis 1779, § 2; cor. Herzan.

(9. Ex hactenus dictis colligere est quod in judicio petitionis hæreditatis fructus restituendi sint a die apertæ successionis; hi quippe hæreditatem augent, et cum ea petiti censentur, etiamsi de his in libello nulla facta fuerit mentio: Perez. in Cod., l. 3, titul. 31, de petit. hæredit., num. 14. Quod quanquam in abstracto sit indubitatum, tamen si in concreto reus, et possessor habuit probabile fundamentum bonæ fidei, quod hæreditas sibi potius quam actori competeret, tunc talis bonæ fidei possessor de fructibus ante motam litem perceptis non tenetur, nisi quatenus ex his factus sit locupletior: Textus in l. 1, § 1, Cod. de petit. hæredit.; Perez. in Cod. eod. tit., num. 14; Rot. in Romana seu Neapolitana immissionis super fructibus, 26 Aprilis 1779, § 6; cor. Herzan.; Gratian. discept. forens. 422, num. 1 et seq., etc., etc., et cor. Ansald. decis. 98, num. 32. Quis autem dicatur factus locupletior, consule Donell. comm. jur. civil., lib. XIX, cap. 14, num. 32. Vide et Gothofred. in not. ad l. 22, Cod. de rei vindicat., etc. Interdictum quorum bonorum, quod ad universas res pertinet, perpetuum est: Voet. ad Pand. ad tit. *Quorum bonorum*, sub. num. 1; Peregrin. de fideic., art. 46, num. 10, etc., ubi illud usque ad 50 annos produci et proponi posse tenet, cum Bart. in l. 1. ff. *Quorum bonorum.* Accommodatur autem hoc interdictum bonorum possessori, ei nimirum cui a prætore decreta est bonorum possessio, seu hæredi prætorio: l. *Hæreditatem* 1, Cod.

Digitized by Google

Quorum bonorum; Vinn. Inst. lib. IV, tit. 15, § *Adipiscendæ*, 3, num. 2; Perez. in Cod. eod. tit., num. 2; Zoes. in Pandect. eod. tit., num. 1, etc.; Heinecc. ad Pandect. eod. tit., § 289, etc.

(10. At hic cum Zoesio quæri posset an hoc interdictum competat etiam hæredi qui jure civili hæres existat. Cujacius in paratit. Cod. tit. *Quorum bonorum*, a quo non multum recedit Donellus Cod. eod., num. 3, sentit hæredi civili hoc interdictum competere non posse, cum prætor tantum suos hæredes tueatur. At secus ex plurium sententia dicendum videtur, qua demum obtinuit jus, ut etiam iis utile detur, qui jure civili hæredes facti sunt, ut communiter tenent post Text. in l. 1, Cod. *Quorum bonorum;* glos. com. approbata ad rub., Cod. eod.; Schneid. tit. *Quorum bonorum*, num. 13; Ant. Faber. Cod. sub eod. tit., defin. unic.; Vinn. Inst. de interdict., § 3, n. 2.; Huber. prælect. jur. Rom., eod. tit. Instit., n. 5, Zoes. in Pand., tit. *Quor. bonor.*, num. 2; Perez. in Cod. eod. tit., num. 2; qui omnes et ad hæredem suum illud extendunt. Vide etiam Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bonor.* sub num. 1; Rot. cor. Ansald. decis. 460, num. 1; Ridolphin. in prax. part. II, cap. 7, num. 32; Marant. de ordin. judiciar., part. IV, distinct. 7, num. 2, etc. Quam indubie recipi posse sententiam intelligitur ex leg. 1, Cod. h. t., quæ habet dari hoc interdictum ei qui probaverit se ad hæreditatem aut ad bonorum possessionem admissum esse. Quibus adde etiam quod prætorium jus non eo duntaxat comparatum est, ut emendet aut suppleat in toto, verum etiam ut adjuvet jus civile : Zoes. ad Pandect. l. c., num. 2, in fin., etc.; Accurs. aliiq. ad d. l. 1, etc.

(11. Hoc itaque utiliter agunt interdicto non tantum hæredes prætorii, quam etiam civiles, qui quoad effectum nullimode inter se differunt : Huber. prælect. jur. Rom., lib. IV, tit. 15, num. 5. Quin obstet quod in hæredem suo dominium defuncti continuetur, in extraneum vero propter additionem transferatur, in utroque siquidem casu neque ex dominii continuatione aut translatione acquiritur possessio : l. *Cum hæredes* 23, ff. de acq. vel amitt. possess. Vide et Vinn. loc. sup. cit., sub. num. 2, in princ. etc., quam sane, vel hæreditatis petitione, vel hoc assequitur interdicto statim ac sua qualitas judicii innotescat. Qui enim tanquam frater hoc agit interdicto, ut possessionem acquirat, hanc non ante adepturus est quam illam fratris qualitatem judici demonstret, ex lib. I, Cod. *Quorum bonorum*, etc., utroque autem remedio in hoc casu quisquam hæres utiliter agit, utilius tamen est agere interdicto *Quorum bonorum*, in quo scrupulose nimium, uti supra visum fuit in hæreditatis petitione, non inquiritur. Vide Perez. in Cod. l. c., num. 3, etc. Neque hoc agens interdicto repelli potest exceptione dominii, nisi in continenti reus illud probare possit : quod si differat, objecta exceptio interdicti executioni non obstabit, quia in hoc summarie causa expeditur, et, frustrationibus omnibus amputatis, res restitui jubetur : l. ult., ff. *Quorum bonor.*; l. 3, § 13, ff. ad *exhibendum* ; Menoch. de remed. adipisc., num. 14, quæst. 29, etc. Ex qua possessionis translatione vel restitutione causæ proprietatis non fit præjudicium, propter quam et altera actio postmodum institui potest : Perez. in Cod. tit. *quor. bonor.*; num. 8.

(12. Adversus duo possessorum genera datur hoc interdictum, tam nimirum adversus eos qui pro hærede quam qui pro possessore possident res ejus de cujus hæreditate agitur. l. 1, ff. *Quor. bonor.* Ulterius etiam et adversus eum competit qui dolo malo fecit ut rem possidere desineret; in hoc quippe casu ex causa doli pro possessore semper habetur : l. 2, Cod. *Quor. bonor.*, junct. l. *qui dolo* 131; l. *parem esse* 150; l. *ad ea* 157, § 1, ff. de Reg. jur.; Huber. prælect. Jur. Rom. Inst., tit. de interdict., num. 5.; Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bonor.*, sub. num. 1, Vide et Heinecc. ad Pand., eod. tit., § 289, etc. *Pro hærede* autem possidet qui putat se esse hæredem, existimans sibi jure debitam hæreditatem : *pro possessore* possidet qui nullam causam possidendi habet, vel saltem injustam : leg. 9 et 10; leg. *pro hærede* 11; leg. *qui interrog.* 12; l. *nec ulla* 13, ff. de petit. hæred. Peregrin. de fideic., art. 46, num. 11, etc., cujus generis est fur, prædo, etc.

(13. Tales ergo possessores hoc afficiuntur interdicto, dummodo possideant titulo universali pro hærede, etc.; quod si titulo aliquo singulari et justo quis possideat (puta *pro emptore*, *pro donato*) sicuti hoc interdictum, ita neque hæreditatis petitio competit : l. 7, Cod. de petit. hæredit.; l. 4, in quib. caus. cess. longi temp. præscr.; Zoes. l. cit., num. 3; Rot. decis. 565, num. 4; cor. Coccino, decis. 671, num. 1 et 2, part. I, in Rec., et cor. Malines, decis. 274, num. 2. Iniquitatis enim speciem redoleret rem a possidente justo titulo auferre, eamque ei quem dominum esse non constat, adjudicare : l. ult., ff. de publ.; Perez. in Cod., tit *Quor. bonor.*, num. 6; Vinn. Inst. tit de interdictis, § 3, sub. num. 2, versicul. *pro hærede*, etc. At titulus non excusabit, si talis sit quem lex improbat, ut in titulo *pro emptore*, si res sit empta a furioso; *pro donato*, si res ab uxore marito donata sit : *pro dote*, si accepta sit a minori nupta, etc., de quibus et aliis agit l. 13, ff. de hæredit. petit.: quippe in aliatis casibus titulus ipso jure nullus est, ac pro possessore possidere dicitur : Voet. ad Pandect. tit. *Quor. bonor.*, num. 1, in med.; et cum eo agi potest, vel interdicto, vel petitione hæreditatis : Vinn. inst. tit. de interdict., § 3, sub num. 2, vers. *pro hærede*, etc. in fin.; Covarr. pract. quæst., cap. 12; Cacheran. decis. 56; Ridolphin. in prax., cap. 10, num. 39; Ciroch. discept. 50, num. 88, et discept. 70, num. 46, et Rot. cor. Falcon. de misc. dec. 68, num. 9

(14. Rursus, ad exemplum petitionis hæ-

Digitized by Google

reditatis, datur hoc interdictum pro iis bonis quæ in hæreditate defuncti, cum moreretur, fuerunt, et pro iis etiam quæ ex his usucapta sunt, ut ex verbis l. 1, ff. *Quor. bonor.* De Luc. de donat., disc. 20, sub num. 3: Rot. decis. 162, num. 5; cor. Emerix. Cujus interdicti vis nedum ad bona tantum possessa tempore obitus restringitur, sed ad ea etiam extenditur bona quæ simpliciter defunctus, cum moreretur, detinebat, veluti ex causa depositi, commodati: ad l. *Item videndum*, § fin., et l. seq., ff. de petit. hæredit.; Peregr. de fideic., art. 46, num. 14; Menoch. de adipisc. poss. 1, num. 78; Rot. cor. Burrat., decis. 386, sub num. 2, etc. Ex bonis enim et illa dicuntur quæ non solum possessa, sed etiam detenta fuerunt: l. *rem in bonis*, ff. de acq. rer. dom.; Peregr. loc. cit, et Menoch. eod. l., etc. Imo etiam competit pro rebus quas defunctus jure usufructus possidebat: Menoch. de adipisc. q. 19, rem. 1, etc.; Peregr. art. 46, n. 14, adeoque et feudalia bona interdicto hoc ab injusto possessore avocantur juxta jus feudale, lib. II Feudor. tit. 26, § *Inter filiam* 1; Voet. ad Pand., tit. *Quorum bonorum*, n. 1, in fin.; Roland. consil. 1, n. 9, in princip.; Beroi consil. 67, n. 67, in pr.; Peregrin. de fideicom. art. 46, n. 14, etc.

(15. Ab interdicto *quorum bonorum* parum distat alterum remedium possessorium hæredibus propositum, et a Justiniano introductum ex l. ult. Cod. de edut. divi Adr. toll. Hoc autem discrimine utrumque notatur, quod in interdicto *quorum bonorum* summaria saltem juris probatione sit opus, in hoc vero satis est ut conspicuo aliquo vitio testamentum non laboret: Accurs. ad d. l. fin. Verb. *legitimo*, Cod. eod.; Voet., ad Pandect. tit. *Quor. bonor.*, n. 2; Zoes. eod. tit. n. 5. Ex quibus patet, ut notat præcitatus Voet. loc. cit., remedium hoc non competere nisi ex testamento, dum alterum competit, sive ex testamento agatur, sive ab intestato. Cæterum de his qui fusius edoceri velit adeat inter alios Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bon.*, a num. 2, et plur. seq.; Zoes. eod. tit., a num. 5, etc., et Vinn. inst. tit. de interdict., § *Adipiscendæ* 3, n. 3, versicul. *Is dicitur*, in fin., qui addit quod supra relatum interdictum ex testamento competit, quatenus sit testamentum nuncupativum in scripturam redactum, aut petente nuncupato hærede publicatum, de quo Vigl. in præl. d. l. ult., etc.; Sichard., ibid., n. 4 et 5; Menoch. de adipisc. 4, n. 648, et 726; Ant. Faber. Cod. suo ad eumd. tit. defin. 3 et 4; Christin. vol. IV, decis. 30.

ARTICULUS II.

De Salviano interdicto aliisque interdictis possessoriis.

(1. Ad adipiscendam possessionem pertinet etiam interdictum Salvianum, § *interdictum quoque institutionum de interdictis*, l. 2, § *Sunt autem*, ff. eodem, glos. in rubrica Codicis de precario et Salviano interdict.; Pacific. de Salvian. inspect. 1, n. 5; Perezius in Cod. lib. VIII, tit. 9, num. 9, de precario, et interdicto Salviano, etc. « Datur hoc interdictum locatori adversus conductorem, eumdemque debitorem de rebus colono natis in agro conducto, vel nominatim pignori obligatis pro mercedibus fundi ne defraudetur: » l. 1, Cod. de precario, et interdicto Salviano, § *Adipiscendæ* 3, in fine Institutionum de interdict.; Voet. ad Pandectas de interdict. Salviano, lib. XLIII, tit. 33, in princ.; Zoes. eodem num. 5; Heinecc. eodem loc., § 352. Vinn. Inst. tit. de Interdictis, § 3; Oinotim. Inst. eodem tit., num. 4 et 5; Perez. in Cod., tit. de precar. et Salviano interdicto, num. 9. Hic tamen a prædio urbano rusticum prædium est distinguendum; ubi enim agatur de prædio rustico, tacite oppignorata censentur ea duntaxat quæ ibi nata sunt, quales sunt fructus fundi, etc.: l. 5, 6 et 7. In quib. caus. pign. Secus vero si de prædio urbano res sit; quo casu invecta ibidem illata tacite pignori obligata censentur pro mercede fundi locati: Perez in Cod. l. cit., num. 10, etc. Interdictum Salvianum datur tantummodo adversus conductorem prædii rustici, debitoremve: l. 1, Cod. de Salviano interdicto; Heinecc. ad Pand. eod. tit., § 353; Perez. in Cod. eodem tit., num. 12. Quod tamen intelligas de Salviano *directo*, siquidem *directum* est aliud, aliud est *utile*. Hoc autem quod *et quasi Salvianum* appellari solet, Heinecc. ad Pand. l. cit., § 354, in fin., cum competat omni creditori hypothecario adversus debitorem ad possessionem pignoris adipiscendam, competit etiam locatori prædii urbani contra inquilinum pro rebus invectis et illatis, pignoribus obligatis, pro pensione domus locatæ. Quam theoricam de utili interdicto extendendam esse censuerunt ad quemlibet creditorem, non tantum contra debitorem qui rem ex qualibet causa obligavit, sed adversus quemlibet extraneum possessorem rerum debitoris pignori obligatarum: l. 1, ff. de Salvian. interdict., et l. 1. Cod. eod., et ibi: Accurs. Donellus, Giphanius, Menoch. tom. III Adipisc., num. 23; Cujacius lib. V, obs. cap. 24, etc. Ex quibus colligere est quod Salvianum hoc utile non competat nisi ipsius veritatis extremis, quæ sunt *possessio actualis rei conventi*, *possessio antiqua debitoris*, *et creditum cum hypotheca*: Menoch. de adipisc. possess., remed. 3, num. 61 et seq.; Conciol, alleg. 4, num. 1; Rot. cor. Cavalcr., decis. 399, num. 1, post Pacific. de Salvian. interdict. decis. 13, num. 2 et seq., post Salgad. decis. 16, num. 14, et Rot. cor. Falconer. decis. 7, num. 1, de Savian. Interdict. cujus extrema talia esse debent, ut si agatur de credito, illud liquidum undequaque esse debet: Pacific. de Salvian. interdict., inspect. prima, cap. 5, n. 2, et seqq., et inspect. 4, cap. 1, num. 4, et inspect. 5, cap. unic., num. 34; Rot. post eamdem decis. 203, num. 1, et seq., in Rec. decis. 204, num. 7, part. XIX, et cor. Falconer. de Salvian. interdict., decis. 1, num. 5. Hypotheca vero talis esse debet ut nullo alio anteriori jure superetur: l. 2, ff. *Qui pot. in*

Digitized by Google

pign., l. 2 : ff. de Salvian. interdict. : Paul. Marches. de Salvian., part. II, cap. 9, Pacific. eod. tract., inspect. 3, cap. 2, num. 441 et seq. ; Rot. post ipsum, decis. 176, num. 6 ; decis. 290, num. 6 ; decis. 290, num. 1 ; cor. Priolo, decis. 10, et decis. 144, num. 15 ; cor. Falconer. de Salviano interdicto, decis. 6, num. 1 ; et cor. Crescent. dec. 37, num. 3, tom. I. Dum agitur contra extraneum rei possessorem, sunt qui censent prius excutiendum esse debitorem principalem, quam adversus extraneum possessorem interdictum intentetur : arg. Nov. 4, c. 2 ; Fachin. controv. 8, cap. 93; Tulden. ad tit. Cod., num. 3, etc.

(2. Quidquid de excussione debitoris principalis ante facienda sentiant præfati doctores, magis communis, verior in praxi, et in judicando recepta est opinio, quod in judicio Salviani rejiciatur exceptio excussionis, ex quo ea est altioris indaginis : Surd. cons. 4, n. 36; Casall. cons. 53, num. 8, lib. I, ubi refert doctores ac Rotam ; Scapucc. de Salvian. lib. II, quæst. 19, per tot., ubi respondet contrariis; Pacific. de Salviano, inspect. 2, cap. 2, num. 40 et seq., ubi adducit rationes, et de veriori opinione testatur num. 75 et seq. ; Conciol. Allegat. civil. 48, num. 5; Garzias. patrocin. 3, num. 14; Caren. resolut. 159, num. 3; Cenc. de censibus quæst. 98, num. 39, vers. *Contrarium tamen*, etc. ; Ridolphin. in prax. p. II, cap. 6, num. 108; Urceol. consult. forens., c. 22, num. 26; Thomat. decis. 22, num. 29 et seq. ; Gratian. decis. 15, num. 8, vers. *tamen verior.*, etc. ; Rota decis. 40, num. 48, cor. Duran., et decis. 353, num. 3, part. XIV, in Recen., etiamsi talis excussio fieri petat sumptibus propriis tertius possessor, eo potissimum quia talis excussio obstat naturæ judicii, quod est mere possessorium, quodque proinde exceptiones altioris indaginis non admittit : Seraphin. decis. 1200, n. 4 et seq. ; Rota in nuperr. decis. 173, num. 17, tom. I, cor. Falconer. de dot. ; decis. 20, num. 2, de inventar. ; decis. 29, n. 5, et de Salvian. interdict., decis. 7, n. 13, etc.

(3. A Salviano interdicto differt actio Serviana, qua non possessionem, ut in illo, sed jus persequimur : Heinecc. ad Pand. de Salvian., § 353. Quapropter ad adipiscendam possessionem ex Salviano sufficit probare rem de qua agitur pignori obligatam fuisse ; in actione vero Serviana illud etiam superest probandum, ubi contra tertium possessorem agatur, rem quam persequitur in bonis debitoris fuisse cum de pignore convenit : l. *ante omnia* 23, de probat. ; l. *Et quæ* 15, § *Quod dicitur* 1, ff. de pignoribus ; Zoes. ad Pandect., tit. de Salviano, lib. XLIII; tit. 33, num. 4. At de hoc plura vide apud Pacific. de Salviano interdicto ; Menoch. de adipisc. rem. 3, pluresque al. supra relat., qui rem ex professo tractant.

(4. Pertinent ad retinendam possessionem, interdicta quæ vocantur *Uti possidetis*, et *Utrubi :* primum est de rebus soli, alterum de mobilibus : l. *Uti possidetis*, l. un. de utrubi ; Vinn. inst. h. t. § 4, in prin. ; Zoes. in Pandect., tit. 17, lib. XLIII, n. 1. Plura de duobus his omittimus, ac utiliora tantummodo delibabimus. Interdictum *retinendæ* possessionis, judicii possessorii nomine in praxi venit : Vinn. Inst. tit. de interdict., § *retinendæ ;* Heinec. ad Pandect., tit. 17, lib. XLIII, § 321 ; Ridolphin. in praxi judic., part. II, c. 12, n. 90; Posth. de manutent. observat. 3, n. 6 et seqq. ; De Luc. de judic., disc. 37, num. 58, et disc. 44, num. 1; Merend. controv. jur., lib. XIX, c. 24, n. 5; Politi Dissertat. de jure patron., dissert. 25, num. 42.

(5. *Possessorium* seu *manutentionis* judicium illud dicitur in quo, rejecto juris examine, simpliciter disceptatur an et quis possideat : Oinotom. Inst., tit. de interdict., § 1, num. 4, quod judicium maxime receptum est eo quod pluribus commodis ex legum sanctione adjuvantur possidentes. Primum enim ex sola possessione titulum hi legitimæ possessionis educunt, quam nisi actor ad se spectare probaverit, reus in sua possessione perdurabit : l. 11, Cod. de petit. hæredit. ; l. 2, Cod. de probat. ; l. ult., Cod. de rei vindicat. ; l. 4, Cod. de edendo ; l. 128, ff. de reg. jur. ; Heinec. instit. tit. de interdict., § 1786; Vinn. inst., tit. d., § *retinendæ*, num. 3; Posth. de manut. observ. 1, num. 6 et seqq. ; Mascard. de probat., vol. III, conclus. 1195, in princ. Ulterius etiam in paritate, possidentium conditio semper est potior ; l. 125 et 128, ff. de reg. jur. ; Heinecc. cit. loc., § 1787. Demum cum fieri possit ut duo dicantur rem eamdem possidere, civiliter alter, alter naturaliter, aut alter juste, alter injuste ; l. 6, § 1, ff. *Uti possidetis ;* l. 3, § 5, ff. de acq. possess., et in l. 3, pr. ff. *Uti possidetis ;* l. *Et habet* 15, § *Eum qui* 4, ff. de precario ; Cujac. 5, observ. 22. Hinc summo jure statutum fuit manutentionis judicium, ut dignoscatur quis vere possideat, quive manutenendus, proindeque quis actoris, vel petitoris partes, quis possessoris ac rei sustineat ; Vinn. Inst., tit. de interdict., § *retinendæ* 3, num. 1 ; Zoes. ad Pandect., tit. de interdict ; num. 6 ; Ridolphin. Prax. judic., cap. 12, part. II, ad n. 92.

(6. Generaliter judicium hoc possessorium distinguitur in possessorium *summarium*, alias *summariissimum*, et in possessorium *plenarium*, vulgo *ordinarium :* Voet. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 17, num. 6 ; Vinn. Inst., tit. de interdict., § *retinendæ* 3, in fin. ; Politi de novi operis nunc., quæst. 26, num. 11, de Jurepatr., dissert. 23, num. 42; Merend. Controv. jur., lib. XIX, cap. 24 ; Menoch. de recuperan. in prælud., num. 24 ; Rot. in Rec. decis. 133, num. 31 et seqq ; part. XII ; decis. 324, num. 6 ; part. XVI, decis. 404, num. 3 et seqq ; part. II, et decis. 523, num. 3 ; part. III ; de qua distinctione vide Merend. controv. jur., lib. XIX, cap. 24, num. 1 et 12; De Luc., de Judic. disc. 37, num. 58. Judicium possessorium *summarium* vel *summariissimum* dicitur illud in quo primoribus quidem labiis possessionem simpliciter degustat judex, ne partes ad arma convolent ; idemque, causa summatim cognita, vi etiam,

Digitized by Google

imperfectarum probationum extra formam judicii, ac per modum provisionis simplici etiam detentori possessionem aut manutentionem adjudicat, quin ullus possessionis titulus justificetur: Politi de nov. op. nunc., quæst. 26, num. 12, de Jurepatr., dissert. 25, num. 43; Merend. Controv. jur., lib. III, cap. 1 ', et lib. XIX, cap. 24, per tot., et lib. XXIV, cap. 39, num. 55 et 56. Hoc autem judicium tunc demum cum habet, ubi revera rixarum periculum immineat, eo quippe nullus controversiis finis imponitur cum non sententia definitiva, sed provisionali tantum perficiatur decreto, quod maturius in judicio possessorio plenario postea cognoscitur: Merend. Controv. jur., lib. III, cap. 19, num. 4 et 5; lib. XIX, cap. 24, num. 7; Stephan. Gratian. decis. 192, num. 3; Menoch. de recuperan., in prælud., n. 24, a quo summariissimo decreto non conceditur appellatio suspensiva: Politi de nav. op. nunc., quæst. 26, num. 13; Merend. controv. jur., lib. XXIV, cap. 39, a num. 62 ad 79, et num. 84, cum plurib. seqq., et num. 129, cum seqq.; Cancer. variar. resolut., p. III, cap. 14, num. 13 et seqq.; Scaccia de appellat. quæst. 17, limit. 6, memb. 3, num. 2 et seq.; Oinotom. Inst. tit. de interdict. § *Summa divisio*, num. 18 et seqq.; De Luc. de Judic. disc. 37, num. 56, et disc. 44, num. 4 et seqq.; Menoch. de recuper. in prælud., num. 32. Confer eumdem Menoch. de retinenda remed. ult., num. 48 et seqq.; Stephan. Gratian. addit. ad decis. 192. Ipse namque judex qui decrevit decretum postmodum revocare potest, si aliquando in progressu cognoscat injusto possessori possessionem adjudicavisse: Merend. controv. jur., lib. XIX, cap. 24, num. 8. Hoc unum ergo in hoc judicio probandum, possessionem nempe a die motæ litis et factæ turbationis: Harprect. et Oinotom. Inst., tit. de interdict., § *retinendæ possessionis*; Voet. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 17, num. 2; Ridolphin. Prax. judic. part. II, cap. 12, num. 103, et civili possessori naturalem esse præferendum: Merend. controv. jur., lib. XIX, cap. 24, numer. 4; Ridolphin. Prax. judic., part. II, cap. 12, num. 134; Voet. ad Pandect. lib. XLIII, tit. 17, num. 2.

(7. Alterum judicium possessorium plenarium dicitur illud in quo de possessione antiquiore et minus vitiosa retinenda agitur: in hoc vero judiciali ordine proceditur, ac sententia definitiva perficitur: Politi de nov. op. nunc., quæst. 26, num. 14 et 15; Merend. controv. jur., lib. XIX, cap. 24, num. 8, et lib. XXIV, cap. 39, num. 8 et seqq., num. 18, et num. 23 cum seqq.; Gratian. decis. 192, num. 2 et 3; Voet. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 17, num. 6; Heinec. ad Pandect., eod. loc., § 321. In hoc possessorio plenario sola non sufficit probatio possessionis tempore motæ litis, ejusque turbatio, sed requiritur etiam quod possessor nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possideat: Vinn. Instit. tit. de interdict., § *retinendæ*, etc., et ibi Oinotom. num. 32, cum seqq.; Voet. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 17, num. 2; Merend. controv. jur., lib. XIX, cap. 24, num. 6 et 12; text. in l. 1 et 2, ff. *uti possidetis*; Rot. in Rec. decis. 108, num. 10; decis. 6, num. 4, part. XII; decis. 322, num. 27, part. XI; decis. 172, num. 3; decis. 336, n. 2, part. XVI; decis. 100, num. 6, part. XIV. Cumque omnis possessio legitima præsumatur, onus petitoris erit ut probet quod adversarius vi, vel clam, vel precario possidet: Oinotom. Inst. h. t. § *retinendæ*, num. 44 et 62. Canonici juris sanctione, cap. *licet* 9, extra de probat., in hoc manutentionis judicio vincit ille qui saniores allegat possessionis suæ probationes, ac titulum justiorem, possidenti: Oinotom. Inst. tit. de interdict., § *retinendæ*, num. 64; Voet. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 17, num. 5; Menoch. de retin. rem. 3, n 715, cum seqq. Ab hoc judicio possessorio plenario appellare licet nedum in suspensivo, sed etiam in devolutivo: Politi de nov. op. nunc quæst. 26, num. 15; Posth. de manut. dec. 296, num. 11; De Luc. de judic., disc. 37, num. 56, et disc. 44, num. 4 et seqq. At constitutione Ægidiana in pontificia ditione in judiciis possessoriis non permittitur appellatio: Rot. cor. Antald. decis. 102, num. 21.

(8. Monendum quoad judicia possessoria et illud est, quod post institutum etiam judicium petitorium ad possessorium recurri potest; ex institutione quippe judicii petitorii possessorio non censetur renuntiatum: Vinn. Inst. h. t., § *retin.* 3, num. 3, et lib. II, quæst. select., cap. 39, § *non obstat*. At fuse de hoc possessorio judicio, ac de ejusdem cumulatione cum petitorio tractant Voet. ad Pandect. de interdict. lib. XLIII, tit. 1; Zoes. eod. loc., a n. 6; Rot. cor. Falconer. sub tit. de Retin. seu manut.; Covar. pract. quæst., cap. 17, per tot.

(9. Hæc quoad interdictum *retinendæ*: tertio demum accedit alterum *recuperandæ*. Ad recuperandam possessionem pertinet interdictum *unde vi*, quod proditum est ei qui vi de possessione dejectus est: Ulp. in l. 1 et in l. 3, ff. *unde vi, et vi arm.* Habet locum hoc interdictum in rebus immobilibus: l. 1. § *hoc interdictum* 3, 4 et 5, et § plane, 8, ff. de vi, et vi armata. Heinec. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 16, § 312, adeoque per extensionem etiam rebus illis incorporalibus aptari debet, quæ inter immobilia adnumerari solent; talia sunt ususfructus, vel usus immobilium: l. *Quod est* 3, § *Unde vi interdictum* 13, 14, 15, 16, 17; l. *Si plures* 9, § 1; l. 16, ff. de vi, et vi armat.; Zoes. ad Pandect., lib. XLIII, tit. 16, num. 4. Fructuarius enim dicitur naturaliter possidere: l. *Naturaliter* 12, in princ., ff. de acquir. possess. Nec non jurisdictio, jus patronatus, decimarum, census, redditus annui, ut saltem horum nomine utile detur interdictum: arg. Cap. *Quæram* 24, extra de electione et electi potestate; l. pen. Cod. *Unde vi*; Andr. Gayl. lib. II, observ. 75 et 77; Perez. in Cod. *Unde vi*, num. 3, quod extendit ad servitutes prædiales: Voet. ad Pandect., ff. de vi, et vi armata, sub num. 1

(10. Quæsitum est an creditore hypothecario dejecto de possessione fundi oppignorati, interdictum *unde vi*, competat creditori dejecto, aut potius debitori qui pignori dedit

Digitized by Google

Quidquid argui possit ex l. 1, § *quod servus* 22; l. *Si colonus* 20, ff. de vi, et vi armata, ubi dicitur quod tale interdictum vero competat domino, non ei per quem possidemus; receptior ac communior opinio est quod creditori dejecto, non vero debitori, hoc interdictum accommodetur; et quanquam qui pignus dedit, et is possidere dicatur, hoc sic accipias ut possideat quoad usucapionem tantum; in cæteris omnibus possidet, qui pignori accepit : l. *Servi nomine* 16, ff. de usurpat. et usucap; Gratian. discept. forens., cap 174, num. 18 et seqq.; Menoch. de recuperanda possessione, remed. 9, num. 201.

(11. Ut tale competat interdictum sufficit etiam naturalis possessio; hinc, si maritus uxori fundum donaverit, eaque fuerit dejecta, recte hoc utitur interdicto, etiamsi donatio sit nulla, quia naturaliter possidet : l. 1, § *Dejicitur is*, 9 et 10, ff. de vi, et vi armata, junct., l. 1, § *si vir uxori* 4, ff. de acq. vel amitt. posses. Juste enim an injuste quis possideat hic non refert; adeo ut si Titius prior verum dominum fundi vi dejiciat, et ipse non in continenti; quod licet ex l. 17, ff. *Unde vi*, sed ex intervallo Titium dejecerit, Titius ipse ante omnia restituendus est : § *recuperandæ* 6. Inst. de interdict.; l. 1, § *qui a me* 30; l. *quod est* 3, § *eum igitur* 9.; l. *colonus* 12; l. *qui possessionem* 17; l. *Cum fundum* 18, ff. de vi et vi armata; Bronckhorst. lib. II, Miscellan., assert. 50. Quod si dominus spoliatorem dejecerit, jure novo obtinet spoliatori restitutionem concedendam non esse; sed admittendam dominii exceptionem, dummodo in continenti probari possit dejicientem dominum esse, ac spoliatum nullum prorsus jus habere. Consule c. ult. de rest. spoliat. in 6; Ugo Grotius in Responsis Jurisp. Holl., part. V, cons. 157, vers. imo notand., pag. 461; Menoch. de recuperanda poss., remed. 1, num. 112; Peckbius de jure sistendi cap. 17, num. 2; Wassenar. Praet. judic. c. 14, num. 6, 7, etc.

(12. Plura de hoc interdicto reperies apud Voet., Zoes., Vinn., etc., quæ hic omittuntur, quia eo tantum vertitur praxis interdictorum, ut natura ac indoles possessorii judicii apprime dignoscatur, de quo supra, etc.

(13. Est et altera interdictorum divisio; interdicta enim alia sunt *simplicia*, in quibus apparet, quis actor, quis reus sit, alia sunt *duplicia*, in quibus uterque simul actor et reus est : § pen. inst. h. t.; l. interdict. 2, pr. ff. de interdict. Sunt etiam interdicta *annalia* et *perpetua* : alia *publica* et *privata* alia demum quæ *ad rem familiarem*, quædam *ad publicam utilitatem*, aut *religionem*, aut *jus divinum*, pertinent. Quæ per se satis plana videri etiam possunt apud auctores postremo relatos.

INTERDICTUM.

ARTICULUS VIII.

Interdictum quoad ejus esse et divisionem.

SUMMARIUM.

1. Interdictum quid sit. — 2. Interdictum dividitur in locale, personale et mistum. — 3. Interdictum locale quid sit. — 4. Interdictum personale quid sit. — 5. Interdictum mistum quid sit. — 6. Interdictum tam personale quam locale subdividitur in particulare et generale. — 7. Interdictum personale particulare quid sit. — 8. Interdictum personale generale quid sit. — 9. Interdictum locale particulare quid sit. — 10. Interdictum locale particulare quid sit. — 11. Interdicto populo unius provinciæ vel civitatis sunt interdicti omnes illius provinciæ et civitatis habitatores, etiamsi sint innocentes. — 12. Omnes isti nec in suo nec in alio loco audire possunt divina, vel ecclesiastica recipere sacramenta. — 13. Clerus autem non censetur interdictus, interdicto populo, nec, econtra, interdicto clero, censetur interdictus populus, nisi in sententia aliud exprimatur. — 14. Sub generali interdicto cleri non comprehenduntur religiosi utriusque sexus, nisi exprimatur, vel ex subjecta materia aliisque circumstantiis aliter appareat. — 15. Affertur ratio, ad num. 16. — 17. Item sub generali interdicto cleri non comprehenduntur episcopi, nisi de eis expressa fiat mentio. — 18. Interdicta civitate, eo ipso intelliguntur interdicta et iam ejus suburbia. — 19. Affertur et solvitur instantia. — 20. Interdicta civitate vel diœcesi, censetur interdicta etiam ecclesia cathedralis. — 21. Interdicta civitate vel diœcesi, intelliguntur interdictæ etiam ecclesiæ regularium. — 22. Interdicta alia sunt a jure, et alia ab homine. — 23. Interdicta ab homine ferri possunt ab omnibus illis qui possunt excommunicare et suspendere. — 24. Excipiunt tamen superiores regulares, qui non possunt apponere interdicta localia. — 25. 51. Interdicta quæ a jure communi et a constitutionibus apostolicis tam localia quam personalia lata sunt, ad uberiorem notitiam distincte in distinctis articulis hic subnectuntur.

(1. Interdictum est censura ecclesiastica per quam homo arcetur a participatione aliquorum sacramentorum, omnium divinorum officiorum, et ecclesiastica sepultura. Colligitur ex cap. *Non est nobis* 11, de Sponsal. et Matrimon., et cap. *Quod in te*, de Pœnit. et remiss.

(2. Interdictum dividitur in locale, personale et mistum, ut colligitur ex jure canonico in cap. *Præsenti* 10, et cap. *Si civitas* 17, de sent. excomm. in 6. (3. Interdictum locale est quo immediate locus ipse interdicitur ne ibi divina celebrentur vel audiantur sive ab indigenis, sive ab alienigenis. (4. Interdictum personale est quo immediate interdicuntur ipsæ personæ, et non locus; et tunc illæ personæ nec hic nec alibi possunt percipere sacramenta, nec exercere functiones sacras per interdictum prohibitas. (5. Interdictum mistum est quo immediate et locus et personæ interdicuntur verb. gr., civitas et ejus incolæ : colligitur ex cap. *Si sententia* 16, de sent. excomm. in 6.

(6. Interdictum tam personale quam locale subdividitur in particulare et generale. (7. Personale particulare est quo persona aliqua particularis interdicitur. (8. Personale generale est quo interdicitur aliqua communitas personarum, ut populus unius provinciæ, civitatis, vel integra aliqua uni-

Digitized by Google

versitas, collegium, capitulum, conventus. (9. Locale particulare est quo interdicitur locus unus particularis, ut particularis aliqua ecclesia. (10. Locale generale est quo interdicitur locus generaliter, id est locus varia sub se loca complectens, ut regnum, provincia, civitas, ut colligitur ex cap. *Cum in partibus* 17, de verbor. significat.

(11. Circa interdictum personale generale sciendum est quod, interdicto populo unius provinciæ vel civitatis, sunt interdicti omnes illius provinciæ et civitatis habitatores, etiamsi sint innocentes. (12. Et omnes isti, nec in suo nec in alio loco audire possunt divina, vel ecclesiastica recipere sacramenta, quia hujusmodi interdictum sequitur personam quocunque iverit : c. *Si sententia* 16, de sentent. excomm. in 6. (13. Clerus autem non censetur interdictus interdicto populo, nec, contra, interdicto clero, censetur interdictus populus, nisi in sententia aliud exprimatur ; unde uno ipsorum interdicto, alius licite admittitur ad ecclesiastica officia et sacramenta : cap. *Si sententia* 16, de sentent. Excomm. in 6. In materia enim pœnali uti est ista, verba sunt stricte interpretanda : c. *Odia* 15, de Regul. Jur. in 6.

(14. Sub generali interdicto cleri non comprehenduntur religiosi utriusque sexus, nisi exprimatur, vel ex subjecta materia aliisque circumstantiis aliter appareat. (15. Et ratio est quia in materia odiosa secundum communem acceptionem, religiosi non veniunt nomine cleri, nisi exprimatur ; et si quandoque lata significatione veniant nomine cleri, semper fit cum addito *regularis*. Tum quia interdicto lato contra religiosos non comprehenduntur clerici sæculares ; ergo in interdicto lato contra clericos non debent comprehendi religiosi. (16. Ulterius in jure canonico passim ista ponuntur tanquam diversa, ut c. *Si quis suadente* 17, q. 4, ubi dicitur *in clericum vel monachum ;* et cap. *Super specula* 10, *Ne clerici vel monachi*. Sic tenent Abbas cap. *Non amplius* 1, de Institutionibus n. 3 ; Fagnan. ibi., n. 7 ; Anaclet. § 7, de interd. n. 187 ; Layman, Rossignolus, Silvester, Ugolinus, Coninchius, Bonacina, Engel et alii multi. (17. Item sub generali interdicto cleri non comprehenduntur episcopi, nisi de eis expressa fiat mentio : cap. *Quia periculosum* 4, de Sentent. excomm. in 6.

(18. Circa interdictum locale sciendum est quod interdicta civitate eo ipso intelliguntur interdicta etiam ejus suburbia, sive hæc sint pars civitatis, sive non, sive sint contigua eidem civitati, divisa solummodo per mœnia interjacentia, sive vicina, dummodo non valde distent ; sive suburbia sint ejusdem diœcesis, sive diversæ. Et ratio est quia, si possent in civitatis suburbiis divina celebrari, interdicti sententia vilipenderetur, cum cives ad illa de facili possent convolare : ne igitur sententia interdicti possit sic de facili vilipendi, expedit interpretationem fieri laxiorem, ipsum extendendo etiam ad suburbia, ut habetur expresse ex c. *Si civitas* 17, de Sentent. Excomm. in 6. (19. Nec valet dicere quod, quando suburbia sunt diversæ diœcesis, non possint subesse legibus episcopi diœcesani. Non valet, inquam, quia illud interdictum afficit illa suburbia non quatenus provenit ab episcopo diœcesano, sed quatenus provenit a jure communi per interpretationem quam facit ex rationabili causa ; cum respectu etiam suburbiorum diversæ diœcesis militet eadem ratio vilipendii, ex suppositione quod non plus distent a civitate quam suburbia ejusdem diœcesis ; æque enim faciliter possent cives ad ecclesias in utriusque suburbiis existentes confugere, et ibi interesse divinis et percipere sacramenta, et sic eludere seu vilipendere interdictum, ad quod vitandum fit laxior interpretatio ipsum extendendo etiam ad suburbia : in d. cap. *Si civitas* 17, de Sent. excomm. in 6. Sic tenent Suarez, disp. 32, sect. 2, n. 23 ; Avila part. v, disp. 1, dub. 3 ; Coninch., Bonacina, Rossignol. et alii.

(20. Interdicta civitate vel diœcesi, censetur interdicta etiam ecclesia cathedralis : cap. *Si civitas* 17, de Sentent. Excomm. in 6, ubi expresse habetur quod, interdicta civitate, omnia loca ibidem interdicta censeantur, cum alias de facili posset vilipendi interdictum talis civitatis, celebrando et audiendo divina in cathedrali. (21. Et propter eamdem rationem, interdicta civitate vel diœcesi intelliguntur interdictæ etiam ecclesiæ regularium ; ipsi enim tam exempti, quam non exempti, nisi speciali privilegio super eo muniti existant, tenentur servare interdictum locale, nedum a Sede Apostolica emanatum, sed etiam ab episcopo promulgatum : c. *Auctoritate* 4, de privileg. in 6, et cap. *Cum in partibus* 17 ; de verb. signification., et Concil. Trident. sess. 25, cap. 12, de Regul., ubi expresse habet : *Censuræ et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo, a regularibus in Ecclesiis publicentur et serventur.*

(22. Interdicta alia sunt a jure, et alia ab homine. *Communis*. (23. Interdicta ab homine ferri possunt ab omnibus illis qui possunt excommunicare et suspendere : cap. *Cum ecclesiarum* 3, de Offic. judicis ordinar. (24. Excipiuntur tamen superiores regulares, qui non possunt apponere interdictum in ecclesiis sibi subjectis, quia eorum jurisdictio est personalis, non autem localis, et etiam quia actus iste percutit exercitium jurisdictionis in clerum et populum, illos privando ne in ea celebrare et respective audire possint divina, et sic cum non subditis, ut recte de more suo ratiocinatur card. de Luca de jurisdiction. disc. 99, n. 2 ; et expresse partibus auditis et informantibus, declaravit sacra congreg. Episc. et Regular. in Neapolitana Censurarum 21 Junii 1697, referente card. Cavaller., contra abbatem S. Petri ad Aram, qui ecclesiam monialium Reginæ Cœli sibi subjectam interdicto subjecerat.

(25. Interdicta quæ a jure communi et a constitutionibus apostolicis, tam localia quam personalia lata sunt, ad uberiorem notitiam distincte in distinctis articulis hic subnectuntur.

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(26. Non omne interdictum infligitur per *modum censuræ*, aut est species censuræ. (27. Solet enim nonnunquam interdictum, uti et suspensio, infligi *per modum meræ pœnæ* instar aliarum pœnarum canonicarum in punitionem commissi dilecti : Van-Esp. de Censur., cap. 9, § 1; Rousseaud de la Combe, in Jurisprud. canon., verb. *Interdictum*, num. 8. (28. Interest autem distinguere interdictum in ratione censuræ ab interdicto per modum pœnæ, ob insignes quæ unum inter et alterum intercedunt differentias. (29. Primo enim interdictum *in ratione censuræ* requirit contumaciam, item canonicas monitiones, ut de contumacia constare possit. (30. Secus vero interdictum per modum pœnæ : Fleury Instit. Jur. Eccl. part. III, cap. 21; Van-Esp. ubi supra; Suarez de Censur., disput. 25, sect. 1.

(31. Secundo interdictum *in ratione censuræ* ad certum tempus infligi nequit, idque quia, cum infligatur ad reprimendam contumaciam, habere debet tempus incertum prout et habet ipsa contumacia, scilicet tandiu durare debet quandiu durat contumacia. (32. At non repugnat ut interdictum *per modum pœnæ* infligatur ad certum tempus, prout gravitas ipsius delicti postulaverit, eoque lapso cesset : Van-Esp. loc. cit.

(33. Tertio violatio interdicti *in ratione censuræ*, exercendo solemniter actum ordinis, secum fert irregularitatem; (34. nequaquam vero hæc ipsa violatio interdicti *per modum pœnæ* : Van-Esp. loc. allegat., § 4; Hurtad. de Censur., tractat. de Cessatione a divinis diffic. 4.

(35. De origine interdicti *in ratione censuræ* haud certo constat : Rousseaud de la Combe in Jurisprud. canon. verb. *Interdictum*, num. 5. (36. Per plura vero sæcula incognitum ipsum fuisse inde liquet, quod Ivo Carnotensis, epist. 94, appellat interdictum *Remedium insolitum*, ob suam nimirum novitatem.

(37. Dividit auctor interdictum in personale, locale et mistum; sed, ut probe monet Clement. Concord. pastoral., part. II, cap. 5, n. 3. (38. Convenientius dividitur interdictum in personale et locale tantum, et utrumque in generale et particulare.

(39. Quæstionis est an posito interdicto locali, censeatur positum personale, et versa vice. In eam communiter itum est sententiam, posito interdicto locali, sive generali, sive particulari, non censeri positum personale, nisi tantum respectu personarum quarum culpa positum est interdictum locale : cap. 17, de Sent. excom. in 6.

(40. Pariter in eo omnes conveniunt quod, posito interdicto personali particulari, non censeatur positum locale. (41. At non conveniunt DD. an posito interdicto generali personali, censeatur etiam positum locale, id est, an, interdicto personaliter populo, interdicto subjiciatur locus populi, id est villa. (42. Affirmant enim Covar. in cap. *Alma mater*, part. II, § 1. n. 7; Henriq. cap. 42, in fin. At post Navarr. et Ægid. negat Hurtad. de Censur., Tract. de Interd., difficult. 3, num. 7, et jure quidem meritoque. (43. Interdictum enim personale, tametsi generale, est omnino distinctum a locali; non est igitur cur, posito interdicto personali, ponatur locale : « Ac proinde (ita recte ait Hurtad. loc. mox citat.) in loco populi interdicti possunt clerici divina officia solemniter et apertis januis celebrare, etiamsi aliquando per accidens non liceat, quando scilicet nequeant non admitti interdicti ad templum aut ad partes templo vicinas. »

(44. De personis quæ comprehenduntur interdicto personali, vide mox laudatum auctorem difficult. 3, per tot. Notabile vero est discrimen innocentes inter et nocentes populos generaliter interdictos. (45. Innocentes enim, ut primum mutatione domicilii, aut aliter, desinunt esse membra ejus populi, desinunt esse interdicti, sine ulla alia relaxatione. (46. At nocentes, tametsi membra illius populi esse desinant, interdicto obnoxii remanent; idque quia interdicti ii etiam intelliguntur uti particulares personæ.

(47. De locis comprehensis interdicto locali consule tum eumdem auctorem difficult. 5, per totum, tum Clement. Concord. pastoral., part. II, cap. 5, fere per tot.

AD SUPERIOREM ADDITIONEM

Novissimum additamentum.

(48. De origine interdicti aliquid enucleatius dicendum. Sarpius cæterique theologi sibi adjuncti interdictorum epocham Alexandri III pontificatu definiunt. Bellarminus satis rejectum hocce commentum existimavit, objecto interdicto quod S. Gregorius VII, sex et 80 annis ante Alexandrum III, anno scilicet 1073, pontificatum adeptus, in Poloniæ regnum excusserat. Id vero intelligens M. Antonius de Dominis de Rep. Christ. lib. v, cap. 9, n. 38, audacter ad novam interdictorum æram constituendam prosiluit, ac nonnisi a Gregorio VII repetenda esse hujus censuræ initia docuit. Horum vestigiis inhæsit Dupinius, qui in sua Disciplina asserere non dubitavit, « per sex, aut septem, et amplius Ecclesiæ sæcula non legi aliquam societatem ob peccatum alicujus excommunicatam aut interdicto subjectam. »

(49. Verum quantum hi omnes a vero aberraverint ostendit anonymus auctor eruditissimæ dissertationis quæ anno 1715, occasione Siculi interdicti, Romæ prodiit in 4, de Ecclesiastici interdicti sententia p. I, cap. 1. Ab undecimo enim sæculo ad ipsa apostolica tempora retrograda inquisitione ascendens, ostendit vir oppido doctus, vix ullum exstitisse sæculum quo interdictum aliquod non occurrat. Unum ex quarto sæculo, illudque sane luculentissimum, exemplum promam.

(50. Magnus Basilius ab episcopo quodam

Digitized by Google

consultus quid agendum foret cum puellæ cujusdam raptus incidisset, respondit ep. 224, 1, rapta puella parentibus restituta, raptorem excommunicatione feriendum ; 2. criminis socios cum eorum quoque familiis, per triennium *a precibus* excludendos; 3. sacris interdicendum loco (*villam* Montacutius, qui epistolam latinitate donavit græcum κωμὴν vertit pagum, qui villa aliquid amplius est, malim ego cum laudato anonymo interpretari) ad quem forte raptor confugerit, nisi incolæ eum ejecerint aut puella reddita fuerit. Nugari voluit Van-Espenius, qui tit. de Pœn. et censur., cap. 9. n. 16, Basilium pronuntiavit non loqui « de villa, prout locum aut domum quamdam significat; sed de familia quæ raptorem cum rapta susceperit. » Fingine potuit magis ridicula interpretatio?

(51. Fatendum tamen est vetustioribus Ecclesiæ sæculis minus frequentem interdicti usum fuisse. Triplicem hujus rei causam idem anonymus profert illustratque, p. 1, cap 2, § 1; nempe 1. temporum illorum sanctitatem, quæ universum populum peccare, aut privatorum criminum procurandam emendationem negligere prohibebat; ex quo duplici capite interdictum in universitatem infligitur; 2. maximum quemdam excommunicatationis metum, ut proinde Ecclesiæ satis consultum esset ad compescenda crimina, si sontes singuli excommunicationis telo ferirentur, quin totam necesse foret universitatem interdicto plectere; 3. amplissimum patrocinium, quo principes Ecclesiæ bona, jura, libertatem tuebantur ac vindicabant; neque enim opus erat Ecclesiæ spiritualem gladium exercere, cum præsto sibi esset ultrix principum potestas.

ARTICULUS II.

Interdicta localia generalia.

(1. Contra reges et principes impedientes legatos vel nuntios pontificios ne fungantur suo officio, in quo casu omnes ditiones ipsius impedientis sunt interdictæ : Extravag. *Super gentes*, de Consuetud.

(2. Contra civitatem, excepta Roma, quæ hostiliter insequitur cardinales, vel insecutoribus consilium, auxilium, aut favorem præstat : cap. *Felicis* 5, de Pœnis in 6.

(3. Contra civitatem quæ delinquit percutiendo injuriose proprium episcopum, vel ipsum capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri; et contra territorium cujus dominus deliquit percutiendo, injuriose capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri in quemcunque pontificem : Clement. 1, de Pœnis.

(4. Contra civitatem in qua mortuus est Papa, et ibi novus est eligendus, et rectores ejusdem non observantes nec observare facientes præscripta in cap. *Ubi periculum* 3, de Election. in 6; ibi enim habetur expresse : « Civitas autem prædicta non solum sit interdicto supposita, sed et pontificali dignitate privata. »

(5. Contra civitatem admittentem alienigenas ad fœnerandum : cap. 1, de Usuris in 6

ARTICULUS III.

Interdicta localia particularia.

(1. Contra universitates et collegia exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem ecclesiasticam : Gregor. XIII Constit. 39, incip. *Inter apostolicas.*

(2. Contra ecclesiam in qua scienter sepultum fuerit cadaver hæretici : cap. *Quicunque* 2, de Hæreticis in 6.

(3. Contra ecclesias regularium et clericorum sæcularium inducentium aliquem ad jurandum vel promittendum eligere sepulturam in illis, vel ad non mutandam electionem jam factam, si postea de facto in eis jurantes vel promittentes sepeliantur : cap. 1, de Sepultur. in 6.

ARTICULUS IV.

Interdicta personalia generalia.

(1. Contra universitates exigentes tributa ab ecclesiasticis : cap. *Quanquam* 4, de Censib. in 6.

(2. Contra universitates concedentes vel extendentes repræsalia contra ecclesiasticos : cap. Unic. de Jurejur. in 6.

(3. Contra universitates, capitula, et collegia a Papa ad futurum concilium appellantia : cap. 2 bullæ *Cœnæ.*

(4. Contra universitates, capitula, et collegia non servantia constitutionem Joann. XXII, circa fructus beneficiorum vacantium : Extravag. *Suscepti regiminis, ne sede vacante.*

(5. Contra capitula cathedralium dimissorias infra annum a die vacationis sedis concedentia : Concil. Trident., sess. 7, c. 10.

(6. Contra universitates habitationem usurariis locantes, aut usuras publice exercere permittentes : cap. 1, de usuris.

ARTICULUS V.

Interdicta personalia particularia.

(1. Contra cardinales aliosque Ecclesiæ prælatos recipientes beneficia et pensiones cum simonia confidentiali : Pius IV, constit. incip. *Romanum Pontificem.*

(2. Contra metropolitanos de non residentia suffraganeorum, et contra antiquiores episcopos de non residentia metropolitanorum post annum a die absentiæ eorumdem non certiorantes Pontificem intra tres menses : Conc. Trident. sess. 6, cap. 1, de reformat.

(3. Contra promotos ad Ecclesias cathedrales, etiamsi sint cardinales, in Romana curia existentes intra unum mensem a die eorum promotionis et consecrationis, itineri non se committentes ad faciendam residentiam : Urban. VIII, constit. 139, incip. *S. synodus*, et conc. Trid. sess. 23, cap. 2, de reform.

(4. Contra episcopos usurpantes bona vel fructus ecclesiarum aut beneficiorum vacantium : c. *Præsenti* 9, de Offic. ordinar. in 6.

(5. Contra episcopos vel abbates alienantes bona Ecclesiæ, non servata forma Extravagant. *Ambitiosæ*, de rebus ecclesiast. non alienand.

Digitized by Google

(6. Contra episcopos aliosque superiores prælatos qui in visitatione procurationem excessivam recipiunt, contra constitutionem Innocentii IV relatam in cap. *Romana* 1, de censibus in 6; cap. *Exigit* 2, de censibus in 6, et Trid., sess. 24, c. 3, de reform.

(7. Contra prælatos edentes commentarios in concil. Trident. inconsulto Romano Pontifice : Pius IV, constitution. confirmatoria ejusd. concilii.

(8. Contra eos qui episcopatum, abbatiam, vel aliam ecclesiasticam dignitatem de manu laici recipiunt : cap. *Si quis deinceps* 16, qu. 7.

(9. Contra clericos in sacris constitutos in crimine fornicationis perseverantes : cap. *Si qui sunt*, dist. 81.

(10. Contra ordinarios qui privant beneficiis commorantes in urbe, et eos qui illa recipiunt : Extravag. 3, de privileg.

(11. Contra non servantes formam a jure præscriptam in ferendis censuris : cap. *Sacro* 48, de sentent. excomm.

(12. Contra violantes interdictum locale, et contra eos qui excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia, ad sacramenta, et ad ecclesiasticam sepulturam admittunt : cap. *Episcop.*, de privileg. in 6.

(13. Contra eos qui dant causam interdicto locali : cap. *Si sententia* 6, de sentent. excomm. in 6.

(14. Contra omnes ecclesiarum sæcularium rectores et ministros recipientes onera perpetua missarum sine licentia ordinarii loci, ac etiam contra recipientes pecunias talium legatorum, et eas non deponentes penes personam idoneam : Urban. VIII, constit. 43, incip. *Cum sæpe contingat.*

ARTICULUS VI.

Interdictum quoad ejus effectus.

SUMMARIUM.

1. Effectus interdicti sunt tres, qui assignantur.— 2. Non omnium sacramentorum, sed aliquorum tantummodo prohibitus est usus, sive activus, sive passivus. — 3. Tempore enim interdicti propter moræ periculum licite administratur non solum parvulis, sed etiam adultis baptismus et confirmatio. — 4. Item sacramentum pœnitentiæ omnibus administrari potest, etiam sanis, exceptis iis qui sunt excommunicati, et causam dederunt interdicto, nisi de delicto satisfecerint, etc. — 5. Item sacramentum matrimonii potest tempore interdicti licite celebrari. — 6. Solemniter tamen et publica benedictio tunc sponsis dari nequit. — 7. Item constitutis in articulo seu probabili periculo mortis licite ministrari potest, etiam sacramentum Eucharistiæ. — 8. Item infirmis aliud sacramentum non valentibus recipere, licet ministrari etiam extrema unctio. — 9. Et casu magnæ necessitatis, et penuriæ sacerdotum, etiam sacramentum ordinis clericis specialiter non interdictis conferri potest. — 10. Nomine divinorum officiorum tempore interdicti prohibitorum, quæ intelligantur. — 11. Excipitur privata recitatio horarum, ad quam alias obligati tenentur, licet sint interdicti, et concio, ad quam etiam per campanæ pulsum possunt convocari interdicti ut ad correctionem et resipiscentiam inducantur. — 12. Tempore interdicti generalis, clerici et religiosi, quando ipsi non sunt interdicti, possunt, ut extra tempus interdicti, missas et divina officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, et exclusis personaliter interdictis, et iis qui interdicto causam dederunt ad num. 18. — 18 Regulares tempore interdicti possunt celebrare et communicare januis clausis. — 19. In loco sacro interdicto nullus quantumvis innocens, nec infans, nec amens potest sepeliri. — 20. Excipiuntur tamen clerici personaliter non interdicti, nec interdicto causam dantes. — 21. Tempore interdicti localis generalis possunt incolæ illius loci qui non sunt personaliter interdicti efferri extra illum locum interdictum, et in alio loco sacro non interdicto sepeliri. — 22. Si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante interdicto in locum sacrum est transferendus, si id commode fieri possit. — 23. 28. Si vero contingeret contra prohibitionem juris aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, is non esset extrahendus. — 29. 45. Additiones ex alia manu.

(1. Effectus interdicti sunt tres, primus est privatio aliquorum sacramentorum, secundus est privatio divinorum officiorum, tertius est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ut expresse habetur in cap. *Alma mater* 24, de sent. excomm. in 6.

(2. Circa primum effectum notandum est quod non omnium sacramentorum, sed aliquorum tantummodo prohibitus est usus, sive activus, sive passivus. (3. Tempore enim interdicti propter moræ periculum licite administratur non solum parvulis, sed etiam adultis baptismus et confirmatio, et ad hunc finem potest fieri catechismus, fontis benedictio, et in Cœna Domini chrismatis consecratio : cap. *Responso* 43, de sent. excomm. et cap. *Quoniam* 19, de sent. Excomm. in 6. (4. Item sacramentum pœnitentiæ omnibus administrari potest, etiam sanis, exceptis iis qui sunt excommunicati et causam dederunt interdicto, nisi de delicto satisfecerint aut de satisfaciendo cautionem idoneam, vel juratoriam præstiterint : capit. *Alma mater* 24, de sent. excommunic. in 6. (5. Item sacramentum matrimonii potest tempore interdicti licite celebrari : glossa in cit. cap. *Alma mater* 24, de sent. Excomm. in 6, verb. *Sacramentis ;* Abbas in cap. *Non est*, 11, de sponsalibus, n. 8, et alii passim. (6. Solemnis tamen et publica benedictio tunc sponsis dari nequit, ut colligitur ex cit. cap. *Alma mater*. (7. Item constitutis in articulo seu probabili periculo mortis, licite ministrari potest etiam sacramentum Eucharistiæ : cap. *Permittimus* 57, de sent. excomm., et cap. *Quod in te* 11, de pœnit. et remiss. (8. Item infirmis aliud sacramentum non valentibus recipere, licet ministrari etiam extrema unctio, ut cum aliis colligunt Pirhing. et Palao ex cit. cap. *Quod in te* 11, de Pœnit. et remiss. (9. Et casu magnæ necessitatis, et penuriæ sacerdotum, etiam sacramentum ordinis clericis specialiter non interdictis conferri potest, ut cum multis colligunt Pirhing, Innocentius et Abbas ex cap. *Non est* 11, de sponsalibus, n. 8.

(10. Circa secundum effectum notandum est quod nomin divinorum officiorum tem-

Digitized by Google

pore interdicti prohibitorum in cap. *Si Sententia* 16, de sent. excomm. in 6, et cap. *Permittimus* 57, cit. tit., intelliguntur celebratio publica Missæ, publica recitatio horarum canonicorum in choro, processiones publicæ, benedictiones publicæ templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, nuptiarum, solemnis aspersio aquæ lustralis, professio solemnis in religione, et alia similia; (11. excepta privata recitatione horarum, ad quam alias obligati tenentur, licet sint interdicti, et concione, ad quam etiam per campanæ pulsum possunt convocari interdicti, ut ad correctionem et resipiscentiam inducantur, ex cap. *Responso* 43, de sentent. Excomm. (12. Tempore interdicti generalis, clerici, et religiosi, quando ipsi non sunt interdicti, possunt, ut extra tempus interdicti, missas et divina officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, et exclusis personaliter interdictis, et iis qui interdicto causam dederunt: cap. *Alma mater* 24, de sent. excomm. in 6. (13. Et in hoc eodem capite *Alma mater*, permittitur ut festis Natalis, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. Virginis, quibus a Martino V et Eugenio IV additus fuit dies festus Corporis Christi cum tota octava, et a Leone X dies festus Conceptionis B. M. V., etiam cum tota octava, tempore interdicti generalis, missæ et divina officia publica cum omni solemnitate celebrentur januis apertis cum campanarum sonitu, admissis quoque interdictis qui causam interdicto dederunt, modo isti non appropinquent altari nec veniant ad offertorium, vel communionem, exclusis tamen excommunicatis. (14. Et hoc privilegium est solum de interdicto locali generali, non vero de locali particulari, nec de personali, etiam generali, quia in his nihil est immutatum jure novo, in cap. *Alma mater*, sed remanet rigor juris antiqui: cap. *Permittimus*. Unde in ecclesiis specialiter interdictis in quibus Eucharistia asservatur, solum licet semel in hebdomada celebrare missam pro renovanda Eucharistia pro infirmis, ut expresse colligitur ex d. cap. *Permittimus* 57, de sent. excomm.

(15. Regulares quibus post Trid. et Gregor XIII, cum sufficientibus derogatoriis specifice et expresse est indultum ut quædam proprii ordinis festa solemni ritu tempore interdicti generalis quacunque auctoritate positi celebrent, possunt in omnibus illis festivitatibus voce alta, apertis januis, pulsatis campanis, divina facere ac omnibus fidelibus sacramenta ministrare, exceptis nominatim interdictis et interdicto causam præbentibus, et omnia alia libere et solemni ritu peragere ac si interdictum minime appositum esset, ut expresse post conc. Trid. et Gregor. XIII concessit ordini Minorum S. P. Francisci Clemens VIII, die 17 Octobr. 1595, (16. constitut. incip. *Sacræ*, per quam omnem dubietatem e medio tollit præcisis his verbis: « Ut sacræ Seraphici B. Francisci religionis in sanctam Romanam Ecclesiam merita poscunt, ut privilegia et indulta illi per Sedem Apostolicam concessa, non modo conserventur, sed etiam amplientur. Cum itaque, sicut accepimus, diversorum Romanorum Pontificum concessionibus religioni præfatæ indultum sit ut temporibus interdicti, quacunque etiam apostolica auctoritate apposiți, Festa sanctorum ejusdem ordinis, Francisci nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum, solemni ritu celebrare, perinde ac si interdictum hujusmodi minime appositum esset, libere possint; festa vero sanctorum Didaci et Portiunculæ in prædicto indulto minime comprehendantur; nos religionem prædictam amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac indultorum hujusmodi et litterarum Apostolicarum desuper expeditarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictæ religionis per dilectum filium nostrum Hieronymum presbyterum cardinal. Matthæum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, religioni prædictæ universæ, ac cuicunque ipsius ordinis sive familiæ conventui, ut in eorum ecclesiis festa etiam prædicti S. Didaci et Portiunculæ, temporibus interdicti solemniter, prout alia festa prædicta, ac juxta indultorum illi concessorum seriem et tenorem, celebrare libere et licite possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus, ac indulta prædicta ad prædictas S. Didaci et Portiunculæ festivitates extendimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus, vel specialibus. Dat. Tusculi, sub annulo Piscatoris, 17 Octobr. 1595, pontificatus nostri anno 4. » Sic tenent, plurimi cum Pignatell. tom. X, cons. 1; Matthæucci, Offic. curiæ, capit. 27, num. 12 et 13, et alii passim.

(17. An autem hoc privilegium suffragetur aliis regularibus propter communicationem privilegiorum, videtur respondendum esse affirmative. Nam Suarez lib. VIII, de Legibus, c. 17, n. 7; Roder. qq. Regul., quæst. 55, art. 20, tom. I; Portell. in Respons. moral., tract. 1, disp. 4, punct., § 9, num. 5, ac Hieronymus Roderiq. in Compend., resolut. 65, num. 2, et alii asserunt in celebratione festorum locum habere communicationem privilegiorum, præsertim quoad eos regulares qui habent prægnantissimam communicationem privilegiorum ab Apostolica Sede, tam concessorum quam concedendorum; et hoc maxime verum censeo pro illis regularibus qui obtinuerunt a S. Sede communicationem aut innovationem privilegiorum post dictum privilegium a Clemente VIII, in supra allata constitutione concessum Minoribus. Pignatell. tamen tom. X, citat. consult. 1, num. 32 et sequent., pluribus adductis censet tale privilegium non suffragari aliis regularibus virtute communicationis privilegiorum, quod et censet Matthæucci in Officiali Curiæ, cap. 27, n. 14, et alii.

Digitized by Google

Vide cardinal. Petram tom. V. Commentar. ad Constit. 10 Sixti IV, n. 15 et 16.

(18. Regulares tempore interdicti possunt celebrare et communicare januis clausis, ex privilegio variorum Summorum Pontificum, et præcipue Clementis IV, constitut. incip. *Virtute*, § 9; Gregorii IX constit., incip. *Virtute*, et Pauli III, const. incip. *Licet debitum*.

(19. Circa tertium interdicti effectum, qui est privatio ecclesiasticæ sepulturæ, notandum est quod in loco sacro interdicto nullus, quantumvis innocens, nec infans, nec amens, potest sepeliri; cap. *Quod in te* 11, de Pœnit., et remiss. (20. Excipiuntur tamen clerici personaliter non interdicti nec interdicto causam dantes, nec illud pro ullo tempore violantes, qui cum silentio et sine solemnitate, absque campanarum pulsatione, possunt in loco sacro interdicto sepeliri: d. cap. *Quod in te* 11, de pœnit. et remiss.; Pirhing in Jus canonic. lib. v, c. 39, n. 251.

(21. Tempore interdicti localis generalis possunt incolæ illius loci qui non sunt personaliter interdicti efferri extra illum locum interdictum, et in alio loco sacro non interdicto sepeliri: cap. *Si sententia* 16, de Sentent. excomm. in 6. (22. Et si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante interdicto, in locum sacrum est transferendus, si id commodo fieri possit: glossa in cap. *A nobis* 2, de Sent. excomm. in 6, verb. *forma*; Pirhing in Jus canon., lib. v, tit. 39, n. 251. (23. Si vero contingeret, contra prohibitionem juris, aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, is non esset extrahendus, quia hoc non reperitur in jure præscriptum. Et licet excommunicati in loco sacro contra prohibitionem sepulti denuo debeant exhumari et e loco sacro ejici: cap. *Sacris* 12, de Sepulturis: hæc tamen tam severa pœna non est extendenda ad alium casum in jure non expressum, cum diversa sit ratio de excommunicatione et interdicto. Excommunicatio enim privat communione fidelium, non autem interdictum: glossa in d. cap. *A nobis*, de Sentent. excomm. in 6, Engel. lib. v, tit. 39, num. 96, cum Anacleto et aliis.

(24. Interdicti tempore, in vim bullæ Cruciatæ, competunt privilegia missas celebrare faciendi, sacramenta sumendi, et ecclesiastica sepultura gaudendi juxta modum præscriptum a Benedicto XIV, tom. I Bull., constitution. 86, incipien. *Quoniam*, § 5. (25. Interdicti tempore conceditur militibus S. Januarii ut missas celebrare facere et sacramenta recipere valeant: idem const. 24 incipien. *Romanæ Ecclesiæ*, § 4.

(26. Interdicti ab ingressu ecclesiæ assistere non possunt missæ et divinis officiis, neque coram illis potest missa celebrari in ecclesia. Spectat vero ad ministros Ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suaresio docetur missam jam inceptam non esse omittendam: Bened. XIV, Instit. eccl. 55, n. 11

(27. Interdicti ab ingressu ecclesiæ, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter doctores. Ibid. 33

(28. Interdicti ab ingressu ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione paschali, si contumaces se præbuerint, ab episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur cit. Instit. Eccles. 55, tit. n. 11.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Tunc cum primum introduci in Ecclesia cœpit interdictum, et multo etiam tempore post, maximus fuit ejus rigor. (30. Sic enim Oldericus Familiæ B. Martialis monachus, a synodo de contumacia principum militiæ Lemovicensis sententiam rogatus, inquit: « Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo ut nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a binatu, et infra in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, sed baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus, et omnes proni in faciem preces pro tribulatione et pace fundant. Pœnitentia et viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur, et ornamenta abscondantur, quia signum luctus et tristitiæ omnibus est. Ad missas tamen quas unusquisque sacerdotum, januis ecclesiarum obseratis, fecerit, altaria induantur et iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat; nemo alteri osculum det; nemo clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium in toto Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos, quam illos quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti principes et capita populorum per omnia sancto concilio obediant. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia. »

(31. Liquet hinc quantus eo tempore erat rigor interdicti. (32. Mitigari vero ille aliquantulum postmodum cœpit, ut liquet ex collectionibus Gregorii IX et Bonifacii VIII. Innocentius III, qui anno 1200 Ecclesiam rexit, semel in hebdomada prædicare et baptizatos confirmare licitum esse declaravit, in cap. *Responso*, de Sentent. excommunic. (33. Præterea clericis qui interdictum observaverant, in cœmeterio cum silentio sepeliri, in conventualibus ecclesiis, voce remissa, januis clausis, non pulsatis campanis, horas canonicas binos vel trinos recitare concessit: cap. *Quod in te*, de Pœnit. et Remiss. (34. Gregorius IX, sub annum 1230, addidit ut moribundis viaticum ministraretur, semelque in hebdomada missa pari cum silentio celebraretur: c. *Permittimus*, de Sent. excommun. (35. Plura etiam permisit Innocentius IV, qui anno 1245 pontificatum

Digitized by Google

iniit. (36. Sed omnium maxime interdicti rigorem mitigavit Bonifacius VIII, in cap. *Alma mater*, de Sen. excom. in 6. Probe enim hic animadvertens quod « ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, et infinita pene pericula animarum insurgunt, Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur, » (37. permisit ut ad pœnitentiæ sacramentum admitti omnes queant, nisi essent excommunicati vel culpabiles de tali interdicto, vel specialiter interdicti; tum permisit ut officia divina possint, januis clausis, celebrari submissa voce, laicis exclusis, ac sine sonitu campanarum; (38. et demum permisit ut quinquies in anno, id est Natali Domini, Paschate, Pentecoste, Assumptione B. Mariæ, et festo Corporis Christi, januis apertis, exclusis excommunicatis, et iis qui causam dederunt interdicto, cæteri ad communionem Eucharisticam, ad oblationem, et ad divina officia admittantur. (39. Hanc vero moderationem de interdicto locali generali, non speciali, accipiendam esse monent post Cloff. ibid. verb. *Ecclesiis*, Covarruv. in relect. ad ipsum cap. *Alma mater*, § 4, num. 1, et § 4, num. 2; Suarez de Censur., disp. 34, sect. 2, n. 1. (40. Quinimo, cum idem Bonifacius VIII, nimium hujus interdicti usum Ecclesiæ damno fuisse experientia comperiisset, hinc est quod multis in casibus prohibuit episcopis fulmen interdicti detorquere.

(41. Veniamus nunc ad auctorem. Recte ipse, num. 10, ait prohibitam esse professionem solemnem in religione. (42. At nota prohibitam minime esse benedictionem vestium illorum qui Religionem ingrediuntur: Navar. in Manual. Confessar. c. 22, n. 122; Alter. de Censur., disp. 5, de Interdict. c. 5, fol. 392, col. 1

(43. Suos hinc inde habet auctores quæstio de qua agit Auctor num. 17, an sub communicatione privilegiorum veniat privilegium illud, quod nonnullis regularibus concedi solet, quasdam proprii ordinis festivitates solemni ritu tempore interdicti generalis quacunque auctoritate positi celebrandi. (44. Novissime affirmativam opinionem tenuit P. Gaudent. a Janua de Visit. tom. I, cap. 14, dub. 10, sect. 4, num. 6, et plur. sequent. (45. Sed probe monuit clar. mem. cardin. Petra. in Comment. ad Constit. apostol., constit. 10 Sixti IV, num. 16, *in subjecta materia inspiciendam esse formam indulti communicationis, ita ut ex illius verbis deprehendi et censeri valeat an inducta vel excusa censeri valeat communicatio hujusmodi privilegii.*

ARTICULUS VII.

Quoad ea quæ concernunt culpam et pœnam interdictum violantium.

SUMMARIUM.

1. Laici violantes interdictum solum locale, licet sine contemptu et scandalo, peccant saltem venialiter. — 2. Violantes vero interdictum personale, sive particulare, sive generale, scienter, peccant mortaliter. — 3. Si autem ipsi laici cogant celebrari divina officia in loco interdicto, vel vocent interdictos et excommunicatos ut illis intersint, aut prohibeant ne ipsi interdicti aut excommunicati a celebrante seu ab alio moniti de ecclesia exeant; aut ipsi interdicti post monitionem exire recusent, vel divinis violenter sese ingerant, ultra gravissimam culpam, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam. — 4. Clerici et regulares utriusque sexus violantes interdictum, sive personale, sive locale, peccant mortaliter, ad num. 13. — 13. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, variis in casibus possunt subjicere interdicto ecclesias exemptorum et regularium, et præsertim si interdictum in loco publicatum non observent. — 14. Si accedente episcopo ad eorum ecclesias pro celebranda missa pontificali, nolint cum obsequiis, juxta præscriptum decretorum apostolicorum et sacræ congregationis Rituum, recipere, servire, vel ei baldachinum erigere, et juxta solitum de cera et supellectilibus providere. - 15. Si baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assistentiam in presbyterio in eorum ecclesiis dent, et permittant, et concedant personis sæcularibus quantumvis nobilibus et illustribus. — 16. Si ab episcopo moniti, sepulturas sub altaribus et bradellis eorum ecclesiarum constructas nolint aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere et replere. — 17. Si ad processiones quibus tenentur intervenire moniti recusent accedere. — 18. Si abusus et irreverentias ab eorum ecclesiis, moniti, nolint vel negligant removere. — 19. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, possunt interdicere ab ingressu ecclesiæ, vel suspendere ab exercitio pontificalium abbates et alios usum pontificalium habentes, ac prælatos, et superiores regulares, et exemptos, si ecclesiasticam supellectilem, seu paramenta sacra pro usu aliarum ecclesiarum quam suarum benedicant. — 20. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, possunt procedere per interdictum aliasque censuras contra regulares inobedientes et contumaces in casibus illis in quibus datur ei facultas ipsos coercendi, corrigendi et puniendi. — 21. 30. Additiones ex alia manu.

(1. Laici violantes interdictum solum locale, audiendo, v. gr. divina officia, licet sine contemptu et scandalo, peccant saltem venialiter. (2. Violantes vero interdictum personale, particulare, sive generale scienter, peccant mortaliter, quia violant præceptum Ecclesiæ in materia gravi, et interdictum personale particulare directe afficit personas interdictas, easque privat participatione divinorum, sicuti etiam interdictum personale generale afficit directe omnes personas quæ comprehenduntur in communitate interdicta, juxta textum in cap. *Si sententia* 16, de Sent. excommunic. in 6, adeoque illud violantes assistendo divinis peccant mortaliter. (3. Si autem ipsi laici, uti interdum faciunt domini temporales et officiales eorum, cogant celebrari divina officia in loco interdicto, vel vocent interdictos et excommunicatos ut illis intersint, aut prohibeant ne ipsi interdicti aut excommunicati a celebrante, seu ab alio moniti, de ecclesia exeant, aut ipsimet interdicti post monitionem exire recusent, vel divinis violenter sese ingerant, ultra gravissimam culpam, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam, prout expresse habetur in Clement. 3, de Sent. excomm., cap. *Gravis*.

(4. Clerici et regulares utriusque sexus violantes interdictum peccant mortaliter,

Digitized by Google

sive sit interdictum personale, sive locale, hoc est, sive ipsi interdicti sint, sive in ecclesia interdicta aliquem actum ordinis exerceant, ut missam, aut aliud officium divinum de more celebrent, aut cum scandalo et contemptu sacramenta recipiant et divinis assistant. (5. Et clerici et religiosi, ultra culpam mortalem, incurrunt irregularitatem : c. *Is qui* 18, § fin., et cap. *Is cui* 20, de Sentent. excomm. in 6. (6. Privantur privilegio quod alioquin haberent ut in loco sacro sepeliri possent : cap. *Quod in te* 11, de Pœnit. et remiss., et cap. *Is cui* 20, de Sent. excomm. in 6. (7. Privantur jure passivæ et activæ electionis, ita ut nec eligere valeant : cap. *Is qui* 10, de Sent. excomm. in 6, nec ipsi eligi aut postulari possint : capit. 1, de postulat. Prælator. (8. Incurrunt suspensionem ab officio, beneficio et jurisdictione : cap. *Tanta est* 18, de Excessib. Prælator. (9. Et si scienter interdictos in loco sacro sepelire præsumpserint, excommunicationis sententiam incurrunt : Clement. 1, de Sepulturis. (10. Regulares vero tam exempti quam non exempti violantes interdictum generale locale quod ab ecclesia cathedrali, matrice, vel parochiali loci servatur, ultra supra recensitas pœnas incurrunt etiam excommunicationem; Clement. 1, de Sent. excommunicat. (11. Sicuti etiam eam incurrunt violando cessationem a divinis : ead. Clement., ibidem. (12. Quod procedit non solum de interdicto generali, quod fertur in regnum, vel provinciam, sed etiam de eo cui submittitur villa vel castrum per textum cap. *Cum in partibus* 17, de Verbor. significat.

(13. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, variis in casibus possunt subjicere interdicto ecclesias exemptorum et regularium, et præsertim : 1° si interdictum in loco publicatum non observent : sac. congreg. Conc. in Indiarum, 17 Decem. 1650, lib. XIX Decr., pag. 96; (14. 2° si accedente episcopo ad eorum ecclesias pro celebranda missa pontificali nolint eum obsequiis, juxta præscriptum decretorum apostolicorum et sacræ congregat. Rituum, recipere, servire, vel ei baldachinum erigere, et juxta solitum de cera et supellectilibus providere: sacra congregat. Conc. in Venafrana interdicti, 26 Jan. 1697;

(15. 3° Si baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assistentiam in presbyterio in eorum ecclesiis dent, permittant et concedant personis sæcularibus, quantumvis nobilibus et illustribus, ut disponunt decreta generalia sac. congreg. Rituum sub die 13 Martii 1688, et sub 22 Apr. 1690, approbata a Sanctissima die 22 ejusdem mensis Apr., et anni 1690. Vide verb. *Ecclesia*, art. 5, num. 29 et 30, ubi referuntur ad litteram dicta decreta; (16. 4° si ab episcopo moniti sepulturas sub altaribus et bradellis eorum ecclesiarum constructas nolint aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere et replere : sic pluries decrevit sac. congr. Episc. et Regul. Vide verb. *Altare*, n. 48 et 49, ubi talia decreta ad litteram referuntur.

(17. 5° Si ad processiones quibus tenentur intervenire, moniti recusent accedere : sic declaravit pluries sac. congr. Conc. et signanter die 27 Jul. 1627, et in una Mediolanen. 3 Aug. 1658, et in una Neapolitana 27 Febr. 1591, et etiam sac. congr. Rituum in una Ferrarien., 27 Jul. 1609, in una Aversana 12 Februar. 1641, in una Tarentina 3 Maii 1642, et in una Spoletana 25 Septemb. 1649; quæ omnia decreta ad litteram refert Pignatell. tom. III, consultat. 46, a num. 11 ad 38; (18. 6° si abusus et irreverentias ab eorum Ecclesiis, moniti nolint vel negligant removere, vigore concilii Tridentini in Decret. de observand. et evitand. in celebratione missarum.

(19. Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, possunt abbates et alios usum pontificalium habentes, ac prælatos, et superiores regulares, et exemptos, censura Interdicti ab ingressu ecclesiæ, vel suspensionis ab exercitio pontificalium punire, et coercere, si ecclesiasticam supellectilem seu paramenta sacra pro usu aliarum ecclesiarum quam suarum benedicant, cum hoc eis expresse vetitum sit a decretis generalibus sac. congregat. Rit. emanatis 27 Septembris 1659, et 20 Jul. 1660, quoad hoc confirmatis et approbatis ab Alexandro VII, die 20 Julii 1660, in quibus datur ordinariis facultas inobedientes et transgressores per censuras compellendi. Vide verb. *Abbas* a num. 30, ubi ipsa decreta ad litteram dantur.

(20. Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, possunt procedere per interdictum aliasque censuras contra regulares inobedientes et contumaces in casibus illis in quibus datur eis facultas ipsos coercendi, corrigendi et puniendi; sic fere *communis*, et expresse fatetur sapientissimus Petrus Maria Passerinus, inclytæ religionis Prædicatorum alumnus, qui tom. III, de Statu homin., q. 189, art. 10, insp. 10, num. 768, sic præcise dicit : « Sed ubi episcopis datur facultas coercendi, corrigendi et puniendi regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi; et sic., v. gr., dum sess. 25, cap. 13, datur episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas eos compellendi per censuras : » et sic passim doctores, arg. constit. 18 Greg. XV, incip. *Inscrutabili*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Ansam hic nobis præbet auctor, licet loco non suo, disserendi de potestate episcopi in exemptos quoad interdictum aliasque censuras.

(21. Verba haud facimus de interdicto *locali generali*, nam ei subjici ecclesias omnes, quantumvis exemptas, concors est omnium sententia. (22. Quod vero concernit alias species interdicti, imo in universum censuras omnes, distingui debent censuræ a jure latæ ab iis quæ feruntur ab homine. An episcopus declarare possit incursos in censuras a jure latas exemptos, non conveniunt inter se doctores. (23. Affirmant enim Fagnan. in cap. *Non potest*,

Digitized by Google

num. 12, de Re jud.; Pignatell. tom. IX, consult. 52, num. 7; Card. de Luc. de Regul., disc. 1, num. 29, et discurs. 65, num. 14 et sequent.; Ventriglia in Prax. tom. I, adnot. 48, § unic., num. 34, ibique Carol. Anton. de Luc. num. 5, aliique. (24. Negant vero Bordon. in Consil. Regular., resolut. 6, quæst. 7, num. 10; Hieronymus Garzia in Politic. Regular., tom. I, tract. 8, diss. 3, dub. 2, punct. 2, num. 14; Lezana in Summa, verb. *Exemptio*, num. 9; Escann. in Propugnacul. Relig. discept. 13, cap. 10, per tot., tum alii.

(25. Mediam sententiam alii tenent, nimirum haud posse episcopum declarare, posse vero denuntiare exemptos incursos in censuras; Confer card. Petra in Comment. ad Constit. Apostol., constit. 11, Alexandri IV, sect. unic., num. 11. (26. Media hæc sententia in hoc fundatur, quod declaratio est actus judicialis in ipsos exemptos, adeoque ex defectu jurisdictionis episcopo minime competere valeat. Denuntiatio vero est actus mere extrajudicialis respiciens nonnisi indirecte exemptos, directe vero populum episcopo subjectum, et sic episcopo competere potest.

(27. Placet aliis quod si incursio in censuras sit *publica*, sed non *notoria*, possit solummodo episcopus denuntiare, non item declarare exemptos incursos in censuras; sin autem sit itidem incursio notoria, possit et declarare ipsos exemptos incursos in censuras. Consule Clement. Concord. Pastoral., par. II, c. 4, n. 42, et plur. sequent., (28. ubi hanc reddit rationem cur possit episcopus in casu incursionis *notoriæ* declarare exemptos incursos in censuras: « Quia, inquit, tunc cessat qualitas illa judicialis considerata in casu præcedenti, quæque non permittitur contra exemptum, cum in casu veri notorii non requiratur vera citatio, nec processus, neque opponi possit aliqua exceptio. » At si in casu notoriæ incursionis judicialiter haud sit procedendum, in nihilo videtur differre denuntiatio a declaratione, ita ut in nomine, non item in re sit differentia.

(29. Quod attinet ad censuras quæ ab homine feruntur, porro in casibus illis in quibus exempti episcopo subjecti non sunt per concilium Tridentinum constitutionesque pontificias, nequit episcopus, ex defectu jurisdictionis, censuras ferre. Adi Clement. Concord. Pastoral., part. II, cap. 4, n. 52 et sequent., ubi: « Aliquis tamen casus, subdit, poterit considerari, in quo, vigente exemptione, et sic præcisive a jurisdictione episcopi in ipsas personas exemptorum, possit ecclesia exempta locali subjici interdicto, quod utique eveniet quoties in ea scandalum aut aliquod delictum patratur ab iis qui sunt de populo, etiam sine facto ipsorum exemptorum. Tunc enim talis pœna solum percutit, et dirigitur in punitionem populi audientis divina cujus cura episcopo est commissa, quin per hoc in aliquo vulneretur exemptio, nam interdictum hoc casu non respicit punitionem exemptorum, quibus licet tunc divina peragere januis clausis ex temperato rigore interdicti, juxta moderationem citati cap. *Alma Mater* et suorum privilegiorum, unde tota pœna videtur inesse respectu populi. »

(30. Quæstionis autem est an iis in casibus in quibus exempti per Concilium Tridentinum et apostolicas constitutiones subjecti episcopo sunt, datum sit ei ferre censuras. Sunt qui tenent posse episcopum censuras ferre, si tunc cum eis subjiciuntur, una ipsi potestas fiat censuras ferendi; nequaquam vero si absque potestate hac illi subjiciantur. Vide Escann. in Propugnacul. Relig., discept. 14, cap. 2, num. 12. At posse episcopum censuras ferre, etiamsi exempti sine dicta potestate ipsi subjiciantur, auctoritatibus et rationibus, tum contrariis confutatis firmavit Clemen. Concord. Pastoral. part. II, cap. 5, a num. 55 ad plur. sequent.

ARTICULUS VIII.

A quibus et quibus modis tollatur et relaxetur interdictum.

SUMMARIUM.

1. Interdictum latum ad certum tempus, vel sub conditione aliqua, elapso tempore, vel adimpleta conditione, statim per se cessat. — 2. Et si sit latum a jure ante elapsum tale tempus et ante adimpletionem talis conditionis, episcopus dispensare non potest, nisi interdictum proveniat ex delicto occulto nondum deducto ad forum contentiosum. — 3. Interdictum generale locale, vel personale, a jure communi latum, et non reservatum, potest tolli ab episcopo, aut suspendi ad tempus, vel ab alio habente jurisdictionem quasi episcopalem in communitatem interdictum. — 4. Non tamen episcopus posset interdictum relaxare, si esset latum a Papa tanquam ab homine. — 5. Interdictum locale, sive generale, sive particulare, et interdictum personale generale non possunt tollere seu ab illo absolvere parochi et alii confessarii, etiam privilegiati. — 6. Possunt tamen parochi et alii confessarii absolvere ab interdicto personali particulari non reservato. — 7. Si interdictum quodcunque per specialem sententiam latum sit ab homine, ordinarie absolvere ab illo potest is solus qui illud tulit, vel ejus delegatus, vel successor, aut ejus superior plenam juris dictionem in illum obtinens. — 8. Sicuti pariter soli supradicti possunt absolvere ab interdicto lato per sententiam generalem, quando auctor illius in ip a generali sententia, ejus absolutionem sibi reservavit. — 9. Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam. — 10. Quæcunque vero alia interdicta ad cautelam possunt relaxari. — 11. Subnectuntur additiones ex aliena manu a n. 11 ad 15.

(1. Interdictum latum ad certum tempus, vel sub conditione aliqua, elapso tempore, vel adimpleta conditione, statim per se cessat. Sic glossa communiter recepta in Clement. 1, verb. *Donec de Decimis*, et Abbas in cap. 1, de Judiciis. (2. Et sic, si sit latum a jure, ante elapsum tale tempus et ante adimpletionem talis conditionis, episcopus dispensare non potest, nisi interdictum proveniat ex delicto occulto, nondum deducto ad forum contentiosum, quia censetur tacite reservatum. Pirhing in Jus Canonic., lib. V, tit. 39, n. 232, et alii.

(3. Interdictum generale, locale, vel per-

Digitized by Google

sonale, a jure communi latum, et non reservatum, potest tolli ab episcopo, aut suspendi ad tempus, vel ab alio habente jurisdictionem quasi episcopalem in communitatem interdictam; sic colligitur ex cap. *Nuper* 29, de Sent. excomm., ubi expresse dicitur « quod legislator specialiter sibi non reservavit aliis ordinariis judicibus concessisse videtur. » (4. Non tamen episcopus posset interdictum relaxare, si esset latum a Papa tanquam ab homine, quia censura specialiter lata ab homine non potest auferri nisi ab ipso ferente, vel delegato, aut superiore in ipsum plenam jurisdictionem habente, ex capit. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, de Officio Jud. Ordinar.

(5. Interdictum locale, sive generale, sive particulare, et interdictum personale generale non possunt tollere seu ab illo absolvere parochi et alii confessarii, etiam privilegiati, quia ad relaxandum interdictum locale generale, et particulare, et personale generale, requiritur jurisdictio pro foro externo, qualis non est in parocho nec in aliis confessariis, etiam privilegiatis; qui solum habent jurisdictionem pro foro animæ. Locus autem et communitas non subsecent judicio interno pro foro animæ, ut le se patet. (6. Possunt tamen parochi et alii confessarii absolvere ab interdicto personali particulari a jure lato, et non reservato, ut colligitur ex cap. *Nuper* 29, de Sentent. Excomm.

(7. Si interdictum quodcunque per specialem sententiam latum sit ab homine, v. g., ab episcopo, ordinarie is solus qui illud tulit, vel illius delegatus, vel successor, aut ejus superior plenam jurisdictionem in illum obtinens, potest absolvere: cap. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, de Officio Jud. Ordinar.; cap. *Quærenti* 26, de Officio Delegat.; cap. *Si Episcopus*, causa 5, qu. 3.

(8. Sicuti pariter soli supradicti possunt absolvere ab interdicto lato per sententiam generalem, quando auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit: arg. cap. *Nuper* 29, de Sent. Excomm. Vide dicta de Absolut. et Excommun.

(9. Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam: sic habetur expresse

in cap. *Præsenti*, 10, de Sentent. Excomm. in 6, his præcisis verbis: « Beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias in civitates, castra, vel quælibet alia loca, seu terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliqualenus non habere. » (10. Quæcunque vero alia interdicta ad cautelam possunt relaxari, sicut excommunicatio, quia excommunicatio et interdictum pari passu procedunt, ut probat ex variis testibus glossa in d. c. *Præsenti*, verb. *Declaramus*; ergo, sicuti excommunicatio potest relaxari ad cautelam, ita pariter interdictum, eo vel maxime, quod non debemus nos facere extensionem ad ullum aliud interdictum, cum textus præcise loquatur de interdicto locali generali, ut patet aperte in dicto capit. *Præsenti* 10, de Sentent. Excommunic. in 6, suorat relat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Interdictum, ut dictum est in addit. ad articul. 1, fertur vel uti censura, vel uti pœna. (12. Interdictum uti censura, quemadmodum et quælibet alia species censuræ, non nisi absolutione tollitur. (13. Interdictum vero uti pœna, si elapsum sit tempus, ad quod fuit latum, non tolli, sed cessare dicitur. (14. Ante vero tempus illud dispensatione tollitur: Hurt. *de Censur.* tract. *de Interdict. difficul.* 16, n. 46.

(15. A quibus unum et alterum interdictum tolli possit, breviter, sed perspicue, tradit mox laudatus auctor, qui num. 49, tametsi conveniat interdictum generale locale tolli haud posse ad cautelam. « Nihilominus, subdit, quodcunque interdictum adhuc locale generale posse tolli ad tempus ab eo qui potest illud totaliter auferre in foro exteriori, et ab eodem posse quoad aliquem effectum auferri sive ad tempus, sive absque termino, ut quoad aliquam missam, aut quoad aliquem sepeliendum: quin interdictum potest a ferente ipsum quoad suos effectus limitari, tam quoad primam impositionem illius, quam quoad conservationem, quia conjunctio omnium effectuum interdicti non est jure annexa cum ipso, sicut sunt jure connexi omnes effectus excommunicationis cum ipsa. »

INTERLOCUTORIA SENTENTIA

Vide verb. SENTENTIA *a num.* 3 *ad* 17, *et verb.* APPELLATIO, *art.* 4.

INTERPRETATIO LEGIS.

(1. « Legis interpretationem culmini tantum principali competere nemini venit in dubium, cum promulgandæ quoque legis auctoritatem fortunæ sibi vindicet eminentia: » Novella Justiniani de muliere rapt. pass. 143, et expressum est in l. ult. Cod. de legibus: « Si leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. » Et paulo post: « Tam conditor quam interpres legum solus imperator juste existimabitur: » eod. In quem sensum et Innoc. III doctoribus decretorum Bonon. respondit, *quod unde jus prodit, interpretatio quoque procedat*, in c. *Inter alia* 31, de Sent. Excomm.

(2. Et merito. « Quis legum ænigmata solvere et omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is cui soli legislatorem esse concessum est? » Cit. l. ult. Cod. de legib.

(3. Soli itaque principi reservata est ea legum interpretatio, quæ mentem latæ legis egrediatur, aut prætextu æquitatis a mente legislatoris recedat. Et hoc ipsum significare

Digitized by Google

voluit Constantinus in l. 1 Cod. eod. in eo quod rescribit : *inter æquitatem jusque interpositam* (alii interponendam) *interpretationem nobis solis et oportet, et licet inspicere*, etc ; et Valentinianus l. 9 Cod. eod : *Duritiam legum oportere imperatoria interpretatione emendari.* Siquid ergo proposita controversia definiat jus aliter, aliter suadeat æquitas, semper erit servanda lex clara, etsi dura et aspera, et potius cum Ulpiano respondendum : *Hoc perquam durum est, sed lex ita scripta est.* Durum sic, et ab æquitate alienum est, quod nepos post mortem avi neque jure civili ad legitimam avi hæreditatem vocetur, neque jure prætorio ad bonorum possessionem tanquam cognatus : l. *Titius* 6, ff. de suis et legit. Hæred. ; l. 6, pr. ff. de injust. Rupt. testam. ; l. 1, § 8, ff. *Unde cogn.*, § *et licet* 8, Inst. de hæred. quæ ab. intest. Durum quidem nepotem hunc ab avi successione excludi a quo non minus descendit, et cujus non minus est sanguis quam qui eo vivente nati et concepti sunt ; at cum lex ita scripta sit, juxta illam, non de illa judicare debet judex, neque esse ipsa lege clemen.ior : nov. 82, cap. 10. Sunt vero qui putant hanc juris dispositionem, seu melius subtilitatem, correctam per nov. 118, c. 1 ; at, cum super hoc articulo nulla occurrat emendatio in prædicta novella jus vetus et quoad hoc vigere debebit.

(4. Nec minus durum illud est, quod qui ad rem alienam servandam impensas fecerit, si remedium jure civili proditum neglexerit de retinenda re, opposita doli mali exceptione, dum res a domino vindicatur : l. *sin autem.* 27, § ult. ; l. *Sumptus* 48, ff. de rei Vindic. ; l. *Si quis* 11, eod., etc., nullam impensarum nomine habeat actionem : l. *Si in area* 33, ff. de Cond. indeb. ; l. *Paulus* 14, ff. de Except. doli mal. ; l. 14, § 1, ff. comm. divid. Hoc contra æquitatem esse neminem fugit ; huic tamen judex acquiescat necesse est, quin aliud excogitare remedium eidem liceat, quo non possidenti subveniatur, ne sub specie æquitatis a mente legislatoris recedat : ad l. *Benignus* 18, ff. de Legib. Vid. nov. 82, c. 10, etc.

(5. Hactenus de juris interpretatione disserere labor irritus videri posset, si ad hominem privatum illa nequam pertineat. Verum non unum dari interpretationum genus manuscripta monuit glossa, et probari potest per l. 1, ff. de Orig. jur. ; l. 1, § *qui operas* 6, ff. ad S. C. Tertull., et per alios textus, etc. Et infra habetur ex auctore art. 5, lex *quoad cessationem*, num. 19, et plurib. seqq., etc., quod interpretatio alia sit *authentica*, seu *necessaria*, alia *usualis*, alia *doctrinalis*. Ad principis itaque majestatem spectat authentica ac necessaria legis interpretatio, deque ea accipiendum quidquid supra adnotavimus, ut videre est apud Barth. Salicet. et alios ad l. 1, ff. de Orig. Jur. ; Constant. Roger. in tr. de jur. Interpret., p. 3, n. 1, Cæpoll. ad rubr., ff. de Verb. Signific. ; Bartol. ad l. *omnes populi* 9, ff. de Just. et Jur ; Felin. in c. *Pastoralis* 8, de Fid. instrum., et in c. *Super*, quæst. 27,

in pr. de off. deleg. ; Abb. in c. *Ex parte* 3, ff. de Verb. Signif.

(6. Cæterum si verba legum non sint adeo clara, ut absque ulla interpretatione intelligi queant, neque usque adeo obscura, ut legislatoris mens non dignoscatur, dabitur locus etiam interpretationi privatorum, qui, vel judices sint vel jurisconsulti, verba legis ad sententiam interpretando accommodent : l. 12 et seq. ff. de Legib., et ex l. ult. Cod. eod. tit.

(7. Lex omnis duabus constat rebus, verbis nimirum, et mente, seu sententia : l. 29 et seqq., ff. de Legib., l. 5. Cod. eod ; l. 6. § 1, ff. de Verb. Signif., et ibi Alciat., Brech., Forner., Cujac., Rebuff., et Gœdd. ; l. 15, § 2, ff. de Jurisd. ; l. 3, Cod. de adult. ; l. *Si ancillas* 63, ff. de Legat. 1 ; Tiraq. ad l. *Si unquam* 9., c. de Rev. donat. ; Duaren. de Legib., cap. 8 ; Angel. Matthæuc., lib. 1, de Jur., cap. 30, num. 14, et lib. II, cap. 1 ; Donell. lib. 1, Comm., cap. 13, quæ ubi inter se conveniant, nulla opus est interpretatione l. *Continuus* 137 § *Cum ita re*, in fin ; ff. de Verb. Oblig. ; l. 1, § *Si quis* 8, ff. de Dot. Prælег. at ubi inter se discrepare videntur verba et mens, tunc sane ad interpretationem recurrendum est, ita quidem ut mens potius ac voluntas verbis prævaleat : l. *Non dubium* 5, vers. *quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat ; cæteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere.* Cod. de legib. et Const. Princ. et edict. Ratio namque legis dicitur anima et spiritus, ipsius legis, verba autem dicuntur superficies ; merito itaque in cap. *Marcyon.* 64, caus. 1, qu. 1 ; « Non in verbis scripturarum, sed in sensu, Evangelium noscitur esse ; nec in superficie, sed in medulla, nec in sermonum foliis, sed in radice rationis. »

(8. Ulterius vero ratio dispositionis clare expressa idem omnino est ac ipsa mens ac voluntas disponentis : fingi enim vix potest quod quis voluerit aliquid diversum vel contrarium rationi quam expresse aperuit : mens namque volens quod rationi a se expressæ non convenit, mens est non sui compos, ostendit enim se non percepisse vim rationis qua sese motam asseruerit. Quod si certa est et clare expressa ratio dispositionis, certa pariter esse necessario debet mens et voluntas disponentis, ex hoc autem sequitur ut dubiorum verborum interpretatio desumi omnino debeat a ratione quæ fuit expressa, adeo ut iisdem affigatur unice sensus, qui expressæ rationi conveniat, in quo quidem nulla irrepere disceptatio potest, quia, posita certa ratione, apparet statim quid cum ea conveniat quidve ei opponatur : cognito vero quid rationi conveniat, cognita esse necessario debet mens et voluntas disponentis, cum ratio et voluntas unum sint, nec una possit ab altera dissentire.

(9. Indubia hæc rectæ rationis principia pluribus Romanarum legum testimoniis con-

Digitized by Google

firmantur : l. *Cum Pater* 77, § *dulcissimis* 20, ff. de Legat. 2 ; l. *Cum Labeo*, ff. de supr. leg., l. *Cum. de Lanionis* 18, § *Asinam.* 2, ff. de Fund. instr. et in instrum. *leg.* ; l. *pen.*, ff. ad exhib., l. *in ambiguis* 96, ff. de Reg. jur. ; l. 3, Cod. de const. pec. ; l. fin. Cod. *quæ res pign. obl. poss.*, cap. *Humanæ aures* 11, caus. 22, quæst. 5, § *quotiens* 18, Inst. de inut. stipul. Demum in l. *Si is qui animo*, ff. de acquir. Possessione, clare statuitur omne dictum a sua ratione dirigendum atque explicandum esse ; adeo ut, ubi militat eadem ratio, idem jus statui debeat : l. *Illud.*, ff. ad leg. Aquiliam, etc. : quod cessante ratione dispositionis, cessare quoque debeat dispositio : l. *quod dictum*, ff. de Pact. ; l. Adigere, § *quamvis* ; ff. de Jurepatr. ; denique quod, correcta ratione legis, lex ipsa correcta censeatur : l. 1, ff. de Legit. Tut. ; l. *Generali*, Cod. de Sacr. Eccles.

(10. Ex ratione dispositionis duplex emergit interpretationis species. Si enim legislator minus scripsit quam sensit, et tunc ea obtinet interpretatio quæ communiter *extensiva* appellatur : arg. l. *qui quartam* 15, ff. de legat. 1 ; l. *quoties* 9, ff. de Hæred. Instit. Aut vero plus quam sensit scripsit, et in hoc casu interpretatio *restrictiva* verborum amplitudinem restringit, atque coarctat ad mentem legislatoris.

(11. Sunt qui præter duas hasce interpretationis species, tertiam addunt nomine declarativam : Cæpoll. in tr. de interp. jur., extens. in præfat. circa fin. ; Alberic. de Rosat. in tr. Statut., par 1, qu. 9 ; in pr. Thuming., decis 26, n. 24 ; Donell., lib. 1 Comm., cap. 13, 14 et 15.

(12. Sed hanc declarativæ interpretationis speciem rejiciendam monet clarissimus Heineccius, qui quanquam suis in operibus illam aperte distinxerit a restrictiva et extensiva, in notis tamen ad Puffendorf. de Officio hominis et civis, lib. 1, cap. 16. § 10, fateri non erubuit declarativam hanc interpretationem singulares regulas non requirere ; quæ cum ita sint, cum cæteris potius videtur confundenda ; omnis siquidem interpretatio regulas necessario requirit, quarum ope mens primo intuitu paulo obscurior detegi ac percipi possit.

(13. At quidquid sit de hac declarativa, de extensiva primum, mox de restrictiva interpretatione nonnulla adjiciemus. « Nulla enim, inquit Cæpolla, pars juris utilior, nulla melior, nulla præstantior, nulla magis frequens, aut usu quotidiana, quam extensiva juris interpretatio. » In hoc autem ratiocinandi genere quam fœde erraverint veteres jurisconsulti pluribus intelligitur exemplis. Sic legimus Aristonis inductionem rejectam a Paulo, eo quod quid de stipulatione recte sentiebat, ad judicia perverse trahebat : l. *inter stipulantem* 33, § *Si Stichum* 1, ff. de Verb. Oblig. Ita Pedium ab eo reprehensum ex eadem causa in d. l. § *Sacram.* 5, ff. de Verb. Oblig. Sed hæc dissimilia sunt. Et Julianum in l. *Julianus* 20, ff. de Jur. dot., quod non esse simile accepi. Tractant tamen eam Barth. Cæpoll. in alleg. tract. de extens. jur. Interp. ; Matth. Mathesilianus in tractat. Extensionis ; Stephan ; de Phender. in tr. de jur. Interp., a pag. 11 usque ad pag. 57 ; Constant. Roger. de jur. Interp. part. v et seqq. ; Everch. in Topic. in loc. a ratione legis ampla, seu generali ad extensionem ipsius legis, cap. 79 ; Donell. lib. 1, Comm., cap. 14.

(14. Ex ratione legis itaque amplianda lex erit ea interpretatione quæ dicitur extensiva ; quod fieri debet, etiamsi taxativis verbis lex fuerit scripta. Talis enim taxatio ad dispares casus excludendos est referenda ; apposite ad hanc rem scripsit Cic. in Topic., num. 22. « Quod in re pari valet, valeat in hac quæ par est, ut quoniam usu auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, et sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus. Valeat æquitas quæ paribus in causis paria jura desiderat. » Vide Voet. in Pandect., lib. 1, tit. 3, de Legib., n. 20.

(15. Etenim « neque leges, neque senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur, sed sufficit et ea quæ plerumque accidunt contineri. Et ideo de his quæ constituuntur, aut interpretatione aut constitutione optimi Principis certius statuendum est. Nec enim possunt omnes articuli singulatim aut legibus aut senatus consultis comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest ad similia procedere atque ita jus dicere debet. Nam, ut ait Pedius, quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est cætera quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione vel certa jurisdictione suppleri : » juxta Julian. et Ulpian. in l. 10 et seq., ff. de Legib. Lex : *inquit Aristoteles*, etsi vellet, non posset omnia complecti, etc.

(16. Hujus extensivæ interpretationis exempla plura nobis suppeditant Romanæ leges. Primum habetur ex l. 2, § *si mater*, ff. ad Tertull. ; proponitur ibi matrem non petentem tutorem pro filiis excludi ab eorum intestata successione. Quærit ad hujus legis interpretationem Ulpianus, an mater excludenda quoque sit, si petito et dato tutore, sed eo postea, vel legitime impedito, vel minus idoneo detecto, neglexerit petere curatorem ; Text. in § *Interdum*, Inst. tit. de Curatoribus, et excludendam esse decisum fuit, quia ratio legis fuit unice filiis consulere, quibus consultum minime dici poterat, si petitus ac datus tutor defecisset. Hinc Ulpianus inquit : « Quid si curatores non petit ? Verba rescripti deficiunt, sed dicendum est, siquidem curatorem non petiit, eamdem esse rationem. »

(17. Et Paulus in leg. *Senatus Consultum*, ff. de Ritu nupt., referens dispositionem Senatus consulti qua cavetur, *ne tutor pupillam filio suo vel sibi nuptui collocet*, statuit legis sanctionem extendi quoque ad nepotem ex filio ipsius tutoris, etsi nil de nepote disponat. Hujusce legis extensionem Paulus repe-

Digitized by Google

tit ex intrinseca ejusdem legis ratione, quæ prohibet connubium puellæ cum filio tutoris, quia filius, qui sub patria potestate est, una eademque persona cum patre reputatur. Hoc tamen dicas de jure civili, secus vero in jure canonico, quod permittit tutorem pupillam in uxorem ducere, ut habetur ex Panormitano in cap. 2, de secund. Nupt., et ex Gothofred. in notis ad l. ex S. C., etc. Videndæ quam maxime sunt, l. 32, ff. ad l. Aquil.; l. 16, ff. de Spons.; l. *si quis tutor* 60, § *Quamvis* 5, ff. de Rit. nupt.; l. 4, ff. de Fund. dot.; l. 11, ff. de Præscript. verb.; l. 29, § *et quid si tantum* 5, ff. de Lib. et posthum., et l. *Filium habeo* 14, ff. ad S. C. Macedon.

(18. At si ratio dispositionis, cum est amplior verbis, extensivæ interpretationi locum præbet, sic ubi constet plus scriptum, et minus intellectum esse, tunc verba restringi debent : l. 5, c. de leg., *vers. quod ad omnes;* l. *Paulus respondit* 29, vers. *Sed ea*, ff. de Pign., etc.; l. *ut gradatim* 11, ff. de Mun. et hon.; l. *Promittendo* 91, de Jur. dot.; l. fin. Cod. ad S. C. Vellei.; l. 1, c. de SS. Eccles. et ibi Accurs.; l. fin. Cod. de testam. milit.; l. *Quidam* 26, c. de decurs., lib. 10.

(19. Restrictivæ interpretationis exemplum desumitur ex l. Maritima, quam refert auctor ad Herennium lib. I, cap. 11. « Qui propter tempestatem navim reliquerunt, omnia perdant, navis cæteraque sint eorum qui in navi remanserint. »

(20. Suborta tempestate perterriti, qui in navi erant, scapham conscendunt relicta navi. Unus ægrotus vi morbi detentus permansit in navi. Navi in portum incolumi delata, ægrotus sibi acquisitam navim ex memorata lege contendebat. E contra dominus rem suam persequebatur, ex quo ægrotus, ex sententia legis, navim sibi acquirere non poterat, cum in ejus potestate non fuerit vel navim relinquendi, vel in ea permanendi. Quæsitum fuit de ratione qua legislator motus illam condidit legem, eaque erat, « ut qui navis servandæ causa in navi permansisset, præmium acciperet. » Qua legislatoris posita condendæ legis ratione, decidendum fuit navim domino esse restituendam. Ægrotus enim in navi permansit, non ut navis ipsa servaretur opera sua, sed coacte remansit, quin ad eam servandam ullimode posset conferre. Ægroto itaque legis ratio convenire non potuit, ergo nec dispositio; quapropter restrictiva interpretatione in hac lege opus fuit ut navis domino adjudicaretur, et ab acquisitione navis cæterorumque quæ in ea erant, ob inutilem et coactam permanentiam repelleretur ægrotus. Alterum hujus interpretationis exemplum habes in l. *Cum pater* § *dulcissimis*, ff. de Legibus, et gloss. in l. fin., § *in computatione*, ff. de jur. Deliber.

(21. Verum hæc ad illustrationem tertiæ regulæ, quam tradit auctor art. 5, l. *quoad cessationem*, num. 27, pro interpretatione legis doctrinali recte facienda dicta sufficiant. Cæterum vero si quis plura super hac re

desineret, consulat Val. Giul. Forsten. de Jur. Interpret., lib. II, cap. 2, ex Thesaur.; Ev. Othon. tom. II, pag. 1009 et pag. 1029 et seq.

(22. Plures vero interpretationis regulæ in promptu sunt apud auctorem loco supracit. inter quas hoc unum monemus, caute saltem accipiendam regulam illam, quæ tanquam commune axioma plerumque ponitur, nimirum : *Favorabilia extendenda, odiosa restringenda.* Vid. auctor l. c. num. 37 et 38. Fundamentum hujusce regulæ ex pluribus juris Romani legibus petere arbitratur, qui talem sequitur regulam. Prima lex est *Cum quidam*, ff. de Lib. et Posthum., in qua nulla declaratur exhæredatio in parte, ex quo odiosa est, et in parte valida dicitur institutio, quia favorabilis est; idemque erui contendunt ex l. *Legatis*, l. fin. ff. de Transact.; l. *In omnibus*, ff. de Obligat., et ex l. fin. Cod. de edit. D. Adr. toll., et ex aliis, quæ referuntur a glossa in cit. l. *Cum quidam*, etc.

(23. Hujusce tamen regulæ fallaciam demonstrant ipsæ Romanæ leges, ac primo in l. *Si mater*, ff. ad Tertyll. Ibidem mater a filii successione excluditur, si tutorem filiis non expostulet. Pœna imposita matri si tutorem non petat filiis, est certe odiosa, quapropter ex communi axiomate videretur pœnalis sanctio ad eum casum tantummodo restringenda quo filiis tutorem mater non expostulet. At secus in eadem lege decidit hanc pœnalem sanctionem et ad eum casum extendendam esse quo petitus tutor idoneus, non sit, vel alio modo deficiat, nec filiis mater curatorem expostulet.

(24. Magis quoque prædictæ regulæ elucescit fallacia, si animadvertamus quam difficile sit exacte definire quid odiosum, quid favorabile sit. Eadem siquidem juris dispositio potest esse odiosa simul et favorabilis; quod enim uni accrescit alteri decrescit; quodque uni prodest alteri obest. Ut puta dos est favorabilis genero, odiosa socero, privilegium est favorabile privilegiato, odiosum concivi; legatum favorabile legatario, odiosum hæredi; vectigalia favorabilia fisco, odiosa subditis.

(25. Post hæc ad usualem legum interpretationem perveniamus; quæ usu fori recepta est, ac longæva rerum judicatarum observantia confirmata.

(26. De hujus interpretationis auctoritate agunt Romanæ leges, ac præcipue in tit. ff. de Legib., quarum potissima est lex 23, eod., etc. Vide et l. 1, § *Denique*, ff. de Aq. pluv. arcend. et confirmatur in l. 85, eod. tit., etc., et alibi, etc., cujus fundamenta tradit Wurffel in Jurispr. Defin., § 17, in l. 23, 37, et 38, ff. de Legib., et exemplum affert ex 2, f. 26, c. *Naturales*, quo naturalibus, etiamsi legitimati sint, denegatur successio in feudis; hoc tamen caput ad legitimatos a principe usus restrinxit. Cætera videbis apud auctorem l. c.

(27. Alia vide verb. *Lex*, art. 5, a num. 18 ad 21, et n. 42.

Digitized by Google

INTERSTITIA.

SUMMARIUM.

1. Interstitia quid sint. — 2. Interstitia cur constituta, et quare servanda sint. 3. Interstitia etiam pro minoribus ordinibus sunt servanda. — 4. Quodnam intervallum, seu interstitium inter unum et alterum ex minoribus ordinibus intervenire debeat. — 5. Pro suscipiendis ordinibus sacris debet intercedere intervallum seu interstitium unius anni a receptione unius usque ad receptionem alterius. — 6. Hinc a receptione postremi gradus minorum ordinum non potest quis promoveri ad subdiaconatum, nisi elapso interstitiorum anno. — 7. Item non potest quis promoveri ad diaconatum nisi post annum a susceptione subdiaconatus. — 8. Item non potest quis promoveri ad presbyteratum nisi post annum a susceptione diaconatus. — 9. Anni cursus non est necesse quod sit naturalis et solaris, sed sufficit quod sit ecclesiasticus. — 10. Episcopus dispensare potest super hujusmodi interstitia cum suis subditis. — 11. Episcopus ordinans alienos subditos cum dimissoriis non potest cum eis dispensare quoad interstitia, nisi hoc in dimissoriis expresse ei concedatur. — 12. Facultas prædicta dispensandi in interstitiis extenditur etiam ad vicarium generalem episcopi, et sede vacante transit ad capitulum seu vicarium capitularem. — 13. Episcopus tacite dispensare videtur in interstitiis, si assumat aliquem scienter intra anni curriculum ad ordines. — 14. An dispensare in interstitiis respectu regularium spectet ad episcopos vel ad prælatos regulares? ad n. 16. — 17. Ad dispensandum in interstitiis ordinum minorum sufficit quæcunque causa. — 18. Ad dispensandum in interstitio inter subdiaconatum, et diaconatum requiritur et sufficit minor causa quam in interstitio inter quatuor ordines minores et subdiaconatum, major autem causa requiritur ad dispensandum in interstitio inter diaconatum, et Presbyteratum. — 19. Quamvis tam ordinatus quam ordinans, non servatis interstitiis sine dispensatione, nullam canonicam pœnam incurrant, uterque tamen graviter peccat. — 20. 22. Additiones ex aliena manu.

(1. Interstitia nihil aliud sunt quam illud intervallum temporis quod ex Ecclesiæ constitutione interjacere debet inter susceptionem unius et alterius ordinis. *Est in re communis.* (2. Talia interstitia seu intervalla temporum sunt ab Ecclesia constituta ut nota esse posset atque perspecta vocationis clericorum veritas, morum probitas, et capacitas, seu peritia pro cujuscunque ordinis exercitio, ut habetur ex concilio Tridentino sess. 23, c. 11, de Reformatione, et ex constitutione Innocentii XII incip. *Speculatores.* (3. Interstitia temporum etiam in minoribus ordinibus sunt servanda: cap. *In singulis* 2, dist. 73, et concil. Trident. loc. cit. (4. Quodnam autem intervallum inter unum et alterum ex minoribus ordinibus intervenire debeat non reperitur expresse statutum: unde variant doctores. Quidam enim dicunt sufficere intervallum illud quod datur de uno die festo ad alium proximum, cum singulis diebus festis conferri possint. Ita Sorbus, in Compendio privilegiorum Mendicantium, verb. *Ordo*, vers. *sic bene;* Campanil. in Diversorio Juris Canonici, rub. 6, c. 3, n. 3. Et verum judicat Barbosa de Offic. et potest. Episcop., part. II, allegat. 11, n. 18. Alii autem existimant debere esse intervallum de uno ex temporibus generalium ordinationum ad aliud. Ita Ugolinus de Potest. Episcop., c. 26, § 17, n. 4; Majol. de Irreg., lib. III, c. 24, n. 16, et tutius judicat Barbosa loc. cit., n. 18.

(5. Pro suscipiendis vero ordinibus sacris habetur expresse statutum quod intercedere debeat intervallum unius anni a receptione unius usque ad receptionem alterius: sic Concil. Trident. cit. sess. 23, c. 11, 13 et 14, de Reform. (6. Hinc a receptione postremi gradus minorum ordinum non potest quis promoveri ad subdiaconatum nisi elapso anno interstitiorum, ut expresse statuit Trident. loc. cit., c. 11, ibi: « Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi aliud exposcat. » (7. Item non potest quis promoveri ad diaconatum nisi post annum a susceptione subdiaconatus, ut expresse statuit Trident. cit. sess. 23, cap. 13, ibi: « Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur. » (8. Item non potest quis promoveri ad presbyteratum nisi post annum a susceptione diaconatus, ut expresse statuit Tridentinum cit. sess. 23, cap. 14, ibi: « Et hi sint qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam, » etc. (9. Anni cursus qui inter unum et alterum ordinem debet intervenire non est necesse ut sit naturalis et solaris habens trecentos sexaginta quinque dies, sed sufficit quod sit ecclesiasticus, videlicet ab una Quadragesima ad aliam, et a Pentecoste et hujusmodi. Sic tenent, et a sacra congregat. fuisse decisum referunt Hieronymus Sorbo in Compendio privilegior. Mendicant., verb. *Ordines Sacri*, vers. *circa id*; Barbosa de Offic. et potest. Episc., part. II, allegat. 18, n. 2, et super Concil. Tridentin., sess. 23, cap. 13, num. 5; Zerola in Praxi Episcop., part. I, verb. *Ordo*, vers. *ad quartum*; Lauretus de Franchis in Controversiis inter Episcopos et Regulares, num. 264 et 265; Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 11, n. 145, ubi recte addit quod neque annus ecclesiasticus adeo necessario requiritur, quin sufficere possit annus naturalis completus, cum conc. Trid., loc. cit., non plus requirat quam annum integrum, ut revera est annus naturalis et solaris.

(10. Episcopus dispensare potest super hujusmodi interstitiis cum suis subditis: *Communis*, et habetur aperte ex concil. Trident. loc. cit., ubi id relinquit judicio episcopi, ibi: « Nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi aliud exposcat. . . . . Nisi aliud episcopo videatur. . . . . Nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur. » (11. Episcopus autem ordinans alienos subditos cum litteris dimissoriis advenientes, non potest cum istis quoad interstitia dispensare, nisi hoc in dimissoriis expresse ei concedatur. Sic respon-

Digitized by Google

sum fuisse a sac. congreg. Episcop. episcopo de Alife die 9 Augusti 1593, referunt, et tenent Piasec. in Praxi nova Episcop., part. I, cap. 1, num. 11, pag. 29, ubi dicit ita communiter servari in praxi; Barbosa de Offic. et potest. Episcop., part. II, alleg. 18, n. 9, cum plurimis aliis ibi citatis; Reiffenstuel l. c., num. 153, et alii arg. Concil. Trid., l. cit., ubi vult servari interstitia in collatione ordinum : « Nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ judicio episcopi aliud exposcat, *vel*, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur. » Cognoscere autem, et judicare de necessitate aut utilitate suæ Ecclesiæ spectat ad proprium diœcesanum episcopum, et non ad episcopum ordinatorem; cum hic, velut extraneus, nequeat eam dignoscere nec de ea judicare. Eo vel maxime quod Concil., ead. sess. 23, cap. 16, habet expresse, ut sequitur : « Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui episcopi (*pondera ly* sui Episcopi) non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis. »

(12. Facultas prædicta dispensandi in interstitiis extenditur etiam ad vicarium generalem episcopi, et sede vacante transit ad capitulum seu vicarium capitularem. Sic quoad utrumque declaravit sacr. congregat. Concil., ut referunt Lauretus de Franchis in controversiis inter episcopos et regulares, num. 256; Reiffenstuel loc. c., n. 155, et tenent Marchinus, Quaranta, Armendariz, Piasec., et alii plurimi cum Barbosa in cit. alleg. 18, n. 6, et super Trident. sess. 23, cap. 13, n. 7. (13. Episcopus tacite dispensare videtur in interstitiis, si assumat aliquem scienter intra anni curriculum ad ordines : Majol. de Irregul. lib. III, cap. 24, n. 14; Carolus de Grassis de effectibus Cleric., in prælud. n. 342; Lauretus de Franchis loc. cit., n. 260; Reiffenstuel. loc. cit., 156; Barbosa cit. alleg. 18, n. 7 et 8, et super Trid., loc. cit., num. 9, cum pluribus aliis ibi citatis.

(14. An autem dispensare in interstitiis respectu regularium spectet ad episcopos vel ad prælatos regulares, variant doctores. Plurimi enim, ut Hieronymus Sorbo, Confectius, Molfesius, Bonacina, Piasec., Riccius, Villalobos, Rodericus, Miranda, Homobonus, Portel, Marchinus, Ugolinus, Henriquez, Lezana, Genuensis, Menochius, et alii apud Barbosam cit. alleg. 18, num. 10, et super Trident., cit. cap. 13, n. 8, tenent spectare ad episcopum ordinantem, et Parasellus in suo libro Privilegiorum, sol. 225. Lauretus de Franchis l. c. n. 255; Barbosa l. cit. n. 10, et alii auctores apud Aversam referunt sacr. Congregat. censuisse expresse, ut infra, nempe : « Superiores regulares non posse dispensare super interstitiis regularium ordinandorum, sed id pertinere ad episcopum ordinantem, qui tamen, quoad causam dispensandi, judicium suum formare debet ex attestatione superiorum regularium. » Multi vero, ut Suarez, Hurtad., et alii, apud La Croix l. VI, part. II, n. 2300, et alii apud alios tenent posse superiores regulares dispensare cum suis subditis regularibus in interstitiis; tamen, ut recte dicit La Croix l. c., id tantum intelligitur ex privilegio quod creduntur communiter habere. (15. Unde ad conciliandos doctores et evitandas confusiones, dicendum est primam opinionem veram esse de illis regularibus qui post concilium Tridentinum, neque per specialem concessionem, neque per communicationem, habent apostolicum privilegium suscipiendi sacros ordines *extra tempora* tribus diebus Dominicis, aut festivis continuis, vel interpolatis, sicque non servatis interstitiis; secundam vero opinionem veram esse de illis regularibus qui post Tridentinum, sive per specialem concessionem, sive per concessam communicationem, habent supradictum apostolicum privilegium. Nam quoad hos jam ipsemet Summus Pontifex dispensavit in interstitiis, sicque non indigent ulteriori dispensatione episcopi : imo neque proprii prælati. Sic expresse Reiffenstuel l. c., n. 157; La Croix l. c., ubi, ut supra fuit notatum, dicit quod id tantum intelligitur ex privilegio quod creduntur communiter habere; Rosign. de Ordinibus Ecclesiasticis, part. I, q. 2, art. 9, n. 9; et favet Barbosa cit. alleg. 18, num. 11, ubi sic præcise dicit : « Est tamen hic valde observandum regulares ex privilegio concesso a Gregorio XIII Societati Jesu, et ex alio concesso a Clemente VIII die 28 Novemb. 1596, congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quod refert Portell. in dub. Reg., verb. *Ordines Sacri*, n. 4, posse ordinari non servatis interstitiis, etiam ad ordinem presbyteratus, etiam absque prævia functione præcedentis ordinis; imo etiam per extra tempora, quod privilegium communicatur aliis regularium ordinibus, non obstante prohibitione communicationis per eumdem Gregorium XIII. Ita Fr. Emmanuel qq. Reg., t. I, q. 23, art. 5; Hieronym. Roderic. in comp., qq. Reg., resol. 106, n. 20; Diana Resol. moral. tom. III, tract. 2, de dub. Reg., res. 112; Marchin, tr. 1, de Sacr. Ord. in Communi, part. VII, cap. 2, n. 4. Quidquid dicant Suarez et Vasquez citati supra, all. 17, n. 7. » Hactenus Barbosa.

(16. Et quod tale privilegium concessum Societati Jesu a Gregorio XIII, constitut. incip. *Pium et utile*, scilicet quod etiam extra tempora a jure statuta, tribus dominicis aut aliis festis diebus, etiam continuis, possint a quocunque catholico antistite communionem Sedis Apostolicæ habente ad sacros etiam presbyteratus, ordines promoveri, communicetur illis regularibus qui ipsius Societatis privilegia per posteriores concessiones apostolicas expresse communicant, non obstante prohibitione Gregorii XIII de tali communicatione, ultra supradictos et alios late probant Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 11, n. 51, et Rosignol. loc. cit., art. 8, num. 2, et sequent. Et ratio est quia, licet Gregorius XIII, in dicta constitutione, § 4, expresse prohibuerit tale privilegium communicari aliis etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate Jesu expresse communicant, nihilominus, cum par in parem non habeat imperium, c. *Innotuit* 20,

Digitized by Google

de election., per dictam clausulam ipse non potuit ligare manus suorum successorum, quin eamdem gratiam aliis quibusdam ordinibus concederent seu communicarent, prout de facto Clemens VIII, die 23 Novemb. 1596, concessit congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora et per quemcunque episcopum communionem Ecclesiæ catholicæ habentem, tribus Dominicis vel tribus festivis diebus continuis, vel interpolatis etiam non servatis interstitiis. Quod privilegium sese vidisse testatur Portell. in dub. Reg., verb. *Ordines Sacri*, num. 4. Et idem Clem. VIII, constit. incip. *Ratio Pastoralis*, concessit et communicavit Fratribus Minoribus omnia privilegia quomodocunque concessa et concedenda omnibus aliis ordinibus tam mendicantibus quam non mendicantibus, quod et eis concessit novissime Benedictus XIII constitut. incip. *Summe decet*, etiam expressis privilegiis Societatis Jesu, quod et concessit expresse etiam suo præclarissimo ordini Prædicatorum constitut. incip. *Pretiosus*; quod et fecit etiam variis aliis ordinibus. Et Rosignolus loc. cit., art. 8, n. 4, testatur fuisse per alios Pontifices post Gregorium XIII communicata suæ congregationi omnia privilegia Societatis Jesu, et etiam dato quod alii regulares non communicarent in tali privilegio ratione concessionis factæ a Gregorio XIII Societati Jesu, gauderent tali privilegio ratione concessionis factæ a Clemente VIII, supradictæ congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quotquot participant privilegia dictæ congregationis.

(17. Ad dispensandum in interstitiis ordinum minorum sufficit quæcunque causa : *Communis*, cum Barbosa supra Concil. Trident. sess. 23, cap. 11, n. 5, et cit. alleg. 18, n. 5; Reiffenst. loc. cit., n. 148, arg. Concil. Trident, cit., sess. 23, cap. 13, ubi videtur requiri solum prudens arbitrium episcopi, ibi : *Nisi aliud episcopo expedire magis videretur.* (18. Unde consuetudine plurimis in locis receptum est ut eodem die et sub eadem ordinatione quatuor ordines minores simul conferantur, quam consuetudinem valere declaravit sacra congregatio Concilii, ut refert et tenet Fagnanus lib. I, Decretal. in cap. *De eo* 3, de tempor. Ordinat., num. 41 et 42. Ad dispensandum in interstitio inter subdiaconatum et diaconatum requiritur et sufficit minor causa quam in interstitio inter quatuor ordines minores et subdiaconatum. Major autem causa requiritur ad dispensandum in interstitio inter diaconatum et presbyteratum : *Communis*, arg. cit. Concil. Trident. quod pro dispensando in interstitio inter subdiaconatum et diaconatum requirit solum prudens episcopi arbitrium, ut patet cit. sess. 23, c. 13, ibi : *Nisi aliud episcopo videatur.* Pro dispensando autem in interstitio inter quatuor ordines minores et subdiaconatum requirit determinate saltem disjunctive causam necessitatis, aut utilitatis Ecclesiæ, ut patet ib. c. 11, ibi : *Nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi aliud exposcat.* Pro dispensando vero in interstitio inter diaconatum et presbyteratum requirit determinate nedum disjunctivé, sed conjunctive, una simul utilitatem ac necessitatem episcopi judicio discernendam, ut patet ib. c. 14. ibi : *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur.*

(19. Quamvis tam ordinatus quam ordinans, non servatis interstitiis sine dispensatione, nullam canonicam pœnam incurrant, ut sentiunt communiter doctores cum Barbosa cit. alleg. 18, n. 14, et super Trid. cit., sess. 23, cap. 13, num. 10 et 11, et Rosignol. loc. cit., num. 14, ex quo in jure canonico nulla expresse reperiatur pœna imposita adversus ipsos, tamen uterque graviter peccat, ex eo quod uterque sit transgressor sacrorum canonum in materia gravi, cujusmodi est illa ordinum; et frustra insudassent tot concilia et Summi Pontifices unanimes in prohibenda gravibus verbis ordinatione non servatis interstitiis, si levibus de causis et tantum sub levi posset transgredi. Neque ex eo quod nulla imponatur pœna potest dici quod nulla vel saltem non gravis culpa in ejus transgressione committatur; quandoquidem plura sub gravi prohibentur, quæ tamen alicui pœnæ non subduntur, nisi æternæ, quando talis transgressio non remittitur. Sic tenent Navarrus consil. 4 et 6, de tempor. Ordinat.; Julius Cæsar Maddius de Sacris Ordin., cap. 9, num. 11; Suarez de Censuris Disp. 31, sect. 11, num. 43; Barbosa cit. alleg. 18, num. 14, cum multis ibi citatis; Rosignol. loc. cit., n. 14, et alii, ipso teste, magis communiter.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. De veteri et nova Ecclesiæ disciplina circa interstitia, vide Morin. de Sacr. Ord. part. III, cap. 3, et plur. sequent.; Van-Espen. Jur. Eccles. univ., part. I, tit. 1, cap. num. 4, et fusius part. II, tit. 9, cap. 5, per tot.

(21. Hic vero non est omittendum quod ex constitutione Benedicti XIV cui initium est *Impositi*, privilegium suscipiendi ordines a quocunque antistite extra tempora, de quo disserit Auctor n. 16, illis solummodo regularibus suffragatur quibus post concilium Tridentinum nominatim, atque recta, nequaquam vero per communicationem concessum sit; (22. et privilegium hoc non censetur concessum, nisi vel post ipsius concilii Tridentini confirmationem fuerit reipsa concessum, vel quatenus ante concessum, et postea confirmatum asseratur, hujusmodi confirmatio in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione facta dignoscatur.

INTRUSUS IN BENEFICIUM.

Vide verb. BENEFICIA, *art.* 7, *a n.* 19 *ad* 27, *et art.* 10, *a n.* 116

Digitized by Google

INVIDIA

SUMMARIUM.

1. Invidia quid sit? — 2. Invidia est genuina proles superbiæ. — 3. Invidia ex genere suo est peccatum mortale contrarium charitati. — 4. Potest autem esse peccatum veniale, vel ex defectu consensus, aut advertentiæ sufficientis, vel ex parvitate materiæ. — 5. Unde peccati invidiæ gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis, vel spiritualis, quod invidetur, et sic omnium gravissimum est invidia fraternæ charitatis. — 6. Invidia quinque speciales habet filias, quæ assignantur. — 7. Invidia est pœna continua invidi. — 8. Dantur tres aliæ tristitiæ affectiones invidiæ consimiles, scilicet Indignatio, Æmulatio, et Timor. — 9. Indignatio quid sit, et quando licita, vel illicita. — 10. Æmulatio quid sit, et quando licita. — 11. Timor quid sit, et quando licitus, vel illicitus. — 12. Invidus proprie et rigorose quis sit, et unde dictus.

(1. Invidia est inordinata tristitia de bono proximi, quatenus est propriæ gloriæ, vel excellentiæ diminutivum. *Est in re communis.* (2. Unde, ut vides, invidia est genuina proles superbiæ, cujus inordinatio consistit in hoc quod quis ita inordinate amet vel appetat sibi propriam excellentiam in bonis veris, vel fictis, ut nolit talia vel similia bona inesse proximo, et proinde, si videat ea proximo inesse, invidet, tristatur, ac veluti tangitur amarulento affectu. Hinc de invido S. Augustinus lib. XI, de Genesi ad litt., cap. 14, sic præclare scripsit : « Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquetur. »

(3. Invidia ex genere suo est peccatum mortale contrarium charitati, quia charitas gaudet de bono proximi; invidia vero tristatur de bono proximi. Peccatum autem charitati oppositum esse ex genere suo mortale docet S. Thomas 2-2, quæst. 36, art. 3, et alii passim. (4. Dicitur autem notanter *ex genere suo*, quia potest esse veniale, vel defectu consensus aut advertentiæ sufficientis, vel ex parvitate materiæ, ut contingere solet quandoque in pueris, qui de parvis et levibus aliorum puerorum bonis tristitiam capere solent.

(5. Unde peccati invidiæ gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis vel spiritualis quod invidetur. Hinc omnium gravissima est invidia fraternæ charitatis, qua quis invidet proximo bona spiritualia ac dona Spiritus Sancti, ipsamque charitatem, et gratiam Dei, virtutem, et sanctitatem, quia nimirum omnia illa propriam suam excellentiam minuere, sui vilipensionem causare, aut certe vitam et actus suos redarguere et condemnare videt et æstimat. Unde odium, detractiones, temeraria judicia, persecutiones justorum oriuntur; et ideo hæc invidia dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia qui sic invidet etiam Spiritui Sancto invidet, qui in donis suis et operibus glorificatur. Sic talis fuit invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo *I Joann.* III : *Hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.* Simili invidia tabidi clamant impii, *Sapient.* I : *Circumveniamus hominem justum, quoniam dissimilis est operibus nostris; gravis est nobis adviden-dum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.*

(6. Invidia jure optimo numeratur inter vitia capitalia, quia ex ipsa tanquam ex capite multa alia peccata originem ducunt, ut patet ex quinque filiabus quas ei assignat S. Gregorius lib. XXXI Moral., cap. 17 : Prima scilicet *odium*, quo quis mala vult illi cui bona invidet; secunda *susurratio*, qua apud alios invisum reddere molitur eum cui invidetur, adeoque amicitiam dissolvere; tertia *denigratio*, qua quis denigrat bonam famam quam proximo invidet; quarta *exsultatio* in adversis proximi; quinta *afflictio* in prosperis proximi. (7. Et hæc est pœna continua invidi, qua suo livore tabescit, ac velut serpentina morsicatione cor excedit, juxta psalm. CXI : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet; desiderium peccatorum peribit.* Unde egregie S. Bonaventura in Dieta salutis, tit. 1, cap. 4, de invido sic ait : « De bonis aliorum affligitur, de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine marcescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur, et ipse amittere se putat quod alii lucrantur; et sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita invido omnia cooperantur in malum. » Et S. Isidorus lib. II, Synonym, cap. 8, sic optime concludit : « Invidia sibi primum nocet, primum se mordet, primum auctorem suum rodit . . . . . sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis dépascit. »

(8. Tres aliæ dantur tristitiæ affectiones, quæ cum invidia similitudinem quamdam præ se ferunt, nempe *indignatio*, *æmulatio*, et *timor*, de quibus optime S. Thomas, 2-2, q. 36, art. 2, ex Aristotele 2, Rhetor., c. 9. et 10; (9. *Indignatio*, seu *nemesis* est affectio qua quis tristatur quod bona temporalia, v. g., divitiæ, dignitates, officia, beneficia, et hujusmodi obveniant impiis in via sua. Hæc affectio et tristitia est peccaminosa et mala, si tendat in talia bona quatenus absolute sunt proximi, quia ipsum proximum ex charitate debemus amare, et de ejus bonis potius gaudere quam tristari; et a fortiori est mala si tendat in talia bona quatenus ex justa Dei dispositione ob certos et semper bonos fines, etiam indignis proveniunt; sic etiam sapit blasphemiam, et est contra voluntatem Dei, cui nostra voluntas in volito formali cognito nunquam repugnare, sed semper conformari debet. Unde contra hanc tristitiam David ait Psal. XXXVI : *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.* Bona autem et licita est hæc tristitia et affectio, si tendat in talia bona quatenus humana voluntate ac potestate contra justitiam indignis obveniunt, aut prout eis indigni ad peccandum abutuntur. *Communis.*

Digitized by Google

(10. Æmulatio seu zelus est affectio qua quis tristatur de bono alterius, non quia ipsius est, sed quia simili bono ipse caret. Hæc affectio et tristitia est bona et laudabilis, sive versetur circa bona animi, v. g., merita, bona opera, virtutes, et scientias, cum talem æmulationem præcipiat Apostolus I ad Corinth. XII, dicens : *Æmulamini charismata meliora;* et S. Hieron. epist. ad Letam, de ejus filia sic scribit : « Habeat socias cum quibus discat, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur; » sive versetur circa bona temporalia æmulanti convenientia (96) : sic enim opifex videns alios suo opificio familiam suam commode alere, merito æmulatur, et dolet se non posse suo opificio ita commode alere suam; sic mercator licite quidem tristatur, quod ipse non vendat tantum quantum alter, seu ad se non accedant tot emptores quot ad alterum, quia ipse non tristatur de alterius bono, sed de suo proprio damno, seu cessatione lucri, quod alioquin juste habere posset. Illicite tamen saltem venialiter tristaretur, si doleret quod plures emptores concurrerent ad alterum, quatenus ille concursus alteri bonus est. Sic communis doctorum.

(11. Timor est affectio qua quis tristatur de bono alicujus in quantum prudenter timet ne ille ex tali bono ansam capiat nocendi sibi, aliisque innoxiis, aut reipublicæ, seu Ecclesiæ. Et hæc affectio et tristitia ex se bona est et licita, ut de se patet et clare demonstrat S. Gregorius lib. XXII Moral., cap. 6, his verbis : « Evenire plerumque solet ut, non omissa charitate, et inimici nos ruina lætificet, et rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. » Illicita autem est talis affectio et tristitia, si temere ac imprudenter sinistram talem suspicionem aut judicium de proximo quis concipiat, seu si quis doleat et tristetur de bono alterius, v. g., de officio alicui collato, in quantum prævidet ipsum esse tali officio recte usurum, et sibi aliisque male agentibus debitas pœnas esse inflicturum. *Communissima.*

(12. Ex omnibus supradictis colliges IIIum solum esse proprie et rigorose invidum qui dolet et tristatur quod alter officium, dignitatem, beneficium, hæreditatem, aliudve hujusmodi bonum temporale, et a fortiori alia bona spiritualia, ut spiritualia dona Spiritus Sancti, et hujusmodi, obtinuerit, in quantum ratione ipsorum evenit quod ille apud omnes præ se excellat, et major seu melior se ab omnibus habeatur. Invidus enim dicitur quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. Baldel. d. 29, l. 3, et alii passim.

IRA.

SUMMARIUM.

1. Ira quid sit. — 2. Ira dicitur appetitus inordinatus vindictæ, vel quasi vindictæ, quia si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum — 3. Dicitur vel quasi vindictæ, quia, dum homo irascitur in res inanimatas, non est propria vindicta, et tamen est proprie ira. — 4. Ira potest esse appetitus inordinatus, seu peccatum dupliciter, uno modo ex parte objecti appetibilis, seu vindictæ; et alio modo ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi. — 5. Ira inordinata primo modo est peccatum ex genere suo mortale. — 6. Potest tamen esse peccatum sum veniale ob imperfectionem actus. — 7. Ira inordinata secundo modo est ordinarie solum peccatum veniale. — 8. Potest tamen per accidens aliquando esse peccatum mortale. — 9. Iræ filiæ sunt sex nempe indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia. — 10. Indignatio quid sit, et quale peccatum. — 11. Tumor mentis quid sit, et quale peccatum. — 12. Clamor quid sit, et quale peccatum. — 13. Contumelia quid sit, et quale peccatum. — 14. Rixa quid importet, et quale peccatum sit. — 15. Blasphemia quando fiat, et quale peccatum sit.

(1. Ira prout est unum ex peccatis capitalibus, est inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ. *Est in re communis.* (2. Dicitur primo *inordinatus appetitus vindictæ*, quia si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum. Imo ira, si præscriptum rationis modum non excedat, nedum non est mala, sed est bona, et meritoria; quinimo, et ejus absentia potest aliquando esse peccaminosa. Unde peccant quandoque superiores et quandoque parentes defectu iræ in subditos, seu filios, sicut peccavit Heli I Reg. II, fuitque ideo justa morte punitus, quod filiis discolis eorumque vitiis non fuerit iratus. Hinc Eccl. VII, legitur : *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* : et Psal. IV, dicitur : *Irascimini, et nolite peccare.* Et de facto quod ira ordinata non sit peccatum, manifeste patet ex quo ipsemet Christus, a quo longe erat omne peccatum, circumspexit *cum ira*, ut dicitur Marc. III. (3. Dicitur secundo, *vel quasi*

(96) Auctoris assertio qua ait tristitiam bonam esse et laudabilem *si versetur circa bona temporalia æmulanti convenientia*, difficultatem aliquam pati existimarunt docti censores; et quidem jure meritoque. Nam dum tristitiæ affectus ex libera animi determinatione pendet, ut et laudabilis sit, bonum et laudabilem finem habeat oportet, atque hominem ad virtutem ineitare et perficere debet; boni enim et laudabiles affectus virtutem promovent et fovent, ac homines meliores faciunt. At dum tristitia in homine sit ob temporarium bonum alterius hominis, ubi laudabilis finis est? In eo enim actu, qui ad Deum actu aut virtute non referatur, laudabilis finis desideratur : in eo vero qui ob temporarium proximi bonum tristetur, tristitiæ finis non est Deus, hoc est deliberatus ille tristitiæ actus non refertur in Deum, nec actu, nec virtute, nec implicite, ut consideranti patet. Cum ergo illius tristitiæ finis bonum sit temporarium quod alter homo possideat quodque sibi cupiat is qui tristatur, manifestum est, aut ex superbiæ, aut ex avaritiæ fonte, aut ex prava invidia affectum illum originem trahere; quia tristatur tum homo de alterius bono, ex eo vel quod majorem aliis gloriam sibi cupiat, vel cupiat quod ditiorem aliis se esse optet, vel denique quod ipsi displiceat inesse in proximo bonum quo ipse careat. Rursus : quod charitati obest, et præcepto illi adversatur quo proximum diligere debemus sicut nosmetipsos, non bonum et laudabile,

Digitized by Google

vindictæ, quia dum homo irascitur in res inanimatas, ut dum scriptor ex cholera comminuit calamum male scribentem, pictor pinicillum male pingentem, artifex frangit aut projicit instrumentum non ita idoneum ad suum intentum, et hujusmodi, non est proprie vindicta, et tamen est proprie ira, quamvis ordinarie venialis, nisi ab extrinseco fiat mortalis.

(4. Ira potest esse *appetitus inordinatus*, seu peccatum dupliciter. Uno modo ex parte objecti appetibilis, seu vindictæ, ut si proximo appetas vindictam injustam, vel justo majorem; alio ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi, ut si nimium interius excandescas, vel exterius per signa nimis patefacias : *Communis* cum S. Thoma infra citando. (5. Ira inordinata primo modo, seu excessiva quoad inordinatum appetitum vindictæ inferendæ est peccatum ex genere suo mortale : *Communis* cum S. Thoma, 2-2, q. 158, art. 2, in corpore, ubi sic præcise habet : « Motus iræ potest esse inordinatus, et peccatum dupliciter, uno modo ex parte appetibilis, utpote cum aliquis appetit injustam vindictam, et sic genere suo ira est peccatum mortale, quia contrarium charitati et justitiæ. » Ubi, ut vides, tota ratio est quia charitati et justitiæ contrariatur. Charitati quidem, cum optemus proximo malum quod non optaremus fieri; justitiæ vero, quia, sicuti ad justitiam commutativam requiritur æqualitas inter datum et acceptum, ita ad justitiam vindicativam æqualitas inter pœnam et culpam. (6. Dicitur notanter *ex genere suo mortale*, quia potest esse peccatum veniale ob imperfectionem actus, quæ imperfectio spectatur, vel ex parte appetentis, seu voluntarii, ut eum motus iræ prævenit judicium perfectum rationis, vel ex parte objecti appetibilis, ut cum levis est vindictæ optatæ excessus. *Communis* cum S. Thoma loc. cit., ubi sic præcise subjungit : « Potest tamen contingere quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. »

(7. Ira inordinata secundo modo, seu excessiva ex parte modi irascendi est ordinarie peccatum veniale tantum, quia homo per solum emotionis excessum, nec intendit nocere, nec nocet, nisi sibi : *Communis* cum S. Th. loc. cit., ubi sic sequitur : « Alio modo potest esse motus iræ inordinatus quantum ad modum irascendi, utpote, si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ; et sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis. » (8. Dicitur notanter *ordinarie peccatum veniale tantum*, quia potest contingere quod per accidens ex nimia vehementia iræ evadat peccatum mortale ratione effectus adjuncti, quo quis paratus existat aliquid facere contra dilectionem Dei et proximi, quod sit peccatum mortale. *Communis* cum S. Th. loc. cit., ubi sic concludit : « Potest tamen contingere quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei et proximi; » et Sylvius, 2-2, quæst. 158, art. 3, conclus. 3, sic dixit : « Potest tamen esse mortale, si vehementia sit tanta, ut vel scandalum magnum infirmis præbeat, vel irascentis valetudini multum noceat, vel alioquin destruat charitatem, sive in opere externo, sive tantum in animo. »

(9. Iræ filiæ communiter a doctoribus cum S. Gregorio lib. XXXI Moral., cap. 17, assignantur sex, nempe indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia. (10. *Indignatio*, seu aversio est inordinatus affectus in proximum, ex eo quod quis reputet se, aut suos indigne, seu injuriose tractari : talis indignatio est ordinarie peccatum veniale, quamvis possit esse mortale, si crescat usque ad deliberatum odium vel gravem personæ contemptum. (11. *Tumor mentis* est quo quis morose excogitat diversas vias vindictæ, iisque cogitationibus animum tumefacit et inflat : talis tumor mentis est peccatum mortale vel veniale, juxta rationem vindictæ cogitatæ gravis vel levis. (12. *Clamor* indignationis index est, cum iratus vocem extollit multa inordinate et confuse effundens : talis clamor est ordinarie peccatum veniale, nisi addatur aliud, verb. gr., blasphemia, contumelia, et hujusmodi. (13. *Contumelia*, interni contemptus index, est dictum vel factum injuriosum quo quis proximo præsenti palam aliquod malum objicit intentione illum inhonorandi : talis contumelia est ex genere suo peccatum mortale, nisi levitas materiæ aut imperfectio actus excuset. (14. *Rixa*, per quam, in quit D. Th. loc. cit., *intelliguntur omnia nocumenta quæ facto proximis inferuntur ex ira*, adeoque pugnæ, duellum, seditio, vulnus, cædes, et hujus-

sed malum et vitiosum est. At tristitia illa qua tristatur homo ob temporarium bonum alterius hominis, charitati obest, et præcepto illi contraria est quo debemus proximum sicut nosmetipsos diligere. Nam, qui ita proximum diligit, de illius bono non tristatur, sed gaudet. Dicet vero bonam ac laudabilem esse tristitiam illam, quia ad scientiam, ad virtutem, et ad aliud bonum temporarium comparandum hominem excitat. Sed si charitati adversatur, si superbiam et alia quæ maximus vitia fovet, qua ratione bona et laudabilis esse poterit? Nunquid quia terrenos fovet affectus? At hos compescere, ac rationi subjicere, et in honestum finem dirigere, Christi theologia docet, non vero æmulatione fovere.

Multo majorem vero difficultatem patitur quod circa ejusdem numeri finem affirmat, dum ait *illicite tamen saltem veniialiter tristaretur mercator, si doleret*, etc. Nam dum mercator tristatur ob emptorum concursum ad alterum, quatenus huic ejusmodi concursus bonus esset, gravissime contra charitatem peccat, si consensus et debita advertentia adsit, quemadmodum auctor num. 3 et sequentibus probat; charitas enim gaudium excitat ob bonum proximi sicuti ob bonum nostrum. Mercator vero ille tristitiam gaudio oppositam in se excitaret atque foveret. Grave ergo invidiæ peccatum committeret.

Digitized by Google

modi, si modum non excedat, sed sistat, v. gr., in quadam levicula pugna erit solum venialis; secus autem si progrediatur ad seditiones, vulnera, cædes, et hujusmodi (97).

(15. *Blasphemia* fit cum jactamus convicia in Deum, Deiparam, aut sanctos: talis blasphemia de genere suo est peccatum mortale, nisi inadvertentia aut indeliberatio excuset.

IRREGULARITAS

ARTICULUS I.

Irregularitas quoad ea quæ concernunt ejus esse et divisionem.

SUMMARIUM.

1. Irregularitas quid sit. — 2. Irregularitas est duplex, scilicet totalis et partialis. — 3. Irregularitas totalis quæ sit. — 4. Irregularitas partialis quæ sit. — 5. Irregularitas alia est ex delicto, alia est ex defectu. — 6. Irregularitas ex defectu contrahitur sine culpa. — 7. Irregularitas ex delicto ad hoc ut contrahatur requiritur actus externus consummatus. — 8. Nulla irregularitas unquam incurritur, nisi sit in jure expressa. — 9. Hinc in dubio, sive juris, sive facti potest quis tenere quod non sit irregularis. — 10. Excepto in dubio de homicidio. — 11. Irregularitas ex delicto est multiplex, et enumerantur casus in quibus incurritur. — Primo evadunt irregulares ex delicto hæretici, et apostatæ a fide et eorum receptores, fautores, etc. — Secundo evadunt irregulares iterantes serio et scienter baptismum, et rebaptizati ministrantes; vel scienter ab hæreticis baptismum recipientes. — Tertio evadunt irregulares clerici censuras violantes. — Quarto evadunt irregulares indebite et male ordines suscipientes, et plures alii consimiles, qui assignantur. — Quinto evadunt irregulares exercentes solemniter et scienter actum ordinis sacri quem non habent, et plures alii consimiles, qui assignantur. — Sexto evadunt irregulares, ita ut nequeant ad ordines promoveri, omnes enormiter criminosi, si eorum crimina sint notoria et publica quæ habent annexam infamiam, ut sodomia, etc. — Septimo evadunt irregulares homicidæ voluntarii, quamvis occulti, mandantes, consulentes efficaciter homicidium, abortum fœtus animati, secuto effectu, procurantes, et alii consimiles, qui assignantur. — Octavo evadunt irregulares mutilantes, et ibi plura de istis. — Nono assignantur qui evadunt vel non evadunt irregulares ex homicidio patrato in sui suorumque necessariam defensionem, et assignantur inculpatæ tutelæ ad moderamen tria potissimum requisita, etc. — Decimo assignantur qui evadunt vel non evadunt irregulares ex homicidio commisso auctoritate publica et juridica, vel in bello. — 12. Irregularitates ex defectu sunt multæ, et indicantur. — Prima est ex defectu animæ, ratione cujus qui sint irregulares designantur. — Secunda ex defectu corporis, ratione cujus qui sint irregulares denotantur. — Tertia ex defectu lenitatis, ratione cujus qui sint irregulares numerantur. — Quarta ex defectu natalium, ratione cujus qui sint irregulares assignantur. — Quinta ex defectu sacramenti, ratione cujus qui sint irregulares indicantur. — Sexta ex defectu libertatis, ratione cujus qui sint irregulares denotantur. — Septima ex defectu legitimæ ætatis, ratione cujus qui sint irregulares designantur. — Octava ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia, ratione cujus qui sint irregulares assignantur. — 13. Adduntur hic varii speciales casus de irregularitate a sacr. congr. resoluti.

(1. Irregularitas est inhabilitas seu impedimentum canonicum quo quis inhabilis redditur ad primam tonsuram et ordines suscipiendos, vel ad susceptos exercendos. *Est in re communis.* (2. Irregularitas est duplex, totalis, et partialis. (3. Totalis est quæ omni ordine suscipiendo et suscepti omni exercitio privat, ut est illa proveniens ex homicidio vel bigamia. (4. Partialis est quæ privat solum aliquo ordinum exercitio, vel solo ascensu ad ordinem superiorem. Sic, v. gr., diaconus oculo sinistro carens inhabilis est ad sacerdotium; potest tamen in diaconatu ministrare; et sacerdos cui fuit præcisus pollex inhabilis redditur ad celebrandum, non autem ad confessiones excipiendas, si sit approbatus: cap. *Presbyterum*, de Clerico ægrotante.

(5. Irregularitas alia est ex delicto, et alia est ex defectu. (6. Irregularitas ex defectu contrahitur sine culpa, cum sit a jure imposita ob solam indecentiam quam aliquis defectus affert sacro altari et ministerio. (7. Irregularitas vero ex delicto ad hoc, ut contrahatur, requiritur actus externus consummatus: cap. *Si quis non iratus* 15, q. 1. (8. Et nulla irregularitas unquam incurritur, nisi sit in jure expressa, ut clare desumitur ex cap. *Is qui*, de Sent. Excom. in 6, ubi habetur: « Licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit. » (9. Hinc in dubio sive juris sive facti potest quis tenere quod non sit irregularis, cum sit melior conditio possidentis, et pro tali dubio nulla reperiatur in jure imposita irregularitas. (10. Excepto in dubio de homicidio, in quo dubitans an vere homicidium commiserit tenendus esset irregularis: c. *Ad Audientiam*, et c. *Significasti*, de Homicidio, ubi expresse statuitur quod sic dubius non debeat in sacris ministrare nec celebrare, præcisis verbis: « Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, et in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare. »

(11. Irregularitas ex delicto est multiplex, et enumerantur casus in quibus incurritur.

Primo evadunt irregulares ex delicto hæretici, et apostatæ a fide: c. *Presbyteros*, dist. 50, et cap. *Qui in aliquo*, dist. 51, et eorum receptores, et fautores, et defensores: cap. *Quicunque*, de Hæreticis in 6, et eorum filii usque ad secundam generationem ratione hæresis patris, et usque ad primam ratione hæresis matris, nisi parentes ante mortem abjurarint hæresim: c. *Statutum* 15, de Hæreticis in 6.

Abjurantes autem hæresim, sive de vehementi, sive de levi, aut publici pœnitentes utrum irregulares sint, necne, vide Maravigliam Leg. 235 et 236, *Prudentiæ episcopalis.*

Secundo, evadunt irregulares iterantes serio et scienter baptismum, et rebaptizati ministrantes: cap. *Ex litterarum*, de Apo-

(97) Non videtur duellum inter peccat venialia numerari posse. Videantur ea quæ de duello tom. II, verb. *Duellum*, exposita sunt.

Digitized by Google

statis et reiterantibus baptisma; non autem iterantes confirmationem vel ordinem, cum hoc non sit in jure expressum; adulti qui scienter sinunt se ab hæreticis extra casum necessitatis baptizari : cap. *Eos quos*, de Consecr. 4, et cap. *Afros*, dist. 98.

Porro irregularitas ex iteratione baptismi contrahitur, etiamsi baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex Catechismo Romano multo probabilius deducitur. Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut et ea affecti non tantum ad altiores ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio jam susceptorum ordinum absterrentur, quæ tanquam magis cohærens auctoritati Catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti : Benedict. XIV Instit. Ecclesiastic. 84, § 18.

Tertio, evadunt irregulares clerici censuras temere violantes, v. g., si excommunicati, interdicti, vel suspensi, ordinum munera exerceant, divinis scienter se ingerendo, scienter celebrando in loco interdicto in casibus non permissis : cap. *Si quis episcopus* 11, q. 3; c. *Is qui*, de Sent. Excom. in 6, et cap. *Is cui* 20, eod. tit. in 6.

At clerici ab exercitio sui ordinis suspensi, si ab eo se abstinuerint, esto absque prævia absolutione ad altiorem ordinem transierint, quanquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt, quæ est magis communis sententia : Bened. XIV, de Synodo Diœces., lib. XII, c. 2, n. 6.

Quarto, evadunt irregulares indebite et male ordines suscipientes, scilicet suscipiendo furtive sine episcopi ordinantis scientia et voluntate, non vocati, nec legitime examinati, nec admissi, nomen alterius approbati et admissi usurpando, vel alium in examine sub suo nomine dolose supponendo : c. *Veniens*, de eo qui furtive ordines suscepit. Aliqua censura irretiti, ordines recipiendo : c. *Cum illorum*, de Sent. Excomm. Per saltum ordines recipiendo, ut subdiaconatum, omisso ostiariatu : cap. *Sollicitudo*, dist. 52. Absque dispensatione canonica ante ætatem legitimam, vel extra tempora a jure statuta, vel absque dimissoriis litteris aliquem ex sacris ordinibus suscipientes, et durante suspensione eo ipso contracta, in iisdem ordinibus temere ministrantes : c. *Dilectus*, de Tempor. Ordinat.; Pii II constit. incip. *Cum ex Sacrorum*. Ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico denuntiato, schismatico, seu non habente jurisdictionem ordines recipientes : c. *Cum Clerici* 2, de Ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui; cap. *Statuimus*, decretum 1, q. 1; c. *Convenientibus*, vers. *Constantinus* 1, q. 7. Conjugati præsumentes suscipere sacrum ordinem, etiam nondum consummato matrimonio : Extravagant. *Antiquæ consecrationi*, De voto et voti redemptione. Suscipientes plures ordines sacros eodem die : c. *In singulis*, et cap. *Quicunque*, d. 57.

Quinto, evadunt irregulares exercentes solemniter et scienter actum ordinis sacri quem non habent, ut clerici in minoribus exercentes solemniter et scienter, et adhibitis eorum insignibus, ordines majores : cap. 1 et 2, de Clerico non ordinato ministrante. Clerici et subdiaconi solemniter baptizantes : c. 1, de Clerico non ordinato ministr. Diaconi nondum sacerdotes missam celebrantes : cap. *Ex litteris* 2, de Cleric. non ordin. ministr. Nondum sacerdotes serio et sacramentaliter alios a peccatis absolventes; ut colligitur ex c. 1 et 2, de Cleric. non ordin. ministr., cum vere exerceant actum ordinis quem non habent; non sacerdotes benedicentes sponsis, cum hoc sit proprium munus sacerdotio affixum : sicuti etiam diaconi solemniter benedicentes aquam lustralem, cum hoc munus proprie ad sacerdotem spectet per textum in cap. *Aquam*, de Consecr. dist. 3. Non episcopi confirmantes et ordines conferentes, ut de communi testatur Suarez disp. 42, sect. 4, num. 7. Imo etiam episcopi promoti per saltum, si conferant illum ordinem quem ipsi ratione saltus non receperunt, ut deducitur ex cit. c. 1, de Cleric. non ordin. ministr., cum vere exerceant ordinem quem non habent. Laici etiam exercentes actus majorum ordinum, quidquid dicant alii, evadunt irregulares, quia textus in c. 1, de Clerico non ordinato baptizante, loquitur indistincte de non ordinato per hæc præcisa verba : « Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur; æque autem non est ordinatus laicus, ac Clericus qui non est sacerdotio initiatus. Neque valet dicere quod hic textus contineatur sub titulo de Clerico non ordinato, et per hoc sit ei conformandus, et cum versemur in odiosis, quæ sunt potius restringenda, arg. c. *Odia*, de Reg. Jur. in 6; non sit extendendus ad laicos, de quibus non loquitur. Non valet, inquam, quia, ultra quam quod multi doctores dicunt titulum illum fuisse alteratum, et inter alios testatur Suarez disp. 31, sect. 4, vers. *Sed quæres*, se vidisse in codicibus Gregorianis in septem manuscriptis inscriptum præcise *de non ordinato baptizante;* et dato etiam quod in titulo revera semper fuerit supposita illa adjectio *de Clerico*, adhuc potius attendendus est textus, qui disponit, quam titulus sub quo continetur, cum ille sit dispositivus; nec mirum est quod sub aliquo titulo contineatur aliqua dispositio quæ non videatur directe sub illo titulo contineri, cum tamen habeat cum illo identitatem et similitudinem. Nec, ut prætenditur, fit aliqua odiosa extensio, cum potius, ut patet ex lectura textus, hæc sit manifesta comprehensio, cum in illo dicatur : *Si quis baptizaverit non ordinatus*; laicus enim, ut aperte patet, non est ordinatus. Sic tenens divus Anton., III part., tit. 20, in princip.; Majolus de Irregularitate; Rosignolus, Silvester, Sotus, Navarrus, Avila, Valentia, Blundus, Caspensis, Matrius, et alii cum Suarez, qui disput. 42, sect. 4, advertit hoc interesse quoad hanc irregularitatem inter clericum et laicum, quod

Digitized by Google

hæc respectu laici est totalis, ita ut nullum ordinem suscipere valeat ; respectu vero clerici et partialis, ut non possit ascendere ad ordines superiores, et manet supensus ab exsecutione ordinis præstantioris et ultimi per biennium vel triennium, ad arbitrium episcopi, ut habetur d. cap. 2, de Cler. non ordin. ministr.

Sexto, evadunt irregulares, ita ut nequeant ad ordines promoveri, omnes enormiter criminosi, si eorum crimina sint notoria et publica quæ habent annexam infamiam, ut sunt sodomia, incestus, raptus virginis, maleficium, veneficium, adulterium, simonia, sacrilegium, perjurium in judicio, crimen læsæ majestatis, et alia hujusmodi enumerata, cap. *Infames* 6, qu. 1; ubi concluditur sic : « Hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi. Notanter dicitur, ***si eorum crimina sint notoria et publica***; quia, si sint occulta, excepto homicidio, non inducunt irregularitatem : cap. *Ex tenore 4*, et cap. ultim. de Temporibus Ordinationum, ubi expresse habetur : « Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam in jam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri. »

Septimo, evadunt irregulares homicidæ voluntarii, quamvis occulti : cap. *Suscepimus*, de Homicidio; c. *De cætero*, dist. 50. Concil. Trident. sess. 14, cap. 7, de Reformat. Homicidium mandantes : cap. *Si quis vidua* 8, dist. 50, etiamsi mandantes mandatum revocaverint si revocatio non innotuit mandatario quia hic quandiu revocationem mandati ignorat, agit nomine mandantium : Pirhing de Homicidio, num. 23 ; et etiam irregularitatem incurrunt, si occasione sui mandati occidatur ipse mandatarius; quia, licet talis mors sequatur præter mandantium intentionem et directam voluntatem, tamen cogitare poterant et debebant illam accidere posse : arg. c. ultimo, de Homicid. in 6. Et eam incurrunt mandantes aliquem verberari, licet expresse inhibeant ne occidatur vel membro aliquo mutiletur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat, quia mandando in culpa fuerunt, et hoc evenire posse debuerunt cogitare : cap. *Is qui*, de Homicid. in 6. Homicidium injustum efficaciter consulentes . cap. *Si quis viduam*, dist. 50, et cap. *Sicut*, § ultimo, de Homicidio, etiamsi consulentes ante homicidium suum consilium revocaverint, quia etiam in tali casu consulentes adhuc censentur moralis causa homicidii, maxime si rationes quibus innitebatur consilium sint ita moventes et convincentes, ut revocatio concilii non amplius attendatur, ut notat Suarez disp. 44, sect. 2, num. 10 et cum aliis Pirhing lib. v Decretal., tit. 2, num. 32. Ad homicidium cooperantes : cap. *Sicut* 6. de Homicid., et l. unic. Cod. de Raptu virginis. Unde si plures communi consensu conspiraverint in mortem alicujus, et is ab uno tantum sit occisus, nec sciatur a quo sit ictus inflictus, sunt omnes irregulares : cap. *Significasti* 18, § *Quod si*, de Homicid. Si plures sine prævio deliberato animo et sine communi consensu occidendi in subita rixa eumdem aggressi fuerint, nec sciri possit a quo lethale vulnus sit inflictum, etiam tunc pro foro externo sunt omnes irregulares : cap. *Ad audientiam*, et cap. *Significasti*, de Homicidio. Si vero sciatur quis illum occiderit, tunc solum iste erit irregularis : cap. *Significasti* 18, § *Nos in præmisso*, de Homicid Obligati ex justitia impedire homicidium, et non impedientes ; quia tales moraliter censentur occidere, peccantque contra justitiam, et tenentur ad restitutionem : argum. c. *Sicut* 6, § *Illi etiam*, de Homicidio. Procurans abortum fetus animati, secuto effectu est irregularis ; cap. *Sicut ex litterarum*, de Homicidio.

Si patronus beneficii rectorem interfecerit, ejus filii et descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex capit. *In quibusdam*, de Pœnis : intellige tamen de filiis natis post homicidium, non vero ante, quæ est interpretatio ab ipsa etiam sac. congregatione admissa. Et ipse patronus ac reliqui ad patronatum vocati, ab eo jure cadunt : Bened. XIV, de Synodo Diœces., lib. XIII, c. 14, § 27.

Octavo, evadunt irregulares mutilatores; mutilare enim et occidere, quoad incurrendam irregularitatem æquiparantur, ex glossa in Clement. *Si furiosus*, de Homicid. voluntario; dummodo mutilatio inducat separationem et truncationem membri alicujus principalis habentis in corpore humano distinctum et peculiare officium, ut manus, pedis, brachii, nasi, auris, etc. : cap. *Clerici vel monachi*; cap. *In archiepiscopatu*, de Raptoribus, et c. final., dist. 55. Et ideo abscissio digiti, cartilaginis, excussio dentis, etc., non est mutilatio sufficiens ad inducendam irregularitatem : glossa citat. in Clem. *Si furiosus*, etc. Abscindens tamen digitum pollicem aut indicem debet petere dispensationem ad cautelam : sac. congregat Concil. 19 Junii 1687. Irregulares etiam evadunt mutilantes seipsos; aut mutilationem sine justa causa procurantes in quacunque parte sui corporis : cap. *Si quis asbcidit*, et cap. *Hi qui se*, dist. 55, etiamsi ex zelo indiscreto, v. gr. animo sedandi libidinem, vel existimando ea ratione se obsequium Deo præstare seipsos mutilaverint aut castrari permiserint, prout expresse habetur cit. cap. *Hi qui se*, dist. 55, et cap. *Significavit 4*, de corpore Vitiatis, etiamsi permiserint se castrari ad vocem musicam conservandam, quia vere et voluntarie ad sui membri mutilationem sine necessitate concurrunt, et nullus est dominus suorum membrorum nec in ipsorum abscissione consentire potest, nisi cum id exigit conservatio totius corporis aut membri principalis: arg. cap. *Si quis*, 3, dist. 55. Tum, quia, si voluntarie procurantes mutilationem propter castitatem servandam, vel sic Deo obsequium præstandum, fiunt irregulares ex citat. c. *Hi qui se*, dist. 55, et c. *Significavit 4*, de cor-

Digitized by Google

pore Vitiatis ; a fortiori erunt irregulares se permittentes castrari ob vocem musicam, cum hic sit finis illo valde inferior et minus excellens : sic tenent Leander, Bonacina, Diana, Matthæucci, et alii, cum Engel lib. I, tit. 20, num. 13. Mutilationem autem patientes ignoranter, ut pueri secti in infantia, *invite*, ut violenter a latronibus vel barbaris mutilati, vel ad evitandum gravius malum corporis de consilio medicorum, non fiunt irregulares, quia cessat hic ratio incurrendi irregularitatem, puta perversa voluntas et sævitia in seipsum : c. *Si quis a medicis*, dist. 55, et c. 3 et 5, de corpore Vitiatis.

Nono, assignantur qui evadunt vel non evadunt irregulares ex homicidio patrato in sui suorumque necessariam defensionem. Occidens alium ad vitæ suæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis : Clement. *Si furiosus*, de Homicidio, ubi expresse dicitur illum non incurrere irregularitatem, « qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem : » Tamen ex cap. *Significasti* 18, de Homicidio, id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. Et ad servandum hoc moderamen inculpatæ tutelæ tria potissimum requiruntur, scilicet causa, modus, et tempus. Primo requiritur causa, id est injusta invasio occasionem vel mutilationem præcedens, vel certo imminens ; quia si quis ante hanc occidit vel mutilat, jam non est sui defensio, sed aggressio, et tunc non evadit irregularitatem ; et hæc invasio præcedens, vel certo imminens debet esse injusta. Hoc pro defensione vitæ suæ non potest sine irregularitate occidere invadentes ministros justitiæ, quia isti juste invadunt, ut cum multis tenent Pirhing lib. v Decret. tit. 12, num. 92. Secundo requiritur debitus modus defensioni, offensioni, et invasioni proportionatus, et necessariam defensionem non excedens : arg. c. *Ut famæ* 35, de Sentent. Excomm., ubi expresse dicitur, « dum tamen non amplius eorum violentia se extendat quam defensio exigit. » Hinc defectu hujusmodi pro moderamine requisiti irregularitatem incurrit, qui potens baculo aggressorem repellere, pugione, ense, vel aliis armis mutilat et occidit ; qui potens se salvare fugiendo, clamando, auxilium implorando, tamen occidit ; qui potens se defendere pugnis, vel aliis instrumentis leviter ferientibus, injustum aggressorem adhuc mutilat vel occidit : *Communis*, cum Pirhing loc. cit., num. 92. Tertio requiritur tempus, ut scilicet occisio vel mutilatio ad sui defensionem statim seu incontinenti fiat, quo quis injustam aggressionem patitur seu certo imminentem cognoscit ; quia si ex intervallo, postquam aggressor jam abiit, aut nocere et aggredi destitit, cessante omni periculo, illum adhuc occidat, non amplius ex necessaria sui defensione, sed ex mera vindicta occidit adeoque irregularitatem incurrit : arg. cap. *Si vero*, de Sent. Excommun., ubi

excipitur solum *si incontinenti vim vi repellat*

Occidens aggressorem ne fugiendo ignominiosæ timiditatis notam incurrat, fit irregularis, quia nota timiditatis fugiendo non est sufficiens ad excusandum a gravi culpa virum equestrem provocatum ad duellum, si illud acceptet : ex Alex. VII, qui 24 Septemb. 1665 damnavit propositionem hanc, secundum in ordine : « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat : » ergo si hæc timiditatis nota non est sufficiens ad excusandum a gravi culpa, nec erit sufficiens ad excusandum ab irregularitate aggressum qui potest se ipsum tueri fugiendo et non occidendo aggressorem.

Occidens iniquum accusatorem, falsum testem, vel judicem sibi injustam mortem parantem, quam aliter effugere non potest, fit irregularis : colligitur ex declaratione Alex. VII, qui, anno et die quo supra, damnavit hanc propositionem, 18 in ordine : « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare : » ex quibus sequitur quod si interficeret, injuste et inique interficeret ; ex injusta autem interfectione resultat irregularitas.

Occidens calumniatorem et inhonorantem pro defensione sui honoris et famæ, licet non sit alia via eumdem defendendi, fit irregularis : sic colligitur ex declaratione Alexandri VII, qui, anno et die quo supra, damnavit hanc propositionem, 17 in ordine : « Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur ; » et ex declaratione Innocentii XI, qui die 2 Martii 1679 damnavit hanc propositionem, 30 in ordine : « Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit ; idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat : » si enim talis occisio ad evitanda multa mala in perniciem reipublicæ damnatur ut iniqua et injusta, sine ullo dubio irregularitatem inducit.

Occidens invasorem bonorum propriorum fortunæ, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, fit irregularis. Et ratio est quia, si sit irregularis occidens calumniatorem pro defensione bonorum famæ et honoris, quæ sunt bona superioris ordinis quam bona fortunæ, a fortiori fiet irregularis occidens invasorem bonorum fortunæ ; tum quia in Clementin. *Si furiosus*, liber ab irregularitate declaratur solum occidens aggressorem ob defensionem sui : et cap. *Significasti*, de Homicidio, declaratur irregularis clericus percutiens lethaliter latronem pro defensione rerum ecclesiæ ; et cap. *Suscepimus* 10, de Homicidio, declaratur irregularis occidens

Digitized by Google

latronem furantem, præcisis his verbis: « Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis tam acriter in alios exardescere, etc., constat eos contra mansuetudinem ecclesiasticam interemptos; » adeoque, etc.

Occidens aliquem propter defensionem proximi, quantumvis propinqui, ut patris, matris, filii, uxoris, fratris, etc., licet non peccet occidendo, tamen incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, quidquid sentiant aliqui in contrarium. Et ratio est quia Clement. *Si furiosus*, de Homicidio, excipit ab incursu irregularitatis solum homicidam pro necessaria defensione propriæ vitæ: dicit enim præcise *invasorem suum*; ergo non evitatur ab homicida pro defensione vitæ etiam patris et matris, licet occidendo non peccet, cum irregularitas quandoque etiam sine peccato incurratur: cap. *Dilecto* 6, § final. de Sentent. Excomm. in 6; tum quia de jure communi irregularis est omnis homicida, ut communiter colligunt doctores ex cap. *De his* 6, et capit. *Si quis viduam* 8, dist. 56; et per Clement. *Si furiosus*, de Homicidio, excipitur solum occidens pro necessaria defensione propriæ vitæ; adeoque quoad occidentem pro defensione vitæ aliorum, etiam consanguineorum, jus commune remanet in suo robore, et sic evadit irregularis, cum pro defensione ipsorum nulla fiat exceptio: sic glossa in d. Clement. verb. *Summa*; Panormitan. cum aliis in 6, cap. *Si vero* 3, num. 11, de Sent. Excommunicat.; Fagnan. ad cap. *Suscepimus*, de Homicid., num. 16; Covarruv., Panimoll., Piasec., Matthæucci, Abbas, Silvester, S. Antonin., Suarez, Navar., cardin. Innocent., Farinac., Angelus, Majol., Tabiena, Medin., Salonius, Henriquez, Philiar, et alii, cum Pignatell., qui tom. VII, consult. 20, nedum censet hanc sententiam pro communiori, sed etiam pro certa tenet.

Decimo, assignantur qui evadunt vel non evadunt irregulares ex homicidio mere casuali: dantes operam rei licitæ, et adhibita debita diligentia, ne mors aut mutilatio sequatur, non evadunt irregulares, ut vertentes diligenter infirmos in lecto, vel de lecto ad lectum transferentes, vel cibum aut medicinam porrigentes, si infirmi ex illa versione et translatione, et cibi seu medicinæ porrectione moriantur; tecta reficientes, et, post adhibitam consuetam diligentiam, tegulas vel lapides projicientes ex quibus pertransiens occiditur; ludentes pila, conis, vel aliis honestis ludis, licet aliquis eorum casualiter percutiatur vel occidatur; campanam pulsantes, licet pistillo decidente, aliquis interficiatur, et alii consimiles, non evadunt irregulares, ut colligitur ex cap. *Dilectus* 13, cap. *Significasti* 16, cap. *Exhibita* 22, et cap. *Quidam* 24, de Homicid. Dantes autem operam rei licitæ, et non adhibentes debitam diligentiam ne mors seu mutilatio sequatur, evadunt irregulares: ut lapides per aerem projicientes, et pilas niveas hiemali tempore, tegulas e tectis projicientes, arbores incidentes, muros destruentes, si ex defectu debitæ diligentiæ aliquis casu interficiatur: colligitur ex cap. *Hi qui arborem*, dist. 50, ubi præcise habetur: « Si vero aliqua culpa eorum, vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt e gradu, et in sacro ordine nullatenus suscipiendi; » et ex cap. *Presbyterum* 7, de Homicidio, in cujus summario præcisa verba reperiuntur: « Homicidium casuale imputatur ei qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam quam debuit. » Pariter irregulares fiunt magistri nimium castigantes discipulos, si inde mors aut mutilatio sequatur; quia, licet intentio corrigendi, et ipsa correctio sit opus licitum, ex quo tamen ad cavendam mutilationem seu mortem debitam diligentiam non adhibuerint, irregulares declarantur: cap. *Presbyterum* 7, de Homicidio: sicuti clericus qui gestans retro falcem, casu occidit laicum, qui causa ludi supra ipsum clericum, quasi equitaturus, incautus saltavit, et falce se interfecit, declaratus fuit irregularis, ex quo non precavit periculum mortis illius, removendo falcem a tergo, uti debebat, sciens quod ratione talis ludi alter in suum dorsum deberet insilire: sic habetur expresse cap. *Continuabatur* 8, de Homicidio.

Dantes operam rei illicitæ, etiam adhibita diligentia ne homicidium sequatur, eo secuto, evadunt irregulares: expresse habetur c. finali de Homicidio, ubi dicitur homicidium casuale non imputari ei qui dedit operam rei licitæ, et debitam adhibuit diligentiam: ex quo clare deducitur, altera istarum conditionum deficiente, irregularitatem incurri. Si enim declaratur non incurri irregularitatem ex homicidio casuali, per hoc quod dedit operam rei licitæ, et adhibuit debitam diligentiam ad ipsum evitandum a sensu contrario debet inferri quod incurratur irregularitas ex homicidio casuali per hoc quod det operam rei illicitæ, licet adhibeat debitam diligentiam ad ipsum evitandum; et hoc deducitur etiam expresse ex cap. *Suscepimus* 10, et ex cap. *De cætero* 11, de Homicidio. Tum quia debet dari aliqua differentia quo ad contrahendam irregularitatem, inter dantes operam rei licitæ et dantes operam rei illicitæ; at ex dictis et ex citatis juribus dantes operam rei licitæ contrahunt irregularitatem ex homicidio casuali, si non adhibeant debitam diligentiam: ergo ex dicendis dantes operam rei illicitæ debent contrahere irregularitatem ex homicidio casuali, etiamsi debitam adhibeant diligentiam, aliter paris essent conditionis, quod non est dicendum, cum citius contrahatur irregularitas per homicidium casuale ex illicito quam ex licito opere secutum, ex cap. *Dilectus* 13, et cap. *Joannes* 23, de Homicidio; tum etiam quia cap. *Tua nos*, de Homicidio et cap. *Sententiam* 9, *Ne Clerici vel Monachi*, declarantur irregulares clerici in sacris constituti, et monachi, exercentes medicinam vel chirurgiam, et mortem alicui casualiter inferentes, non obstante peritia et adhibita diligentia ad ipsam evitandam, præcise per hoc quod

Digitized by Google

clerici et monachi chirurgiam et medicinam exercentes extra casum necessitatis, dant operam rei illicitæ; ergo a pari omnes dantes operam rei illicitæ ex homicidio casuali contrahent irregularitatem, quamvis debitam adhibuerint diligentiam ad ipsum evitandum: sic glossa in cit. cap. *Tua nos*, de Homicidio, verb. *Congruebat*, Divus Thomas, 2-2, quæst. 64, art. 8; Scotus in dist. 25, quæst. 1, lit. E; Innocentius in cap. *Tua nos*, de Homicidio; Fagnan. in cap. *Ad audientiam*, 12, de Homicidio, num. 9; Navarrus, Layman, Faber, Blundus, Mastrius, et alii plurimi.

Ex homicidio vel mutilatione casuali irregularis evadit ebrius qui ex proposito se inebriavit, licet sciret se consuevisse in ebrietate arma sumere et homines percutere: colligitur ex cap. *Si constiterit*, de Accusationibus. Dormiens sciens se dormiendo consuevisse a lecto surgere, ensem evaginare, et ferire, si diligentiam non adhibuit claudendo ostium vel removendo arma: colligitur ex cap. *ad audientiam*, de Homicidio, et Fagnan. ibi, num. 37. Tenens animalia consueta nocere, ut ursum, leonem, etc., si ab eis quis interficiatur ex quo ipsos non custodierit debito modo ligatos: colligitur ex cap. *Hi qui arborem*, et cap. *Sæpe contingit*, dict. 50. Laicus chirurgus vel medicus, si propter suam imperitiam vel negligentiam moriatur infirmus: colligitur ex cap. *Tua nos*, de Homicidio. Et in casu dubii an ex sua negligentia, vel imperitia decesserit, habendus est ut irregularis, ita ut nequeat ad ordines promoveri: habetur expresse cap. *Ad aures*, de ætat. et qualit. Ordinandorum. Clericus in sacris, vel monachus exercens chirurgiam vel medicinam, licet sit in arte peritus et omnem adhibeat diligentiam, si aliquis ab ipsis patiatur etiam solummodo abscissionem vel combustionem: cap. *Sententiam sanguinis, ne clerici vel monachi*, l. 2, tit. 50. Nec valet dicere quod, sicut medici et chirurgi laici non evadunt irregulares abscindendo et comburendo aliquod membrum causa sanitatis, ita etiam medici et chirurgi ecclesiastici. Non valet, inquam, quia clericis in sacris et monachis facta est specialis et expressa restrictio *citra abscissionem vel combustionem*, quæ restrictio non reperitur facta laicis: nec sine ratione hæc restrictio est potius facta clericis in sacris, vel monachis; quia non congruit dignitati sacerdotali, vel eidem proxime accedenti, fœdare in humano sanguine manus illas quas sanctificat in divini sanguinis et corporis oblatione, ut colligitur ex dict. cap. *Sententiam sanguinis. Ne clerici vel monachi*, in quo fit exceptio quoad subdiaconum, diaconum, et sacerdotem. Medicus et chirurgus, sive laicus sive ecclesiasticus, præbens infirmo medicamentum quod nescit vel saltem dubitat an sit ei proficuum vel noxium, vel dubitat an ei acceleraverit mortem, debet se habere pro irregulari, ut habetur expresse in cap. *Petitio tua*, de Homicidio.

Undecimo, assignantur qui evadunt vel non evadunt irregulares ex homicidio commisso auctoritate publica et juridica, vel in bello. Omnes physice vel moraliter concurrentes ad mortem malefactorum ex defectu lenitatis evadunt irregulares; ex cap. fin. *Ne Clerici vel monachi* in 6, cap. *Si quis viduam*, et cap. *Clericus*, dist. 50, ut omnis judex, sive clericus sive laicus, qui fert vel dictat sententiam mortis aut mutilationis in reum, effectu secuto: arg. cap. 1 et sequentib. dist. 51, et cap. *Ex litteris* 10, de excessib. prælator, et cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*. Excipiuntur tamen Papa, inquisitores et judices ecclesiastici, seu prælati jurisdictionem temporalem habentes; Papa enim est incapax irregularitatis, adeo ut ab illa prius contracta fiat liber per evectionem ad papatum, uti colligitur ex cap. *Licet vitanda*, de Election.; cap. *Ubi periculum* 4, eodem in 6. Inquisitores hæreticæ pravitatis, etiamsi hæresis reos ad pœnas jure statutas, etiam mortis, condemnent, non evadunt irregulares, ex privilegio, favore fidei eis concesso per Paulum IV et Pium V. Et judices ecclesiastici, seu prælati jurisdictionem temporalem habentes, licet per seipsos sententiam mortis vel mutilationis ferre non possint, possunt tales aliis delegare jurisdictionem criminalem et causas sanguinis: ex cap. finali, *Ne clerici vel monachi*, ubi expresse habetur: « Nam, licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent et possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare. » Irregulares evadunt assessores et consiliarii qui vel judici in ferenda sententia assistunt, vel suo suffragio aut consilio juridice promovent, advocati, accusatores, testes contra reum in causa criminali pœnam sanguinis inducente: arg. cap. *Aliquantos*, dist. 51, et cap. *His a quibus* 30, caus. 23, q. 8. Notarii sententiam sanguinis scribentes, dictantes, vel subscribentes, legentes, sigillo authenticantes, publicantes; reum pro confessione torquentes sententiam exsequentes, ut carnifices, lictores, satellites, reum ad supplicium ducentes, accelerantes, effectu secuto; hi enim omnes vere propinque ad pœnam sanguinis concurrunt: colligitur ex cap. *Sententiam, Ne clerici vel monachi*, arg. cap. 1, dict. 51, cap. *His a quibus* 30, cap. *Si quis membrorum* 31, caus. 23, qu. 8.

Quamvis autem incurratur irregularitas accusando, denuntiando, vel voluntarie testificando criminaliter, et in causa sanguinis coram judice laico, non incurritur tamen accusando, seu denuntiando solum in causa civili pro proprio interesse, etiamsi crimina essent de iis quibus debetur pœna sanguinis, dummodo accusator expresse protestetur se non ad pœnam sanguinis, sed præciso ad suum justum interesse accusare; ex tali enim accusatione mors sequeretur tantum per accidens, cum protestatio expresse declaret quod per se non accusat ad mortem, sed ad refectionem damni recepti, et ad cautelam, ne iterum damnificetur, ut clare habetur ex cap. *Postulasti* 21, de Homicidio, et cap. *Prælatis* 2, eod. in 6, præcisis his verbis: « Prælatis vel clericis quibuscunque

Digitized by Google

cui de laicis malefactoribus suis querelam apud judicem sæcularem deponentes, petunt emendam sibi fieri et provideri, ne contra eos talia de cætero præsumant, protestando expresse quod ad vindictam seu ad pœnam sanguinis agere non intendant, imputari non debet, quamvis alias de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si judex mortem illis inferat justitia exigente. Nam alioquin, si prælati aut clerici propter metum hujusmodi, quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia seu occasio trucidandi eosdem et illorum bona libere deprædandi. »

Advertendum tamen est quod accusator evadit irregularitatem accusando reum cum supradicta protestatione solum in causa propria, non autem in causa aliena, cum in cit. cap. *Prælatis* 2, in 6. dicatur solum *suis malefactoribus*, ut communiter advertunt doctores. Et etiam evadet irregularitatem in causa propria, licet talis protestatio esset tantum facta externe, et protestans interne desideraret vel intenderet mortem accusati, quia, cum Ecclesia judicet tantum secundum externa, et apud judicem ficta protestatio idem valeat ac vera, irregularitatem non contrahit qui ficte protestatur; irregularitas enim non contrahitur nisi in casibus a jure expressis : c. *Is cui*, de Sent. Excomm. in 6.

Accusator etiam sine tali protestatione evadit irregularitatem, si accusat malefactorem coram judice ecclesiastico, licet de crimine pœnam sanguinis inferente, quia judex ecclesiasticus non potest procedere ad pœnam sanguinis, et per accidens est si reum deinde tradat judici sæculari puniendum : cap. final. *Ne clerici vel monachi*; si accusat malefactorem etiam coram judice laico de crimine levi quod pœnam sanguinis non mereatur, licet postea judex limites justitiæ excedens reum occidi aut mutilari imperet, quia malitia vel ignorantia judicis non debet accusatori imputari : arg. cap. *Postulasti* 21, de Homicidio; si accusat de crimine levi, et exinde judex reperiens accusatum reum aliorum gravium criminum, propter talia condemnet ad mortem, quia accusator per se nullimode intendit pœnam sanguinis, et per accidens est quod tali occasione reperiantur in accusato gravia crimina digna morte ab accusatore prius ignorata, ut advertit inter alios Anaclet. et Pirhing. l. v dec., tit. 12, n. 110; si accusat malefactorem non de crimine commisso, sed de crimine præviso committendo, sive in proprium, sive in alienum damnum redundaturo, cum alia via impediri non potest quam per accusationem et manifestationem, quia sacri canones non imponunt irregularitatem propter opus ad quod quis lege naturali et divina tenetur, uti est avertere grave malum a proximo, arg. cap. *Accusasti* 8, de Accusat., ubi expresse dicitur : *Nisi pro pace feceris :* Pirhing. loc. cit., n. 109; Anacletus, Molina, Covarruv., et alii.

Clerici et religiosi non possunt coram judice laico criminaliter in causa sanguinis esse accusatores, ex cap. *Sicut Sacerdotes* 2, q. 7; nec testes : cap. *Testimonium* 11, quæst. 1, nisi ad innocentis liberationem, de licentia suorum superiorum; nec judices: cap. *His a quibus* 23, quæst. 8; nec notarii seu scribæ, capit. *Sententiam*, *Ne clerici vel monachi*, et si hæc præstiterint, non solum irregularitatem incurrunt, sed etiam grave peccatum committunt, cum in re gravi canonum præscripta transgrediantur : arg. cap. *Postulasti* 21, de Homicidio; ad differentiam laicorum, qui hæc præstando incurrunt solum irregularitatem ex defectu lenitatis, et nullum committunt peccatum, cum nullibi ista reperiantur ipsis prohibita, sicuti expresse reperiuntur prohibita clericis et monachis in citatis juribus, et cap. final. *Ne clerici vel monachi*, et cap. *Postulasti* 21, de Homicidio, et pluribus aliis in locis.

Clerici theologi, et canonistæ, seu confessarii non incurrunt irregularitatem, si consulti in genere tantum respondeant, et explicent quid jura statuant de hujusmodi malefactoribus, nil suadendo circa reum in particulari : glossa communiter recepta, in cap. *Ex litteris* 10, de Excessibus prælat., vers. *Consuluit*. Imo confessarius non fit irregularis, etiamsi neget absolutionem judici nolenti condemnare ad mortem ex officio et secundum leges reos, modo generaliter loquatur, ut puniat secundum leges, quas ipsi potest ostendere ut videat quid juris; arg. cap. *Pessimam* 32, caus. 23, q. 8; Barbosa in cap. *Ex litteris*; Suarez, Laymann, Pirhing, loc. cit., n. 98; Reiffenstuel lib. v Decretal., tit. 12, num. 101 et 102, et alii passim.

In bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, licet pauci occidantur seu mutilentur, vel etiam unus solus occidatur vel mutiletur, evadunt irregulares omnes militantes, quamvis non omnes suis manibus occidant seu mutilent, quia omnes ad homicidium seu mutilationem cooperantur, et constituunt unam causam totalem ad eam occisionem vel mutilationem, cum omnes ad invicem se excitent ad illam : arg. cap. *Sicut dignum* 6, § fin. de Homicidio; cap. *Quod in dubiis* 5, de Pœnis, et ibi glossa vers. *incitant*.

In bello autem manifeste justo, sive offensivo, sive defensivo, evadunt irregulares solum occidentes vel mutilantes propriis manibus. Pugnantes autem et neminem occidentes nec mutilantes non fiunt irregulares, licet ab aliis multi occidantur vel mutilentur : cit. cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio, et cap. *Si quis* 4, dist. 51, et doctores communiter. Nec etiam evadunt irregulares, si aliquos ipsi vulnerent et percutiant solum, dummodo non occidant, nec mutilent : cit. cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio ubi sacerdoti pugnanti in bello præcipitur solum ob irregularitatem abstinere a celebratione in casu quo ipse propriis manibus aliquem interfecerit, non autem si neminem occidit aut mutilavit, ibi : « Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio

Digitized by Google

altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere quam temere celebrare. » Ob solam enim vulnerationem et percussionem non reperitur in jure imposita ulla irregularitas, adeoque non contrahitur, cum ista non contrahatur, nisi sit in jure expressa : cap. *Is qui* 18, de Sent. Excomm. in 6.

Clerici et laici pugnantes in bello justo, et occidentes vel mutilantes inimicos fiunt irregulares, non ex delicto, sicuti pugnantes in bello injusto, sed tantum ex defectu lenitatis, quia, sicuti qui juste contra aliquem profert sententiam sanguinis, secuto effectu, irregularitatem incurrit, arg. cap. *Aliquantos* 1, dist. 51, cap. *Sæpe* 29, et cap. *His* 30, caus. 23, quæst. 8; cap. *Ex litteris* 10, de Excessibus prælator.; cap. *Clericis* 5, et cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*, ita qui militat in bello justo incurrit irregularitatem, si aliquem occidat vel mutilet : cap. *Si quis viduam* 8, dist. 50; cap. *Aliquantos* 1, dist. 51, et cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio. Clerici tamen, si sint in sacris vel beneficiati, peccant mortaliter pugnando in tali bello aggressivo, quamvis justo, cum eis sit absolute prohibitum propriis manibus pugnare in bello offensivo, quamvis justo; cap. *Eos qui* 3, caus. 20, qu. 3. c. *Clerici* 5, et cap. *Quicunque ex clero* 6, caus. 23, q. 8, et cap. *Ex multa* 9, de voto § De Clericis. Vide verb. *Bellum*, art. 5.

Clerici sive laici pugnantes in bello justo, etiam mere defensivo contra quoscunque etiam paganos et hæreticos ob necessariam defensionem patriæ, et aliquem occidentes vel mutilantes, sicuti etiam ob necessariam defensionem parentum, filiorum, aliorumque quorumcunque conjunctorum, licet in talibus justis et necessariis casibus non peccent, fiunt tamen irregulares ex defectu lenitatis. Et ratio est quia in Clementina unic. *Si furiosus*, de homicidio irregularitatis incursus evitatur a solo homicida qui necessario tuetur vitam propriam : ergo non evitatur ab homicida qui alienam vitam, etiam patris et matris, aliorumque conjunctorum, et patriam, defendit, licet non peccet : ex cap. *Dilecto* 5, § fin. de Sentent. Excomm. in 6. Nam de jure communi irregularis est quilibet homicida : cap. *Si quis viduam* 8, dist. 50, et doctores communiter. Hodie autem limitatur jus per dictam Clementinam, et in limitatione solum fit mentio de necessario defendente vitam propriam, ibi : « Et idem de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem; » ergo secus in aliis casibus : arg. cap. *Nonne*, de Præsumptione, ut optime Marian. Socin. in cap. *Ad audientiam* 12, de Homicidio, n. 187, et Fagnan. in cap. *Suscepimus* 10. de Homicid., et expresse glossa in d. Clement. verb. *Suum*, quam sequuntur Lap. et Paul., item card. Imola, et Abbas in c. 2, de Vita et Honest. Clericor.; et hanc gloss. dicit communiter receptam Navarr. in Manual., cap. 27, n. 213. Tum quia de pugnantibus etiam in bello justo ad necessariam defensionem patriæ

nabetur expresse in cap. *Petitio tua* 24, de Homicidio, ubi Honorius III sic præcise respondit Pelagio presbytero : « Petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum inimici Dominicæ crucis, ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam in quo morabaris graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus tam clericis quam laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quamplurimi exstiterunt. Unde cum pro eo quod aliquos percussisti irregularitatem metuas incurrisse, mandamus quatenus, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere quam temere celebrare; » ibi glossa, et Barbosa, n. 1; Fagnan. n. 11 et 14, et per tot., et alii canonistæ, Bonacina de Censuris, disp. 7, punct. 4; Petra in Constitut. unic. Gregorii VIII, sect. 1, num. 7, et Rota part. 15, recentior., num. 5; et consonat cap. *De his* 36, dist. 50. Et de facto fuit a Sanctissimo concessa facultas nuntio Portugalliæ ut dispensaret cum ecclesiasticis, qui in casu inevitabilis necessitatis infideles seu hæreticos defendendo patriam, occiderunt vel mutilarunt, ut refert Fagn. in cit. cap. *Petitio*, num. 15, ubi advertendo verba *inevitabilis necessitatis* elicit non esse facile dispensandum, si poterat a laicis patria defendi. Et ratio est quia hoc impedimentum irregularitatis inolevit, ut eruantur a ministerio divino ii qui sanguinem humanum profundunt, juxta id quod dixit Dominus Davidi lib. I Paralipomen. XXII, n. 8 : *Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo;* et ibidem cap. XVIII, num. 3 : *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis.* Ecclesia namque et sui ministri imitari debent lenitatem et mansuetudinem Christi Domini : cap. *Pœna* 2, et cap. *Unum solum* 3 : caus. 23, q. 5. Præpositus in cap. *Miror*, dist. 50; div. Thomas, 2-2, q. 40, art. 2, ad secundum. Ex solo itaque facto alioquin meritorio potest quis irregularitatem incurrere, ut deferentibus ligna pro comburendo hæretico, ut acquirat indulgentias : Speculator tit. de Dispensat. § *Juxta*, vers. *Quid de his;* Joann. Andr. in cap. *Sicut dignum*, de Homicidio; Soccin. in cap. *Ad audientiam* n. 279, de Homic. Et sic etiam judices, qui administrant justitiam, licet objectum tam bonum intendant et mereantur, tamen fiunt irregulares, si sententiam mortis proferant contra reos : arg. cap. *Aliquantos* 1, dist. 51; cap. *Sæpe* 29, et cap. *His* 30, caus. 23, quæst. 8; cap. *Ex litteris* 10, de Excessibus Prælator.; cap. *Clericis* 5, et cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*. Et per hoc hanc sententiam tenent ultra jam. cit. doctor. Farinac., Angelus, Panormitan., Innocent., divus Antonin., Navarr., Majol., Tabiena, Medin., Saler., Henriquez, Philiarch., Medices, et alii, cum Pignat. tom. VII, consul. 20, n. 4 et 5, qui istam sententiam, nedum communiorem, sed etiam certam censet.

Digitized by Google

Clerici cum legitima sui superioris facultate bello justo interessentes, tanquam capellani, ut militibus sacramenta ministrent, eisque in morte assistant, non peccant: cap. *Ex multa*, § de Clericis. Imo neque ipsi, neque alii clerici irregularitatem incurrunt, si in tali bello justo milites adhortentur ad strenue pugnandum, ut colligitur ex cap. *Petitio tua*, de Homicidio, et cap. *Hortatu* 33, quæst. 8. In bello autem manifeste injusto clerici exhortantes milites ad pugnandum, evadunt irregulares: cap. *Sicut* 6, § fin. de Homicidio, et cap. *Quod in dubiis* 5, de Pœnis.

Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio et pensione, ut ex decis. Rotæ Rom., Bened. XIV, Institut. Eccles. 101, § 18.

Quoad hanc irregularitatem, præter hucusque tradita hæc accipe. Clericus in sacris constitutus militans, et arma ferens in servitium alicujus laici principis, si expeditionibus bellicis interfuerit in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilius est incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit se neminem mutilasse vel occidisse, ut ex decreto sacr. congreg. in Ipren. irregularitatis erui posse videtur: cit. Inst. 101, § 19.

Idem forte affirmari potest de clerico in minoribus beneficiato, cum ea quæ vetantur ordinatis in sacris etiam beneficiatos clericos comprehendant: ibid., § 23.

Clerici in minoribus si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint vel mutilaverint, si tamen ala in qua militant homicidia commiserit seu mutilaverit, inducit in eos clericos irregularitatem; etenim in eo casu clericus facit unum corpus cum sociis, et ulterius dat operam rei illicitæ: ibid., § 8.

Porro si ille militaverit sub suo principe, nec certo sciverit bellum esse injustum, non tenetur per se indagare num justum sit, nec ne, sed poterit credere bellum esse justum. Idem probabiliter dici potest de clerico militante sub alieno principe, quia impossibile esset illi indagare num sit bellum istud justum injustumve: ibid., § 17.

Si vero bellum esset justum, clericus militans, si certus sit moraliter se neminem occidisse vel mutilasse, etiamsi hoc actum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex cap. *Petitio*, de Homicid. volunt.: ibid., § 10.

Demum si bellum sit justum et defensivum, si clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem etiamsi occiderit: ibid., § 9.

12. Irregularitates ex defectu sunt multæ, et assignantur.

Prima est ex defectu animæ, ratione cujus irregulares sunt amentes, lunatici, et furiosi, licet habeant aliquod lucidum intervallum: c. *Maritum* 2, et cap. *Communiter* 3, dist. 33; epileptici, seu laborantes morbo caduco: d. cap. *Maritum*, dist. 33; dæmoniaci seu obsessi a dæmone: cap. *Clerici* 3, dist. 33. Omnes tamen isti, si a sua respectiva ægritudine epilepsiæ, amentiæ, et dæmonis vexatione liberati fuerint, possunt susceptos ordines exercere, si constet eos per integrum annum ab ultimo lapsu non amplius fuisse correptos, ut expresse habetur c. *Communiter* 3. dist. 33, præcisis his verbis: « Ut nullus de iis qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis cui corporis incommoditatibus dediti sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen et isti tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incursu dæmonum liberati. » Imo amentes, seu furiosi constantia lucis intervalla habentes, et epileptici, seu morbo caduco laborantes, quamvis nondum perfecte sanati, si raro cadant aut deficiant, possunt privatim celebrare cum assistentia unius sacerdotis jejuni, qui missam prosequi posset si alter deficeret, ut colligitur ex cap. *Illud* 15, et cap. *Nihil* 16, caus. 17, q. 1; et tenent Layman lib. 1 Theolog. Moral., tract. 5, cap. 5, par. VII, n. 2, cum aliis ibi citatis; Reiffenst. lib. 1 Decretal., tit. 20, n. 19; La Croix lib. VII, n. 495; Pirhing lib. 1 Decretal., tit. 20, n. 14. et alii.

Ex defectu animæ irregulares sunt etiam illitterati: cap. *Illitteratos*, dist. 36, ubi glossa notat sufficere scientiam mediocrem, Tridentinum autem sess. 23, de Reformat., cap. 4, præscribit ut tonsurandus sciat rudimenta fidei, et legere, et scribere: Promovendus ad minores sciat saltem linguam latinam sic ut latinas sententias in patrium sermonem vertere sciat; ibi cap. 21: Promovendus ad subdiaconatum et diaconatum sit instructus litteris et iis quæ ad exercendos tales ordines pertinent; ibi cap. 13: Promovendus ad presbyteratum habeat scientiam talem, ut possit populum docere quæ necessaria sunt ad salutem, et idoneus sit ad sacramenta debito modo ministranda: ibi cap. 14: Et promovendus ad episcopatum tali sit instructus scientia et doctrina, ut muneris sibi injungendi necessitati possit omnimode satisfacere; et per hoc vult quod sit in universitate studiorum magister, seu doctor, aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico sess. 22, de Reform., cap. 2. *Qui enim ad episcopatus promovendus est gradum*, ex c. *Omnes psallentes*, dist. 38, tali scientia debet esse ornatus, ut *in promptu habeat legere scrutabiliter, et non transitorie tam sacros canones et sacrum Evangelium quam omnem divinam Scripturam*. Irregulares etiam sunt ex defectu animæ omnes neophyti, scilicet primo, qui nuper existentes in adulta ætate a paganismo, judaismo, et atheismo convertentur ad fidem catholicam: ex cap. *Sicut Neophytus*, dist. 48, et cap. *Neophyti*, de Consecrat., dist. 5, ne in superbiam elati, ut dicit Apostolus

Digitized by Google

I ad Timoth. III, in laqueum incidant diaboli, et ne fiant magistri, qui nondum didicere esse discipuli, ut habetur in cap. *Miserum*, dist. 61, et in c. 1, dist. 48. Secundo, qui cum diu fuerint sæcularibus curis addicti, recenter a sæculari vita promoti ad ecclesiasticam, statim sine mora contendunt ad sacros ordines, et dignitates ecclesiasticas promoveri, isti enim sunt vere irregulares, nec possunt ad ordines et dignitates sic promoveri: ex cap. *Sicut Neophytus*, dist. 48; ex cap. *Qui Ecclesiasticus*, dist. 59; ex cap. *Hoc ad nos*, dist. 60; et ex cap. *Sacerdotali*, dist. 61. Tertio, qui a sæculo recenter conversi sunt ad religionem aliquam, et nondum anno probationis elapso contendunt ad ordines et dignitates promoveri, isti etiam sunt vere pro tali tempore irregulares quoad ordines suscipiendos et dignitates in religione acquirendas, ut expresse habetur in cap. *Monasteriis* 19, quæst. 3.

Secunda ex defectu corporis, ratione cujus irregulares sunt omnes qui ita sunt corpore vitiati, ut absolute non possint peragere ordinis ministeria, vel si aliqualiter possunt, non sine aliorum horrore, ut colligitur, ex cap. *Illitteratos*, ibi: *Aut aliqua parte corporis vitiatus, vel imminutus*, dist. 36: ex c. *Presbyterum*, et ex cap. *Tua nos*, de Clerico ægrotante. Sic irregularis est qui fuit aliqua manu mutilatus: c. *Exposuisti* 6, de corpore vitiatis. Presbyter cui medietas palmæ cum duobus digitis fuit abscissa missam celebrare non permittitur, quia « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri potest, » ut expresse cavetur cap. *Presbyterum*, de Clerico ægrotante. Sic deformiter gibbosus: cap. *Hinc etenim*, vers. *Gibbosus*, dist. 49. Claudus nequiens sine pede ligneo vel sine baculo incedere: cap. *Nullus episcopus*, de Consecrat., dist. 1. Oculo orbatus, seu cui oculus erutus est, si absque notabili deformitate canonem legere nequeat: cap. *Si Evangelica* 13, dist. 55, et omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum: cit. cap. *Si Evangelica*, et tot. tit. de Corpore vitiat. Si autem quis aliquem defectum corporalem habeat qui neque notabilem deformitatem contineat, ita ut scandalum in celebratione non causet neque exercitium celebrationis impediat, talis non est irregularis. Unde si reipsa alicui erutus esset unus oculus, et alius, v. g., vitreus ita artificiose esset compositus ut vix adverti posset, docet Sylvius part. I, verb. *Irregularitas*, cas. 1, talem non fore irregularem, quia, quando in jure dicitur quod qui amisit oculum sit irregularis, causa est uti communiter explicant Doctores, quia in hoc est deformitas; ergo si nulla adsit deformitas, non sequeretur inde irregularitas. Sic La Croix lib. VII, numer. 500, et cum aliis Layman lib. I, tract. 5, part. V, cap. 7, in cujus summario num. 2, sic præcise dicit: « Unius oculi etiam sinistri privatio sine notabili deformitate irregularem non efficit. » Sic qui caret visiva virtute

in oculo sinistro, sive canonis, et tanta pollet virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere canonem, non est irregularis, et ut commodius possit legere, potest Missale tanto magis ad medium altaris attrahere et sibi approximare: Barbosa de Offic. et Potest. episcop., part. II, allegat. 42, num. 31; Layman loc. cit., num. 2; Pirhing lib. I Decretal., tit. 20, num. 6; Diana part. IV, tract. 2, resolut. 73, et Dicastill. d. 8, num. 173; Navarr. in Manual. cap. 27, num. 199: La Croix loc. cit., cum Molina, Avila, Sa, Suarez, Vasquez, Valentia, Henriquez, Sayr, ab ipso citatis, Bonacina, Filliuc., et alii a Barbosa ubi supra adducti, et plurimis adductis, tenet novissime Pontas in suo Dictionario, tom. II, verb. *Irregularitas*, cas. 12.

Advertendum tamen est quod si defectus corporis absque propria culpa superveniat post susceptos jam ordines, tunc ordinatus non redditur ex toto irregularis, sed solum quoad illum actum ordinis quem ob talem corporis defectum, vel nullo modo, vel saltem non sine aliqua notabili deformitate exercere potest: ex cap. 2, de Clerico ægrotante. Si autem talis corporis defectus jam reperiatur in laico antequam sit promotus, licet sit duntaxat celebrationem impediens, ut defectus pollicis seu indicis, sacræ hostiæ fractionem impediens, non potest absque dispensatione promoveri ad ordines, etiam minores: ex cap. *Non confidat*, distinct. 50.

Tertia ex defectu lenitatis, ratione cujus sunt irregulares omnes qui directe concurrunt ad mortem aut mutilationem, etiam justam affectu secuto, ut judices sententiam mortis vel mutilationis pronuntiantes, accusatores sine protestatione, testes ultronei et voluntarii, notarii sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes; assessores, consultores, advocati, et omnes ministri justitiæ sententiam exsequentes: ex cap. *Aliquantos*, dist. 51, et cap. *Si quis viduam*, dist. 50. Licet enim omnes supradicti nullum committant delictum, cum tamen non perfecte imitentur lenitatem et mansuetudinem Christi, qui noluit pronuntiare dignam morte mulierem in adulterio deprehensam, et pro perfidis Judæis Patrem oravit, ideo merito ab Ecclesia inhabiles declarantur ut in altari immaculatam et incruentam hostiam Deo offerant, et Christi mansuetissimi personam repræsentent, eo vel maxime quod etiam in lege veteri noluit Deus sibi ædificari templum a rege Davide eo quod multum sanguinem fudisset, non obstante quod id factum fuerit in bello justo, et David fuerit sanctissimus. *Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo.* (I Paralipomenon, XXII) — Sed voluit sibi ædificari illud a Salomone, viro quietissimo et mansuetissimo: *Filius qui nascetur, tibi erit vir quietissimus.... ipse ædificabit domum nomini meo*, ibid., n. 9 et 10.

Quarta ex defectu natalium, ratione cujus irregulares sunt omnes illegitimi, ut filii

Digitized by Google

naturales, id est nati ex soluto et concubina; manzeres, id est nati ex meretrice; nothi, id est nati ex conjugato et soluta, et spurii id est nati ex copula a jure civili damnata, ut ex incestu, stupro, raptu et sacrilegio : cap. *Per venerabilem*, qui filii sint legitimi; cap. 1, et Final. de filiis presbyterorum; cap. *Innotuit*, de Election. et ex concil. Trident. sess. 22, de Reform., cap. 2, sess. 23, c. 5. Illegitimi tamen qui per subsequens matrimonium legitimantur, non sunt irregulares : arg. cap. *Conquestus*, et cap. *Tanta*. Qui filii sint legitimi, quia subsequens matrimonium fictione juris retrotrahitur ad tempus conceptionis : l. *Divi Constantini* 5, l. *Cum quis* 10 l. *Nuper* 11. Cod. de Naturalibus Liberis. Sicuti etiam non sunt irregulares aliquam religionem intrantes, tunc enim illegitimi possunt ad sacros ordines promoveri, licet non possint ad prælaturas, ut expresse habetur cap. 1, de Filiis presbyterorum, his verbis; « Filii presbyterorum, ut cæteri ex fornicatione nati, ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes, prælationem vero nullatenus habeant. » Filii expositi reputantur pro illegitimis; in jure enim reputantur illegitimi qui nequeunt parentes suos ostendere, per textum in cap. 1, de Infantibus expositis.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus et beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero Romanus Pontifex in aliis omnibus, ut ex cap. *Is qui*, de Filiis presbyt. in 6. Bened. XIV, de Synodo Diœces. lib. 13, c. 24, § 11. Hinc ad rem notanda sequentia.

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia et pensiones in ecclesiis in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum quæ ab eorum parentibus possessa sunt : ex Tridentino sess. 25, cap. 15, de Reform. Sicut et nullæ sunt reciprocæ resignationes a parentibus clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur : De Synodo, etc., ibid., § 13. Quia nec filius illegitimus parochi jam defuncti munus confessarii obire potest in ea ecclesia quam pater parochus obtinuit, ut ex verbis congregationis vetantis ne filii in ea ecclesia *quoquo modo ministrent*, et ex responso sac. congr. habetur, ib., § 14.

Vicissim autem si pater in aliqua ecclesia munus gessit capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim hoc est beneficium, sed pensio, ut ex responsione sac. congr., ibidem.

Si vere pater dignitatem in ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps emolumentorum quæ sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex respons. sac. cong. : ibid.

Quinta ex defectu sacramenti, scilicet matrimonii : matrimonium enim consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli ad Ephes. cap. v : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Hæc autem significatio deficit in bigamis, id est in iis qui contrahunt et consummant matrimonium cum pluribus uxoribus, aut cum una vidua, vel corrupta, quia non fit conjunctio unius cum una, eaque virgine, sicut Filius Dei copulavit sibi unicam et immaculatam sponsam Ecclesiam, ab alio non assumptam, ideoque irregularitatem incurrunt omnes Bigami : cap. *Ut Bigami*, cap. *Super eo*, de Bigamis; sive sint bigami bigamiæ veræ, id est qui contrahunt et consummant matrimonium cum pluribus uxoribus : cap. *Debitum*, de Bigamis non ordinandis, et cap. ult. dist. 34; sive sint bigami bigamiæ interpretativæ, id est qui contrahunt et consummant cum vidua, vel cum corrupta ab alio; isti enim censentur quadam juris interpretatione habuisse duas uxores, licet vere illas non habuerint : cap. *Maritum*, dist. 33, cap. *Si cujus*, et cap. *Si Laici*, dist. 34; sive sint bigami bigamiæ similitudinariæ, id est, qui post votum solemne castitatis emissum in religione approbata, vel post receptionem sacrorum ordinum matrimonium quamvis invalidum contrahunt et consummant : isti enim sunt aliquo modo similes contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post matrimonium spirituale cum Christo contractum, ab eo recedentes attentant matrimonium carnale contrahere et consummare, adeoque bigamiam similitudinariam dicuntur incurrere : cap. *Nuper a nobis* 5, c. *Quosquos*, cap. *Monacho* 27, qu. 1, et cap. ultim. de Bigamis non ordinandis.

Hanc autem irregularitatem non incurrit qui prius cum pluribus fornicatus est, et postea virginem ducit, quia hic non intervenit defectus sacramenti, cum nullum cum illis liberis præcesserit matrimonium significans conjunctionem Christi cum Ecclesia : cap. *Quia circa*, de Bigamis non ordinandis. Nec eam incurrit qui contrahit cum vidua in articulo mortis constituta ad ejus honorem tuendum, cum qua antea rem habuerat, si matrimonio non consummato vidua decesserit, ut declaravit sac. congregatio Concilii in una Burgen. bigamiæ remissa ad Pœnitentiariam 17 Julii 1688. Nec qui ducit feminam prius a se solo corruptam, quia talis non divisit carnem suam in plures, sed adhuc est unicus unicæ sponsus, sicque non patitur defectum Sacramenti : glossa in cap. *Sane* 1, de Clerico conjug., et in cap. *Debitum*, de Bigamis, vers. *Cognita*; S. Th. in 4, dist. 27, qu. 1, art. 1 : Abbas de Bigamis, num. 2, et communiter alii plurimi cum Barbosa p. 2, de Offic. et Potest. Episcop., allegat. 49, num. 7.

Sexta ex defectu libertatis, ratione cujus irregulares sunt servi proprie dicti seu

Digitized by Google

mancipia : cap. *Nullus* 1, cap. *Nulli* 2, cap. de servorum Ordinatione 6, dist. 54, et cap. *Consuluit*, de Servis non ordinandis. Servi ascriptitii, atque originarii ex istis qui certe glebæ seu prædio colendo sunt perpetuo obligati, atque adeo sine consensu dominorum ordinari non possunt : cap. *Generalis*, et cap. *Admittuntur*, dist. 44. Famuli autem illi qui pro annua mercede dominis suis inserviunt, in sensu juris non sunt irregulares, cum non censeantur proprie servi, sed potius habeantur quo ad hoc pro vere liberis. Sunt etiam irregulares obligati ad ratiocinia, ut qui generalem aliquam rerum sæcularium administrationem habent vel habuerunt, et exinde principalibus suis ad reddendas rationes sunt obstricti, ut sunt procuratores, rectores, tutores, syndici, officiales, fiscales, curiales publici, et hujusmodi, isti enim ordinari non possunt nisi deposito onere, seu relicto officio, atque reddita ratione : cap. *Curiales*, dist. 53; cap. *Unico*, de Obligatis ad ratiocinia, ubi expresse prohibitionis ratio adducitur his verbis : « Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamabitur. »

Quia tamen clerici possunt esse tutores et curatores suorum Agnatorum : ex cap. *Pervenit*, dist. 86, et etiam administratores rerum ecclesiarum, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum quæ potissimum ind gent ecclesiastico adjutorio, ex cit. cap. *Pervenit*, et cap. 1, caus. 21, quæst. 3, ideo etiam talia munia et officia gerentes, et in his adhuc perseverantes, possunt ad ordines promoveri, ut notat glossa in cap. *Unico*, de obligatis ad ratiocinia.

Septima ex defectu legitimæ ætatis, ratione cujus irregulares sunt omnes qui nondum habent legitimam ætatem ad susceptionem ordinum requisitam ; quæ ætas pro receptione cujusque ordinis est novissime, et clare statuta a concilio Trident. sess. 23, de Reformat., cap. 11 et 12. Et hæc irregularitas durat solum quandiu durat talis defectus legitimæ ætatis ; completa autem requisita ætate, absque alia dispensatione cessat : arg. cap. ult., de temporib. ordination.

Octava ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia; et hæc irregularitas duplici modo contrahitur, scilicet ex infamia cum propria culpa, et ex infamia sine culpa. Irregularitas quæ contrahitur ex infamia cum propria culpa est illa quæ oritur ex delicto enormi et notorio : cap. *Infames* 6, quæst. 1; et de ista satis fuit dictum de irregularitatibus ex delicto n. 6. Irregularitas ex infamia sine culpa, de qua est sermo in præsenti, est quæ contrahitur ex exercitio artium vel officiorum ex jure infamium, vel alio modo sine culpa, ut sunt histriones, mimi, comœdi, filii publicæ meretricis, quamvis conjugatæ, et omnes in scena ludentes, per textum in l. 1 et 2, § ultim., ff. de His qui notantur infamia; aleatores publici, et pro ludo mutuantes, per textum in cap. *Inter dilectos*, de Excessibus Prælat.; aurigæ, gladiatores, cursores, citharœdi, lyristæ, saltatores, caupones, per ea quæ tradit Clemens V, 1, de Vita et Honest. cler., macellarii, satellites, cloacas emundantes; pelles expurgantes, ut habetur in cit. Clement. 1, de Vita et Honestate clericor., et ibi glossa, omnes istas artes expresse enumerans. Quamvis autem ignominiosas et viles has artes exercentes reputentur infames, ideoque reddantur irregulares, non tamen sunt infames, et irregulares eorum filii, ut habetur ex Anthero Papa in epistola ad episcopos Bœticos præcisis his verbis : « In episcoporum negotio prosapiam non agnosco ; apostolicus ordo hoc probat, et tot pontificum et episcoporum numerus, qui, vilibus parentibus nati dignissime sacerdotio functi sunt. »

(13. Ad uberiorem supradictorum notitiam adduntur hic varii speciales casus a sacris congregationibus resoluti.

(14. Occidens aliquem ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis : Clement. unic. *Si furiosus*, de Homicidio; sacr. congr. Conc. in Aquilana 25 Febr. 1715; apud Ursayam, tom. I, part. II, discept. 6, n. 20, et sæpius alibi, ut refert Pignatell. tom. VII, consult. 20, n. 3 et seq., et consult. 80, per tot. (15. Si autem talis occidens excesserit moderamen inculpatæ tutelæ; Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. III, num. 25, cum pluribus ibi allegatis; Passerin. de Election., cap. 27, num. 29; Ursaya, tom. III, part. II, discept. 7, num. 12 et 13, et alii, dicunt quod evadit quidem irregularis, sed dispensari potest ab episcopo, et non indiget dispensatione Papæ. Et in tali casu declarare an occidens seu mutilans sic defendendo vitam propriam indigeat dispensatione, potest episcopus, ut sæpius declaravit S. congreg. Episcop., præsertim in Lucerina 1580, in Schenicensi 1587, et in Januensi 23 Maii 1589, apud Pignatell. tom. VII, consult. 80. At consultius videtur petenda in tali casu dispensatio a sacr. congr. Concilii, quam de facili solet concedere, uti concessit in Triventina Irregularitatis, 11 Decembr. 1694; in Nuscana Irregularitatis, 11 April. 1710, et sæpius alibi. Non sic autem de facili solet dispensationem concedere quando quis voluntarie alium in rixa occidit, ut ipsam denegavit in Panormitana Irregularitatis, 26 April. 1698; in Veliterna Irregularitatis, 28 Jun. 1704, et sæpe alibi.

(16. Condemnatus ad triremes, licet non remigaverit, quando delictum propter quod damnatus fuit infamiam irrogat, remanet irregularis : sacr. congr. Episc. in Mantuana, 20 Decemb. 1619; apud Monacell. tom. II, tit. 13, form. 3, n. 39, et sacr. congr. Concil. in Panormitana, 3 Aug. 1715; apud eumd. Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. III, n. 140, et apud Ursayam tom. II, part. II, discept. 22, n. 30, et Inst. Crim., lib. IV, t. V, n. 150, ubi citat idem decretum in Panormitana, sed sub dat. 4 Febr. 1702, et in Romana, seu Lavellen., 6 Jul.; apud Ursayam in Miscellaneo 2, litt. T, n. 45. (17. An autem etiam remaneat irregularis quando delictum ob quod damnatus fuit infamiam de jure non irrogat, et ipse non remigavit, Ursaya loc.

Digitized by Google

cit., n. 150, cum Raynaldo, et Monacell., ibi allegatis, videtur inclinare in negativam opinionem, in quam dicit videri inclinasse etiam sacr. congr. Concil. in Comen. 4 Mart. 1671. At vero Monacell. cit. tom. IV, n. 140, ubi sub dat. 14 Mart. refert per extensum dictum decretum in Comensi de quodam presbytero Josepho Cattaneo Comen. Diœcesis, qui ad triremes damnatus et transmissus ob armorum delationem, absque eo quod remigasset, inde egressus supplicavit pro absolutione, etc. Sacr. congregat. Concil., audita relatione episcopi, die 14 Mart. 1671, censuit, si Sanctitati Suæ placuerit, posse per litteras apostolicas in forma brevis eidem episcopo committi, ut constito de expositis, et præsertim quod non remigaverit, oratorem pro suo arbitrio et conscientia absolvat, et ad exsecutionem suorum ordinum rehabilitet et restituat; lib. XXVII Decr. fol. 54, dicit quod ex hoc decreto videtur quod sac. congreg. judicaverit requiri Papæ dispensationem. Et de facto, cum sacerdos Petrus Cardonus Panormitanus ad triremes damnatus et transmissus tanquam unus inditiatus de crimine fabricationis falsæ monetæ, et postea absque eo quod remigasset, liberatus cum sola pœna exsilii, supplicasset pro absolutione, sac. congreg. Concil. in Panormitana, die 8 Augusti 1705, gratiam denegavit, rescribendo *Lectum*, apud Monacel. cit. tom. IV, n. 140, quam denegatam gratiam refert ipse etiam Ursaya l. c. Unde in similibus casibus semper recurrendum est ad sanctam Apostolicam Sedem.

Quando exsilii pœna inducat irregularitatem, et quando non, vide apud Thesaurum de Pœnis ecclesiasticis, part. I, c. 33, § *Talis autem*. Illustrissimus ac reverendissimus Maraviglia, in leg. 176 *Prudentiæ episcopalis*, ad hoc dignoscendum hanc tradit regulam : Quando exsilii pœna imposita est propter delictum cui a jure annexa sit infamia, certum est inducere irregularitatem, juxta cap. *Inter dilectos*, de Excessibus Prælatorum et cap. *Accedens*, de Accusat., et cap. *Accusatum de simonia*; quando vero delicto quod exsilio punitur a jure non est annexa infamia, certum est nullam inducere irregularitatem, nisi aliud obstet : sic enim declaravit ipsa S. C. in una Maceraten., 4 Sept. 1602. Non enim quodcunque crimen causat infamiam, sed debet esse ex illis quæ specialiter recensentur in jure, et talia sunt ex communi æstimatione; quia, dato etiam quod crimen esset vere ex illis quæ generant infamiam, cum tamen possit non esse notorium in loco ubi exsul degit, ibi non poterit infamiam causare, et sic sacerdos exsul ibi non erit censendus irregularis; sola enim infamia juris annexa delicto, et per sententiam condemnatoriam expressa ad summum illa est quæ inducit irregularitatem, non infamia facti : ita communiter doctores apud Covarruviam, in Clement. *Si furiosus*; Garciam de Benef., part. XI, cap. 3; Giballin. de Irregularitat., et Suarez disp. 43, de Censur.

(18. Si vero damnatus ad triremes actu remigaverit, tunc indistincte, sive delictum irroget infamiam, sive non, talis efficitur irregularis, et solus Papa dispensat, juxta decretum sacræ congreg. S. Officii emanatum anno 1635, tempore Urbani VIII, quo statuitur quod presbyteri tam sæculares quam regulares damnati ad triremes, si actu remiges fuerint, non habilitentur ad exercitium ordinum, quod per extensum refert Nicolius Lucubrat. Canon., lib. V, tit. 12, § 13; et sequitur Monacell. tom. I, tit. 4, form. 9, num. 7, et tom. III, tit. 3, n. 13, cum aliis ibi allegatis.

(19. Qui dat operam rei licitæ, et omnem adhibet diligentiam ne sequatur homicidium, si deinde casu fortuito sequatur, non incurrit irregularitatem : sacr. congr. Conc. 1 Octob. 1588, et desumitur ex cap. *Dilectus* 13, cap. *Litteris* 15, et cap. *Quidam* 25, de Homicidio; Barbosa in Sum. Apostol. decis. verb. *Irregularitas*, num. 1, cum aliis ibi citatis; Pæsecius, de Irregularitate, cas. 6, ibi, insuper addit quod declaratum fuit concilium Trid. sess. 14, cap. 7, de Reform., loqui de eo qui fuisset in aliqua culpa, et indigeret dispensatione, ut in Hispalen. eodem anno 1588; in Aversana 13 Novembr. 1627; in Prænestina 7 Sept. 1630. (20. Ob homicidium autem casuale commissum a parocho rescripsit eadem sacr. congr. Conc. : « Pro gratia, dummodo non celebret in loco commissi delicti, et per viginti milliaria circumcirca : » sic in Aquilana, 1 Apr. 1713, et in die 12 Maii 1714, in eadem rescripsit : « Pro gratia, ut possit celebrare in loco commissi delicti. » Ita apud Ursayam tom. I, part. II, discept. 6, ubi varias alias refert consimiles resolutiones. (21. Et ob offensionem et percussionem factam mediante instrumento non apto ad occidendum, ead. S. congr. Conc. in Nuscana 12. Apr. 1710, rescripsit : « Pro gratia, peractis exercitiis spiritualibus per mensem : » apud Ursayam, tom. I, part. II, discept. 6.

(22. Irregularitas incurritur ab eo qui leviter percussit lethaliter vulneratum, ita ut ex dictis levibus percussionibus accelerata fuerit mors vulnerati : sacr. congr. Conc. in Caputaquen. 23 Mart. 1725, ubi denegavit etiam gratiam dispensationis : Ursaya in Miscellaneo primo sacro et profano, littera L, sub n. 200. (23. Et irregularem fieri qui projicit cultrum contra aliquem, etiam sine animo offendendi, secuta offensione, tenent Pignatel. tom. X, consul. 110, n. 14; Ursaya l. c., n. 204, et alii passim.

(24. Clericus habita licentia ab ordinario querelandi malefactores in foro laicali citra pœnam sanguinis, si querelat, et indicia ac probationes subministrat ad probandum delictum, incurrit irregularitatem, secuta mutilatione querelati delinquentis. Sic declaravit sacr. congr. Conc. die 4 Febr. 1651, apud Pignatel. tom. I, consult. 377. (25. Item irregularitatem incurrit clericus pro delicto in personam conjunctam commisso habens licentiam ab ordinario querelandi, si non querelat, sed tantummodo prosequatur accusationem, et subministret indicia in foro

Digitized by Google

laicali insistendo pro punitione, secuta mutilatione : ead. sacr. congr. Conc. d. d. 4 Febr. 1651; apud Pignatel. loc. c., consult. 578. (26. Non incurreret tamen irregularitatem clericus, si querelaret tantummodo malefactorem cum expressa protestatione quod ad vindictam seu pœnam sanguinis nullimode intendit, juxta dicta supra n. 11, § *Quamvis per textum*, in c. *Perlatis* 2, de Homicidio in 6, ibi allatum.

(27. Irregularis non est pharmacopola rite et fideliter suam exercens professionem : sacr. congr. Conc. in S. Marci 5 Jun. 1688; l. VIII Decret., fol. 253, apud Ursayam in Miscellaneo 1, litt. I, num. 202, et Pignatel. tom. VIII, consult, 146. (28. Incurreret tamen irregularitatem, sicuti etiam chirurgus et medicus, si ex eorum imperitia et negligentia seu culpa infirmus moreretur seu mutilaretur, ut tradunt Panimoll. dec. 89, adnot. 5, n. 37; Corrad. in Praxi dispens., lib. v, cap. 3, num. 1, et seq.; Antonel. de Juribus Clericor., lib. I, cap. 56, n. 33; Ursaya Inst. Criminal., lib. I, tit. 10, § 4, num. 97; Pignatell. loc. cit., et alii passim. (29. Quoad medicos autem, ut testatur Panimoll. cit. decis. 89, adnot. 5, num. 37, praxis Romanæ curiæ est ut eos non admittat ad ordines absque dispensatione apostolica, ut pariter esset dicendum de chirurgis. Vide verb. *Medicus*, n. 20, ubi varia ad rem.

(30. Sacerdos celebrans pluries eadem die incurrit irregularitatem : sacr. congr. Conc. in Senensi 16 Nov. 1686, apud Pignatell. tom. VII, consult. 43, et in Placentina 11 Jan. 1711; apud. Ursayam Instit. Crim. lib. I, tit. 10, § 2, n. 57.

(31. Irregularitas non incurritur a clerico exercente criminale aliquod officium seu judicaturas, si sævis se non immisceat, et in causis sanguinis judicium non proferat, ut re mature perpensa, recedendo a resolutis, die 3 Martii 1703, respondit sacra congreg. Conc. in Sancti Severini irregularitatis, 1 Jun. ejusd. anni 1703, lib. LVIII Decret., fol. 413, apud Ursayam Institut. Crimin., lib. IV, tit. 8, n. 50.

(32. Neque irregularitatem incurrunt personæ ecclesiasticæ absque ulla pontificis dispensatione intervenientes tanquam principis consiliarii in conditione legum imponentium pœnam mortis, vel ipsimet easdem leges condentes, ubi temporalem habent jurisdictionem, quia conditores legum illorumque consiliarii per legum conditionem et promulgationem non intendunt homines occidere, sed pœnarum timore a malis et delictis illos arcere : sacra Rota part. IX, Recent. Decis. 172, n. 20, et seq. Ursaya l. c. num. 48, cum aliis ibi citatis. (33. Non possunt tamen prælati ecclesiastici (quibus ex Summi Pontificis dispensatione permissum est in certis casibus sententiam sanguinis proferre) executioni sententiæ se immiscere, consilium, vel præsentiam præstare eidem executioni absque irregularitatis incursu : c. *Ex litteris* 10 de Excessibus Prælator.; Ursaya loc. cit., num. 42, cum aliis ibi allegatis.

(34. Irregularitas non incurritur ab episcopo, permittendo exhumationem cadaveris, ut fiat *Visum et repertum*. Talis autem recognitio fieri debet extra ecclesiam et locum immunem, aliter a ministris laicis incurritur excommunicatio, ut declaravit sacra congreg. Immunit. in Maceraten., 8 Aug. 1645, in Cremon. 1 April. 1704; apud Ursayam Inst. Crim., lib. I, tit. 4, n. 16; Monacel. tom. I, tit. 6, form. 7, num. 6.

(35. Irregularis non est descendens per rectam lineam a mahumetanis : S. congr. Concil. in Hispal. n. 7 Maii 1701; apud Ursayam tom. II. part. II, discept. 22, a n. 25.

(36. Irregularis non fit violans censuras nullas : sacr. congr. Conc. in Herbipolen. 19 Jul. 1704, et in Casertana 11 Sept. 1717; apud Ursayam in Miscell. 1, Sac. profan. litt. I, n. 199.

(37. Irregularis non est ministrans in ordine suscepto, postquam appellavit a sententia excommunicationis contra ipsum lata : sac. cong. Conc. in dub. Irreg., 15 Sept. 1625, lib. XII Decret. 329; apud Ursayam loc. cit., n. 203.

(38. Irregularis non est læsus in calcaneo, et licet claudus ambulans sine baculo : S. congr. Conc. in Messanen. 27 Apr. 1686, lib. III Decr., fol. 126; apud Ursayam loc. c., n. 201.

(39. Irregularis est clericus confessus et condemnatus de crimine adulterii : S. congr. Concil. in dubio irregularitatis, 5 Maii 1657, lib. XX Decr., fol. 233; apud Ursayam loc. c., n. 200. (40. Et irregularem esse etiam clericum convictum et condemnatum de crimine stupri sustinent Thesaurus, Majolus, et Amenus, apud Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. I, n. 161, qui tamen ibid. cum Garcia, Bonac., Nicol., et aliis, sustinet contrarium.

(41. Irregularitas non incurritur per scriptionem processuum causarum seu querelarum criminalium, neque per exercitium officii gubernatoris absque prolatione sententiæ sanguinis seu capitalis : sac. cong. Conc. in Sutrina irregularitatis, 28 Maii 1695, et in S. Severini, 2 Jun. 1703; apud Monacel. tom. IV, supplem. ad tom. II, n. 70

(42. Irregularitas non incurritur per solam adscriptionem militiæ sæculari sine actibus hostilibus : sacr. congreg. Conc. in N., 10 Mart. 1674, et in Leodien., 30 Sept. 1684; apud Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. II, n. 71.

(43. Clericus autem qui militiæ nomen dedit, et armatus in bello servivit, stipendium accepit, ac expeditionibus militaribus se associavit, fit irregularis, et indiget dispensatione ab irregularitate incursa, licet moraliter certus sit neminem mutilasse, læsisse, aut occidisse : sac. congr. Conc. in Ipren., 13 Januar. 1703. Et ipso jure amittit beneficium etiamsi sit juris patronatus : sac. congr. Conc. in Firmana 17 Januar. 1618; apud Monacell. tom. II, tit. 13, formul. 3, n. 33; et consimiliter card. Petra tom. II Commentar. ad const. unic. Greg. VIII, n. 57, in fin.; ubi refert quod in sac. congr. Conc. in una Salisburgensi irregularitatis, exhibito sup-

Digitized by Google

plici libello remisso a sac. Pœnitentiaria cujusdam sacerdotis qui se vendidit Hollandis pro servitio maritimo egestate pressus, et proinde arma sumpsit, et in Indiis militiam egit, fuerunt proposita dubia : An orator incurrerit irregularitatem, et an cum eo sit dispensandum? Respondit 14 Maii 1689 : *Esse dispensandum*, quia dictus sacerdos miscuit se bello injusto, arma, et sæva tractando. Hæc ille.

(44. Mandans aliquem baculo verberari eo expresso ne occidatur, si mandatarius fines mandati excedens percusserit et occiderit, non dicitur irregularis ex homicidio voluntario, adeo ut sit indispensabilis juxta c. 7, sess. 14, quia est solum voluntarium in causa, et non voluntarium directe, et in se, et potest proinde a Sede Apostolica dispensari : sacra congreg. Concil. 2 Novemb. 1581, lib. XXII Decret., pag. 59, et 7 Septemb. 1604, lib. VII Decret., pag. 567 et 589; apud Monacell. tom. II, tit. 13, form. 3, n. 34, in fin. Et quod is incurrerit irregularitatem, habetur expresse in c. *Is qui* 3, de Homicid. in 6. Quamvis Barbosa in Summa Decis. Apostol., verb. *Irregularitas*, num. 2, citans decretum sacræ congreg. Concil. sub die 2 Sept. 1604, dicat ipsum irregularitatem non incurrere.

(45. Irregularis evadit qui voluntarie se castrari facit, et culpa sua seipsum mutilat : sac. congr. Episc. in Milevitana, 15 Januar. 1694; apud Monacell. tom. II, tit. 3, formul. 3, n. 31, tom. IV, supplem. ad tom. II num. 429. Et dispensatio hujus irregularitatis petenda est a sacr. congr., quæ maxima facilitate illam concedit, ut accidit in Æsina, 13 Maii 1702.

(46. Qui abscidit digitum pollicem debet petere dispensationem ad cautelam, quia dubium est an per talem mutilationem irregularitas incurratur, ut bis respondit sac. congr. Conc., nempe 12 Jul. 1687, et 13 Januar. 1688; apud Monacell. tom. IV, supplem. ad tom. III, n. 12.

(47. Clericus qui levi epilepsia semel affectus fuit, et deinde per plures annos amplius dicti morbi signa non dedit, non est irregularis, et promoveri potest : sacr. congreg. Concil. in Tudertina, 9 Jul. 1704; apud Monacell. tom. II, tit. 13, formul. 3, num. 36.

(48. Clericus energumenus est irregularis, et licet fuerit liberatus, non potest promoveri sine dispensatione apostolica : sacr. congr. Conc., 12 Febr. 1689; apud Monacell. tom. I, tit. 13, formul. 3, n. 32, et in Mediolanen., 2 Decemb. 1724, ad 1 dub., apud Thesaurum resolutionum cong. Conc. dicti anni 1724. (49. Si autem antequam a dæmone obsideretur erat promotus ad ordines, potest episcopus illorum exercitium permittere suo arbitrio, ut dictum est supra num. 12, de Irregularitatibus ex defectu, per textum in cap. *Communiter* 3, dist. 33, ibi allatum.

(50. Suspensus a suo ordinario extrajudicialiter sine scriptis, si celebrat, non fit irregularis : sacr. congr. Conc. in Vercellen., 18 Aug. 1703. (51. Secus autem si fuerit suspensus juridice : Monacell. tom. IV, supplem. ad tom., III n. 6.

(52. Irregularitas incurritur a clericis ordinatis scienter cum ficto patrimonio vel beneficio, et ordines sic receptos exercentibus : S. cong. Episcop. in Verulana, 6 Jun. 1611, in Adrien., 1 Octobr. 1602, et sac. congr. Conc., 2 Nov. 1610; apud Pignatell. tom. V, consult. 77, n. 16. Vide verb. *Ordo*, art. 2, n. 55.

(53. Clerici sive sæculares sive regulares recurrentes in suis causis ad judices et principes sæculares, si ex eorum recursu sequatur impedimentum jurisdictioni ecclesiasticæ ex quo isti incurrant excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ, si post talem recursum exerceant ordinem solemniter vel missam celebrent, evadunt irregulares, prout de regularibus respondit sacr. cong. Immun. in Ulisiponen. 6 Nov. 1688; lib. Decr. Martell., pag. 373, et de Clerico sæculari in Alatrina, 29 April. 1704; lib. III, Decr. Vallem. 576; apud Monacell. tom. III, tit. formul. unic., n. 15.

(54. Irregularis non est filius homicidæ presbyteri, unde potest promoveri ad ordines sine dispensatione : sacra cong. Conc., 2 Aug. 1687; apud Monacell. tom. I, tit. 13, form. 3, n. 34.

(55. Irregularis non est qui armatus cum consanguineis accurrit ad domum consanguineæ ut compelleret fornicarium, si fornicarius e fenestra se projiciens moriatur : sacr. cong. Conc. in Pampilonen., 29 Sept. 1600; apud Monacell. loc. cit., n. 34.

(56. Nec irregularis est qui accedens ad domum mulieris conjugatæ fornicandi causa, si supervenientibus viro et consanguineis, mulier occidatur : sac. cong. Conc. in Potentina, 18 Martii 1684; apud Monacell. cit. n. 34.

(57. Irregularis non fit judex qui protulit sententiam mortis vel mutilationis, nisi fuerit exsecuta; unde non indiget dispensatione : sac. cong. Conc. in Cesenaten., 1615; apud Monacell. loc. cit., n. 35.

(58. Item irregularis non est notarius qui compilavit processus criminales, et plures fuerunt condemnati in pœnam mortis, at sententiæ non fuerunt exsecutæ : sacr. congr. Conc. in Spoletana, 14 Decemb. 1630; apud Monacell., cit. num. 55.

(59. Quemdam qui per quatuor annos exercuit prætoriam, et sententias sanguinis protulit, sed non constabat resultasse prædictam pœnam, et dispensari ab irregularitate petebat : sac. cong. Conc., die 28 Mart. 1676, respondit *dispensandum esse ad cautelam*.

(60. Irregularitatem non incurrit clericus qui judici sæculari petenti librum baptizatorum exhibuit ad effectum recognoscendi ætatem rei inquisiti de delicto quod mortem meretur, et subiturus credatur : sac. congreg. Conc. in Lycien., 10 Decemb. 1661; apud Monacell. loc. cit., n. 36.

(61. Irregularis est qui, inquisitus de homicidio, sustinuit torturam, indicia diluit, et fuit absolutus; quia si de delicto remanet

Digitized by Google

fama, non debet promoveri, cum remaneat infamia facti. : sacr. congr. Concil. in Novarien., 1 Octob. 1661 ; apud Monacell. loc. cit., n. 37, et apud Pignatell. tom. II, consult. 19. (62. Si autem de homicidio inculpatus, tanquam non repertus culpabilis fuisset absolutus, non esset irregularis : ead. sac. cong. Concil., 8 Julii 1664 ; apud Monacell. cit. n. 37.

(63. Irregulares non sunt filii et nepotes hæreticorum quorum patres et patruos constat emendatos esse : sac. congr. Concil., 26 Sept. 1591 ; apud Monacell. cit. n. 37. (64. Et irregularem non esse eum qui natus est a parentibus hæreticis, si parentes fidem catholicam amplexi sint, rescripsit ead. sacr. cong. Conc. in Romana, 21 Maii 1718, ad 2 dub., apud Thesaurum Resolutionum sacræ congregat. Conc. in Decr. dicti anni. (65. Nec irregularem esse eum qui in infantili ætate baptismum receperit ab hæreticis, respondit ead. sacr. congregat. in dicta Romana ad 1 dub., apud dictum Thesaurum, ibidem.

(66. Irregularitatem contraxit qui contra fures clamavit, et isti capti, fuerunt capite damnati : sacr. congr. Conc. in Casalen. Irregularitatis, 24 Septemb. 1718, apud cit. Thesaurum in Decretis dicti anni.

(67. Irregularis est qui causam dedit rixæ ex qua secutum fuit homicidium : sac. congreg. Conc. in Caput aquen., 24 Mart. 1725, ad 2 dubium apud cit. Thesaurum in decretis dicti anni.

(68. Irregularitatis qua laborat sacerdos non valens sacram hostiam et sanguinem sumere nisi auxilio manus sinistræ, dispensatio remissa fuit arbitrio episcopi : sac. congreg. Conc. in Consentina, 13 Jul. 1725; apud cit. Thesaurum in Decretis dicti anni.

(69. Non est irregularis qui percussit gladio vel virga aliquem in oculo, cujus virtutem debilitavit adeo ut lucis radios obscure percipiat : sacr. congreg. Conc. in Feretrana, 5 Maii 1705; apud Monacell. t. IV, supplem. ad tom. III, n. 11.

(70. Neophyti, nempe qui ex lege Judaica, Mahumetica, vel ethnica, nuper conversi, quamvis tanquam irregulares non sint promovendi ad ordines ex dictis supra sub num. 12. vers. *Ex defectu animæ*, tamen si baptizati fuissent ab infantia, vel post transactum notabile tempus a die suscepti baptismi, judicio et arbitrio episcopi reperiantur in rebus fidei bene instructi et stabiles, cum tunc non dicantur proprie neophyti, cessat irregularitas : cap. *Eam te* 7, de Rescriptis; Panimoll. dec. 89, adnot. 1, n. 4, cum aliis ibi allegatis, ubi recte ex Bonac., Corrad., et Sayro, subdit quod veri neophyti dispensandi sunt a Summo Pontifice.

(71. Irregulares non sunt filii nati ex matrimonio contracto cum impedimento affinitatis cum mala fide patris et bona fide matris, nam isti sunt legitimi : sac. congr. Conc. in Tornacen., 24 Maii 1684, lib. XXXI Decret., fol. 490; apud Monacell. tom. II, tit. 13, n. 37.

(72. Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassumptionem habitus clericalis, et episcopus procedat prout de jure. Sic respondit sacr. congr. Immun. in una civitatis ducalis, 10 Mart. 1699; apud Riccium in Synopsi, verb. *Habitus*, n. 1.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. Tametsi in cap. 18, de Sentent. Excommun. in 6, disertis verbis statutum sit irregularitatem non incurri nisi *in casibus in jure expressis*, (74. nihilo tamen minus disputare de eo solent theologi, præsertim scholastici, an possit judex pœna irregularitatis punire reum delicti cui a jure non est adnexa irregularitas. Vide *affirmantes*, tum *negantes* apud Hurtad. de Irregular., disput. 1, difficul. 6, num. 24, qui tamen *in negantium* ivit sententiam, et quidem recte.

(75. Cæterum, quod dicitur non incurri irregularitatem nisi *in casibus in jure expressis*, id intelligi debet de casu quo non constat an delictum vel defectus adnexam haberat irregularitatem. (76. At si constet delictum de quo agitur irregularitatem habere adnexam, dubium vero sit num quis delictum illud patraverit, eo casu propter dubium incursæ irregularitatis tenetur se pro irregulari genere : Van-Esp. Jur. Eccles. univ., part. II, tit. 10, c. 1, n. 75; Rousseau de la Combe in Jurisprud. Canon., verb. *Irregularitas*, sect. 1, n. 2.

(77. Ne autem in errores incidamus, duo hic necessario sunt monenda. Primum est quod solummodo *in dubio* homicidii incurratur irregularitas; idque quia « cum nulla contrahatur irregularitas (ut recte ait Giballin. de Irregul., c. 4, consect. 3, n. 21, in fine) nisi in casibus in jure expressis, et nullibi jus dicat in dubio facti incurri irregularitatem, præterquam in casu homicidii modo hactenus explicato, certum esse debet nullam aliam irregularitatem quam homicidii in dubio contrahi. »

(78. Alterum est quod in ipso casu homicidii non aliter incurratur irregularitas, quam si ipsum homicidium certum sit, dubiumque solummodo sit de persona committente, ut est casus text. in cap. 12, de Homic., et cap. 5, de Cleric. excomm. administrante. Verum, si de homicidio dubitetur an commissum ipsum sit, minime incurritur irregularitas : Giballin. de Irregularit., cap. 4, consect. 3, num. 17, et plur. sequent.

(79. Dividitur irregularitas, si spectes effectus in totalem, qua quis privatur omnium ordinum usu, qualis est ea quæ ex homicidio nascitur; et partialem, qua usus solummodo adimitur alicujus ordinis, ut evenit in ea quæ proficiscitur a cæcitate, propter quam sacerdos removetur a sacrificio, non item a pœnitentiæ administratione.

(80. At si causas perpendas, dividitur irregularitas in eam quæ oritur ex delicto, et eam quæ oritur ex defectu. Notabile vero est discrimen unam inter et alteram irregularitatem. (81. Irregularitas enim quæ nascitur ex defectu incurritur licet defectus ille sine ulla culpa patientis evenerit. (82. At irregularitas quæ nascitur ex delicto non aliter incurritur quam si delictum illud

Digitized by Google

imputari queat ei qui illud commisit. Confer Hurtad. de Irregularit. disput., difficul. 3, num. 27.

(83. Habet utraque irregularitas varias sub se species. Singulas pro dignitate explicare haud est mei instituti. De iis secundum Ecclesiæ disciplinam, tum antiquam, tum novam, optime præ aliis disserunt Van-Espen, Juris Eccles. univ. part. II, tit. 10, per tot.; Rousseau de la Combe in Jurisprud. Canonic., verb. *Irregularitas*, pariter per tot.

(84. Hic vero haud est omittendum, auctorem nostrum sæpe in hoc articulo irregulares eos pronuntiare quos sacri canones irregulares non declararunt, sed tantummodo minime decet ad ordines promovere. Tales sunt plures ex iis de quibus verba facit n. 12, et præsertim art. octavo, ut patet ex iis quæ habet Giballin. de Irregularit., cap. 5, quæst. 4, proposit. 3, ibi : « Deinde aliquando contrahitur infamia sine ullo peccato proprio aut alieno, ut propter vilis alicujus artis exercitium, aut matrimonium cum meretrice aut scenica, ex qua tamen infamia nulla contrahitur irregularitas, nisi peculiari jure sit expressa, sed fortassis aliqua prohibitio ordinandi viles hujusmodi personas quandiu eas artes exerceant. »

(85. Patet hinc quod personæ illæ viles, quas auctor irregulares pronuntiat, ut ad ordines promoveantur dispensatione haud indigent.

Responsio auctoris.

(86. Additor ait auctorem nostrum in hoc articulo irregulares eos pronuntiare quos sacri canones irregulares non declararunt, sed tantummodo minime decet ad ordines promovere; et tales sunt plures ex iis de quibus verba facit num. 12, et præsertim artic. 8. Patet hinc quod personæ illæ viles quas auctor irregulares pronuntiat, dispensatione haud indigent. Et tamen ego loc. cit. pro eorum infamia et irregularitate adduco nedum sacros canones, sed et leges civiles, ut ibi videri potest : quæ jura tum canonica tum civilia adducunt alii plures et signanter sapientissimus Gregorius Rossignolus cap. 1, de Ordinibus in communi, quæst. 3, art. 12, num. 5, qui ibidem sub num. 24 subjungit quod infamia ex arte vili non tollitur nisi per Romanum Pontificem. Et ratio est quia quæ sunt juris positivi communis non cadunt nisi sub potestate pontificis vel principis, secundum quod jus est canonicum vel civile. Cum igitur infamia quæ consurgit ex utroque allegato capite sit juris canonici communis, ut habetur ex cap. *Admittuntur*, dist. 54, et glos. in cap. *Nihil*, verb. *Suspendatur*, de Elect. et ex Clementina 1, de Institut., et ex c. *In capite Quadragesimæ*, dist. 50, et cap. *Ex pœnitentibus*, eadem distinct., sequitur quod impedimentum ad ordines quod ex eodem consurgit non possit nisi per Romanum Pontificem auferri. Quod et replicat in disput. 3, de Irregularit., quæst. 5, cap. 8, num. 20, dicens : « Huc etiam venit difficultas, a quo possit dispensari irregularitas proveniens ex

exercitio artis ignominiosæ, quæ etiam potest reduci ad infamiam. Respondendum non posse dispensari nisi a Romano Pontifice vel ab habente ab ipso facultatem; adeoque dictæ personæ viles indigent dispensatione. »

ARTICULUS II.

Irregularitas quoad ejus effectus.

SUMMARIUM.

1. Irregularitatis effectus sunt specialiter tres, et assignatur primus. — 2. Quid stante irregularitate recipit sacramenta, quamvis peccet mortaliter, valide tamen recipit, et sic recipiens solum privatur usu. — 3. Assignatur secundus effectus irregularitatis. — 4. Irregulares possunt licite recipere omnia alia sacramenta, excepto ordine, et sic absolvi a peccatis in sacramento pœnitentiæ. — 5. Irregulares possunt etiam licite exercere quoscunque actus sacros qui non sunt ordinum. — 6. Assignatur tertius effectus irregularitatis. — 7. Irregularitas, quamvis inhabili ad beneficia obtinenda, non inhabilitat tamen ad beneficia antecedenter canonice obtenta retinenda. — 8. 11. Additiones ex aliena manu.

(1. Irregularitatis effectus sunt specialiter tres. Primus est inhabilitas seu impedimentum ad licite primam tonsuram et ordines suscipiendos : cap. *Curandum* VI, dist. 34, et cap. *Ultimo*, de Tempor. Ordinat. (2. Unde si stante irregularitate recipiantur sacramenta, peccatur quidem mortaliter, sed valide recipiuntur, et recipiens solum privatur usu, ut tenet Suarez disp. 40, sect. 1, n. 2; Sayr. de Censur., lib. 6, cap. 1, num. 25, et est communis theologorum et canonistarum opinio. (3. Secundus effectus est inhabilitas seu impedimentum ad exercendum quoscunque ordines, si sit totalis vel aliquem tantum, si sit partialis : cap. final. de tempor. Ordinat., cap. *Ad audientiam*, de Homicidio; et si durante irregularitate ordines administrentur, valide administrantur, sed graviter peccatur ab irregulari, ut tenet Innocentius in cap. *Si celebres*, de Clerico excomm. ministrante, num. 3.; Cardinalis in Clement. unic. de Homicidio, et alii communiter. (4. Possunt tamen irregulares recipere licite omnia alia sacramenta, excepto ordine, et sic absolvi a peccatis in sacramento pœnitentiæ, quia irregularitas non habet oppositionem cum absolutione a peccatis et cum aliis sacramentis ab ordine, cum solum privet susceptione ordinum et exercitio ipsorum, non autem receptione sacramentorum : Sic Innocentius in cap. *Nisi cum pridem*, § *Personæ*, de Renunt., n. 8; Cardinalis in Clement. *Dudum*, § *Ac deinde*, qu. 8, de Sepult., et communiter summistæ in verb. *Irregularitas*, et canonistæ in cap. *ultimo*, de Tempor. Ordination. (5. Possunt etiam irregulares licite exercere quoscunque actus sacros qui non sunt ordinum, ut missæ privatæ ad modum laici deservire, baptismum sine solemnitate et privatim, officium divinum recitare, conciones habere, imo etiam in choro licite cantare et psallere ad modum Laici, ut tenent Covarruvias in Clementina *Dudum*, part. I, § 1; Suarez. disp. 40, sect.

Digitized by Google

2, num, 11, et alii communiter. (6. Tertius effectus est inhabilitas seu impedimentum ad beneficia recipienda : cap. *Dudum* 12, de Electione; cap. final. de Cleric. duell. Cum enim beneficium detur propter officium, cap. final. de Rescript. in 6, et irregularis officii divini capax non sit quatenus illud nequit exercere, sequitur evidenter ipsum beneficium obtinere non posse : arg. cap. final. de Cleric. excommunic. ministr. (7. Quamvis autem irregularitas inhabilitet ad beneficia obtinenda, non inhabilitat tamen ad beneficia antecedenter canonice obtenta retinenda : nullibi enim reperitur in jure quod per irregularitatem ipso facto inducatur privatio beneficiorum antea canonice obtentorum, imo potius deducitur quod non sequatur, nisi per judicis sententiam, ut colligitur ex cap. *Ex litteris*, de Excessibus Prælatorum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(8. Irregularitas beneficiis jam obtentis regulariter haud privat; inhabilem vero reddit irregularem ad alia obtinenda; difficile vero haud est rationem reddere, cur Irregularitas Beneficiis jam obtentis haud privet. (9. Id ex eo provenit, quod juxta novam Ecclesiæ disciplinam Beneficia, et Ordines, eorumque functiones sint plane disparata, neque Ordo supponit Beneficium, ipsumque Beneficium sine Ordinum usu haberi, et retineri valet : Van-Espen Jur. Eccles. univers. part. II, tit. 10, cap. 1; Rousseau de la Combe in Jurisprudentia Canonica verb. *Irregularitas* sect. 1.

(10. Dixi *regulariter*, nam irregularitas ex homicidio per assassinos perpetrato, privat etiam beneficiis jam obtentis : cap. 1, de Homicid. in 6.

(11. De collatione vero beneficii irregulari facta, utrum irrita ipso jure sit, an potius irritanda, non conveniunt inter se doctores. Confer Hurtad. *de Irregularit.*, disput. 1, difficul. 5, num. 20, et seq. (12. Sacrum Tribunal Rotæ, collationem illam irritam esse ipso jure tenet, ita ut possit Beneficium alteri conferri; Vide ejus decisiones in Turritana Canonicatus 10 Decembris 1723, et 19 Junii 1724, coram bon. mem. Ratto, inter impress. decis. 104, ubi de Irregularitate ex homicidio late disseritur.

ARTICULUS III.

Irregularitas quoad ejus dissolutionem et dispensationem.

SUMMARIUM

1. Irregularitas dissolvitur vel tollitur quatuor modis; et assignatur primus modus. — 2. Assignatur secundus modus. — 3. Assignatur tertius modus. — 4. Assignatur quartus modus. — 5. Papa potest dispensare in omnibus irregularitatibus, sive ex delicto, sive ex defectu provenientibus. — 6. Archiepiscopi in actu visitationis et in causis appellationis possunt dispensare in irregularitate occulta subditos suorum suffraganeorum. — 7. Episcopi dispensare possunt cum suis subditis et in sua diœcesi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio injusto et ex animo patrato, et aliis deductis ad forum contentiosum. — 8. Hinc possunt dispensare in irregularitate ex homicidio occulto patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ. — 9. Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex mutilatione occulta, licet voluntaria. — 10. Probabilibus non possunt dispensare in irregularitate contracta ex hæresi occulta. — 11. Ci irregularitates provenientes ex defectu possunt episcopi dispensare etiam quoad ascensum ad sacros ordines in sola irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria. — 12. In irregularitate autem orta ex bigamia vera et interpretativa non possunt. — 13. Capitulum, sede vacante, probabilius eamdem habet potestatem dispensandi et absolvendi concessam episcopis a concilio Tridentino. — 14. Prælati inferiores episcopis jurisdictionem quasi episcopalem habentes, quamvis habeant proprium territorium et subditos non gaudent prædicta facultate dispensandi et absolvendi concessa episcopis a concilio Tridentino. — 15. Imo ex Pignatelio referente declarationem Gregorii XIII, ne quidem pos unt vi hujus facultatis Tridentini dispensare cardinales in ecclesiis sui tituli. — 16. Præscindendo autem ab illis facultatibus hic a concilio concessis episcopis, salva remanet plena jurisdictio cardinalium in suis titulis. — 17. Prælati regulares, licet a Tridentino non habeant facultatem dispensandi concessam episcopis, eamdem habent in suos subditos per concessiones variorum pontificum. — 18. Refertur amplissimum privilegium concessum prælatis regularibus. — 19. Nec hoc privilegium videtur revocatum per conc. Trident. — 20. Istæ tamen tam amplæ facultates non sunt de facili deducendæ ad praxim. Imo juxta varios graves doctores nequeunt prælati regulares dispensare cum suis subditis furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, et aliis, qui enumerantur. — 21. 24. Datur formula quæ potest inservire pro dispensando in irregularitate. — 25. 27. Additiones ex aliena manu.

(1. Irregularitas dissolvitur et tollitur quatuor modis. Primo, per cessationem vel ablationem causæ, qui modus intervenit in irregularitate ex defectu; cessante enim defectu corporis vel defectu ætatis, tollitur irregularitas : argum. cap. ultimo, de Temporibus Ordination., cap. *Neophytus*, dist. 61., et in obligato ad publica ratiocinia statim ac ab ipso sunt redditæ rationes, cessat irregularitas, arg. cap. *Unico*, de obligatis ad ratiocinia. (2. Secundo per baptismum, et per hunc tolluntur irregularitates ex delicto, uti homicidii, mutilationis, etc. : arg. cap. *Si quis viduam*, dist. 50. Non tamen tollitur per baptismum irregularitas orta ex bigamia, ut inter alios tenet div. Ambrosius lib. III, epist. 25; divus Augustinus lib. de Bono Conjug., cap. 18, et expresse habetur in cap. *Acutius*, dist. 36. (3. Tertio per professionem religiosam; per hanc enim tollitur irregularitas orta ex defectu natalium quoad ordines suscipiendos, non tamen quoad dignitates et prælaturas, ut expresse habetur cap. 1, de Filiis Presbyterorum. (4. Quarto, per dispensationem, et per hanc Papa potest tollere quascunque irregularitates, sive ex delicto, sive ex defectu provenientes; (5. Papa enim potest dispensare in omni jure ecclesiastico : Clement. *Ne Romani*, de Electione, cap. *Sunt quidam* 6, caus. 25, q. 1, cap. *Proposuit* 4, de Concess. Præb. (6. Archiepiscopi in actu visitationis et in causis appellationis, virtute concilii mox citandi, possunt dispensare in irregularitate occulta subditos suorum suffraganeorum : tuno

Digitized by Google

enim fiunt sui subditi ratione visitationis et appellationis, ut cum plurimis tenet Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., par. II, alleg. 39, num. 10.

(7. Episcopi dispensare possunt cum suis subditis et in sua diœcesi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto et ex animo patrato, et aliis deductis ad forum contentiosum, ex Tridentino sess. 24, de Reformat., cap. 6, ubi habetur : « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ; et in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. » (8. Hinc possunt dispensare in irregularitate ex homicidio occulto patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia hujusmodi homicidium volitum causa defensionis non comprehenditur sub homicidio voluntario ; imo potius licet non sit mere necessarium, necessarii tamen vim habet, quatenus fit causa vitandæ mortis, ut cum multis tenet Barbosa de Officio et Potest. Episcop. part. II, allegat. 39, num. 53 et 54. (9. Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, cum hæc in jure non sit excepta, et in iis quæ concernunt rigorem non sit facienda extensio de casu ad casum : arg. cap. *Odia restringi* 15, de Regulis juris in 6.

(10. Probabilius tamen non possunt dispensare in irregularitate contracta ex hæresi occulta, ut colligitur ex cap. *Cum illorum* 32, de Sent. Excomm. ubi habetur quod episcopi non habent facultatem dispensandi in illis casibus in quibus non habent facultatem absolvendi ; sed hodie per bullam Cœnæ est abrogata episcopis facultas absolvendi a crimine occulto hæresis, cum derogatione etiam concilii Tridentini, ut sæpius declaravit sacra congregatio, cum Bulla dicat expresse et aperte, *ac cujusvis concilii decreta*, ergo etiam intelligitur ipsis abrogata facultas dispensandi in irregularitate ab illo proveniente. Vide verb. *Absolvere*, art. 9, n. 3 et 4.

(11. Circa irregularitates autem provenientes ex defectu, episcopi possunt dispensare etiam quoad ascensum ad sacros ordines in sola irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria, ut tenet Communis ex cap. *Sane*, de Clericis conjugatis, et cap. 1. *Qui clerici, vel voventes*. (12. In irregularitate autem orta ex bigamia vere et interpretativa non possunt, ut tenent Hostiensis, Præpositus, Panormitanus, et alii passim, et colligitur ex cap. *Super eo*, etc. *Nuper*, de Bigamis, et ex declaratione sac. congreg. apud Fagnan. lib. I Decretal., c. *Quoniam* 13, de Constit., num. 32.

(13. Capitulum, sede vacante, probabilius eamdem habet potestatem dispensandi et absolvendi concessam episcopis a Tridentino sess. 24, de Reformat., cap. 6. Nam, licet illa facultas videatur concessa episcopis jure speciali, tamen competit ei jure communi et jurisdictione ordinaria ei tributa ; et sic tenent Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., part. II, allegat. 39, n. 16 ; Pirhing., Anaclet., Piasec., Sanchez, Ventrigl., et plurimi alii, apud Barbosa l. c.

(14. Prælati inferiores episcopis jurisdictionem quasi episcopalem habentes, quamvis habeant proprium territorium et subditos, non gaudent prædicta facultate dispensandi, et absolvendi concessa episcopis a concilio Tridentino sess. 24, de Reformat., cap. 6, quia concilium in hac parte derogat juri communi, adeoque potius stricte interpretandum ut nomine episcopi velit intelligendos esse secundum propriam significationem hujus nominis illos solum qui vere et proprie sunt episcopi, et de facto sic decrevit sac. congregat. Conc., a qua, cum in specie quæsitum esset : « An facultate concessa episcopis a decreto Concilii sess. 24, cap. 6, etiam inferioribus jurisdictionem quasi episcopalem habentibus in locis suæ jurisdictionis uti liceat, » die 9 Decemb. 1582, sac. congregat. censuit *non licere*, et cum abbas Aquisaneten. jurisdictionem quasi episcopalem habens in subditos declarari petiisset An facultas tributa episcopis a concilio Tridentino cap. 6, sess. 24, ipsum comprehenderet ; sacra congregatio censuit *non comprehendere*, ut tenet et refert Fagnanus in cap. *Cum illorum*, de Sentent. Excomm., sub num. 33; Suarez disp. 41, sect. 2, num. 7, et cum plurimis Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., part. II, alleg. 39, n. 17. (15. Et Pignatell. tom. VI, consul. 99, num. 32 et num. 34, subdit ne quidem posse vi hujus facultatis Tridentini, ex declaratione Gregor. XIII, dispensare cardinales in ecclesiis sui tituli ; quia, licet habeant ibi quasi episcopalem jurisdictionem, ibi tamen non sunt vere ac proprie episcopi quoad facultates concessas episcopis a concilio, ut approbante Pontifice, interpretata est sacra congregatio. (16. Præscindendo autem ab illis facultatibus hic a concilio concessis episcopis, salva remanet plena jurisdictio cardinalium in suis titulis, prout doctores illis attribuunt in cap. *His quæ*, de Major et Obed. ibid. Fagnan., n. 16.

(17. Prælati regulares, licet a Trident. non habeant facultatem dispensandi concessam episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum Pontificum, et præcipue S. Pii V, qui constit. incip. *Romani Pontificis*, indulsit prælatis ordinis Prædicatorum (cum quibus communicant alii regulares) ut sequitur : « Et insuper, quia, œcumenicum generale Trident. conc. concessit episcopis ut absolvere possint in foro animæ seu conscientiæ ab omnibus peccatis, et dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24, cap. 6, habetur ; ne prior conventualis et superiores Prælati dicti totius ordinis, tam in dicta provincia quam extra eam ubilibet deterioris conditionis

Digitized by Google

quam clerici aut sæculares existant, eorum priori conventuali et superioribus prælatis, ut ipsi per seipsos idem omnino possint in fratres et moniales dicti ordinis sibi subditos quod possunt episcopi in clericos et laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi et dispensandi hujusmodi, quam alias quascunque facultates, eisdem auctoritate et tenore præsentium perpetuo concedimus et indulgemus; » adeoque per hanc concessionem possunt dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, et etiam dispensare possunt in irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, uti dictum est de episcopis.

(18. Amplissimum privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto, et etiam ex defectu, et ex quavis causa, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, et mutilationis membrorum, concessit prælatis ordinis Minorum Sixtus IV, in Bulla Maris magni incip. *Regimini*, uti etiam in Bullis Maris magni aliorum Mendicantium reperitur concessum, et signanter præpositis generalibus Societatis Jesu, dispensandi, tam per se quam per alios a Paulo III, 18 Octobris 1549, constitut. incip. *Licet debitum*, et omnibus ab aliis ordinibus iisdem et aliis variis Pontificibus; sed istis omnibus omissis, brevitatis gratia, unum pro omnibus placet referre amplissimum concessum a S. Pio V Casinensibus, Idibus Jul. 1571, constit. incip. *Dum ad congregationem Casinensem*, in qua concedit abbatibus et prælatis ejusdem congregationis, cum qua communicant alii regulares, ut suos subditos, etiam novitios in religione perseverantes, ab omnibus casibus et censuris etiam in Bulla Cœnæ contentis absolvere possint, cum eisdem dispensare in omnibus irregularitatibus quomodocunque contractis, et pro foro conscientiæ, etiam in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, dummodo non sit commissum post ingressum in religionem, et eos habilitare, ut possint ad quascunque prælaturas suæ congregationis eligi et assumi, et eas libere et licite retinere, et quæcunque ordinis officia exercere, etiamsi irregularitatem contraxerint ante eorum promotionem. (19. Nec hoc privilegium videtur revocatum per concilium Tridentinum, cum fuerit concessum post idem concilium cum clausula derogatoria quorumcunque conciliorum. Vide verb. *Absolutio*, art. 1, a num. 20 ad 40, et verb. *Prælatus Regularis*, a num. 24 ad 35.

(20. Verum tamen est quod illæ tam amplæ facultates non sunt de facili deducendæ ad praxim. Imo per Lezanam in Summ. tom. 1, cap. 18, num. 42, et tom. V Comment. in Mare magnum Minor., num. 141; Mirandam, Absens., Mattheuc., Felic. Potest., et alios graves doctores nequeunt prælati regulares dispensare cum suis subditis amentibus, furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, cum abstemiis, deformiter gibbosis, notabiliter claudis, et gallico morbo affectis, cum habentibus manus tremulas, ut sit effusionis periculum, et similibus, quia a generalibus illis facultatibus dispensandi intelliguntur exclusæ omnes et singulæ irregularitates quæ procedunt ex aliquo enormi corporis vel etiam animi vitio et defectu, ex quo posset generari scandalum in fidelibus videntibus celebrare eum qui præfatis esset affectus. Cum enim sint casus specialissimi, credendum est Pontificem non voluisse illos comprehendere in generalibus concessionibus, juxta regulam 81 Juris in 6: « In generali concessione non veniunt ea quæ quis, non esset veresimiliter in specie concessurus; » tanto magis, quod in similibus irregularitatibus quotidie videmus ab omnibus fieri recursum ad Sedem Apostolicam, a qua etiam non tam de facili omnibus tales dispensationes conceduntur.

(21. Forma verborum sub qua irregularitas dispensari et tolli debet, nulla reperitur distincte præscripta: poterit tamen inservire hæc sequens, vel alia consimilis: « Dispenso tecum super irregularitate quam contraxisti ob hanc causam, et te habilem declaro ad suscipiendum vel exsequendum ordinem, et restituo te ad legitimos actus: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Si vero dubitetur an quis irregularitatem incurrit, nec ne, dicitur sub conditione: « Dispenso tecum in irregularitate, si forte incurristi ob hanc causam, et te habilem declaro, » etc., ut supra. Sic enim docent communiter doctores.

(22. Major Pœnitentiarius in casibus occultis, et pro foro conscientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocunque delicto vel defectu proveniente tam cum laicis quam cum ecclesiasticis, vel sæcularibus, vel regularibus ad hoc ut possint initiari ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates etiam cathedrales, et quæcunque beneficia ecclesiastica quandoque ante dispensationes alioquin canonice obtenta retinere, nec non ut hujusmodi beneficia et dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu) ecclesiis cathedralibus, et metropolitanis, etiam post delictum assequi valeant: Bened. XIV, constit. 95, tom. 1, incip. *Pastor Bonus*, § 15.

(23. Ibi additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcunque officia et beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen ordinis *generalatu* in irregularitate ex defectu natalium: § 31. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis; in publicis vero in utroque foro auditis tamen superioribus: ibid., § 32.

(24. In dispensationibus quæ dantur pro irregularitate filiorum illegitime natorum apponi solet clausula: *Dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit*: ex quo fit ut episcopus debeat inquirere in illum et quærere nunquid per decennium moribus integrum se præbuerit; et si toto decennio nihil indignum admisisse compererit, potest cum illo exsecutioni mandare dispensationem,

Digitized by Google

etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex decretis sac. congreg. De Synodo Diœc., lib. XIII, cap. 24, § 22.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. Fallitur auctor dum num. 17 sensit privilegium concessum aliquibus religionibus dispensandi super quibusdam irregularitatibus venire sub privilegiorum communicatione. (26. Accuratissimus P. Giraldi Scholarum Piarum in addit. ad Maschat., tom. II, lib. v, tit. 12, num. 50, refert decretum sac. congr. Conc. interpretis, quo dictum fuit privilegium hoc minime communicari.

(27. Idque attento mox dicto decreto procedit, etiamsi agatur de communicatione privilegiorum cum clausula : *Pariformiter et æque principaliter perinde ac si in specie eis concessa fuissent.*

ADDITIONES CASINENSES.

Non abs ducimus de irregularitate aliqua persequi.

Irregularitas est nota seu canonicum impedimentum ex facto seu defectu proveniens, quo quis tam ad ecclesiasticos ordines promoveri, quam promotus in iisdem ministrare prohibetur, etiam post pœnitentiam.

Dicitur *impedimentum canonicum*, quippe duntaxat jure canonico inductum, licet à tempore apostolorum, uti ex Epist. I, v. 3, Pauli ad Timoth. habemus exploratum. Dicitur amplius *impedimentum canonicum*, « quia inhabilitas a natura aut jure diviso proveniens dispensari non potest, nec proprie est irregularitas, qualis est amentia, quæ est inhabilitas a natura, et sexus femineus, et infidelitas, quæ est inhabilitas a jure divino, ut docent DD. communiter. » Monacellus, Form. leg. pract., part. III, § 15, de Irreg., n. 155, pag. 37.

Additum insuper in definitione, *etiam post pœnitentiam*, quia irregularitati, etiam ex crimine contractæ, proprium est ut crimine per pœnitentiam remisso, nihilominus maneat, et non nisi per dispensationem ordinarie et proprie tollatur : Natal. Alex. Theol. Dogmat. Moral., lib. II, cap. 4, de Imped. Ordin. et Irreg.; Van-Espen de Irreg., cap. 1, n. 13 et 16.

Ex allata porro definitione sequitur : « Irregularitatem censuram ecclesiasticam non esse, quia tendit primario ad impediendum rdinum susceptionem aut eorum usum. Is autem non est primarius censurarum effectus, sed consequens duntaxat, et indirectus. Censura, inquam, impedit ordinum functiones, aut quatenus sunt communicatio quædam fidelium, ut *excommunicatio ;* aut quatenus sunt officia quædam ecclesiastica, id est a personis ecclesiasticis exercenda, ut *suspensio ;* aut quatenus sunt usus sacramentorum, ut *interdictum :* sola irregularitas directe eos impendit quatenus sunt exercitia ordinum. » Natal. Alex. loc. cit. Idem in terminis tradit Van-Espen, cap. 1 de Irreg., n. 12.

Jam vero pro regula invaluit irregularitatem sive hujusmodi impedimentum neutiquam censeri contractum nisi in casibus a jure expressis : id quod ex cap. 18 de Sent. Excomm. in 6, manifeste liquet per hæc verba : « Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, *cum id non sit expressum in jure*, laqueum non incurrit. »

Itaque nisi ostendatur jure positivo huic delicto vel defectui irregularitatem esse adnexam, non esse pronuntiandum pro irregularitatis incursione docent. DD. Neque in irregularitate valere potest argumentum a ratione ex uno ad alterum casum. Siquidem, cum irregularitas debeat esse expressa, nequaquam potest dici expressum quod ex illatione et argumentando deduci forte posset. Hinc non valet consequentia : *Est irregularis iterans baptismum; ergo est etiam irregularis iterans ordinem.* Sic magistraliter docet Suarez, de Cens., disp. 40, sect. 4, n. 15. — Multoque minus ex consuetudine vel Doctorum opinione irregularitatem induci posse, idem (Suarez) rite tenet : loc. cit., n. 5.

Ad hæc « si dubitatio aliqua incidat, sive de jure, sive de facto, in foro contentioso negandum est semper; at in foro conscientiæ, tam in dubio facti quam juris, potius affirmandum est aliquem esse irregularem. » Monacell. Form. leg. pract., part. III, § 15, n. 156, pag. 37.

Præstat amplius audire supremum magistrum Bened. XIV in hæc verba : « Inquirunt theologi utrum irregularis judicandus vel immunis censendus sit aliquis cum delictum in dubium vocatur; et quæstionem hoc pacto dirimunt. Si dubio incertoque crimine in forum externum irregularitas deducitur, ut pœnæ statuantur, nempe ut clericus suo carere beneficio declaretur, tum nulla irregularitas præponenda est, ob eam causam quod nequaquam licet certam pœnam pro incerto crimine constituere. Sin autem agitur de irregularitate *pro interiori foro*, nempe ut clericus ab exercendis suis ordinibus et ne ad alios assumi contendat, tum irregularitas pro certo habenda est : nam cum dubia res videtur, tutior pars est eligenda. » Inst. Eccl. 101, n. 25.

An vero in dubio homicidii contrahatur irregularitas.

Respondendum affirmative : ex cap. 12, Ex. de homic. tenoris seq. : « Ad audientiam apostolatus nostri pervenit quod cum quidam presbyter volens corrigere quemdam de familia sua, cingulo quo cingi solebat, ipsum verberare tentasset, contigit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso aliquantulum vulneravit. Postmodum vero cum ille vulneratus aliquandiu vixisset et convaluisset a vulnere, alia graviori (ut dicitur) infirmitate percussus, viam est universæ carnis ingressus. Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur, vestræ discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis

Digitized by Google

semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato ut in sacris ordinibus non ministret : injuncta tamen pœnitentia competenti, sibi poteritis concedere ut minoribus ordinibus sit contentus. Si vero ille ex alia infirmitate obierit, poterit, sicut solitus erat, divina officia ministrare. » Ex qua decretali sic inferunt DD. nempe, vel adsunt aliqua indicia, conjecturæ, præsumptiones cooperationis, seu influxus in homicidium : puta, quia vulneravit, et vulneratus, alias forte non decessurus, mortuus est, et tunc irregularis est sic dubitans; quia stantibus indiciis, præsumptionibus, conjecturis, est probabile illum esse delinquentem, et rerum dignum pœna irregularitatis.

Si vero nullis indiciis, conjecturis, præsumptionibus constet influxisse in homicidium, sed pendulus neutri parti adhæreat, tunc asseri potest istum non esse irregularem, nisi secuta sententia condemnatoria. Sic Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, part. II, § 2, n. 5; Suarez de cens., disp. 40, n. 10, et alii.

« Quæritur amplius utrum procurantes abortum incurrant in dubio irregularitatem, an fetus sit vel ne inanimatus? Prima sententia affirmat... Ratio quia in omni homicidio dubio incurritur irregularitas, prout habetur ex c. *ad audientiam* ex de homic., c. *significasti*, et c. *Petitio*, eod. tit.... Secunda tamen verior sententia negat.... Ratio convincens, quia irregularitas nullibi habetur expressa. Nam licet in præfatis textibus imposita fuerit irregularitas aliquibus de quibus dubitabatur, an ipsi fuissent vel ne causa homicidii, homicidium tamen erat certe commissum. At in nostro casu cum dubia sit animatio fetus, dubia quoque est patratio homicidii, hicque casus nullibi quidem est expressus in jure, et ideo procurans abortum non est habendus irregularis... Addit non improbabiliter Tamburinus.... quod possessio in hoc casu stat pro priori statu, prius enim fetus est inanimatus quam animatus. Hinc valde probabile est.. non censendum irregularem, saltem in foro interno, qui intra 80 dies a fetus conceptione abortum procuravit. » Sic S. Alphonsus de Ligorio Theol. Mor., lib. III, tract. 4, cap. 1, dub. 4, n. 397. — Hic nota quod dubitans de sola mutilatione non est habendus irregularis, sicuti habendus dubitans de homicidio. Ita Suarez de cens., disp. 40, sect. 5, n. 14; D. de Ligorio de cens. et irreg., cap. 5, dub. 3, n. 347.

Cum porro irregularitas debeat esse in jure expressa, hinc « apud omnes canonistas principii loco est, inquit Benedictus XIV, irregularitatem a solo jure, et non ab homine induci posse : » de Synod. Diœces., lib. XII, cap. 3, n. 7. Ut proinde non nisi a Summo Pontifice vel a concilio generali irregularitatem decerni posse recte moneant doctores.

Quoad vero subjectum irregularitatis attinet, hæc notanda veniunt : nempe Romanum Pontificem, utpote legi, saltem *coactive* ut communiter docent doctores, non subditum, minime posse fieri irregularem. Adhæc, si ante pontificatum irregularitas eumdem detineret, simul ac Papa inauguratur, exstincta subjectione, quippe legi non subjectus vi coactiva, et quia *par in parem nullum habet imperium*, irregularis illico esse desinit.

Quoties vero de episcopis sermo est, ipsos legi generali imponenti irregularitatem, etiamsiper legem nominatim non designentur, subjectos esse affirmat Suarez, disput. 40, de Cens., sect. 7, n. 7, utpote scilicet subditos legi communi, adeo ut exercitio ordinis possint privari : Majolus contra negat.

Porro duplici irregularitate quem affici posse, una ab altera non pendente, ut ex. g. in homicida simul et bigamo pro comperto habeas.

Cum vero Ecclesia de internis non judicet, consequitur ob delictum internum irregularitatem nullo modo induci : secus vero dicendum de delicto exterius consummato, utcumque occultum sit. In hoc enim casu contrahi irregularitatem (licet Lucius noster in diversam abierit sententiam) rite docet Suarez loc. cit., et probatur ex Tridentino sess. 14, cap. 7, et sess. 24, cap. 6, de Reformat., ubi ob homicidium, *nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum*, quis ad ordines inhabilitatur et fit irregularis.

Audiamus D. de Ligorio in hæc verba : « Quæritur an incurratur irregularitas ob crimen externum et consummatum, sed prorsus occultum, ita ut a solo delinquente notitia haberi possit? Adsunt tres sententiæ. Prima universe negat... quia non datur irregularitas, nisi in jure sit expressa; in jure autem nullibi fit mentio de irregularitate ob crimen omnino occultum. Secunda sententia.. excipit tantum homicidium, quia tantum in crimine homicidii irregularitas inducta est, non solum propter scandalum aliorum sed etiam propter intrinsecam indecentiam, ne sacerdos offerens vice Christi, Agni mansueti, post homicidium ministret in altari... Tertia sententia verior universe affirmat, non solum quoad homicidium, sed etiam quoad alia crimina. Ratio quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suæ jurisdictioni subjaceant, nempe si sint externata, licet nulli alii patefacta. Quod autem de facto irregularitatem imposuerit *delictis quomodocumque* occultis, patet ex cap. *Liceat*, Trident. sess. 24, ubi concilium facultatem præbens episcopis absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis, nominat sub uno vocabulo *occultis* hæresim, homicidium, et alia crimina; ergo, sicut propter hæresim omnino occultam jam incurritur excommunicatio et propter homicidium omnino occultum irregularitas, ita etiam propter alia crimina occulta irregularitas incurritur. » Lib. VII, de Cens. et Irreg., cap. 5, dub. 3, n. 349.

Quod si delictum effectu destituatur ob casus mere fortuitos et etiam miraculose, nullam tunc contrahi irregularitatem docet

Digitized by Google

D. Thomas 1, 2, q. 20, art. 5 ad 4, quem sequuntur Suarez, de Cens., disp. 40 sect. 7, n. 17, et alii. Patet, *quia sumus pro pœnis restringendis, et sic ad effectum consummatum.* Ita DD.

« Quæri amplius solet an ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiratur scientia legis Ecclesiæ prohibentis. Prima sententia universe negat, dicens sufficere solam cognitionem peccati commissi... Secunda vero sententia, communissima et probabilior, affirmat... et probatur ex cap. *Proposuisti*, dist. 82, ubi Innocentius I decrevit quosdam clericos incontinentes non esse deponendos juxta constitut. Siricii Papæ, eo quod eam ignorabant. » Sic D. de Ligorio loc. cit., n. 350. At prima sententia, quam tenet Suarez loc. cit., sect. 5, n. 10, juris publici principiis magis innixa videtur.

Ex his, et alteræ affinis sane quæstionis resolutio repetenda est, an ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur etiam scientia pœnæ, id est irregularitatis : Negativam Suarez tenet, loc. cit., n. 9, cui nos subscribimus.

Monendum postremo quod « quamvis irregularis functiones ordinis obire prohibeatur, si tamen eos exerceat, peccat quidem graviter; sed quia hoc peccatum nulla pœna aut nova irregularitate per jus canonicum plectitur, ideo qui sic temere ordinis functiones obire audet nulli aliæ pœnæ aut irregularitati existimandus est obnoxius. »

His ita præstitutis, de irregularitatibus in specie sequentia addenda putamus, ad auctoris mentem facilius assequendam, vel ad aliquarum ejus opinionum animadversionem. Incipiamus ab homicidio.

Ac primum quoad homicidium voluntarium spectat, irregularitatem contrahere qui propria actione hominem necant, ex c. *Si quis* ex. de homic. et ex c. 7, sess. 14 conc. Trident. de Reformat, exploratissima res est. Hic dubitatur an si homicida pœniteat facti ante mortem ejus quem aggressus fuit, incurrat irregularitatem. Quamvis Salmat. c. 9, n. 4, negativam sententiam tueantur, verius tamen Suarez, disp. 44, sect. 3, n. 7, et alii affirmativam tenent. Siquidem qui posuit causam physicam mortis, nempe vulnus aut venenum, non excusatur, si pœniteat, quia causa necessario pergit influere in mortem : D. de Ligorio loc. cit., n. 368.

Dubitatur amplius an incurrat irregularitatem si quis primus lethaliter aliquem percusserit, sed alii postmodum eum peremerint.

Affirmative sentit Fagnanus, alios insuper in hac re casus recensendo, ad cap. *Significasti* ex de Homic., n. 1, in hæc verba : « Irregularis censetur qui alium lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit exstinctus : idem si non apparet an lethaliter, si etiam percussus ab aliis obiit, et non apparet ex cujus vulnere decesserit : idem est si non percusserit lethaliter, si animum occidendi habuit, et ex aliorum vulneribus percussus exspiravit : » Hanc ille doctrinam ut firmissimam deducit ex citat. capite *Significasti*, cujus textum ad totius rei explanationem hic referre placet. « Significasti nobis quod, cum quidam maleficus ingressus ecclesiam, Eucharistiam cum altaris ornamentis... extra ecclesiam asportasset, L. presbyter Ecclesiæ canonicus regul. præf. iniquitatis filium fossorio arrepto percussit, sed si ad mortem fuit ictus hujusmodi, tu, et ipse penitus ignoratis : quem parochiani eccl. videntes ornamenta eccl. asportantem, arreptis gladiis, et fustibus in eodem loco protinus occiderunt : et infra. Nos in præmisso casu credimus distinguendum utrum constare possit quod præf. sacerdos non inflixit percussionem lethalem, de qua, si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minime interiisset; et si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio, vel mandato processerint alii contra illum. Et quidem si hoc ita se habet (quod forsan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta, tam modica et tam levis, in ea parte corporis in qua quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis), cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur vel denuntiatur ab alio, sed per seipsum consilium appetit salutare, post pœnitentiam ad cautelam injunctam in sacerdotali poterit officio ministrare... Quod si discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, et si forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare. »

Audiamus in casu proposito D. de Liguorio, qui sic habet : « Affirmativam tenent Fagnanus, Covarruvias... Negant vero Layman... Bonacina... Ego vero censeo... revera in prædicto cap. *Significasti* nihil definitum esse de hoc casu; ibi enim fuit quidem decisum in casu ibi allato, nempe cum quidam primum ab uno percussus fuisset, deinde ab aliis, et sic decesserit, respondit Pontifex quod, si constiterit primum non percussisse lethaliter, eum non esse irregularem. Secus si dubium fuisset an ex illius percussione vel aliorum vulneratus periisset. Nostrum autem casum, nempe quod primus vulnus lethale inflixerit, sed percussus ab aliis exstinctus fuerit, puto a Pontifice fuisse præteritum, saltem non constat fuisse decisum. Hoc tamen intelligendum, si constat primum vulnus non causasse mortem, nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vulnus, nempe si caput fuisse confractum, aut cor transverberatum; nam alias in dubio primus non effugit irregularitatem. » D. de Ligorio, loc. cit., n. 369.

Incurrunt quoque irregularitatem omnes homicidium mandantes, vel consulentes, ut habetur ex c. *Si quis viduam*, dist. 50, et cap. *Significasti*, supra allato. « Hoc tamen non currit, si mandans, vel consulens non influxerit in homicidium, nimirum si constet homicidium ex alia causa accidisse. » D. de

Digitized by Google

Ligorio, loc. cit., n. 370. — « Quæro : P. jussit famulo ut interficeret Joannem, famulus putans a se interfici Joannem, interfecit alium : an dict. P. sit irregularis ex homicidio voluntario, vel casuali.... Videtur respondendum, cum in personam alterius homicidium secutum fuerit, esse quidem irregularem, sed tamen hanc irregularitatem provenire potius ex homicidio casuali. » Fagnanus ad cap. *ad Audientiam*, ex. de homic., n. 52 et seqq.

Amplius « S. congr. Concil. alias consulta an is qui mandavit aliquem baculo verberari, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit et occiderit, intelligatur incidisse in decr. conc. Trid. sess. 14, c. 7, adeo ut omni ordinatione, et beneficio, et officio ecclesiastico absque spe dispensationis perpetuo carere debeat : respondit non incidisse. Quinimo cum postea dubitatum fuerit an is qui gravibus ab aliquo affectus injuriis famulo mandavit ut illi in facie vulnus leve cæsim infligeret, si mandatarius hujusmodi fines excedens pluribus mortiferis vulneribus illi mortem intulerit, censeatur incidisse in irregularitatem quæ oritur ex homicidio voluntario; sacr. congregatio, licet discrepantibus sententiis, tamen majori parte tenuit non incidisse in ejusmodi irregularitatem quæ oritur ex homicidio voluntario, et ita in his duobus casibus solus mandatarius est irregularis ex homic. voluntario; non autem mandans. » Fagnanus loc. cit. n. 55 et seq. — V. supra, *Irregularitas*, art. 1, n. 44.

Sed dubitatur an mandans vel consulens censendus sit irregularis in dubio an mandatum, vel consilium fuerit necne efficax causa homicidii? Sententia communior affirmat, tum quia stat mandatum sive consilium usque dum probetur oppositum; tum quia ratio textus in cap. ad *Audientiam* ex. de homic. nempe quod in dubio homicidii tutior pars eligenda est, comprehendit tam homicidam quam mandantem aut consulentem. D. de Ligorio loc. cit., n. 371, qui tamen subjungit quod sententia opposita *non videtur dicenda improbabilis*.

An autem incurrat irregularitatem movens homicidam jam determinatum ad occisionem, ut citius eam exsequatur? *Communiter*, et recte affirmatur : « quia revera iste jam directe est causa illius homicidii eo tunc patrati. » D. de Ligorio, ibidem, n. 372.

An autem incurrant irregularitatem homicidium ratihabentes? Verius, et communius negant DD. Ratio quia nullibi habetur in jure ratihabentibus impositam esse irregularitatem. Ratihabitio autem æquiparatur mandato quoad culpam, non autem quoad pœnam, nisi in jure sit expressum, prout est expressum de ratihabentibus clerici percussionem respectu ad excommunicationem, non autem irregularitatem incurrendam. D. de Ligorio, ibid. n. 375.

« Dubitatur, an incurrat irregularitatem qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Si is tantum ex charitate tenetur impedire, certum est apud omnes non incurrere, *esto ex odio non impediat*; ita communiter.... Dubium fit, an incurrat qui tenetur impedire ex justitia ratione pacti, vel officii : nempe si sit medicus stipendio conductus, advocatus, qui teneatur reum tueri, custos viarum, pater, tutor, dominus, aut maritus, qui tenetur uxori alimenta præstare. Prima sententia negat incurrere.. Ratio quia aliter judicandus est qui positive influit in homicidium quam qui homicidium non impedit. Secunda vero sententia affirmat..... Ratio quia omittens defendere, cum possit, quem ex justitia defendere tenetur, censetur verus homicida, cum ipse, si non physice, moraliter tamen influat in homicidium. Hæc sententia est quidem communior, et probabilis, sed non minus probabilis mihi videtur prima; cum enim irregularitas debeat esse in jure expressa, recte dicit Roncaglia, ex S. canonibus, non satis constare hujusmodi non impedientes incurrere irregularitatem. Tournely, tom. II, pag. 99; Escob.... excusant ab irregularitate, qui omittunt impedire non jam studiose ut homo occidatur, sed tantum ex timore, vel negligentia; idque recte inferunt ex c. *Quæsitum de pœnit. et remiss.* ubi parentes ex quorum culpa filii in cunis perierint censetur irregulares, si studiose neglexerint suffocationem impedire, non tamen si ex ipsorum incuria filii mortui fuerint. » D. De Ligorio, ibid. n. 377.

« Et generatim in materia homicidii voluntarii incurrunt irregularitatem omnes qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius, aut securius fiat; omnes qui ad homicidium sese excitant, quamvis unus solus occidat; omnes ministrantes arma aut pecunias ad homicidium patrandum; omnes qui injuste accusant, aut testificantur, aut judicant, ut homo occidatur; omnes qui associantur occisorem, animum augendo. » Ex D. de Ligorio, ib., n. 374.

Hoc insuper ex Fagnano addere fas sit. « Pone quod clericus animo deliberato iter arripuit ad interficiendum hominem, sed non potuit, quia eum invenit mortuum; nihilominus iræ suæ satisfacere volens, eidem mortuo caput amputavit. Quæritur an sit irregularis. Quidem dicunt hunc clericum esse irregularem propter intentionem cum opere subsecuto.... Contrarium determinat archid., quia hic non erat homo, sed mortuus.....et lex factum requirit, id est ut homo jam animatus interficiatur. Item irregularitas non contrahitur nisi in casibus a jure expressis... nec in isto casu invenitur imposita. » Ad cap. *A nobis*, ex. de sent. excomm., n. 22 et seq.

Quantum vero ad homicidium commissum ex necessitate propriæ defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullam inde irregularitatem haberi ex Clement. *Si furiosus*, de homicidio, exploratum cuique est. Quod idem videtur sane affirmandum de occisione nocturni latronis cum moderamine inculpatæ tutelæ : arg. cap. 3, ex. de Homic., ubi Augustinus illud Exodi, uti apud eumdem legitur, commentatus : *Si perfodiens inventus*

Digitized by Google

fuerit fur, et percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum, sic habet : « Intelligitur ergo non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur. » ex Carol. Gagliardo. Ins. Jur. Can. lib. II, tit. X. § 102, de Imp. et irreg.

Amplius homicidium necessarium inevitabiliter, et inculpabiliter non inducit irregularitatem, si fiat ad defensionem eorum quorum vita eadem cum nostra æstimatur, ut parentum, filiorum, fratrum, uxoris. Sic Monacellus form. leg. præt. part. III, § 15, de irreg. n. 172. Idemque dicendum de illo qui ob defensionem sui proximi, ejus agressorem, servato moderamine, occiderit, cum ad talem defensionem quandoque ex charitate, quandoque ex justitia obligetur. Engel ad tit. 12, ex. de Homic. § 3, n. 55. Siquidem, ut ait Barbosa allegat. 51, n. 8 : « In foro conscientiæ quilibet regulariter potest ex jure positivo, et naturali cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere vitam.... proximi, etiam usque ad occisionem injusti agressoris, quando aliter illa defensio expediri non poterit. » Excusatur, etiam ab irregularitate qui occidit injustum invasorem alterius innocentis. Ita Suarez, de Cens. disp. 46, sect. 3, num. 2; D. de Ligorio de Irreg. num. 388.

An vero ex homicidio ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiæ, vel honorum temporalium (intellige magni momenti, quæ non possint aliter aut defendi, aut recuperari) cum moderamine inculpatæ tutelæ contrahatur irregularitas? Prima sententia affirmat...Secunda vero sententia, communior, et probabilior, negat, et hanc tenet Suarez, loc. cit., sec. 2, n. 4, qui communem vocat. D. de Ligorio loc. cit. n. 389.—Reiffenstuel ad tit. 12, ex. de Homic. huic secundæ sententiæ favet. « Probabilis quoque, en ejus verba, et in praxi tuta videtur sententia dicens, quandocumque quis licite occidit proximum pro defensione bonorum temporalium, ab irregularitate immunis est.... Nam etiam licitum est ob defensionem bonorum fortunæ occidere injustum invasorem, si bona sunt magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possunt. » Ad tit. ex. de Homic. § 4. n. 138 et 158.

Additque is idem cl. interpres, « Quicumque in casu aliquo pro necessaria defensione famæ et honoris, licite occidit invasorem, in eodem immunis erit ab irregularitate.... (attamen) sicut ordinarie loquendo illicitum, ita ordinarie loquendo irregularitati subjectum est homicidium pro prætensa defensione famæ et honoris commissum. » Loc. cit. n. 174.

Engel casum temperando scribit, in hæc verba : « Verum non æque expeditum est, an irregularitatem incurrat qui ad defensionem bonorum raptorem occidit... Videri poterunt pro negativa sententia Covarr.... et Castro. .. quorum sententia non destituitur omni probabilitate, eo saltem casu, quo defensio fuit mixta rei, et personæ, et agebatur de magna quantitate bonorum, ad sustentationem sui, et suorum necessaria. Cum enim bona *secundùs sanguis, et vitâ hominis* dicantur per gloss., ideo sicut in conservatione vitæ, ita etiam bonorum videtur d. Clem. utpote in re favorabili, interpretationem recipere posse. » Ad *tit.* 12, *ex. de homic.* § 3. *n.* 56.

Rationum momenta pro hac sententia ex theorica generali de homicidio desumi possunt, eaque nos sub v. *Moderamen inculpatæ tutelæ* copiose, afferemus.

Fagnanus contra absolute tenet homicidium pro honore et bonis temporalibus tuendis secum habere irregularitatem. « Similiter, sic ille, ut ex littera textus in Clement. deducit glossa, non vitat irregularitatem committens homicidium pro necessaria defensione proprii honoris. Cujus opinio in hoc fere ab omnibus recipitur. Si igitur in prædictis casibus non excusantur ab irregularitate qui occidunt vel mutilant, longe minus excusari debent qui hoc faciunt pro defensione rerum temporalium, quantumcumque necessaria et inevitabili. » Ad cap. *Suscepimus*, ex. de homic., n. 19.

Cæterum in hac re lectoris sit judicium. Illud fortasse asseri potest, doctrinam Fagnani esse saltem litteræ textus Clement. *Si furiosus*, magis consentaneam.

Quoad vero homicidium causale spectat, vulgo distinguuntur dantes operam rei licitæ ab rei illicitæ operam navantibus. Adeo ut in primo casu, dummodo debita diligentia servetur, ex morte secuta, irregularitas minime contrahatur, ut tenet communis DD. In secundo vero casu, utrum dans operam rei illicitæ, etiam cum debita cautela et advertentia, morte vel mutilatione obveniente, irregularis evadat : distingue cum D. de Ligorio « si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vitandam : puta si quis cæderet arborem in solo alieno, et mere fortuito hominem occideret... Ratio quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe, cum non sit intentum, neque indirecte in sua causa, cum talis actio non sit in se periculosa.... ita communissime..... Nec obstat.. quod tantum in jure excipiuntur qui dant operam rei licitæ.. Ergo qui dat operam rei illicitæ ex qua mors sequitur, jam fit irregularis. Nam respondetur quod canones hi semper intendunt loqui de homicidio directe vel indirecte volito... Unde semper ac homicidium est alicui omnino involuntarium, non imponitur ei irregularitas, quamvis operam rei illicitæ ipse navet. » loc. cit. n. 386. — Sic quoque sentit Engel « Homicidium casuale, sunt ejus verba, danti operam rei illicitæ tunc ad irregularitatem imputandum est, quando actus ille illicitus ex sua natura est ordinatus, vel periculosus ad læsionem alterius, atque ex eo, si non semper, saltem frequenter, soleat homicidium, vel mutilatio consequi... Si contra si actus ex alio fine fuerit illicitus, non inducetur irregularitas, si per accidens et casualiter contingat homicidium (nisi

Digitized by Google

alio modo agens in culpa saltem levi fuerit. » Loc. cit., n. 50.

An vero fiat irregularis adulter qui occidit maritum aggressorem, ob inculpatam suæ vitæ defensionem? Si adulter non posset fugere, tunc adsunt tres sententiæ. Prima absolute affirmat irregularitatem incurrere, ex eo quod dans operam rei illicitæ, fit irregularis si mors inde sequatur. Secunda sententia opposita absolute negat incurrere, quia homicidium non provenit tunc adulterio nisi per accidens; per se provenit tantum ex injusta invasione mariti, cujus vim licite potest adulter vi repellere ad suam tuendam vitam. Tertia sententia, quam teneat Suarez disp. 46, sect. 1, n. 22; Layman lib I, de Just., tract. 3, p. 3, c. 10, distinguit, et dicit quod si adulter prævidendo invasionem mariti, temere accedat et illum occidat, tunc fit irregularis: secus, si accedat clam, et cum debita cautela, ne a marito inveniatur. « Et huic sententiæ, ait D. de Ligorio, me adjicio, si periculum invasionis prævideatur proximum et facillimum; quia eo casu adulterium est proxime periculosum homicidii; secus si periculum sit remotum et adulter caute accedat. » Lib. III, cap. 1, dub. 4, n. 398.

Quid si vir cognito adultero occidat uxorem, erit ne adulter irregularis? Negant communiter; alii distinguunt, ut in præcedenti quæstione, « Eodemque modo, scribit D. de Ligorio, ipsis consentio, si uxoris occisio proxima, et facillima prævideatur: secus, si remota et difficilis. » Loc. et n. cit.

Fagnanus ad cap. *De Cætero*, ex. de Homic., duos sequentes casus a S. C. Concilii sic resolutos refert. — « Petrus presbyter Pampilonensis, cum audivisset Martinum laicum cum quadam muliere soluta ipsius oratoris ex fratre nepote solere carnaliter commisceri, et quadam nocte domum ejus ingressum esse, et cum illa commorari, armatus ipse, aliisque consanguineis comitatus ad dictam domum dictæ neptis accessit, ea intentione, sicuti asserebat, ut Martinum compelleret contrahere cum ea matrimonium, non autem ut eum occideret. Verum simul ut Martinus audivit fores pulsari, se in aream dictæ domus e fenestra projecit, ac statim exanimatus est. Quæsivit Petrus an propterea contraxisset irregularitatem. Die 29 novembris 1602, S. congregat. Concilii, cui undecim cardinales interfuerunt, censuit, Petrum prædictum, secundum ea quæ proponebantur, non incidisse in irregularitatem. — Et postea cum quidam presbyter Oriolen. diœcesis noctu ad mulierem conjugatam accessisset, ab ipsa de viri absentia eductus; cumque vir ipse, casu superveniens, uxorem necasset, dubitavit idem presbyter num incidisset propterea irregularitatem. Die 31 Julii 1610 S. congregatio respondit, uti prius censuerat, prævia diligenti discussione, adulterum ob mortem adulteræ a marito propter adulterium inflictam, non esse irregularem. » n. 15.

Quæritur, si quis tantum vulneratus, exinde mortuus fuerit, non quidem ex vulnere, seu vel ex imperitia medicorum, vel ex morbo, aut alio casu superveniente, tunc saltem vulnerans censeatur irregularis? Si mors secuta sit occasione vulneris, quamvis non immediate ex vulnere, ut quia febris, aut inflammatio supervenit, quam imperiti medici curare non potuerunt, vulnerans erit irregularis: danti enim operam rei illicitæ imputantur quæ sequuntur. Si vero mors contigerit prorsus a causa extrinseca, veluti si vulnus fuit levissimum, et nullo modo periculosum, medicus vero, vel æger ipse nocivum medicamentum adhibuerit, his et similibus casibus vulnerans nullam contrahet irregularitatem. Engel ad lib. v, tit. 12, ex. de Homic., § 3, n. 54. — Vide supra dicta de irregularitate quæ habetur ex dubio homicidii.

Quoad irregularitatem quæ ex mutilatione contrahitur, præstat hic inquirere quid mutilationis membrorum significatu veniat. Communissime et probabilius DD. docent nomine *membri* intelligi tantum partes illas corporis quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum, etc. Hinc probabilius dicunt non incurrere irregularitatem qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos, et tanto minus, qui capillos aut barbam abscinderet. Item nec qui aufert alteri digitum quisque sit. Nec obstat textus in 6 c. *Qui partem*; nam respondetur illi non fuisse irregularitatem impositam ob solam mutilationem, sed ob pravam voluntatem, *quæ sibi causa fuit*, ut ibi dicitur, *ferrum injicere*. — An vero sit irregularis qui abscidit testiculos: probabilius affirmandum. Secus vero si unus tantum testiculus auferatur, quippe cum unus ad generationem satis sit. Qui vero mulieri unam mammillam abscinderet fieret irregularis, quia unaquæque mammilla proprium officium habet. Sic D. de Ligorio de Cens. et Irreg., num. 379, 380.

An autem per violentam abscissionem digiti pollicis incurratur irregularitas, dubium est. Nam casu proposito in S. congreg. die 31 januarii 1688, responsum fuit: *dispensationem requiri ad cautelam*: Monacell. Form. leg. pract., suppl. ad tom. II, n. 72, pag. 50. — Idem ad suppl., tom. II, n. 428 et seqq., pag. 106, hæc habet: « Qui sponte se castrare facit, et culpa sua seipsum mutilat, evadit irregularis. In qua irregularitate inducta a concil. Nicæno primo solus Papa dispensat: S. cong. Episc. 15 jan. 1694. Et quamvis abscissio hujusmodi sit occulta, non est dispensabilis ab episcopo; quia irregularitas inde proveniens non fundatur in notorietate, sed in excessu et in sævitia sui ipsius, et in periculo homicidii, quod ex secatione sequi poterat. . . Ideoque tales eunuchi pro dispensatione ad sac. congreg. Concilii recurrunt. »

Non tamen sunt irregulares qui non sua sponte, sed casu, aut ab incunabulis, aut

Digitized by Google

per vim, seu insidias hominum, aut propter ægritudinem, secti sunt... nisi id sua culpa acciderit, quia dabat operam rei illicitæ, ut in adultero, cui a marito mulieris cum qua fuit deprehensus.. sunt abscissa virilia, quem esse irregularis tenet Hostien. . . (Tamen) ille adulter non videtur manere irregularis, nisi forte temere accessit ad uxorem alterius, et sine sufficienti cautela moraliter exponens se tali periculo. Garcias, part. VII, cap. 13, de Benef., n. 7, 8, 12.

Eruens oculum, abscindens manum, vel ejus partem notabilem detruncans, fit irregularis . . . Non incurrunt irregularitatem qui vulnere vel percussione debilitant membrum, etiamsi in curatione membrum abscindatur: hi enim vere non mutilant, quia membrum non amputant, nam membrum debilitatum non desinit esse membrum. Ex quo infertur quod si quis reddat aliquem, cæcum non eruendo oculum vel oculos, non est irregularis. Monacellus form. cit. part. III, § 15, n. 166, pag. 40.

Quoties porro de irregularitate ex homicidiis, vel mutil. in bello sermo est, ubi de bello justo aggressivo agitur « neminem alium, ait Gibalinus, quomodocunque concurrat ad bellum hujusmodi, fieri irregularem propter homicidia quæ committuntur ab aliis, quod fatentur omnes, et colligitur ex cap. *Petitio*, etc., nihilque hoc loco distinguendum esse inter laicos et clericos: omnes enim si propria manu mutilent aut occidant, sunt irregulares in hoc bello; nulli autem irregularitati obnoxii sunt, si a mutilationibus et cædibus ipsi abstineant. Neque quidquam facit quod clerici tunc in bello assistentes, sint in sacris, quia capitulum *Petitio* loquitur de sacerdote, quem non damnat irregularitatis, nisi illum conscientia alicujus a se occisi mordeat, neque in his videtur ullus ambigendi locus. » cap. 4, consect. 7, diffic. 4, apud Bened. XIV Inst. Eccl. 101, n. 11.

« Accedit etiam, sic docet generatim de bellis justis Bened. XIV, irregularem haud fore clericum aut laicum qui manu sua aliquem peremerit aut mutilaverit, si has cædes patrarit ut vitam suam in discrimine positam vindicaret. Sic decernitur in Clement. *Si furiosus*. de Homic. Equidem plures in dubium revocant utrum hæc Pontificis constitutio non solum privatas rixas, sed etiam pugnas et conflicta complectatur: tamen unanimi consensu major pars theologorum existimat, tum in privatis dissidiis, tum in præliis locum obtinere rationem tuendæ vitæ, et pro qua hostis necandus est. Quapropter, si Pontifex immunem irregularitate declarat eum qui cum moderamine inculpatæ tutelæ privatim rixando adversarium suum interficit, immunis quoque irregularitate censendus est qui in acie pugnando, servatoque eodem moderamine, cædem committit. Hinc memoriæ proditur patrem Anselmum Petramellaram Capuccinum, qui manu sua septem Turcas obtruncavit, cum victoria superbi atque insolentes navim ejus invaserunt, ad pedes S. Pii V supplicem ac provolutum, ut irregularitatis vinculo solveretur, omni prorsus irregularitate immunem a Pontifice declaratum fuisse, eo quod parumper deposito crucis signo, quod manibus gerebat, ensem distrinxerat ut vitam defenderet, pro qua tuenda septem ex hostibus neci tradiderat. Id Boverius in Annal. Capucc. ad an. 1571, n. 67, idemque Raynaldus commemorant. » loc. citat, n. 12.

Nec tantum pro defensione propriæ vitæ in bello justo nulla incurritur irregularitas, sed etiam pro necessaria tuitione patriæ et Ecclesiæ, si de bello defensivo agatur. Audiamus eumdem Benedictum XIV in hæc verba scribentem, nempe:

« Sin autem bellum justissimum appareat, tunc bellum defensionis a bello offensionis oportet secernere,.... Cum bellum justum ad defendendam patriam Ecclesiamque suscipitur, laicus qui pugnando hostes interfecit nulla irregularitate devincitur. Idem prorsus de clerico statuendum est, si jussus bellum ineat, nec pro Ecclesia vel patria tuenda laici sufficiant. Quod si bellum justum ad offendendum suscipiatur, accurate perpendi debet, utrum laicus, aut clericus hostem manu sua peremerint vel mutilaverint. Nam si ipsi nihil horum patraverint, omni prorsus irregularitate immunes habentur, licet alii milites in eadem acie hostes morte affecerint, vel parte aliqua corporis imminuerint. » loc. cit. n. 9.

Atque hinc vides discrimen quod inter bellum justum offensivum et bellum justum defensivum intercedit; adeo ut in hoc postremo casu pro necessario tuenda patria, etc., nulla habeatur irregularitas; in illo vero fiant solum irregulares revera occidentes vel mutilantes.

Præterea, irregularitati non esse obnoxium sacerdotem qui bellum justum offensionis iniverit, incertusque est, utrum aliquem in conflictu necaverit aut mutilaverit, quamvis alii multos interfecerint, aut mutilos reddiderint. Sic Bened. XIV, loc. cit., n. 10. Atque hæc hactenus de irregularitate quæ ex homicidio vel mutilatione multifaria contrahi potest.

Quantum vero ad irregularitatem quæ ex irreverentia erga ordines incurritur, in comperto est clericos excom., suspensos, interdictos, depositos, ubi semel in sacris ministrare attentaverint, fieri irregulares. Secus si censuræ nulliter latæ violatæ sint. S. C. Conc. in Herbip., 19 Jul. 1704.

Quod si minori fuerint excommunicatione innodati, irregularitatem non contrahere Gregorius IX declaravit, hoc sane pacto: « Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit. » Cap. 10, ex. de Cleric. Excom. vel depos. ministr. Excipit quoque Monacellus cum Bonacina clericos censuris innodatos, exercentes solemniter, vel ex officio actus majoris ordinis, si excusentur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ. Formol. legal. pract., part. III, § 13, n. 171. — Ignorantia porro

Digitized by Google

ex bona fide metienda est; secus dicendum de ignorantia crassa et supina, ut manifeste habetur ex cap. 9, ex. de Cler. Exco.n. vel dep. ministr., tenoris sequentis : « Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum, si forte ignorantia crassa, et supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate apostol. indulgemus. »

An vero clerici minorem ordinum suas horum functiones in censuræ statu exercentes fiant irregulares, disputatur.

Ante omnia præmittimus pro hac quæstione textum in cap. 2 ex. tit. cit., ubi hæc habentur : « Si quis presbyter aut *alius clericus* fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus, et ipse per contemptum et superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, et postea ab episcopo suo correptus, et in cœpta præsumptione perduraverit, modis omnibus excommunicetur. » — Præstat nunc audire Fagnanum in commentario ad hunc textum. « Ad partem negativam arguitur, sic ille, quia canones qui in contrarium allegantur... videntur restringendi ad constitutos in sacris... et cum nullum jus expresse dicat clericum inferioris gradus citra sacros excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum in ordine suo ministrantem, in irregularitatem incidere, nec nos hanc pœnam inducere debemus. Quia ubi pœna statuta non est, non est nostrum ipsam imponere... Quia acolyti et inferiores quasi laici censentur... nec in degradatione ipsorum adhibetur illa solemnitas quæ adhibetur in degradatione constitutorum in sacris... deinde minorum ordinum ministeria ex generali consuetudine promiscue exercentur tam a clericis quam a laicis, et ob hoc potissimum fundamentum huic opinioni adhærent complures theologi. » — Atque hæc sunt rationum momenta pro negativa opinione firmanda.

« Verum, prosequitur Fagnanus, quidquid subtilizetur, certum est etiam clericos minorum ordinum censura irretitos, ministrando in aliquo ex dictis ordinibus, irregularitatem incurrere. Quod probatur primo ex hoc textu (*Si quis presbyter*, supra allato), qui non tantum loquitur de presbytero sed etiam de aliis clericis, qui aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserint... Sicut hæc rubrica, quæ non inscribitur *de Presbytero, vel diacono*, etc., *sed de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante: Clericorum* autem appellatione absque dubio veniunt clerici minorum ordinum... præsertim cum ponuntur ad differentiam Presbyterorum. Unde jus generaliter et indistincte loquens, generaliter, et indistincte intelligitur. Deinde hoc videtur expressum in Const. Sixti V, *Sanctum, et salutare*, contra Clericos male et Simoniace promotos, quæ clericos, etiam primæ tonsuræ male promotos perpetuo suspensos declarat ab exsecutione, ministerio, et exercitio ordinum susceptorum; ac si in eis ministrare præsumpserint, illos sic irregulares effectos, omnibus officiis, et beneficiis privat. » Ad caput. *Si quis presbyter* n. 7 et seqq.

Benedictus XIV in const. *Inter præteritos*, § 4, n. 48 et seq. hanc Fagnani sententiam calculo suo probare videtur, insuperque stylo S. Pœnitentiariæ et congregationis Concilii comprobatam admonet.

Cæterum Fagnanus sententiam suam limitat ad peculiares clericorum functiones ratione ordinis : « secus vero ubi exercent aliquid non deputatum certo ordine Ecclesiastico, ut cantare responsoria, dicere psalmos, et similia; non tamen principalius officiando in ecclesia, sed tanquam quilibet alius laicus. » Ibid. n. 15.

Distinguendo nunc hoc loco functiones ordinis ab exercitio jurisdictionis, notasse liceat quod episcopus excommunicatus ordinans fit irregularis, quia ordinare est exercere actum ordinis episcopalis : sic Suarez de Cens. disp. 12, sect. 2, n. 21, etc.

Similiter episcopus excommunicatus benedicens populum non est irregularis, quia exercet non actum ordinis, sed jurisdictionis. Alterius, lib. II, de Cens., disp. 1. c. 1.

Hoc pacto majores excommunicati (ante denuntiationem tolerati) suspensi, interdicti exercendo jurisdictionem spiritualem, excommunicando scilicet, absolvendo a censuris, conferendo beneficia, etc., licet peccent, non sunt irregulares, nam irregularitas est solum imposita contra illos exercentes actum ordinis. Sic Sayrus lib. VII, Thesauri, c. 9, n. 10; Avila part. VII, disp. 9, sect. 2, dub. 2.

Clericus excommunicatus exercens ut laicus actum sacri ordinis, sine ritu et vesto ab ecclesia prælixa, non est irregularis : nam ille actus non est ordinis. Suarez loc. cit. sect. 1, n. 4.

Sacerdos excommunicatus recitans solemniter inter orationes, horas, orationem Dominicalem, non est irregularis, quia illa recitatio non est actus ordinis, sed dignitatis, ecclesiæ ritu assignata digniori personæ. Avila de Cens., disp. 9, sect. 2, dub. 2.

Sacerdos excommunicatus prædicans non est irregularis, quia non exercet actum ordinis, sed potius doctoris; idque etiam si sit suspensus ab episcopo ab officio prædicandi, cum actum ordinis prædicando non exerceat. Henriquez lib. XIII, cap. 6, n. 5, lit. R.; Sayrus lib. IV, c. 16, n. 21; aliique, contra Majolum.

Censura innodatus excommunicationis, interdicti, suspensionis cogens alium excommunicatum ad celebrandum coram se, vel non excommunicatus cogens ad celebrandum coram alio excommunicato, non est irregularis, quia non exercet actum ordinis cogendo, nec jure invenitur expressum, etiamsi episcopus vel quivis alius excommunicatus cogat ad celebrandum; quippe textus in c. *Illud*, de Cler. excomm. vel dep. ministr., probabiliter id non asserit. Ita Gibalinus de irreg., q. 2, consect. 12, contra Navar. Alter et alios.

Digitized by Google

Sacerdos censuris non irretitus celebrans coram vitando excommunicato a Papa vel ab episcopo non est irregularis ; nam in jure non exprimitur, licet contrahat excommunicationem majorem celebrans coram excommunicato a Papa, ex cap. *Significasti*, ex de sentent. excom. Henriquez lib. XIV, c. 7, n. 3 ; Suarez de Cens. disp. 42, sect. 5, n. 2. « Celebrans scienter in ecclesia sanguinis vel seminis effusione polluta, vel præsentibus majori excommunicatione nodatis, licet temerarie agat, tamen non est irregularis ; quia hoc non est expressum in jure. » Barbosa ad cap. *Is qui*, de sent. excom. in 6, n. 1.

Episcopus nominatim suspensus exercendo ordines fit irregularis. Cap *Is qui*, de Sentent. excom. in 6 ; Suarez loc. cit., disp. 26, sect. 2, n. 2.

Suspensus a præsentando, eligendo, conferendo, excommunicando, absolvendo a censuris, exercendo actum suspensum non fit irregularis, cum non sit expressum in jure. Giballinus cap. 9, de Irreg. q. 4, consect. 14.

An vero incurrat irregularitatem qui ordinatur aliqua irretitus censura? Audiamus in hac re Benedict. XIV ita docentem : « In nonnullis diœcesibus (sunt ejus verba) eousque processerat clericorum audacia, ut quamvis suspensione irretiti, ab exercitio se abstinerent ordinum quibus erant initiati, attamen nulla impetrata absolutione a censura ad superiorem ordinem ascendere non dubitarent. Episcopi in quorum diœcesibus hæc frequentius eveniebant... quæsiverunt a nobis in minoribus tunc constitutis, an sibi fas esset eos synodali decreto declarare irregulares. Huic interrogationi indubitanter respondimus id nequaquam ab episcopis posse decerni. Apud omnes enim canonistas principii loco est irregularitatem a solo jure, et non ab homine induci posse. A jure autem irregularitate quidem afficiuntur qui contempta qua ligantur censura, in suscepto ordine solemniter ministrant ; nunquam vero irregulares pronuntiantur qui cum ejusdem censuræ vinculo ad superiorem ordinem ascendere præsumunt. Scimus enimvero non defuisse doctores quibus visum cum fuerit ascensum ad altiorem ordinem quoddam esse exercitium inferioris ordinis jam suscepti, ideirco docuere irregularitatem a jure in primo casu irrogatam, etiam secundum complecti... Sed istud non ignoramus veriorem et communiorem esse sententiam oppositam, quæ quamquam sacrilegii reum fateatur, qui sciens se censuræ vinculo obstrictum, superioris ordinis gradum audacter conscendit, eum tamen ab irregularitate absolvit. Quam quidem sententiam amplexata est S. congr. Concilii in Carinolen. seu Neapolitanæ Ordinationis, die 31 jan. 1688 : siquidem recipiens altiorem ordinem non nisi improprie dicitur solemniter ministrare in inferiori ordine, a cujus exercitio est suspensus. » Lib. XII, cap. 3, n. 6 et 7.

Male promotos quoque in ordinum susceptione inter irregulares abjicit Ecclesia. Uti tales habentur ordinati ab episcopo qui renuntiavit episcopatui. — Sic quoque « qui ordinatur ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schismatico, aut simoniaco, fit irregularis. » Sic D. de Ligorio de Irreg., num. 358, cum aliis idem tenentibus DD. Porro etiam « ex furtiva ordinum susceptione fit irregularis qui ordinem recipit sine approbatione episcopi ; nam is prohibetur ad alium ordinem ascendere. Qui sine dispensatione episcopi eodem die recipit plures ordines quorum unus est sacer ; qui post matrimonium contractum ante consummationem ordinem sacrum recipit, renitente uxore. » Vero in fin. hæc addit : « Alias vero furtivas receptiones ordinum ex defectu dicunt Suarez et Salm. potius inducere suspensionem quam irregularitat. ; nihilominus pro absolutione hujusmodi suspensionis semper est recurrendum ad Papam. » D. de Ligorio, loc. cit., n. 361.

Contra vero aliis visum sic ordinatos non esse irregulares, sed suspensos ab exercitio ordinis suscepti. Hoc pacto ex horum posteriorum sententia, ordinatus ab episcopo qui renuntiavit episcopatui non est irregularis, sed suspensus ab exsecutione ordinis suscepti. Azorius, p. 3, lib. III, c. 48, q. 13. Idem dicas de ordinato ab episcopo innodato censura, vel irregulari, adeo ut non incurrat irregularitatem, sed suspensionem. Leander disp. 20, q. 2. « Ordinatus ab episcopo excommunicato, sic Reiffenstuel, recipit quidem characterem ordinis, non tamen hujus exsecutionem. Quia cum episcopus excommunicatus, idemque est de suspenso, deposito, degradato, simoniaco, hæretico, vel schismatico... ordinis exsecutionem non habeat, nec aliis eam dare potest.... Igitur qui ignoranter ordinatus fuit ab episcopo excommunicato, suspenso, etc., cum primum id resciverit, tenetur ab usu et exsecutione ordinum sic receptorum abstinere, donec per proprium episcopum dispensetur, utpote qui ipsum a tali *suspensione* absolvere seu dispensare potest... Si vero clericus, prosequitur idem cl. interpres, scienter, aut per ignorantiam crassam vel supinam ordinatus fuerit ab episcopo excommunicato, tunc per solum Papam poterit cum eo dispensari. » Ad tit. 13, ex de Ordinatis ab episc. qui renunt. Episc., n. 8 et seqq.

Requiritur amplius quod episcopus ob crimen suum vel censuram fuerit nominatim denuntiatus, aut notorius existat percussor clerici : alioquin, sicut de facto vitandus non est, ejus ordinatio non inducit inhabilitatem exercendi ordines ex parte ordinati. Reiffenstuel, loc. cit., n. 13.

Sic quoque furtive ordinatus, hoc est sine approbatione, vel recipiens duos ordines minores inscio episcopo, vel non approbatus, vel alium examini suo loco submittens, non est irregularis, sed suspensus. Suarez de censuris, disp. 42, sect. 3, n. 1 ; Giballinus c. 5, de Irregul., q. 1, n. 21, dub. 6.

Præterea recipiens eodem die tonsuram et ordines minores non est irregularis. Say-

Digitized by Google

rus lib. VII, c. 10, n. 25. Neque irregularitatem incurrit recipiens eodem die ordines minores et subdiaconatum inscio episcopo, sed adest pœna suspensionis ferendæ. Suarez de Censur., disp. 42, sect. 3, n. 1.

Ex sententia D. de Ligorio, quæ est etiam Lucii nostri « qui eodem die duos ordines sacros susciperet, non solum graviter peccaret contra præceptum Tridentini in cap. 13 : *Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus conferantur;* sed etiam incurreret suspensionem ab illorum exercitio, et in irregularitatem incideret. » De Sacram. Ordin., n. 796. Barbosa vero de Offic. et Potest. Ep., all. 14, n. 11; Engel ad tit. 11, ex de Temp. Ordinat.; Reiffenstuel ad tit. *Eumdem*, § 8, n. 206, de pœna suspensionis duntaxat, in casu proposito verba facere videntur. « Sub pœna *suspensionis* prohibitum est ne plures sacri ordines, vel etiam minores cum subdiaconatu eodem die recipiantur. » Engel loc. cit.

« Sed dubium est an suscipiens una die duos sacros ordines sit suspensus ab utroque, vel ab altero eorum. In quo dicendum mihi videtur fieri suspensum solum ab ultimo ordine suscepto. Ita Suarez de Censuris. disp. 34, sect. 1, n. 40. » Barbosa de Officio et Potest. Episc., alleg. 14, n. 11.

« Bonacina subdit, sic idem Barbosa, dispensationem suspensionis contractæ ab eo qui plures sacros ordines, aut minores cum subdiaconatu eodem die recepit, esse summo Pontifici reservatam, et excipit casum, quando sic ordinatus religionem ingressus est, et peracta pœnitentia laudabiliter in religione vixit, quia tunc abbas et episcopus dispensare poterunt. » Collectanea *DD.* in Tridentinum ad cap. 13, sess. 23. de Reformat., n. 14.

Additque is idem scriptor « Episcopum plures sacros ordines uni conferentem eodem die, suspendi a collatione ordinum, donec a Papa dispensetur. » Ibid., n. 13.

Atque in hac de qua agimus materia operæ pretium est constitutionem Pii II hic afferre in hæc sane verba : « Omnes et singuli qui absque dispensatione canonica aut legitima licentia, sive extra tempora a jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque litteris dimissoriis proprii ordinarii ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum exsecutione ipso jure suspensi sint; et si, hujusmodi suspensione durante, in iisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. » Constit. incip. *Cum ex Sacrorum ordinum*, tom. I Bullar. Quæ constitutio, ut Gagliardus scribit, suam usu vim habet. Inst. Can. lib. II, cit. 10, de Sacr. ord., n. 108.

An autem incurrat irregularitatem qui ante legitimam ætatem suscepit sacerdotium? Prima sententia affirmat... secunda vero sententia communior, et valde probabilis, negat; et hanc tenent Suarez... Barbosa... Referuntque Suarez, ac Escob., hujusmodi ordinatos ex stylo cancelleriæ non reputari irregulares, cum ipsi tantum a suspensione absolvantur. D. de Ligorio de Sacram. Ord., n. 799, dub. 3.

Dubitatur adhuc an suspensus ubi non ordinis sacri male suscepti, sed alterius antea rite, ac bene sibi collati functiones obiverit, incurrat irregularitatem. Negans opinio est probabilior : attamen contrariam uti tutiorem approbat stylus S. Pœnitentiariæ apostolicæ, eo etiam in casu largientis dispensationem super irregularitate. Gagliardus loc. cit., n. 110.

At exercens minores ordines male promotus non fit procul dubio irregularis, ex ejusdem bullæ Pianæ sententia, quæ hujusmodi pœnam in sacris duntaxat male susceptis ordinibus infligit. Gagliardus, ibidem.

« An vero clericus qui in ipsa ordinatione suspenditur eam indebite suscipiendo, irregularitatem incurrat, si in ipsa ordinationis missa solemniter ministret, puta canendo evangelium vel epistolam? Affirmat Journely cum aliis. Sed alii negant; quia ille actus moraliter loquendo non est distinctus ab ipsa ordinatione; cum tota actio ordinantis a princ. usque ad finem officii sit unus actus moralis, ad quem reliqui spectant. »

Pariter fit irregularis clericus ministrans scienter et solemniter in ordine sacro, quem non habet. Et revera grave delictum est si clericus exerceat ordinem quem non suscepit : v. g. si diaconus missam celebret, solemniter baptizet, nuptias, aut aquam benedicat. Porro ex irregularitate quæ inde contrahitur sane fit ut ad superiores ordines, puta diaconus ad sacerdotium ordinari non amplius possit, textu claro : *Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur* (98). Cap. 1, ex de Cler. non ord. min. Reiffenstuel. ad h. tit., § 1, n. 1 et 2.

Ad hoc ut clericus non *ordinatus* irregularitatem incurrat, sequentes requiruntur conditiones. Prima, ut proprium actum seu ministerium ordinis exerceat quod non nisi ab ordinato exerceri potest : prout contingeret si minorista epistolam cum manipulo, vel subdiaconus evangelium cum stola solemniter cantaret, vel diaconus celebraret, solemniter baptizaret, sacramentaliter absolveret, extremam unctionem conferret (99), etc. Secunda conditio est ut clericus hujusmodi ordinis actum exerceat *serio*,

(98) Altera etiam pœna sic delinquentem comitatur, nempe suspensio ab ordine proxime suscepto infligenda ad biennium, vel triennium, ex cap. 2, ex de Cler. non ord. ministr. ubi statuitur « qui missarum celebrationem usurpare præsumpserit.... ad sacerdotis officium non poterit promoveri; a diaconatu quoque biennio vel triennio manet suspensus. » Dicitur notanter *ab ordine proxime suscepto :* cum enim nec in hoc capitulo nec alibi fiat mentio aliorum inferiorum ordinum, horum suspensionem talis clericus non incurrit Suarez de Cens., disp. 42, sect. 4, n. 4; Reiffenst. ad tit. cit., § 1, n. 4. — Tertia pœna est excommunicatio. Suarez loc. cit. n. 7; ibid., n. 5. Quarta pœna est degradatio et traditio curiæ sæculari. Reiffenst. eod., n. 5.

(99) Secus si ex. g. clericus in minoribus constitutus

saltem quoad exteriorem actionem; si enim ex loco duntaxat, vel per modum ludicræ, vel scenicæ actionis id facit, in ordine ministrare, vel actum ejus exercere non censetur, consequenter irregularis non evadit. Pirhing tamen cum Suarez bene subjungit sufficienter ad propositum *serio* agere illum, qui exteriorem actionem ordinis serio produxit eo modo et fine ut homines decipiat; vel persuadet se ex vero et sincero animo, et intentione etiam interna, talem actum ordinis exercere, etsi revera talem intentionem, et mentem internam non habeat, imo nec habere possit, quando scit quod ordinem requisitum pro actu non habebat. Reiffenstuel ad tit. 28, ex. de Cleric. non ordin. ministr., n. 2 et 6.

Nota clericum non sacerdotem, etiam in extrema necessitate baptizantem solemniter, fieri irregularem; nam exercet actum proprium sacerdotis. Barbosa ad cap. *Si quis baptizaverit*, ex. tit. cit., num. 2.

Secus dicendum de diaconis solemniter baptizantibus « si illis ob rationabilem aliquam causam baptizatio a proprio sacerdote commissa fuerit. » Engel ad tit. ex. de bapt. n. 2.

Quæritur utrum laicus exercendo actum ordinis præsertim *majoris*, puta, celebrando missam, absolvendo sacramentaliter, irregularitatem, vel aliam pœnam, et quam incurrat? Laicus qualemcunque actum ordinis exercens, irregularitatem non incurrit... Ratio est quia rubrica hujus tituli de solis clericis non *ordinatis*, minime vero de *laicis* loquitur, consequenter ad hos dispositio pœnalis extendi non debet.... Reiffenstuel de Cler. non ord. Ministr., n. 11 — « An autem laicus exercens actum ordinis quem non habet incurrat irregularitatem, probabilius negatur. » D. de Ligorio de Irregul., n. 359.

Quamvis vero laici actum ordinis exercentes irregularitatem non incurrant, nihilominus si laici vel clerici celebrationem missæ vel absolutionem sacramentalem usurpare attentant, tanquam idololatræ et gravissimi *falsi rei*, omni misericordia indigni judicari, et curiæ sæculari pro debitis pœnis tradi possunt et debent, prout de utriusque Clemens VIII et Urbanus VIII statuerunt in constitutionibus *Et si alias*: — *Apostolatus officium*: Reiffenstuel ibidem, n. 13.

Inter crimina irregularitatem inducentia est quoque adnumeranda violatio ecclesiasticæ immunitatis: ex Carol. Gagliardo, Inst. Jur. Can., de Sacram. Ord. lib. II, n. 104.

Quoad autem irregularitatem ex infamia, illud hic iterum repetimus quod v. *Infamia* diximus, nempe solam infamiam facti non reddere hominem irregularem, etiamsi sit publicus concubinarius, ut docent Suarez de cens., disp. 42, sect. 3, n. 7; Giballinus, c. 5, de irreg., q. 4, consect. 7, n. 19. — « Quod si clericus repertus fuerit (stupri) reus, ac etiam a judice condemnatus, quamvis tunc ob notorietatem delicti efficiatur infamis infamia facti, tamen non evadit irregularis, ut a suo ordinario, peracta pœnitentia, non possit ad ulteriores ordines promoveri, quidquid perperam dicant sine juris fundam.... Nam crimina quæ juris infamiam non habent annexam (prout illam non habere crimen stupri compertum est ex c. *Infames*, 6. q. 1.) non inducunt irregularitatem veram, etiamsi delinquens factus sit infamis ob publicitatem criminis. » Monacellus Form. leg. pract., suppl. ad tom. I, tit. 8, form. 10, n. 161 — Vide additiones nostras. v. *Infamia.*

Insuper hic addimus, non esse infames nec irregulares tabernarios, macellarios, cum non sit expressum in jure. Palaus disp. 6, puncto 20, n. 6; Leander tom. v, tract. 2, disp. 26, q. 11. — Sic quoque publicos pœnitentes non esse infames, nec irregulares. Suarez loc. cit. disp. 42. sect. 2, n. 3; Giballinus ibid., c. ult., q. ult., in fine tradunt.

Ex defectu corporis habendus irregularis impotens ordinem exercere, vel valde deformis.

Hinc oculi defectus generans horrorem, licet visum non tollat, reddit irregularem, et qualis sit gravis horror deformans, episcopo standum. Henriquez lib. XIV, c. 8, n. 2; Fillucius tract. 19, c. 3, q. 9, n. 168 — Sic myopia, hoc est visionis debilitas, tantum prope oculos admota videns, reddit hominem irregularem, si inde deformitas gravis, vel videntium risus excitetur. Sylvester v. *Corpore vitiati* 1, n. 5: Navarr. c. 27, n. 144.

Surditas utriusque auris reddit irregularem, nam generat risum respondendo obscure, vel confundendo interrogata responsis, non sic surdastitas. Filliuc. ibid., n. 169. Layman lib. I, tr. 5, puncto 5, c. 7, n. 1. — Si tamen sacerdoti talis morbus superveniat, irregularitas erit partialis, impediendo scilicet aliquas ordinum functiones. DD. communiter.

tutus caneret epistolam sine manipulo, quia sic interdum cantitur a laicis: Antoine Theol. Moral. de censuris, cap. 5, q. 5.

« Irregularitatem non contrahit exercens ordinem sacrum sine solemnitate, quamobrem cantans Epistolam sine manipulo, vel Evangelium sine stola, non fit irregularis, eo quod non dicatur cantare solemniter ex ordine et ex officio, sed tantum dicatur ministerium cantoris. » Barbosa Repertor. Jur. Can. et Civ., v. *Irregularitas*. Hic notandum, Lucium nostrum v. *Missæ sacrificium*, art. 12, n. 58, referre Decretum S. congregationis, an. 1604, tenoris sequentis: « Clericus qui solemniter cantat epistolam cum tunicella, et reliquis sacris vestibus, sed absque manipulo, debet petere dispensationem irregularitatis ad cautelam. » At lectorem nosse oportet eamdem S. Congregat. die 5 Jul. 1698, in Colten. decrevisse in hæc verba: « Desiderante subdiacono pro missa solemni, data necessitate, potest permitti per superiores ut substituatur constitutus in minoribus ordinibus ad cantandam Epistolam paratus sine manipulo. » Hoc pacto laicus cantans in missa Epistolam eti m cum dalmatica, sed sine manipulo, non contrahit irregularitatem. Cabassu ius Jur. Can. Theor. et prax., l. v, cap. 20, de Irreg., n. 4.

Digitized by Google

Mutus est irregularis — Balbus blæsus non est irregularis, nisi gravis deformitas et risus generetur, puta si vix verba proferre valeat. Sayrus l. VI, c. 8, n. 17; Toletus lib. I, c. 63, n. 4.

Labia corrosa, abscissa, vel os graviter distortum reddunt irregularem ob enormem deformitatem, Toletus loc. cit.; Henriquez lib. XIV, c. 8, num. 3.

Carentia dentium non reddit irregularem, quia non inducit deformitatem sicuti induceret deformitatem et irregularitatem dentium exorbitantia et proeminentia extra os. Bonacina de Irregular., q. 2, n. 6.

Carentia odoratus non reddit deformem nec irregularem. Giballinus q. 2, c. 3, consect. 3.

Impotentia gustandi vinum reddit irregularem, quia reddit impotentem ad celebrandum sub utraque specie. Navar. c. 27, num. 104; Toletus lib. I, c. 63, num. 4, et hoc, ita ut nequeat Summus Pontifex dispensare, secundum communem opinionem D. Thomæ, qua nequit dispensare ut celebretur sub una specie, contra quosdam docentes Papam in hoc posse dispensare : ut videre est apud Leandrum tom. II, tract. 8, de Sacrif. Miss., disp. 1, q. 19.

Habens cicatrices in facie, vel faciem valde ustulatam deformem est irregularis ob deformitatem gravem. Filliuc. tract. 19, c. 6, q. 5, n. 171. Idem dicendum de tumore in facie, si inde gravis deformitas habeatur.

Brachia curta generantia deformitatem gravem, ut attracta, retracta, contracta, tremula, reddunt irregularem ob gravem deformitatem, et inhabilitatem ad exsequendum ordinis munus. Majolus lib. I, cap. 14, n. 19. Manus habens trementes est irregularis, si sit periculum subvertendi calicem, vel nequeat elevare hostiam, vel frangere, ordinisque munia exsequi. Henriquez lib. XIV, c. 8, n. 4, in fine.

Pedes contorti intra vel extra notabiliter cum deformitate reddunt irregularem : si vero occultari possit defectus, non adest irregularitas. Navarr. lib. V, cons. 67. « Claudus si taliter sit, ut illum oporteat cum baculo accedere ad altare, vel si ligneo pede incedat, est irregularis. » Barbosa Jus Eccl., loc. cit. 33, n. 137. Laborantes continua et incurabili podagra vel chiragra ordinari non possunt. Barbosa ib., n. 142.

Quantum vero ad irregularitatem ex defectu lenitatis ;

Non est irregularis clericus clamans suffurari bona si fur inde captus morti tradatur. Clamor enim est defensionis, non accusationis actus, nec est pars judicii, judice tunc procedente ex officio : idemque est si vicini clamore excitati trucident, aut captum judici tradant, dummodo clericus moneat ne fur occidatur (100). Ita Dicastillus tract. de Cens. disp. 7, n. 957; Layman lib. V, sect. 5, tract. 3, p. 3, c. 7, n. 5, et alii complures. Imo si ipse clericus furem teneat, et judicii tradat ut recuperet bona sua, facta protestatione se id agere remota pœna sanguinis, non fit irregularis. Sayrus lib. VI, cap. 8, n. 7.

Testes voluntarii, qui libere se offerunt ad testificandum contra reum, etiamsi protestentur non intendere sententiam sanguinis, fiunt irregulares : si vero sint coacti ad testimonium ferendum, sane excusantur. Suarez disp. 47, sect. 3, n. 4. D. de Ligorio de irreg., n. 468. Hinc clerici cum protestatione se nolle pœnam sanguinis, qui legibus regni ad testimonium ferendum compelluntur, servatis servandis, irregularitate non innodantur.

Quantum porro ad effectus ex irregularitate, « hæc sane non privat (ut sup. monuimus) jurisdictione exteriori, quæ non includit exercitium ordinis, facultate delegandi, et per alios sacramenta administrandi. » Monacellus Form. leg. pract. prælud., part. III, § 17, n. 184.

Nonnullis doctoribus visum multiplicari irregularitates ex multiplicatis transgressionibus seu peccatis ejusdem generis seu speciei, ut evenit in censuris, quæ quidem multiplicantur multiplicatis transgressionibus seu peccatis ejusdem speciei. Contrarium tenere videtur Sanchez, qui sic habet : « Irregularis eo quod excommunicatus celebrarit, non tenetur multiplicatæ celebrationis mentionem facere, » lib. VIII, de Matr., disp. 24, n. 7. Et ratio est quia « irregularitas, ut ait Garcias, est quædam inhabilitas per modum habitus, et permanentis, et sic non multiplicatur multiplicatis actibus ejusdem rationis, seu generis ; censura autem est quædam pœna per modum transeuntis, cum sit de se absolubilis, seu vinculum dissolubile. » De Benefic. part. VIII, cap. 3, n. 87. Hoc pacto, etsi quis plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si pluries ministraverit cum censura, sufficit ad obtinendam dispensationem si dicat tantum se irregularem esse ob talem culpam. Ex D. de Ligorio de irregular. n. 353.

(100) In art. 1, sup. v. *Irregularitas*, n. 56, invenitur scriptum ut sequitur : « Irregularitatem contraxit qui contra fures clamavit, et isti capti, fuerunt capite damnati. S. Congr. Conc. in Casalen. Irregularitatis 24 sept. 1718. » At decretum sic cit. alios declarare videtur. Siquidem ibi sermo est de quodam presbytero (Jacobo Rampini) qui in domo avocati cujusdam (Vasini) habitabat; quam noctu unus fur ingressus, cum in quodam horreo ibi existante se abdidisset, eoque ancilla domini domus cum lumine accedente, ac conclamante *ecce fur latro*, talis fur lumen extinxisset, presbyter ut supra sclopum adversus eum explodens, ac vulnere afficiens, inde hic occubuit. Cum d. presbyter hujusmodi casum apud S. congr. conc. exposuisset pro irregularitatis, si et in quantum, dispensatione : prælaudata S. congr. Conc., considerando quod « si suos tos sibi, vitæque suæ cavere potuisset absque sclopi explosione, aut tacendo, aut se non movendo, et forte sensim fugiendo, (tunc) homicidium licet furis nocturni evasit culpabile. » Proposito dubio, « an constat de irregularitate, et quatenus affirmative; an sit locus dispensationi in casu, responsum : affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam. »

Ita apud Thesaur. Resol. S. Conc. an 1718, die et mense uti supra, pag. 117, 118, 119.

Digitized by Google

Ubi vero de irregularitate ex homicidio voluntario sermo est, quamvis hæc privet etiam beneficiis obtentis, ex Trident. sess. 14, cap. 7, de Reformat. *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit . . . . omni ordine, beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo careat :* attamen « S. congregatio Conc. in una Cremonensi censuit decretum Tridentini quod loquitur de incapacitate beneficiorum in qua sunt homicidæ, non extendi ad pensiones. » Garcias de Benef., p. I, cap. 5, n. 135 et 136.

Decretum Trident. (sess. 14, cap. 7, de reformat.) non extendi ad pensiones referunt decisum N. Garcias.. Armendar... Sic Barbosa in Trident. dicto cap. 7, sess. 14, n. 7. — « Irregularitas quæ repellit ab ordine non inducit incapacitatem pensionis, quia cap. 7, sess. 14, conc. Trid. hanc non comprehendit, ut declaravit S. congregatio Conc. in Novariensi 24, apr. 1655. » Monacellus. Formol. leg. pract. tom. II, tit. 13, n. 38, pag. 104.

Amplius « communis est Canonistarum sententia, dubium facti homicidii non esse spoliandum propriis beneficiis. Etenim cap. *Ad audientiam*, et cap. *Significasti*, de Homicidio, non longius extendit effectus hujusce dubiæ irregularitatis quam ad cessationem a sacro ministerio. » Suarez disp. 40, sect. 6, n. 6, de cens.; Bonacina disp. 7, q. 1, puncto 5, n. 8; sic Cabassutius prax. Jur. Conlib. v, cap. 20, Irreg., n. 11.

« Irregularis, casu quo veniat privandus per sententiam beneficio ad cujus titulum fuit ordinatus, relinquendum quid est ei de fructibus beneficii, quibus veluti alimentis subveniri possit. » Barbosa Repert. Jur. Can. et Civ., v. *Irregularitas.*

Præterea « Irregularis habet vocem in capitulo, quia potestas ferendi vocem in capitulo non refertur ad actus ordinis, sed jurisdictionis, quæ canonico datur a jure per institutionem canonicam. Unde irregularis non privatur usu jurisdictionis ecclesiasticæ, sed sola ordinis susceptione vel usu...., secus vero si vocem habeat ratione sacri ordinis. Et irregularis potest visitare, judicare, excommunicare suos subditos. » Barbosa, ibid.

Demum ut de dispensatione ab irregularitatibus aliqua dicamus, illud præmonendum « quod si dispensaretur a Papa super aliqua irregularitate sine justa causa dispensatio, erit valida, quamvis non licita; si vero dispensaretur ab inferiore, erit et amplius nulla. » D. de Ligor. de Irreg., n. 353.

« Episcopi, etiam electi et confirmati, subditos habentes, quamvis non consecrati dispensant vigore, conc. Trident. sess. 24, cap. 6, de reform. » Barbosa in h. cap. Trident., n. 2. Intellige in illis casibus quibus episcopi valent dispensare.

Quis autem valeat cum episcopo dispensare, si occurrat casus ut ipsemet incidat in aliquod delictorum super quibus potest cum sibi subditis dispensare juxta formam cit. decreti cap. 6, sess. 24, Trident.? Possa tunc alteri committere vices suas, ut secum dispenset, et ad se absolvendum proprium suum confessarium deputare cum eadem auctoritate quam ipse habet ex hoc decreto in sibi subditos, tenent Majolus... Suarez, Aloys. Ricc... Garcias, etc. Ita Barbosa in Trid. cit. cap. 6, sess. 24, de Reformat., n. 9, et alleg. 39, n. 15, de Offic. et potest. Episc. — « Quæsitum fuit a cardinalibus congregat. sic Garcias, an episcopo in aliquod delictorum de quibus hoc capite (cap. 6. sess. 24 Trident.) prolapso liceat ad se absolvendum proprium confessarium deputare cum eadem auctoritate quam ipse potest ex eodem capite in sibi subditos exercere : Congregatio censuit id episcopo licere, etiamsi Romæ esset, et si extra suam diœcesim. » Garcias de Benefic., p. XI, cap. 10, n. 139.

Jam vero quoad potestatem dispensandi in irregularitatibus episcopis competentem, illud notandum, ad hoc ut absolvant aliquem ab irregularitatibus in casibus sibi permissis, pollere debere in eum jurisdictione ordinaria, quam possunt extra diœcesim exercere, et etiam circa absentes. Barbosa de Offic. et potestate episcopi, alleg. 39, n. 6 et 7.

Amplius, « Episcopum eo ipso quo aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit litteras dimissorias, censeri cum eo dispensare in irregularitatibus, aut concedere facultatem, ut dispensetur ab episcopo ad quem mittitur pro recipiendis ordinibus, modo sciat ordinandum esse irregularem, et intentionem habeat dispensandi, quia episcopus non præsumitur velle delinquere ordinando irregularem, aut concedendo facultatem ut promoveatur. » Barbosa ibid., n. 9.

Porro episcopus potest dispensare : In irregularitate occulta ob reiterationem baptismi; in suspensione, vel, si ita velis, in irregularitate occulta ob duos sacros ordines eodem die susceptos; cum irregulari ob administrationem in ordinibus male susceptis, si sit occultus; cum irregulari ob exercitationem ordinum quos non habebat potest dispensari ab episcopo ut exerceat susceptos, ac alios suscipiat, modo delictum sit occultum: in mutilatione membri etiam voluntaria, si sit occulta. Barb. ibid., n. 36, et seqq. V. cæt. ad rem, v. *Ordo.*

« Dispensare hodie non potest episcopus in irregularitatibus provenientibus ex homicidio voluntario occulto, aut manifesto, neque ad ordines minores, nec ad simplex beneficium : ex conc. Trident., sess. 41, cap. 6. » Barbosa de offic. et potestate episcopi, cit. alleg. 39, n. 59.

Notandum denique quod « hodie irregularitas quæ provenit ex homicidio voluntario præsertim publico est indispensabilis, adeo ut etiam Papa abstineat a dispensatione, et rarissime vel nunquam reum habilitat, attenta dispositione Concil. sess. 14, cap. 7. » Monacellus form. leg. pract., suppl. ad tit. 16, tom. II, n 221, pag. 89.

Digitized by Google

SCHOLION.

Quoad homicidium commissum a mandatario fines mandati excedendo, diximus supra cum Fagnano ex S. C. Conc. oraculo, mandantem in hoc casu non incurrere irregularitatem quæ oritur ex homicidio voluntario; insuperque lectorem remisimus ad art. 1 *Irregularitas*, n. 44, ubi notatur mandantem aliquem baculo verberari eo expresso ne occidatur, si mandatarius fines mandati excedens percusserit et occiderit, non dicitur mandans irregularis ex homicidio voluntario, adeo ut sit indispensabilis : quia est solum voluntarium in causa, et non voluntarium directe et in se, neque dolosum et per insidias, et potest proinde a Sede Apostolica dispensari : S. congr. *Concil.* 2 nov. 1581 apud Monac. — Et generaliter quando mandatarius occidendo excessit limites mandati, irregularitas mandantis non est indispensabilis : S. C. conc. in Mantuana, 4 sept. 1604. apud Nicolium, Flosc. v. *Irregularitas*.—Ad totius rei explanationem textum cap. ult. de homic. in 6, jubet afferre, tenoris sequentis : « Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat : cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse, debuerit cogitare. » Hinc Barbosa in comment. ad hunc textum, sic habet. « Mandans aliquem verberari, licet expresse prohibeat ne occidatur vel mutiletur, si mandatarius fines mandati excedendo, mutilet vel occidat, fit irregularis, quia mandando fuit in culpa, et debuit cogitare hoc posse evenire. » Collect. Doct. in l. V. Sexti Decret. de homic., cap. *Is qui*. — Quod si idem Barbosa in summa decis. Apost. v. *Irregularitas*, tradit ut sequitur, nempe : « Irregularitatem non incurrit mandans aliquem baculo verberari, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, et occiderit, S. congr. 2 sept. 1604; » intelligendum id videtur de irregularitate non indispensabili, ne hunc cl. script. sibi ipsi repugnantem, vel potius decretum supponere dicamus a mente congr. Conc. ex hactenus dictis fortasse alienum.

Notavimus sup. episcopum *nominatim* suspensum, exercendo ordines, videlicet actum ordinis a quo fuit suspensus, fieri irregularem : ex Suarez de Cens.. disp. 26, sect. 2, n. 2.

Sed præstat insuper addere quæ D. de Ligorio scribit in hæc verba. « Dubitatur an episcopus suspensus a ponticalibus incurrat irregularitatem si pontificalia exerceat, puta confirmando, consecrando calices, etc. Affirmant probabilius Navar. Bonac..... Ratio quia etiam si sententia quod episcopatus sit tantum extensio ordinis sacerdotalis, et non distinctus, esset vera (quod negant plurimi), tamen non potest negari quod tale exercitium potestatis episcopalis sit actus ordinis sacri, si non distincti, saltem extensi; quapropter episcopus tunc dicitur vere exercere actum sacri ordinis. — Si autem (en alter casus) episcopus suspensus a pontificalibus missam celebret solemniter in apparatu pontificali, certum est quod peccat... An autem incurrat etiam irregularitatem? Affirmant Angel... Navar... Bonac... Fagn.. Ratio quia talis celebratio est actus proprius ordinis episcopalis, cum non possit exerceri nisi ab episcopo consecrato. Negant vero probabilius Layman... Sylv... Avila... Diana... cum Joan. Præpos., qui testatur hanc esse communiorem DD. sententiam. Ratio quia episcopus sacrificando non exercet actum substantialem ordinis episcopalis, sed actum ordinis sacerdotalis, a quo non est suspensus; et quod celebratio fiat cum pontificalibus, per accidens se habet; irregularitas autem non incurritur nisi in exercitio actus ordinis prohibiti. Et hanc sententiam tenet etiam D. Anton. sic dicens : « Suspensus a « pontificalibus, si celebret, in pontificalibus, « non erit irregularis, quia pontificalia non « sunt de substantia celebrationis, nec de- « bemus, judicare aliquem irregularem, « nisi inveniatur expressum. » D. de Ligorio, de Suspens. cap. 3, n. 314.

Inter male promotos ad ordines recensuimus, cum D. de Ligorio, qui post matrimonium contractum ante consummationem ordinem sacrum recipit, renitente uxore. Talis quippe incurrere irregularitatem videtur sane ex extravag. Joan. XXII, tit. 6, de voto, et voti redempt., his verbis expressa : « Antiquæ, etc., districtius inhibentes ne quisquam durante matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de sacris ordinibus præsumat suscipere..... Quod si secus a quoquam forsitan attentatum fuerit, ordinamus quod nec matrimonio soluto, in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines provehi, nec ad aliquod beneficium vel officium ecclesiasticum valeat promoveri. » Hinc Sanchez : « Quare hic ita promotus ad ordinem sacrum efficitur irregularis. » — « Existimo autem, sic idem cl. scriptor, ad incurrendam hanc irregularitatem desiderari dolum, atque ita quamcunque ignorantiam crassam juris vel facti, dummodo non sit affectata, nec ita crassa, ut sit ingens temeritas, excusare conjugatum sic promotum ab hac pœna. Ducor quod d. extravagans utatur verbo *non præsumat*, et statim, *quod si secus a quoquam forsitam attentatum fuerit;* atque ita solum præsumentem ascendere ad sacrum ordinem punit. Pœna autem præsumenti imposita dolum requirit, et excusat ab ea quævis ignorantia quæ nec affectata nec ingens temeritas sit. » De Matr. lib. VII, disp. 49, n. 2 et 3.

Demum ut de irregularitate ex violatione interdicti aliqua specialim notemus, in comperto habe quod « clerici exercentes ordinem sacrum, si sint specialiter interdicti, vel in loco specialiter vel generaliter interdicto januis apertis... peccant graviter, et incurrunt irregularitatem. » Salm. apud D. de Ligorio, de Interd., n. 336. Excipe casus permissos in c. *Alma Mater*.

At sonans campanas, januas aperiens

Digitized by Google

tempore interdicti non fit irregularis; quia hoc non est exercere actum ordinis. Diana p. v, tract. 16, resol. 65.

Similiter admittens interdictos tempore interdicti dum celebrantur divina, licet peccet, non est irregularis. Avila part. VII, d. 9, sect. 2, dub. 9.

Sic etiam clerici sepelientes in loco interdicto sine psalmis et missis non sunt irregulares, quamvis peccent; siquidem non exercent actum ordinis. Suarez de Cens. 2, disp. 35, sect. 1, v. 19.

Insuper clericus interdictus ab ingressu ecclesiæ, audiens, non celebrans divina, et si peccet, non efficitur irregularis. Sayrus lib. IV, cap. 7, n. 13 et 14.

J

JEJUNIUM.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad ea, quæ concernunt Jejunii esse obligationem, modum, et tempus.*

1. Jejunium unde dictum. — 2. Jejunium generatim sumptum est quadruplex, scilicet spirituale, naturale, morale, et ecclesiasticum. — 3. Jejunium spirituale quid sit. — 4. Jejunium naturale quid sit. — 5. Jejunium morale quid sit. — 6. Jejunium ecclesiasticum quid sit. — 7. Ad jejunium ecclesiasticum tria requiruntur, scilicet abstinentia ciborum certi generis, abstinentia plurium refectionum, ac certa hora refectionis. — 8. Diebus jejunii abstinendum est a carnibus. — 9. Et in quadragesima etiam ab ovis et lacticiniis. — 10. Consuetudo abstinendi a lacte, caseo, et ovis pro solo tempore Quadragesimæ, non item pro aliis diebus jejuniorum obligat, universaliter loquendo. — 11. Particulariter tamen loquendo, standum particularibus locorum consuetudinibus et privilegiis. — 12. Regulares in jejuniis uti possunt ovis, et lacticiniis extra tempora ab Ecclesia universaliter prohibita. — 13. Ad jejunium requiritur una tantum refectio moraliter continuata. — 14. Ultra dictam refectionem licita est etiam serotina collatiuncula. — 15. Hora debita refectionis, licet alias esset hora vespertina in Quadragesima, et hora nona pro aliis diebus jejuniis, modo tamen est hora sexta proxima meridiei, seu hora meridiana. — 16. Consuetudo sumendi refectionem in meridie diebus omnibus jejunii quando ceperit. — 17. Jejunium ecclesiasticum quoad substantiam consistit in unica comestione et abstinentia a carnibus. — 18. Præceptum jejunii obligat sub mortali diebus ab Ecclesia præscriptis. — 19. Jejunium quamvis ab Ecclesia sit determinatum quoad tempus, tamen non est solum de præcepto positivo Ecclesiæ, sed de implicita prærordinatione divina fidelibus demandatum. — 20. Diebus Dominicis quamvis ex se licitum esset jejunare, tamen dignis de causis statutum est ab Ecclesia non esse in ipsis jejunandum. — 21. Affertur decretum sacræ congregationis supremæ, et universalis Inquisitionis prohibens jejunium etiam ex devotione diebus Dominicis et festivis solemnibus. — 22. Consectaria quædam ex prædictis afferuntur. — 23. Si vigilia S. Joannis cadat in festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria 4. — 24. Idem declaratum est pro Vigilia S. Antonii de Padua. — 25. Si Vigilia cum Jejunio occurrat in festo solemni alicujus patroni principalis, potest licite ab episcopo fieri commutatio jejunii in die præcedenti. — 26. Non potest tamen auctoritate episcopi anticipari Vigilia S. Mathiæ, etiamsi occurrat ultima die Baccanalium. — 27. Fratres Minores tenentur ad præceptum jejunii feria 6 occurrente in die natalis Domini. — 28. Alii tamen defendunt contrarium. — 29. Sed tamen immerito, ac idem, quod dictum est pro fratribus min. valet pro quocumque habente votum jejunii. — 30. Moniales S. Claræ non tenentur nunc sub mortali ad jejunia regulæ, scilicet adventus et feriæ sextæ. — 31. Dispensatus circa esum carnium ob debilitatem virium, et ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio. — 32. Non sic tamen est dispensatus a jejunio qui est dispensatus, quia cibi, etc., jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales. — 33. Colligitur hoc aperte ex bullis et edictis Summorum Pontificum. — 34. Affertur edictum de ordine Clement. XI editum, et duplex breve Benedicti XIV, et affertur etiam validissima ratio — 35. Post hæc emanavit alia ejusdem Benedicti XIV explanatio, et declaratio, quæ ad litteram affertur. — 36. Qui frangit jejunium sæpius comedendo carnes, peccat mortaliter toties, quoties comedit carnes. — 37. Quomodo autem peccet, qui frangit jejunium sæpius comedendo cibos licitos, variant doctores. — 38. Jejunium non frangitur per sumptiones factas, non per modum cibi, vel refectionis, sed per modum medicinæ, vel potus. — 39. Sic pariter non frangit jejunium bibere extra tempus refectionis quemcumque purum potum, etiam vinum, cerevisiam, mulsum etiamsi fiat non præcise ad sedandam sitim, sed etiam aliqualiter ad sedandam famem. — 40. Jejunium non frangit, et licita est sumptio caffei, thæi, et chocolati in die jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter. — 41. Si tamen sumantur non medicinaliter, variant doctores, et præsertim de chocolato. — 42. Collatio vespertina etiam ad nutritionem sumpta est licita. — 43. Pro qualitate ciborum in hac vespertina collatione sumendorum variant doctores. — 44. Sic etiam variant doctores pro quantitate. — 45. Probabilius modica, et licita quantitas pro collatione vespertina a variis censetur quarta, vel quinta pars cœnæ ordinariæ. At dicendum 4, vel 5 uncias; et attendendum apostolicæ decisioni Benedict. XIV in responsione ad dubium sub hoc numero allatum. — 46. Tempus ordinarium collationis est vespertinum, unde qui eum commutat sine justa causa, sumendo mane collationem et vespere prandium, peccat saltem venialiter. Si autem hoc faciat cum justa causa, nullimode peccat. — 47. Immo varii censent probabile nequidem peccare venialiter, etiamsi hoc faciat sine speciali causa. — 48. Tempus ordinarium prandii scilicet horam sextam proximam meridiei, notabiliter v. g. per unam, vel alteram horam anticipare absque causa, varii graves doctores volunt esse peccatum mortale; communior tamen et probabilior sententia tenet esse veniale tantum. — 49. Si vero aliqua justa causa subsit, nullum erit peccatum ne quidem veniale. — 50. Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in religiosis, qui per privilegium etiam sine causa possunt una hora anticipare. — 51. Prandium interrumpere seu dividere in die jejunii sive justa causa non licet. — 52. Justa tamen interveniente causa ut paupertatis, officium, negotium licet. — 53. Sic non peccat qui inter prandendum garrit, nugatur, nova nuntia legit, et hujusmodi, si tempus refectionis non excedit duas horas. — 54. Item si quis prandium finierit, et mappulam plicarit cum proposito nil amplius comedendi, seu surrexerit e mensa, etiam gratiis actis, potest intra quadrantem circiter mutata voluntate iterum assidere et

Digitized by Google

comedere. — 55. Item qui mensam relinquit in uno loco intendens absolvere in alio, ubi exspectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas vel intervallum quadrantem circiter. — 56. Prandium protrahi potest licite ad duas horas, non autem ultra. — 57. Qui mane culpabiliter sumpsit jentaculum æquivalens refectioni, tenetur illo die abstinere a refectione; etsi jentaculum sumptum modicum fuerit, tenetur abstinere a collatione. — 58. Qui inculpabiliter per inadvertentiam sumpsit mane jentaculum sufficiens ad prandium non potest amplius illo die prandere, sed solum vespere sumere collationem. — 59. Qui iter facturus mane prandet, et postea mutatis rebus iter non agit, non potest amplius illo die prandere; sed solum vespere sumere collationem. — 60. Qui post prandium sumpsit aliquid cibi, tanto minus debet postea sumere in collatione; et si quasi ad tempus collationis sumpsit cibum æquivalentem ad ipsam, debet illo die omnino abstinere ab illa. — 61. Qui frangit jejunium multiplici præcepto ex eodem motivo imperatum, unicum tantum specie et numero peccatum committit. — 62. Idem probabilius dicendum est de Franciscanis, non jejunantibus feria 6 Quatuor Temporum cadente in vigilia et Quadragesima. — 63. Violatio autem ejusdem jejunii ab Ecclesia præcepti, a superiore imperati, a confessario pro pœnitentia injuncti, et voto debiti, habet quatuor distinctas specie malitias. — 64. Violatio jejunii per comestionem carnium distinguitur specie a violatione per comestionem laticiniorum et ovorum. — 65. Statuens deliberate per totam quadragesimam non jejunare, vel non jejunans, quot peccata committat? — 66. Qui statuta die non jejunavit sive inculpabiliter, sive culpabiliter, non tenetur postea jejunare alia die, et an, et quando jejunium anticipate solvi debeat? — 67. Peccant mortaliter etiam qui ad frangendum jejunium aliis proxime cooperantur, inducunt, aut, cum possunt et debeant, non impediunt. — 68. Jejunium ex voto vel præcepto majoris est meriti quam ex electione vel consilio. — 69. 87. Nonnulla adnectuntur ex Benedicto XIV. — 88. Encyclica Bened. XIV de vigilia S. Matthiæ. — 89. Clementis XIII encyclica super observantia quadragesimalis jejunii.

ARTICULUS II. — *Jejunium quoad ea quæ concernunt personas obligatas, et causas excusantes, vel non.*

1. Jejunium obligat omnes Christianos quibus est ætas competens. — 2. Ad jejunium obligantur etiam hæretici. — 3. Non obligantur tamen infideles. — 4. Præceptum jejunii incipit obligare quoslibet fideles anno ætatis 21 completo 5. Regulares, licet nondum compleverint annum 21 ætatis suæ, tenentur ad jejunia suæ regulæ. — 6. Alii sentiunt contrarium. — 7. Ad jejunia Ecclesiæ de quibus sua regula non loquitur non tenentur regulares, nisi post completum annum 21. — 8. Causæ excusantes a jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet ætas, impotentia, labor, et pietas. — 9. Ratione ætatis excusantur a jejunio quoad plures refectiones omnes ante completum annum 21, dummodo ad illud non teneantur ex voto, vel professione regulari. Non excusantur autem quoad abstinentiam a carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum. — 10. Senes quoque ratione ætatis a jejunio excusantur. — 11. Senes excusari a jejunio eo ipso quod annum 56 attigerint, dixerunt aliqui, merito tamen ab omnibus rejecti. — 12. Alii volunt quod absolute sint excusati a jejunio senes sexagenarii, quamvis sint robustæ valetudinis. — 13. Alii econtra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per præsentes vires commode possint. — 14. In dubio an sexagenarii sint robusti et habiles ad jejunandum, non tenentur jejunare. — 15. Senes post annum 60 non tantum excusari a jejunio ecclesiastico, sed etiam a jejuniis debitis ex voto vel professione, volunt aliqui, sed rectius negant alii. — 16. Sic etiam si alicui per legitimam dispensationem commutaretur votum castitatis perpetuæ in jejunium etiam post annum 60. — 17. Feminæ censentur ab aliquibus absolute excusari a jejunio in ætate quinquaginta annorum; sed rectius negant alii. — 18. Ratione impotentiæ quinam a jejunio excusentur. — 19. Et qui non excusentur. — 20. Ratione laboris quinam a jejunio excusentur. — 21. Et qui non excusentur, *usque ad* n. 24. — 25. Ab obligatione jejunii excusat etiam labor honestus, qui non est vitæ sustentandæ necessarius, nisi fiat in fraudem legis, et nisi sit levis. — 26. Labor illicitus non excusat defatigatos a jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi. — 27. Omnes iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, et non susceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatigat itinerantem) excusat a jejunio. — 28. Quantum debeat esse iter ad hoc, ut causare gravem defatigationem, et sic excusare itinerantes a jejunio. — 29. Qui in fraudem jejunii de loco ubi viget præceptum jejunandi, se transfert ad locum ubi non jejunatur, peccat graviter. — 30. Adducitur ratio intrinseca. — 31. Qui autem de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii sed bona fide, transit ad loca seu per loca ubi non jejunatur, non tenetur jejunare. — 32. Sic qui non in fraudem jejunii, sed negotiorum causa de loca proprii domicilii ubi nondum est incœpta quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est jam incœpta quadragesima, non tenetur jejunare illic per octo alios Paschæ ad complendam quadragesimam. — 33. E contra vero, si talis in loco sui domicilii complesset quadragesimam, non tenetur postea alibi observare illos octo dies, et remissive quoad peregrinos et advenas. — 34. Ratione pietatis quinam excusentur vel non a jejunio. — 35. In dubio an incommodum sit grave vel leve, ad tollendos scrupulos recurrendum est pro dispensatione ad superiores qui assignantur. — 36. 38. Quadragesimalis jejunii historia. 39. Antiquitas jejunii quatuor temporum. — 40, 41. De jejunio quartæ et sextæ feriæ. — 42. De jejunio adventus. — 43. Stationum. — 44. Vigiliarum. — 45. Kalendarum Januarii. — 46. Rogationum. — 47, 48. Recens tum Occidentalis tum Orientalis Ecclesiæ disciplina circa jejunia. — 49. Pauca de jejunii dogmate.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt jejunii esse, obligationem, modum, et tempus.

(1. Jejunium secundum etymologiam nominis dictum est a *jejunio*, intestino quodam animalis, quod semper vacuum et subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum, et consequenter non pinguem, sed macrum et subtilem reddat. Sporer. to. I, Append. ad 3 præceptum Decalogi, sect. 1, num. 1. (2. Jejunium generatim sumptum est quadruplex, scilicet spirituale, naturale, morale, et ecclesiasticum. (3. Jejunium *spirituale* est abstinentia a vitiis, et illicitis voluptatibus; habetur expresse ex cap. *Jejunium* 24, dist. 5, de consecratione, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse dicitur: « Jejunium autem magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et ab illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium; » et cap. LVIII *Isaiæ*, ibi: « Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve

Digitized by Google

colligationes impietatis. » Et S. Basilius hom. 1, de Jejunio, dicit : « Verum jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. » (4. Jejunium *naturale* est abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, etiam per modum medicinæ in stomachum transmisso, quale jejunium a tempore mediæ noctis requiritur de præcepto ecclesiastico ad sumptionem eucharistiæ, nam, ut ait S. Augustinus epist. 118, ad Januarium : « Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti sacramenti, prius, in os Christiani corpus Dominicum intraret quam reliqui cibi, nam ideo per universum orbem mos ille servatur. » Idem traditur in concilio Africano, can. 8; Carthaginensi IV, c. 29, quæ exstant tom. I Concil. Item in concilio Masticon., c. 6; Antisiodorensi, cap. 29; Toletan. VII, can. 1, quæ exstant tom. II, Concil. Hinc rubricæ Missalis tit. de defectibus dispositionis corporis sic loquuntur : « Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantacunque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare. » Ubi tamen mox subjungitur in hæc verba : « Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem. » (5. Jejunium morale ac philosophicum dictum est actus temperantiæ moderantis appetitum, et usum cibi ac potus secundum regulam rectæ rationis, cujus velut partes sunt abstinentia et sobrietas; abstinentia enim moderatur affectum et usum ciborum; sobrietas vero moderatur affectum et usum potus potentis inebriare. (6. Jejunium *ecclesiasticum* est abstinentia a carnibus et quibusdam aliis cibis, ab Ecclesia imperata cum unica refectione tempore designato sumenda. Ita in re communis.

(7. Ad jejunium ecclesiasticum tria requiruntur, scilicet abstinentia ciborum, certi generis, abstinentia plurium refectionum, et certa hora refectionis. *Communis*. (8. Quantum igitur spectat ad primum, nempe ad abstinentiam certi generis, sive, ut loquitur concilium Tridentinum sess. 23, cap. 21, *delectum ciborum*, abstinendum est diebus jejunii a carnibus, ut statuitur in c. *Statuimus*, dist. 4, c. *Utinam*, dict. 76, conc. Toletan. VIII, cap. 9, et sæpe alibi. (9. Et, in Quadragesima, ab ovis et lacticiniis, scilicet lacte, butyro, caseo, et quidquid ex lacte conficitur, ut præcipitur in synodo Trullana, can. 56, et cap. *Denique*, dist. 4, ibi : « Par autem est ut, quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, et ovis; » et facit propositio sequens, 32, inter damnatas ab Alexandro VII, die 18 *Mart*, 1666, ibi : « Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget. » (10. Unde consuetudo abstinendi a lacte, caseo, et ovis, pro solo tempore Quadragesimæ, non item pro aliis diebus jejuniorum obligat, universaliter loquendo. Sic doctores communiter cum S. Thoma 2-2, qu. 147; Castropalao, part. VII, disp. 3, punct. 2, § 1, et alii passim. (11. Particulariter tamen loquendo, standum est particularibus locorum consuetudinibus et privilegiis, cum alicubi ova et lacticinia prohibeantur solum tempore Quadragesimæ, et extra illud non sint vetita, et alicubi etiam diebus jejunii extra Quadragesimam non permittatur, et alicubi, sive ex consuetudine, sive ex privilegio, permissum videatur vesci, nedum ovis et lacticiniis, sed etiam fagimine seu pinguedine expressa a larido porcino, item adipe anserum ac aliorum animalium, item sanguine animalium, farciminum, etc., ut observant et affirmant Glossa in cap. *Presbyter*, dist. 82, verb. *Sagimine*; Hostiens. in summa Rubr. de observat. jejunii; Abbas in cap. *Consuluit*, n. 2 de Judæis, et alii. (12. In jejuniis regulares uti possunt ovis et lacticiniis, extra tamen tempora ab Ecclesia universaliter prohibita, ut fuit determinatum in capitulo generali Cappuccinorum 1596, et fuit approbatum a Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Consentina 15 Julii 1606, apud Nicol. in Floscul. verb. *Cappuccini*, num. 9, et apud Piton. Constit. et decis. Pontific. ad Regulares, tom. II, n. 1672.

(13. Quantum ad secundum, nempe ad abstinentiam plurimum refectionum, certum et indubitatum est ex universali et perpetua Ecclesiæ consuetudine ad jejunium requiri unam tantum refectionem moraliter continuatam, excludendo refectionem iteratam. (14. Unde merito Alexander VII, die et anno, quo supra, damnavit sequentem propositionem 29, in ordine : « In die jejunii, qui sæpius quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. » Ex Ecclesiæ tamen tolerantia, et tacito consensu, et longæva universali consuetudine ultra dictam unicam refectionem introducta est, et licite permissa est parva serotina collatiuncula in sublevamen corporalis infirmitatis, quæ mundo senescente semper magis augetur. (15. Quantum ad tertium, nempe ad certam refectionis horam, licet alias talis refectio tanquam cœna sumenda esset hora vespertina in Quadragesima, uti patet ex cap. *Solent*. 49, dist. 1, de consecr. ibi : « Solent plures, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium, » et hora nona, quæ est tertia post meridiem in aliis jejuniis infra annum, ut testatur S. Bernardus serm. 4, de Quadragesima, et Micrologus de Ecclesiasticis observat. cap. 49, ibi : « In hoc Quadragesimale Jejunium ab aliis differt, quod in aliis post Nonam, in hoc post Vesperam reficere debemus. Nec juxta canones quadragesimaliter jejunare censemur, si ante vesperam reficimur; » tamen quia Mater Ecclesia ob corporis et naturæ semper magis declinantis infirmitatem refectionem illam tanquam prandium sumi indulsit hora sexta proxima meridiei,

Digitized by Google

retento nomine Cœnæ ob memoriam antiquitatis (unde ordinavit ut in ipsa meridiana refectione præces pro benedictione mensæ dicantur, ut in Cœna), et statuit ut in Quadragesima dicantur Vesperæ, et in aliis diebus jejunii Nona semper ante refectionem meridianam. (16. Hæc autem consuetudo sumendi refectionem in meridie diebus omnibus Jejunii cœpit fere temporibus S. Thomæ Aquinatis circa annum Christi 1270, ut insinuat ipsemet S. Thom. 2-2, quæst. 147, art. 7, et passim doctores alii.

(17. Jejunium ecclesiasticum quo ad substantiam consistit in unica comestione, et abstinentia a carnibus. Communis. (18. Præceptum jejunii obligat sub mortali diebus ab Ecclesia præscriptis. Communis; unde Alexander VII, die 24 Septembris 1665, merito damnavit sequentem propositionem 23, in ordine : « Frangens Jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter; nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto. » (19. Jejunium quamvis ab Ecclesia sit determinatum quo ad tempus, tamen non est solum de præcepto positivo Ecclesiæ, sed de implicita præordinatione divina Fidelibus demandatum : Conc. Moguntin. IV, c. 47, ibi : « Eos vero, quos necessitas nulla excusat, etiam ad statuta Ecclesiæ jejunia observanda inducant ipsumque jejunium divini esse præcepti doceant. Tempora vero jejunandi prout salubritati corporum, et animarum expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata. » Unde Ecclesia ipsa Christum Dominum jejunii cognoscit auctorem, prout in suis orationibus confitetur, inquiens : « Perfice quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus; » et iterum : « populum tuum quæsumus, Domine, propitius respice, et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. » Monacell. tom. II, tit. 16, formul. 4, n. 3; Fagnan. lib. III, Decret. in cap. *Eplicari* 3, de observat. jejun., n. 31, et alii ibi ab ipso citati.

(20. Die Dominico quamvis ex se licitum esset jejunare, ut clare patet ex c. *Utinam* 11, dist, 76, tamen propter hæresim Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Domini dicebant Jejunium die Dominico necessarium esse, et propter alias hæreses, superstitiones, et errores, statutum est ab Ecclesia non esse jejunandum Dominicis diebus. Sic in canone 65, Apostolorum c. *Jejunium* 14, et cap. *Ne quis jejunet*, 15, dist. 3, de Consecrat. et in c. *Placuit*, 9, dist. 3, de Consecr. et c. *Quadragesima*, 15, dist. 5, de Consecrat. Ecclesia a Quadragesima excipit dies Dominicos. Unde si Jejunium alicujus Vigiliæ incidat in diem Dominicam, anticipari præcipit præcedenti sabbato; cap. ex parte 1, et cap. *Consilium* 2, de Observat. Jejunior. (21. Et sacra congregatio universalis Inquisitionis Romanæ anno 1686, præcepit, ut nullo pacto ex devotione etiam B. Virginis imponatur jejunium, quod indifferenter amplectatur dies Dominicos, et festivos solemnes, puta faciendum una die Hebdomadæ totius anni, cum sit contra usum et praxim Ecclesiæ. Et hanc sacræ congregationis dispositionem asservari in archivio suæ provinciæ Panormitanæ testatur Felix Potestas tom. I, part. 3, n. 2825.

(22. Ex dictis num. 20, consectarium est, quod si quis vovisset, vel voveret jejunare per unum, vel plures annos, subintelligeretur exemptus diebus Dominicis a Jejunio : eo quia a lege Jejunii dies Dominicos excipit Ecclesia : imo nec hujusmodi Dominicis teneretur abstinere a carnibus; tempore enim Quadragesimæ diebus Dominicis in tantum tenemur abstinere, quia sic ab eadem Ecclesia dispositum est, quod hic non supponitur dispositum nec a vovente : si autem vovisset, vel quis voveret cum expressa intentione jejunandi etiam singulis diebus Dominicis, quoties id malo fide fecisset, vel faceret, votum esset omnino nullum; si vero cum bona fide, Jejunium esset nullum solum quoad hanc partem, tanquam illicitam, scilicet quoad dies Dominicos; et ratio est, quia in primo casu intentio est omnimode mala, et irreligiosa ob pravum finem, in secundo autem non sic ut est clarum. Item si quis vovisset, vel voveret jejunare per plures annos ea hebdomadæ die qua fit festum sanctissimæ Annuntiationis cum expressa intentione comprehendendi dies Dominicos, quoties talibus diebus contingat præfatum festum, de tali voto discurrendum esset in sensu quo supra : at si non habuisset nisi intentionem recte jejunandi, nempe vero cultu, et juxta sensum Ecclesiæ (quod in dubio est præsumendum) occurrente festo Annuntiationis diebus Dominicis, anticipare deberet Jejunium die Sabbati; recta enim intentio usum, et morem Ecclesiæ sequi tenetur, quæ occurrente Vigilia alicujus sancti die Dominico, in diem Sabbati onus transfert implendum.

Addit tamen Felix Potestas loco supra cit. n. 2828, ex Thoma del Bene, Alario, et Sanchez, quod si fuerit votum jejunandi solis aliquibus diebus Dominicis ob beneficium, aut honestum aliquem finem, secluso scandalo, et omni alio pravo mortali fine, et etiam secluso vero singularitatis studio valeret votum, quia tunc est de re licita, eo maxime quia nunc haud amplius vigent præmissæ hæreses. Intellige (juxta ipsum) Manichæorum, qui dixerunt, ut sub n. 20, et Arii, ac Erasmi volentium non fore jejunia statuto tempore instituenda, sed pro arbitrio eligenda.

(23. Si vigilia S. Joann. Baptistæ cadat in festo Corporis Christi anticipandum est Jejunium feria quarta. Urban. VIII. 13 Octob. 1638, in append. 2, constitut. 45, incip. *Cum evenire*. (24. Idem declaratum est pro Vigilia S. Antonii de Padua apud conventuales; quia enim Fratres Minores conventuales ex constitutione Urbana tenentur peragere Vigiliam S. Antonii de Padua, et insuper jejunare; oblata ab ipsis supplicatione sacræ Rituum congregationi quid agendum, quando præfata vigilia occurrit in festo Corporis

Digitized by Google

Christi; ead. sac. congr. respondit, hujusmodi Jejunium feria quarta immediate antecedente esse anticipandum; facta autem de prædictis sanctissimo relatione, sanctitas sua annuit, ac prælibatos fratres a præcepto, quo ipsis Urbana constitutione, Jejunium prædictum patet injunctum, absolvit die 26 Maii 1659.

(25. Hinc colligitur, quod si aliqua Vigilia cum Jejunio occurrat in festo solemni alicujus patroni principalis, posse licite ab episcopo fieri commutationem jejunii in diem præcedentem, ad eum modum, quo Vigiliæ solemnitatum, et sanctorum occurrentium feria secunda non jejunantur die Dominico, sed in Sabbato antecedenti, ut disponit textus in c. *Ex parte* 1, etc., *Consilium* 2, de observat. Jejunior. ibi: « Sanctorum quoque Vigiliæ, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sunt Sabbato jejunandæ; » Fagnan. in cit. cap. *Consilium*, num. 31; Innocent. abbas, et præpositus ab ipso ibi cit.; Silvest. verb. *Jejunium*, n. 19; Sanchez in Consiliis lib. v, d. 5, num. 7; Anton. a Spiritu sanct., tom. I, tract. 6, dis. 2, sect. 5, n. 130; Felix Potestas, tom I, part. 3, n. 2822, et alii. (26. Non potest tamen auctoritate episcopi anticipari Vigilia S. Matthiæ, etiamsi occurrat ultima die Bacchanalium; sac. Rit. congregat., 28 Januar. 1604, et 11 Jul. 1699, apud Monacelli. p. 2, tit. 16, form. 4, n. 12.

Et sic novissime statuit Benedictus XIV, a me etiam citato ad hunc locum, in epistola encyclica vulgari idiomate concepta, quæ in supplem. ad hunc art. sub n. 88 affertur ad litteram.

(27. Fratres Minores tenentur ad præceptum Jejunii feria sexta occurrente in die Natalis Domini; arg. c. *Explicari*, 3, de Observat. Jejunior., ubi summus Pontifex Honorius III, episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit: « Explicari per sedem apostolicam postulasti: » et infra: « Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt astricti in feria sexta, si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere. » Et sic tenent nostræ regulæ expositores, et doctores passim, ut Corduba, Miranda, Rodriq. Portell. Marchant. in exposit. Regul. c. 4; Felix Potestas tom. I, part. 3, n. 2834; Reiffenst. lib. III, decret. tit. 46, num. 3, ubi testatur de communi, et sic probat praxis totius nostræ Religionis, et ex exteris tenet Natal. Alex. Theol. moral. tom. II, lib. IV, de Decalogo, cas. 4, art. 7, resolut. 7; Fagnan. l. III, in cit. c. *Explicari*, num. 27; Barbosa ib. num. 8, et varii alii ibi cit.; Pirhing. ib. num. 6, citans alios. (28. Melphi tamen in Comm. c. 8, statut. 13, q. 5, cum Diana, Bonacina, Gobat, Fagundez, et aliis apud ipsum, tenent expresse contrarium, et ad citatum canonem Honorii III, respondent, ibi esse sermonem de iis solum, qui sunt astricti voto Jejunii, et hoc expresse comprehendere diem Natalis Domini aut Regulari observantia de vita Quadragesimali, ut Fratres Minimi, cujusmodi non sunt Fratres Minores adeoque, etc. (29. At vero talem dictum Canonem sic exponere, est ipsum torquere, ut patet ex ipsiusmet verbis, et ex communi canonistarum interpretatione cum Fagnano, Barbosa, Pirhing, Reiffenstuel locis citatis, et aliis passim ac ex dictis etiam haberi debet, quod si quis vovisset jejunium v. g. quolibet die Martis, vel Sabbati, contigente Nativitate Domini ipsis diebus, teneretur jejunare. Arg. quod supra ni vovens talem diem a jejunio excepisset expresse.

(30. Moniales S. Claræ non tenentur nunc sub mortali ad jejunia regulæ, nempe adventus, et feriæ sextæ. Quamvis enim olim tenerentur sub mortali ad Jejunium perpetuum ex vi primæ regulæ in 12 capitula traditæ a S. P. N. Francisco, et approbatæ ab Innocent. IV, 16 Sept. 1253, constitut. 12, incip. *Solet annuere*, ubi in tertio capitulo imponitur Jejunium perpetuum, et ex vi secundæ regulæ in 26, capitula dispositæ, et confirmatæ ab Urbano IV, 1263, const. 7, incip. *B. Clara*, tenerentur sub mortali ad Jejunium a festo Nativitatis B. M. V. ad festum Resurrectionis Domini, et feriis sextis ut patet in capitulo undecimo ejusdem. Modo tamen ex dispositione, seu declaratione Eugenii IV, const. 28, incip. *Ordinis tui*, edita *Nonis Februarii* 1446, ad supplicationem S. Joannis de Capistrano, tunc nostri ordinis vicarii generalis, non tenentur nisi ad Jejunia Fratrum Minorum de Observantia, scilicet adventus a die omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini exclusive, et cujuslibet feriæ sextæ. Et ad hoc neque sub mortali, uti sunt obligati dicti fratres, nam ibi Pontifex, quantum ad nostrum casum de Jejunio, duo disponit, primo obligationem temporis, reducendo tempus perpetuum primæ regulæ ad dictum tempus fratrum, scilicet feriæ sextæ, et adventus; et secundo obligationem peccati ipsam retrahendo a linea peccati mortalis, nam postea descendendo ad obligationem peccati cunctorum præceptorum dictæ regulæ numero centum, et trium, quæ refert, et inter quæ sub capitulo tertio est Jejunium, subdit: « Tenore præsentium declaramus, et volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præter quam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota obedientiæ, scilicet paupertatis, castitatis et clausuræ, et super electione abbatissæ, et depositione peccatum mortale incurrant, » ubi, ut recte notat Felix Potestas tom. I, p. 3, n. 2838, habetur expressa exceptio, et positiva aliorum præceptorum exclusio, inter quæ est Jejunium; exceptio autem firmat regulam in contrarium l. in *his quæst.* 15, ff. de *Legibus*, leg. *Quæsitum* 12, § 43, ff. *de Instructo, vel instrumento legato*, cap. *Dominus* 6, caus. 32, quæst. 7, c. *Quoniam*, 2, de conjugio leprosorum.

(31. Dispensatus circa esum carnium ob debilitatem virium et ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio, ita ut possit

Digitized by Google

sæpius in die comedere. Communis : et ratio est, quia in ipso pro recuperandis viribus adest vera necessitas multiplicis comestionis. Necessitas autem facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam*, 1, q. 7, c. *Omnes* 1. de Fer. cap. *Consuluisti*, 3, de Celebrat. Missar. cum similibus et necessitas non habet legem ; c. *Sicut* 11, de consecrat., dist. 1. (32. Non sic tamen est dispensatus a jejunio qui est dispensatus circa esum carnium, quia cibi Quadragesimales, seu jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales; sic Sporer tom. I, append. ad tertium præceptum Decalog., sect. 3, num. 40, de Graffis, Toletus, Lessius, et alii cum Layman, lib. IV, tract. 8, c. 3, n. 8; Filliuc. c. 3, d. 7, q. 4, num. 53; Henno tom. I, tract. 1, de Peccatis actualibus disp. 4, q. 4, concl. 3, ; Thomas Hurtad. de Resid. tom. I, resolut. 3 ; La Croix lib. III, p. 2, num. 1269 ; Rodriq. in summ. c. 24; Felix Potestas t. I, part. 3, num. 2883; Reginald. Cajetan. Navarr, Medina, Angles, Bonacina, et alii plurimi.

(33. Et hoc colligitur aperte ex bullis, et edictis editis a Summis Pontificibus, qui diserte declararunt, eos, cum quibus dispensarunt a præcepto de abstinentia a carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum saluti noxii esse possent, non excipi a lege jejunii, sed teneri tempore Quadragesimæ unicam in die sumere refectionem; Gregor XIII in bulla *Cruciatæ* pro regno Lusitaniæ sic statuit : « Præterea indulgemus ut dicto triennio durante, carnibus de consilio utriusque medici temporibus Jejuniorum, tam Quadragesimalium, quam quarumcunque dierum totius anni, vesci possint ac pro eorum libitu ovis et lacticiniis, ita quod qui carnes comederint, servata in cæteris Jejunii ecclesiastici forma, dicto Jejunio satisfecisse censeantur. » Alexand. VII, Pontifex Maximus anno 1657, Romæ promulgavit edictum, quo propter pestem, quæ anno præcedenti in urbe sævierat, dispensavit tempore Quadragesimæ cum civibus romanis a præcepto de abstinentia carnis in diebus Dominicæ, Lunæ, Martis et Jovis, expresse tamen declarans eos Jejunium servare debere, excepta die Dominica, in aliis diebus, in quibus libere possent carnibus vesci. Similem dispensationem a præcepto de abstinentia carnis tempore Quadragesimæ anno 1658, totius ducatus Mediolanensis fidelibus indulsit idem Pontifex, ea apposita clausula « citra tamen exemptionem a jejunio. » Denique in edicto, quod Romæ pro observatione Quadragesimæ sub pontificatu Clementis XI anno 1703, publicatum est hæc clausula inserta fuit : « Ed osservare il digiuno alle di cui leggi sono tenuti anche quelli che per giusta causa si cibano di carni salubri. » Quæ verba sic latine redduntur : « Et debent observare Jejunii legem ad quam obstringuntur, et illi, quibus justa de causa permittitur, ut tempore Quadragesimæ carne salubri vescantur. » Sed cum hæc inserta clausula quibusdam displicuisset, diligentius hujusce rei examen selectis viris eruditis commisit Clemens XI Pontifex Maximus, atque post perlecta, et ad sanctuarii pondus librata hinc inde illorum censoria suffragia, tandem ad marginem edicti, quod Romæ pro Quadragesimæ observatione anno 1704, typis edendum ac vulgandum erat, sicut singulis annis fieri solemne est, hanc clausulam, propria manu scriptam, edictoque inserendam ipsemet Pontifex Clem. XI apposuit : « Ed osservare il Digiuno, alle di cui leggi siano tenuti anche quelli, che si cibano di carni salubri col motivo di esser loro nocivo il vitto Quaresimale. » Quæ verba latine redduntur : « Et tenentur observare Jejunium, a cujus lege non dispensantur illi, qui salubri carne vescuntur, eo solo ducti motivo, quod eorum saluti noceant Quadragesimales cibi. » Et cum prædicta Pontificis clausula edictum pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1704 fuit publicatum. Exstat etiam edictum Pauli Manfredi urbis Romæ totiusque status ecclesiastici protomedici generalis datum Romæ pro observatione Quadragesimæ anno 1703 : in quo expresse asserit : eos, quibus ex speciali Ecclesiæ indulgentia licet tempore Quadragesimali vesci carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum sanitati haud modicum damnum afferre possent, non dispensari, juxta mentem Summi Pontificis Clementis XI, et declarationem Gasparis Carpegna, Cardinalis Vicarii ejusdem Summi Pontificis ab observatione Jejunii : « Nè per tanto li dispensano dall' astinenza, e digiuno in tutte le sere obligate, non dovendoli nè potendoli li medici sciogliere da questa obligazione che per altro è salutare, e giovevole, benchè per le loro sanità se gli conceda il mangiare carni, conforme espressamente, coll' oracolo di Nostro Signore, dichiara nel suo editto sua eminenza, » seu cardinalis Gaspar. Carpegna Summi Pontificis Clementis XI vicarius in suo edicto, quod jussu ejusdem Summi Pontificis pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1703, publicavit, quod ut ab omnibus legi possit, hic verbatim affertur.

EDITTO PER L'OSSERVANZA DELLA QUARESIMA.

(34. *Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della Santa Romana Chiesa cardinal di Carpegna, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, ec.*

Acciò il tempo Quaresimale consacrato a' digiuni, e ad altre opere di penitenza, e perciò detto da Santa Chiesa « *tempus acceptabile, dies salutis*, » sia in quell' osservanza, che si deve, e si rimovano le occasioni, che possano indurre qualche scandalo, o rilasciamento in quel che appartiene al precetto del digiuno, o all' astinenza dei cibi proibiti : La Santità di N. Signore inerendo alla disposizione del sacro concilio di Trento nel decreto « de delectu ciborum et Jejuniis, » ed agl' editti altre volte emanati per l'osservanza della Quaresima, ci ha incaricato coll' oracolo della sua viva voce di pubblicare il presente editto, e di ordinare a piena esecuzione delle cose infrascritte.

I. Che nessuna persona durante detto

Digitized by Google

tempo, venda, o tagli (come si suol dire) carni in qualsivoglia luogo della città di Roma, eccetto, che nelli Macelli deputati per gl' infermi, e valetudinari, o malsani. Le quali carni debbano essere solo quelle chiamate salubri cioè di castrato vitella, e capretti; nè le tenghino fuori di detti Macelli, ma dentro in modo, che non appariscano, nè si vedano in pubblico.

II. Quelli, che comprano le dette carni per gli infermi, o malsani, come sopra, debbano, per evitar ogni scandalo, portarle coperte, in modo, che non siano viste.

III. Che non si tengano da qualsisia persona pubblicamente a vendere, o si portino vendendo per la città le dette o altre carni, anche di cacciaggioni, o salvatica, molto meno porcina; nè ova, formaggio, o altre sorte di latticini, e cibi proibiti in detto tempo.

IV. Li pollaroli, ed altri che sogliono vendere carni salvaticine, ed uccellami tenghino nelle Botteghe (però in modo, che non si vedano in pubblico) solo quelle che secondo la testimoniale del sig. protomedico possono annoverarsi tra le carni salubri, e non altre.

V. Che nessuna persona di qualsivoglia stato, grado, e condizione possa comprare, o far comprare, ovvero cibarsi d' alcuna sorte di carne, o d' altri cibi proibiti senza la licenza, secondo la forma da Noi prescritta, che li sarà insinuata dalli reverendi parrochi; qual licenza prima si dovra scrivere di propria mano dal medico ordinario, e come tale si sottoscriverà in lingua volgare, il tutto gratis, dopo dovrà esser sottoscritta dal proprio parroco delli detti infermi, o malsani, e per ultimo si porterà a sottoscrivere da alcuno degl'infrascritti RR. PP. nostri deputati solamente, e non da altri in nome loro, alli quali incarichiamo di considerare, ed osservare dette licenze, e quando non siano concepite secondo la solita forma, non le dovranno sottoscrivere.

VI. Avvertendo ciaschedun medico, e parroco, che se sottoscrivono le dette licenze senza legittima causa, ovvero, se l' esibiscono, e presentano ad alcuno senza considerare, se abbia cause sufficienti oltre il participare che faranno dei peccati d' altri, nel che resterà molto aggravata la loro coscienza, saranno da Noi puniti ad arbitrio nostro, anche con pene corporali, come si è strettamente incaricato al sig. protomedico.

VII. Avvertano di più tanto i medici, quanto quelli, che domandano le medesime licenze, d' attendere alla qualità delle carni, cioè che siano salubri, perchè solo queste son permesse nella Quaresima a chi per giusta causa non può cibarsi de' cibi Quaresimali, e se al bisogno si può supplire con ova, e latticinj, non devono quelli permettere loro, nè questi respettivamente cibarsi delle carni anche salubri, ma contentarsi dell'ova, e latticinj, ed osservare il Digiuno, « alle di cui leggi « siano tenuti anche quelli, che si cibano di « carni salubri col solo motivo d' esser loro « nocivo il vitto Quaresimale. » In oltre se per tutto l' anno si astengono dalla carne nel venerdì, sabbato, Quattro Tempi, e Vigilie di precetto, molte più devono osservare tale astinenza ne' detti giorni di Quaresima, non ostante la licenza, che otterranno, ecceto, quando ci fosse nuova causa, che richiedesse altrimente; e non potendosi in questo particolare dare certa regola deve ognuno considerare prima il suo bisogno e le sue indisposizioni, e che non siano affettate perchè ne dovranno rendere conto strettissimo nel tribunale di Dio, dove non potranno scusarsi con la licenza estorta con cause supposte, o finte: onde riflettano bene, che non inganneranno il medico, o parroco, ma sè medesimi, e le anime loro quelli, ch' espongono indisposizioni non vere, ma figurate per ottenere la detta licenza.

VIII. Che li osti, tavernari, albergatori, bettolieri, o qualunque altro di qualsivoglia stato, grado, o condizione, non permettino o tollerino che nelle loro osterie, taverne, alberghi, bettole, e case, s' abbia a cuocere, o mangiare alcuna sorte di cibi proibiti cosi nel detto tempo di Quaresima, come nelli altri giorni, in cui parimente vengono proibiti dalla Santa Romana Chiesa, eccetto che per gl' infermi o malsani, che averanno licenza, come sopra; sotto pena a chi trasgredirà in ciascheduno de casi compresi in questo nostro editto di scudi venticinque, e tre tratti di corda, d' altre pene a nostro arbitrio secondo la qualità delle persone.

IX. Ordiniamo che in tutto il tempo Quaresimale nessuno di qualsivoglia stato, grado, e condizione faccia, o assista a quelle conversazioni, o altre adunanze, dove si faccino suoni, e balli, et che nè meno di notte si vada per Roma sonando, o cantando, ovvero facendo serenate in luogo fermo sotto le pene suddette.

X. Esortiamo per fine tutti i fedeli, non solo all'Osservanza del digiuno Quaresimale, consagrato da Cristo Signor Nostro col suo esempio, ma ad attendere con divozione a quegli esercizj spirituali, che il medesimo tempo ricerca, non meno per placare l' ira di Dio, che per prepararsi a celebrare degnamente la Santa Pasqua.

Dato in Roma dalla nostra solita residenza questo di 23 Febraro 1705.

G. CARD. VICARIO.

NICCOLO ANTONIO CUGGIO SEG.

Et ad id afferuntur duo brevia novissime edita a Benedicto XIV.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Non ambigimus, venerabiles fratres, quin universis catholicæ Religionis cultoribus notum sit a tota per christianum orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale Jejunium; quod olim in lege,

Digitized by Google

et Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab apostolis traditum, a sacris canonibus ubique præscriptum, et ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus, simulque ad recolenda secretiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memoriam Quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis Jejunio corporibus, et animis dignius paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, et cœlesti præsidio in dies adversus principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito, non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus christifidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis, et privatis cladem, exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita, inhærentique in omnium catholicorum hominum animis de sacratissima Quadragesima, aliisque diebus Jejunio consecratis persuasione et reverentia; quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna Jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa Jejuniorum institutione, et servata semper, ubique, et ab omnibus disciplina quam longissime distet, vos, venerabiles fratres, qui populorum curæ vestræ commissorum, mores, et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra præ cæteris clarius intelligitis. Nos sane quibus in hac sublimi apostolicæ procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus augustissimam. Quadragesimalis jejunii observantiam ob nimiam, nullis urgentibus legitimis causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse, ita ut orthodoxæ quidem Religionis cultores merito querantur; hæresum vero sectatores illudant et exsultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus quæ usque adeo invaluit; ut nulla apostolici instituti, sacratissimique præcepti habita ratione, Jejuniorum tempore palam, et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulæ interdictæ promiscue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum fraternitatibus vestris communicamus; ita facere non possumus, quin pro injuncto nobis supremo sacrosancti apostolatus officio, et ardentissimum fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes hujusmodi abusibus penitus exstirpandis leges præscribandas meditemur. Interea, venerabiles fratres, gaudium, et corona nostra, nobiscum considerantes nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quam ut verbo et exemplo præeuntes, christifideles ad tam salutarem Christianæ pœnitentiæ, et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, constantissime retinendam et ea, qua instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus; omni opera, atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem Jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali Festo dignum est inveniri. Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, et charitatis officium jure postulat; ut omnibus notum faciatis, et annuncietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per sacra canonum statuta præscriptis cum debita Apostolicæ hujus S. Sedis reverentia a Quadragesimali Jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbe, et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est cur vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romæ ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus, et licitas atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus districtam supremo divino Judici redditum in rationem, ita conscientiam uniuscujusque vestrum onerandam esse ducimus. Insimul fraternitates vestras rogamus, et in Domino exhortantes obsecramus, ut populos, qui communem omnium christifidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis; ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant; quinimo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta Jejunia decoquere non possunt, per pia opera, orationum suffragia, et eleemosynæ munera redimant. Interim solatium, et levamen non leve mœrori nostro a pastorali vigilantia, et charitate vestra præstolantes, ac certo nobis pollicentes, apostolicam benedictionem cum uberi cœlestium charismatum copia conjunctam in eosdem populos vestros redundaturam, vobis, venerabiles fratres, peramenter impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Digitized by Google

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30 mensis Maii, 1741, Pontificatus nostri anno primo.

D. CARDINALIS PASSIONEUS.

Venerabilibus Fratibus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS XIV.

In suprema universalis Ecclesiæ procuratione meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut orthodoxæ fidei assertores; sic etiam ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita semper, et ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex catholicis inficiatur, ab hodierna Jejunantium corruptela vindicare et in pristinam, quantum benedicente Domino fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma brevis litteras ad fraternitates vestras die 30 proxime elapsi mensis Maii currentis anni datas, eximium fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte, et optatum apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem paternæ pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio, aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente, dispensandum esse, ex apostolica benignitate censuimus; ita inter cætera præscripsimus unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus quod non defuerint qui per humanas et hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas et interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem, a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, nos quibuscunque quacunque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, te de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa valetudinis affectæ ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in Quadragesima aliisque temporibus anni, et diebus quibus carnium, ovorum, et lacticinorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore

præsentium declaramus et edicimus, quemadmodum per singulas nostras in pari forma brevis litteras singulis utriusque sexus christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur in sacratissima Quadragesima aliisque diebus jejunio consecratis, vescendi prohibitis, licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus et præcipimus. Ea propter fraternitates vestras rogamus atque in Domino obsecramus ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam, de observando sustinendoque jejunio, purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis, imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos Christianæ militiæ milites refugientes a consortio crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare præcipit incoruptam; ad cujus auspicium et pignus fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 22 mensis Augusti, millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pontificatus nostri anno secundo.

D. CARD. PASSIONEUS.

Et ratio est, quia jejunium est præceptum dividuum includens duo præcepta distincta, unum de unica comestione, alterum de abstinentia a carnibus; unde quamvis in ipso ratione dispensationis cesset obligatio abstinendi a carnibus, non cesset tamen obligatio de unica comestione, quia præceptum Ecclesiæ, quando non potest servari in totum, nihilominus in parte quæ servari potest servandum est; arg. cap. *Dilecti*, 6, de Dolo et contumac. Et patet a simili; nam qui non potest tamen recitare totum divinum officium, et potest tamen recitare partem, tenetur ad recitandam partem quam potest. Hinc Innoc. XI, die 2 Martii 1679, merito damnavit sequentem propositionem, 54, in ordine: « Qui potest recitare matutinam et laudes, potest tamen aliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. » Tum quia nedum unica comestio est æque essentialis jejunio, ac abstinentia a carnibus, ut dicunt Henno,

Digitized by Google

Felix Potestas loc. cit., et alii passim. doctores; imo magis essentialis, ut probat Hurtad. loc. cit., quem sequitur La Croix, loc. cit., et alii. Sed et insuper ratio formalis jejunii sita est in unica refectione, et non in abstinentia a carnibus, cum certum sit ex pontificiis bullis et Edictis supra laudatis solvi jejunium si bina in die fiat refectio, et vice versa non solvi jejunium si quis, post legitimam a superioribus ecclesiasticis obtentam dispensationem, semel in die tempore Quadragesimæ carnibus vescatur, ut recte probat Graveson, Histor. Ecclesiast., tom. VIII, p. 2, colloquio 6, ubi mordicus et suo more egregie defendit hanc nostram sententiam. Et de facto non dicitur jejunium illis diebus in quibus sumuntur plures refectiones, quamvis non manducentur carnes, ut patet in diebus Veneris et Sabbati, in quibus ob facultatem sumendi plures refectiones non dicitur esse jejunium, sed tantum abstinentia.

(35. Post hæc emanavit alia ejusdem pontificis encyclica, in qua monentur episcopi ne faciles se præbeant in petendis a Sede Apostolica dispensionibus genralibus a jejunii disciplina pro oppidis et diœcesibus, sed prius consulendos indicitur medicinæ peritiores, exquirendo ab illis num morbus sit communis ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat, adeoque ad præservationem a morbo multum conducere judicent, si dispensatio a carnibus concedatur, tunc vero illas petant. Hæc aliaque servanda ab episcopis in re, clarius patebunt legenti ipsam encyclicam, quam ideo hic subnectimus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Libentissime quidem amplectimur quæ nobis offeruntur occasiones ad vestros animos excitandos, ut ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis. Etenim summi pontificatus dignitati, ad quam nos, licet immerentes, erecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque præsentium litterarum argumentum totum sit de jejunio quod tempore Quadragesimæ veteri Ecclesiæ instituto ac lege fidelibus indicitur, supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ institutione, et Patrum et conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem nobis parum videretur, sed potius alienum et nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinæ laude, canonum, et sacræ Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ synodi quæ, sess. 25, de Reform., præcepit episcopis omne studium impendere ut fideles ipsorum curæ traditi magna religione perficiant ea quæ a sacris canonibus præscribuntur: « Ut illis omnibus, et iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et jejunia. »

Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII, felic. record., a sede Anconitana translati fuimus), Mandatum evulgavimus (quod libro primo Institutionum nostrarum pro viris Ecclesiasticis, decimo quinto loco, continetur): in illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos jejunii legibus putabamus illos qui, ob legitimam causam, et legitima prius auctoritate interposita, Quadragesimæ abstinentiam non observarent, minime inquam solvendos a jejunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice vespertina superaddita refectione, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, nos rem totam in examen iterum revocavimus, et præstantissimis quoque viris demandavimus ipsam diligenter accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris sive generalis pro aliqua civitate vel oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore jejunii vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi jejunii, sive unius comestionis, interponatur, et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere. Equidem, declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam qui carnibus uti, cum jejunium indicitur, rite obtinuerunt, et pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt. ob eam potissimum causam quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constant ex nostris apostolicis litteris quas in forma brevis dedimus ad omnes episcopos orbis catholici, anno 1741, quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus*, alteræ vero: *In suprema*. Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ sive aliud jejunium præcipitur, nisi indicta scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus cum redditæ nobis fuerunt plures epistolæ ac mandata vestra litteris nostris apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contenditis adducere populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

Interim promulgatis iisdem apostolicis litteris quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum nos opinamur, cum illæ vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant ac dissolvantur. Attamen

Digitized by Google

sacro tribunali nostræ pœnitentiariæ, rerum hujusmodi conscio ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plane cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum regnis primus inquisitor nuperrime vita functus, longam ad nos dedit epistolam, qua plures recensebat difficultates quæ litteris nostris apostolicis adversabantur, quominus exsecutioni mandarentur, eo quod nonnulli theologi in diversas opiniones ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus quibus litteræ nostræ apostolicæ causam et occasionem præbebant, ac proinde de illis judicium nostrum exquirebat. Et quidem archiepiscopi litteræ nos gravissimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum nobis est non quidem expeti ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum sive obstaculum nostris litteris apostolicis superesset; sed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minime adducerentur. Accedit etiam quod epistola archiepiscopi multis argumentationibus et obscuris vocibus redundabat. Quamobrem, licet plures hortarentur ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, et quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum nostris occupationibus tribuendum testati sumus quod tarde ipsi responsum daremus, ejus studium commendavimus et etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc sanctam sedem confugerit ut consilium exposceret. Deinde prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque nullam habere rationem illorum qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt pertubent ac evertant.

Vix redditis litteris, archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit. Itaque non immerito suspicamur responsa nostra quæ litteris continebantur haud cognita fuisse et perspecta illis qui quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispanis episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus quæ tradita prius archiepiscopo Compostellæ a nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos theologi, qui litteras nostras apostolicas datas anno 1741 egregiis commentariis illustrarunt. Idem contingit responso quod fecimus archiepiscopo Compostellæ die octava Julii anno 1744, quod sane integrum suis libris præfigendum curaverunt. At, quoniam libri ejusmodi ad vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his litteris encyclicis adjungimus illas pariter quas (uti dictum sæpius est) ad archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina vestris in diœcesibus tenenda sit plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ a captiosis hominibus concitentur.

VENERABILI FRATRI ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLÆ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Si Fraternitas tua secum reputabit quot gravissimis et maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus nos teneat imposita tenuitati nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur tandiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas litteras quibus apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas e duabus nostris epistolis ad omnes episcopos superioris anni 1741, 30 Maii et 22 Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem ecclesiastici jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde nos, immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. Quanquam igitur, dum prænuntiatas constitutiones edidimus, non aliud propositum nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent, nec otium, nec animus nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a nobis jejunandi regula; tamen eximia paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, et nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. Utrum, quæ in antedictis nostris litteris in forma brevis de unica comestione et de epulis non permiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Respondemus : Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. An ii quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus : Non licere; sed opus habere eo cibo eaque uti portione quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comestione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?

Edicimus, observandam iis esse.

IV. Quænam sint epulæ licitæ quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Digitized by Google

Respondemus : Epulas licitas pro iis quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas ; epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

V. An præceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicos quadragesimales complectantur?

Affirmatur complecti.

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat qui ex bulla Cruciatæ edere possunt ova et lacticinia?

Rescribimus : Nihil in nostris prænuntiatis apostolicis litteris statutum esse quod respiciat gratiosum Cruciatæ diploma; quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur : Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum : illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo et tertio ad hæc postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Habes, venerabilis frater, penitus explicatum quidquid apud vos ex nostris sæpius nuncupatis apostolicis litteris dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero et non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere pastores queant. In istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem nihil sibi tutum nisi e divi Petri Cathedra acceptum reputantem, qua splendidissima gloria tantum nomen et incorruptæ fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem vobis est (ideoque ad te plurimum pertinet, qui illustris archiepiscopi et inquisitoris geris præcipuum munus), ne in expendendis Apostolicæ Sedis constitutionibus pro nimia exauriendi argumenti sollicitudine nullus fiat disserendi ambigendique modus; sedula deinde opera conferenda ut istiusmodi dubia quæ, facile pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur; ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi, præsertim cum constitutiones ipsæ apostolicæ scopum quo tendunt aperte demonstrent, et illuc prompte dirigi potest quidquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim nihil aliud nobis in animo fuisse quam cohibere vivida nonnullorum theologorum ingenia, qui, nimium sane jejunii fines prætergressi et non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent quid in propositis quæstionibus constituendum esset, nec sibi molestiam exhibuissent, nec nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum; in posterum simul præcaventes quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gressus vestros in promptu sit. Reliquum est, venerabilis frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ nostræ pignus apostolicam benedictionem peramanter impertiamur.

Dat., etc., 8 Julii 1174.

Cum hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi (quibus licet carnes edere) cum jejunium tempore Quadragesimæ vel extra Quadragesimam fidelibus præscribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul et carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras affundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium a nobis deposcunt.

Siquidem advertimus jam multis abhinc annis non solum plures in qualibet Italiæ urbe vestra auctoritate dissolvi a quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contendistis, ut universam civitatem totamque diœcesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est ut in quibusdam civitatibus ac diœcesibus jam per multos annos fideles universi absque ullo discrimine carnibus per Quadragesimam utantur. Id quidem maximam nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehendimus certis testimoniis in quibusdam regionibus Septentrionis toto Quadragesimæ cursu lactis et ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eamdem facultatem pertierint, et ab hac Sede Apostolica consecuti fuerint. Quamobrem illi populi sibi in animum induxerunt non esse rursus ad pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur. Præterea maximi facienda esse duximus ea verba Trident. Conc., sessione 25, cap. 18, de Reform. « Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxere, ut plenius, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. »

In litteris nostris apostolicis quas anno 1741 ad omnes episcopos catholicos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus, ea ratione illisque verbis quæ rursum hic subjicimus : « Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis et charitatis officium jure postulat ut omnibus notum faciatis et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio ; multitudini vero veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, non nisi gravissima et urgente necessitate,

Digitized by Google

et in casibus per sacra canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus sanctæ Sedis reverentia, a quadragesimali jejunio dispensationem toties quoties opus fuerit concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicuti alibi in more positum esse accepimus, esse postulandam. »

Porro nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti populum, aut civitatem integram Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis Loci episcopus id postulare a nobis debuit, ac de gravissima urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permissæ fuerunt, si lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum, interposito episcopi testimonio, id omnino necessarium judicaretur, nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret si ova solum et lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies Quatuor Temporum, vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam Cinerum. Aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis ac Sabbatis, etiamsi facultas a nobis tradita lactis et ovosum usum solum complecteretur. Postremo etiam conditionem semper addidimus, ne jejunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

Dum rationem hujus consilii nostri serio perpendimus, haud plane acquiescimus, ob eam sollicitudinem ac dubitationem, ne causa ab episcopo loci prolata, quam nos legitimam credimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit quæ veram et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto ac temere faciamus. Hærent pariter animo defixa sancti Bernardi verba ad pontificem Eugenium, lib. III, de Consideratione, cap. 4 : « Facitis hoc quia potestis; sed utrum debeatis, quæstio est, et quomodo. » Attamen fidem præstitimus iis quibus præstanda fuerat, episcopis nempe Locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium ecclesiarum ac diœcesum, nisi fides habeatur episcopis a quibus illæ administrantur; sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit animum iis advertere quæ subjicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III prædecessore nostro, cap. *Consilium de observatione jejuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam a carnibus jejunii tempore, recenseri veram et existentem reipsa ægritudinem : « Præterea de illis, qui in Quadragesima vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, et petunt sibi esum carnium indulgeri, respondemus : Quod cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes et debes, ut majus periculum in eis evitetur. » Idem statuerant, multo ante Innocentium III, Patres octavi concilii Toletani, Canon. 9, quod anno 653 celebratum fuit : « Quisquis absque inevitabili necessitate atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum erit reus resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione..... Illi vero quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant quam a sacerdote permissum accipiant. »

Nemo est qui non intelligat hujusmodi causas satis esse ut aliqui a jejunii legibus et abstinentia immunes existimentur; non autem ut populus vel integra civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit cives universos alicujus urbis vel diœcesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi eos morbos intelligamus qui ab aeris intemperie vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus; quis credat unquam populum universum alicujus diœcesis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Neque vero causa sufficiens habenda est ut aliqua civitas vel populus abstinentia quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes habent egenos cives ita etiam opulentos, e quibus etiam alii vitæ sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque si emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non vero divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus capit. 9 libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ typis impressimus.

Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ civitates, vel diœceses ubi exercitus versantur eo quod milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minime observant. Id potius animos civium inflammare deberet ad jejunium rite religioseque suscipiendum, ut nempe milites, tanta virtute temperantiæ permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illum solum pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre civitati penuriam herbarum atque olei, licet Quadragesimæ jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt quæ paulo ante diximus, cum pisces et ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ

Digitized by Google

non adducantur, nisi forte civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem : neque in posterum herbarum, olei, piscium, et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis civitas, vel diœcesis ab instituto Quadragesimæ jejunio ac temperantia liberari contendat. Quod si veras ac legitimas a nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia, deprompta est.

Innocentius III, quem superius nominavimus, eodem cap. *Consilium de observatione jejuniorum*, archiepiscopo Bracarensi postulanti qua pœna plectendos judicaret illos qui tempore Quadragesimæ a carnibus non abstinuerant ob summam rerum charitatem et angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis : « Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda qui diebus quadragesimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruebat; quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti respondemus quod in tali articulo illos non credimus puniendos; preces tamen Domino pro illis et cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam ubi culpa minime reperitur. » Si quis hoc tempore episcopus adductus exemplo Bracarensis antistitis idem consilium peteret a Sede Apostolica, tanquam ineptus ac simplex haberetur. Sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maxime pendebatur, uti æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi qui minime paruissent, licet talis causa intercederet ut liberi ab eodem præcepto viderentur, nec ulla ratio habebatur virorum principum, licet ipsorum incolumitas cum reipublicæ felicitate conjuncta putaretur, uti nos fuse ostendimus in decima quinta nostrarum Institutionum libri primi; sed iis omissis et aliis bene multis quæ in hanc rem a nobis congeri possent illud primum delibabimus ex responso Innocentii III, tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram civitatem vel diœcesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum Quadragesimæ observari nequit; itaque si revera in aliquo loco, neque oleum neque pisces comparari possint, tunc incolis ejusdem loci permitti fas est ut lacte et ovis utantur; si hæc autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interposita semper servandi jejunii conditione.

Insula Sancti Dominici in America meridionali in temporalibus paret charissimo in Christo filio nostro Ludovico Gallorum regi Christianissimo, neque ullus ei præest episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742 a nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et Quadragesimæ, dici posset sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi, nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtus incolas, quando coram Deo id expedire judicasset : habitoque responso facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit vepeficam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longe ab insula piscantes, pisces deferebant aut fetentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium, deficientiam denique olerum et leguminum, quæ in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram nobis in congregatione generali sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis, die 12 Aprilis, anno 1742; habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impossibilis erat ad S. Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati fidelium degentium in insulis regionis Gallicæ in America, facultatem concessimus præfectis missionum illarum partium, in casu veræ et ineluctabilis necessitatis, et tantum de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, et non aliter nec alio modo, ut possent et valerent cum fidelibus populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum et lacticiniorum, ac etiam carnium, tempore quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicam comestionem, oneratoque prædictorum præfectorum conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim abhinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen ut ex una civitate in aliam, et ex una provincia in aliam hæc funesta lues promanaret; id contingit ann. 1730, 1733, 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines atque ætates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen sensibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem, nam ex ipso febres acutissimæ ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut deinde gravissima mala provenerint. Alios quoque morbos hujus generis pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse, medici scriptores luculenter testantur.

Itaque si medicinæ professores acciti, monitique graviter ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti nobis accidit cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ qualem superius commemoravimus, ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat, et affirment illis ipsis qui inter cives salvi et integri numerantur eamdem perniciem immi-

Digitized by Google

nere; id præterea conferre plurimum ad hujusmodi luem depellendam aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani a piscibus et oleo et quandoque pariter a lacte et ovis abstineant, si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, et quæ semper probata et in posterum probanda videtur, ut nempe populus seu civitas integra a carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Neque difficultas removere vos debet a consulendis medicis qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter ut quidquid revera senserint, scripto testari non prætermittant; quæ conditio si desit, in posterum nulla unquam facultas civitati aut diœcesi carnibus aut lacticiniis vescendi tempore Quadragesimæ tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam quod medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem cives a Quadragesimæ præcepto liberos et immunes decernere soleant (qua de re gravissime monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent): cum vero pro universis civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos præstare nos ipsi experti sumus. Postremo si velint percurrere ea quæ in Italia et extra ipsam præclarissimi auctores medici typis evulgarunt, facile deprehendent abstinentiam ciborumque parcimoniam ab illis magnopere commendari, discrimen inter morbos constitui, et certis rationibus ostendi in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri ut jusculum et carnes loco piscium, olei et herbarum, substituantur; in aliis vero juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur jejunium, oleo vel lacte ægrotantes utantur. Demum advertent quam diligenter accurateque scribant de pectoris incommodis, eum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo qui adhuc incolumes a communi lue supersunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est ut vos hortemur ne tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, et lacticiniis tempore Quadragesimæ, pro universa civitate vel diœcesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a vobis compertum erit delicatis quoque ac mollibus abstinentiam Quadragesimæ nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter ægrotos vel mortuos recenseri. Hanc rationem et institutum nos ipsi secuti sumus Romæ et Bononiæ (cujus sedem adhuc retinemus) cum nuper Quadragesimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præstabitis, neque facite a nobis pro universa civitate vel diœcesi facultatem solvendi Quadragesimæ abstinentiam postulabitis, vel si necessarium id arbitremini) non aliter quam servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad nos deferetur, non solum ii fructus provenient quos jam indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, nosque pariter ea molestia vindicabitis quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, et apostolicam benedictionem vobis populisque vestris impertimur.

Datum ex arce castri Gandulphi, die 10 Junii 1745, pontificatus nostri anno quinto.

(36. Qui semel frangit jejunium, et eadem die sæpius comedit, si frangit jejunium esu carnium, peccat toties mortaliter quoties iterum comedit carnes. *Communis.* (37. Si vero frangit sola replicata refectione cum cibis die jejunii permissis, variant doctores. Castropal., tract. 25, p. 2, § 2 n. 8; Fagundez, præcept. 4, lib. 1, cap. 4, num. 8, et alii ab ipso citati; Diana, par. 1, tit. 9, resol. 44, cum quatuordecim aliis ibi citatis; Mastrius, disp. 14 Theolog. moral., n. 9; Reiffenstuel, Theolog, moral. tract. 10, de Præcept. Eccles., dist. 2, quæst. 2, n. 20; Felix Potestas loc. cit., num, 2846, et alii, dicunt non peccare mortaliter, nisi per secundam comestionem, vero per non tertiam, vel per alias subsequentes. Et ratio istorum est quia præceptum jejunii non obligat ad impossibile; posita autem secunda comestione, impossibile est ut quis unica refectione contentus sit, adeoque peccatur tantum in secunda comestione, et non aliis, quia statim ac illa posita, est violatum præceptum jejunii, et amplius non obligat. Medina autem, Maj. Montes, Covarruv., Molan., Silvester., Loth., et alii multi apud La Croix loc. cit., num 1265, valde probabiliter tenent, peccare mortaliter quoties iterum sumit plenam refectionem, quia per negationem aliarum refectionum adhuc obtineri potest notabilis mortificatio carnis, quæ est finis legis. Vivald. vero, Diana, resolut. 53; Illsung tom. IV, d. 1, n. 43, dicunt, in aliis comestionibus post secundam, ne quidem venialiter peccare. At ipse La Croix, loc. cit., recte dicit tenendum esse cum communissima sententia peccare saltem venialiter; quia est contra finem legis, qui est mortificatio carnis, et non esse plusquam veniale, docet cum aliis probabiliter Lessius l. IV, c. 2, n. 17 (101).

(38. Jejunium quamvis frangatur per iteratas veras refectiones, non frangitur tamen per alias sumptiones, non per modum cibi

(101) R. P. Paulus Gabriel Antoine tract. de Virtut. Moralibus, append. quæst. 5, proponit: An toties quis peccet mortaliter quoties die jejunii sumit refectionem iteratam? Et respondet: Non pauci affirmant. Quia juxta omnes toties quis peccat quoties carnes comedit, quia præceptum abstinendi a carnibus est negativum. At præceptum abstinendi a pluribus refectionibus est etiam negativum; nam non præcipit unam refectionem, sed præcise plures refectiones prohibet. Ergo, sicut peccatur per quasvis comestiones carnium, ita et per quamlibet et singulas refectiones ultra unam. Præcepta enim negativa violantur non solum per primum et secundum actum, sed etiam per quoscunque alios sequentes. Vide et rationes alias, ab auctore expositas, quæ potiores videntur rationibus auctorum id negantium. (*Notæ Romani theologi.*)

Digitized by Google

vel refectionis sed per modum medicinæ vel potus. Sic non solum non frangit jejunium sumere ipsas formales medicinas, sed neque universaliter electuaria seu confecta, cum principaliter non sumantur ut cibi, sed ut medicinæ. *Communis* cum S. Thoma 2-2, quæst. 147, art. 6, ad 3. Item non frangit jejunium qui ad confortandum stomachum debilem mane sumit offam fructum panis, saccarum, et hujusmodi, vel extra tempus refectionis bibit quacunque de causa (102) et addit bolum panis, amygdala, et hujusmodi, quia similia habent potius rationem medicinæ, ne videlicet noceat haustus quamvis per accidens nutriant, ut observant communiter DD apud Laym., l. IV, tr. 8, c. 1, num. 7. (39. Sic pariter non frangit jejunium bibere extra tempus refectionis quemcunque purum potum, etiam vinum, cerevisiam, mulsum, etiamsi fiat non præcise ad sedandam sitim, sed etiam aliqualiter ad sedandam famem et nutriendum. Sic S. Thom. 2-2, qu. 147, art. 6, ad 2, et alii passim cum Navarr., c. 21, num. 13; Laym., lib. IV, tract. 8, cap. 1, num. 7; Castropal., part. II, § 2, num. 4; Tambur. in Decal. lib. IV, cap. 4, § 2, num. 4; Diana, par. I, tract. 9, resol. 23, contra S. Antonin., Alens., Richard., Rosell., Silvestr., et alios, et ratio a S. Thoma et aliis allata est, quia Ecclesia diebus jejunii prohibet solum ea quæ per se ordinantur ad nutriendum corpus; potus autem quicunque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus; sed potius ad sitim exstinguendam, naturam refrigerandam, et cibi concoctionem adjuvandam; et quamvis vinum, cerevisia, mulsum per accidens aliquantulum nutriant, eorum tamen Ecclesia rationem non habuit, adeoque, etc.

(40. Jejunium non frangit, et licita est sumptio caffæi, thæi, salviati, et cocholati, in die jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter ad curandam infirmitatem realem: *Communis*. (41. Si tamen sumantur non medicinaliter, variant doctores, et maxime de cocholato, quod jejunium non frangere absque ulla limitatione tenent Hurtadus, Lopez, et plures alii apud Tambur, tom. I, pag. 135; Leandr., de Præcept. Eccles., tract. 5, disput. 5; Dianam, part. XI, tract. 6, resol. 53. Idem tenet Henriq., verb. *Jejunium*, referens Urbanum VIII, oblatis ingredientibus, et in ejus conspectu confecto cocholato, de illo gustato dixisse esse et manere potum. Idem etiam, ut testantur plures doctores apud Illsung, t. IV. d. 1, num. 39, responderunt Gregor. XIII, S. Pius V, et Paulus V. Ipsis accedit consuetudo, et timoratorum doctorumque virorum religiosorum usus sine scrupulo. E contra plurimi alii cum Castropal. loc. citat., part. II, § 2; Boudeuvio, part, II quæst. 7, in Ventilabro Medico Theologico; Tambur., loc. cit., consideratis ingredientibus et vi nutritiva illius, docent frangere jejunium. Probabilior tamen et securior sententia cum Leandro, de præceptis Eccl., tract. 5, disp. 5; Diana part. XI, tract. 6, resol. 53; Felice Potest., loc. citat., num. 2877; Remigio. Escobar, et aliis, apud ipsos docet cocholatum non frangere jejunium, si id quod est cibi misceatur aquæ in minori quantitate, ita ut superabundet aqua; quia tunc, cum bibatur tenue, habet rationem potus, et potus ab Ecclesia non prohibetur. Si vero id quod est cibi misceatur aquæ in majori quantitate, ita ut superabundet cibus, tunc dicit frangere jejunium: quia cum tunc coquatur instar densæ pultis, habet rationem cibi, et sic videtur ab Ecclesia prohibita ejus sumptio, eo vel maxime quod in eo casu valde opponitur fini præcepti jejunii, qui est maceratio carnis, cum cocholatum similiter sumptum sit præ cæteris cibis nutritivum et elevativum spirituum vitalium, ut experientia patet. Hinc etiam Benedictus XIV, Institution. Eccles. 15, § 10, potum cocholati die jejunii tolerat; vix tamen admittit majorem quantitatem usitata; nec omnino tolerat sæpius eadem, die iterare.

(42. Collatio seu refectiuncula vespertina, etiam ad nutritionem sumpta, est licita; *Communis*. (43. Pro qualitate tamen ciborum in hac vespertina refectiuncula sumendorum varia varii sentiunt doctores. Aliqui enim volunt talem refectiunculam sumendam esse in modico pane et fructibus seu herbis, et non in cibis proprie dictis, ut sunt omnes pisces cocti, ova, lacticinia, legumina, cocta, aliique cibi substantiales. Alii concedunt modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdalinæ, et hujusmodi. Alii permittunt panem coctum cum amigdalis, seu coctum in aqua aut alio liquore una simul cum sale. Alii dicunt licere comedere parvos pisces. Alii concedunt omnis generis cibos quorum comestio licita est in prandio die Jejunii, modo servetur quantitas. Alii permittunt juscula cocta ex cibis illis qui liciti sunt in collatione, v. g., ex vino vel cerevisia, pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita. Alii docent in collactiuncula non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum, adeo ut ex omnibus cibis qui die Jejunii licite possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiniis, etc., in modica quantitate liceat sumi etiam in vespertina

(102) Non est probata theologis gravioribus Ferraris assertio quæ putat jejunii legem non violare qui extra tempus refectionis bibat quacunque de causa. Nam si in fraudem legis jejunii bibat, et quidem frequenter, hoc est, si bibat non per modum potus, sive ad exstinguendam sitim et faciliorem digestionem procurandam, sed ad sensum famis eludendum et ad nutritionem habendam, quæ ventris famem propulset, tunc contra legem jejunii agere eamque violare videtur. « Legem enim violat, qui in fraudem legis aliquid facit, » ut ait S. Thom. in 4', dist. 15, quæst. 3, art. 4, ad dub. 1, num. 17, de eo loquens, « qui potat extra horam unicæ comestionis, qui non dicitur bis manducare, et propter hoc ne statutum Ecclesiæ frangit, nisi in fraudem faciat: quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. » Itaque non adeo certum est legem jejunii non infringere qui extra comestionem quacunque de causa bibat, ut auctor pronuntiat. (*Notæ romani theologi.*)

Digitized by Google

refectiuncula seu collatione. Sic Casetan. verb. *Jejunium*, cap. 1, in fine; Marcand., Tribunal., par. II, tract. 12, tit. 13, quæst. 3, dub. 1, et aliis citatis Bonac. de Legibus, disp. ultim., punct. 3, quæst. 1, quam sententiam omnino probabilem et tutam esse dicit Sporer., loc. cit., num. 32. Unde in tanta varietate opinionum, salvo meliori judicio, dicerem ego servandam esse consuetudinem et praxim quam in qualibet regione et provincia sequuntur timorati. Et ratio est quia, cum collatio seu refectiuncula vespertina non sit ab Ecclesia universali instituta, sed tantum a particularibus paulatim introducta, et tandem a S. Sede tolerata, eo modo sumi debet quo fuit in singulis provinciis introducta et a timoratis recepta, Vide Sporer. loc. cit., a n. 10 ad 32; La Croix, lib. III, p. 2, a n. 1297 ad 1303, ubi multa ad rem.

(44. Sic etiam pro quantitate ciborum in hac vespertina refectiuncula seu collatione sumendorum, varii varia sentiunt. Aliqui enim concedunt solum tres uncias, alii quatuor, alii sex, alii octo. Alii rectius docent non posse unam generalem pro omnibus quantitatem secundum pondus et mensuram determinari, sed variam esse posse pro varietate personarum, et ætatis, complexionis, occupationis, item regionis calidioris, vel frigidioris. Et equidem verissimum est : sine dubio enim plus indiget et sumere potest homo provectæ ætatis quam alius ætatis consistentis, homo pluribus occupationibus vel laboribus exercitatus, aut continuis studiis deditus aliisque negotiis fatigantibus caput, quam omnimode vacans; in primis enim spiritus magis deficiunt. Item plus indiget et sumere potest degens in regionibus frigidioribus quam in calidioribus. (45. Ut autem aliqualis recta regula assignetur pro omnibus, varii dicunt probabilius modicam et licitam, sine scrupulo quantitatem pro collatione seu refectiuncula vespertina censeri quartam vel quintam partem cœnæ ordinariæ, quam quis alias spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, fatigatione, regione, ordinarie ad sufficientiam naturæ sumere solet. Regin., tom. II, lib. IV, num. 185; Layman, loc. cit., n. 9; Busemb., lib. III, part. II, cap. 3, dub. 1; La Croix, ibid., num. 1299; Sporer, loc. cit., num. 26; Filliuc., tract. 2, part. I, cap. 2, quæst. 7, num. 33, dicens ita decisum fuisse in celebri academia theologorum, qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat Escob., E. 12, cap. 3, num. 61, et alii. Et ratio est, quia etiam in aliis præceptis, ut auditione missæ, recitatione horarum, et hujusmodi, semper quarta pars censetur modica et non notabilis (nisi totum esset valde notabile magnum); unde cum homo pro cœna ordinaria non ita magnam quantitatem comedere soleat, merito quarta, vel quinta pars cœnæ ordinariæ censeri potest quantitas modica, quam quis pro collatione seu refectiuncula vespertina licite sumere potest. Verum, salva omni debita reverentia, ultra quod allata ratio etiam in quartam partem prandii detorqueri posset, licet quarta pars cœnæ respectu cœnæ, aut prandii respectu, prandii dici possit. Modica non tamen respectu collatiunculæ et jejunii; quemadmodum perpendenti fit palam. Unde arbitror esse dicendum quatuor vel quinque uncias pro refectiuncula esse quantitatem servandam, nisi circumstantiæ superius recensitæ vel consimiles aliter expostulent legitime. Atque reminiscantur laxi jejunium ad carnis passionumque mortificationem, peccatorum expiationem, et temporis acceptabilis salutem consequendam, institutum esse, et nec tantillum prioribus Ecclesiæ temporibus fuisse in usu pro refectiuncula. Accedit nunc quoad supradicta attendendam esse apostolicam decisionem Benedict. XIV, qui ad 2 dubium : « An quibus concessum est vesci carnibus possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci quæ jejunantibus permittitur? Respondit non licere, sed opus habere eo cibo eaque uti portione quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ, » ut patet in sua encyclica epistola data sub die 8 Julii 1744, et ad litteram adducta sub num. 35. Atque ad rem debent hic opportune observari quæ novissime adduxit D. Alphonsus de Ligorio in sua Theologia Morali, lib. III, tract. 6, cap. 4, de Præceptis Ecclesiæ, dub. 1, sub num. 1027, ibi : Hic notandum quod nuper per quemdam confessarium supplicatus fuit SS. pontifex Benedictus XIV ut explicaret an revera liceret in serotina collatiuncula parum casei sumere iis qui in Quadragesima et vigiliis sunt dispensati ad lacticinia. Pontifex supplicationem transmisit ad S. Pœnitentiariam, quæ sic rescripsit : « Sacra Pœnitentiaria, optime conscia mentis Sanctitatis Suæ, ex speciali auctoritate ejusdem respondet, non licere : » rationem afferens quod illud *jejunantes* expressum in bulla *Libentissime* præfati pontifici Benedicti XIV (ubi dictum fuit dispensatos ad carnes vel ad lacticinia, « opus habere eo cibo eaque uti portione quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ ») intelligitur de rigorose jejunantibus quadragesimali jejunio, in quo tam carnes quam ova et lacticinia vetantur.

Deinde dubium subortum fuit an S. Pœnitentiaria illud : *optime conscia mentis*, etc., dixerit ex sua interpretatione vel ex proprio oraculo Pontificis? Idcirco idem confessarius iterum Papam supplicavit ut ipsemet mentem suam explicaret. Venit responsum (quod ego ipse authenticum observavi, et nunc apud me est), in quo sic dicitur : « Sacra Pœnitentiaria de mandato SS. Domini, qui suis ipsis oculis retroscriptam epistolam dignatus est legere, respondet, vera esse et pro veris habenda quæ constat ab eadem pœnitentiaria fuisse rescripta. Datum Romæ, in pœn., die 23 Julii 1756. Sic ille expresse ad litteram. »

(46. Tempus ordinarium sumendæ collationis seu refectiunculæ vespertinæ sine dubio est vespertinum, unde qui absque omni causa pro mero suo libitu illud commutat

Digitized by Google

sumendo mane collationem et vespere prandium seu cœnam, peccat saltem venialiter, quia pervertit receptam consuetudinem et universalem uniformitatem Ecclesiæ; *Communis* cum Layman, lib. IV, tract. 8, cap. 11, num. 10. Si vero aliqua justa causa interveniat, v. g. copia negotiorum non permittentium sumptionem prandii in meridie, vel periculum infirmitatis, occasio itineris, et hujusmodi, nullimode peccat. Rursus *Communis* cum Marchant., Tribunal, part. II, tract. 2, tit. 3, quæst. 3, dub. 3, ubi sic præcise dicit : Ratio mihi clara est, quia si mater Ecclesia cum comedente in meridie dispensat ut collatiuncula vespere sumat ad confortationem, ne deficiat, in hoc condescendes humanæ infirmitati ; potior sane dispensationis ratio est in eo qui, ut in die iter agat, aliudve negotium commode exerceat, ad vesperam usque suam cœnam transfert, et mane collatiunculam sumit ; et in eo est majus periculum deficientiæ. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omnino secura conscientia concludi existimo. Et hæc praxis communi usu timoratorum in dies confirmatur.

(47. Hactenus ille ; imo Reginald. lib. IV, num. 186 ; Mastrius in Theolog. Moral., disp. 12, num. 8 ; J. Sanch., disp. 53, num. 2 ; Tambur., loc. cit., § 3, n. 10 ; Sanchez, dub. 27 ; Azorius, et quidem alii probabile esse censent talem nec venialiter peccare, quamvis sine speciali causa differat prandium ad noctem, dummodo sumat refectiunculam hora consueta prandii, et non prius, nisi adsit alia justa causa. Et ratio istorum est quia, dicunt ipsi, talis modus jejunandi, neque ex toto, neque ex parte solvit substantiam jejunii. Quinimo talis modus jejunandi magis conducit ad finem jejunii, qui est mortificatio carnis, unde et olim in Ecclesia primitiva refectio sumebatur ad vesperam in Quadragesima, et ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem in aliis jejuniis, ut patet ex adductis sacris canonibus et Patribus sub num. 15.

(48. Tempus ordinarium comestionis seu prandii in die jejunii, scilicet horam sextam proximam meridiei notabiliter, v. g. per unam vel alteram horam, anticipare absque causa volunt varii graves auctores esse peccatum mortale, quia notabili anticipatione refectionis ante horam determinatam notabiliter violatur jejunium ; Argum. cap. *Solent*, 47, dist. 1, de Consecr., ubi olim præveniens reficiendo horam vespertinam in Quadragesima non censebatur jejunare, ibi : « Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint ; quam vespertinum celebretur officium. » Sic Navarr. in Manual., c. 21, num. 27 ; Marchant. in Tribunal., par. II, tr. 12, tit. 3, q. 2 ; Covarruv., Paludan., Cajetan., Sancius, et alii. Communior tamen et probabilior sententia tenet non esse peccatum mortale, sed veniale tantum, etiam notabiliter et sine justa causa prævenire dictam horam refectionis seu prandii. Et ratio est quia sic non violatur substantia præcepti jejunii, sed solum circumstantia quædam accidentalis et secundario requisita ad jejunium ecclesiasticum. Sic Innoc. Angel. Tolet., Medina, et alii, cum Lessio lib. IV de justit. et jur., c. 2, num. 13 ; Layman, loc. cit., num. 10 et seq. ; Sporer, loc. cit., num. 23 ; Filliuc., loc. cit., num. 70, 71, 72, et plurimis citatis Diana par. I, tract. 9, resol. 33 ; Reiffenst. Theol. mor., loc. cit., num. 33 ; Busembau, et La Croix, loc. cit., num. 1278, et alii passim. (49. Si autem aliqua justa causa subsit, ut si iter sit ineundum, si hospites dimittendi, si concio habenda, lectio frequentanda, aliudve negotium in meridie, et hujusmodi, nullum erit peccatum ne quidem veniale. *Communis*. (50. Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in religiosis qui per privilegium etiam sine causa possunt una hora anticipare ; La Croix l. III, p. II, n. 1271 ; Tamb. c. 4, § 4, n. 3 ; Steph. t. I, d. 5, n. 121, et alii passim.

(51. Prandium seu refectionem interrumpere, vel dividere in die jejunii sine justa causa non licet. *Communis*. (52. Justa tamen interveniente causa, ut paupertas, officium, negotium licet : *Communis*. Si enim interveniat paupertas, qualis est eorum qui ostiatim mendicant, et omnium aliorum qui non habent quo unica refectione sufficienter reficiantur, utique poterunt isti refectionem suam interrumpere cum intentione continuandi, ubi novam eleemosynam invenerint et novum cibum habuerint. Sic si interveniat officium quale est eorum qui tempore prandii ministrant vel legunt ad mensam, isti possunt sumere cibum etiam in magna quantitate per horam circiter ante prandium suum, et postea hoc complere expleto suo servitio et officio. Item si interveniat negotium quale est eorum mercatorum qui, refectione, seu cœna nondum finita, ab occurrentes emptores alias apud se non empturos, discedere coguntur a mensa nondum plene et sufficienter saturati ; isti enim, confecto negotio, reverti possunt ad eam refectionem finiendam præsertim intra modicum tempus, v. g. unius horæ ; censetur enim moraliter una refectio propter intentionem *Communis*.

(53. Sic non peccat, qui inter prandendum garrit, nugatur, nova nuntia legit, et hujusmodi, si tempus refectionis non excedit duas horas, quia ordinarie tantum temporis conceditur refectioni sumendæ, nec censentur tunc partes moraliter dividi. (54. Item, si quis finierit prandium, et plicarit mappulam cum proposito nihil amplius comedendi, seu surrexerit e mensa etiam gratiis actis, potest, intra quadrantem circiter mutata voluntate, iterum assidere et comedere, quia moraliter censebitur una comestio. (55. Item, qui mensam relinquit in uno loco intendens absolvere in alio, ubi exspectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas, nec intervallum quadrantem circiter, quia diversitas locorum non videtur hic ad rem facere præsertim ubi id requirit honestas. (56. Prandium protrahi potest licite ad duas horas, non autem ultra : Tamburin. lib. IV, c. 4, § 2, num. 15 ;

Digitized by Google

La Croix, loc. cit., n. 1283; Fagundez, et alii passim.

(57. Qui mane culpabiliter sumpsit jentaculum æquivalens refectioni, tenetur illo die abstinere a refectione. Et si jentaculum sumptum modicum fuerit, tenetur abstinere a collatione : Sanch. in Consil. lib. v, c. 1, dub. 2, n. 8; La Croix, loc. cit., n. 1286; Castropal., tom. XXV, part. II, § 3, num. 5, et alii passim. Et ratio est quia, etsi jejunium factum sit ipsi impossibile quoad circumstantiam temporis, potest tamen servari quoad alia, et ideo, si iterum comedat quasi nihil mane sumpsisset, incurrit novum peccatum. (58. Qui inculpabiliter per inadvertentiam sumpsit mane jentaculum sufficiens ad prandium, non potest amplius illo die prandere, sed solum vesperi sumere collationem, quia habuit unam plenam refectionem, et æque nutritus est, sive sciens sive nesciens jentaverit : Layman, lib. IV, tract. 8, c. 1, num. 14; La Croix, loc. cit., num. 1285; Less., lib. IV, c. 2, dub. 3, num. 18 et 19; Diana Castropal., et alii plures, contra Paludan., Vivald., Fagund., et alios, volenses posse illum adhuc prandere, quia, cum sit factum ex ignorantia jejunii, non computatur pro prandio. (59. Qui iter facturus mane prandet, et postea rebus mutatis iter non agit, non potest amplius illo die prandere, sed solum vesperi sumere collationem. Sic doctores citati numero anteced., propter eamdem rationem, contra J. Sanch., disp. 53, n. 2 et 6, et alios volentes posse illum iterum prandere, ac si nihil sumpsisset. (60. Qui post prandium sumpsit aliquid cibi, tanto minus debet postea sumere in refectiuncula vespertina; et si quasi ad tempus ipsius refectiunculæ vespertinæ sumpsit cibum æquivalentem ad collationem, debet illo die omnino ab ipsa abstinere, quia prior comestio censetur fuisse collatio. *Communis.*

(61. Qui frangit jejunium multiplici præcepto ex eodem motivo imperatum, unicum tantum specie et numero peccatum committit. Unde quia Ecclesia ex eodem motivo formali temperantiæ præcipit jejunium in Quadragesima, in quatuor temporibus, et in vigiliis, si vigilia, v. g. S. Matthiæ occurrat in Quadregesima et Quatuor Temporibus; quamvis tria sint ecclesiastica præcepta jejunii pro eadem die, ejus tamen transgressio non erit nisi unicum specie et numero mortale peccatum; gravius tamen, adeoque ea circumstantia non erit necessaria in confessione exprimenda. *Sic communis doctorum.* Et ratio est quia, licet tali die sit obligatio jejunandi ex tribus præceptis, illa tamen tria præcepta sunt tantum materialiter diversa, sed formaliter unum tantum, cum omnia respiciant eamdem virtutem temperantiæ, et obligent ad Jejunium ex eodem motivo virtutis temperantiæ. Peccata autem non multiplicantur numero ex multiplicitate præceptorum, quando respiciunt eamdem virtutem, sed solum quando respiciunt diversam virtutem, et diversum finem. Et sic, in simili, qui non audit missam in festo de præcepto occurrente in Dominica non committit nisi unum mortale peccatum; et sic religiosus professus ac simul in sacris constitutus non committit duplex peccatum propter duplex votum violatum, nempe votum castitatis religiosæ, et votum castitatis sacro ordini annexum, cum talia vota non sint distinctæ speciei, et sic de aliis consimilibus, ut patet ex dictis in titulo de peccatis.

(62. Idem propter eamdem rationem probabilius est dicendum de Franciscanis, non jejunantibus feria sexta Quatuor Temporum cadente in vigilia et Quadragesima; quia jejunium feriæ sextæ in regula eodem plane fine et motivo temperantiæ præcipitur Franciscanis quo ab Ecclesia præcipitur omnibus fidelibus; adeoque, licet Franciscani non jejunantes tali die quatuor transgrediantur præcepta, non committunt tamen nisi unicum specie et numero peccatum. quamvis gravius : sic contra Vasquez, Navarrum Gonettum, et quosdam alios tenent expresse Marchant, Tribun., part. I, tract. 3, titul, 3, quæst, 4; Sporer, tom. I Append. ad tertium præceptum Decalog. sect. 4, num. 44; Henno, tom. I, tract. 1, disput. 1, quæst 11, conclus. 2, cum Herinex ibi citato, et probabilius Felix Potestas tom. I, part. 4, cap. 6. num. 3744, et alii. Nec valet cum adversariis dicere quod Franciscani voveant regulam et consequenter jejunium feriæ sextæ in eadem regula contentum, adeoque peccent etiam in tali casu contra religionem, eo quod violent votum. Non valet, inquam, quia, licet Franciscani voveant servare regulam dicendo in actu Professionis : « Voveo et promitto..... servare regulam Fratrum Minorum. » etc.; non tamen vovent omnia contenta in regula servare tanquam vota, sed eo modo quo in regula proponuntur. At vero non omnia contenta in regula proponuntur servanda ut vota, sed aliqua quidem ut vota nempe tria essentialia : *Vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate;* alia ut nuda præcepta, inter quæ est etiam præceptum jejunii feriæ sextæ et utriusque Quadragesimæ, et alia ut consilia tantum. Et ratio est quia, si vovendo servare regulam voverent servare tanquam vota omnia contenta in regula, tenerentur ex voto servare nedum præcepta sed etiam consilia contenta in regula, quod nullimode est dicendum, cum ne unus quidem Franciscanus hanc obligationem agnoscat; tum quia, si Franciscani, ex quo voveant servare regulam, sub duplici peccato tenerentur jejunare feria 6, etiam sub duplici peccato, nempe ratione præcepti et ratione voti, tenerentur ad omnia omnino Regulæ præcepta, sicque melius esset, ut advertit Herinex allegatus, et secutus ab Henno, loco citat., ut omnia contenta in Regula essent mere vota et non præcepta, quia tunc Franciscani aliquid transgrediendo non committerent nisi unicum peccatum; tum quia Summi Pontifices, qui Fransciscanorum regulam accurate examinarunt, declararunt in ipsa contineri solum 25 præcepta obli-

Digitized by Google

gantia, et nunquam de hac duplici illius obligatione mentionem fecerunt. Unde non videtur imponenda, cum sit valde grave onus sine sufficienti fundamento, ut recte advertit Henno loc. cit. Notari tamen debet quod dicitur, cadente feria sexta Quatuor Temporum in vigilia et Quadragesima, Franciscani non jejunantes tali die quatuor transgrediantur præcepta, id intelligitur de Fratribus Minoribus qui annum vigesimum primum excesserunt, non autem de iis qui hujuscemodi annum nondum expleverunt; quia, licet Fratres Minores a regula obligentur ad jejunia feriæ sextæ et Quadragesimæ (ut etiam a festo Omnium SS. usque ad Nativitatem Domini), tamen non obligantur vi regulæ ad jejunia vigiliarum et Quatuor Temporum; eo quia regula de iis non loquitur, sicut patet capit. 3 ejusdem regulæ. Unde Minores ætate 21 annorum contra unum duntaxat regulæ præceptum, scilicet feriæ sextæ vel Quadragesimæ, ut a regula impositæ in dicto casu facerent non jejunando. Diximus, Feriæ sextæ vel Quadragesimæ, eo quia tali tempore feria sexta et Quadragesimæ prout sunt a Regula pro uno eodemque præcepto confunduntur, sicut consideranti est obvium; et ideo dictum est supra quod quatuor transgrediantur præcepta, alias debuisset dici quinque transgredi præcepta.

(63. Aliter autem esset dicendum de eo qui violavit statuto die jejunium ab Ecclesia præceptum, a superiore ex obedientia sibi mandatum, a confessario sibi pro pœnitentia sacramentali impositum et ad quod se ex speciali voto obligavit. Tunc enim concurrerent quatuor quasi leges formaliter diversæ respicientes diversos fines et virtutes, adeoque per unam physice dicti jejunii violationem contraheret quatuor specie diversas malitias in confessione explicandas, dicendo, violavi jejunium ad quod graviter obligabat ratione præcepti Ecclesiæ ex motivo temperantiæ, ratione mandati superioris ex motivo obedientiæ, ratione impositionis confessarii, ex motivo pœnitentiæ, et rationis specialis voti, ex motivo religionis. Sic Sporer loc. cit., num. 44; La Croix, lib. v, n. 135, et alii.

(64. Qui violat jejunium uno die per comestionem carnium, et altero per comestionem lacticiniorum aut ovorum, peccat duplici specie distincto peccato, adeoque in confessione utraque prout est violatio est distincte explicanda, quia violatio jejunii per comestionem carnium distinguitur specie a violatione per comestionem lacticiniorum aut ovorum. Item qui frangit jejunium uno die per comestionem carnium, et altero per multiplicem comestionem in piscibus, peccat duplici specie peccati, adeoque non sufficit dicere in Confessione *duobus diebus violavi jejunium*, sed debet dicere quod uno die violavit per comestionem carnis, et altero per multiplicem comestionem in piscibus; violatio enim per comestionem carnis distinguitur specie a violatione per multiplicem comestionem. *Communis.*

(65. Qui unico voluntatis actu deliberate statuit non jejunare per totam Quadragesimam, seu singulis diebus Quadragesimæ, non committit tot numero peccata quot sunt dies Quadragesimæ, sed unum tantum numero, gravius tamen, et sufficit quod in Confessione dicat: « Habui deliberatam voluntatem frangendi jejunium per totam Quadragesimam. » Et ratio est quia hujusmodi distinctio numerica objectorum nempe omnium dierum Quadragesimæ est tantum materialis, cum actus hic aut intentio frangendi jejunium singulis diebus Quadragesimæ respiciat omnino illa jejunia per modum unius solius objecti formalis, totalis et adæquati. Quamvis cæteroquin singula illa objecta possent dare illi actui seu illi intentioni deliberatæ completam malitiam, tamen ut conjunguntur atque ab actu seu intentione respiciuntur per modum unius, conferunt actui, seu intentioni simul unam solam malitiam, graviorem tamen. Si autem postea dictam deliberatam voluntatem executioni mandaret, tot committeret peccata numero distincta fractionis jejunii quot violaret dies jejunales. Et ratio est quia obligatio jejunii fertur super totam Quadragesimam et singulos dies divisim, adeo ut jejunium cujuslibet diei sit in distincto per se præcepto, adeoque quot jejunalibus diebus non jejunaret, tot committeret numero distincta peccata mortalia, ob multiplicatam omissionem externam præcepti jejunii. *Communis.*

(66. Qui statuta die non jejunavit sive inculpabiliter sive culpabiliter non tenetur postea jejunare alio die sequenti. Et ratio est quia, cum jejunium sit statutæ diei alligatum, semel ac violatum est tali die, amplius servari non potest, nec consequenter debet: censetur enim statuta talis dies ad finiendam obligationem, adeoque fracto tali die jejunio, cessat jejunandi obligatio. Aliter autem esset dicendum si dies esset statuta ad implendum votum seu pœnitentiam sacramentalem, et ad non differendam obligationem, ut si quis vovisset jejunare feria sexta et Sabbato unius hebdomadæ, seu id ei fuisset pro pœnitentia sacramentali impositum; tunc enim, cum dies sit solum statuta ad non differendam obligationem voti, seu pœnitentiæ sacramentalis, si jejunium statutis diebus violetur, aliis similibus diebus alterius hebdomadæ erit servandum. *Communis.* Unde sequitur ex dictis quod, si quis vovisset ex devotione jejunium uno integro determinato anno, v. gr., toto anno jubilæi, et prætermitteret aliqua jejunia sive culpabiliter sive inculpabiliter, non teneretur ea altero anno supplere propter rationem nuper assignatam; at si vovisset jejunium pro uno integro anno, non intelligendo determinate annum A vel B, sed intelligendo tantum tot jejunia quot sunt dies in anno, prætermittendo aliqua jejunia sive culpabiliter sive inculpabiliter, teneretur ea supplere propter rationem oppositam item assignatam: verumtamen non teneretur supplere dies Dominicos ob dicta num. 20 et 22, nisi vovens ad id expresse intellexisset se obligare. Item si quis vovis-

Digitized by Google

set jejunium v. gr. quolibet die Sabbati ob devotionem B. M. V., quoties pro tali die jejunii impedimentum occurrat, non tenetur prævenire seu anticipate jejunare, siquidem vovens ad illam determinatam diem se obligavit jejuniumque alligavit. At, si vovisset jejunium pro aliquo tempore determinato solum ex intentione ne ultra illud tempus differatur jejunium, poterit anticipate jejunio satisfacere ; eo quia intentio fuit ne ultra differatur, non vero ne citius onus adimpleatur ; imo tenetur prævenire seu anticipate satisfacere si quandoque prævideat superveniens impedimentum, eo quia votum fuit, ut diximus, ad non ultro differendam, non vero ad finiendam jejunii obligationem ; ac id sive culpabiliter sive inculpabiliter non præstando, adhuc teneretur supplere postea ob eamdem rationem, ut jam constat supra. Vide etiam numer. 22.

(67. Peccant mortaliter non solum ipsi qui jejunium frangunt, sed etiam qui ad frangendum jejunium aliis proxime cooperantur, inducunt ; aut, cum possint et debeant, non impediunt, aut patres et matres familiæ, domini, superiores, et hujusmodi, die jejunii suis domesticis cœnam vel carnes sine legitima causa excusante ministrantes. Item caupones seu tabernarii in locis catholicis carnes vel cœnam ministrantes iis quos sciunt a jejunio non excusari, et quando sine suo gravi incommodo et spe fructus recusare possent. *Communis.* Regula enim generalis est quod non solum peccant qui præceptum transgrediuntur, sed etiam qui causa sunt ut illud absque legitima causa alii transgrediantur.

(68. Jejunium ex voto vel præcepto majoris est meriti quam ex mera electione vel consilio ; eo quia hoc habet meritum solius temperantiæ, ex voto autem habet etiam meritum religionis, et ex præcepto etiam meritum obedientiæ ; et licet votum atque præceptum necessitatem inducant non quidem coactionis sed obligationis erga Deum, hæc tamen plenam executionis libertatem linquit incolumem, ut est manifestum.

(69. Jejuniorum observantia episcoporum vigilantiæ potissimum a concilio Tridentino commendata fuit. Benedictus XIV, tom. I, constit. 130, incip. *Libentissime*, § 1. (70. Jejunii diebus unica comestio servari debet ab iis etiam quibus ob peculiares causas permittitur esus carnium, ovorum et lacticiniorum. Idem, constitut. 19, incip. *Non ambigimus*, § 4, et constitut. 99, incip. *Si Fraternitas*, § 1. (71. Amplia, sive dispensatio fuerit personalis, sive generalis pro integra civitate, aut loco, sive universitate. Idem, constitut. 27, incip. *In Suprema.*

(72. Jejunii diebus epulæ licitæ cum vetitis non sunt apponendæ, non obstante dispensatione super qualitate ciborum. Idem, cit. constitut. *Non Ambigimus*, § 4 ; et cit. constitut. *Si Fraternitas*, § 1. (73. In vespertina refectiuncula carnes non sunt apponendæ. Idem, cit. constitut. *Si Fraternitas*, § 1. (74. Horæ etiam jejunantibus præscriptæ servari debent. Idem, ibid.

(75. Quæstiones de jejunio cum esu carnium jungendo Pontificis lege dirimuntur in cit. constit. *Libentissime*, § 3. (76. Aliæ quæstiones deinde exortæ solvuntur per organum Pœnitentiariæ apostolicæ. Idem, ibid., § 5. (77. Aliæ vero per litteras in forma brevis solutæ fuerunt. Idem, ibid., § 6. Constitutiones de jejunio editæ, quomodo intelligendæ. Interrogatus Pontifex ipse in constitutione 55, incipiente *Cognovimus*, sic præcise respondit : « Respondemus igitur postulato tuo nos in iisdem litteris definiendum non suscepisse an qui ecclesiastica auctoritate ab jejunio excusantur non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem episcopis eorumque delegatis ut nemini vescendi carnibus aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi, imperata simul unicæ comestionis norma, ita universale istud præceptum pro tua spectatissima vigilantia gregi tuo indicendum jubeto. » Sic expresse respondit archiepiscopo Valentiæ die 12 Maii 1742, in cit. constit. *Cognovimus*. Ubi, ut vides, quæstionem in abstracto definire non intendit, sed præscribere legem concedendæ dispensationis.

(78. Jejunii leges æque observandæ sunt tempore Quadragesimæ ac cæteris jejunii diebus per annum. Idem, cit. constitut. *Si Fraternitas*, § 1. (79. Jejunii leges servandæ sunt, non obstante dispensatione quoad qualitatem ciborum, in vim bullæ Cruciatæ. Idem, constitut. 89, incip. *Quoniam*, § 6. (80. Jejunii dispensatio per alia opera pia compensari debet. Idem, cit. constitut. *Non ambigimus*. Vide supra, ubi allata est dicta constitutio una cum aliis.

(81. Jejunii ecclesiastici leges nec non naturalis ante sumptionem Eucharistiæ sunt a Græcis servandæ. Idem, constit. 57, incip. *Etsi Pastoralis*, § 6. (82. Jejunia et vigilias Ecclesiæ Latinæ observare non tenentur Italo-Græci servantes jejunia Orientalis Ecclesiæ. Idem, ibid., § 9. (83. Jejunia Ecclesiæ Græcæ observari debent a monachis Ruthenis ordinis S. Basilii. Idem, constitut. incip. *Inter plures*. (84. Jejunium in Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato sancto, non præcipitur Græcis, sed tantum abstinentia a carnibus. Idem, cit. constitut. *Etsi pastoralis*, § 9. (85. Jejunium Sabbati in jubilæis vel alias indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis. Idem, ibid. (86. Jejunium frangi a sacerdote utente sacris indumentis quibus alius eodem die usus fuerit, inepta est quorumdam de vulgo apud Græco-Melchitas opinio. Idem, constit. 87, incipient. *Demandatam*, § 8.

(87. Jejunii præceptum ante sumptionem Eucharistiæ non est juris divini, sed ecclesiastici. Idem, tom. II, constitut. 3, incip. *Declarasti Nobis.*

(88. Ad confirmanda quæ diximus supra num. 26 affertur sequens encyclica Benedicti XIV.

Lettera circolare della Santità di Nostro Signore Benedetto Papa XIV agli Arcivescovi

Digitized by Google

e Vescovi dello Stato temporale Pontificio sopra la Vigilia di S. Mattia, che in quest' anno 1751 *cade nell' ultimo giorno del Carnevale.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

« Sotto il giorno 1 di Gennajo del 1748, spedimmo una lettera circolare a tutti gli arcivescovi e vescovi nel nostro Stato temporale Pontificio, per porre il dovuto riparo a tre gravissimi inconvenienti, che pur troppo succedevano nel tempo del Carnevale. Il primo era quello, che nell'ultima notte di Carnevale tanto s'inoltravono le veglie, i balli, ed i giuochi, che s'intaccava il principio del primo giorno di Quaresima; in tal maniera che succedeva alle volte il vedere, che dal ballo, dal giuocho, e dalla veglia partendo le persone, andavano a dirittura, benchè senza maschera al volto, cogli abiti però, co'quali si erano mascherati alla Chiesa per sentire la messa, e prendere le ceneri portandosi dipoi a casa, e dormendo nel proprio letto per lo meno tutta la mattina del primo di di Quaresima. Il secondo inconveniente era che in alcuni luoghi dello Stato temporale Pontificio permettevasi l'uso della maschera anche ne'giorni di Venerdì, e negli altri festivi di precetto. Il terzo inconveniente era che anche nella mattina delle feste in alcuni luoghi dello stesso Stato, ed anche ne'dopo pranzi nel tempo de'Vesperi, e della dottrina Christiana, permettevasi a'saltimbanchi il fare il loro mestiere nelle piazze, e publiche Contrade. Dammo i dovuti ripari a'predetti scandali nell'accennata lettera, ch'e la 45 nel tomo II del nostro Bollario : e quanto in essa fu ordinato, viene anche oggi da noi pienamente confermato, inculcandone l'osservanza ai cardinali legati, ai governatori dello Stato, ed a ciescheduu vescovo nella sua diocesi.

« Questo però non è il sol motivo, per cui abbiamo creduto dover da noi spedirsi la presente nostra lettera circolare. Se ne aggiunge un altro, che risguarda l'anno corrente, cioè il Carnevale di quest'anno 1751, nel di cui ultimo giorno cade la vigilia col digiuno di S. Mattia apostolo; ed acciò ciascheduno de'vescovi del nostro Stato resti pienamente informato soggiugneremo quanto in appresso, informando di quanto è seguito in questo proposito.

« Prima che incominciasse l'anno corrente 1751 da varie parti anche remote dall' Italia, ci sono arrivate lettere di Varî vescovi, e prelati, che considerando cadere in quest' anno la vigilia di S. Mattia con digiuno nell' ultimo di del Carnevale, dopo averci esposte; che sarebbero stati inevitabili, ed anche publici e forse ancora comuni gli scandali della violazione del digiuno, sapendosi pur troppo, non avere la baldanza carnevalesca verun ritegno, particolarmente nell'ultimo giorno, e nella notte dell'ultimo giorno del carnevale; proponevano il seguente temperamento, di trasportare in quest'anno la vigilia di S. Mattia, anticipandola nel sabbato precedente, ultimo giorno della settimana di sessagesima; appogiando questo loro temperamento all'opinione di alcuni autori, che insegnano, potere il vescovo colla sua ordinaria autorità nella sua diocesi, concorrendovi una grave e legitima causa, trasportare da un giorno all'altro i digiuni; ed anche le feste di precetto; ed individualmente potere colla stessa sua autorità ordinaria, pel timore di scandali, e della publica violazione del precetto del digiuno, cadendo la vigilia di S. Mattia nell'ultimo di del Carnevale trasportarla al Sabbato precedente.

« Non credemmo di dover trascurare la sopradetta instanza, o di darcene per non intesi, lasciando all'acqua libero il corso senza mettervi riparo: essendo noi, per la notizia, che abbiamo delle intemperanze carnevalesche, pienamente persuasi, che lasciando le cose come sono, e non pensando a qualche temperamento, il digiuno ingiunto nella vigilia di S. Mattia, sarà negletto, e forse anche publicamente, e che volendosi gastigare i delinquenti, non caderà il gastigo, che sopra alcuni pochi miserabili, restando immuni le persone potenti, o perchè vi sarà modo di fare, che le loro mancanze non arrivino all'orecchie de' superiori, o perchè anche giungendo i fatti alla loro notizia, non lascierà la prudenza della carne di suggerir loro, che non compete per simili cose prendere impegno, e guastare la buona corrispondenza, tanto necessaria pel buon governo, colle persone potenti del secolo; e però rispondemmo come in appresso.

« Primo non essere timor panico, ma ben fondato, che cadendo in quest' anno il digiuno colla vigilia di S. Mattia, nell'ultimo di del carnevale, sara dispregiato e negletto.

« Secondo, non essere cosa nuova che, concorrendo una legittima causa, si trasportino la vigilia, ed il digiuno a qualche altro giorno antecedente. Ciò si vede nella viglia della festa di S. Giovanni Battista, qual vigilia cadendo nel giovedi, del Corpus Domini, il digiuno si anticipa nel mercoledi precedente, giusta la costituzione *Cum evenire*, la 232 del pontefice Urb. VIII, senza che nel detto mercoledi si faccia veruna menzione della vigilia nell'officio, o nella messa, giusta il decreto della congregazione de' Riti, approvato dalla santa memoria di Clemente XI, ch'è il 9 del suo Bollario fra i decreti della detta congregazione. Ciò pure si vede nella festa solenne di qualche santo principale protettore della città e diocesi; imperocchè se nel di della festa cade qualche digiuno questo si trasporta al giorno precedente, come ben osserva il cardinal Gaetano nella Somma in verb. *Jejunium;* Quo ad tertium § De rationabili, e vanno proseguendo, coll'allegari altri concordanti, il Sanchez lib. v Concilior. c. 1, dub. 5, n. 27; il Leandro Oper. Moral., part. III, tr. 5, disp. 10, qu. 39.

« Non parlammo del caso in cui cadendo questa festa solenne nel lunedi, ed avendo questa festa vigilia, e digiuno, si trasporta il digiuno al sabbato precedente, secondo il testo della decretale nel cap. *Ex parte,* de

Digitized by Google

observantia jejuniorum, sapendo noi, che per altri superiori motivi, e per confondere l'erezia de Manichei, che inimici della vera resurrezione di Cristo in disprezzo d'essa digiunavano la Domenica, fu dalla Chiesa Cattolica proibito a' suoi seguaci il digiuno nella Domenica, come ben osserva il Silvio in 2-2 D. Thomæ, quæst. 147, art. 5, qu. 8, ma considerando gli altri sopradetti casi, riflettemmo in terzo luogo, che, se si anticipava il digiuno per far solennizare la Festa con una proporzionata allegrezza, esclusa la mestizia del digiuno, con molta maggior ragione potevasi anticipare il digiuno, per non esporlo al pericolo d'una scandalosa, e publica e quasi comune irreverenza; tanto più che entrando nelle viscere dell'affare, non dovrebbe apparire irragionevole il dire, che quasi corre la stessa ragione fra i predetti casi, ed il nostro, anticipando forse anch'in essi il digiuno, non meno per escludere la mestizia dalla solennità, che pel timore, che il detto digiuno non si osservi in un giorno di publica allegrezza.

« Ai tre divisati punti succedendo il quarto, che consisteva nel vedere, se dovendosi anticipare il digiuno di S. Mattia nel sabbato di Sessagesima, ciò possa farsi da' vescovi nella loro diocesi colla loro autorità ordinaria, senza verum bisogno della nostra pontificia, riflettemmo, esser due le opinioni degli autori. Una da tutto all'autorità ordinaria del vescovo nella sua diocesi, purchè vi concorra una grave, e legittima causa, valutando per grave e legittima causa l'evidente pericolo della violazione del digiuno che succederebbe pur troppo nell'ultimo di del carnevale, se in esso si dovesse digiunare. Quest'è il sentimento del Gobat nella sua Teologia Sacramentale, tract. 5, cas. 3, sect. 2, in appendice, num. 3 et seq. La Croix nel tom. I, lib. III, part. II, n. 1273, il che ripete nel tom. II, al lib. VI, num. 2083, ove soggiunge, che quantunque nel 1694 fosse decretato dalla congregazione de' Riti, non doversi anticipare il digiuno nell'ultimo sabbato del carnevale, quando cade la vigilia di S. Mattia nell'ultimo giorno del detto carnevale (come può vedersi nel decreto 92), inserito nel Bollario di Innocenzo XIII qual decreto viene anche *per extensum* riferito dai Salmaticensi nel Corso Morale, tom. V, tract. 23, cap. 2, punct. 1, num. 93, ciò però debba aver luogo, quando il Vescovo non crede espediente al bene dell'anime l'anticipare il digiuno, ma non mai quando ha giusti motivi per farlo anticipare.

« L'altra poi contraria all'anticipazione del digiuno, sostiene, non poter il vescovo nella sua diocesi ordinarla, ancorchè la vigilia di S. Mattia cada nell'ultimo giorno del carnevale. Così con molta energia scrivono Teofilo Raynaudo Heteroclit. Spiritual., tom. XV, pag. 273, num. 34; Il Merati ad Gavantum tom. II, par. I, sect. 7, cap. 4, sub num. 23, § *Si vigilia;* il Cavalerio ad Decreta Congregationis Sacrorum Rituum par. II, tom. I, pag. 134 et seq.; il Diana in Edit. coord., tom. III, tract. 3, quæst. 88, n. 3; il Leandro, part. III, tr. 5, disp. 10, q. 42; il Monacello, in formul. IV, n. 12; il Ferraris nella Biblioteca Canonica, t. IV, in verb. *Jejunium*, n. 26.

« Non può negarsi che questa seconda opinione non sia la più comune ed anche la più ragionevole, e meglio fondata: imperocchè, ciocché sias i delle ragioni portate da predetti Autori per confermar il loro assunto, alle quali non sarebbe molto difficile il rispondere adequatamente, se la vigilia col digiuno per la festa di S. Mattia fu con precetto ordinata da Innocenso III, nel Cap. *Ex parte*, de Observantia Jejuniorum, ove sopi la controversia insorta, e mossa da taluni, che volevano non doversi far la vigilia, nè digiunare in onore di S. Mattia, per la ragione che quantunque fosse stato apostolo, non era però stato chiamato a dirittura dalla voce di Cristo, se prima d'Innocenzo III, il pontefice Alessandro III interrogato da quelli, che anche in quel tempo osservavano la vigilia col digiuno per la festa di S. Mattia, come dovevano regolarsi nell'anno bisestile, rispose dovere mai sempre la vigilia celebrarsi nel giorno precedente alla festa, eccettuato il caso, in cui cadesse nel giorno di domenica *Festum B. Matthiæ, juxta consuetudinem Ecclesiarum, vigilia eatenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo, inter se et solemnitatem aliam diem admittat; in qua utique, nisi vigilia venerit in Dominica die, jejunium celebretur;* come si lege nel cap. *Quæsivit*, § Festum de verborum significatione, Decretale dello stesso pontefice riferita ancora nell'appendice al concilio terzo Lateranense cap. 22, pag. 1718, tom. X de' Concili della collezione Labbeana, e altresì appresso il Martene, de antiquis Ecclesiæ ritibus, tom. III, lib. IV, cap. 31, n. 23. Non vi vuol molto a comprendere, non potere l'autorità ordinaria trasportare al sabbato precedente la vigilia di S. Mattia, ancorchè cada nell'ultimo giorno del carnevale, non potendo l'autorità ordinaria, o derogare, o dispensare nelle cose stabilite da Romani Pontefici, e dal diritto canonico, come si è da noi dimostrato nel nostro Trattato de Synodo Diœcesana, al lib. VII, cap. 30.

« Così abbiamo risposto ai Vescovi, e Prelati, che ci hanno richiesto, se potevano trasportare la vigilia di S. Mattia al sabbato precedente senza però lasciare d'insinuare a loro, che arrivando la nostra autorità pontificia a quel segno, a cui non arriva la di loro autorità ordinaria, ben volentieri davamo loro la licenza di potere in quest'anno anticipare la vigilia di S. Matthia col digiuno, facendola celebrare nel sabbato di sessagesima, e così staccandola per questa volta dal giorno immediato precedente alla festa di S. Mattia essendo pur troppo persuasi, che dovendosi fare nell'ultimo giorno del carnevale, sarebbe quasi inevitabile la trasgressione del precetto ecclesiastico, ed essendo anche convinti dell'obligo, che abbiamo di dare tutto l'ajuto, e la mano a nostri fratelli acciò tengano lontane dalle loro diocesi le

Digitized by Google

offese di Dio. E noto a ciascheduno, che sino dai tempi apostolici nelle Chiese si facevano quelli onesti conviti, chiamati Agape, cosi ben descritti da Tertulliano nel suo Apologetico al cap. 39. È noto altresi, che segregavausi dalla communione de' fedeli quelli, che si astenevano dal frequentarli, pel qual motivo fu anche detestata la condotta degli eretici Eustaziani nel sinodo Gangrense al Canon. 11. Ed è noto finalmente, che per li disordini, che s' incominciarono a scorgere nelle Agape, furono le stesse proibite dal concilio Laodiceno al Can. 28, e dal concilio terzo Cartaginense al Canon 30. Chiunque rifiettera colla dovuta attenzione alla sopradetta condotta dell'ecclesiastica disciplina, che per li disordini seguiti non ha avuta difficoltà di levare per sempre un'antica apostolica usanza, non dovrà punto maravigliarsi se in vista d'irreparabili disordini, non per sempre, ma per una volta sola, si varia il giorno del digiuno, restando però l'obbligo di doverlo adempiere nel giorno surrogato. Ci saremmo potuti prevalere di molti, e molti altri esempi di deroghe ancora più forti ai precetti ecclesiastici, che s'incontrano negli annali della Chiesa, ma abbiamo prescelto quello delle Agape, come più prossimo, ed adequato al caso nostro, giacchè in quello ed in questo si tratta del vizio della gola.

« Rispondendo ai sopradetti vescovi, e prelati abbiamo di più incaricato l' esortare gli ecclesiastici secolari e regolari a non prevalersi dell' anticipazione del digiuno, ma a digiunare nella vera vigilia di San Mattia, che è lo stesso che dire nell' ultimo di del carnevale; non dovendosi credere di loro, che siano immersi ne' disordini carnevaleschi, come per lo più sono i secolari.

« Ecco quanto abbiamo riposto a chi è ricorso a noi, per sapere come doveva regolarsi quest' anno nell' ultimo giorno di carnevale, in cui cade la vigilia di S. Mattia. Ora con questa nostra notifichiamo il tutto agli arcivescovi, e vescovi del nostro Stato, acciò taluno di loro temendo nella sua diocesi, o città la trasgressione del precetto del digiuno nell' ultimo di del carnevale, possa prevalersi del rimedio additato, nel modo, e forma di sopra espressi, dandogli in ciò un' ampla licenza; e quando di ciò non tema, lasci l' affare nel suo corso naturale. E mentre ci raccomandiamo alle vostre orazioni, venerabile Fratello, diamo a voi, ed al gregge alla vostra cura commesso l' apostolica benedizione.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 30 Januarii 1751, pontificatus nostri anno undecimo. »

Ad rem subnectitur hic sequens novissima Clementis XIII Encyclica super observantia quadragesimalis jejunii, episcopis universi ordinis exarata.

CLEMENS XIII, etc.

(89. Appetente sacro quadragesimali tempore, quod, plenum mysteriis, non sine mysterio magnam illam Paschæ celebritatem præcedit, qua omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, venerabiles Fratres, ut sacratissimum jejunium sancte religioseque a fidelibus observetur, quod Legis et prophetarum testimonio commendatum, a Christo Domino consecratum, ab apostolis traditum, Ecclesia catholica perpetuo retinuit; ut per macerationem carnis et animæ humiliationem ad dominicæ passionis paschaliumque sacramentorum mysteria paratiores accedamus, et in ejus resurrectione resurgamus in cujus passione, deposito veteri homine, sumus commortui. Cujus tam sanctæ tamque salubris institutionis retinendæ studio fel. recor. prædecessor noster Benedictus XIV, etsi binis ad vos litteris in forma brevis eximium Fraternitatum Vestrarum zelum excitavit, quo, pluribus labefactata corruptelis quadragesimalis jejunii disciplina, ad pristinam observantiam vestra opera et studio revocaretur; ob eamque rem nonnullas cavillationes quibus omnis sacrorum vis jejuniorum infringebatur, de medio sustulit. Tamen cum ab infensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multæ et assiduæ circa gregi dominico insidiæ, verendumque propterea sit ne subinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas, unde revocata dudum fuerat illud iterum relabatur, necessarium existimavimus vobis has litteras dare, quantoque in timore simus ne qua vetus remanserit corruptela vel nova labes cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticæ in hac re disciplinæ inferatur, Fraternitatibus Vestris significare. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minui oportere quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralem vestram vigilantiam accesserit; qua sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti prædecessoris nostri litteras fortasse reliquum fuerit, sive nova infringendis jejunii legibus, vel opinionum commenta, vel a revera jejunii vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissime sint invectæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum, quem rumor quidam nos perculit; cum nonnulli quibus ob justas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permistas sumere, contra quam prædicto prædecessori nostro visum fuerit, qui censuit tam dispensatos a carnium abstinentia quam quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus æquiparandos iis esse quibuscum nulla esset dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem vel quæ ex carne trahunt originem adhibere.

Verum neque commodius nec majori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam jejunii legem observandam, quam si illud populos doceatis : Christiani hominis pœnitentiam præter cessationem a peccatis et malæ anteactæ vitæ detestationem, eorumdemque peccatorum sacramentalem

Digitized by Google

confessionem, illud etiam postulare, ut per jejunia, eleemosynas, orationes et alia spiritualis vitæ opera, divinæ justitiæ satisfaciamus. Enim iniquitatem, parva, magnaque sit, aut ab ipso pœnitente, aut a Deo vendicanti puniri oportere. Nisi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse quam si ipsi nos puniamus. Quæ quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur et a fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit ne qui profligatos mores abjecerint, ac per sacramentalem confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint atterenda carnis concupiscentia per jejunium expiare. Præterea quibus persuasum fuerit se peccatorum minus dubie pœnitere, cum se impunitos esse non sinant, ii profecto pœnitentiæ amore capti, lætabuntur. Quadragesimali tempore, cæterisque certis diebus, cum S. mater Ecclesia edicit fidelibus jejunandum, oblatam sibi esse occasionem qua dignos pœnitentiæ fructus faciant. Cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim; Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere; facile animum inducant, sacratissimo totius anni potissimum tempore, corporis intemperantiam mitigare jejunio; ut anima cognitione sui recepta intelligat qua compunctione parare se debeat ad sanctissima passionis, mortis et resurrectionis Jesu Christi recolenda mysteria. Itaque pœnitentiæ stimulis tacti, minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur cupediarum delicias, quæ quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas, qui mensæ apponat suæ, illum non immerito dixeris, non tam usitatas abjecisse delicias quam cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse : minus denique aut, quibus se subducant a jejunio, quærant effugia, aut argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, exemplo æque ac verbo populis præeuntes, tantum in eorum animos pœnitentiæ studium et amorem injicere, ut alacriter jejunium aggressi, et illud ad præscriptas a catholica Ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam atque oratione sanctificent : et id, quod maxime spectat Ecclesia, denique consequantur, ut corpore mortificati, et Christo consepulti, ad novam in paschali solemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus apostolicam benedictionem benevolentiæ in vos, et charitatis nostræ pignus, amantissime impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 20 Decembris, anno 1759, pontificatus nostri anno secundo.

Alia ad rem, vid. verb. *Vigilia*.

ARTICULUS II.

Jejunium, quoad ea quæ concernunt personas obligatas et causas excusantes vel non.

Ad jejunium obligantur omnes Christiani quibus est ætas competens. *Communis*, et certa ex divo Leone, sem. 11, de Quadragesima, ubi sic expresse dicit : « Adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat. » (2. Hinc ad jejunium obligantur etiam hæretici, cum sint Christiani et Ecclesiæ subditi, et ideo cum hæresi abjurata confessionem instituunt, debent omnes violationes jejuniorum aperire : Henno tom. I, tr. 1, de peccatis actualibus, disp, 4, q. 7, concl. 1, et alii passim. (3. Non tenentur tamen ad jejunium infideles omnes qui nunquam per baptismum Ecclesiam ingressi sunt. Et ratio est quia, cum non sint Ecclesiæ subditi, ita nec Ecclesiæ præceptis ligari possunt. *Communis*. (4. Præceptum jejunii incipit obligare quoslibet fideles anno ætatis 21 completo, nisi aliqua justa causa excusentur. *Sic communis* cum S. Thoma 2-2, qu. 147, art. 4, numer. 2. Et ratio est quia adolescentes ante completum 11 annum frequentiore et abundantiore cibo indigent, ratione augmentationis, seu ob crescentem ætatem et coloris abundantiam; unde Ecclesia noluit imponere obligationem jejunandi ante completum dictum vigesimum primum ætatis annum. (5. Regulares vero, licet nondum expleverint annum vigesimum primum ætatis suæ, tenentur ad jejunia suæ regulæ, quia per professionem suæ regulæ, vi voti emissi censentur renuntiasse privilegio ætatis; alia enim est obligatio religionis et regulæ, et alia obligatio Ecclesiæ : hæc non incipit nisi post completum ætatis annum 21, et illa incipit statim post emissam regularem professionem. Pontas verb. *Jejunium*, cas. 2 et 3, cum Silvio, Silvestro, Tabiena, Azorio ibi citatis; Reiffenstuel Theol. Moral., tract. 10, de præceptis Eccles., dist. 2, q. 3, num. 44; Layman, lib. IV, tract. 8, c. 3, n. 2, et de communi sententia testatur Thom. Sanch. lib. III, Moral.; Henno, loc. cit., quæst. 7, conclus. 2, c. 11, num. 56; Felix Potestas tom. I, part. III, n. 2892; Sporer, tom. I, append. 3, ad præcept. Decalog., sect. 4; numer. 49; Sa, Fagundez, uterque Sanch. et alii plurimi. (6. Medina tamen, Graff. Ascanius, Tamburin. et alii apud la Croix loc. cit., n. 1275, dicunt non teneri, quia præsumi potest, regulam non obligare eos sub mortali quos non obligat Ecclesia; et utramque sententiam dicit probabilem, et tutam Thomas Tamb. lib. IV, cap. 5, § 7, n. 6 et 8. (7. Ad jejunia autem Ecclesiæ de quibus propria regula non loquitur, non tenentur regulares, nisi post completum annum 21, sicuti cæteri sæculares; et Fratres Minores ante completum annum 21 non tenentur ad jejunia vigiliarum et Quatuor Temporum. Henno, loc. cit.; Felix Potestas; loc. cit.; Sporer, loc. cit., n. 49, et alii passim.

(8. Causæ excusantes a jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet ætas, impotentia, labor et pietas. (9. Ratione ætatis excusantur a jejunio quoad plures refectiones omnes ante completum ann. 21, dummodo ad illud non teneantur ex voto, vel professione, ut supra dictum est. Non excusantur

Digitized by Google

autem quoad abstinentiam a carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum.

(10. Senes quoque, ratione ætatis, a jejunio excusantur, ut concordant omnes doctores, qui tamen discordant in assignando quinam sint tales senes.

(11. Aliqui enim teste Diana part. XI, tract. 3, resolut. 9, excusant omnes viros hoc ipso, quod annum quinquagesimum attigerint, sed merito rejiciuntur ab omnibus communiter. (12. Alii volunt quod absolute sint excusati et liberati a præcepto jejunii senes sexagenarii, quamvis adhuc robustæ sint valetudinis. Sanchez de Matr. t. II, lib. VII, disp. 32, n. 17, et in Consil. lib. V, cap. 1, d. 4, num. 7; Mastrius, Theol. moral. disp. 12, num. 20; Felix Potestas, loc. cit., n. 2891. Diana, part. I, tract. 9, resol. 20; Navarr., c. 21, num. 16; Tolet., lib. VI, cap. 4; Marchant., Tribunal. part. I, tract. 3, quæst. 4, § 1; Burg., centur. 3, cas. 4; Trull., Lamas, Angles, Portel, J. Sanch. Castropal., Tamburin, Stephan, La Croix loc. cit., num. 1317. Sporer, loc. cit., num. 50, ubi dicit esse hanc jam communem DD. sententiam et eam mordicus defendit dicens ex Diana, Marchant et aliis, hanc ætatem sexaginta annorum esse declaratam a S. Pio V, vivæ vocis oraculo (anno 1570, ut refert Lamas infra citandus); et in bullis Cruciatæ prohibens regulares ab eorum privilegio quoad usum ovorum, et lacticiniorum in Quadragesima, excepit sexagenarios, quos declaravit ad jejunium non teneri, ut sub asseveratione infallibili tanquam testis oculatus refert Hieronymus Lamas part. III methodi c. 5, § 20, addens : « Gratias Deo, quod regula deinceps tenebitur certa a summo Ecclesiæ pastore decreta. » Et ratio est, quia generatim expedit legis obligationem ita definitam ut sciatur quinam ea comprehendantur, vel non, ne ex una parte facile humana negligentia, ex altera vero nimia sollicitudo, et anxietas oriatur; ergo sicut juvenibus certa ætas definita est, ante quam jejunii lege non obligantur, ita etiam sane senibus definienda erat, ultra quam non obligentur; idque certe potiori ratione cum majus sit periculum deficientiæ in senectute, quam in juventute. Ætas autem illa rectissime definitur sexaginta annorum; nam hujusmodi robur senum est illusivum et ambiguum, et crebra sustentatione indiget, nec est exspectandum ulterius ne omnino deficiat; nec obstat, quod aliqui ultra eam ætatem robusti, et ad jejunia habiles reperiantur, quia Ecclesia pia mater intendit obligare secundum communem cursum roboris et deficientiæ humanæ. Hactenus ille.

(13. Alii e contra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per præsentes vires commode possint : S. Antonin., part. II, tit. 6, c. 2, § 6; Pontas, verb. *Jejunium*, cas. 17; Barthol. Medin., in instruct. l. II, cap. 14, § 10; Joan. Medina, quæst. 9 de jejunio; Less., lib. IV, c. 2, dub. 6; Valent., disp. 9, part. V, Azor, t. I. lib. VII, c. 17, qu. 4; Layman, lib. IV, tract. 8, cap. 3, num. 2; Tolet Lezana, Tanner, Fagundez, Filiuc. Bonacina, Cajetan., Silvest. et alii. Et ratio est, quia pro senectute non est ita definitum tempus ætatis, sicuti pro adolescentia, sed alii citius, alii tardius senescunt; et declaratio facta a S. Pio V pro ætate sexagenaria, cum fuerit vivæ vocis oraculo, videtur non vigere; cum omnia vivæ vocis oracula fuerint per Gregorium XV et Urban. VIII expressissime revocata : Unde Henno, loc. cit. qu. 7, concl. 3, miratur quosdam auctores etiam modernos tali privilegio adhærere. Tum quia lex jejunii obligat omnes jejunandi capaces; sed plurimi sexagenarii jejunare possunt sine gravi incommodo, imo æque commode, ac varii quinquagenarii, ac quadragenarii, cum de se fateatur Navarrus, licet vir studiis continuo deditus, quod octogenarius adhuc jejunaret, perinde cum esset sexagenarius, aut quinquagenarius, adeoque, etc. Tum etiam quia, sicuti, si constet aliquem vere senuisse ac viribus defecisse circa annum ætatis quinquagesimum, a jejunii præcepto liber censeri debet, ita, et vice versa, si certum sit aliquem sexagenarium, aut septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere talis obligatus esse videtur, cum revera senex sine viribus propter ætatem deficiens non sit. Et hanc sententiam esse æque probabilem, et magis piam, et tutam fatetur ipsemet Sporer, loc. cit., n. 50, in fine, quamvis priorem absolute defendat, et ipsi adhærens dicat se secure manere. (14. In dubio an sexagenarii sint robusti et habiles ad jejunandum, non tenentur jejunare, quia stante tali dubio exponerent se periculo gravis incommodi. *Sic communis* DD. teste Reiffenstuel, loc. cit., n. 63.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Auctor ex probabilistis docet sexagenarios a jejunio excusari; sed viri sancti, gravesque theologi veluti laxam hanc opinionem rejiciunt. S. Vincentius Ferrerius serm. 1, fer. 4 Ciner. : « A jejunio, inquit, excusantur senes in certa ætate, scilicet quando habent talem senectutem, quæ aufert ab eis appetitum comedendi, vel quia perdiderunt dentes et comedunt sæpe, vel sæpius sicut faciunt pueri. Sed senes octoginta annorum, vel amplius, qui semel bene possunt comedere, tales non excusantur in aliquo prædictorum, quin ipsi peccent mortaliter, et ideo cum diligentia omnes jejunemus. » Antonin., XI p., tit. 6, cap. 11, § 6, inquit : « Senes si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur si sint fortes ad sufferendum jejunium. Nec est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos tenetur ad jejunium. » Navarrus in Man. cap. 22, num. 16 inquit : « Impotentia eximit ab hac lege pueros usque ad vigesimum primum annum. » De senibus vero nil determinari posse contendit, cum alii citius aliis impotentes fiant, et cum vel ipsi octogenarii eadem facilitate ac juniores jejunare possint, de se ipso octogenario testatur Navarrus et post Navarrum Pontas, et alii. Hinc

Digitized by Google

sanctus Basilius serm. 1 de jejunio, dixit: « Senibus assuetudo ac familiaritas ab antiquo ad jejunium ipsum, levem faciunt laborem. » Vid. Concin., lib. II, de Eccl. præcept. diss. 2 de jejunio, quæst. 3, ubi ostendit falsam esse declarationem viva voce datam a S. Pio V. Idem de feminis dicendum est.

RESPONSIO AUCTORIS.

Asserit hic R. theologus, quod auctor ex probabilistis docet sexagenarios a jejunio excusari. Sed quæso attente perpendat ipse tam promptus in censurando theologus quænam ibi sit mea opinio, et perspicue comperiet, quod sentio contrarium; sic sub num. 13 expresse concludens : Alii e contra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per præsentes vires commode possint; et evacuo rationes adversariorum, et prætensam declarationem S. Pii V, ac assero quod de se fatetur Navarrus, qui licet vir studiis deditus, octogenarius adhuc jejunabat, perinde ac ut esset sexagenarius aut quinquagenarius : ut ego ipse parum a dicta Navarri ætate distans, adhuc Dei gratia adjutus in præsentiarum servo, uti omnibus sociis meis manifeste constat.

(15. Senes post annum sexagesimum non tantum excusari a jejunio ecclesiastico, sed etiam a jejuniis debitis ex voto, et professione, ut si quis vovisset toto tempore vitæ suæ jejunare feria sexta, et post sexagesimum annum adhuc satis valens esset ad jejunium, docent Sanchez, lib. IV Moral., c. 11, num. 54; Tamburin., lib. IV, c. 5, § 7, num. 9; Fagundez, Diana et alii, eo quod dicunt ipsi: Votum, seu professio regularis obligat instar legis ecclesiasticæ, hæc autem juxta ipsos non afficit sexagenarios quoad jejunium; ergo nec etiam votum; at dato sed non concesso (nisi adsit legitima excusans causa) quod sexagenarii exempti sint a jejunio ecclesiastico, rectius dicendum est cum Layman lib. IV, tract. 8, cap. 3, num. 2, et aliis, eos teneri ac obligatos esse ad jejunia ex voto vel professione debita; quia licet verum sit votum obligare instar legis ecclesiasticæ quoad modum et formam jejunii, non tamen quoad personas et durationem; nam personæ, quæ pro tali tempore non obligantur jejunio, possunt se sine dubio ad jejunium obligare voto voluntario, et sponte renuntiare privilegio ætatis, ut patet in juvenibus ante annum vigesimum primum, adeoque etiam senes post annum sexagesimum manebunt obligati suo voto jejunandi perpetuo feria sexta, posito quod satis sint robusti ad jejunandum, quamvis eo tempore lege ecclesiastica ad jejunium non amplius obligarentur. (16. Sic etiam, si alicui per legitimam dispensationem commutaretur votum castitatis perpetuæ in jejunium omnibus feriis sextis, remaneret obligatus ad jejunium etiam post annos sexaginta, nam etiam post talem sexagesimum annum obligaretur ad castitatem; subrogatum autem sapit naturam ejus cujus loco subrogatur; cap. *Ecclesia* 3. Ut lite pendente, cum similibus. *La Croix*, loc. cit. 1326, ubi dicit quod ratio a priori est, quia videtur sic facta commutatio, « quandiu vis frui matrimonio, tandiu utere jejunio. » Tamburinus tamen loc. cit. tenet talem post annum sexagesimum esse excusatum. At valde mirum, quod difficile habeatur ætas immunis a peccatis, et quod de facili inveniatur ætas impotens ad onera præceptorum sustinenda : quisque igitur sibi caveat, ne se ipsum in fraudem æternitatis suæ decipiat, dum facile est decipi, ubi credere dulce est.

(17. Feminæ, quia citius senescunt, et de se sunt debilioris complexionis, censentur ab aliquibus absolute excusari a jejunio in ætate quinquaginta annorum; sic Pelliz., Loth., March., Narbona, neque damnare audet Diana part. IX, tr. 7, resolut. 73. At Sanchez, lib. VII, de Matrim. disp. 32, num. 17, et sequent; Reiffenstuel. Theolog. moral. tract. 10, dist. 2, q. 5, num. 64, dicunt sententiam illam esse probabilem speculative loquendo, sed in praxi non esse tutam, et Layman, loc. cit., cap. 3, num. 2; Tamburin., loc. cit. num. 5; Fagundez Joan. Sanch. et alii dicunt esse omnino improbabilem, et Layman concludit se nescire aliquem doctorem classicum qui eam defenderit. Absit igitur, ut quis illam amplectatur.

(18. Ratione impotentiæ excusantur omnes illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt; *Communis*. Hinc excusantur infirmi et convalescentes, quamvis infirmitatem propria culpa contraxerint. Mulieres prægnantes aut lactantes, quoties sine gravi incommodo sui vel parvuli jejunare nequeunt. Pauperes et mendici ostiatim mendicantes, et quicunque non habent quo semel sufficienter reficiantur. Quinimo, si alium cibum invenire non possunt, isti etiam carnes sibi datas licite comedunt, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam* 1, quæst. 7, c. *Omnis* 1, de feriis; cap. *Consuluisti* 3, de celebrat. Missar., et necessitas non habet legem; cap. *Sicut* 11 de consecrat. dist. 1. Excusantur etiam qui infirma admodum sunt complexione, debili stomacho laborant, ut jejunium in toto vel in parte tolerare nequeant, aut quippiam comedunt ad evitandam capitis vertiginem, vel membrorum tremorem, aut hujusmodi : tale enim quid sumitur ab istis potius per modum medicinæ, quam cibi. (19. Non excusantur tamen, qui ob jejunium molesta insomnia patiuntur; qui enim dormire non possunt, nisi vesperi plene refecti, debent in prandio sumere collationem, et vesperi prandium : unde merito proscripta est hæc propositio ab academia Lovaniensi : « Qui dormire nequit, nisi vesperi sumpta cœna, non tenetur jejunare, imo neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare possit, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum. » Sic Henno, loc. cit., qu. 8, art. 1, conclus. unica, et cum multis La Croix, loc. cit., n. 1325.

(20. Ratione laboris excusantur omnes illi, qui ad suam suorumque vitam sustentandam ita laborant, ut sine gravi incom-

Digitized by Google

modo jejunare nequeant, fiatque eis jejunium moraliter incompatibile cum tali labore; *Comm.* Hinc excusantur agricolæ, fossores, cæmentarii, navigeri, fabri ferrarii, lignarii, argentarii, æneatii, stanneatii, lapidicidæ, pistores, sutores, coriarii, opere textorio fabricantes pannos, telas et hujusmodi, ubi occupantur in operibus gravioribus, et fere per totam diem. (21. Non excusantur tamen pictores, sartores, acupigentes, notarii, scribæ, mercatores, typographi componentes (aliud est si prælo immediate et assidue insudent), medici, chirurgi, barbitonsores et hujusmodi : horum enim et similium labor non exhaurit vires. (22. Non excusantur totaliter a lege jejunii judices, advocati, consiliarii, procuratores, computistæ, professores scholares et hujusmodi, qui, si sint applicationibus et studiis assidui, possunt utique uti largiore collatione, sed non duplici plena refectione. (23. Si tamen nequeant officium suum exsequi cum jejunio, et sine valde gravi suo incommodo, ut ordinarie accidit in concionatoribus integræ Quadragesimæ, in professoribus et ludimagistris per magnam partem die docentibus, et computistis itidem per tantum temporis applicatis, tunc, licet opera hujusmodi propter mercedem fierent, excusantur a jejunio : Cajetan., Lessius, Navarr., Filiuc., Layman, Diana et alii passim cum Sporer, loc. cit., sect. 4, num. 59 et 63. (24. Non excusantur a jejunio reipublicæ officiales, nisi laborem exemptioni proportionatum exerceant : unde Alexander VII die 19 Mart. 1666, merito damnavit propositionem trigesimam in ordine : « Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. »

(25. Ab obligatione jejunii excusat etiam labor honestus qui non est vitæ sustentandæ necessarius, nisi fiat in fraudem legis, et nisi sit levis et parvus labor, seu artis parum laboriosæ; *Communis* : et patet experientia in divitibus, qui laborando sufficienter in die jejunii eximuntur ab ipso et habetur ex declaratione Eugenii IV anno 1440 his verbis a Bassæo verb. *Jejunium* 2, n. 7 relatis : « Opifices suas artes exercentes, aut coloni colendis serendisque agris, aut aliis ejusmodi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunium sub peccato mortali non tenentur, et a confessariis absolvi possunt, consulendo illis; ut in eleemosynis aliisque piis operibus occupentur (103). »

(26. Labor illicitus non excusat defatigatos a jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi. Unde merito facultas Lovaniensis proscripsit sequentem propositionem: « Defessus ex quocunque labore, aut licito vel illicito, v. gr. cum feminis commistione, liberatur a lege jejunii. » Et ratio est, quia non potest rationabiliter præsumi quod Ecclesia velit tales reos ab obligatione jejunii eximere; cum illa, licet benigna, nunquam faveat peccatoribus, maxime si suo favore abutantur et ad peccandum animentur. Unde si debeant defatigationem illam cum aliquo incommodo tolerare, suæ malitiæ et iniquitati debent imputare. Dicitur autem notanter : « Nisi sit periculum morbi contrahendi, » quia cum teneamur ex lege naturali vitam nostram conservare, ex eadem lege tenemur morbum, etiamsi ex crimine proveniat, impedire : lex enim ecclesiastica cedit legi naturali. Aliud est de corporis fatigatione, quæ non censetur infirmitas, sed quoddam incommodum, quod possumus licite, imo et meritorie tolerare sine remedio, ut patet in cæmentariis et aliis, qui, licet valde fatigati, sæpe tamen jejunant die Veneris in Quadragesima, et quidem cum magno merito : Hactenus Henno l. c. art. 2, conclus. 3.

(27. Omne iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, et non susceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatiget itinerantem) excusat a jejunio; *Communis, et certa.* Quia cum iter sit quidam labor corporalis, est discurrendum de ipso, ac de labore; omnis autem labor graviter fatigans laborantem excusat ipsum a jejunio; adeoque, etc. (28. Quantum autem debeat esse iter pedibus, quantum equo, quantum curru, ut censeatur causare gravem defatigationem, ut sic itinerans excusetur a jejunio, non est assignabilis una et certa regula pro omnibus, cum pro diversitate circumstantiarum, personarum, viarum, temporum et hujusmodi, aliqui duabus horis peditantes magis fati-

(103) Certum est ex propositione damnata relata ab auctore n. 24 quemcunque laborem corporalem non excusare a jejunio. Itaque plures sunt, qui in republica laborant, et nihilhominus lege jejunii astringuntur. Neque subsistit Eugenii IV declaratio, quæ ab aliis vivæ vocis oraculum appellatur; nam S. Antonius, qui hoc tempore scripsit, istius oraculi non meminit; imo docuit oppositum. Nam part. II, tit. 6, c. 2, n. 11, § 6, inquit : « Multum laborantes, quibus immineat necessitas multum laborandi, si non possunt jejunium observare, excusantur. Alias, si possunt utrumque facere commode, tenentur jejunare. » Hic vero loquitur de exercentibus artes laboriosas, ut sunt agricolæ, fabri lignarii, lapidicinæ, cœmentarii, figuli, texores, fullones, lanarii, bajuli, aurigæ, aliique, inter hos robustos, et sine notabili incommodo jejunare valentes, teneri ad jejunium affirmat. Item divites artem laboriosam exercentes non ex indigentia, sed majoris lucri gratia, non excusantur a jejunio, ut post S. Thom. 2-2 quæst. 147, artic. 4 ad 3; docuit idem S. Antoninus per hæc verba : « Si possunt differre... aut subtrahere, vel diminuere laborem, ita ut possint jejunare, et ex hoc non incurrerent detrimentum sui status, tenentur ad jejunium. » Demum S. Vincentius Ferrerius ser. 1 de jejunio fer. 4 Cin. ait : « Sutores autem et sartores, notarii et similes, qui sedendo faciunt opera sua, non excusantur a jejunio. » Fateor tamen hos et alios artifices ex necessitate laborantes, si debiles sint ac sine gravi incommodo jejunare non possint, excusari, non ob laborem præcise, sed ob peculiarem sui corporis habitudinem, quæ exigit refectionem, ut possint laborem artis sustinere. Si ergo talis sit habitudinis homo, ut opera artis cum jejunio sine gravi incommodo componere valeat, jejunare debet. Id vero prudenti superioris et confessarii judicio discerni ac definiri debet. ROMANI THEOLOGI NOTA.

Digitized by Google

gentur, deficiant, et restauratione alimenti egeant, quam alii quatuor, aut sex horis itidem peditantes, et aliqui equo, vel curru itinerantes tantum fatigentur, quantum alii pede itinerantes, et e contra. Unde cum Laymann loc. cit., c. 3, num. 4; Marchant, loc. cit., q. 4, § 4; Sporer, loc. cit., num. 58; *La Croix*, loc. cit., n. 1344 et communiori aliorum dicendum est, tunc solum excusari itinerantes a jejunio, quando cum labore itineris quomodocunque fiat sive pedibus, sive equo, sive curru, non potest (consideratis personis, viis, temporibus, aliisque circumstantiis) consistere jejunium sine magna difficultate et incommodo. Semper tamen et ab omnibus præ oculis habenda est propositio 31 inter merito damnatas ab Alexandro VII die, et anno quo supra : « Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant. »

(29. Notanter autem fuit dictum : « Non susceptum in fraudem legis, » quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent; cap. *Sedes* 15 et cap. *Ex tenore* 16 de rescriptis, cap. *Tua* 12 de Clericis non resident., cap. *Ex litteris* 2 de Dolo et contumacia; l. *In fundo*, ff. de rei vindic. l. *Cum hi*, ff. de transact. l. *Si legatarius*, cod. de Legatis, cum similibus. Unde si quis de loco ubi viget præceptum jejunandi in fraudem jejunii se transferat ad locum ubi non jejunatur; ut si die Cinerum de diœcesi Papiensi, ubi ad morem Ecclesiæ Romanæ incipit jejunium Quadragesimale, se transferat quis malitiose in fraudem jejunii ad diœcesim Mediolanensem, ubi more Ambrosiano incipit Quadragesima solum prima Dominica; et die 23 Julii, quo Panormi sit jejunium, se transferat quis in fraudem jejunii ad Montem Regalem, ubi illa die non jejunatur, et sequenti die, quo ibi jejunatur, redeat Panormum, peccat graviter arg. citatis Juribus, et Conc. Mediolanens. I, præside S. Carolo Borromæo part. XI, tit. de Jejunio, ibi : « Illorum vero damnamus ingluviem, qui primis quatuor Quadragesimæ diebus Romanæ Ecclesiæ more institutis, Mediolanum se conferunt, patriæ ritum in jejunio et ciborum abstinentia fugientes, » et colligitur a pari ex constitutione Clementis X incip. *Superna*, ubi in § 7 decernitur posse confessarium regularem absolvere pœnitentes confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis « nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse; » ubi, ut vides, ratione fraudis nequeunt absolvi a reservatis confluentes ad aliam diœcesim in fraudem reservationis; sic a pari casu nostro se transferens in fraudem jejunii ad alium locum, ubi non jejunatur, ratione fraudis peccat graviter non jejunando.

(30. Et ratio intrinseca est, quia licet quantum est ex se quis possit uti jure suo, et sic de loco ubi jejunatur, transire ad locum ubi non jejunatur; nemo tamen potest uti tali jure in fraudem legis, quia jus nostrum est subordinatum legi, ex. Apost. XIII ad Romanos ibi : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo, etc. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt; » et de jure tum canonico, tum civili fraus et dolus alicui patrocinari non debent, cit. juribus. Sic tenent Natalis Alexander, Theol. dogmaticæ, moral. tom. II, lib. IV, de Decalog. c. 5, art. 8, reg. 8; Reiffenstuel. Theol. moral., tract. 2 de legibus, dist. 3, q. 4, num. 41; Felix Potestas, tom. I, part. III, num. 2905; Rodr. in Summa 2, c. 219, num. 2; Silvius cum Pontas, tom. II, verb. *Impedimentum clandestinitatis* cas. 22; San. Fernandez et alii plures contra Dianam part. I, tr. 9, resol. 19, et tract. 10, resol. 14; Bonacinam, disp. 1 de legibus, quæst. 1, punct. 7, num. 64 et alios plures, quos ibi refert ipse Bonacina et Tamburin. tom. I, lib. IV, cap. 5, § 2, num. 12, volentes talem non peccare, quia videtur uti jure suo.

(31. Qui autem de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide, v. gr. negotiorum, aut peregrinationum causa, transit ad loca seu per loca ubi non jejunatur, non tenetur jejunare; quia lex illa jejunii est affixa loco : Suarez, tertia part., qu. 24, art. 8; Aloza, verb. *Lex;* Navarr. in Manual. c. 28, num. 120; Felix Potestas, tom. I, part. I, n. 163, et part. III, num. 2907; Fagnan., lib. III Decret. in cap. *Concilium* 2 de observat. jejunior., num. 33 et 36, et alii passim. (32. Sic qui non in fraudem jejunii, sed negotiorum causa, aut alio rationabili motivo de loco proprii domicilii, ubi ob discrepantiam novi et veteris Calendarii nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est Quadragesima jam incepta, et observatum jejunium, non tenetur illo anno jejunare illic per adhuc alios octo dies Paschæ ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accommodare moribus eorum apud quos est, arg. c. 3, 11, dist. 12, ubi Glossa in verb. *Societatem* refert illud vulgatum

Si fueris Romae, Romano vivito more,
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

Si cum multis aliis Delbene de Immunit. Eccles. cap. 12, d. 2, sect. 4; Lessius, lib. IV, de justit. et jur. cap. 2, num. 59; Bonacina, disp. 1, de legibus, qu. 1, punct. 6, n. 64; Reiffenstuel Theol. moral., tract. 2, de legibus, dist. 3, qu. 4, num. 40; Fagnan, loc. cit. et alii passim (104). (33. E contra

(104) Vide Probabilistarum Dialecticam. Dum homo ad locum veniat, in quo sit Quadragesimæ cursus absolutus, non tenetur quadragesimale jejunium continuare per dies qui juxta proprium kalend. supersint; sed potest se moribus eorum apud quos degit accommodare : contra vero, si in loco ex quo discessit jejunium absolvit quadragesimale, non tenetur se conformare incolis loci in quem venerit, si secundum istorum kalendarium adhuc per dies aliquot jejunandum sit. Quis non stupeat? Loci consuetudini accommodare se potest homo, dum libere vivendum sit, non debet vero se conformare moribus aliorum,

Digitized by Google

vero, si talis, in loco sui domicilii complesset Quadragesimam, non teneretur postea alibi observare illos octo dies, quia præceptum illud jam implevit, et Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam ; Delbene, loc. cit. et sect. 5; Sanchez in decalog. lib. I, c. 12, n. 22; Lessius, loc. cit. n. 52; Reiffenstuel, loc. cit., num. 42, et alii passim; dummodo tamen caveat ne alii scandalizentur juxta illud Apostoli : I ad Corinth., cap. 7: *Si scandalizavero fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Quid autem dicendum sit de peregrinis et advenis circa jejunium ? Vide verb. *Lex*, a num. 2 ad 39.

(34. Ratione pietatis excusantur a jejunio omnes illi qui operibus præstantioribus ac majoris momenti incumbunt, quæ una cum jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt. *Communis.* Et ratio est quia jejunium præcipitur ut promotivum ad bonum, et non ut impeditivum majoris boni, unde, si alia pietatis exercitia præstantiora jejunio pro tempore et loco aliquibus personis occurrant, et ipsa obire nequeant cum jejunio sine suo gravi incommodo, tunc a jejunio excusantur. Hinc excusantur concionatores quadragesimales, si quotidie aut fere quotidie concionem habeant cum magno labore et studio; minime vero concionatores illi qui ob conciones alibi repetitas vel ob memoriæ facilitatem non indigent longo studio et labore, cum in ipsis cesset causa exemptionis, nempe labor notabilis. Sic excusantur a jejunio lectores et ludimagistri quorum labor est notabilis aut complexio debilior. Item confessarii complexione debiliores et suo muneri assiduiores. Item excusantur cantores illi qui ex officio canendi vivunt, et jejunando redderentur inhabiles. Sic de primo ad ultimum excusantur omnes exercentes opera misericordiæ tum corporalia tum spiritualia, quando ea exercere nequeunt absque notabili et gravi suo incommodo. Secus autem, si opera illa possint de facili exercere sine tali gravi incommodo. (35. In dubio autem an incommodum sit grave vel leve, ad tollendos omnes scrupulos tutius est recurrere ad legitimum superiorem pro dispensatione. Qui legitimus superior in universa Ecclesia est Papa, in sua diœcesi Episcopus, et in ejus absentia in sua parochia parochus, et in religionibus superior, nedum generalis in tota religione, provincialis in sua provincia, sed etiam localis in suo monasterio seu conventu.

Filios seu famulos non servare jejunium Quadragesimæ quoad abstinentiam a carnibus eo quod paterfamilias dispensatur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur. Bened. XIV, Instit. Eccles. 15, § 25.

APPENDIX.

SEU NOVUS DE JEJUNIO ARTICULUS

(36. In hoc articulo paucis expediemus ecclesiastici jejunii historiam et catholica dogmata. Ac primum varia Ecclesiæ jejunia juxta veterem ac recentem disciplinam; deinde præsentem occidentalis et orientalis Ecclesiæ disciplinam exponemus ; de dogmate denique disputabimus.

(37. Jam igitur primum omnium satis constat, quadragesimale jejunium, utpote ex ipsa Apostolorum traditione descendens, quidquid inepte et imperite prorsus effutiant Calviniani hæretici, illud inter superstitiosa hominum inventa adnumerantes, longe antiquissimum esse. Ut enim divus Augustinus habet libro adversus donatistas quarto, capite 24 : « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum; sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Jam vero quadragesimalis institutio jejunii, neque ex divinis Scripturis, neque ex cujuspiam concilii decreto ostendi potest. Et catholici quidem vel ipsis primis Ecclesiæ sæculis hac eadem apostolica traditione instructi, jejunium quadragesimale semel in anno servabant ; hæretici autem Montanistæ tribus quadragesimis quotannis corpora sua macerabant, ut auctor est divus Hieronymus, in epistola ad Marcellam scribens: « Nos una Quadragesima secundum traditionem apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus. Illi (nempe Montanistæ) tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. » (38. Atque jejunium istiusmodi, ad dies quadraginta vel prope quadraginta, scilicet triginta sex, minime vero vel ad horas quadraginta, vel ad unum tantum, aut tres dies extendere consuevisse primi temporis Christianos et luculentissimis sanctorum Patrum testimoniis satis constat, quæ hic brevitatis gratia missa facimus. Initium vero talis jejunii non eodem semper tempore cœptum est; nam primum feria secunda consequente Dominicam quæ Quinquagesimæ dicitur, jejunium quadragesimale incœpisse Patres complures testantur, desisse vero Sabbato præcedenti Majorem hebdomadam ; nam hæc propterea quod severiori jejunio, quod ab antiquis scriptoribus Antipaschale appellari consuevit, transigebatur, intra dies quadraginta computari haud solebat. Cœpit deinde initium jejunii a feria secunda post Dominicam quæ prima dicitur Quadragesimæ, atque ad usque Pascha extendi consuevit, et ex præcedenti hebdomada, scilicet Quinquagesimæ, additi sunt dies quatuor ad subsequentes, tametsi hujus sit incertum additionis tempus ; sed antiquam tamen esse ecclesiastici scriptores produnt quamplurimi.

dum de jejunio agitur. Vide vero hac de re verb. *Kalendarium*, ubi ostenditur quando quis teneatur ad adsolvendum quadragesimale jejunium in iis etiam locis ubi sit jam Pascha celebratum juxta diversum kalendarium, quia viget præceptum de servando proprio ritu, et de celebrandis festis servandisque jejuniis juxta proprii Kalendarii præscriptum, ut facere debent Latini qui inter Orientales versantur. (*Not. Rom. theol.*)

Digitized by Google

(39. Post quadragesimale sequitur Quatuor Temporum jejunium, quod sane perinde ac illud antiquum in Ecclesia esse multis demonstrari posset, si opus foret. Nam S. Leo pontifex, sermone VII, jejunia hæc ab universa Ecclesia suo tempore servata commemorat, atque apostolicæ traditioni accepta refert. Sed circa tempus ea servandi ac numerum præterea jejuniorum ejusmodi, aliqua fuit in Ecclesia varietas. Primum siquidem, trium duntaxat temporum servabatur jejunium, quartum deinde, ut observatum est clarissimo Bellarmino, decreto Callisti Romani pontificis additum fuit. Quantum vero ad tempus spectat primum jejunium, quod erat vernum, sub initium mensis Martii servabatur, secundum celebrabatur hebdomada secunda mensis Junii, tertium hebdomada tertia Septembris, quartum vero hebdomada quarta Decembris. Communiorem tamen hæc servandi jejunia morem hunc fuisse scribunt S. Leo et Gelasius primus, pontifices; videlicet ut primum in prima Quadragesimæ hebdomada, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium in hebdomada tertia Septembris, quartum denique in tertia Decembris hebdomada celebraretur; qui certe mos etiamnum in Romana Ecclesia servatur.

(40. Tertio in loco statui debet ab antiquissimo tempore in Ecclesia receptum quartæ et sextæ feriæ jejunium. Commendatum namque ac præceptum legimus hoc jejunium in apostolicis canonibus, canone 69, ubi hæc leguntur: « Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor, sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat, vel quartam diem, vel Parasceven, deponatur, » atque Origenes homilia X in Leviticum: « Habemus (inquit) quartam et sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus. » Illud est autem observandum, jejunium de quo hic loquimur non fuisse tanquam ad præceptum, sed ad consilium, tanquam spectans in Ecclesia receptum. Superflua quippe fuissent Quatuor Temporum jejunia, si per totum annum in prædictis feriis VI præcepti jejunare fideles debuissent.

(41. Obtinuit olim in Ecclesia jejunium etiam Sabbati in memoriam sepulturæ Christi, ex apostolo Petro, nonnulli existimant, derivatum. Multi tamen variis temporibus prodiere conciliorum canones illud jejunium vetantes, excepto Sabbato majoris hebdomadæ; idque ea de causa fuit vetitum, ne fideles cum Manichæis sentire viderentur qui Sabbato jejunandum esse putabant ad ostendendum odium erga malum Deum, quem mundi hujus ac colendi Sabbati auctorem comminiscebantur. Ex his canonibus occasionem sumpserunt Græci jejunium Sabbati improbandi, quia dum in Oriente præsertim hæretici Manichæi jejunio Sabbati abutebantur, congruum omnino erat eos morem illorum declinare. Cum autem Ecclesia Latina hanc non habuerit occasionem, propterea Sabbati jejunium non improbavit, imo commendavit ac retinuit.

(42. Quartum jejunium erat quod dicebatur Adventus, cujus mentionem faciunt scriptores doctrina et vetustate percelebres, ut Perpetuus Turonensis episcopus, concilium item Turonense, ac Matisconense sæculo sexto celebrata. A monachis primum, tum a laicis ex devotionis fervore singulis diebus a festo S. Martini ad Natalem usque diem Domini hoc jejunium servari cœptum est. Atque ejusdem observantia jejunii, tametsi non eadem semper ubique fuerit, cum non ex aliquo universali præcepto penderet, penes monachos tamen aliosque sacrorum ordinum regulares nunquam intercisa fuit, licet alii a festo S. Martini, alii a festo Omnium Sanctorum, ut Minoritæ, a festo S. Catharinæ alii, aliique denique a Dominica propinquiore a festo S. Andreæ apostoli, quæ prima Adventus Dominica appellatur ab Ecclesia, prædicti jejunii sumpserint exordium.

(43. Celebres ac frequentes erant primis Ecclesiæ sæculis stationes, et cum stationibus conjuncta jejunia. Statio autem, auctore eminentissimo Cardinali Cozza in libro de Jejunio, part. II, artic. 19, aliud non erat quam « Fidelium cultus seu officium, quo certis diebus ad martyrum convenientes sepulcra, ibique a solis ortu stantes, orationibus, sacrarum Scripturarum lectionibus, ac Jejunio usque ad horam nonam vacabant. » Verum temporis decursu hanc stationum disciplinam collapsam restauravit, licet sub diversa forma ab antiqua, S. Gregorius Magnus. Diebus deinde Dominicis Adventus et Quadragesimæ stationes consignatæ cum fuerint, a jejunio separatæ remanserunt. Quamobrem in hoc maxime nostrorum temporum stationes ab antiquis differunt quod illæ jejunium habuerint conjunctum, nostræ non item. Nec mirum id videri debet, cum non ex præcepto constanti quopiam, sed ex varia pendeat pro temporum opportunitate Ecclesiæ disciplina.

(44. Stationibus simillimæ erant vigiliæ, quæ cum ab exemplo Christi, de quo scripsit Luca cap. VI, *Erat pernoctans in oratione Dei*, tum apostolorum, ut ex Actorum capite 16 liquet, originem trahunt suam; nisi quod vigiliæ nocturnæ erant, stationes vero diurnæ. Vigilias hujusmodi agebant fideles vigilantes, orantes ac jejunantes ad martyrum sepulcra nocte præcedente solemnitatem aliquam. Diu hæc vigiliarum disciplina in Ecclesia obtinuit; nam ex concilio Oxoniensi anno 1212 celebrato apparet apertissime eam sub id tempus in Anglia viguisse; quin etiam perseverasse adhuc sextodecimo sæculo in provincia Forojuliensi, ex Aquileiensi concilio sub Clemente VIII celebrato, anno 1596 satis clare colligitur. Sed viris duntaxat, non mulieribus licitum erat vigilias agere. Siquidem jam inde a quarti sæculi initio feminis vetitum fuit vigilare in locis in quibus et viri vigilabant; sed in privatis oratoriis domi ipsæ agebant vigilias. Sublatis tandem omnino vigiliis, earum loco remanserunt jejunia, quæ nunc etiam temporis ex Ecclesiæ præscripto servantur.

(45. Inter alia præterea jejunia, quæ intra

Digitized by Google

annum primi celebrabant Christiani, est memorabile illud, quod observabant Kalendis Januarii. Nam ille dies gentilibus solemnis maxime erat; in eo et convivia et victimas multiplicabant, festumque erat eodem die Jano, Æsculapio et Jovi sacrum. Patres igitur, ut omnem superstitionis speciem ab animis fidelium amoverent, illum ipsum diem consecrarunt jejunio. Atque a Patribus passim ejus diei jejunium commendatum legitur, maxime vero ab Ambrosio.

(46. Tandem circa Rogationum jejunium, cum concilii illud, non præcepti fuerit, varia fuit estque etiamnum Ecclesiæ disciplina. Rogationes, hoc est publicas preces ad Dei misericordiam in ærumnis implorandam, nonnulli Mamerco seu Mamerto Viennensi episcopo referunt auctori, alii antiquiores illo existimant, sed ab eo putant restauratum earum usum. Ecclesiæ quædam eas celebrant modo cum triduano jejunio, aliæ cum solo Jejunio feriæ quartæ, atque unusquisque Ecclesiæ suæ consuetudinem ac morem tuto servare potest.

(47. Hæc, quæ paucis complexi sumus, antiquam jejuniorum disciplinam in Ecclesia receptam spectant; sequitur ergo ut quæ præsens seu recens sit, tum occidentalis, tum orientalis Ecclesiæ disciplina circa jejunia, nunc indicemus. Et quidem quod ad Ecclesiam occidentalem attinet, neminem latet, præter quadragesimale jejunium, Quatuor Temporum, ac vigiliarum quas aliquibus solemnitatibus festisque sanctorum præmittendas esse Ecclesia decrevit, jejunium aliud nullum habere fideles sub præcepto. (48. Diebus Veneris et Sabbati abstinentia a carnibus, sed non jejunium præcipitur. At longe diversus est apud Græcos et Orientales in celebrandis jejuniis mos et disciplina, ut demonstratum est a multis præclarissimis viris qui scriptis suis Græcorum ritus sunt persecuti. Etenim non omnes eadem habent jejunia, neque eodem modo illa servant. Mingrelienses, Græcum, et ipsi in sacris peragendis ritum sequentes, licet proprio utantur idiomate, quatuor habent Quadragesimas. Prima ante Pascha, et a Quinquagesima incipit; secunda post Pentecosten; tertia initium sumit a Kalendis Augusti usque ad festum Assumptionis B. Virginis; quarta Adventus Domini, quæ quadraginta complectitur dies. Abstinent a carnibus, nonnisi post solis occasum cœnant in majori hebdomada; vinum haud gustant, ultimisque tribus diebus ejusdem ab omni prorsus cibo abstinent. Apud Syros autem Jacobitas, præter feriam quartam et sextam, quinque sunt celeberrima jejunia. Primum Quadragesimæ, alterum Apostolorum, tertium Migrationis, seu Assumptionis B. Virginis, quartum Nativitatis, quintum Niniviticum jejunium Quadragesimæ, octo supra quadraginta diebus absolvitur; Apostolorum vero a feria secunda post Pentecosten usque ad diem vigesimam nonam Junii producitur; et Migrationis jejunium a Kalendis Augusti usque ad diem decimam quintam, Nativitatis vero alii a Kalendis Decembris auspiciantur, nonnulli a die decima Decembris per duas hebdomadas observant. Denique Ninivitarum jejunium a feria secunda, quæ tribus hebdomadibus præcedit jejunium quadragesimale usque ad feriæ quintæ matutinum observant aliqui, nonnulli autem ad matutinum Sabbati. Syri Nestoriani, præter quinque recensita jejunia et ferias quartam et sextam, in quibus haud multum dissident a cæteris Orientalibus (est enim sola varietas quantum ad numerum dierum jejunii, ejusdem initium), duo habent particularia jejunia, nempe jejunium Eliæ seu Crucis per hebdomadas septem, a Dominica prima Eliæ, quæ quartam æstatis sequitur, usque ad feriam sextam quartæ hebdomadæ Crucis, seu septimæ Eliæ; ac jejunium Virginum tribus post festum Epiphaniæ diebus. Jejunium Niniviticum sic est appellatum, quia dum populi peste aliisve calamitatibus affligerentur, episcopi indictis supplicationibus ac jejunio Ninivitarum usi sint exemplo ad Dei opem implorandam. Jejunium autem Virginum ita est appellatum, quod originem habuerit ex supplicationibus ea occasione indictis, in qua rex Arabum, sive, ut alii volunt, Persarum imperaverat ut sibi ex urbe Hirta quadraginta virgines adducerentur. Tunc enim ob beneficia illis supplicationibus accepta statuerunt ut quolibet anno jejunium istud observaretur. Conveniunt cum Syris Jacobitis circa jejunii disciplinam Cophti et Æthiopes. Armeni autem non ubique eadem jejunia servant. Qui Constantinopoli commorantur Armeni sive catholici, sive hæretici, a feria secunda Quinquagesimæ jejunii quadragesimalis sumunt exordium. Hæretici ante Nativitatis festum, quod die octava Januarii celebrant, septem diebus jejunant, atque in vigilia jejunium ad vesperam usque protrahunt cum sacrum faciunt, ac deinde cœnant, et in ea utuntur lactiniis et ovis. At catholici in vigilia dumtaxat Nativitatis, cujus festum diverso ab hæreticis die celebrant, jejunare solent, atque a piscibus etiam abstinent. Ante Epiphaniam septem diebus jejunant omnes tum catholici tum hæretici; festum Assumptionis B. Virginis semper die Dominica celebrant, et die Lunæ ad Sabbatum usque, quo die lacticiniis utuntur, solent jejunare; eademque ratione jejunia servant quæ præcedunt festum Transfigurationis et Exaltationis sanctæ Crucis. A feria secunda post Pentecosten ad feriam usque sextam, jejunium colunt quod vocant sancti Eliæ, atque ejusdem rationis sunt alia jejunia, scilicet sancti Gregorii illuminatoris, sancti Jacobi episcopi, sancti Sergii martyris, et sancti Gregorii quem Thaumarturgum appellant, in quibus a feria secunda usque ad sextam jejunant. Hæc sunt quæ orientalis Ecclesiæ circa jejunia præsentem disciplinam spectant, de qua satis hactenus diximus.

(49. His breviter ac dilucide, quantum satis esse potest ad Orientalium circa jejunium disciplinam dignoscendam, indicatis,

Digitized by Google

restat ut pauca de jejunii dogmate edisseramus. Ac principio quidem animadvertimus Calvinianos aliosque recentes novatores jejunia omnia e medio sustulisse, ut perspicue apparet ex iis quæ libro Institutionum quarto, capite 12, scribit Calvinus, ubi quadragesimale jejunium superstitiosam appellat observationem. Ac tametsi fateri non dubitent, jejunium præceptum in veteri lege fuisse, cum id expressum legatur apud Joelem, Jonam, atque alibi in veteris Testamenti libris; negant tamen audacter eidem jejunio obnoxios esse Christianos, propterea quod a legis vinculo soluti sunt, Ecclesiamque jejunia sub præcepto indicere posse. Sed illorum error facile convelli potest. Annon enim apud Matthæum VI dicitur: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum*, etc.? Nec officit quod jejunii præceptum ad legem veterem pertineret; satis etenim constat, cæremonialia tantum præcepta, non autem moralia, cujusmodi procul dubio est præceptum jejunii, illucescente Evangelio abrogata fuisse. Id quod mirifice ex Augustini doctrina in epistola ad Casulanum, quæ est 36, confirmari potest. Sic enim eo loco habet S. Pater: « Ego in evangelicis et apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse Jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini vel apostolorum non invenio definitum. » Audiant Augustinum novatores aientem in sacris novi fœderis litteris jejunium esse præceptum, determinationem vero illorum dierum in quibus jejunium colendum sit, Ecclesiæ potestati ac libertati esse relictam. Quod vera possit Ecclesia suis legibus jejunia præcipere fidelibus, et stabilire certa jejunii tempora, vel ex ipso Synagogæ exemplo demonstratur, quæ Judæis jejunia imponebat, ut apud Hieremiam, Estherem, ac Zachariam, legere est. Quod si ea potestate pollebat Judæorum Synagoga, quid est quod eamdem Ecclesiæ Christi denegandam esse putent novatores? An dicturi sunt minori gaudere Ecclesiam potestate quam Synagoga habuerit? At ridiculum id est. Deinde Ecclesiæ prælati non minus ac principes sæculares potestate gaudent leges condendi ad fidelium spirituale bonum promovendum. Nemo autem dubitare potest jejunium valde opportunum atque optimum esse ad spiritualem finem consequendum remedium; ex quo Angelicus Doctor 2-2, quæst. 147, deducit jejunium sub præcepto quoque naturali cadere. Potest igitur Ecclesia prædictum remedium fidelibus præcipere, sicut sæculares principes exercitium illorum actuum, qui alioquin liberi essent, præcipiunt subditis, qui vergunt in eorumdem subditorum bonum. Extra dubium est ergo, et in sacris litteris novi fœderis præceptum esse jejunium, illudque fidelibus præcipere posse Ecclesiam. Quæ contra hujusmodi doctrinam objicere solent hæretici, adeo levia, inepta, ac futilia sunt, ut vix digna sint lucubratione anicularum; in iis propterea ex sufflandis tempus terere nolumus (105).

JESU SOCIETAS.

SUMMARIUM.

1. ad 13. Aliqua de Societate Jesu. — 14. Constitutio Clementis XIV qua eadem Societas extinguitur et supprimitur. — 15. Alia constitutio ejusdem pontificis. — 16. Bulla Pii VII pro restitutione congregationis Societatis Jesu.

(1. Societas Jesu merito laudatur a Benedicto XIV, tom. I, constitut. 49, incip. *Constantem*. (2. Societati Jesu unus locus inter consultores congregationis Sacrorum Rituum perpetuo assignatur; idem, ibid. (3. Societatis Jesu collegium in civitate S. Dominici in insula Hispaniola, in publicam studiorum universitatem erigitur; idem, constit. 37, incip. *In supereminenti*. (4. Ejusque collegii rectori tribuitur facultas conferendi gradus, cumulative tamen cum priore PP. Prædicatorum; idem, ibid.

(5. In Societate Jesu congregationes Generales, ex Brevi Innoc. X, singulis novenniis haberi jubentur; id., const. 24, incip. *Devotum majori*. (6. Societas Jesu variis temporibus institit pro abrogatione hujusmodi brevis; idem, ibid. (7. Illud tamen quo ad triennalem officiorum durationem abrogatum fuit ab Alexandro VIII; idem, ib. Bened. XIV. (8. Innocentii legem quoad novennalem congregationem abrogat; idem, ibid. (9. Et quoad præfinitionem termini triennalis officiorum, abrogationem jam factam confirmat; idem, ibid.

(10. In Societate Jesu vacatio beneficiorum non inducitur per emissionem votorum simplicium; id. constit. 25, incip. *Ex quo dilectus Filius*. (11. Sed in ipsius congregatione generali v decretum fuit illius alumnos, expleto probationis biennio, beneficia ecclesiastica dimittere debere; idem, ibid.

(12. E Societate Jesu theologus consultor Pœnitentiariæ Apostolicæ assumi consuevit; idem, tom. I, const. 96, incip. *In Apostolicæ*, § 15.

(13. Jesu Societas exstinguitur et supprimitur a fel. record. Clement. XIV, per suas

(105) Jejunii ecclesiastici historiam Gallice ediderunt Ludovisius Thomassinus, et Benedictinus D. *de l'Isle*; quibus adde Gabrielis Albaspinæi De jejuniis et stationibus observationes, Cabassutii De veterum jejuniorum Ecclesiæ origine, et ritibus dissertationem, et Joannis Ciampini de Cruce stationali, investigationem historicam. De Quatuor vero Temporum jejuniis eorumque origine exstant peculiares dissertationes duæ, Ludovici Muratorii una, altera P. Joan. Hyacinthi Sbæraleæ, quas cum tribus indicatis Albaspinæi, Cabassutii et Ciampini opusculis habes tom. I disciplinæ Populi Dei in Novo Testamento a Claudio *Fleury* Gallice scriptæ, et a Franc. Antonio Zaccaria illustratæ, p. 155 seqq. Venetæ secundæ editionis apud Zattam. Vide etiam Dissert. Fr. Dominici Thomae Valfredi Ord. Præd. de usu et instit. Jejuniorum Temporum Bon. Edit. 1771. (EDIT. BARBIERI)

Digitized by Google

litteras in forma brevis, sub die 21 Julii 1773, ut hic ad litteram allatæ sequuntur.

CLEMENS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

(14. Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus, Princeps pacis a propheta prænuntiatus, quod hunc in mundum veniens per angelos primum pastoribus significavit, ac demum per se ipsum, antequam in cœlos ascenderet, semel et iterum suis reliquit discipulis; ubi omnia Deo Patri reconciliavisset, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, apostolis etiam reconciliationis tradidit ministerium, posuitque in eis verbum reconciliationis, ut legatione fungentes pro Christo, qui non est dissensionis Deus, sed pacis et dilectionis, universo orbi pacem annuntiarent, et ad id potissimum sua studia conferrent ac labores, ut omnes in Christo geniti solliciti essent servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati sunt in una spe vocationis, ad quam nequaquam pertingitur, ut inquit S. Gregorius Magnus, si non ad eam unita cum proximis mente curratur.

Hoc ipsum potiori quadam ratione nobis divinitus traditum reconciliationis verbum et ministerium, ubi primum, meritis prorsus imparibus evecti fuimus ad hanc Petri Sedem, in memoriam revocavimus, die noctuque præ oculis habuimus, cordique altissime inscriptum gerentes, ei pro viribus satisfacere contendimus, divinam ad id opem assidue implorantes, ut cogitationes et consilia pacis nobis, et universo dominico gregi Deus infundere dignaretur, ad eamque consequendam tutissimum nobis firmissimumque aditum reserare. Quinimo probe scientes divino nos consilio constitutos fuisse super gentes et supra regna, ut in excolenda vinea Sabahot, conservandoque Christianæ religionis ædificio, cujus Christus est angularis lapis, evellamus, et destruamus, et disperdamus, et ædificemus, et plantemus, eo semper fuimus animo constantique voluntate, ut quemadmodum pro Christianæ reipublicæ quiete et tranquillitate nihil a probis prætermittendum esse censuimus, quod plantando ædificandoque esset quovis modo accommodatum: ita eodem mutuæ charitatis vinculo expostulante, ad evellendum destruendumque quidquid jucundissimum etiam nobis esset atque gratissimum, et quo carere minime possemus sine maxima animi molestia et dolore prompti æque essemus atque parati.

Non est sane ambigendum ea inter quæ ad catholicæ reipublicæ bonum felicitatemque comparandam plurium conferunt, principem fere locum tribuendum esse regularibus ordinibus, ex quibus amplissimum in universam Christi Ecclesiam quavis ætate dimanavit ornamentum, præsidium, et utilitas. Hos idcirco Apostolica hæc Sedes approbavit non modo, suisque fulcita est auspiciis, verum etiam pluribus auxit beneficiis, exemptionibus, privilegiis et facultatibus, ut ex his ad pietatem excolendam, et religionem ad populorum mores verbo et exemplo rite informandos, ad fidei unitatem inter fideles servandam confirmandamque, magis magisque excitarentur atque inflammarentur. Ast, ubi eo res devenit ut ex aliquo regulari ordine, vel non amplius uberrimi ii fructus, atque optatissima emolumenta a Christiano populo perciperentur, ad quæ asserenda fuerant primitus instituti, vel detrimento potius esse visi fuerint, ac perturbandæ magis populorum tranquillitati quam eidem procurandæ accommodati; hæc eadem Apostolica Sedes, quæ eisdem plantandis operam impenderat suam, suamque interposuerat auctoritatem, eos vel novis communire legibus, vel ad pristinam vivendi severitatem revocare, vel penitus etiam evellere ac dissipare minime dubitavit.

Hac sane de causa Innocentius papa tertius, prædecessor noster, cum comperiisset nimiam regularium ordinum diversitatem gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducere, in concilio generali Lateranensi IV firmiter prohibuit ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; decrevitque insuper ut qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis. Unde consequens fuit ut non liceret omnino novam religionem instituere sine speciali Romani Pontificis licentia, et merito quidem, nam cum novæ congregationes majoris perfectionis gratia instituantur, prius ab hac sancta Apostolica Sede ipsa vitæ futuræ forma examinari et perpendi debet diligenter, ne sub specie majoris boni et sanctioris vitæ plurima in Ecclesia Dei incommoda et fortasse etiam mala exoriantur.

Quamvis veri providentissime hæc fuerint ab Innocentio III, prædecessore, constituta, tamen postmodum non solum ab Apostolica Sede importuna petentium inhiatio aliquorum Ordinum Regularium approbationem extorsit, verum etiam nonnullorum præsumptuosa temeritas diversorum ordinum præcipue mendicantium nondum approbatorum effrænatam quasi multitudinem adinvenit. Quibus plene cognitis, ut malo statim occurreret, Gregorius papa X, pariter prædecessor noster, in generali concilio Lugdunensi renovata constitutione ipsius Innocentii III, prædecessoris, districtius inhibuit ne aliquis de cætero novorum ordinem, aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat. Cunctas vero generaliter religiones et ordines mendicantes post concilium Lateranense IV adinventos, qui nullam confirmationem Sedis apostolicæ meruerunt, perpetuo prohibuit. Confirmatos autem ab Apostolica Sede modo decrevit subsistere infrascripto: ut videlicet professoribus eorumdem ordinum ita liceret in illis remanere, si voluerint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum vel aliquem locum acquirerent, nec domos seu loca quæ habebant alienare

Digitized by Google

valerent sine ejusdem Sanctæ sedis licentia speciali. Ea enim omnia dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit in Terræ Sanctæ subsidium, vel pauperum, vel alios pios usus per locorum ordinarios, vel eos quibus Sedes ipsa commiserit, convertenda. Personis quoque ipsorum ordinum omnino interdixit quoad extraneos prædicationis et audiendi confessiones officium, aut etiam sepulturam. Declaravit tamen in hac constitutione minime comprehensos esse Prædicatorum et Minorum ordines quos evidens ex iis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibebat approbatos; voluitque insuper Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum ordines in solido statu permanere, ex eo quod istorum institutio prædictum generale concilium Lateranense præcesserat. Demum singularibus personis ordinum ad quos hæc constitutio extendebatur transeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concessit generalem; ita tamen ut nullus ordo ad alium, vel conventus ad conventum se ac loca sua totaliter transferret, non obtenta prius specialis Sedis Apostolicæ licentia.

Hiscemet vestigiis secundum temporum circumstantias inhæserunt alii Romani pontifices prædecessores nostri quorum omnium decreta longum esset referre. Inter cæteros vero Clemens papa V, pariter prædecessor noster, per suas sub plumbo VI nonas Maii anno incarnationis Dominici 1312, expeditas litteras ordinem militarem Templariorum nuncupatorum, quamvis legitime confirmatum et alias de Christiana republica adeo præclare meritum, ut a Sede Apostolica insignibus beneficiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, licentiis, cumulatus fuerit, ob universalem diffamationem suppressit, et totaliter exstinxit, etiamsi concilium generale Viennense, cui negotium examinandum commiserat, a formali et definitiva ferenda sententia censuerit se abstinere.

Sanctus Pius V, similiter prædecess. noster, cujus insignem sanctitatem pie colitur et veneratur Ecclesia catholica, ordinem regularem Fratrum Humiliatorum, concilio Lateranensi anteriorem, approbatumque a felicis recordationis Innocentio III, Honorio III, Gregorio IX, et Nicolao V, Romanis pontificibus prædecessoribus itidem nostris, ob inobedientiam decretis apostolicis, discordias domesticas, et externas exortas, nullum omnino futuræ virtutis specimen ostendentem, et ex eo quia aliqui ejusdem ordinis in necem S. Caroli S. R. E. card. Borromei protectoris ac visitatoris apostolici dicti ordinis, scelerate conspiraverint, exstinxit ac penitus abolevit.

Recolendæ memoriæ Urbanus papa octavus, etiam prædecessor noster, per suas in simili forma brevis, die 6 Februarii 1726 expeditas litteras, congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum a felicis memoriæ Sixto papa V, itidem prædecessore nostro solemniter approbatam et pluribus beneficiis ac favoribus auctam, ex eo quia ex prædictis fratribus ii in Ecclesiæ Dei spirituales fructus non prodierint, imo quamplures differentiæ inter eosdem Fratres Conventuales non Reformatos ortæ fuerint, perpetuo suppressit ac exstinxit: domus, conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones, et jura, ad prædictam congr. spectantia ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium concessit et assignavit, exceptis tantum domo Neapolitana et domo Sancti Antonii de Paula nuncupata de Urbe, quam postremam cameræ apostolicæ applicavit et incorporavit, suæque suorumque successorum dispositioni reservavit: fratribus denique prædictæ suppressæ congregationis ad fratres S. Francisci Cappuccinos, seu de observantia nuncupatos, transitum permisit.

Idem Urbanus papa VIII, per alias suas, in pari forma brevis, die 2 Decembris 1643 expeditas litteras, ordinem regularem Sanctorum Ambrosii et Barnabæ ad Nemus perpetuo suppressit, exstinxit, et abolevit; subjecitque regulares prædicti suppressi ordinis jurisdictioni et correctioni ordinariorum locorum, prædictisque regularibus licentiam concessit se transferendi ad alios ordines regulares ab Apostolica Sede approbatos. Quam suppressionem rec. memoriæ Innocentius papa X, prædecessor quoque noster, solemniter per suas sub plumbo Kal. Aprilis anno incarnationis dominicæ 1645 expeditas litteras confirmavit; et insuper beneficia, domus, et monasteria prædicti ordinis, quæ antea regularia erant, ad sæcularitatem reduxit ac in posterum sæcularia fore et esse declaravit.

Idemque Innocentius X, prædecessor, per suas, in simili forma brevis, die 16 Martii 1645, ob graves perturbationes excitatas inter regulares ordinis Pauperum Matris Dei Scholarum piarum, etsi ordo ille prævio maturo examine a Gregorio papa XV, prædecessore nostro, solemniter approbatus fuerit, præfatum regularem ordinem in simplicem congregationem, absque ullorum votorum emissione, ad instar instituti congregationis Presbyterorum sæcularium Oratorii in ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe S. Philippi Neri nuncupatæ, reduxit; regularibus prædicti ordinis sic reducti transitum ad quamcumque religionem approbatam concessit; admissionem novitiorum et admissorum professionem interdixit; superioritatem denique et jurisdictionem, quæ penes ministrum generalem, visitatores, aliosque superiores residebat, in ordinarios locorum totaliter transtulit: quæ omnia per aliquot annos consecuta sunt effectum, donec tandem Sedes hæc Apostolica, cognita prædicti instituti utilitate, illum ad pristinam votorum solemnium formam revocavit ac in perfectum regularem ordinem redegit.

Per similes suas in pari forma brevis, die 29 Octobris 1650 expeditas litteras idem Innocentius X, prædecessor, ob discordias quoque et dissensiones exortas suppressit totaliter Ordinem S. Basilii de Armenis; regulares prædicti suppressi ordinis omnimode jurisdictioni et obedientiæ ordinariorum Locorum subjecit in habitu clericorum

Digitized by Google

sæcularium, assignata iisdem congrua sustentatione ex redditibus Conventuum suppressorum; illisque etiam facultatem transeundi ad quamcumque religionem approbatam concessit.

Pariter ipse Innocentius X, prædecessor, per alias suas, in dicta forma brevis die 22 Junii 1651 expeditas litteras, attendens nullos spirituales fructus ex regulari congregatione Presbyterorum Boni Jesus in Ecclesia sperari posse, præfatam congregationem perpetuo extinxit; regulares prædictos jurisdictioni ordinariorum Locorum subjecit, assignata eisdem congrua sustentatione ex redditibus suppressæ congregationis, et cum facultate transeundi ad quemlibet ordinem regularem approbatum a Sede Apostolica; suoque arbitrio reservavit applicationem bonorum prædictæ congregationis in alios pios usus.

Denique felicis recordationis Clemens papa IX, prædecessor itidem noster, cum animadverteret tres regulares ordines, canonicorum videlicet regularium Sancti Georgii in Alga nuncupatorum, Hieronymianorum de Fesulis, ac tandem Jesuatorum a sancto Johanne Columbano institutorum, parum vel nihil utilitatis et commodi Christiano populo afferre aut sperari posse eos esse aliquando allaturos, de iis supprimendis exstinguendisque consilium cepit, idque perfecit suis litteris, in simili forma brevis, die 6 Decembris 1668 expeditis; eorumque bona, et redditus satis conspicuos, Venetorum republica postulante, in eos sumptus impendi voluit qui ad Cretense bellum adversus Turcas sustinendum erant necessario subeundi.

In his vero omnibus decernendis perficiendisque satius semper duxerunt prædecessores nostri ea uti consultissima agendi ratione, quam ad intercludendum penitus aditum animorum contentionibus et ad quemlibet amovenda dissidia vel partium studia magis conferre existimarunt. Hinc molesta illa ac plena negotii prætermissa methodo quæ in forensibus instituendis judiciis adhiberi consuevit, prudentiæ legibus unice inhærentes, ea potestatis plenitudine qua tanquam Christi in terris vicarii ac supremi Christianæ reipublicæ moderatores amplissime donati sunt, rem omnem absolvendam curarunt, quin regularibus ordinibus suppressioni destinatis veniam facerent, et facultatem sua experiundi jura, et gravissimas illas vel propulsandi criminationes, vel causas amoliendi, ob quas ad illud consilii genus suscipiendum adducebantur.

His igitur aliisque maxime apud omnes ponderis et auctoritatis exemplis nobis ante oculos propositis, vehementique simul flagrantes cupiditate ut in ea quam infra aperiemus deliberatione fidenti animo tutoque pede incedamus, nihil diligentiæ omisimus et inquisitionis ut quidquid ad regularis ordinis qui Societas Jesu vulgo dicitur originem pertinet, progressum hodiernumque statum perscrutaremur; et compertum inde habuimus eum ad animarum salutem et hæreticorum et maxime infidelium conversionem, ad majus denique pietatis et religionis incrementum, a sancto suo conditore fuisse institutum; adque, ad optatissimum hujusmodi finem facilius feliciusque consequendum, arctissimo evangelicæ paupertatis voto tam in communi quam in particulari fuisse Deo consecratum, exceptis tantummodo studiorum seu litterarum collegiis, quibus possidendi redditus ita facta est vis et potestas, ut nihil tamen ex iis redditibus in ipsius Societatis commodum, utilitatem, ac usum impendi unquam possit atque converti.

His aliisque sanctissimis legibus probata primum fuit eadem Societas Jesu a rec. memoriæ Paulo papa III, prædecessore nostro, per suas, sub plumbo v Kal. Octobris anno incarnationis Dominicæ 1540, expeditas litteras, ab eodemque concessa ei fuit facultas condendi jura atque satuta quibus Societatis præsidio, incolumitati, atque regimini firmissime consuleretur. Et quamvis item Paulus prædecessor Societatem ipsam angustissimis sexaginta dumtaxat alumnorum limitibus ab initio circumscripsisset, per alias tamen suas, itidem sub plumbo pridie Kal. Martii anno incarnationis Dominicæ 1543, expeditas litteras, locum dedit eadem in Societate iis omnibus quos in eam excipere illius moderatoribus visum fuisset opportunum aut necessarium. Anno deinde 1549, suis in simili forma brevis die 15 Novembris expeditis litteris, idem Paulus prædecessor pluribus atque amplissimis privilegiis eamdem Societatem donavit, ac in his indultum alias per eumdem præpositis generalibus dictæ Societatis concessum admittendi viginti presbyteros coadjutores spirituales, eisque impertiendi easdem facultates, gratiam, et auctoritatem, quibus socii ipsi professi donantur, ad alios quoscumque quos idoneos fore iidem præpositi generales censuerint, ullo absque limite et numero extendendum voluit atque mandavit; ac præterea Societatem ipsam, et universos illius socios, et personas, illorumque bona quæcumque ab omni superioritate, jurisdictione, correptione quorumcumque ordinariorum exemit et vindicavit, ac sub sua et Apostolicæ Sedis protectione suscepit.

Haud minor fuit reliquorum prædecessorum nostrorum eamdem erga Societatem liberalitas ac munificentia. Constat enim a rec. memoriæ Julio III, Paulo IV, Pio IV et V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Paulo V, Leone XI, Gregorio XV, Urbano VIII, aliisque Romanis pontificibus privilegia eidem Societati jam antea tributa, vel confirmata fuisse, vel novis aucta accessionibus, vel apertissime declarata. Ex ipso tamen apostolicarum constitutionum tenore et verbis palam colligitur eadem in Societate suo fere ab initio varia dissidiorum ac æmulationum semina pullulasse, ipsos non modo inter socios, verum etiam cum aliis regularibus ordinibus, clero sæculari, academiis, universitatibus, publi-

Digitized by Google

cis litterarum gymnasiis, et cum ipsis etiam principibus quorum in ditionibus Societas fuerat excepta; easdemque contentiones et dissidia excitata modo fuisse de votorum indole et natura, de tempore admittendorum Sociorum ad vota, de facultate socios expellendi, de iisdem sociis ad sacros ordines promovendis sine congrua ac sine votis solemnibus contra concilii Tridentini ac sanctæ memoriæ Pii papæ V, prædecessoris nostri, decreta; modo de absoluta potestate quam præpositus generalis ejusdem Societatis sibi vindicabat, ac de aliis rebus ipsius Societatis regimen spectantibus; modo de variis doctrinæ capitibus, de scholis, de exemptionibus et privilegiis, quæ locorum ordinarii aliæque personæ in ecclesiastica vel sæculari dignitate constitutæ suæ noxia esse jurisdictioni ac juribus contendebant; ac demum minime defuerunt gravissimæ accusationes eisdem Sociis objectæ, quæ Christianæ reipublicæ pacem ac tranquilitatem non parum perturbarunt.

Multæ hinc ortæ adversus Societatem querimoniæ, quæ, nonnullorum etiam principum auctoritate munitæ ac relationibus, ad rec. memoriæ Paulum IV, Pium V, et Sixtum V, prædecessores nostros, delatæ fuerunt. In his fuit claræ memoriæ Philippus secundus, Hispaniarum rex catholicus, qui tum gravissimas quibus ille vehementer impellebatur, rationes, tum etiam eos quos ab Hispaniarum inquisitoribus adversus immoderata Societatis privilegia ac regiminis formam acceperat clamores, et contentionum capita a nonnullis ejusdem etiam Societatis viris doctrina et pietate spectatissimis confirmata, eidem Sixto V, prædecessoris exponenda curavit, apud eumdemque egit ut apostolicam Societatis visitationem decerneret atque committeret.

Ipsius Philippi regis petitionibus et studiis, quæ summa inniti æquitate animadverterat, annuit idem Sixtus prædecessor, delegitque ad apostolici visitatoris munus episcopum prudentia, virtute, et doctrina omnibus commendatissimum, ac præterea congregationem designavit nonnullorum S. R. E cardinalium, qui rei perficiendæ sedulam navarent operam. Verum dicto Sixto V, prædecessore, immatura morte prærepto, saluberrimum ab eo susceptum consilium evanuit, omnique caruit effectu. Ad supremum autem apostolatus apicem assumptus felicis recordationis Gregorius PP. XIV, per suas litteras sub plumbo IV Kal. Julii ann. Dominicæ incarnationis 1591 expeditas, Societatis institutum amplissime iterum approbavit; rataque haberi jussit ac firma privilegia quæcumque eidem Societati a suis prædecessoribus collata; et illud præ cæteris, quo cautum fuerat ut a Societate expelli dimittique possent socii, forma judiciaria minime adhibita, nulla scilicet præmissa inquisitione, nullis confectis actis, nullo ordine judiciario servato, nullisque terminis, etiam substantialibus, servatis, sola facti veritate inspecta, culpæ, vel rationabilis causæ tantum ratione habita ac personarum, aliarumque circumstantiarum. Altissimum insuper silentium imposuit; vetuitque sub pœna potissimum excommunicationis latæ sententiæ ne quis dictæ Societatis institutum, constitutiones, aut decreta directe vel indirecte impugnare auderet, vel aliquid de iis quovis modo immutari curaret. Jus tamen cui libet reliquit ut quidquid addendum, minuendum, aut immutandum censeret, sibi tantummodo, et Romanis solum pontificibus pro tempore existentibus, vel immediate, vel per apostolicæ Sedis legatos seu nuntios significare posset atque proponere.

Tantum vero abest ut hæc omnia satis fuerint compescendis adversus Societatem clamoribus et querelis, quin potius magis magisque universum fere orbem pervaserunt molestissimæ contentiones de Societatis doctrina; quam fidei veluti orthodoxæ bonisque moribus repugnantem plurimi traduxerunt; domesticæ etiam externæque efferbuerunt dissensiones, et frequentiores factæ sunt in eam de nimia potissimum terrenorum bonorum cupiditate accusationes. Ex quibus omnibus suam hauserunt originem tum perturbationes illæ omnibus satis cognitæ, quæ Sedem apostolicam ingenti mœrore affecerunt ac molestia; tum capta a principibus nonnullis in Societatem consilia. Quo factum est ut eadem Societas novam instituti sui ac privilegiorum confirmationem a felicis recordationis Paulo papa V, prædecessore nostro impetratura, coacta fuerit ab eo petere ut rata habere vellet suaque confirmare auctoritate decreta quædam in quinta generali congregatione edita, atque ad verbum exscripta in suis sub plumbo pridie Non. Septembris anno incarnationis Dominicæ 1606, de super expeditis litteris; quibus in decretis discretissime legitur tam internas sociorum simultates ac turbas, quam exterorum in Societatem querelas ac postulationes socios in comitiis congregatos impulisse ad sequens condendum statutum: « Quoniam Societas nostra, quæ ad fidei propagationem et animarum lucra a Domino excitata est sicut per propria instituti ministeria, quæ spiritualia arma sunt cum Ecclesiæ utilitate ac proximorum ædificatione sub crucis vexillo finem feliciter consequi potest, quem intendit ita et hæc bona impediret et se maximis periculis exponeret, si ea tractaret quæ sæcularia sunt, et ad res politicas atque ad status gubernationem pertinent; idcirco sapientissime a nostris majoribus statutum est ut militantes Deo aliis, quæ a nostra professione abhorrent non implicemur. Cum autem his præsertim temporibus valde periculosis, pluribus locis et apud varios principes (quorum tamen amorem et charitatem sanctæ memoriæ pater Ignatius conservandam ad divinum obsequium pertinere putavit), aliquorum fortasse culpa, et vel ambitione, vel indiscreto zelo religio nostra male audiat; et alioquin bonus Christi odor necessarius sit ad fructificandum; censuit congregatio ab omni specie mali abstinendum esse, et querelis, quod

Digitized by Google

fieri poterit, etiam ex falsi suspicionibus provenientibus, occurrendum. Quare præsenti decreto graviter et severe nostris omnibus interdicit ne in hujusmodi publicis negotiis, etiam invitati aut allecti, ulla ratione se immisceant, nec ullis precibus aut suasionibus ab instituto deflectant. Et præterea quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, sic ubi opus sit, medicina adhibeatur, patribus definitoribus accurate decernendum et definiendum commendavit. »

Maximo sane animi nostri dolore observavimus tam prædicta quam alia complura deinceps adhibita remedia nihil ferme virtutis præsetulisse et auctoritatis ad tot ac tantas evellendas dissipandasque turbas accusationes, et quærimonias in sæpedictam Societatem, frustraque ad id laborasse cæteros prædecessores nostros Urbanum VIII, Clementem IX, X, XI, et XII, Alexandrum VII et VIII, Innocentium X, XI, XII. et XIII, et Benedictum XIV, qui optatissimam conati sunt Ecclesiæ restituere tranquillitatem plurimis saluberrimis editis constitutionibus, tam circa sæcularia negotia, sive extra sacras missiones, sive earum occasione minime exercenda, quam circa dissidia gravissima ac jurgia adversus locorum ordinarios, regulares ordines, loca pia atque communitates cujusvis generis in Europa, Asia, et America, non sine ingenti animarum ruina ac populorum admiratione a Societate acriter excitata; tum etiam super interpretatione et praxi ethnicorum quorumdam rituum aliquibus in locis passim adhibita, omissis iis qui ab universali Ecclesia sunt rite probati; vel super earum sententiarum usu et interpretatione, quas Apostolica Sedes tanquam scandalosas optimæque morum disciplinæ manifeste noxias merito proscripsit, vel aliis demum super rebus maximi equidem momenti, et ad Christianorum dogmatum puritatem sartam tectam servandam apprime necessariis; et ex quibus nostra hac non minus quam superiori ætate plurima dimanarunt detrimenta et incommoda; perturbationes nimirum ac tumultus in nonnullis catholicis regionibus; Ecclesiæ persecutiones in quibusdam Asiæ et Europæ provinciis, ingens denique allatus est mœror prædecessoribus nostris, et in his piæ memoriæ Innocentio papæ XI, qui, necessitate compulsus eo devenit ut Societati interdixerit novitios ad habitum admittere; tum Innocentio papæ XIII, qui eamdem pœnam coactus fuit eidem comminari, ac tandem rec. memoriæ Benedicto papæ XIV, qui visitationem domorum collegiorumque in ditione charissimi in Christo filii nostri Lusitaniæ et Algarbiorum regis Fidelissimi existentium censuit decernendam; quin ullum subinde, vel Sedi Apostolicæ solamen, vel Societati auxilium, vel Christianæ reipublicæ bonum accesserit ex novissimis apostolicis litteris a felicis recordationis Clemente Papa XIII, immediato prædecessore nostro, extortis potius, ut verbo utamur a prædecessore nostro Gregorio X in supracitato Lugdunensi œcumenico concilio adhibito, quam impetratis, quibus Societatis Jesu institutum magnopere commendatur ac rursus approbatur.

Post tot tantasque procellas ac tempestates acerbissimas futurum optimus quisque sperabat ut optatissima illa tandem aliquando illucesceret dies quæ tranquillitatem et pacem esset cumulatissime allatura. At Petri Cathedram gubernante eodem Clemente XIII, prædecessore, longe difficiliora ac turbulentiora accesserunt tempora. Auctis enim quotidie magis in prædictam Societatem clamoribus et querelis, quinimo periculosissimis alicubi exortis seditionibus, tumultibus, dissidiis, et scandalis, quæ Christianæ charitatis vinculo labefactato ac penitus disrupto, fidelium animos ad partium studia, odia, et inimicitias vehementer inflammarunt, eo discriminis ac periculi res perducta visa est, ut ii ipsi quorum avita pietas, ac in Societatem liberalitas hæreditario quodam veluti jure a majoribus accepta omnium fere linguis summopere commendatur, charissimi nempe in Christo filii nostri reges Francorum, Hispaniarum, Lusitaniæ ac utriusque Siciliæ suis ex regnis, ditionibus atque provinciis, socios dimittere coacti omnino fuerint et expellere : hoc unum putantes extremum tot malis superesse remedium et penitus necessarium ad impediendum quominus Christiani populi in ipso sanctæ matris Ecclesiæ sinu sese invicem lacesserent, provocarent, lacerarent.

Ratum vero habentes prædicti charissimi in Christo filii nostri remedium hoc firmum esse non posse ac universo Christiano orbi reconciliando accommodatum, nisi Societas ipsa prorsus exstingueretur, ac ex integro supprimeretur; sua idcirco apud præfatum Clementem PP. XIII, prædecessorem, exposuerunt studia, ac voluntatem et qua valebant auctoritate, et precibus conjunctis simul votis expostularunt ut efficacissima ea ratione perpetuæ suorum subditorum securitati universæque Christi Ecclesiæ bono providentissime consuleret. Qui tamen præter omnium exspectationem contigit ejusdem pontificis obitus, rei cursum exitumque prorsus impedivit. Hinc nobis in eadem Petri Cathedra, divina disponente clementia, constitutis, eædem statim oblatæ sunt preces, petitiones, et vota, quibus sua quoque addiderunt studia, animique sententiam episcopi complures, aliique viri dignitate, doctrina, religione plurimum conspicui.

Ut autem in re tam gravi tantique momenti tutissimum caperemus consilium, diuturno nobis temporis spatio opus esse judicavimus, non modo ut diligenter inquirere, maturius expendere, et consultissime deliberare possemus, verum etiam ut multis gemitibus et continuis precibus singulare a Patre luminum exposceremus auxilium et præsidium : qua etiam in re Fidelium omnium precibus pietatisque operibus nos sæpius apud Deum juvari curavimus. Perscrutari inter cætera voluimus quo innitatur fundamento pervagata illa apud plurimos opinio, religionem scilicet clericorum Societatis Jesu fuisse a concilio Tridentino

Digitized by Google

solemni quadam ratione approbatam et confirmatam; nihilque aliud de ea actum fuisse comperimus in citato concilio, quam ut generali illo exciperetur decreto quo de reliquis regularibus ordinibus cautum fuit, ut finito tempore novitiatus, novitii qui idonei inventi fuerint ad profitendum amittantur, aut a monasterio ejiciantur. Quamobrem eadem sancta synodus (sess. 25, c. 16, de Regular.) declaravit se nolle aliquid innovare, aut prohibere quin prædicta religio clericorum Societatis Jesu juxta pium eorum institutum, a sancta Sede Apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiæ inservire possit.

Tot itaque ac tam necessariis adhibitis mediis, Divini Spiritus, ut confidimus, adjuti præsentia et afflatu, nec non muneris nostri compulsi necessitate, quo, et ad Christianæ reipublicæ quietem et tranquillitatem conciliandam, fovendam, roborandam, et ad illa omnia penitus de medio tollenda, quæ eidem detrimento vel minimo esse possunt, quantum vires sinunt, arctissime adigimur; cumque præterea animadverterimus prædictam Societatem Jesu uberrimos illos amplissimosque fructus, et utilitates afferre amplius non posse, ad quos instituta fuit, a tot prædecessoribus nostris approbata, ac plurimis ornata privilegiis, imo fieri, aut vix nullo modo posse, ut ea incolume manente vera pax ac diuturna Ecclesiæ restituatur; his propterea gravissimis adducti causis aliisque pressi rationibus, quas et prudentiæ leges, et optimum universalis Ecclesiæ regimen nobis suppeditant, altaque mente repositas servamus, vestigiis inhærentes eorumdem prædecessorum nostrorum, et præsertim memorati Gregorii XI prædecessoris in generali concilio Lugdunensi, cum, et nunc de Societate agatur, tum instituti sui, tum privilegiorum etiam suorum ratione, Mendicantium ordinum numero ascripta, maturo consilio, ex certa scientia, et plenitudine potestatis apostolicæ sæpedictam Societatem exstinguimus et supprimimus; tollimus, et abrogamus omnia, et singula ejus officia, ministeria et administrationes, domus, scholas, collegia, hospicia, grancias et loca quæcunque quavis in provincia, regno, et ditione existentia, et modo quolibet ad eam pertinentia; ejus statuta, mores, consuetudines, decreta, constitutiones etiam juramento, confirmatione apostolica aut alias roboratas; omnia item, et singula privilegia, et indulta generalia, vel specialia, quorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum essent inserta, ac etiamsi quibusvis formulis clausulis irritantibus; et quibuscunque vinculis et decretis sint concepta, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus. Ideoque declaramus cassatam perpetuo manere, ac penitus exstinctam omnem et quamcunque auctoritatem præpositi generalis, provincialium visitatorum, aliorumque quorumlibet dictæ Societatis superiorum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus; eamdemque jurisdictionem, et auctoritatem in locorum ordinarios totaliter; et omnimode transferimus, juxta modum, casus et personas, et iis sub conditionibus, quas infra explicabimus; prohibentes, quemadmodum per præsentes prohibemus, ne ullus amplius, in dictam Societatem excipiatur, et ad habitum ac novitiatum admittatur; qui vero hactenus fuerunt excepti, ad professionem votorum simplicium, vel solemnium sub pœna nullitatis admissionis et professionis, aliisque arbitrio nostro, nullomodo admitti possint et valeant. Quinimo volumus, præcipimus et mandamus, ut qui nunc tyrocinio actu vacant, statim, illico, immediate, et cum effectu dimittantur: ac similiter vetamus ne qui votorum simplicium professionem emiserunt nulloque sacro ordine sunt usque adhuc initiati, possint ad majores ipsos ordines promoveri prætextu, aut titulo vel jam emissæ in Societate professionis, vel privilegiorum contra concilii Tridentini decreta eidem Societati collatorum.

Quoniam vero eo nostra tendunt studia, ut quemadmodum Ecclesiæ utilitatibus, ac populorum tranquillitati consulere cupimus, ita singulis ejusdem religionis individuis, seu sociis, quorum singulares personas paterne in Domino diligimus solamen aliquod et auxilium afferre studeamus, ut ab omnibus, quibus hactenus vexati fuerunt contentionibus, dissidiis, et angoribus liberi, fructuosius vineam Domini possint excolere, et animarum saluti uberius prodesse; ideo decernimus, et constituimus, ut socii professi votorum duntaxat simplicium, et sacris ordinibus nondum initiati, intra spatium temporis a locorum ordinariis deficiendum, satis congruum ad munus aliquod, vel officium, vel benevolum receptorem inveniendum, non tamen uno anno longius a data præsentium nostrarum litterarum inchoandum, domibus, et collegiis ejusdem Societatis omni votorum simplicium vinculo soluti egredi omnino debeant, eam vivendi rationem suscepturi, quam singulorum vocationi, viribus, et conscientiæ magis aptam in Domino judicaverint; cum, et juxta Societatis privilegia dimitti ab ea hi poterant non alia de causa præter eam, quam superiores prudentiæ, et circumstantiis magis conformem putarent, nulla præmissa citatione, nulloque judicario ordine servato.

Omnibus autem sociis ad sacros ordines promotis veniam facimus, ac potestatem, easdem domos aut collegia Societatis deserendi, vel ut ad aliquem ex regularibus ordinibus a sede apostolica approbatis se conferant, ubi probationis tempus a concilio Tridentino præscriptum debebunt explere, si votorum simplicium professionem in Societate emiserint; si vero solemnium etiam votorum, per sex tantum integros menses in probatione stabunt, super quo benigne cum eis dispensamus, vel ut in sæculo maneant tanquam presbyteri, et clerici sæculares sub omnimoda, ac totali obedientia, et subjectione ordinariorum, in quorum diœcesi domicilium signant; decernentes insuper, ut his, qui hac ratione in sæculo manebunt, congruum aliquod donec provisi aliunde non fuerint, assignetur stipendium

Digitized by Google

ex redditibus domus, seu collegii, ubi morabantur, habito tamen respectu tum reddituum, tum onerum eidem annexorum.

Professi vero in sacris ordinibus jam constituti, qui vel timore ducti non satis honestæ sustentationis ex defectu vel inopia congruæ, vel quia loco carent ubi domicilium sibi comparent, vel ob provectam ætatem, infirmam valetudinem, aliamque justam, gravemque causam, domus Societatis, seu collegia derelinquere opportunum minime existimaverint, ibidem manere poterunt; ea tamen lege, ut nullam prædictæ domus, seu collegii administrationem habeant, clericorum sæcularium veste tantummodo utantur, vivantque ordinario ejusdem loci plenissime subjecti. Prohibemus autem omnino quominus in eorum qui deficient locum, alios sufficiant; domum de novo juxta concilii Lugdunensis decreta, seu aliquem locum acquirant; domos, insuper res, et loca, quæ nunc habent, nunc alienare valeant; quinimo in unam tantum domum, seu plures, habita ratione sociorum, qui remanebunt, poterunt congregari, ita ut domus quæ vacuæ relinquentur possint in pios usus converti juxta id quod sacris canonibus, voluntati fundatorum, divini cultus incremento, animarum saluti, ac publicæ utilitati videbitur suis loco et tempori recte riteque accommodatum. Interim vero vir aliquis ex clero sæculari prudentia, probisque moribus præditus designabitur, qui dictarum domorum præsit regimini, deleto penitus et suppresso nomine Societatis.

Declaramus individuos etiam prædictæ Societatis ex omnibus provinciis, a quibus jam reperiuntur expulsi, comprehensos esse in hac generali Societatis suppressione; ac proinde volumus quod supradicti expulsi, etiamsi ad majores ordines sint et existant promoti, nisi ad alium regularem ordinem transierint, ad statum clericorum et presbyterorum sæcularium ipso facto redigantur, et locorum ordinariis totaliter subjiciantur.

Locorum ordinarii, si eam, qua opus est, deprehenderint virtutem, doctrinam, morumque integritatem in iis, qui e regulari Societatis Jesu instituto ad presbyterorum sæcularium statum in vim præsentium nostrarum litterarum transierint, poterunt eis pro suo arbitrio facultatem largiri, aut denegare excipiendi sacramentales confessiones Christi fidelium aut publicas ad populum habendi sacras conciones, sine qua licentia in scriptis nemo illorum iis fungi muneribus audebit. Hanc tamen facultatem iidem episcopi, vel locorum ordinarii nunquam quoad extraneos iis concedent, qui in collegiis, aut domibus antea ad Societatem pertinentibus vitam ducent, quibus proinde perpetuo interdicimus sacramentum pœnitentiæ extraneis administrare, vel prædicare, quemadmodum ipse etiam Gregor. X prædecessor in citato generali concilio simili modo prohibuit. Qua de re ipsorum episcoporum oneramus conscientiam, quos memores cupimus severissimæ illius rationis, quam de ovibus eorum curæ commissis Deo sunt reddituri, et durissimi etiam illius judicii, quod iis qui præsunt supremus vivorum et mortuorum Judex minatur.

Volumus præterea, quod si quis eorum, qui Societatis institutum profitebantur, munus exerceat erudiendi in litteris juventutem, aut magistrum agat in aliquo collegio aut schola, remotis penitus omnibus a regimine, administratione et gubernio, iis tantum in docendi munere locus fiat perseverandi et potestas, qui ad bene de suis laboribus sperandum signum aliquod præseferant, et dummodo ab illis alienos se præbeant disputationibus, et doctrinæ capitibus, quæ sua vel inanitate gravissimas contentiones, et incommoda parere solent et procreare; nec ullo unquam tempore ad hujusmodi docendi munus ii admittantur vel in eo, si nunc actu versantur, suam sinantur præstare operam, qui scholarum quietem, ac publicam tranquillitatem non sunt pro viribus conservaturi.

Quod vero ad sacras attinet missiones, quarum etiam ratione intelligenda volumus quæcunque de Societate suppressione disposuimus, nobis reservamus, ea media constituere, quibus et infidelium conversio, et dissidiorum sedatio facilius et firmius obtineri possit et comparari.

Cassatis autem et penitus abrogatis, ut supra, privilegiis quibuscunque, et statutis sæpedictæ Societatis, declaramus ejus socios, ubi a domibus et collegiis Societatis egressi, et ad statum clericorum sæcularium redacti fuerint, habiles esse et idoneos ad obtinenda juxta sacr. canonum, et constitutionum apostolicarum decreta, beneficia quæcunque tam sine cura, quam cum cura, officia, dignitates, personatus, et id genus alia, ad quæ omnia eis in Societate manentibus aditus fuerat penitus interclusus a felicis recordationis Gregorio PP. XIII, per suas in simili forma brevis die 10 Septembris 1584, expeditas litteras, quarum initium est: *Satis, superque*. Item iisdem permittimus, quod pariter vetitum eis erat, ut eleemosynam pro missæ celebratione valeant percipere; possintque iis omnibus frui gratiis et favoribus, quibus tanquam clerici regulares Societatis Jesu perpetuo caruissent. Derogamus pariter omnibus et singulis facultatibus, quibus a præposito generali, aliisque superioribus vi privilegiorum a summis pontificibus obtentorum, donati fuerint; legendi videlicet hæreticorum libros, et alios ab apostolica sede proscriptos et damnatos, non servandi jejuniorum dies, aut esurialibus cibis in iis non utendi; anteponendi, postponendique horarum canonicarum recitationem, aliisque id genus, quibus in posterum eos uti posse severissime prohibemus; cum mens nobis animusque sit, ut iidem tanquam sæculares presbyteri ad juris communis tramites suam accommodent vivendi rationem.

Vetamus ne, postquam præsentes nostræ litteræ promulgatæ fuerint, ac notæ redditæ, ullus audeat earum exsecutionem suspendere etiam colore, titulo, prætextu cujusvis petitionis, appellationis, recursus, declara-

Digitized by Google

tionis, aut consultationis dubiorum, quæ forte oriri possent, alioque quovis præviso vel non præviso. Volumus enim ex nunc et immediate suppressionem et cassationem universæ prædictæ Societatis, et omnium ejus officiorum, suum effectum sortiri, forma et modo a nobis supra expressis, sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ, nobis nostrisque successoribus Romanis pontificibus pro tempore reservatæ, adversus quemcunque qui nostris hisce litteris adimplendis impedimentum, obicem, aut moram apponere præsumpserit.

Mandamus insuper, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus, et singulis personis ecclesiasticis, regularibus, sæcularibus, cujuscunque gradus, dignitatis, qualitatis, et conditionis, et iis signanter qui usque adhuc Societati fuerunt ascripti et inter socios habiti, ne defendere audeant, impugnare, scribere, vel etiam loqui de hujusmodi suppressione, deque ejus causis et motivis, quemadmodum nec de Societate instituto, regulis, constitutionibus, regiminis forma, aliave de re quæ ad hujusmodi pertinet argumentum, absque expressa Romani pontificis licentia, ac simili modo sub pœna excommunicationis nobis ac nostris pro tempore successoribus reservatæ prohibemus omnibus et singulis ne hujus suppressionis occasione ullum audeant, multoque minus eos qui socii fuerunt, injuriis, jurgiis, contumeliis, aliove contemptus genere, voce aut scripto, clam aut palam afficere ac lacessire.

Hortamur omnes Christianos principes ut ea qua polleut vi, auctoritate, et potentia, quam pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione et patrocinio a Deo acceperunt, tum etiam eo quo in hanc apostolicam sedem ducuntur obsequio et cultu, suam præstent operam ac studia ut hæ nostræ litteræ suum plenissime consequantur effectum, quinimo singulis in iisdem litteris contentis inhærentes similia constituant et promulgent decreta per quæ omnino caveant ne, dum hæc nostra voluntas exsecutioni tradetur, ulla inter fideles excitentur jurgia, contentiones et dissidia.

Hortamur denique Christianos omnes ac per Domini nostri Jesu Christi viscera obsecramus ut memores sint omnes eumdem habere Magistrum, qui in cœlis est; eumdem omnes reparatorem, a quo empti sumus pretio magno; eodem omnes lavacro aquæ in verbo vitæ regeneratos esse, et filios Dei, cohæredes autem Christi constitutos; eodem catholicæ doctrinæ verbique divini pabulo nutritos, omnes demum unum corpus esse in Christo, singulos autem alterius membra: atque idcirco necesse omnino esse ut omnes, communi charitatis vinculo simul colligati, cum omnibus hominibus pacem habeant, ac nemini debeant quidquam, nisi ut invicem diligant; nam qui diligit proximum legem implevit; summo prosequentes odio offensiones, simultates, jurgia, insidias, aliaque hujusmodi ab antiquo humani generis hoste excogitata, inventa, et excitata ad Ecclesiam Dei perturbandam, impediendamque æternam fidelium felicitatem sub fallacissimo scholarum, opinionum, vel etiam Christianæ perfectionis titulo ac prætextu. Omnes tandem totis viribus contendant veram germanamque sibi sapientiam comparare, de qua scriptum est per sanctum Jacobum (cap. III, Epist. canon., vers. 13): « Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum animarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, fructibus bonis, non judicans, sine æmulatione. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem. »

Præsentes quoque litteras, etiam ex eo quod superiores, et alii religiosi sæpedictæ Societatis et cæteri quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, et invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, in excogitato, et substantiali; sive etiam ex eo quod in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, et quævis alia servanda et adimplenda servata non fuerint; aut ex quocunque alio capite a jure vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, seu etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis et quovis alio prætextu, occasione vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili et privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, sed quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra illud posse; sed easdem præsentes semper, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Sicque, et non aliter in præmissis omnibus et singulis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sedis apostolicæ nuntios, et alios quavis auctoritate et potestate fungente et functuros in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, judicari, ac definiri debere,

Digitized by Google

ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis et quatenus opus sit regula nostra de non tollendo jure quæsito necnon sæpedictæ Societatis, illiusque domorum, collegiorum, ac ecclesiarum etiam juramento roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, et litteris apostolicis eidem Societati, illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque decretis etiam irritantibus, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissó, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem ut præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 21 Julii 1773, Pontificatus nostri anno quinto.

CLEMENS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

(15. Gravissimis ex causis nuper nos per alias nostras in simili forma brevis dies 21 superioris mensis Julii expeditas litteras, Societatem Jesu exstinctam atque suppressam decrevimus, et declaravimus, ac aliis, prout in eisdem nostris litteris, quarum tenores præsentibus plene, et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur. Accitis postmodum die 6 currentis mensis Augusti dilectis filiis nostris S. R. E. presbyteris cardinalibus Andrea S. Matthæi in Merulana Corsino, Mario Sanct. Augustini Marefusco, Francisco S. Clementis Carafa, et Francisco Xaverio Sanct. Silvestri, et Martini ad Montes de Zelada respective nuncupatis, ac dilecto quoque filio nostro S. Georgii ad Velum Aureum ejusdem S. R. E. diacono card. Casali pariter nuncupato, necnon dilectis etiam filiis Magistris Vincentio Macedonio, et Onuphrio Alfano; Nos eisdem omnibus causas ipsas, totamque rei gestæ seriem, ejusque singulares etiam circumstantias aperuimus, ac uberrime patefecimus; perlectisque nostris litteris prædictis, ipsi omnia per Nos gesta, et in eis contenta quam maxime, ac unanimiter commendantes, omnem promereri laudem agnoverunt, putarunt, ac crediderunt. Modo autem volentes, ut quæ in prædictis litteris disposita, constituta et præscripta sunt, debitæ exsecutioni, ac juxta animi nostri sententiam committantur; hinc est, quod motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, unam erigimus, atque instituimus congregationem ex supradictis quinque cardinalibus, ac duobus Romanæ curiæ prælatis, necnon ex duobus quoque regularibus in sacra theologia præclaris, tanquam consultoribus a Nobis nominandis, quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut ea omnia, quæ in dictis nostris litteris constituta sunt atque mandata suum assequantur effectum; et si aliqua in earum exsecutione circa modum, personas, et res olim ad Societatem ipsam spectantes suboriri imposterum unquam valeat dubitatio. Nobis prius consultis, tollatur, ac declaretur. Eidem vero sic per Nos institutæ congregationi, omnes, et quascunque pro exsecutione dictarum litterarum necessarias, et quomodolibet opportunas facultates, etiam summarie, ac sine strepitu, et figura judicii, sola facti veritate inspecta, ac per inquisitionem quoque procedendi adversus omnes, et quascunque personas cujusvis status, gradus, qualitatis et dignitatis existant, ac res, bona, libros, scripturas, supellectilia, aliaque ad Societatem prædictam jam spectantia retinentes, occupantes, et occultantes, easque tam sub ecclesiasticis censuris, quam sub aliis arbitrio ipsius congregationis imponendis pœnis ad earum revelationem, ac restitutionem cogendi et compellendi, motu, scientia, et pari matura deliberatione tribuimus, et impertimur. Ne autem ea, quæ in congregatione hujusmodi pertractanda, atque discutienda erunt, revelentur, et ad aliorum aures perveniant, omnibus, et singulis eamdem congregationem constituentibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto absque ulla declaratione incurrendæ, a qua nemo absolutionis beneficium, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus valeat obtinere, prohibemus, atque expresse interdicimus, ne ea, quæ quocunque modo in dicta congregatione proposita, discussa, aut definita fuerint sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore patefacere, vel directe, aut indirecte revelare valeant, aut præsumant. Præterea, attenta dictæ Societatis suppressione, et exstinctione, omnes, et quascunque facultates, jurisdictiones, privilegia et auctoritates, quorumcunque collegiorum, domorum, ecclesiarum, et seminariorum, ac personarum, ipsius sic exstinctæ Societatis protectoribus, aliisque etiam S. R. E. cardinalibus, et magno quoque pœnitentiario super eis quomodolibet concessas, indultas et attributas; motu, scientia, et deliberatione similibus, suspensas pro

Digitized by Google

nunc decernimus, et declaramus, atque omnimodam jurisdictionem, auctoritatem et potestatem in iis omnibus, quæ quoquomodo personas, ecclesias, domus, collegia, res, et bona dictæ jam exstinctæ Societatis respiciunt, privative, quoad omnia alia tribunalia, etiam quarumcunque congregationum eorumdem S. R. E. cardinalium tam concilii Tridentini interpretum, quam consultationibus episcoporum et regularium, ac negotiis propagandæ fidei, ac disciplinæ regulari præpositorum, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, atque auctoritate, ad eamdem congregationem per præsentes constitutam spectare et pertinere statuimus et jubemus. Volentes insuper, ut ad dictam tantummodo congregationem a Nobis, ut præfertur, erectam, privative pariter quoad alios quoscunque, et quæcunque alia tribunalia spectet, quoque, et pertineat non solum providere, sive quæ pœnitentiarios basilicæ principis apostolorum de Urbe, sive quæ alios pœnitentiarios almæ domus Lauretanæ respiciunt, sed etiam viros doctrina ac pietate præditos, in superiores, lectores, seu magistros domorum, collegiorum, et seminariorum hujusmodi eligere ac deputare. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac innovatis, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 13 Augusti 1773, pontificatus nostri anno v.

A. Card. Nigronus.

ADDITIONES CASINENSES.

Sed eadem Societas restituta fuit anno 1814 a Pio papa VII sequenti constitutione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

16. Sollicitudo omnium Ecclesiarum humilitati Nostræ meritis licet et viribus impari, Deo sic disponente, concredita, Nos cogit omnia illa subsidia adhibere, quæ in Nostra sunt potestate, quæque a divina providentia Nobis misericorditer subministrantur, ut spiritualibus Christiani orbis necessitatibus quantum quidem diversæ multiplicesque temporum locorumque vicissitudines ferunt, nullo populorum et nationum habito discrimine, opportune subveniamus hujus Nostri pastoralis officii oneri satisfacere cupientes, statim ac tunc in vivis agens Franciscus Kareu, et alii sæculares presbyteri a pluribus annis in amplissimo Russiaco imperio existentes et olim addicti Societati Jesu a felicis recordationis Clemente XIV prædecessore Nostro suppressæ preces Nobis obtulerunt, quibus facultatem sibi fieri supplicabant, ut auctoritate Nostra in unum corpus coalescerent, quo facilius juventuti fidei rudimentis erudiendæ, et bonis moribus imbuendæ ex proprii instituti ratione operam darent, munus prædicationis obirent, confessionibus excipiendis incumberent, et alia sacramenta administrarent, eorum precibus eo libentius annuendum Nobis esse duximus, quod imperator Paulus primus tunc temporis regnans eosdem presbyteros impense Nobis commendavisset humanissimis litteris suis die undecima Augusti anni Domini millesimi octingentesimi ad Nos datis, quibus singularem suam erga ipsos benevolentiam significans gratum sibi fore declarabat, si catholicorum imperii sui bono Societas Jesu auctoritate Nostra ibique constitueretur; quapropter Nos attento animo perpendentes quam ingentes utilitates in amplissimas illas regiones evangelicis operariis prope modum destitutas essent perventuræ, quantumque incrementum ejusmodi ecclesiastici viri, quorum probati mores tantis laudum præconiis commendabantur assiduo labore incenso salutis animarum procurandæ studio, et indefessa verbi divini prædicatione catholicæ religioni essent allaturi tanti, tamque benefici principis votis obsecundare rationi consentaneum existimavimus. Nostris itaque in forma brevis litteris datis die septima Martii anni Domini millesimi octingentesimi primi prædicto Francisco Kareu, aliisque ejus sodalibus in Russiaco imperio degentibus, aut qui aliunde illuc se conferre possent, facultatem concessimus, ut in unum corpus, seu congregationem Societatis Jesu conjungi, unirique liberum ipsis esset in una vel pluribus domibus arbitrio superioris intra fines duntaxat imperii Russiaci designandis, atque ejus congregationis præpositum generalem eumdem presbyterum Franciscum Kareu ad Nostrum, et apostolicæ Sedis beneplacitum deputavimus cum facultatibus necessariis, et opportunis, ut sancti Ignatii de Loyola regulam a felicis recordationis Paulo tertio prædecessore Nostro apostolicis suis constitutionibus approbatam, et confirmatam retinerent et sequerentur, atque, ut hoc pacto Socii in uno religioso cetu congregati, juventuti, religioni ac bonis artibus imbuendæ operam dare, seminaria et collegia regere, et probantibus ac consentientibus locorum ordinariis, confessiones

Digitized by Google

excipere, verbum Dei annuntiare, et sacramenta administrare libere possent, et congregationem Societatis Jesu sub Nostra et apostolicæ Sedis immediata tutela, et subjectione recepimus, et quæ ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, quæ forte irrepsissent, repurgandam, visum fuisset in Domino expedire Nobis, ac successoribus Nostris præscribenda, et sancienda reservavimus, atque ad hunc effectum constitutionibus apostolicis, Statutis, consuetudinibus, privilegiis, et indultis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, et confirmatis, præsertim litteris apostolicis memorati Clementis decimiquarti prædecessoris Nostri incipientibus — Dominus, ac Redemptor noster — expresse derogavimus in iis tantum quæ contraria essent dictis Nostris in forma brevis litteris, quarum initium — Catholicæ — Et duntaxat pro Russiaco imperio elargitis consilia, quæ pro imperio Russiaco capienda decrevimus ad utriusque Siciliæ regnum non ita multo post extendenda censuimus ad preces charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi regis, qui a Nobis postulavit, ut Societas Jesu et modo, quo in præfato imperio stabilita a Nobis fuerat in sua quoque ditione ac statibus stabiliretur, quoniam luctuosissimis illis temporibus ad juvenes Christiana pietate, ac timore Domini, qui est initium sapientiæ, informandos, doctrinaque et scientiis instruendos præcipue in collegiis, scholisque publicis clericorum regularium Societatis Jesu opera uti in primis opportunum sibi arbitrabatur. Nos ex muneris Nostri pastoralis debito piis tam illustris principis desideriis, quæ ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem unice spectabant morem gerere exoptantes, Nostras litteras pro Russiaco imperio datas ad utriusque Siciliæ regnum extendimus novis in simili forma brevis litteris incipientibus — Per alias — expeditis die trigesima Julii anni Domini millesimi octingentesimi quarti pro ejusdem Societatis Jesu restitutione unanimi fere totius Christiani orbis consensu instantes, urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, atque ab omni insignium personarum ordine et cetu quotidie ad Nos deferuntur, præsertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum, quos hæc Societas in memoratis regionibus protulerat, quæque Prolis in dies crescentes fecunda, Dominicum agrum latissime ornatura, et dilatatum putabatur dispersio ipsa lapidum sanctuarii ob recentes calamitates, et vicissitudines, quas deflere potius juvat, quam in memoriam revocare fatiscens disciplina regularium ordinum religionis; et Ecclesiæ catholicæ splendor et columen; quibus nunc reparandis cogitationes curæque nostræ diriguntur efflagitant, ut tam æquis, et communibus votis assensum Nostrum præbeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos Nos esse crederemus, si in tantis reipublicæ christianæ necessatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quæ singulari providentia Deus Nobis suppeditat, et si Nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocati, expertos, et validos qui sese nobis offerunt remiges ad frangendos Pelagi fluctus naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis respueremus tot ac tantis rationum momentis, tamque gravibus causis animum nostrum moventibus id exsequi tandem statuimus quod in ipso pontificatus nostri exordio vehementer optabamus. Postquam igitur divinum auxilium ferventibus precibus imploravimus, suffragiis, et consiliis plurium venerabilium fratrum Nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium auditis, ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine ordinare, et statuere decrevimus, uti revera hac nostra perpetua valitura constitutione ordinamus, et statuimus ut omnes concessiones et facultates a nobis pro Russiaco imperio et utriusque Siciliæ regno unice datæ, nunc extensæ intelligantur, et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus ad totum nostrum statum ecclesiasticum æque ac ad omnes alios status et ditiones. Quare concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddeo Borzozowki moderno præposito generali Societatis Jesu, aliisque ab eo legitime deputatis, omnes necessarias et opportunas facultates ad nostrum et apostolicæ Sedis beneplacitum, ut in cunctis præfatis statibus et ditionibus omnes illos qui in regularem ordinem Societatis Jesu admitti et cooptari petunt admittere et cooptare libere, et licite valeant qui in una, vel pluribus domibus, in uno vel pluribus collegiis, in una vel pluribus provinciis sub præpositi generalis pro tempore existentis obedientia conjuncti, et prout res feret distributi ad præscriptum regulæ sancti Ignatii de Loyola apostolicis Pauli tertii constitutionibus approbatæ et confirmatæ suam accommodent vivendi rationem. Concedimus etiam et declaramus quod pariter juventuti catholicæ religionis rudimentis erudiendæ, ac probis moribus instituendæ operam dare, necnon collegia et seminaria regere, et consentientibus atque approbantibus ordinariis locorum in quibus eos degere contigerit, confessiones audire, verbum Dei prædicare et sacramenta administrare libere et licite valeant. Omnia vero collegia, domus, provincias, sociosque sic conjunctos, et quos inposterum conjungi et aggregari contigerit, jam nunc sub immediata Nostra, et hujus apostolicæ Sedis tutela, præsidio et obedientia recipimus, Nobis et Romanis pontificibus successoribus Nostris reservantes ea statuere, et præscribere quæ ad eamdem Societatem magis magisque constabiliendam et commutandam, et ab abusibus si forte, quod Deus avertat, irrepserint, repurgandam statuere, ac præscribere visum fuerit expedire Omnes vero, et singulos superiores, præpositos, rectores, socios, et alumnos qualescunque hujus restitutæ Societatis, quantum in Domino possumus, commonefacimus, et exhortamur ut in omni loco, et tempore sese fideles asseclas, et imitatores tanti sui Parentis, et institutoris exhibeant, regulam

Digitized by Google

ab ipso conditam et præscriptam accurate observent, et utilia monita ac consilia quæ filiis suis tradidit summo studio exsequi conentur. Denique dilectis in Christo filiis illustribus, et nobilibus viris principibus, ac dominis temporalibus, necnon venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, aliisque in quavis dignitate constitutis sæpedictam Societatem Jesu, et singulos illius socios plurimum in Domino commendamus, eosque exhortamur ac rogamus, non solum ne eos inquietari a quocunque permittant ac patiantur, sed ut benigne illos, ut decet, et cum charitate suscipiant. Decernentes præsentes litteras, et in eis contenta quæcunque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscunque judices quavis potestate fungentes judicari et definiri pariter debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac præsertim supramemoratis litteris in forma Brevis felicis recordationis Clementis decimiquarti incipientibus : Dominus ac Redemptor noster, Sub annulo piscatoris expedita die vigesima prima Julii anni Domini millesimi septingentesimi septuagesimi tertii, quibus ad præmissorum effectum expresse ac specialim intendimus derogare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, extensionis, concessionis, indulti, facultatis, declarationis, receptionis, reservationis, moniti, exhortationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo quartodecimo septimo Idus Augusti, pontificatus nostri anno quintodecimo.

A CARD. PRO-DATARIUS

B. CARD. BRASCHIUS DE HONESTIS.

Visa

De Curia D. Testa.

F. Lavizzarius.

JOB PROPHETA.

(1. Job dicitur natus matre *Bosra*, patre *Zara*, vel *Zareph*, Isaaci pronepote, nam Abraham genuit Isaac; hic Esau; hic Rahuel; hic Zara; hic Job (*Gen.* XXXVI). Fuit ergo Job quintus ab Abrahamo. Sic traditur in Appendice libri Job, quam Septuaginta Interpretes, et SS. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Eusebius, et alii Patres in Catena, et a Bellarmino citati, passim ut legitimam admittunt. Hic habitavit in terra Hus, seu in Ausitide in orientali Idumæa, in Bozræ finibus; et ut rex imperavit in Edom post Balac seu Bela, ut in Genesi nominatur; et regem fuisse ipsemet Job satis innuit cap. XIX, v. 9, et alibi. Imo regem regum fuisse probat Pineda in cap. prim. Job., v. 3, ubi dicitur: « Erat vir ille magnus inter omnes orientales. » (2. Fuit idem etiam Sacerdos, ut patet ex sacrificio, quod obtulit vers. 5. (3. Fuit et Propheta, inquiunt SS. Hieronymus, Augustinus, Gregorius, ut colligitur ex cap. XIV, v. 1. (4. Et insuper martyr, imo multis martyribus majorem vocat S. Chrysostomus, cum aliis, quos passim citant Pineda et Salianus.

(5. Jobum fuisse sub id tempus quo mortuus est Isaac ejus abavus, et quidem ipso anno quo Jacob cum suis in Ægyptum descendit; sicque vixisse sub tempus habitationis Hebræorum in Ægypto, et pertigisse ad tempora Moysis, colligitur ex communiori et verosimiliori sententia, quam tenent Philo, Aristæas, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, et ex recentioribus Abulensis, Pererius, a Lapide, Pineda, et alii; vixit enim ducentis et pluribus annis : Job. cap. ultim., vers. ultim. (6. Hæc ex eruditiss. Tirino Comment. in *Gen.* cap. XXXVI, et in Job. cap. I, ubi insuper addit trigesimo post anno Jobum uxorem duxisse *Bosorram* Arabissam, ac sub idem tempus regnum administrasse. Calmetus autem in dictionario verb. *Job*, § Rerum a Job gestarum, refert scriptores alios tradere Jobi uxorem vocatam fuisse *Ramissam* e genere *Loth*, id est Moabitidem, vel Amonitidem.

ADDITIONES CASINENSES.

Job virtute, patientia et pietate insignis, terram Hus, seu Ausitidem in orientali Idumæa in Bosræ finibus incolebat.

Quando ortus sit, quaque tempestate floruerit, dissidentibus scriptoribus, valde incertum. Ad Græcorum et Arabum Job exemplarium calcem, atque in veteribus vulgatis latinis Bibliis, hæc, ut aiunt, ex Syriaco excerpta leguntur : « Hic in terra quidem Ausitide redditur habitans in finibus Idumææ et Arabiæ, et erat ei nomen Jobab. Cum autem accepisset uxorem Arabissam, generat filium, cui nomen Emmon. Erat autem ipse ex patre quidem Zara, de filiis Esau filius, matris autem Bosræ : ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnaverunt in Edom, cujus regionis etiam ipse dominatus est : primus Balac filius Beor, et nomen civitatis ejus Dennaba; post Balac autem Jobab, qui vocatur Job; post hunc


Digitized by Google

autem Asom, qui erat dux ex regione Themanitide; post hunc autem Adad, filius Barad, qui excidit Madiam in campo Moab, et nomen civitatis ejus Getham. Amici autem qui ad eum venerunt Eliphaz, de filiis Esau Themanorum; Baldad, tyrannus Sauchæorum; Sophar, rex Minæorum.

Hæc omnium vetustissima est Jobi genealogia, cui Aristæas, Philo, Polybistor apud Eusebium lib. IX, cap. 25, Præpar. Evang., suffragantur. Neque sane rejici posse videtur, quippe a veteribus Patribus comprobata; ita ut a Judæis ad nos devenisse affirmare fas sit.

Insuper ex sacris litteris id ipsum vel colligi potest : siquidem in cap. XXXVI Genes., v. 31, 32, 33, ubi genealogia filiorum Esau recensetur, hæc habentur : *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi : Bela filius Bear, nomenque urbis ejus Denaba. Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab, filius Zare de Boæra.* Hæc totidem verbis repetuntur I Paralip., v. 43, 44. « Jam vero communiter persuasum est Jobab ipsissimum esse S. Jobum patientiæ exemplum illustre; » Sic Calmetus in Genes. loc. cit.

Hinc sequens genealogia de Jobo subnecti potest, ut eumdem Moysi coævum ex magis recepta opinione faciamus.



Quoad vero ejus historiam spectat, hæc ex S. textu deprompta nosse satis sit.

Job virtute et religione eximius, pecoribus atque mancipiis ditissimus, maribus septem, feminis vero tribus ex eadem probabiliter uxore susceptis, apud Orientis regiones, et omnes citra et ultra Jordanem populos maximi fuit. Ejus filii per circulum vicissim sese convivio excipiebant; circulo autem peracto, pius pater pro eorum singulis holocaustum Deo immolabat, ut si quid forte deliquissent, ignosceret. Adhæc ab omni non modo operum, sed etiam mentis nequitia adeo procul erat, ut se cum oculis suis convenisse dicat, ne vel virginem intueretur; ac insuper pauperibus, pupillis, viduis, cæcis, claudis omni studio adfuisse idem ipse fateatur.

Inter filios Dei, sive angelos, quadam die Satan quoque coram Domino adstans, ab eoque rogatus an Jobi virtutem animadvertisset, ita Jobum idcirco se gerere dixit, quod eum bonis maximis affecisset; ab justitia sane, si quid ei calamitatis contingeret, recessurum.

Quamobrem, sinente Deo ut de viro caperet experimentum, modo ejus incolumitati non officeret, Satan in ejusdem agros

impulit Sabæos, qui, agricolis cæsis, boves diripuere; ignem e nubibus demisit, qui oves pecuariosque confecit : tres Chaldæorum turmas concitavit, qui camelos abduxerunt; deinde, filiis ac filiabus apud primogenitum fratrem mensæ discumbentibus, adeo furentem ventum excitavit, ut domo concussa atque eversa, omnes ruinis oppressi mortem occubuerint. Quibus nuntiis, alterum altero insequente, auditis, Job scindens vestimenta sua, *tonso capite, corruens in terram, adoravit*, dicens : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.*

Iterum Satan coram Domino constitutus, ab eoque interrogatus, an Jobi tot tantisque calamitatibus affecti patientiam obstupuisset : Omnia, respondit, homo ultro dimittit, modo sua salus integra sit, qua si Job destitueretur, a Domino esset defecturus. Quocirca ille spiritus nequam, Deo permittente, modo vitæ parceret, iis (Jobum) afflixit vulneribus, ut sedens in sterquilinio fluentem toto corpore saniem testa radere cogeretur. Atque quo magis mala hæc ingravescerent, uxorem quoque (diabolico impulsu, ut D. Gregorius M. scribit) ad illum de sua simplicitate redarguendum, atque ad incitandum contra Deum præsto fuit. Cujus stultitiæ Job procul ab adhærendo, eamdem insuper de contemptu in divinam providentiam increpavit : et in his omnibus, ut sacer textus aperte significat, non peccavit Job labiis suis.

Interea audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamithes. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt..... Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem (Job II, 11 et seqq.).

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo. Et locutus est : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras..... Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis..... Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?.... Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem..... (Job III, 1 et seqq.).

Ob hæc, et alia hujusmodi verba, atque concepta, ex Judæis quidam Jobum impietatis arcessunt : blasphemiæ et impatientiæ a recentioribus quibusdam hæreticis accusatur. At Patres et Catholici interpretes jure meritoque illum excusant. Quippe animadvertunt familiarem Orientalium sermonem magis vividum esse, igneum magis quam nostrum; hinc phrases apud ipsos haberi, quæ multo infra significationis suæ vim explicandæ ac intelligendæ sunt ad justum sensum assequendum.

Ortum suum eisdem fere ac Job verbis exprimit Jeremias cap. XX, ℣. 14, 15, hoc

Digitized by Google

pacto. *Maledicta dies in qua natus sum : dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta : maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens : natus est tibi puer masculus : qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum.* Paria ferme in Abacuco cap. I, ℣. 2, et seq. leguntur. Phrasibus ita vividis, ut modum superare videantur, frequentissime utuntur Psalmi. Verborum igitur Jobi vis ex ejusmodi Orientalium primævorumque idiomatum stylo mitiganda est.

Deinde si Jobus in impatientiæ et blasphemiæ crimen revera lapsus dicatur, Satanas ipsum tentando superavisset : adeoque S. Scriptura merito, patientiæ et virtuti Jobi favens, vel mendax esset, vel suspecta, quod impium est cogitare. Verba igitur loquentis ita accipienda sunt, ut omni blasphemiæ et impatientiæ suspicione, quam primo intuitu ingerunt in audientes, penitus liberentur.

« Non ita tamen Jobum excusamus, ut illius verba laude digna judicemus. Neque enim omnes Jobi sermones culpa vacasse asserimus. Quædam illi exciderunt quæ vivida nimis esse et modum excedere videantur. Miles est, qui strenue hosti resistens, illum denique superat, sed non sine vulnere. Tentatur Jobus spiritu blasphemiæ : doloris acerbissimi stimulos animo patitur, quorum molestiam diu et forte etiam pluribus mensibus tacens tolerat. Denique illi verba quædam mœroris excidunt, animi sententias coram amicis effundit, idque exprimit quod mente patitur vividis phrasibus et emphaticis; semper tamen intra debitam providentiæ et sapientiæ Numinis observantiam. In his omnibus nihil censura notandum occurrit, nihil quod ab adversariis tanta severitate reprehendatur. Dandum est aliquid æstui doloris, ut datur ægroto quem morbus angit. » Calmet ad cap. III Job, ℣. 1. Videsis sacrum textum cap. XXXIX, ℣. 25, cap. XLII, ℣. 6.

Quoad vero libri argumentum attinet, totum sane in hac maximi momenti quæstione versatur : utrum viros tantum impios in hac vita malis afficiat Deus, inter quos Jobus recenseretur : affirmabant amici. Contra vero Job suæ innocentiæ conscius, gravioribus quam mereretur se pœnis affectum asseruit; et justos, vel tantum ad eorum constantiæ experimentum, vel etiam ad perfectionis incrementum, vel denique ob Dei judicia omnino homini impervia quandoque plecti ostendit. Controversiam Deus ipse definivit, vera Jobum disputasse pronuntians; « quin tamen quædam temere prolata comprobaret, quæ doloris vis et disputationis ardor, veluti per vim ab eo eduxerant. » Calmet, Dict. Bibl., verbo Job.

Hanc sacrarum Scripturarum de calamitatum ac malorum distributione in hac vita doctrinam, Augustinus, plus semel in suo aureo libro de Civitate Dei, inculcavit. « Placuit divinæ providentiæ, sic ille, præparare in posterum bona justis quibus non fruentur impii, et mala impiis quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia : ut nec bona cupidius appetantur quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur quibus et boni plerumque afficiuntur. » De Civit. Dei, lib. I, cap. 8.

Et cap. 9 eod. hæc addit : « Deinde habent aliam causam boni, quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Job; ut sibi ipse humanus animus sit probatus, et cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat. »

Amplius cap. 2, lib. XX eod., se ignorare dixit « quo judicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives : iste gaudeat quem pro suis perditis moribus cruciari debuisse mœroribus arbitramur; contristetur ille quem vita laudabilis gaudere debuisse persuadet. . . . Quamvis enim haud sciamus quo judicio Deus ita, vel faciat, vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, et summa sapientia, summaque justitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas, salubriter tamen discimus non magni pendere, seu bona, seu mala, quæ videmus esse bonis malisque communia. »

Quis sit auctor libri Job incertum est : quippe variæ sunt ac multiplices auctorum ecclesiasticorum sententiæ, « nullis tamen, ut Natalis Alexander scribit (Hist. Eccles. Vet. Test., diss. 13, propos. 4), firmis argumentis, sed levioribus conjecturis fultæ. » Quidam ab eodem ipso primum Syrorum seu Arabum idiomate exaratum, postea vero a Moyse vel ab Israelitarum aliquo hebraice versum autumant; quidam vero vel Salomoni, vel Isaiæ, vel denique recentiori alicui attribuunt : nonnullis a Moyse conscriptum esse visum est. In hac opinionum varietate, consultius cum S. Gregorio Magno in præfat. in Job. cap. 1, dicimus.

« Quis hæc scripserit, valde supervacue creditur : cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit qui hæc scribenda dictavit. Ipse scripsit qui et illius operis inspirator extitit. »

Liber hicce, non soluta oratione, sed carminibus instructus est, nequaquam sono, aut numero addictis. In phrasium vero ac conceptuum sublimitate, in descriptionum proprietate, dictionumque varietate, ita eminet, ut nihil supra. « Sane poesi hac uberiorem, et elegantiis, varietatibus atque ornamentis magis refertam apud veteres invenire non erit. » Calmet, Dict. Bibl., verbo *Job*. Ab utraque Latinorum et Græcorum Ecclesia, ut et a Trident. sess. 4, liber iste canonicus et fide credendus habetur, sicut et antea tenuit Synagoga quæ eumdem inter hagiographos venerata est.

Jobum aliquando inter homines vitam egisse, nec scenicam esse personam, et revera ipsi contigisse quæ in libro ejus nomine inscripto narrantur, luculentissimis S. Scripturarum testimoniis evincitur, quæ Jobi pietatem ac patientiam commendantes, fidelibus in exemplum proponunt. Sic apud Ezechiel. cap. XIV, ℣ 14 et seqq. : *Et si fuerint tres viri in medio ejus* (Noe, Daniel et

Digitized by Google

Job), *ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum . . . . Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine....* et Noe, et Daniel, et Job *fuerint in medio ejus...* — Item Tobiæ, c. II, ℣. 12 et 15 : *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi* (Tobiæ), *ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus sicuti et* sancti Job. . . *Nam sicut* B. Jobo *insultabant reges, ita isti cognati ejus irridebant vitam ejus* (Tobiæ), *dicentes : Ubi est spes tua.* — Amplius Jacobi, cap. V, ℣. 11 : *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam* Job *audistis, et finem Domini vidistis.*

Ut proinde eorum insipientia et temeritas omnino notanda sit qui Jobi existentiam impugnare vel de ea dubitare ausi sunt, contra quam S. Scripturarum testimonia apertissime declarant, Ecclesiæque Latinæ ac Græcæ Patres, universa antiquitas, scriptorumque, atque interpretum chorus uno ore testantur. Hinc Ecclesia illum ut sanctum colit, ejusq. festum celebrat VI Idus Maii, in Martyrol. Rom. Sed hæc hactenus.

JUBILÆUM.

SUMMARIUM.

1. Jubilæi etymologia indicatur, et unde sit dictum, ad n. 2. — 3. Annus Jubilæi quid sit, et cur dicatur annus sanctus, ad n. 4. — 5. Jubilæum triplex assignatur, et taliter sumptum quid sit, ad n. 6. — 7. Jubilæum Romanum quando incœperit, a quo primum institutum, intra quod temporis spatium recurrat : vide v. *Annus Sanctus*. — 8. Durante Anno Sancto quales indulgentiæ suspendantur, vel non, ad n. 16. — 17. Anno Sancto quales faculates absolvendi suspendantur, vel non, ad n. 21. — 22. Suspensio indulgentiarum et facultatum in Anno Sancto quando incipiat et desinat. — 23. Ad lucrandum Jubilæum Anni Sancti quid requiratur. — 24. Jubilæum Anni Sancti quoties lucrari possit. — 25. Jubilæum a Papa concedi solitum post expletum Annum Sanctum provinciis extra Italiam, quid contineat, et a quibus lucrari possit, ad n. 27. — 28. Bullæ Jubilæi quomodo interpretandæ. — 29. Affertur tenor notificationis pro Jubilæo Anni Sancti concesso a Clemente X, et pro alio concesso ab Innocentio XII ad n. 30. — 31. Subnectitur bulla suspensiva indulgentiarum tempore Jubilæi Romani edita a Benedicto XIII ad n. 32. — 33. Declaratio ex vivæ vocis oraculo ejusdem Benedicti XIII quoad indulgentias in Anno Sancto suspensas. — 34. Indicantur aliæ gratiæ ad hoc a prælaudato Summo Pontifice concessæ ad n. 37. — 38. Affertur constitutio Benedicti XIV suspensiva indulgentiarum pro Anno Sancto. — 39. Indulgentia plenaria quatenus ipsa significat remissionem totius pœnæ debitæ pro peccatis, obtinetur etiam Anno Sancto a profitentibus in religione ad n. 42. — 43. Quæ iam adnotantur de Suspensione indulgentiarum in Anno Sancto ad n. 45. — 46. Subnectitur bulla Benedicti XIV concessionis indulgentiarum in Anno Sancto pro monialibus, anachoretis, etc. — 47. Affertur notificatio pro animabus in purgatorio. — 48. Indicantur concessiones et privilegia pro Minoribus de Observantia. — 49. Subnectitur alia constitutio Benedicti XIV in materia Jubilæi. — 50. Afferuntur ad hoc resolutiones var. dubiorum ad n. 79. — 80. Adducitur constitutio Clementis XIII indictione Jubilæi anno I sui pontificatus.

ARTICULUS I.

Jubilæum quoad ea quæ concernunt ejus etymologiam, naturam et divisionem.

(1. Hoc nomen *Jubilæum*, *Jubileum*, *Jubilæus*, *Joboleum*, *Jobilæum*, ab aliis atque aliis, teste Gobat in Quinario, cap. 1, de Jubilæi natura, num. 1, sic diversimode scriptum, significabat apud Hebræos annum remissionis quolibet quinquagesimo recurrentem, quo scilicet cuilibet suæ possessiones, domus, agri, vineæ, et alia hujusmodi, quæ per hypothecam, venditionem, etc.; a se alienaverat, item mancipia suæ libertati sine aliquo pretio restituebantur, quo etiam anno terra non colebatur, sed vescebantur Judæi iis quæ partim ex præteritis annis collegerant, et partim illo anno terra ipsa sine ulla cultura sponte producebat, quod totum clare patet Levitici XXV, ubi inter alia, sub num. 10 et 11, impositum fuit Hebræis hoc speciale præceptum : *Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ, ipse est enim Jubilæus ; revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque redibit ad familiam pristinam, quia Jubilæus est, et quinquagesimus annus.* (2. Hoc nomen putant Liranus et Turrecremata apud Navarrum, to. III, Comment. de Jubilæo et Indulgentiis, notabil. 1, num. 2, derivari a voce Hebræa *Jobel*, quæ buccinam sonat : buccinæ enim sonitu Jubilæus indicabatur. Alii tamen dicunt quod *Jobel* significat *quinquagesimum.* Unde potius dici deberet *Jobolæus* quam *Jubilæus.* Alii vero cum Bellarmino de Indulgent., lib. I, cap. 1 ; Sanctarello tract. de Jubilæo, cap. 1, dub. 1, dicunt derivari a verbo Hebræo *Jubal*, quod significat producere seu germinare, quia illo anno quinquagesimo, ut dictum est, terra sine cultura de se fructus producebat.

(3. Hinc ex quo Dominus Noster Jesus Christus non venit solvere legem, sed spiritualiter adimplere, ad similitudinem antiqui ritus, ut pote futurorum præfigurativi, in Ecclesia catholica altiori quadam ratione institutus fuit *Annus Jubilæus, seu Jubilæi*, communiter appellatus *Annus Sanctus*, eo quod ipso anno plenissima peccatorum remissio seu indulgentia sit concessa, et ad eam lucrandam sanctissima pietatis opera a fidelibus certatim edantur, ut notat Gobat loc. cit., num. 2 ; Sanctarell. loc. cit., dub. 2, et alii passim. (4. Unde annus Jubilæi solet a theologis sic describi : « Annus quo visitantibus certas ecclesias et certa pia opera facientibus indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa absolutionem a peccatis et censuris reservatis, et circa commutationem votorum. » Et circa hunc annum Jubilæi, quamvis aliqui, ut notat Viva de Jubilæo quæst. 1, art. 1, num. 8, dixerint quod Annus Sanctus vocari debeat *Jubilæus*, remissio vero et indulgentia *Jubilæum*. Sanchez tamen docet indifferenter utrumque vocari, et *Jubilæus* et *Jubilæum*.

Digitized by Google

(5. Jubilæum est triplex: scilicet *Romanum*, quod Romæ Anno Sancto celebratur. *Compostellanum*, quod ex concessione Alexandri III, ut refert Gobat l. c. n. 2, habetur Compostellæ toto illo anno, quo S. Jacobi apostoli festum incidit in diem Dominicum, et *Extraordinarium*, quod extra Annum Sanctum ob gravem aliquam causam indici solet. (6. Et Jubilæum, ut sic hæc tria jubilæa complectens recte describitur dicendo quod sit indultum Pontificis indulgentiam plenariam et magna privilegia tribuens, certa opera in brevi præscripta præstantibus. Est in re communis.

(7. Jubilæum Romanum, seu Jubilæum Anni Sancti quando incœperit; a quo primo institutum; intra quod temporis recurrat; quibus ritibus indicetur, inchoetur et terminetur; qua die et hora incipiat et desinat; quæ basilicæ, et quoties visitandæ pro ipso Jubilæo lucrando? Vide verb. *Annus Sanctus*, per tot.

(8. Durante Anno Sancto suspenduntur omnes indulgentiæ plenariæ concessæ pro vivis. *Communis*, et hoc clare constat ex fine suspensionis, qui est ne usu indulgentiarum impediatur accessus ad Urbem, ut exprimitur in Extravagant. *Quemadmodum*, de Pœnit. et remiss. (9. Non suspenduntur tamen indulgentiæ altarium privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ indulgentiæ plenariæ concessæ pro mortuis et pro moribundis, seu constitutis in articulo mortis. Sic tenent Gavantus, Peyrinus, Lezana, La Croix lib. VI, p. II, n. 1401; Reiffenstuel Theol. Moral., tract. 12, dist. 3, num. 99 et 100; Felix Potestas tom. I, nu. 3835; Viva de Jubilæo, quæst. 4, art. 4, et alii passim, referentes sic declarasse Urbanum VIII, Innocent. X, et Clement X, qui ultimus cum in sua notificatione infra sub num. 28, adducenda dicat *Declaramus*, valet hoc etiam pro futuro tempore, ut recte notat La Croix loc. cit. (10. Neque suspenduntur indulgentiæ concessæ domui augustissimæ Lauretanæ, ut declaravit Gregor. XIII, teste Benzonio, l. IV, cap. 7, et Viva loc. cit., quæst. 4, art. 1, num. 3. (11. Nec suspenduntur indulgentiæ Compostellanæ, ex declaratione Sixti V, ut refert, et tenet Viva *loc. cit. num.* 3. Castropal. *tractat.* 24, *punct.* 12, *num.* 8. La Croix loc. cit., num. 1401, et alii. (12. Nec suspenditur indulgentia Portiunculæ Assisii, ut declararunt varii Summi Pontifices, et signanter Innocent X, 5 jul. 1650; Clemens X, 12 novembr. 1664, et Innocent XII, 21 Augusti 1699, in suo brevi per extensum adducto sub verb. *Indulgentia*, art. 5, num. 55. In aliis vero ecclesiis Franciscani ordinis suspenditur talis indulgentia Anno Sancto pro vivis, minime pro defunctis. Felix Potestas, tom. I, part. IV, num. 3796, et alii. Cum enim talis indulgentia sit extensa ad omnes ecclesias ordinis ubique existentes a Gregorio XV, constitut. incip. *Splendor paternæ* ad litteram adducta sub verb. *Indulgentia*, art. 5, num. 51, et posse applicari etiam pro defunctis fuerit concessum ab Innocent. XI, constitut. incip. *Alias*, per extensum adducta sub dict. verb. *Indulgentia*, art. 5, num. 52, et supra sub num. 9 fuerit ostensum non suspendi Anno Sancto indulgentias concessas pro defunctis, stat clarum dictam indulgentiam suspendi tali anno in aliis ecclesiis ordinis solum pro vivis, et minime pro defunctis.

(13. Anno Sancto non suspenduntur probabiliter indulgentiæ bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contractus. Ita Salas, Bonacina, Henriquez, Sanchez, La Croix loc. cit., num. 1401; Viva loc. cit., art. 3, nu. 1, ubi ex Rodriquez apud Dianam part. I, tract. 3, resol. 97, refert sic declarasse Clementem VIII. (14. Nec suspenduntur probabilius Indulgentiæ non plenariæ concessæ a Summis Pontificibus. Ita Filliuccius, Gobat, Lezana, Castropalaus, Dicastill., Quintanadvenas, Paustus, Peyrinus, Benzonius, cum La Croix loc. cit., num. 1401; Viva loc. cit., quæst. 4, art. 1, n. 2, et alii plures. Et ratio est quia plurimi Pontifices in suis bullis Jubilæi Anni Sancti, ut Clemens VI, Julius III, Gregorius XIII, et alii, et præsertim Sixtus IV, in Extravagant. *Quemadmodum*, de Pœnitent. et Remiss., solum suspenderunt indulgentias plenarias. Unde si voluissent suspendere etiam non plenarias, eas expressissent, argum. cap. *Inter temporalia*, de Translat. Episcop. Nec obstat quod posteriores Pontifices non exprimant *plenarias*, sed exprimant *omnes et singulas indulgentias*, quia quidquid in posteriori lege non fuerit expressum, id veterum legum constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est, l. *Præcipimus*, cod. de Appel. Tum quia, quando quid aliud non exprimitur, suspensio ista accipi debet juxta jus commune. De jure autem communi solum plenariæ suspenduntur, ut constat ex citat. Extravag. *Quemadmodum*, quæ tanquam inserta in corpore juris facit jus commune, adeoque, etc. (106).

(15. Certum autem est quod Anno Sancto non suspenduntur indulgentiæ non plenariæ concessæ ab aliis quam a Summis Pontificibus, quia alii etiam durante Anno Sancto concedere possunt indulgentias partiales suæ facultati competentes, et Pontifices in suis bullis suspendunt solum indulgentias quæ sunt concessæ a Romanis Pontificibus, et id expresse declaravit Innocentius XII, in notificatione infra referenda sub num. 29, et tenent Bellegambe in Enchir. de Jubilæo, part. I, sect. 4, quæst. 2; Viva loc. cit., art. 1; La Croix loc. cit., num. 1401; Reiffenstuel loc. cit., num. 103, et alii passim. (16. Nec suspenduntur indulgentiæ stationum, et aliæ indulgentiæ concessæ basilicis et ecclesiis Romanis. Filliuccius, Lezana, Gobat cum Viva l. c. art. 1, n. 2, et patet ex notificatione Clementis X, infra adducenda sub num. 28.

(17. Anno Sancto non suspenduntur facultates absolvendi a reservatis Papæ concessæ

(106) Haud scio an hæc opinio ab aliquo cordato viro possit sustineri, nisi ab eo qui religione ad ostendendas ingenii sui vires abuti velit.

Digitized by Google

ad alium finem quam lucrandi indulgentias, ut declararunt Clemens et Urbanus VIII, ut refert Viva loc. cit., qu. 4, art. ultimo, num. 1, et tradunt doctores cum ipso Viva, et Bellegambe loc., cit. quæst. 4. (18. Hinc non suspenduntur anno Jubilæi privilegia regularium in ordine ad absolvendum pœnitentes a reservatis Sedi Apostolicæ et commutandi vota. *Sic communis doctorum*, cum Bossio, Leandro, Henriquez, Fausto, Filliuccio, La Croix, Viva loc. cit., art. ultimo, num. 2, et sic declarasse Urbanum VIII, anno 1625, refert ex multis Busemb., § 2, de Indulgentiis. Et ratio est quia, ut mox fuit dictum, Anno Sancto suspenduntur solum facultates concessæ intuitu indulgentiarum; facultates autem et privilegia regularium non sunt concessa intuitu et occasione indulgentiarum, adeoque, etc. (19. Nec suspenditur facultas quam habent episcopi et alii prælati eligendi sibi confessarium a quo absolvantur : talis enim facultas non est concessa intuitu indulgentiarum. La Croix loc. cit., num. 1403; Viva loc. cit., art. ultimo, num. 3, et alii passim. (20. Nec etiam suspenditur facultas quam habent episcopi ex concilio Tridentino sess. 24, c. 6, absolvendi ab occultis Papæ reservatis, et dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus et non deductis ad forum contentiosum, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, aut absolvendi impeditos adire Sedem Apostolicam: talis enim facultas competit episcopis ratione proprii officii, et de jure communi, adeoque non suspenditur tali anno. (21. Sicuti neque suspenditur facultas quam habent prælati regulares ratione proprii officii in ordine ad absolvendos suos subditos; talis enim facultas non est eis concessa intuitu indulgentiarum, La Croix loc. cit., num. 1403. Viva loc. cit., art. ultimo, num. 4; Busembaus loc. cit.; Zerola verb. *Annus Sanctus*, § 4, et alii passim.

(22. Suspensio indulgentiarum et facultatum in Anno Sancto incipit a primis vesperis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et desinit cum fine Vesperarum ejusdem vigiliæ anni sequentis, tuncque reviviscunt absque nova concessione. Castropalaus tract. 24, punct. 12, S. 1; La Croix loc. cit., num. 1405, et alii passim: (23. Ad Jubilæum Anni Sancti requiri solet confessio : an autem exigatur etiam communio dubitant doctores, quia bulla non exprimit. Unde La Croix loc. cit., n. 1400, dicit non requiri, sicuti et dicunt plures alii; Filliuc. vero, n. 251, et alii putant eam præsupponi. (24. Requiritur tamen per omnes visitatio certarum ecclesiarum in bulla expressarum, et quidem ab incolis Romanis per triginta dies continuos vel dispensativos, et a peregrinis seu exteris per quindecim. Putatque Bellegambe loc. c., sect. 3, q. 3, toties obtineri posse hoc Jubilæum quoties repetuntur opera præscripta, et id declarasse Urbanum VIII, tenet et refert Bonac. disp. 6, q. 1, punct. 5, n. 32, apud Busemb. loc. cit.

(25. Post absolutum Romæ Annum Sanctum solet Papa concedere Jubilæum etiam pro aliis provinciis extra Italiam, si nunti apostolici vel episcopi requirant, ut notat Gobat in Quinario tract. 3, de Jubilæo, num. 409 et 412, ubi dat exemplaria. (26. Et tale Jubilæum possunt in partibus iterum lucrari qui Romæ lucrati sunt. Bellegambe loc. c., q. 7; La Croix loc. c., num. 1405, et alii. (27. Jubilæum extraordinarium, quod per duas hebdomadas post Jubilæum Anni Sancti concedi solet, necnon post coronationem Pontificis, ac sæpe aliis gravibus causis, continet non solum indulgentiam plenariam instar Anni Sancti, sed etiam confert facultatem eligendi confessarium ab ordinario approbatum, qui a reservatis etiam in bulla *Cœnæ* contentis absolvat, et vota commutet, et præscribere seu exigere solet septem opera, scilicet processionem, visitationem ecclesiarum, orationem in illis, confessionem, communionem, jejunium et eleemosynam.

(28. Bullæ Jubilæi quoad ea quæ favores continent sunt latissime interpretandæ, quantum patitur proprietas verborum, nisi in particulari casu vel materia, communis praxis, vel stylus curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat. Quoad ea autem quæ gravamen seu odium continent, sunt stricte interpretandæ quantum patitur verborum proprietas, nisi in particulari casu stylus et praxis curiæ Romanæ, seu aliqua peculiaris ratio laxiorem interpretationem persuadeat; arg. cap. *Odia* 15, de Regulis Juris in 6, ibi : *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Sic Suarez, Henriquez, Sanctarell. cum Gobat loc. c., cap. 5, num. 24 et sequent.; Viva de Jubilæo, quæst. 2; La Croix loc. cit., num. 1395, et alii passim. Hinc latissime sunt interpretandæ, quoad concessionem indulgentiæ, electionem confessarii, absolutionem, commutationem operum, vel votorum, etc., quia sunt favores, Stricte autem sunt interpretandæ quoad obligationem ad certa opera, suspensionem indulgentiarum et facultatum, quia sunt gravamina. Bellegambe loc. cit., part. 1, sect. 1, quæst. 6; Viva de Jubilæo, q. 2; La Croix loc. cit., num. 1395, et alii plures.

(29. Affertur tenor Notificationis pro Jubilæo Anni Sancti 1675, concesso a Clemente X.

I. Conceditur pœnitentiariis et parochis Romanis facultas absolvendi a reservatis et commutandi vota.

II. Nec non confessariis religiosis a vicesgerente approbatis.

III. Facilitatur religiosis consecutio Anni Sancti.

IV. Alumnis etiam et convictoribus Seminariorum.

V. Pauperibus et ægrotis.

VI. Declaratur bulla indulgentiarum suspensiva.

VII. Indulgentiæ concessæ visitantibus septem ecclesias Romanas et Scalam Sanctam non suspenduntur. Conceduntur item indulgentiæ septem annorum et totidem quadragenarum visitantibus Romana templa

Digitized by Google

ubi habetur comprecatio quadraginta horarum circularium.

NOTIFICATIO.

Gasper tituli S. Silvestri in capite S. R. E. presbyter cardinalis Carpineus SS. D. N. Papæ vicarius generalis.

« I. Cum sanctitas Domini nostri, prout nobis vivæ vocis oraculo mandavit, cupiat magis dilatari gratias concessas omnibus illis qui convenerunt veniuntque Romam, consecuturi plenissimum Jubilæum hujus Anni Sancti, mandavit nobis exponere infrascriptas concessiones, declarando etiam illa quæ in dubio erant aut vocabantur, non sine fidelium turbatione et scrupulis conscientiarum; quarum paci et quieti consulturus Summus Pontifex hæc statuit. Ut itaque confessarii et operarii multiplicentur ad majorem commoditatem et consolationem fidelium utriusque sexus, in omni plenitudine paternæ charitatis concedit amplam facultatem pœnitentiariis basilicarum S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, et Sanctæ Mariæ Majoris, sive illi sint ex numero antehac esse solito, sive ex jam aucto, et deinceps augendo. Ad hæc eadem facultas datur parochis tam sæcularibus quam regularibus omnium parochiarum Romæ (durante tamen Jubilæo Anni Sancti) absolvendi, videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum, fideles ab omnibus sententiis et censuris ecclesiasticis contra illos pronuntiatis et fulminatis a sacris canonibus, aut judicibus quacunque de causa, et ab omnibus peccatis, et excessibus, et delictis quantumcunque gravibus, et enormibus, etiam a casibus reservatis, non solum ab episcopis aut alias a prælatis inferioribus, verum etiam a pontifice ipso et a Sede Apostolica, etiam in bulla *Cœnæ Domini*, et in aliis quibuscunque constitutionibus Summorum Pontificum in foro conscientiæ tantum. Ubi tamen sua Sanctitas declarat se non intelligere, aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi aut habilitandi, et in pristinum statum restituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem, et inhabilitatem quomodocunque contractam spectant, nequidem in foro conscientiæ. Neque vult Sua Sanctitas ut præsens facultas illi suffragetur qui a Summo Pontifice, aut judicibus apostolicis, vel aliis ecclesiasticis excommunicati, suspensi, vel interdicti sunt declarati, vel publice denuntiati ob sententias et censuras ecclesiasticas, quas incurrerunt, adeo ut isti omnes absolvi non possint nisi prius satisfecerint, aut obediverint, et partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint: Ita ut iidem pœnitentiarii et parochi, durante hoc Anno Jubilæi Sancto, commutare possint omnia vota (exceptis castitatis et religionis) in alia opera pia, imponendo nihilominus hisce fidelibus et quibusque aliis pœnitentiam salutarem, et alia opera pia, quæ iidem confessarii præscribent.

« II. Concedit pariter Sua Sanctitas confessariis religiosis cujuscunque ordinis, congregationis, et instituti, qui a nobis, vel a nostro vicesgerente sunt approbati aut deinceps approbabuntur, eamdem facultatem paulo ante explicatam absolvendi a censuris et casibus reservatis, commutandi vota, modo ea non sint substantialia religionum, ordinum, institutorum: imo et religiosis confessariis eadem datur facultas respectu sui ordinis, et illis æque qui modo Romæ versantur quam illis qui huc sunt venturi hoc Anno Sancto, ad quem se extendit tantum hæc facultas.

« III. Ut etiam facilitetur iisdem religiosis consecutio Anni Sancti et Jubilæi, tantique thesauri spiritualium gratiarum, et ut illi suo exemplo populum ædificent, compareantque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas, significatur eisdem Suam Sanctitatem contentam esse ut illi visitent quatuor assignatas ecclesias ter tribus diebus continuis, aut interpolatis, una simul, aut quo ad majorem partem euntes, et incedentes respectu eorum qui in eodem conventu aut domicilio versentur, et sic consequantur sanctissimum Jubilæum ac si visitassent easdem ecclesias triginta vicibus aut diebus. Ut tamen observentur cætera quæ in bulla Jubilæi continentur, hortamur et nos eosdem religiosos in Domino ut incedant servato ordine quam modestissime, recitantes psalmos, vel alias preces, et laudes divinas decantantes.

« IV. Idem indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis aut interpolatis eædem ecclesiæ, concedit Summus Pontifex etiam alumnis et convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis et liberalibus artibus, et vivunt in eodem convictu, modo et illi eant saltem quoad mediam partem, quos comitabitur præfectus, aut rector, vel alii qui eisdem præsunt, ut eadem gratia fiat iisdem præfectis magistris, et famulis; monentur tamen hi omnes ut servent modestiam et ordinem inter eundum, orantes, vel pium quid tractantes. Regulares vero aliunde huc profecti ad lucrandum Jubilæum sanctum, si voluerint se conjungere aliis suæ religionis, habebunt eamdem facultatem, et lucrabuntur indulgentias, si eodem modo ter visitaverint ecclesias supradicto modo. Si vero non possent exspectare aliorum commoditatem, aut advenirent cum alii lucrati sunt indulgentias, concedit Sua Sanctitas ut illi quinquies visitando ecclesias per quinque continuos aut interpolatos dies lucrentur easdem indulgentias quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies easdem ecclesias prout bulla præscribit. Conceditur etiam congregationibus, Confraternitatibus, quæ aliunde huc venerunt, ut simul semel visitando ecclesias, et his separatim fratres aut sorores satisfaciant visitationibus præscriptis in bulla, ac si quindecies visitassent.

« V. Et cum maxime Sua Sanctitas secundum viscera paterna compatiatur paupertati ac multiplicibus miseriis advenarum, eorumque plurimorum, qui non habent unde se tandiu alant, vel neque sufferre possunt mo-

Digitized by Google

lestias tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen et prudenti dictorum pœnitentiariorum et Parochorum, ut quivis dispenset juxta cujusvis pœnitentis indigentiam, et possibilitatem in assignando numero visitandarum ecclesiarum, dando eisdem omnem facultatem circa id necessariam et opportunam. Eodem modo quia cives et incolæ Romani, qui incœperunt visitare ecclesias, sed morbo impediuntur prosequi secundum opus, ne priventur fructu laborum inchoatorum et piæ intentionis qua aggressi sunt opus, ne affligantur corpore et animo, concedit eisdem pœnitentiariis et parochis facultatem commutandi opera injuncta visitandarum ecclesiarum per triginta dies in alia quæ viderint esse proportionata possibilitati dictorum civium et incolarum infirmorum. Quod si repente mors immineat antequam obtineat hanc immutationem, concedit illis Sua Sanctitas Jubilæum ac si omnia opera necessaria explevissent.

« VI. Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas et ut fideles sint certi de indulgentiis quas possunt lucrari, declaramus una cum oraculo Suæ Sanctitatis, ut supra insinuato, quod in suspensione generali indulgentiarum quæ continetur in bulla data 5 maii 1674, publicato vero 17 septembris ejusdem anni, non intelligantur suspensæ indulgentiæ altarium privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro defunctis; verum illæ suspensæ habeantur quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere animabus purgatorii per modum suffragii, et nec minus indulgentiæ concessæ in articulo mortis, et facultates communicandi eas aliis. Sicut nec cessant modo facultates sanctæ Inquisitionis et officialium ejusdem, aut missionariorum, et ministrorum, qui ab eodem tribunali, vel a congregatione Propagandæ Fidei, vel cum auctoritate apostolica ad id sunt deputati, et specialiter facultates absolvendi ab hæresi illos qui, abjurato errore, redduntur capaces earum gratiarum.

« VII. Ut autem conservetur pium institutum et consuetudo visitandi templa in quibus celebratur comprecatio Quadraginta Horarum, et præcipua sanctuaria colendi hac in Urbe, concedit Sua Sanctitas, non obstante ea generali indulgentiarum suspensione, ut indulgentias solitas consequi possint fideles utriusque sexus quas alias consequebantur, si visitent septem ecclesias et Scalam Sanctam diebus determinatis, eo modo et his cum conditionibus quibus illæ fuerunt concessæ, easdem lucrantur indulgentias. Quivis insuper qui visitat templa ubi habetur expositum Venerabile, et est comprecatio Quadraginta Horarum circularium, et ordinariarum, quæ sunt in publico folio a nobis exponendo et publicando hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, confessione prius, et sacra communione peractis, aut saltem concepto firmo proposito confitendi, lucrabitur is septem annorum indulgentias et totidem quarantenas toties quoties id præstiterit.

« Datum Romæ ex ædibus nostris, die 1 februarii 1675 Jubilæi.

« G., CARDINALIS VICARIUS. »

(30. Affertur tenor alterius notificationis jussu Innocentii XII, editæ 6 martii 1700, occasione Anni Sancti tunc tempore decurrentis.

NOTIFICATIO.

Gaspar miseratione divina episcopus Sabinensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis de Carpineo, S. D. N. Papæ vicarius generalis, Romanæque Curiæ, ejusque districtus judex ordinarius, etc.

« Essendosi nella sacra congregazione deputata da N. S. sopra la celebrazione del presente Anno Santo, tenutasi li 26 febbraio prossimo passato, portate diverse istanze per la dichiarazione di alcuni dubbi insorti sopra l'intelligenza della bolla; e riferitosi da noi il sentimento della medesima congregazione alla Santità di N. S. nell' udienza delli 4 corrente, alla Santità Sua è piaciuto fare le seguenti dichiarazioni.

« Che l' intera visita delle quattro basiliche debba farsi in un giorno contenuto nello spazio di 24 ore, e che il giorno debba intendersi, ed incominciare, e finire da una mezza notte all' altra.

« Che la facoltà concessa sotto li 24 gennaio del presente anno alli RR. parochi, penitenzieri, e confessori destinati di commutare in altre opere pie, ed abbreviare le visite delle chiese agli invalidi ed impotenti cittadini ed abitandi di Roma, che avessero incominciato le medesime visite, e per sopravenienza d'impedimenti non le potessero terminare, la Santità Sua estende a beneficio ancora di quelli, che per la causa stessa non le avessero potute incominciare. Avvertendo però i suddetti confessori, come sopra, di servirsi con prudenza, e moderazione di questa facoltà. Rimanendo nel resto preservato l'Indulto conceduto à noi, ed a nostro monsignor viceregente di poter delegare qualsivoglia confessore ne' casi particolari con le stesse facoltà.

« Concede parimente la Santità Sua al padre confessore del sacro palazzo apostolico la stessa facoltà de' penitenzieri per la famiglia, che lo serve durante il presente anno.

« Intende ancora, e dichiara, che le indulgenze solite a concedersi da' signori cardinali, legati, nunzi apostolici, e Vescovi; o nell' uso de pontificali, o nel darsi le benedizioni, o in altra forma solita, rimangano nel loro vigore, non ostante la generale sospensione dell' Indulgenze sotto li 4 Giugno 1699.

« Data dal nostro palazzo, questo di 6 marzo 1700.

« G., CARDINALIS VICARIUS. »

(31. Subnectitur hic bulla suspensiva indulgentiarum tempore Jubilæi Romani, seu Anni Sancti, et est ut sequitur eadem ad litteram edita a Clemente X, pro Anno Sancto

Digitized by Google

1675, ab Innocentio XII, pro Anno Sancto 1700, et a Benedicto XIII, pro Anno Sancto 1725.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum nos super sancti Jubilæi celebrationem a vigilia nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, et usque ad finem sequentis anni duraturam, universo populo Christiano, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum, nec non sancti Joannis Lateranensis et Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe basilicas visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur; cupientes ut Christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in alma Urbe nostra in fidei ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo visitent, et frequentent, multorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibus ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus, etiam mendicantibus, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus, et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam sæcularibus quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, numismatibus ex metallo, seu quacunque alia materia confectis tam singulariter, quam universaliter per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum, aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus, et principibus, vel aliis quacunque alia mundana vel ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocunque, et ex quibusvis causis, et occasionibus sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, et decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, apostolica auctoritate de eorumdem fratrum consilio, et assensu, ac potestatis plenitudine, suspendimus, et suspensas ac suspensa esse declaramus, easque, et ea eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca per præsentes auctoritate apostolica præcipimus et mandamus ne interim aliæ quam indicti a nobis prædicti Jubilæi indulgentiæ sive publice, sive privatim, quovis prætextu ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio ordinariorum infligendis pœnis publicentur, vel nuntientur, aut in usum demandentur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum, et locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque exemptionibus, et indultis apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis, ac aliis quibuscunque per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem, ejusque legatos sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, et ex quibusvis causis, concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissum, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile nimis esset præsentes quocunque ubi illis opus fuerit perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, notarii publici manu et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, et extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimoquarto, pridie nonas julii, pontificatus nostri anno primo.

P. M., card. prodatarius.

F. CARD. OLIVERIUS.

(32. Dictæ constitutioni addi mandarunt speciales notificationes seu declarationes Clemens X et respective Innocentius XII, uti supra videri possunt n. 29 et 30, ubi afferuntur per extensum; et suam etiam adhuc liberaliorem notificationem, seu declarationem addi mandavit Benedictus XIII, ut sequitur.

(33. DECLARATIO *ex vivæ vocis oraculo sanctissimi domini Benedicti XIII, quoad in-*

Digitized by Google

dulgentias in Anno sancto suspensas, facta per Fabricium Paulucci sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, et Sanctitatis Suæ vicarium generalem.

I. Ad tollendam omnem ambiguitatem, et ut fideles sint certi quoad obtinendas in Anno Sancto indulgentias, declaramus quod sub suspensione indulgentiarum in Anno Sancto non contineantur indulgentiæ concessæ altaribus privilegiatis, vel alias immediate pro defunctis. Intelliguntur autem suspensæ illæ indulgentiæ quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii.

II. Item in Anno Sancto non sunt suspensæ indulgentiæ concessæ in articulo mortis, uti nec facultas hasce aliis communicandi.

III. Præterea non sunt suspensæ indulgentiæ quæ concedi solent a cardinalibus, legatis, nuntiis apostolicis, et episcopis, sive in usu pontificalium, sive in danda benedictione, vel in alia solita forma.

IV. Nec cessant ullo modo facultates tribunalis S. Inquisitionis atque officialium ejusdem, sive ministrorum ac missionariorum ab hoc sacro tribunali, aut a sacra congregatione de Propaganda Fide, vel alias auctoritate Apostolica deputatorum. Specialiter apud mentionatos non cessant facultates absolvendi ab hæresi illos qui pœnitentes eamdem abjurant, seque dictæ absolutionis capaces reddunt.

V. Ut etiam conservetur devota consuetudo visitandi principalia sanctuaria hujus Urbis, ac SS. Sacramentum sub comprecatione 40 horarum expositum; pariter ut stabiliatur pius usus genuflexionis ad pulsum salutationis angelicæ, Sua Sanctitas concedit sequentes indulgentias.

Illi qui devote visitant septem ecclesias, aut Scalam Sanctam, vel templa ubi sunt stationes, diebus qui alias specificantur, solitas lucrantur indulgentias absque ulla diminutione.

Item, qui comitantur sanctissimum Viaticum deportatum ad infirmos, vel si fuerint impediti, saltem mittentes illuc quodpiam lumen, obtinent eas indulgentias quæ alias propterea a Summis Pontificibus concessæ fuerunt.

Insuper manent adhuc in suo vigore indulgentiæ a Sua Sanctitate concessæ fidelibus qui ad sonitum campanæ mane, aut meridie, seu vespere, flexis genibus devote recitaverint *Angelus Domini*.

Finaliter illi qui visitant templa ubi habetur expositum Venerabile, et est comprecatio 40 horarum circularium, ac ordinariarum (quæ horæ indicantur in publico folio a nobis exposito, et adhuc per decursum hujus Anni Sancti exponendo,) lucrantur indulgentias 7 annorum et totidem quadragenarum toties quoties id præstiterint, si tamen aliquo tempore, prout ipsis in Domino videbitur, inter preces ibidem detineantur, et confessionem ac SS. communionem præmittant, vel saltem firmum propositum confitendi concipiant.

Datum Romæ, 10 jan. 1725.

F., CARDINALIS VICARIUS.
Nicolaus Antonius Canon. Cuggio, secr.

(34. Deinde ipse Bened. XIII, *in bonum defunctorum* post præcedentem notificationem seu declarationem concessit aliam specialissimam gratiam, quæ non legitur concessa ab antecessoribus Pontificibus; ipsi enim tempore Jubilæi Anni Sancti extra Romam suspenderunt etiam pro defunctis illas indulgentias quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii. Quos equidem suos antecessores etiam ad initium secutus est Bened. XIII, in notificatione 10 januar. 1725, etc.

(35. Manente in suo vigore suspensione omnium indulgentiarum pro vivis, uti in bulla præmemorata continetur, Sua Sanctitas dat facultatem, pro hoc anno solum, omnibus fidelibus lucrandi omnes illas indulgentias suspensas pro vivis ad effectum duntaxat eas directe et immediate applicandi per modum suffragii animabus defunctorum, et non aliter. Dico omnes, id est indulgentias tam temporales quam perpetuas, tam plenarias, partiales, locales, vel personales, concessas quocunque modo per Summos Pontifices, vel per legatos apostolicos; et non solum illas quæ datæ sunt cum facultate eas applicandi pro defunctis, sed etiam omnes alias in quibus talis facultas non est apposita, ita tamen ut fiant omnia opera in earum concessione præscripta. Et hæc omnia, ut per merita Jesu Christi Redemptoris nostri ejusque sanctissimæ Matris, et omnium sanctorum, de quibus thesaurus indulgentiarum cumulatur, illæ animæ quantocius possint transire a flamma castigante (ut ait S. Augustinus) in flammam beatificantem, et cœlestem Jerusalem per suas sanctas portas intrare: ita ut præsens annus etiam pro animabus Purgatorii dici possit Annus Sanctus, et annus jucundus sanctissimi Jubilæi.

Datum 9 februar. 1725.

(36. Insuper idem Bened. XIII intra Annum Sanctum 1725 concessit quasdam extraordinarias gratias pro vivis. Ad humillimas enim preces ex specialissima gratia indulsit toti nationi Germano-Belgicæ nostri seraphici ordinis, ut in singulis ejusdem ecclesiis ab omnibus fidelibus utriusque sexus pro vivis obtineri valeant indulgentiæ plenariæ in festis S. Antonii Paduani, etc., sicut sequitur.

BENEDICTUS XIII.

Supplicationibus P. Joannis Thoni Fratrum Minorum Recollect. nationis Germano-Belgicæ in Romana curia agentis (non obstante communi indulgentiarum suspensione) pro festis sanctorum Antonii, et Franscisci, ac sanctæ Mariæ Angelorum Portiunculæ nuncupatæ, in singulis ecclesiis ordinis et nationis prædictorum, etiamsi monialium, nec non oratoriis missionum prædicti ordinis, omni-

Digitized by Google

bus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex supradictis ecclesiis, seu oratoriis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino consequi posse benigne concessit.

Hac die 4 maii 1725.

Cosmus de Hieronymis, secr.

(37. Advertendum tamen est quod istæ specialissimæ gratiæ, utpote extraordinariæ, non extenduntur ad alios Annos Sanctos, nisi similiter sic subsequentes Summi Pontifices concedant aut declarent, ut recte advertit eruditissimus P. Massæus Kreslinger in addit. ad Theol. Moral. P. Anacleti Reiffenst., tom. II, tract. 12, dist. 3, q. 19, append. 2, impressionis 1745, sub dat. Mutinæ, ubi omnia supra tradita diligenter refert, et erudite exornat.

(38. Novissime in lucem prodiit bulla suspensiva indulgentiarum pro Anno Sancto 1750, edita a Benedicto XIV, quæ, ut ab omnibus pro exacta ejus observantia in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

« Ad futuram rei memoriam.

« Cum nos nuper sancti Jubilæi celebrationem in hac alma Urbe a vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, et usque ad finem sequentis anni duraturam, universo populo Christiano de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. card. assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum, nec non Sancti Joannis Lateranensis, et Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe basilicas certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, et veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur: cupientes ut Christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in hac urbe nostra, in fidei ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas prædictas quo maxime fieri potefit concursu, durante Jubilæo, visitantes et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, indulgentias et facultates ab Apostolicæ Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere; et nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere, tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quædam religionis et pietatis opera in Christianorum animis conservare et fovere; tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogare solita neutiquam imminuere, eorumdem prædecessorum vestigiis insistentes, decrevimus et constituimus.

« Itaque præservatis et firmis remanentibus indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus, seu indultis illas impertiendi, seu communicandi, tam venerabilibus fratribus episcopis ac dilectis filiis prælatis locorum ordinariis, in vim seu ad formam nostrarum litterarum nonis aprilis ann. 1747 editarum, quam aliis quibuscunque communiter aut personaliter, seu pro certo personarum genere, gradu aut numero, concessis, iisque pariter quas felic. record. prædecessor noster Benedictus Papa XIII, cunctis fidelibus salutationem angelicam seu alias preces de tempore mane, aut meridie, seu vespere, ad campanæ pulsum, de genu, vel juxta dierum et temporum rationem, stando recitantibus; item indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quam ipse Benedictus, et novissimo Jubilæi anno durante, omnibus Christifidelibus tam in Urbe quam extra eam ubicunque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti, vel saltem veri contriti, et cum firmo proposito confitendi, ecclesias in quibus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pro oratione Quadraginta Horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique juxta sanctæ matris Ecclesiæ mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit; quamque nos etiam, illius exemplo, pro maxime ineunte Jubilæi anno, et tam pro Urbe quam pro aliis ubique locis præsentium tenore libenter concedimus et elargimur. Atque illis etiam quas similis memoriæ Innoc. XI et Innoc. XII Romani Pontifices prædecessores nostri fidelibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut facem per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt; tum etiam indulgentiis a S. R. E. cardinalibus de latere legatis Apostolicæ Sedis nunciis, ac episcopis in usu seu exercitio Pontificalium, aut impertienda benedictione, aliave forma consueta concedi solitis; item salvis et firmis remanentibus indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; itemque etiam aliis quibuscunque indulgentiis et peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum duntaxat ut Christifideles illas animabus fidelium defunctorum quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes et singulas, licet pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante, generaliter, ut infra suspensas, ad prædictum tamen effectum ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus

Digitized by Google

utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse, concedimus et indulgemus.

« Præservatis etiam, et firmis remanentibus facultatibus tribunalis officii inquisitionis adversus hæreticam pravitatem auctoritate apostolica instituti, ejusque officialium, missionariorum quoque, et ministrorum, qui ab eodem tribunali, seu a congregatione venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita, vel alias a Sede prædicta ad id deputati fuerint; et præsertim facultate absolvendi ab hæresi illos qui, abjuratis eorum erroribus, capaces hujusmodi absolutionis reddunturi; aliisque facultatibus quæ ab officio Pœnitentiariæ nostræ apostolicæ, missionariis, in locis missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendæ, concessæ fuerint, item salvis et illæsis remanentibus facultatibus tam venerabilium Fratrum episcoporum, aliorumque superiorum antistitum, in suis respective diœcesibus, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; prout ipsis a sacra Tridentina synodo, seu alias, etiam in publicis a jure communi ecclesiastico et ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis et casibus indultæ præmissæque dignoscuntur, quam etiam superiorum ordinum regularium, quæcunque ipsis in regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt.

« Cæteras omnes et singulas indulgentias, tam plenarias quam non plenarias, etiam perpetuas et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Joann. Hierosolymit. domibus, militiis, ordinibus, etiam mendicantium, congregationibus, confraternitatibus etiam laicorum, universitatibus, et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam sæcularibus quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, et numismatibus ex metallo, seu quacunque alia materia confectis, tam singulariter quam universaliter per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum, et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus, et principibus, vel aliis quacunque alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocunque, et ex quibusvis causis, et occasionibus, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, et decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica de eorumdem fratrum consilio et assensu, ac potestatis nostræ plenitudine, suspendimus, et suspensas ac suspensa esse declaramus, easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse nec suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari.

« Quocirca per præsentes auctoritate apostolica præcipimus et mandamus ne interim, præter superius expressas, aliæ quam indicti a nobis prædicti Jubilæi indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio ordinariorum infligendis pœnis, publicentur, vel nuntientur, aut in usum demandentur.

« Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum, et locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis, ac aliis quibuscunque per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem ejusque legatos sub quibuscunque tenoribus et forma, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissum, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Et quia difficile nimis esset præsentes, quocunque ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio et extra ubique Locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

« Nulli ergo, etc.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septigentesimo quadragesimo nono, sextodecimo kalendas junii, Pontificatus Nostri anno nono.

« D. CARD. PASSIONEUS. »

(39. Indulgentiam plenariam, quatenus ipsa significat remissionem totius pœnæ debitæ pro peccatis, obtineri etiam Anno Sancto a profitentibus in religione, recte tradit doctissimus P. Viva de Jubilæo, q. 4, art. 5, num. 1, post Sanchez lib. v Summ., cap. 5, ex Navarr. et aliis. Et ratio est quia, ut colligitur ex sanctis Patribus, regularis

Digitized by Google

professio æquivalet baptismo, quatenus virtute maximæ satisfactionis in eo opere contentæ, dum quis sibi ac sæculo moritur, obtinet, ex opere operantis, omnem omnino remissionem, ut docet S. Thomas 2, 2, quæst. 189, art. 3 ad 3. Unde suo modo plenariam indulgentiam assequitur, quamvis non illam quam Pontifex de thesauro Ecclesiæ concedit ad pleniorem securitatem. (40. Quæ doctrina valet utique etiam pro Anno Sancto, ut docet eruditissimus P. Gobat tom. II, de Jubilæo tr. 3, c. 50, n. 57, addens quod porro censet Rodriquez tom. II, qq. Regul., quæst. 88, art. 1. Indulgentiam plenariam promissam ingredientibus religionem obtingere non tantum iis qui vota religionis substantialia emittunt, sed etiam qui novitiatum ingrediuntur; (41. quod Viva l. c. scite dicit intelligendum etiam esse de iis qui post biennium novitiatus emittunt tria vota simplicia in præclarissima sua Societate Jesu, quippe isti etiam in vero statu religioso constituuntur, et ex parte sua in perpetuum moriuntur sæculo, se suaque Deo mancipantes sub obedientia superioris.

(42. Quinimo Viva loc. cit., num. 2, addit probabile videri posse alicui, ut notat Gobat loc. cit., quamvis ipse non subscribat, quod indulgentia plenaria a Pontifice concessa obtineatur Anno Sancto ab emittentibus professionem regularem, quia sicuti ex cap. *In generali* 81, de Regulis juris in 6: *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus;* ita nec in generali prohibitione (atque adeo in suspensione indulgentiarum) veniunt eæ indulgentiæ quas Pontifex in specie non esset verisimiliter suspensurus: talis autem videtur esse hujusmodi indulgentia. Tum quia non obstat fini, ob quem aliæ suspenduntur, nempe ne ob id præpediatur accessus ad Urbem. Tum quia prædicta indulgentia est omnino speciali nota digna, et majori longe jure, quam ulla alia conceditur. Ast vero ego non auderem absolute negare, sicut non audet Gobat loc. cit., quin verbis Pontificis adeo specialibus simul et generalibus comprehendatur reipsa suspensio etiam dictæ indulgentiæ pro vivis, maxime cum nunc ex concessione Benedicti XIII et XIV possit applicari pro defunctis, nisi aliter declarent successores Pontifices.

(43. Post breve tempus intra ipsum Annum Sanctum solebat alias emanare pontificia notificatio, qua declarabatur quales indulgentiæ intelligerentur in Anno Sancto suspensæ, vel non, prout patet supra num. 29 et 30, de notificationibus Clementis X et Innocentii XII, nec non num. 31, de declaratione Benedicti XIII. Ast pro novissimo Anno Sancto 1750, Bened. XIV dictas notificationes seu declarationes inseruit eidem bullæ suspensionis indulgentiarum supra allatæ, ut ibi videri potest.

(44. Intra eumdem Annum Sanctum emanare consuevit nova quædam bulla, vi cujus monialibus, anachoretis, atque eremitis, nec non infirmis et carceratis, sub ipso Anno Sancto conceduntur indulgentiæ et gratiæ magni Jubilæi, dummodo alias parati essent Romam ire ad lucrandum Jubilæum, si hoc impedimento non detinerentur, et dummodo pia Christianæ pietatis et charitatis opera ponant, ab ordinariis locorum, aut monialium, et eremitarum superioribus, vel de eorum mandato a prudente confessario, et in alma Urbe a Pontificis vicario, seu ejus vices gerente præscribenda. Et conceditur pariter in eadem bulla facultas supradictis personis eligendi confessarium, sive sæcularem, sive regularem cujusvis ordinis, ab ordinariis locorum ad id probatum, a quo possint etiam a reservatis in bulla *Cœnæ* absolvi. Sic tradunt Gobat loc. cit., c. 6, ubi adducit exemplar hujusmodi bullæ editæ ab Innocentio X, anno 1650, eamque in omnibus erudite explanat; et Viva loc. cit., q. 7, per varios articulos eam egregie elucidans, Franciscus van Rast. in opusculo de Indulgentiis, qu. 8; Massæus Kreslinger loc. cit., addition. 10, adducens similem concessionem etiam factam a Benedicto XIII, constit. incip. *Pontificia sollicitudo*, edita 12 januarii 1725.

(45. Attamen hucusque dicta sunt intelligenda, nisi aliter Pontifices pro tempore existentes statuerint et declaraverint, cum semper sit exacte observanda bulla laudati Pontificis Bened. XIV, tempore Anni Sancti, si quid aliud diversum a suis prædecessoribus disponat aut expresse declaret, ut in novissima supra allata constitutione ejusdem Pontificis, pro Anno Sancto 1750, in qua præservatis duntaxat indulgentiis in § *Itaque præservatis* enumeratis, et facultatibus in § *Præservatis etiam* specificatis, suspendit cæteras omnes indulgentias, tam plenarias quam non plenarias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, et impedimentis per quoscunque Romanos Pontifices suos prædecessores, ac etiam per se, quibuscunque tam singulariter quam universaliter, ac alias quomodolibet concessas et concessa, ut plenius, ac fusius in ipsa § *Cæteras omnes*. Vide supra omnia in ipsa statuta, et exacte observa.

(46. Subnectitur bulla emanata a Benedicto XIV, concedente monialibus, anachoretis, atque eremitis, nec non infirmis, carceratis, captivis, aliisque in ipsa specificatis, sub ipso Anno Sancto indulgentias et gratias magni Jubilæi, ut sequitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

« Ad futuram rei memoriam.

« Paterna charitas urget nos ut omnium nostrorum Ecclesiæque filiorum pia vota non tam oblata nobis benigne suscipere quam animo vix concepta prævertere, eisque recluso apostolicæ liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni Christiani orbis regione fideles ad

Digitized by Google

nostram hanc Urbem, et ad beatorum apostolorum limina, pro indicto a nobis imminentis Anni Sancti Jubilæo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis nostræ oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitæ propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas vel corporalis infirmitas detineret. Horum nos fidei ac desideriis favere, nec non spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces supplicationesque eorum omnium, inter quos evangelicæ perfectionis sequaces animæ, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, nostris, congregatæque nobiscum fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam omnipotentis Dei misericordiam adjungere cupientes, præsentium litterarum tenore opportunas rationes præscribere decrevimus, per quas tam viri quam mulieres, in eremis, monasteriis, et religiosis domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis et carceribus detenti, aut morbis et infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam urbem non accedentes, nempe sacras apostolorum memorias, et patriarchales ejusdem urbis basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum concessique a nobis plenarii Jubilæi participes effici valeant.

« Ut autem nemini dubium oriri possit quænam personæ sub harum litterarum providentia comprehendantur, in primis moniales omnes, quæcunque solemnia religionis vota emiserunt, et in monasteriis sub perpetuæ clausuræ legibus, sive locorum, ordinariis, sive regularibus superioribus, sive Apostolicæ Sedi immediate subjectæ vivunt, earum quoque novitias, aliasque virgines, seu mulieres sæculares, educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis, in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum hujusmodi moniales, quæ aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem clausura egrediuntur; nec non oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitiis, educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosæ clausuræ legibus adstrictæ non sint; Tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitiis, educandis, aliisque sæcularibus personis, in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent, earumque institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum aut confirmatum exstiterit, neque pro approbato præsentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique puellas atque mulieres in conservatoriis degentes; quamvis nec monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, nec clausuræ legibus subjectæ sint tam in Urbe quam extra eam, ubique locorum et gentium existentes, præsentis concessionis favoribus uti et gaudere posse volumus et declaramus.

« Item anachoretas, et eremitas, non quidem eos, qui nullis clausuræ legibus adstricti, sive collegialiter, et in societate, sive etiam solitarii, sub ordinariorum etiam regimine, certisque legibus, aut regulis obtemperantes vivunt; sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua, clausura, et solitudine, contemplativæ vitæ exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt, etiamsi monastici, aut regularis ordinis, et instituti professores existant, uti Cistercienses aliquot, et Carthusienses monachi, et eremitæ Sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

« Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquomodo existunt, nec non ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus, aut criminalibus causis in carceribus tam episcoporum, aliorumque ecclesiasticorum superiorum, et tribunalium, quam sæcularium principum, et magistratuum, et ad regulares, qui in carceribus claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causæ expeditæ sint, vel quia tempus pœnæ eisdem impositæ non adhuc sit elapsum, quive ex superiorum quorumcunque præcepto, aliquem locum, aut civitatem, carceris, et custodiæ, seu exsilii, et deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in triremibus, seu alibi, ad opus damnati, atque addicti reperiuntur, ejusdem præsentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen qui carceribus tribunalis sanctæ Inquisitionis inclusi ubicunque detinentur, ea, quæ paternæ providentiæ nostræ opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis officii præscribere non omittemus.

« Denique ad infirmos pariter utriusque sexus, tam laicos quam ecclesiasticos, sive sæculares, sive cujuslibet ordinis, congregationis, et instituti regulares, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua juxta medicorum judicium non ita tempestive liberari poterunt ut intra ipsum Jubilæi annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui, licet ex hujusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo et recidivæ periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario majores, quæcunque inferius præsentibus litteris respective statuentur, spectare et pertinere volumus pariter et declaramus.

« Hos itaque omnes, et singulos monemus, hortamur, et obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animæ recolentes, totoque cordis affectu detestantes, salutaris pœnitentiæ sacramento et congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent, tum ad vivificum divinæ men-

Digitized by Google

sæ convivium, innocentiæ, et charitatis stola ornati, reverenter accedant; Deumque Optimum Maximum, per Unigenitum Filium ejus, ac per merita beatissimæ Virginis Mariæ et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum, juxta nostram Ecclesiæque mentem, enixis precibus orent, pro ejusdem sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum exstirpatione, catholicorum principum concordia, et totius Christiani populi tranquillitate et salute; in eumque finem alia, tum voluntaria, tum sibi in locum visitationis quatuor basilicarum Urbis ab ecclesiasticis superioribus ut infra, injungenda, religionis, pietatis, aut charitatis opera, devote peragant, et exsequantur.

« Nos enim venerabilibus fratribus episcopis, aliisque locorum ordinariis, per præsentes committimus et demandamus ut monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis puellis, sive mulieribus, tam sibi quam nobis et Sedi apostolicæ immediate subjectis, in eorum civitatibus diœcesibus, et territoriis existentibus; anachoretis quoque, et eremitis, carceratis, et morbo seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis, atque etiam ab illa exemptis, quatenus sæculares personæ, aut extra claustra forsan cum debitis licentiis regulares existant; regularibus autem prælatis et superioribus, ut subditis sibi monialibus, et si quæ sint Oblatæ aut Tertiariæ ipsorum regimini subjectæ, et ab ordinariorum jurisdictione exemptæ, earumque novitiis, aliisque in earumdem monasteriis, et communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, nec non religiosis anachoretis, sive eremitis, aliisque religiosis in carceribus claustralibus detentis, sive infirmis et senibus septuagenario majoribus, congrua religionis, pietatis, aut charitatis opera; æquabili disciplinæ et indulgentiæ moderatione servata, sive per seipsos, sive per prudentes confessarios, designare et præscribere non omittant quæ illi et illæ loco visitationum quatuor basilicarum et ecclesiarum intra et extra Urbis muros, a nobis pro consequendo hujus Anni Sancti Jubilæo præscriptarum, juxta singulorum statum, conditionem, et valetudinem ac loci et temporis rationes, respective exsequi et implere possint ac debeant; et quorum implementum nos in earumdem visitationum locum, ad effectum ipsius Jubilæi consequendi, auctoritate apostolica commutando subrogamus. Pro monialibus autem, Oblatis, et Tertiariis quibuscunque hujus almæ Urbis, earumque novitiis, nec non puellis, aut mulieribus tam in prædictarum monasteriis et communitatibus quam in conservatoriis ipsius Urbis degentibus, et pro carceratis in ejusdem Urbis carceribus, volumus ut ad dilectum filium nostrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cardinalem nostrum in ipsa Urbe, ejusque districtu vicarium in spiritualibus generalem, ejusve vices gerentem duntaxat, hujusmodi operum designationem, sive per seipsos, sive per prudentes confessarios, facere omnino spectet, atque pertineat.

« Itaque de omnipotentis Dei misericordia, et prædictorum beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, et ex concessa nobis, licet immerentibus, suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus et singulis præfatis monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, sive mulieribus in monasteriis, ac religiosis, piisve cummunitatibus viventibus, anachoretis, eremitis, nec non utriusque sexus captivis, et in carcere sive in custodia detentis, atque infirmis et senibus, vere pœnitentibus, et intra præsens Jubilæi annum rite confessis, ac sacra communione refectis Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus, aliaque sibi in locum visitationis prædictæ injungenda opera, in locis in quibus exstiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum exsecutione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius Anni Sancti decursum, si omnia præmissa opera injuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam non secus ac ipsi, et eorum quilibet, præmissa in hac alma Urbe exsequentes, etquatuor basilicas ejusdem Urbis, pro quibus visitandis Jubilæum ipsum et indulgentia per nos concessa fuit, eodem Jubilæi anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur, et consequi possent, tenore præsentium ac de Apostolicæ liberalitatis amplitudine, concedimus, et elargimur.

« Eisdemque monialibus earumque novitiis, ut ad effectum præsentium, et pro prima vice duntaxat, confessarios presbyteros sæculares, vel cujusvis ordinis regulares, a locorum respective ordinariis ad audiendas monialium confessiones approbatos quoscunque, cæteris autem supradictis anachoretis, eremitis, nec non Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, et mulieribus in monasteriis, et religiosis, ac piis communitatibus, seu conservatoriis conviventibus, et Christifidelibus captivitate, carceratione, aut custodia, infirmitate, aut senectute impeditis, tam laicis quam Ecclesiasticis sæcularibus, et cujusvis ordinis, congregationis, et instituti, etiam specialiter nominandi regularibus, ut ad effectum hujusmodi, et pro prima pariter vice duntaxat, confessarios presbyteros sæculares, sive cujusvis, etiam diversi ordinis regulares, ab ordinariis similiter, in quorum civitatibus, diœcesibus, et territoriis confessiones hujusmodi excipiendæ erunt ad personarum sæcularium confessiones audiendas approbatos quoscunque eligere valeant: utque confessarii sic electi, illorum confessionibus diligenter auditis, eos, et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, et delictis, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, absolvere, injuncta ipsis pœnitentia salutari, aliisque juxta canonicas sanctiones, rectæ-

Digitized by Google

que disciplinæ regulas injungendis ; ac præsertim quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, iisdem serio admonitis de obligatione qua tenentur judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire ; quodque hoc animi proposito carentes absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno, susciperent : si autem cum hujusmodi veritatis fatendæ proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio quam a confessario obtinuerint ipsis in foro interno utilis sane et salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas pœnas evitandas prodesse poterit. Utque præterea confessarii a monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis et mulieribus supradictis ad præmissum effectum electi, iisdem monialibus intra monasteria clausuræ legibus subjecta solemniter professis, vota quæcunque post professionem emissa, et cum earum observantia Regulari compatibilia, dispensando commutare ; Oblatis vero, Tertiariis, et tam istarum quam prædictorum monasteriorum novitiis, cæterisque puellis, sive mulieribus sæcularibus in eisdem monasteriis, et Oblatarum, aut Tertiariarum domibus et communitatibus, nec non in conservatoriis quibuslibet, educationis, convictus, aliave causa et ratione, cum debitis licentiis, commorantibus, omnia et quæcunque vota, exceptis illis quæ nobis et apostolicæ Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare, easque omnes et singulas, facta commutatione hujusmodi, ab emissorum votorum, etiam juratorum, observantia, absolvere possint et valeant ; dicta auctoritate apostolica, et earumdem tenore præsentium, misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

« Non obstantibus nostris super indictione Jubilæi præsentis anni in hac alma Urbe, et super suspensione indulgentiarum et facultatum eodem Jubilæi anno vertente, nec non prædecessorum nostrorum de indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque apostolicis, et in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus, et reservationibus etiam in eadem bulla *Cœnæ* contentis, nec non quorumcunque, etiam mendicantium, et militarium ordinum, congregationum, societatum, et institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis eisdem concessis, præsertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus ordinis, congregationis, societatis, et instituti hujusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice, et ad præmissorum effectum duntaxat plenissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Cæterum venerabiles fratres episcopos aliosque locorum ordinarios hortamur ut nostræ et Apostolicæ Sedis benignitatis exemplo permoti, confessariis a præmissis omnibus ad earumdem præsentium effectum respective eligendis, facultatem absolvendi eosdem a casibus eisdem ordinariis respective reservatis, impertiri non recusent.

« Volumus autem, etc.

« Nulli ergo omnino, etc.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, decimo septimo kalendas januarii, pontificatus nostri anno decimo.

« D., CARD. PASSIONEUS.

« *J. datarius.* »

(47. « Essendosi degnata la Santità di nostro Sig. Papa Benedetto XIV, approvare e confermare il decreto della sacra congregazione delle Indulgenze e Sagre Reliquie, emanato ad istanza de' divoti dell'anime del purgatorio sotto li 6 di aprile dell' anno 1745, in vigore del quale si concede l'indulgenza di sett' anni, ed altrettante quarantene con la facoltà di poterla applicare per modo di suffragio alle suddette anime del purgatorio a tutti li fedeli dell' uno, e dell' altro sesso, i quali nell'Italia, o nell'Isole adjacenti nelli tre ultimi giorni della settimana santa, cioè giovedì, venerdì, e sabato santo divotamente si occuperanno per lo spazio di un' ora continua in orazione o mentale, oppure vocale a prò de' fedeli defonti ; con potersi conseguire l' accennata indulgenza in ciascheduno de' detti giorni dalla stessa persona. Pertanto si rende consapevole ognuno de' fedeli di sì inestimabile tesoro nuovamente dispensato da nostro Signore, e si raccommanda alla loro pietà l' applicarsi di proposito a sì divoto esercizio, non meno meritevole per essi, che profittevole alle Anime purganti, alle quali ne' tre suddetti giorni manca il consueto suffragio del sagrosanto sagrificio dell' altare.

« Data questo dì 4 marzo 1750.

« FR. G. A., CARD. VICARIO.

« *Gasparo arciprete Ori, segr.* »

(48. Ob generalia comitia ordinis Minorum de Observantia celebranda in Aracælitano conventu almæ Romanæ urbis die 26 maii dicti Anni Sancti 1750, occurente vigilia Pentecostes, idem Benedictus XIV, per suam constitutionem incipientem *Pontificis omnium*, dat. 6 martii 1749, omnibus et singulis fratribus ministro generali totius ordinis subjectis rite confessis sacraque communione refectis indulgentiam plenariam, ac remissionem omnium peccatorum suorum pro illa vice benigne concessit.

(49. Ad complementum Jubilæi Anni Sancti subjungitur hic novissima constitutio

Digitized by Google

ejusdem Benedicti XIV, merito attendenda, ut sequitur.

Extensio universalis Jubilæi in Urbe celebrati anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo ad universum catholicum orbem.

BENEDICTUS EPISCOPUS, ETC.

Benedictus Deus, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui dedit nobis elapsum Jubilæi annum, secundum desideria cordis nostri, per omnia felicem faustumque transigere. Repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, dum toto hujus anni decursu, dilectorum in Christo nostrorum Ecclesiæ filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem nostram innumeros ex omni lingua, et populo, et natione, ex omni ordine, ætate, ac sexu, Christifideles, qui ipso suo adventu, et propriæ fidei fervorem, et amplitudinem regni Dei testabantur. Eosdem vidimus ad sacra ejusdem urbis templa certatim accurrentes, in spiritu contrito et humiliato, animarum suarum expiationi consulere, et sicut olivarum novellas in circuitu mensæ Domini, vivifica Christianæ unitatis, et pacis sacramenta percipere. Tum etiam impigro studio et religiosa frequentia, ab una ad alteram sæpe procedentes ecclesiam; nunc in Constantiniana Lateranensi basilica, SALVATORIS nostri clementiam, per merita ipsius beati PRÆCURSORIS ejusdemque dilecti DISCIPULI, et EVANGELISTÆ exorantes; nunc in Liberiana æde in Exquiliis, gloriosæ Virginis DEI GENITRICIS opem atque præsidium implorantes; nunc sacram APOSTOLORUM PRINCIPIS confessionem in Vaticano; nunc via Ostiensi DOCTORIS GENTIUM martyrium osculantes, uberibusque lacrymis perfundentes pro Ecclesiæ catholicæ pace et exaltatione, cunctorumque credentium incolumitate et salute unanimes ferventesque preces effundere. Quo spirituali gaudio auribus nostris audivimus ejusdem Urbis vias, et fora, areas, et colles piis precationibus, suavibus canticis, ac divini Nominis laudibus personare! Quoties commota sunt paterna viscera nostra, dum confertissimos vidimus fidelium greges, nostris pedibus circumfusos, in persona humilitatis nostræ, vicarium Christi et potestatem venerari, ac beati Petri apostolatum, cujus dignitas in indigno hærede non deficit, effusis filialis obsequii significationibus prosequi! His populorum flagrantibus studiis sacrorum præluxerunt exempla pastorum, qui ad honorandam de more memoriam ejusdem beatissimi Ecclesiæ principis, hoc anno potissime frequentes se contulerunt, et quorum nos splendida corona stipati, sacros conventus maxima cum dignitate universæque fraternitatis ædificatione celebravimus. Quid vero dicemus de venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, aliisque curiæ nostræ proceribus, qui piorum operum assiduitate cæteris præeuntes, simulque Christianæ humilitatis exercitationibus infra quoscunque, licet abjectæ sortis, fratres sese dimittentes, Christi bonus odor facti sunt universæ civitati, et omnibus qui fuerunt in ea? Quid demum de totius dilectissimæ Urbis cleri ac populi devotione narrabimus, cujus pietatis exempla, cujus charitatis officia erga advenas et peregrinos hoc anno præsertim largiter ac sedulo impensa, in universo mundo annuntianda fore non dubitamus? Benedicti filii nostri, Romanæ urbis cives et incolæ qui fecerunt hanc misericordiam cum fratribus suis! Nos autem confitebimur Domino, quoniam benignus est, quoniam consolationes ejus lætificaverunt animam nostram.

Sed præterea magna a nobis spes jure ac merito concepta est eumdem clementissimum Dominum imploratam votis nostris misericordiam suam nobis ostensurum, idque demum Ecclesiæ suæ largiturum fore quod tam concordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit: ut scilicet Ecclesiam ipsam catholicam, et regnum Filii sui, per totum terrarum orbem, et sanctitate et amplitudine exaltet; ut cunctis mundum purget erroribus; ut inter Christianos principes concordiam et pacem confirmet universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defendens, ad æternæ salutis portum dirigat atque perducat. Quod ut ab eodem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de prædictorum fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, decrevimus universos Christifideles qui ubique locorum et gentium unius fidei communione nobis junguntur, in hujusmodi votorum societatem adscire, aperteque largius indulgentiarum thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore ut, dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per pœnitentiam eluendo, se comparabunt, ac pio devotionis affectu ferventes, debitæque erga Sedem Apostolicam observantiæ specimen in hoc ipso præseferentes, injuncta pietatis et religionis opera exercebunt; et singuli in semetipsis id quod pro aliis postulabunt, obtineant; et quas pro fratribus preces supplicationesque offerent, eidem bonorum omnium largitori, innocentiæ, et charitatis suæ merito commendent.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quacunque mundi parte existentibus, et in Apostolicæ Sedis gratia et obedientia manentibus, etiam iis qui forsan elapso anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem Jubilæum a nobis concessum adepti sunt, vere pœnitentibus et confessis, et sacra communione refectis, qui intra sex menses a die publicationis præsentium in qualibet diœcesi faciendæ computandis, ecclesiam ipsius cathedralem, seu majorem, aliasque tres ejusdem civitatis, aut loci, sive

Digitized by Google

in illius suburbiis existentes, ab ordinariis locorum, vel eorum vicariis, aliisve de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum exstirpatione, catholicorum principum concordia, et Christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ejusdem anni Jubilæi omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, et veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor basilicas seu ecclesias, intra et extra Urbem pro consequendo Jubilæo hujusmodi a nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, et alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

Navigantes vero, et iter agentes, ut, si post elapsos menses hujusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis, et visitata totidem vicibus ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loci eorum domicilii, seu stationis hujusmodi, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant. Nec non prædictis locorum ordinariis, ut cum monialibus, Oblatis, aliisque puellis aut mulieribus, sive in monasteriorum clausura, sive in aliis religiosis, aut piis domibus, et communitatibus vitam ducentibus, anachoretis quoque et eremitis, ac aliis quibuscunque tam laicis quam ecclesiasticis personis, sæcularibus, vel regularibus, in carcere aut captivitate existentibus vel aliqua corporis infirmitate seu alio quocunque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exsequi possint, super præscriptis hujusmodi visitationibus tantummodo : cum pueris autem, qui nondum ad primam communionem admissi sunt, etiam super communione hujusmodi, dispensare, ac illis omnibus et singulis, sive per se ipsos, sive per eorum earumque regulares prælatos, aut superiores, vel per prudentes confessarios, alia pietatis, charitatis, aut religionis opera, in locum visitationum hujusmodi, seu respective in locum sacramentalis communionis prædictæ, ab ipsis adimplenda præscribere; atque etiam capitulis, congregationibus, tam sæcularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscunque, ecclesias hujusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti arbitrio, reducere possint ac valeant, earumdem tenore præsentium concedimus pariter et indulgemus.

Insuper iisdem monialibus earumque novitiis, ut sibi, ad hunc effectum confessarium quemcunque ad excipiendas monialium confessiones ab actuali ordinario loci in quo earum monasteria constituta sunt approbatum; cæteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, tam laicis, quam ecclesiasticis, sæcularibus, et cujusvis ordinis, congregationis et instituti, etiam specialiter nominandi regularibus, licentiam concedimus et facultatem ut sibi ad eumdem effectum eligere possint quemcunque presbyterum confessarium, tam sæcularem quam cujusvis etiam diversi ordinis et instituti regularem, ab actualibus pariter ordinariis in quorum civitatibus, diœcesibus, et territoriis confessiones hujusmodi excipiendæ erunt, ad personarum sæcularium confessiones audiendas approbatum; qui intra dictum semestris spatium, illos et illas qui scilicet præsens Jubilæum consequi sincere et serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, et in foro conscientiæ duntaxat, ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis etiam ordinariis locorum, ac nobis, et Sedi Apostolicæ, etiam in bulla die Cœnæ Domini legi solita, seu per alias quascunque apostolicas constitutiones quomodocunque reservatis, et a sacris canonibus fulminatis; nec non ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam iisdem ordinariis, ac nobis, et Sedi Apostolicæ, ut præfertur, reservatis, injuncta ipsis pœnitentia salutari, aliisque de jure injungendis, absolvere; nec non vota quæcunque, etiam jurata, ac Sedi Apostolicæ reservata (castitatis, religionis, et obligatoriis, quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de præjudicio tertii, semper exceptis; nec non pœnalibus, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia), in alia pia et salutaria opera commutare; et cum pœnitentibus hujusmodi in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem duntaxat contracta, dispensare possint et valeant, eadem auctoritate et apostolicæ benignitatis amplitudine concedimus et indulgemus.

Non intendimus autem per præsentes super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate, quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam ulli confessario facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum præceptum peccato, aut complici confessarium hujusmodi ad effectum præsentium eligendi licentiam impertiri ut jam in aliis nostris litteris incipient. *Sacramentum Pœnitentiæ*, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, kalendis junii, pontificatus nostri anno primo editis, generaliter declaratum fuit; neque demum easdem præsentes

Digitized by Google

iis qui a nobis et apostolica Sede, vel ab aliquo prælato, seu judice ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Cæterum, si qui post inchoatum hujus Jubilæi consequendi animo præscriptorum operum implementum, morte præventi, præfinitum visitationum numerum complere nequiverint; nos piæ promptæque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes, et confessos, ac sacra communione refectos, prædictæ indulgentiæ et remissionis participes perinde fieri volumus ac si prædictas ecclesias diebus præscriptis reipsa visitassent. Si qui autem post obtentas vigore præsentium absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes prædictas, serium illud ac sincerum, ad id alias requisitum, propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes, et dispensationes ab ipsis cum prædicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Ut autem hujus consilii nostri, quod pro totius populi Christiani salute et sanctificatione suscepimus optatum consequamur effectum, maxima post Deum fiducia nobis reposita est in venerabilium Fratrum nostrorum Ecclesiæ Dei antistitum cooperatione et sedulitate. Itaque omnes patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, aliosque ordinarios locorum prælatos, sive ordinariam localem jurisdictionem, in defectum episcoporum et prælatorum hujusmodi, legitime exercentes, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentes per nomen Domini nostri, et pastorum Principis Jesu Christi, et per charitatem Ecclesiæ ipsius sponsæ hortamur, rogamus, atque etiam apostolica auctoritate ipsis injungimus, ut simul ac præsentium litterarum exempla ad eorum manus pervenerint, non solum easdem solemniter publicare, et in reliquis sibi superius injunctis exsequi non prætermittant, verum etiam omni studio adnitantur ut fideles sub eorum regimine constituti oblatam sibi occasionem reformationis, reconciliationis et sanctificationis cum gaudio suscipiant; ac se Apostolicæ Sedis favoribus et gratiis dignos exhibentes, has ipsas in uberrimum animarum suarum Ecclesiæque universæ fructum convertant. Quid jam ab ipsorum antistitum zelo in præparandis ad universalis Jubilæi acquisitionem subjectis sibi plebibus præstari optaverimus, dudum eisdem per apostolica scripta ex hac Sede directa significavimus. Quid vero nos ipsi in hac urbe nostra, in eumdem finem præstiterimus, ad eorum notitiam perlatum fuisse putamus. Quo demum pietatis fructu, quo religionis exemplo, in hac ipsa urbe, benedicente Domino, celebrata fuerit ipsius Jubilæi solemnitas, nullum terræ angulum latere arbitramur. Merito igitur ab iisdem ecclesiarum pastoribus exspectamus et petimus, ut attendentes ad Petram ex qua excisi sunt, suam cum Romana Ecclesia unitatem et communicationem in hoc etiam ostendere gestiant, ut singuli in suis civitatibus et diœcesibus id efficere curent, quod ipsa Ecclesiarum mater pro totius catholicæ societatis profectu et incremento, pro Christiani populi emendatione et salute expetit; quod eadem Romana Ecclesia illustribus exemplis commonstrat et docet. Omnes itaque pastoralis sollicitudinis curas in id impendant ut commissos sibi populos, in ejusdem disciplinæ puritate Christianæque pietatis fervore concordes exhibeant; unusque per omnes catholicas Ecclesias bonorum operum splendor appareat; ut omnium fidelium consentientibus precibus exoratus omnipotens Pater, Ecclesiam suam miseratione continuata emundet, defendat et amplificet; supremos principes, qui ejus ordinatione in sublimitate sunt, cœlestibus benedictionibus cumulet; universosque credentes, per viam pacis et per mandatorum suorum semitas ad æternam salutem, quam nobis unigenitus Ipsius Filius promeruit, gratiæ suæ munere perducat. Tunc demum gaudium nostrum plenum erit, ipsique Ecclesiarum pastores de profectu sanctarum ovium una nobiscum exsultatione gaudebunt.

Charissimos denique in Christo filios nostros, imperatorem electum, ac reges, et principes omnes catholicos, quorum plerique pro hujus Jubilæi ad eorum regna atque dominia extensione suum nobis desiderium significarunt, cum satis intelligere non dubitemus, ex hoc salutari opere in eorum ditionibus exsequendo, cum piæ conversationis augmento sinceræ erga ipsos obedientiæ studium, in populis eorum ditioni subjectis magis magisque firmatum iri, divinæque propitiationis auxilium, ad ipsorum dominantium, eorumque principatuum prosperitatem et pacem efficacius implorari. Idcirco eosdem omnes et singulos fidentius hortamur atque rogamus ut omnia adjumenta et auxilia præstent dictis Ecclesiarum prælatis, ad hoc ut pium hujusmodi opus aptissimis mediis promovere, et ad optatum finem perducere valeant.

Præsentes quoque litteras per omnia validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus, ubicunque per dictos ordinarios Ecclesiarum præsules publicatæ, et exsecutioni mandatæ fuerint, sortiri et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicæ Sedis gratia et obedientia manentibus, in hujusmodi locis commorantibus, sive ad illa postmodum ex navigatione et itinere se recipientibus plenissime suffragari volumus atque decernimus. Non obstantibus de indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque apostolicis, et in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus,

Digitized by Google

et generalibus seu specialibus absolutionum, seu relaxationum, ac dispensationum reservationibus, etiam in prædicta bulla *Cœnæ* contentis; nec non quorumcunque, etiam mendicantium, et militarium ordinum, congregationum, societatum, et institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis eisdem concessis, et præsertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus ordinis, congregationis, societatis, et instituti hujusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice, et ad præmissorum effectum duntaxat, plenissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, etc.

Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septigentesimo quinquagesimo, VIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

D. CARD. PASSIONEUS.

(50. Ad uberiorem intelligentiam allatæ constitutionis de extensione universalis Jubilæi, juvat hic subnectere plura dubia per varias suas apostolicas litteras ab eodem vigilantissimo Summo Pontifice resoluta et explanata. Cum enim ipse per suam constitutionem incip. *Celebrationem Magni Jubilæi* moneat omnes locorum ordinarios, ut ad removendas omnes difficultates et controversias a theologis moralibus de Anni Sancti Jubilæo excitatas, ad suas apostolicas litteras recursum habeant, et præsertim ad constitutionem incip. *Convocatis*, et ad epistolam italice impressam incip. *Fra le Fatiche*, in quibus plurima ad hujusmodi controversiarum et difficultatum solutionem adnotata reperiuntur, hinc juxta illa variorum dubiorum solutio, exponendo breviter speciliores bullæ particulas, hic traditur.

(51. Et in primis quod per ly *Vere pœnitentibus et confessis*, indicatur non sufficere pro Jubilæo lucrando confessionem in voto, sive actum contritionis duntaxat cum proposito non peccandi de cætero cum sub nomine *pœnitentis* contritus importetur, et sub nomine *confessis* eademmet actualis confessio sacramentalis demonstretur et exquiratur. Hancque opinionem firmat Benedictus XIV, in laudata epistola *Fra le Fatiche* num. 6, eamque Ecclesiæ sententiam appellat, memorando ibi responsum congregationis Indulgentiarum pro missionariis qui confessario carentes, indulgentiam plenariam consequi non poterant, quibus Clemens XII nova speciali gratia solius actus contritionis consuluit.

(52. Imo ita necessario ad comparandum Jubilæum et indulgentiam requiritur sacramentalis confessio, ut ad eam teneantur etiam qui solis peccatis venialibus, ut nullo mortali sunt coinquinati. Cum enim Ecclesia pro Jubilæo opera consilii et supererogationis præscribat, ubi confessio operibus præscriptis annumeratur etiam de solis venialibus pro comparanda indulgentia fieri debet ut tradit idem Pontifex in d. const. *Convocatis* § 46, et in d. Epistola *Fra le Fatiche*, n. 77.

(53. Insuper ita pro acquirendo Jubilæo requiritur sacramentalis confessio, quod qui ipsam visitationibus ecclesiarum præmisit, si istarum tempore in mortale incidat peccatum, aut peccati mortalis obliti recordetur, ut ultimum opus in gratia conficiat, teneatur iterum sacramentaliter confiteri, nec ei sufficiat actus contritionis. Sic idem Pontifex in dicta const. *Convocatis*, § 47, et in recensita epistola, n. 75. Nec sufficit confessio voluntarie nulla, seu sacrilega, ut deducitur ex propositione 14, inter damnatas ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, a nobis jam ad id adducta infra art 3, n. 25.

(54. Per ly *et sacra communione refectis*, denotatur quod requiritur communio sacramentalis spiritualis in gratia facta, et non sufficit communio sacrilega, ut colligitur ex propositione 55, ex damnatis ab Innocentio XI, 2 martii 1679. Jam a nobis ad id allata loc. cit., num. 28, et firmat Pontifex in laudata epistola, num. 2, qui primus pro jubilæi indulgentia lucranda hanc de communione conditionem adjecit propter momenta in ejusdem allocutione consistoriali descripta die 5 maii 1749.

(55. Per ly *semel saltem in die*, designatur quod omnes quatuor statutæ ecclesiæ visitandæ sint semel saltem in eadem die; nec sufficit unam ex ipsis uno die, et alteram altera die intra prætinitum Jubilæi tempus visitare, ut docet praxis, et ita fieri debere sancivit peculiaris congregatio eminentissimorum Cardinalium et Prælatorum, anno 1700, ab Innocentio XII ad id deputata. Quod etiam expressit in sua tunc temporis notificatione eminentiss. cardinalis Gaspar Carpegna, Romæ vicarius, uti videre est supra in hoc art. 1, num. 30, et impræsentiarum firmat Benedictus XIV, ex valore ipsorum verborum *semel saltem in die* in constit. incip. *Peregrinantes*, et in laudata epistola, num. 11.

(56. Per ly *dies sive naturales sive ecclesiasticos*, indicatur quod utraque dies aut *naturalis* incip. ab una media nocte, et in alteram subsequentem desinens, aut *ecclesiastica* incipiens a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, ad visitationes peragendas idonea declaratur, ut expresse idemmet Pontifex in const. *Benedictus Deus*, § *Itaque*, et in dicta epistola num. 13.

(57. Per ly *visitaverint*, quamvis satius sit intelligi visitationes ecclesiarum faciendas

Digitized by Google

esse in gratia, sicuti et alia opera injuncta pro Jubilæo comparando, attamen si visitationes ecclesiarum et alia injuncta opera exsecutioni mandentur cum devotione et reverentia juxta extravag. *Unigenitus*, et aliam *Quemadmodum*, et constitutionem Bened. XIV incip. *Peregrinantes*, ita ut pie disponant ad sacramentalem confessionem, et communionem, id est modeste et devote in ecclesia colendo Deum, et venerando sanctos, adeo ut actus moraliter boni dici possint, dummodo ultimum opus ex injunctis in gratia adimpleatur, certum est ab hisce sic Deo reconciliatis indulgentiam plenariam Jubilæi lucrari, ut jam tradidimus supra art. 3, num. 46, et firmat idem Pontifex cum constitut. *Convocatis*, tum in epistola *Fra le Fatiche*, num. 76. Nec officit quod in bulla Jubilæi confessio pro prima ex injunctis operibus recenseatur, sicque videatur confessionem debere aliis operibus præmitti; non officit, inquam, quia ordo verborum nequit esse regula pro ordine facti, ut ad rem nostram significat idem Pontifex in cit. epistola, num. 76.

(58. Non lucrantur autem Jubilæum qui in peccato mortali ecclesiarum visitationes peragunt, et insuper pravo fine, vel sine recta intentione, v. gr. ut otientur, ut curiositati satisfaciant, et id genus alia, ab intento comparandi Jubilæum penitus aliena, ut recte declarat laudatus Pontifex in cit. constit. *Convocatis*, et in d. epistola, n. 76.

(59. Per ly *pias ad Deum preces effuderint*, significat pontifex pro lucrando Jubilæo sufficere orationem vocalem, et quamvis laudanda sit oratio mentalis, addendam vult aliquam vocalem in cit. constit. *Convocatis*, § 51. Et insuper brevem orationem magno fervore factam satis esse declarat ad satisfaciendum fini constitutionis *Peregrinantes*, seu Jubilæo in laudata epistola, num. 83. Non autem sufficere modicam orationem ex acedia aut torpore provenientem, nam, cum ipsa devotionem excludat, inepta est ad Jubilæum comparandum.

(60. Per ly *plenissimam ejusdem anni Jubilæi omnium peccatorum suorum indulgentiam*, occasionem sumit Pontifex erudite demonstrandi primis Ecclesiæ sæculis usque ad annum MCCC indulgentiam hanc plenariam consequi volentibus necesse fuisse in Palæstinam se conferre ad pugnandum pro Terræ Sanctæ recuperatione, ut videre est in concilio Claramontano, ubi Urbanus II hanc indulgentiam concessit; neque aliam sæculis illis extra Terram Sanctam potuisse comparari indulgentiam plenariam usque ad exordium decimi quarti sæculi, in quo Bonifacius VIII illam concessit pro anno Sancto Jubilæi. Sic laudatus Pontifex in epistola encyclica incip. *Celebrationem*. Quomodo autem sit intelligenda indulgentia plena, plenior, et plenissima, jam tradidimus supra in verb. *Indulgentia*, artic. 1, num. 9 et 10. Vide ibi.

(61. Per ly *semel consequantur*, intelligitur quod Jubilæum Anni Sancti quoad facultates semel tantummodo; quoad indulgentias vero pluries repetitis operibus injunctis intra tempus præfinitum comparari posse, ut declaravit Sanctissimus in constitut. *Convocatis*, et in cit. epistola, n. 84, et expressit in bulla Jubilæi *Benedictus Deus*, § *Itaque*, ibi: *Indulgentiam, remissionem et veniam semel consequantur*. Nemo tamen potest indulgentiam Jubilæi hujus pro se acquisitam mortuis applicare; nam idem Pontifex in cit. epistola firmat regulam esse non posse indulgentias vivis concessas pro defunctis applicari per modum suffragii, nisi id in concessione exprimatur. Generaliter autem eamdem indulgentiam plenariam, etiam repetitis operibus eadem die iterari non posse declaravit sac. congregatio Indulgentiarum die 7 mart. 1678, approbante san. mem. Innocentio XI. Vide supra verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 23, et art. 4, n. 15, in fine.

(62. Per ly *navigantes vero et iter agentes*, declarat Pontifex quod navigantes et iter agentes, seu alio ad certam stationem se recipientes, post elapsum Jubilæi tempus, possint ipsum lucrari, visitata totidem vicibus ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loci eorum domicilii, seu stationis hujusmodi. Sic ipse expresse in eadem bulla *Benedictus Deus*, § *Navigantes*.

(63. Per ly *super præscriptis hujusmodi visitationibus tantummodo*, determinat Sanctissimus quod non omnia opera in Jubilæo injuncta in alia pia opera commutari possint, sicque hanc commutationis facultatem non extendi ad confessionem aut communionem (exceptis nondum ad communionem idoneis) neque ad ipsas preces in visitationibus fundendas, ut monet in laudata epistola, num. 53. Quinimo tum ibi tum in constitutione *Convocatis*, § 21, pro Romano Jubilæo onerat conscientias pœnitentiariorum, ne hac tam in minuendis quam commutandis visitationibus abutantur; et in epistola encyclica omnibus locorum ordinariis directa, permittit ut justis solum de causis opportunas commutationes et reductiones concedant. Hinc clare stat facultatem commutandi concessam se extendere tantummodo super præscriptis visitationibus, ut expresse statuitur in eadem constitut. *Benedictus Deus*, § *Navigantes*.

(64. Per ly *alia pietatis, charitatis, aut religionis opera* intelligendum est, quod nisi qui Jubilæi indulgentiam largitur, aliter expresse asserat, commutatio visitationum, aut communionis cum pueris, nequit fieri in alia opera, quibus pœnitens jam alio oneris titulo sit astrictus, ut relatis ad id doctorum diversis opinionibus, æquius censet Bened. XIV, in dicta epistola *Fra le fatiche*, num. 53, de Italico in Latinum conversa, sic: « Æquior tamen opinio ea videtur quæ inficiatur indulgentiam comparari posse operibus, ad quæ alio titulo quis astringitur; nisi tamen qui indulgentiam largitur expresse asserat eam prædictis aliunde jam debitis operibus acquiri posse, ceu si quis inter injuncta opera tria jejunia recenseret, eaque

Digitized by Google

quatuor anni temporibus, puta septembris, speciatim asserat esse complenda. » Ex quibus patet quod quando legislator absolute loquitur ad lucrandum Jubilæum, uti non possumus operibus quæ alio titulo Deo debemus. Et paulo post arctius pro visitationibus sic habet : « Cum nequeant pœnitenti commutari (visitationes basilicarum) in pia opera, quæ alio titulo idem adimplere tenetur ; cum hic agatur de subrogatione, et juxta sancitam regulam, subrogatum ejusdem naturæ, et indolis esse debeat cum re pro qua supponitur ; si ergo basilicarum visitatio libera est, nullique præcepto obnoxia, sed novum onus ad indulgentiam consequendam, subrogatum ejusdem naturæ et speciei non erit, si jam cadat sub præcepto, si ex iis sit ad quæ pœnitens alio titulo sit astrictus. » Unde non videtur subsistere auctorum opinio qui eadem paschali communione, et præcepto communionis paschalis, et Jubilæo satisfieri posse censuerunt.

(65. Per ly *ad minorem numerum*, duplex potest dubium expendi. I. An si decursu temporis Jubilæi, indultum minorationis visitationum exiret, qui jam tot vicibus ecclesias visitasset, quod satis essent ad implendum numerum in minoratione præscriptum, ad alias visitationes teneretur. Et respondetur certum esse valere visitationes ecclesiarum jam juxta minorationem completas ; hac tamen adjecta conditione quod post minorationem adhuc semel quatuor designatæ ecclesiæ unica die visitentur. II. An qui aliquibus vicibus jam ecclesias visitavit ante indultum minorationis, post idem possit jam ante factas numerare pro iis quæ in minoratione restringuntur. Et respondetur certum esse jam factas visitationes ecclesiarum, numerum ingredi in minoratione præscriptum. Ita sancit et firmat idem Pontifex in recensita epistola, num. 82, et in citata constitutione *Convocatis*, § 50.

(66. Per ly *insuper iisdem monialibus earumque novitiis*, explicat Pontifex eos solummodo posse moniales et novitias eligere confessarios quos actualis loci ordinarius, vel universaliter, vel pro aliquo peculiariter monasterio approbavit, nec postea reprobavit. Sic in eadem bulla *Benedictus Deus*, § *Insuper*, et in epistola encyclica *Celebrationem*, § *Cum autem nos ;* declarans insuper electionem hanc esse debere ad effectum Jubilæi consequendi, his verbis : « Licere monialibus earumque novitiis in hoc præsenti Jubilæo ad effectum ejusdem Jubilæi consequendi confessarium eligere ab actuali ordinario loci, etiam pro alio monasterio vel pro monialibus in genere approbatum. »

(67. Per ly *regularibus* declarat Sanctissimus posse regulares cujusvis ordinis, congregationis, et instituti, etiam specialiter nominandi, tempore Jubilæi sine proprii superioris facultate sibi eligere pro suo arbitrio quemcunque confessarium, sive sæcularem, sive regularem cujusvis ordinis, approbatum ab ordinario loci ad personarum sæcularium confessiones audiendas. Sic expresse in eadem constitutione *Benedictus, Deus*, § *Insuper*. Nec valet dicere quod sicuti regulares sine sui superioris facultate non possunt extra suum ordinem confessarium eligere vigore bullæ Cruciatæ, uti sancitum est a pluribus Summis Pontificibus et præsertim a Bened. XIV constitut. incip. *Apostolica Indulta :* ita neque possunt virtute bullæ Jubilæi ; non valet, inquam, quia ideo non possunt id regulares virtute bullæ Cruciatæ, quia cum Cruciata sit privilegium permanens, si in regularibus ordinibus hoc jus vigeret, iisdem etiam detrimento foret ; Jubilæum autem cum sit privilegium transiens, et cito præteriens, omnibus favet et nulli nocet, adeoque possunt regulares libere sibi eligere quemcunque confessarium extra ordinem, ut supra, virtute Jubilæi, et non vigore Cruciatæ : quam rationem reddit idem Pontifex in laudata epistola *Fra le fatiche*, num. 36, et nos fuse tradimus infra art. 2, num. 3. Vide ibi.

(68. Per ly *sincere et serio statuerint*, demonstratur eum qui præsens Jubilæum consequi serio et sincere nolit, neque absolutionem censuris, neque alias facultates consequi posse, ut firmat Pontifex in recensita epistola, num. 62, ubi rationem reddens dicit : « Nam si facultates in ordine ad Jubilæum conceduntur, usum deperdunt, ubi quis ad Jubilæum consequendum nolit accedere. » Et Suarez tom. II, de Religione, lib. VI, cap. 16, num. 2, sic expresse tradit : « Gratia non conceditur nisi in ordine ad hunc finem, et per modum præparationis ad effectum Jubilæi : ergo qui non habet animum implendi et obtinendi Jubilæum, non potest gaudere facultate. »

(69. Per ly *et censuris* intelligendum venit duntaxat de interdicto, suspensione, et excommunicatione, juxta c. *Quærenti* 10, de verb. signific., et non de irregularitate ex delicto contracta. Sic idem Pontifex in laudata epistola, n. 50, ubi censuras ab irregularitate secernit, et pro censuris nomen *absolutionis*, pro irregularitatibus vero nomen *dispensationis* juxta phrasim Tridentini sess. 24, cap. 6, de Reformat., data opera se adhibuisse significat.

(70. Per ly *etiam in bulla* Cœnæ Domini, quamvis ampla concedatur facultas, non tamen absolvendi ab hæresi externa, ut constat tum ex decreto Alexandri VII, in congregatione S. Officii die 23 martii 1656, ubi habetur « facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi ; » tum ex iis quæ tradit idem Benedictus in Constitut. *Convocatis*, et in memorata epistola, n. 83, ac in quarta notificatione edita ab ipso adhuc cardinali et archiepiscopo Bononiæ residente.

(71. Per ly *quantumcunque gravibus et enormibus*, ne aditus pateat aliquibus asserendi Jubilæi tempore casum aliquem enormem reservatum esse, ut nonnulli auctores ex bullis Alexandri VI, *Cum in principio*, Cle-

Digitized by Google

mentis VII, *Pastoris æterni*, et Pauli II, *Et si Dominici gregis*, inter extravagant. commun. de Pœnitent. et Remissionib., dixerunt, Benedictus XIV omnem submovit difficultatem hanc adjiciendo ampliantem clausulam, sicut se explicat in dicta epistola, n. 37.

(72. Per ly *injuncta ipsis pœnitentia salutari*, declaratur onus imponendi, et adimplendi salutarem pœnitentiam in Jubilæo, ut tradit Pontifex in recensita epistola, n. 65, recte animadvertens neminem vere pœnitentem esse posse juxta cap. *Omnis utriusque sexus* 10, de Pœnit. et Remission., qui salutarem refugit pœnitentiam.

(73. Per ly *vota quæcunque*, expresse conceditur confessariis jubilaribus facultas commutandi in alia pia et salutaria opera vota quæcunque, etiam jurata, et Sedi Apostolicæ reservata, exceptis votis solemnibus castitatis, religionis, et obligationis jam a tertio acceptatis, seu in quibus agitur de præjudicio tertii, et pœnalibus pro præservatione a peccato emissis, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia. Sic ipse Pontifex in eadem bulla *Benedictus Deus*, § *Insuper*, in const. *Convocatis*, et cit. epist., n. 40 et seq.

(74. Per ly *super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum*, venit intelligendum quod confessarii in Jubilæo possunt sicuti in majoribus ordinibus, sive sacris, dispensare super occulta irregularitate ob censurarum violationem contracta in exercitio suorum ordinum, ut expresse in ipsa bulla *Benedictus Deus*, § *Insuper*, in fin. Ita etiam possunt a fortiori dispensare in iis min. ordinum qui irregularitatem prædictam ob earumdem censurarum violationem contraxerunt, quamvis in bulla non exprimantur, quia, ut explicat Pontifex in dicta epistola *Fra le fatiche*, num. 50, concesso majori, minus etiam concessum intelligitur, cap. *Ex parte* 27, de decimis, cum plus semper in se contineat quod est minus, cap. *Plus* 35, de Regul. jur. in 6, l. *In eo quod plus* 210, ff. de Regul. Juris; et cui licet quod est plus, liceat utique quod est minus, c. *Cui licet* 43, de Regul. jur. in 6; l. *Non debet* 21, ff. de Reg. jur.

(75. Per ly *concedimus et indulgemus*, intelligi debet facultates in Jubilæo concessas in confessione duntaxat exercendas esse, ut declaravit Benedictus XIV, in constitut. *Convocatis*, § 25, et in memorata epistola, num. 63, addens ex Thesauro de Pœnitent. Eccles. part. I, cap. 22, hanc esse praxim Pœnitentiariæ, quod nempe prædictæ facultates nonnisi intra confessionem exerceantur.

(76. Per ly *complicem*, declarat Pontifex complicem confessarium in quolibet inhonesto contra sextum Decalogi præceptum peccato, in quocunque etiam amplissimo Jubilæo non posse sacramentalem absolutionem impertiri, ex quo ipse per ejusdem Pontificis constitut. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, et constitut. incip. *Apostolici muneris*, factus sit subjectum incapax sub pœna nullitatis ad absolutionem impertiendam suo complici in dicto peccato, ut jam tradidimus in tomo II, verb. *Complex peccati*, et verb. *Confessarius*, art. 4, n. 14. Vide ibi.

(77. Per ly *nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint*, denotatur quod obligatio imponi solita in absolutione a censuris incursis propter damnum illatum, aut injuriam irrogatam satisfaciendi parti læsæ, non respicit judicem, ut nonnulli intellexerunt, sed eum qui damnum aut injuriam passus est, ut patet ex obvio verborum sensu, et expresse declaravit idem Pontifex in laudata epistola, num. 66.

(78. Per ly *visitassent* indulget quidem Pontifex ut qui morte præveniuntur antequam præfinitum visitationum numerum compleverint, si vere pœnitentes confessi et sacra communione refecti decesserint, Jubilæum consequantur; uti etiam disposuit pro Jubilæo Romano in constitutione *Peregrinantes*. At vero Jubilæum minime consequeretur qui ante confessionem et communionem ad Jubilæum requisitam interiret, quia Pontifex morte correptos dispensat solummodo a residuis visitationibus, et aliunde declarat quod in operibus præscriptis voluntas exsequendi non sufficit, nisi opere compleatur. Sic expresse in toties laudata epistola, n. 15.

(79. Per ly *Si quis autem post obtentas vigore præsentium absolutiones a censuris aut votorum commutationes seu dispensationes*, decernit Pontifex quod qui confessus animo lucrandi Jubilæum, in confessione obtinuit absolutionem a censuris, commutationem votorum, et vel dispensationem, si deinde mutato animo, opera pro Jubilæo injuncta prætermittat, nihilominus prædictæ absolutiones, commutationes, vel dispensationes subsistant; licet qui opera implere negligit, vix a reatu peccati immunis censeri possit. Sic in hac bulla *Benedictus Deus*, § *Cæterum*; et in constitutione *Convocatis*, § 54, ac in dicta epistola, n. 86, recte animadvertens absolutionem non dari conditionate, seu ad reincidentiam, sed absolute, dummodo pro tunc pœnitens habeat animum lucrandi Jubilæum. Unde si post mutet propositum, remanet adhuc absolutus, quamvis peccet. Et quidem probabilius mortaliter, ut cum Suarez, Aversa, Viva, Vasquez, et Filliucio videtur sentire Pontifex in toties commemorata epistola, num. 86, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi, cum videatur intervenire tacitum pactum inter Pontificem et pœnitentem, ita scilicet ut Pontifex concedat hujusmodi media, et pœnitens ea acceptet, obligando se ad ponendum finem, adeoque si absque rationabili causa omittat deinde ponere opera injuncta, et lucrari Jubilæum, violabit pactum tacitum in re gravi, sicque graviter peccabit.

Quibus omnibus hucusque traditis, tanquam de irrefragabili mente eruditissimi, sapientissimi, ac zelantissimi Pontificis Bened. XIV, firmiter adhærendum statuo, quid-

Digitized by Google

quid in aliquibus cum variis aliis de Jubilæo contrario scripserim.

(80. Ad complementum hucusque dictorum, placet hic subnectere sequentem constitutionem Clementis XIII qua Jubilæum universale indixit anno primo sui pontificatus.

CLEMENS PAPA XIII.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Venimus in altitudinem maris, et ne, adversis luctantibus ventis, tempestas aquarum nos demergat, gemitibus inenarrabilibus ad Deum clamavimus, ut in suscepto a nobis apostolatus officio, et in gerendo hoc gravissimo munere, viribus nostris longe impari, efficacissimæ gratiæ suæ opem et præsidium copiose largiatur, et preces nostras, quas in hac die tribulationis prolixe effundimus benignissime suscipiat. Quis enim tota mente atque totis artubus non contremisceret? Quis maximo timoris cruciatu non angeretur? Quis præ tristitia penitus non conficeretur, statuens ante oculos et diligentissime perpendens catholicæ religionis et hujus Apostolicæ Sedis mœstissimam faciem? Quis denique acerbissime non defleret tot horrida vulnera, et fidei, et disciplinæ, et juribus nostris inflicta? Sed non opus est tot mala commemorare et referre, et silentio præterire remedia quibus tot jacturis possumus subvenire. Nullus est morbus tam magnus, tam diuturnus, tam desperatus, qui sanari non possit, vel cui certe opitulari non valeat pro ineffabili sua clementia omnipotens Deus, cujus misericordia supercxaltat judicium. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum ejus in tempore opportuno: arma enim nostra, quibus tot malis fortiter constanterque obsistere possumus, sunt preces et lacrymæ, jejunia et eleemosynæ: scimus quod si manserimus in eo, et verba ejus in nobis manserint, quodcunque voluerimus, petemus, et fiet nobis. Convertamur igitur ad Deum in toto corde nostro, in jejunio, in fletu, in planctu, nec avertamus faciem ab ullo paupere, ita enim fiet ut nec a nobis avertatur facies Domini. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore majorique fructu peragantur, priscum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum morem secuti, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei nostræ commissa est, proximis diebus, quibus catholica Ecclesia sacras Quatuor Temporum observationes annua recolit devotione, pro felici nostri pontificatus initio erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma urbe nostra degentibus, qui solemni processioni, quam Dominica decima octava post Pentecosten, die videlicet decima septima currentis mensis septembris ab ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, quos in Romana curia adesse contigerit, ac Christianorum regum, et principum oratoribus apud nos existentibus, prælatis quoque et officialibus ejusdem curiæ, universoque clero et populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, principis apostolorum, et S. Mariæ Majoris præfatæ ecclesias seu basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proxime subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, ac quarta et sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: cæteris vero extra urbem prædictam ubicunque degentibus, qui ecclesias ab ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, et sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam sanctissima communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas ecclesias intra et extra urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus et elargimur. Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua se domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitata ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscunque tam laicis quam ecclesiasticis sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius ex jam approbatis a locorum ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque in-

Digitized by Google

jungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus cujusvis ordinis, congregationis et instituti, tam in urbe præfata quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque presbyterum confessarium tam sæcularem quam cujusvis ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, vel aliis ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive nobis, et Sedis Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, et alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocunque reservatis in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere et liberare valeant; insuper vota quæcunque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus et quibuscunque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, et aliis ecclesiarum prælatis, ac quibuscunque ordinariis locorum ubicunque existentibus, eorumque vicariis, et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias, et diœceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis qui a nobis, et apostolica Sede, vel ab aliquo prælato, seu judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcunque ordinum, et congregationum, sive institutorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis eisdem ordinibus, congregationibus, et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 11 sept. 1758, pontificatus nostri anno primo.

D. CARD. PASSIONÆUS.

ARTICULUS II.

Jubilæum quoad ea quæ concernunt confessarium jubilarem.

SUMMARIUM

1. In Jubilæis extraordinariis conceditur facultas eligendi confessarium. — 2. Regulares an possint ta i facultate gaudere. Ad n. 4.— 5. Confessarius eligendus a quo approbatus esse debeat. Ad n. 7. — 8. Moniales tempore Jubilæi qualem confessarium eligere possint? Ad n. 12. — 13. Confessarius approbatus pro solis viris non potest eligi a mulieribus; neque eligi potest confessarius complex peccati, nec excommunicatus, suspensus, et irregularis, extra casum necessitatis. Ad n. 15.— 16. Confessariis vi Jubilæi electis concedi solet quadruplex facultas, quæ assignatur. — 17. Confessarius jubilaris a quibus peccatis et censuris absolvere possit. Ad n. 24. — 25. Item Jubilæum ad duas hebdomadas concessum an possit bis obtineri? Ad n. 26. — 27. Quid si aliquis tempore Jubilæi inculpabiliter omitteret in confessione peccatum reservatum, vel invincibili defectu *doloris* aut *propositi*, sit invalide absolutus. Ad n. 28. — 29. Per confessionem sacrilegam malitiose nullam an tolli possit reservatio? — 30. Quid si aliquis absolvatur animo adimplendi omnia, et postea non adimpleat? Ad n. 31. — 32. Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœnitenti, an et a quibus peccatis reservatis possit ipsum absolvere transacto Jubilæo? Ad n. 33. — 34. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ, quala vota vel promissiones possit commutare, vel non? Ad n. 49. — 50. Vota a confessario Jubilæi com-

Digitized by Google

mutata reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera injuncta pro Jubilæo lucrando. – 51. Votorum commutatio an obtineri possit post tempus Jubilæi? Ad n. 52.— 53. Confessarius jubilaris, an, et in quæ alia possit opera præscripta commutare? Ad n. 57. — 58. Ad legitimam operum commutationem quale impedimentum sufficiat. Ad n. 59. — 60. Quadruplex assignata facultas confessario jubilari concessa an exerceri debeat intra vel extra sacramentum confessionis. Ad n. 72.

(1. In Jubilæis extraordinariis duarum hebdomadarum conceditur cuilibet sæculari facultas eligendi confessarium ab ordinario loci approbatum. *Communis*, et patet ex bullis pro talibus Jubilæis edi solitis. (2. Etiam regulares possunt tempore Jubilæi sine licentia suorum superiorum sibi eligere confessarium quemlibet, sive sæcularem, sive regularem, ex approbatis ab ordinario loci: Navarrus, Suarez, Filliuc. dicens sic esse declaratum a sacra congregatione; Bossius, Diana, Bordon., Lugo, Gobat dicens esse rescriptum Roma, ut stetur verbis bullæ; Bellegambe part. III, sect. 6, q. 1, cum La Croix lib. VI, part. III, num. 1464; Felix Potestas tom. I, part. II, num. 1429; Tamburin. tom. II, pag. 37, n. 40, et sic etiam plures alii. Et de facto verba bullæ non solum dant potestatem « omnibus et singulis regularibus cujusvis ordinis, congregationis, et instituti eligendi sibi confessarium quemlibet tam sæcularem quam regularem, qui ab omnibus casibus absolvat, » etc.; sed etiam hanc potestatem concedunt; « non obstantibus quibuscunque privilegiis iisdem ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset. »

(3. Nec obstant constitutiones aliquæ Summorum Pontificum, et signanter Urbani VIII constitut. Incip. *In specula*, 19 Jun. 1630, declarantes, et respective declarans « Bullam Cruciatæ, et alia indulta hujusmodi regularibus et monialibus non suffragari quantum ad illum articulum eligendi confessarium independentem a suis superioribus. » Non obstat, inquam, quia ultra quam quod, ut notat Felix Potestas loc. cit., num. 1429, et alii, declaratio contraria Pontificum est expresse edita pro bulla Cruciatæ, minime pro Jubilæo, recte insuper advertit card. de Lugo disp. 20, de Pœnitentia, num. 189, diversis formulis, et efficacioribus revocari privilegia regularium in bulla Jubilæi, quam in bulla Cruciatæ. Unde quamvis regulares non possint vi bullæ Cruciatæ eligere confessarium sine licentia suorum superiorum, eo quod privilegium concessum regularibus, quod non possint eligere confessarium extraneum, non sit revocatum per bullam Cruciatæ, possunt tamen talem confessarium eligere vi Jubilæi, eo quod per ejus bullam censeatur revocatum supradictum privilegium, ut patet ex supra adductis verbis in bulla Jubilæi apponi solitis: « non obstantibus quibuscunque privilegiis iisdem ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset. » Et ratio cur non sit revocatum supradictum privilegium per bullam Cruciatæ, bene vero per bullam Jubilæi, est quia bulla seu indultum Cruciatæ est permanens, et ideo religionibus obesset; bulla vero seu indultum Jubilæi est transiens, favens omnibus, nulli nocens; ideoque sæpe Pontifices declararunt vi bullæ Cruciatæ se noluisse revocare privilegia religionum; secus vero vi bullæ Jubilæi. Quod præsertim constat ex declaratione Gregor. XIII, apud Rodriquez relata a Pasqualigo de Jubilæo, qu. 206, his verbis: « Congregatio pro majori parte sensit pro negativa sententia (videlicet, quod non possint confessarium extra religionem regulares eligere); dixit tamen dubium esse referendum Sanctissimo Domino, qui postea die 19 decembris 1581, in consistorio respondit: Tempore Jubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sacerdotibus etiam sæcularibus approbatis ad confessiones. Nam in bulla non fit mentio, nisi de ordinario eorum qui audituri sunt confessiones, non de ordinario pœnitentis. » (4. Imo nedum possunt regulares tempore Jubilæi confiteri cuicunque confessario approbato ab ordinario loci, tam sæculari quam cujusvis ordinis regulari, sed etiam possunt absolvi a casibus suo superiori regulari reservatis, ut apud Nicolium in Flosculis, verb. *Jubilæum*, num. 6, declaravit sac. congreg. Episcop. et Regularium 19 aprilis 1583, et Alexander VII, die 14 maii 1655, in suo brevi incip. *Unigenitus*, et sic antea declarasse Gregorium XIII, testatur Peyrin. de privileg. Regul. t. III, cap. 4, num. 3, pag. 1324, et Murga in tract. de Benefic. Ecclesiast., qu. 2, n. 121, pag. 44.

(5. Confessarius eligendus tempore Jubilæi debet esse approbatus ab ordinario loci, seu ipsius confessarii, non autem ab ordinario pœnitentis. Ita sacra congregatio Concilii interpretando bullam Jubilæi, et ex ejus sententia Sanctissimus declaravit bullam esse intelligendam de ordinariis eorum qui audiunt confessiones, non autem de ordinariis pœnitentium. Sic refert Fagnan. lib. V Decretal. in cap. *Ne pro dilatione* 16, de Pœnit. et Remission., n. 19. (6. Unde regulares, ut absolvantur a reservatis virtute Jubilæi, probabiliter non possunt eligere confessarium approbatum a solo suo prælato regulari: Suarez, Reginald. Vega, Lugo cum La Croix loc. cit., num. 1465; Filliuc., Lezana, Bossius, Henriq., Faustus et alii cum Viva de Jubilæo, qu. 9, art. 1, n. 3; Pontius dis. 46, qu. 10, conclus. 5, n. 138; Barbosa super Concil. Trid. sess. 23, cap. 15. Quilici quæst. 5, art. 4; Matthæucci Cautela Confessarii lib. I, cap. 9, num. 8, et alii. Et ratio est quia per *ordinarios locorum*, a quibus jubilares confessarii debent esse approbati secundum bullam Jubilæi, ibi: *Ex approbatis a locorum ordinariis*, in communi sensu intelliguntur episcopi; et secundum sacram Rotam Romanam part. XI, dec. 23, n. 8, et part. XIX, tom. I, decis. 69, n. 15, rigorose ordinarii nomen soli episcopo spectat seu convenit, non autem inferiori. (7. Opposita tamen sententia non caret sua vera probabilitate,

Digitized by Google

eamque tutam in praxi vocat Gobat in Quinario, tract. 3, de Jubilæo, num. 229, et probabilissimam et in praxi tutam appellat Sylvius Resol. variar. verb. *Jubilæum* 1, quem sequitur Pontas verb. *Jubilæum*, cas. 7, et tenent Sanctarellus, Coriolanus, Rodriquez, Bonacina apud Pasqualigum qu. 208; Diana part. v, tract. 12, resol. 37, et alii dicentes sufficere si confessarius sit approbatus a solo suo proprio prælato regulari, quia prælatus regularis est vere ordinarius suorum subditorum habens in illos jurisdictionem ordinariam, et, ut dicit Rota part, XIII, decis. 54, num. 15, appellatione ordinariorum veniunt omnes qui exercent jurisdictionem ordinariam quasi episcopalem. Tum quia « Favorabilem interpretationem non recipit, quæ eum cui favetur lædere possit, » favente aperte regula 61 Juris in 6, quæ sic expresse habet: *Quod in gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum.* Bulla autem Jubilæi plurimum læderet regulares multos, si præter suum morem cogerentur quærere confessarium ab ordinario loci approbatum, et forte illum quærere extra suum conventum.

(8. Moniales tempore Jubilæi non possunt eligere confessarium non approbatum in specie ad audiendas monialium confessiones; deducitur ex constitut. Greg. XV incip. *Inscrutabili*, et constitutione Clementis X incip. *Superna;* ubi declaratur confessarios approbatos generaliter ad audiendas confessiones sæcularium non posse audire confessiones monialium sine speciali approbatione pro ipsis. Et hoc etiam clare habetur ex declaratione sac. congregationis missa ad episcopum Abulensem anno 1593, et relata ab Arauxo in select. tract. 1, sect. 3, num. 15, et a Cajetano de Alexandris in Confessario monialium, c. 6, § 13, q. 6, in qua habetur quod approbatus ad audiendas confessiones certi generis personarum, vel in certa ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde quod non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas confessiones aliarum personarum, aut extra Ecclesias sibi designatas, et sic tanto minus ad audiendas confessiones monialium sine specifica approbatione pro ipsis: Viva de Jubilæo, q. 9, art. 2; Molfesius, Pellizarius, Alphonsus de Leon., Faustus cum Cajetano de Alexandris loc. cit.; Matthæucci Official. Curiæ, cap. 13, quoad confessarios monialium, num. 10; Felix Potestas tom. 1, part. II, num. 1423; Lantusca verb. *Jubilæum*, num. 2; La Croix lib. VI, part. II, num. 1467; Quilici Confessar. Manuduct., quæst. 1, artic. 1, num. 12; Polachus, Caspensis, et alii. (9. Imo neque confessarius approbatus pro uno monasterio potest tempore Jubilæi eligi a monialibus distincti monasterii, ut colligitur ex cit. constitut. Clementis X incip. *Superna*, in qua, ut jam declaraverat sac. congreg. Conc. super constitut. Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, in responsione ad nonum, dicitur præcise: « Atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. » Matthæucci loc. cit., num. 10; Viva loc. cit., sub num. 1, et alii. Vide verb. *Approbatio*, art. 3, a num. 5 ad 12, et verb. *Bulla Cruciatæ*, num. 12.

(10. Non desunt tamen qui defendant absolute contrarium, ut Peyrinus t. III, cap. 3, num. 4, pag. 325; Bonacina de Sacramentis, disp. 5, q. 7, n. 22; Bossius sect. 2, punct. 4; Pasqualigus de Jubilæo, q. 210; Portell. et Summa Dianæ verb. *Jubilæum*, num. 20, et alii, volentes quod etiam moniales tempore Jubilæi possint eligere quemcunque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum. Et ratio eorum est quia bulla Jubilæi permittit omnibus utriusque sexus fidelibus etiam regularibus, quod possint eligere confessarium approbatum ab ordinario locorum absolute, adeoque non apparet ulla ratio cur requiratur specialis approbatio pro monialibus. Et confirmant ex constit. Urbani VIII incip. *Pontificia sollicitudo*, in qua pro Jubilæo anni 1625 expresse concessit monialibus quod possent eligere quemcunque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum, quod et concessit Innocentius X pro Jubilæo anni 1650, ut refert Pasqualigus loc. cit., et ad constitutiones Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, et Clemens X incip. *Superna;* et ad decreta sacræ congregationis, in quibus declaratur confessarios approbatos generaliter ad audiendas confessiones sæcularium non posse audire confessiones monialium sine speciali approbatione pro ipsis, respondent supradicti doctores id verum esse extra Jubilæum, non vero tempore Jubilæi, pro quo Pontifices solent concedere etiam monialibus quod possint eligere quemcunque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum.

(11. At non sunt isti audiendi nec sequendi, nisi aliter a Sancta Sede statuatur aut declaretur, quia supradicti Pontifices in citatis constitutionibus non dicunt absolute ut sanctimoniales possint eligere confessarios quoscunque ex approbatis ab ordinariis locorum, sed expresse additur: *Ab eisdem ordinariis locorum ad id approbatos*, id est, ut explicant doctores, ad munus sanctimonialium confessiones excipiendi probatos. Et quamvis in Jubilæis extraordinariis pro omnibus concessis soleat concedi generaliter et absolute pro omnibus etiam regularibus utriusque sexus facultas eligendi quemcunque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum, tamen adhuc propter supra adducta dicendum est non posse moniales eligere nisi confessarios specialiter approbatos pro ipsis, quia ex regula 81 Juris in 6, *in generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

(12. Debent autem ordinarii tempore Jubilæi approbare plures confessarios, sive sæculares, sive regulares, quos moniales ipsæ exoptaverint, ut eos possint moniales pro majori suo spirituali solamine eligere pro Jubilæo lucrando juxta intentum Pontificis, ut decrevit sacr. congregat. Episcopo-

Digitized by Google

rum et Regul. 24 Martii 1634, apud Lantusca verb. *Jubilæum*, sub num. 1.

(13. Confessarius approbatus limitate pro solis viris non potest tempore Jubilæi eligi a mulieribus; ita confessarius approbatus pro solis rusticis non potest eligi a civibus, sic etiam approbatus limitate pro uno tantum loco non potest eligi extra illum locum. Sic expresse habetur ex declaratione sacræ congregationis missa ad episcopum Abulensem anno 1593, relata supra sub n. 8; et tenent Filliucius tract. 7, cap. 9, num. 262; Diana part. v, tract. 12, res. 48; Gobat de Jubilæo, cap. 31, n. 232; Viva de Jubilæo, quæst. 9, art. 2, n. 4; Bossius sect. 3, cas. 2; Trullench., Suarez, Rodriquez, Villalobos, Homobonus, Bordon., Tamburin., Lugo, cum La Croix lib. vi, part. ii, num. 1467, contra alios. (14. Nec tempore Jubilæi potest eligi confessarius complex seu socius criminis, ubi id per legem diœcesanam seu episcopi prohibetur, quia ibi relate ad complicem non habet confessarius approbationem, cum episcopus talem confessarium non approbet, imo positive reprobet respective ad suum complicem seu socium sui criminis: Bonacina de Sacramentis, qu. 7, punct. 5, § 3, n. 10; Moron. res. 98; Aversa q. 17, sect. 6; Viva q. 11, art. 3, num. 4; Bellegambe q. 5 et 6; La Croix loc. cit., n. 1468, et alii, contra Bossium, Pasqualig., Dicastil., et alios putantes non ideo tolli vel impediri jurisdictionem a Papa concessam. Vide verb. *Complex peccati*, num. 1 et 2, et infra n. 71.

(15. Nec potest extra necessitatem extremam pro confessario eligi excommunicatus, suspensus, irregularis, et tanto minus depositus et degradatus, quamvis antea fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata, ut recte dicit La Croix loc. cit., n. 1468.

(16. Confessariis vi Jubilæi electis solet concedi quadruplex facultas. 1. absolvendi a quibuscunque censuris; 2. absolvendi a quibuscunque peccatis; 3. commutandi Vota; 4. commutandi opera præscripta. *Communis*, ut patet expresse ex verbis bullæ pro Jubilæo edi solitæ. (17. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolvendi a quibuscunque censuris, potest absolvere a quibuslibet censuris, sive a jure, sive ab homine quovis modo et causa latis, etiam locorum ordinariis, seu Papæ et Sedi Apostolicæ, etiam in bulla *Cœnæ* contentis, et alias quomodocunque reservatis, ut habetur expresse ex verbis bullæ pro Jubilæo edi solitæ, ibi: « Sibi eligere possunt confessarium tam sæcularem, etc., qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, ac censuris a jure vel ab homine, quovis modo et causa latis seu inflictis, necnon ab omnibus criminibus, quantumvis enormibus, etiam locorum ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, et alias quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ tantum, et hac vice absolvere et liberare valeant. » (18. Ratione tam amplæ facultatis absolvendi ab omnibus censuris *etiam in bulla Cœnæ, et quomodocunque reservatis*, potest confessarius jubilaris probabilius absolvere etiam a censura hæresis, nisi hæc expresse excipiatur. Sic fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria anno 1617, occasione Jubilæi a Paulo V concessi, et servari in praxi refert Filliuccius tract. 8, de Jubilæo, cap. 10, num. 265, et tenet Zerola part. iv, Praxis Episc. verb. *Absolutio*, qu. 8, conclus. 4; Corduba in Summa, quæst. 8; Lugo disp. 23, de Fide, num. 102; Gobat tract. 3, de Jubilæo, cap. 33, num. 248; Azorius part. i, lib. viii, quæst. 12; Sanctarell. cap. 8, dub. 3; Reiffenst. Theol. moral., tract. 12, dist. 3, qu. 9, n. 129 et sequent.; La Croix lib. vi, part. ii, n. 1451; Sotus, Reginaldus, Fagundez, Bossius, et alii plurimi. Et ratio est quia, cum compertum sit plurimos graves doctores defendere hanc sententiam, et in praxi a plurimis confessariis hanc opinionem sequentibus conferri tempore Jubilæi absolutionem ab hæresi, si Pontifex vellet illam excipere, exciperet expresse: arg. c. *Inter corporalia* 2, de transl. Episcop., § *Sed neque istud*, ibi: *Unde si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, de translatione poterat expressisse;* et cap. *Quia circa* 22, de privilegiis, ibi: *Cum nihil exceperit, et potuerit excepisse.* Siculi de facto jam fecerunt alii Pontifices quando voluerunt crimen hæresis esse exceptum. Ergo cum id non exprimit, signum est quod vult amplissimam conferre facultatem absolvendi ab omnibus omnino reservatis; id enim congruit fini concessionis, ut scilicet possit quilibet Christifidelis Jubilæum lucrari, inter quos Christifideles vere numeratur lapsus in hæresim, et de hac vere pœnitens, et contritus, adeoque non apparet ratio cur is solus de mente Pontificis non possit fieri particeps Jubilæi, nisi expresse excipiatur. Tum quia beneficia principum nulli tertio præjudicantia sunt largissime interpretanda: cap. *Olim*, de Verb. Signif., et ex regula 15 juris in 6, *Odia restringi, et favores convenit ampliari.*

(19. Plurimi tamen alii cum Barbosa de Offic., et potest. episcop. part. ii, allegat. 40, num. 32, et novissime doctissimi P. Viva de Jubilæo, q. 11, art. 1, tenent oppositum. Imo Barbosa, loc. cit., refert ex aliis sic fuisse declaratum per aliquos Romanos Pontifices. Quæ declarationes, si vere emanassent, non esset locus dandus nostræ sententiæ, nisi dici posset quod dictæ declarationes emanassent a Pontificibus circa proprias suas bullas, aut quod ipsæ restringerentur intra limites Hispaniæ, aliorumque locorum ubi viget officium sanctæ inquisitionis, ad cujus instantiam dictæ declarationes emanaverint, ut patet ex verbis decreti relati a Diana part. i, tract. 3, resol. 1. Ad quod facit responsio sacræ Pœnitentiariæ a Filliucio supra adducta, quæ, si revera emanassent pro omnibus locis dictæ pontificiæ declarationes, non potuisset ipsa sic respondere.

(20. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolvendi a quibuscum-

Digitized by Google

que peccatis, potest absolvere ab omnibus peccatis Sedi Apostolicæ etiam in bulla *Cœnæ*, aut alias quomodocunque reservatis, et etiam a reservatis episcopo. Ita patet ex verbis bullæ Jubilæi adductis supra sub num. 17. (21. Imo a reservatis episcopo potest absolvere, etiamsi id non exprimatur, cum in Jubilæo facultas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ ferat facultatem absolvendi a reservatis ordinariis locorum. *Sic communissima doctorum*, cum Suarez disp. 7, de Censuris, c. 5; Viva de Jubilæo, qu. 11, art. 2; Diana part. III, tract. 4, resol. 149; La Croix loc. cit., num. 1451. (22. A confessario jubilari potest etiam absolvi qui spe Jubilæi commisit reservatum, quia hoc peccatum speciaiiter non reservatur. *Sic communissima doctorum*, cum Viva loc. cit., art. 3, num. 1; La Croix loc. cit., num. 1451; Navarr., Bossio, Filliuc., Suarez, Sanchez, et alii passim. Ac idem sub aliis terminis est, dum dicitur quod qui peccat peccato reservato in confidentiam Jubilæi, potest virtute Jubilæi absolvi, peccare autem in confidentiam Jubilæi est, quod notitia Jubilæi influat in peccatum, seu sit ejus causa, quatenus seclusa Jubilæi notitia, et spe facilis absolutionis reservatum non patratum fuisset; is, inquam, virtute Jubilæi absolvi potest, si vere doleat, et nisi expresse in confidentiam Jubilæi commissa excipiantur a bulla. Nec obstat quod cap. *Quando*, de Consecrat., dist. 4, dicatur quod peccans spe veniæ debeat subesse pœnæ, et non obtinere veniam; nam ibi, ut notat glossa, sensus est multoties sic peccantes puniri a Deo, ita ut non perveniant ad tempus veniæ obtinendæ. (23. Virtute Jubilæi potest quilibet absolvi, non solum a commissis ante publicationem Jubilæi, sed etiam a reservatis post Jubilæi publicationem commissis, quia in bulla Jubilæi datur amplissima facultas absolvendi a reservatis pro toto tempore Jubilæi; nec limitatur ad commissa, hoc vel illo tempore. *Sic communis* cum Viva loc. cit., num. 2; Sanch. lib. IV, c. 54, n. 26, ubi dicit quod potest quilibet toties absolvi quoties in reservata incidit ante elapsum Jubilæi tempus. (24. Imo etiamsi quis in prima hebdomada jam lucratus sit Jubilæum, si secunda hebdomada incidat in reservatum vel censuram, potest ab his absolvi, saltem si præscripta opera repetat: Diana, Navarr., Rodriquez, Henriquez, Reginald., Leo, Gobat, cum La Croix loc. cit., num. 1450; Viva loc. cit., n. 3. Quod etiam tenent Castropal., Dicastill., et alii, quamvis dicant eumdem non posse bis lucrari Jubilæum, cum validitas absolutionis non pendeat absolute ab indulgentia. Insuper posse absolvi, quamvis non repetat opera præscripta docent Rodriquez, Sa, Diana, Lother et alii; quod probabile esse dicunt Graff, Bonac., Castropal., Dicastill. et alii: Verba enim illa *pro hac vice tantum* in bulla Jubilæi apponi solita non referuntur ad actum absolvendi, sed ad tempus Jubilæi, id est pro tempore hujus Jubilæi tantum, ut recte notant Viva loc. cit., num. 2; Bossius apud ipsum qu. 6, artic. ult., sub num. 2, vers. *Ad tertiam*; La Croix loc. cit., n. 3450, et alii.

(25. Idem Jubilæum ad duas hebdomadas concessum, potest probabiliter bis obtineri, si repetantur opera præscripta. Sanctarell. de Jubilæo, c. 5, dub. 4, Navarr. de Jubilæo, notabil. 32, n. 46; Reginald. n. 155; Lezana in Summa, verb. *Jubilæum*, num. 20; Henriq. de Indulgentiis, lib. VII, c. 11, num. 1; Rodriquez. in Summa, capit. 184, num. 14; Benzonius lib. V, cap. 15, dub. 25; Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 14, num. 92 et sequent.; Diana part. II, tr. 17, resol. 49, et part. V, tract. 12, resolut. 28, cum aliis ibi relatis; Viva q. 6, art. ult., n. 2, cum aliis, Arsdekin. tom. II, p. 141, cum pluribus ibi citatis, et novissime cum aliis Pontas in suo Dictionario, verb. *Jubilæum*, cas. 17, et alii plures. Et ratio est quia, ut dicitur in cap. *Olim* 16, de Verbor. signific. *Beneficia principum sunt interpretanda largissime*, quod est desumptum ex l. *Beneficium*, ff. de Constit. Princip., ubi dicitur: *Beneficium imperatoris, quod a divina ejus scilicet indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus;* et cap. *Odia* 15, de Regul. Juris in 6, expresse dicitur: *Favores convenit ampliari*, ergo quoties non limitatur ad unam tantum vicem expresse, potest quis indulgentiam indefinite concessam toties lucrari quoties opera præscripta repetit, et sic de indulgentia Jubilæi Anni Sancti fuit declaratum ab Urbano VIII, ut diximus art. antecedenti, n. 24. Tum quia in l. *Ea quæ* 152, § 1, *ff. de Reg. Juris*, sic expresse habetur: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est quam tutius.*

(26. Fateor tamen quod est æque probabilis apposita sententia, quam docent Sanch. lib. IV, c. 54; Suar. disp. 57, sect. 1; Reiffenst. Theol. Moral., tract. 12, dist. 3, qu. 9, n. 120; Felix Potestas tom. I, part. IV, n. 3826; Busembaus lib. VI, tract. 4, c. 1, dub. 4; Faustus, Layman, Bonacina, et alii apud Rossium sect. 2, cas. 40; Sannig. l. V Decret. tit. de Pœnitent. et Remiss., c. 2, n. 15, et alii plures, innixi verbis Bullæ, quæ solet uti clausula disjunctiva, *Qui prima vel secunda hebdomada*, etc.; et infra: *Alterius ex duabus hebdomadis*, adeoque inferunt ipsi, nonnisi disjunctive poterit Jubilæum obtineri prima vel secunda hebdomada, et non bis, seu copulative in utraque. Imo Filliucius tom. I, tract. 8, c. 16, n. 261 et 278, refert sacram congregationem Concilii et Clementem VIII declarasse semel tantum sumi posse Jubilæum, tam in Anno Sancto quam in aliis, et semel tantum quempiam posse a reservatis absolvi. Quæ declaratio, si revera emanasset, et de ea constaret authentice, non esset recedendum ab hac opinione. At quia, ut notant Diana, Gobat, Viva et alii, de ea non constat authentice, imo de Jubilæo Anni Sancti habetur declaratum oppositum ab Urbano VIII posteriore dicto Clemente VIII, quod nempe toties possit obtineri quoties repetuntur opera præscripta, ideo adhuc sistit in suo robore nostra con-

Digitized by Google

clusio tot doctoribus et rationibus munita.

(27. Absolutus vi Jubilæi a peccatis quorum meminit, si ex oblivione et inculpabiliter omisit confiteri peccatum reservatum, vel censuratum, potest transacto Jubilæo ejus absolutionem obtinere a quolibet simplici confessario; Sanchez, Filliucius, Portell., Diana, Pellizarius, Castropal., Dicastill. Bellegambe cum La Croix lib. VI, part. II, n. 1449; Covarruv., Coninch., Ledesma, Navarr. Reginald., Arriaga, Lessius, Tamburrin., Lugo, Herinex, Gobat, cum eodem La Croix lib. VI, part. II, num. 1695; Reiffenst. loc. cit. num. 125; Sannig. loc. cit., num. 17; Viva de Jubilæo, quæst. 11, art. 4, num. 2, cum Silvestr., Gabriele, Sa, Diana, et aliis ibi citatis. Et ratio est quia confessarius censetur conferre absolutionem quoad ejus fieri potest: unde, quia tempore Jubilæi potest reservationem oblitorum tollere de facto, et absolute illam tollit, et consequenter transacto Jubilæo ab illis potest absolvere quilibet simplex confessarius. (28. Bona fide confessus tempore Jubilæi, et ex invincibili defectu doloris vel propositi invalide absolutus, si cætera præscripta impleverit, remanet probabiliter immunis a reservatione peccatorum et censurarum, ita ut post Jubilæum possit a quolibet simplici confessario absolvi. Sic Lugo disp. 20, n. 110; Dicastill. d. 11, num. 124; Herinex d. 7, num. 26; Coninch d. 8, de Pœnitent. num. 92; Henriq. lib. VII, cap. 11; Viva qu. 11, art. ultim.; Comitolus, et alii apud Dianam par. II, tract. 11, resolut. 18, contra Bossium sect. 1, cas. 35; Rodriq., Faustum, Reginaldum et alios plures. Et ratio nostra est, quia confessarius absolvendo voluit facere quantum potuit; reservatio autem potest tolli, non sublatis peccatis. Imo Lugo disp. 20, de pœnit. n. 113; Cajetan., Zacch., Henriq., et alii relati a La Croix lib. VI, part. II, n. 1449, dicunt auferri reservationem, quamvis ipse sacrilege ex malitia fuerit confessus, dummodo habuerit animum faciendi deinde confessionem validam et lucrandi Jubilæum; quod probabile censent Bonacina et Diana apud La Croix loc. cit. Et ratio istorum est, quia extra confessionem etiam a delegato confessario tolli potest reservatio ex vi potestatis quam delegavit superior. Unde, quamvis confessio fuerit sacrilega et malitiose invalida, et nulla quoad absolutionem a peccatis, adhuc tamen fuit sublata reservatio, quia satisfecit legi ecclesiasticæ reservationis, exponendo peccata reservata habenti potestatem in illa, et volenti saltem implicite et virtualiter tollere illam reservationem, cum voluerit facere quidquid potuit, et consequenter cum ratione delegationis sibi factæ pro tempore Jubilæi potuerit tollere reservationem, volendo facere quidquid potuit, de facto illam abstulit.

(29. Probabilius tamen dicendum est non tolli reservationem per confessionem sacrilegam, et malitiose nullam, quia fraus non debet alicui prodesse: cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, de Rescriptis; cap. *Tuæ* 12, de Cleric. non resid.; cap. *Ex litteris* 2, de Dolo et Contumac., ubi expresse sic dicitur: *Nos attendentes malitiam et dolum nulli patrocinari debere.* Nec debet quis lucrum a sacrilegio reportare, arg. cap. *Propositum* 1, de eo qui duxit in matrimonium *quam polluit*, ubi sic expresse habetur: *Nec dignum est ut prædictus vir, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet.* Tum quia aliquid concedens generaliter, non censetur concedere id quod negaret, si specialiter rogaretur; cap. *In generali* 82, de Regulis juris in 6, ibi: *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Unde Papa hoc negaret tali sacrilego, si rogaretur, sicuti negat potestatem implendi præceptum de annuali confessione per confessionem voluntarie nullam, ut patet ex propositione 14 in ordine inter damnatas ab Alexand. VII, 14 septemb. 1665, ibi: *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Et sicut negat potestatem implendi præceptum paschale per sacrilegam communionem, ut patet ex propositione 55 in ordine inter damnatas ab Innocentio XI, 2 martii 1679, ibi: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, adeoque concludendum est probabilius non tolli reservationem per sacrilegam confessionem quam voluntarie quis facit tempore Jubilæi eo fine ut a suis peccatis et censuris reservatio auferatur; Viva q. 11, art. ult., num. 2; La Croix loc. cit., num. 1475, et alii plures.

(30. Qui animo adimplendi omnia pro Jubilæo fuit absolutus a reservatis, valide remanet absolutus, nec reincidit in reservationem vel censuram, quamvis postea etiam ex negligentia seu pigritia opera præscripta non impleat, et sic Jubilæum non lucretur, *Communissima* cum Navarr., Henriq., Laym., Platel., Bellegamb., qu. 4; Viva art. 5, num. 1; La Croix loc. cit., num. 1448. Et ratio est, quia absolutio ejusmodi fuit data omnino absolute, non autem sub conditione de futuro, adeoque semel habita, simpliciter, et semper tenet. (31. An autem, et qualiter peccet, qui post obtentam absolutionem a reservatis, mutat propositum, et non vult alia opera præscripta implere, et Jubilæum lucrari? Quamvis omnes doctores conveniant quod peccet, variant tamen an venialiter vel mortaliter. Et quidem Suarez disp. 31, de Pœnitentia, sect. 4, n. 5; Aversa q. 17, sect. 8; Viva qu. 11, art. 5, n. 2, cum Vasquez, et Filliucio dicunt talem peccare mortaliter, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi, cum videatur intervenire quoddam tacitum pactum inter Pontificem et pœnitentem, ita scilicet ut Pontifex concedat hujusmodi media, et pœnitens acceptet obligando se ad ponendum finem. Econtra Henriquez, Sanchez, Bonacina, Lugo, Portell., Castrop., Bellegamb., apud La Croix loc. cit., num. 1448; Gobat in Quinario tract. 3, num. 262; Reiffenstuel Theol. moral., tract. 12, d. 3, num. 105, et alii probabilius esse censent quod talis non peccet mortaliter,

Digitized by Google

quia, cum ipse bona fide petierit et obtinuerit absolutionem a reservatis, non appareret sufficiens fundamentum inducendi obligationem sub mortali ad implenda cætera opera cum nulli gravem injuriam inferat, sibique solummodo noceat non lucrando Jubilæum, ad quod nulla lege sub mortali obligatur.

(32. Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœnitenti potest, transacto Jubilæo, ipsum absolvere ab omnibus peccatis reservatis commissis ante transactum Jubilæum : Bossius, Diana, Lugo, Sanchez, Gobat, Bellegambe, Sanctarell., La Croix loc. cit., num. 1473; Viva qu. 11, art. ult., et alii passim. (33. Imo Bossius, Faustus lib. IV, qu. 33; Viva loc. cit., artic. ult., et alii absolute dicunt posse confessarium ipsum absolvere etiam a peccatis reservatis commissis post transactum Jubilæum, quod probabiliter tenent Sanctarell. de Leon., Diana et alii; quia Papa saltem permittens sic differri confessionem, vult ut pœnitens lucretur Jubilæum. Non posset autem lucrari Jubilæum, nisi absolvi posset etiam ab illis ultimis reservatis. Econtra vero Sanctarell., Lugo, Gobat, apud Bellegambe p. III, sect. 5, qu. 2, probabilius dicunt non posse absolvi a peccatis reservatis commissis post transactum Jubilæum, quia jurisdictio prorogatur solum respective ad peccata tempore Jubilæi existentia, quod certum esse dicit Rhodes, et limitat Aversa q. 17, sect. 8, nisi Papa ipse concesserit facultatem differendi confessionem.

(34. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ commutandi vota, potest ordinarie commutare omnia vota, exceptis votis castitatis et religionis. *Communis*, et clare patet ex verbis bullæ edi solitæ pro Jubilæis. (35. Talis potestas commutandi vota se extendit etiam ad vota jurata seu juramenta, quia quantum ad hoc eadem est ratio de voto et juramento, cum eadem sit voti ac juramenti obligatio passiva : Gobat in Quinario, tract. 3, c. 38, num. 287; Diana par. I, tract. 11, resolut. 43; Suarez lib. VI de voto, cap. 14, num. 19; La Croix lib. VI, par. II, n. 1459; Illsung tom. V, num. 70; Bellegambe part. III, sect. 12; Moya, Sanchez, Tamburrin., Castrop., et alii plures, contra Navarr., Less., Azorium et alios.

(36. Item se extendit ad vota in favorem tertii facta, et nondum acceptata, ut si quis vovit alicui ecclesiæ calicem, alicui pauperi eleemosynam, et hujusmodi, tunc enim tale votum potest commutari, quia nullum adhuc jus est acquisitum ecclesiæ, pauperi, etc. Diana part. I, tract. 11, resolut. 47; Sanch. lib. IV Moral., cap. 41, n. 9; Gobat loc. cit., nu. 288; Suarez loc. cit., lib. VI, cap. 15, num. 3 et 11; La Croix lib. III, par. I, num. 533 et seq., et alii communiter. (37. Secus autem, si vota facta in favorem tertii jam essent acceptata, ut si ille tertius promissionem in voto inclusam, et non injuste extortam, acceptasset, quia tunc illi tertio esset jus acquisitum ad rem in voto promissam. *Communis*. (38. Item confessarius jubilaris commutare potest promissiones factas sanctis quæ veniunt nomine voti, licet re ipsa vota non sint, Gobat loc. cit., n. 289; La Croix lib. III, par. I, n. 514; Bellegambe et alii. (39. Item commutare potest votum de non petenda commutatione aut dispensatione votorum : Suarez, Sanchez, Pellizarius, et alii communiter, cum Viva q. 12, art. 1, n. 4.

(40. Confessarius jubilaris commutare potest etiam vota castitatis et religionis, quando sunt pœnalia, ut si quis voveat se religionem ingressurum, si adhuc blasphemaverit, si se inebriaverit, et hujusmodi. Hoc votum potest dispensari a confessario jubilari, non solum ante blasphemationem, inebriationem, et hujusmodi, ut habet communis, sed etiam post illam, quia hujusmodi votum procedit non ex affectu religionis aut castitatis, sed in frenum et tanquam medium ad finem intentum. Unde tale votum non est proprie votum religionis, sed punitionis; directe enim potius vovet non blasphemare, se non inebriare, et hujusmodi, et religionem potius eligit velut pœnam, et non tanquam materiam quæ promittatur Deo absolute et ex affectu illius, quod proprie spectat ad votum, adeoque, etc. Gobat, Sa, Suarez, Sanchez, Viva quæst. 12, artic. 2, num. 1; La Croix lib. III, part. I, num. 546, et alii plures, contra Azorium, Lessium et alios. (41. Item commutare potest vota castitatis et religionis, quando sunt conditionata, ut si quis voveat religionem, si convaluerit, si aliquod periculum evaserit, si tale intentum obtinuerit, et hujusmodi; Sanchez lib. VIII, qu. 10; Diana par. I, tract. 11, resolut. 54; Viva loc. cit., n. 2; La Croix loc. cit., num 545, et ipso teste, alii communiter contra Cordubam, Navarrum et Azorium. Nec solum commutari potest tale votum conditionatum ante conditionem impletam, uti volunt Suar., Filliuc., Bonac. et alii, ex quo dicunt ipsi, impleta conditione transierit in absolutum, sed etiam commutari potest post impletam conditionem; Viva loc. cit., num. 2; Bellegambe part. III, sect. 13, q. 2; La Croix l. cit., n. 545, et ipso teste, alii communiter contra Lessium, Layman, Suarez, Filliucium et Bonacinam. Et ratio est, quia tale votum ab initio non fuit reservatum, cum non fuerit promissa Deo religio ex affectu ad ipsam, sed ex affectu salutem recuperandi, evadendi a periculo, vel obtinendi tale intentum, quod rigorose non est votum religionis, quod solum est reservatum; adeoque, si non fuit reservatum ab initio, nec tale sit post impletam conditionem, cum nulla nova voluntas accedat. Licet enim vota conditionata, purificata conditione evadant quodammodo absoluta, nihilominus de se sunt imperfecta, quia imperfectum est eorum principium, quod spectari debet ex l. *Nam origo*, ff. *Quod vi, aut clam*. Imo Diana cum aliis apud La Croix loc. cit. addit quod, etiamsi post impletam conditionem fuisset confirmatum, non ideo esset reservatum, quia confirmatio semper cadit super idem

Digitized by Google

votum ab initio conditionale, nisi nunc esset emissum independenter a primo voto.

(42. Item commutare potest confessarius jubilaris votum alternativum, seu disjunctivum, cujus altera pars est commutabilis, ut cum quis vovet vel castitatem vel peregrinationem, cum enim possit ipse eligere peregrinationem, quæ est commutabilis, poterit absolute tale votum commutari; Suarez, Sanch., Azorius, Bonacina, Castropal., Rebell, cum La Croix loc. cit., num. 548, et alii, cum Bellegambe par. III, sect. 13, q. 2; Viva loc. cit., n. 4, arg. cap. *In alternativis* 70, de Reg. juris in 6, ibi : *In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.* (43. Imo tale votum esset commutabile, etiamsi altera pars, scilicet peregrinatio, fieret voventi impossibilis, et quamvis vovens postea proposuerit eligere castitatem præ peregrinatione, dummodo illam absolute non promiserit, seu voverit, quia talis impossibilitas peregrinationis, et tale propositum eligendi castitatem præ peregrinatione non immutat rationem voti præsuppositi in ratione voti; Diana, Tamburin., Malder, Moja, Illsung, Bellegambe, cum La Croix loc. cit., n. 548; Suarez, Layman, Filliucius, cum Viva loc. cit., num. 4, contra Bonacinam et alios.

(44. Confessarius jubilaris potest commutare vota castitatis et religionis, si emissa sint ex metu, etiam levi tantum ad ea extorquenda injuste incusso, quia talia vota non sunt perfecte libera et deliberata: Sanchez, Henriq., Layman, Trullench., Castropal., Bonacina, Navarr., Diana cum Viva loc. cit., num. 5; Lessius, Illsung, Bellegambe, cum La Croix loc. cit., num. 544. (45. Item commutare potest votum assumendi sacros ordines, quia tale votum non est reservatum, cum sit tantum votum vovendi castitatem, et necdum castitatis. Sacris enim ordinibus non est annexa castitas ex natura rei : Lessius, Sanchez, Diana, Castropal., Henriq., Sa, Suarez, cum La Croix, loc. cit., num. 562; Bellegambe loc. cit., quæst. 3; Illsung. loc. cit., num. 145; Viva loc. cit., num. 9; Gobat loc. cit., capit. 40, num. 313. (46. Item commutare potest vota castitatis et religionis emissa ab impuberibus, quia ante pubertatem imperfecta est deliberatio et promissio, et hinc est quod non possint impuberes ante pubertatem eligere statum natura sua perpetuum, qualis est status matrimonialis : cap. *Attestationes* 10, de Desponsatione impuberum. Et sic *Communis doctorum.* (47. Item commutare potest votum non nubendi, quia non est votum omnimodæ castitatis, quod requiritur ad reservationem : Henriq., Valerius, Sanchez, Tambur., Bellegambe, cum La Croix loc. cit., num. 559; Gobat loc. cit., cap. 40, num. 313. (48. Item commutare potest votum non petendi nec reddendi debitum, quia nec ipsum est votum omnimodæ castitatis : Sanctus Antoninus, Sa, Henriquez, cum La Croix loc. cit., num. 559, qui ex Lessio et Bellegambe addit hoc verum esse, licet factum esset de mutuo consensu conjugum. (49. Item commutare potest votum castitatis emissum ad certum tempus, quia ad hoc, ut sit reservatum, debet esse perpetuum. Navarrus, Sotus, Sanchez, Castropal., Layman, lib. IV, tract. 4, c. 8, n. 8; La Croix loc. cit., n. 557; Gobat loc. cit.

(50. Vota a confessario jubilari commutata non reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera pro Jubilæo lucrando injuncta, quia commutatio est absolute facta : Viva qu. 12, art. ult., num. 1, et alii passim. (51. Etiam post tempus Jubilæi obtineri potest votorum commutatio. Si enim pœnitens tempore Jubilæi oblitus sit petere sui voti commutationem, fecerit tamen omnia opera præscripta, poterit illius commutationem exigere et obtinere a quocunque confessario a loci ordinario approbato, etiam post Jubilæum : Sanchez lib. IV, de voto, c. 54, n. 36; Diana par. V, tract. 12, resol. 40; Viva qu. 12, art. ultim., n. 3; Portell. verb. *Jubilæum*, n. 7; Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 39, n. 308, ubi ex Lessio lib. II, de Justitia c. 40, n. 109, expresse dicit posse etiam post annum peti talem commutationem, et quidni post vicennium! Et ratio est quia Jubilæum semel obtentum dat jus omni tempore, etiam post Jubilæum, eligendi confessarium pro iis gratiis acquirendis quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, et tamen obtentæ non fuerunt; tale enim privilegium non est alligatum tempori, sed natura sua est perpetuum. (52. Imo secundum aliquos pœnitens, etiamsi memor sui voti noluerit petere dispensationem tempore Jubilæi, poterit æque illius commutationem post decennium petere, ac si tempore Jubilæi esset oblitus, quia favores Jubilæi semel acquisiti non magis prosunt oblitis quam iis qui fuere memores. Sic Gobat loc. cit., num. 309; Sanchez loc. cit., n. 45; Lessius loc. cit., num. 109, et alii, contra Suarez, Bonacinam, Filliucium, volentes non posse pœnitentem obtinere commutationem votorum post tempus Jubilæi, quorum opinio non est improbabilis.

(53. Confessarius jubilaris, ratione facultatis sibi concessæ commutandi opera præscripta, potest ea commutare in alia, etiam aliunde debita, v. gr. ex voto, pœnitentia, præcepto : La Croix, lib. VI, part. II, num. 1444 : Bellegambe part. I, sect. 3, qu. 1; Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 17, num. 108; Lugo, et alii passim, contra Armillam, Bonacinam, Tabienam, et alios. Et ratio nostra est, quia, sicuti moraliter rtum ce esse debet, per illa eadem opera quæ præscribit Pontifex, obtineri posse Jubilæum, etiamsi aliunde debita sint, ut observat Layman lib. V, tract. 7, c. 3, n. 13, ita confessarius jubilaris opera a Pontifice præscripta commutare potest ex rationabili causa in opera, quæ pœnitens jam ex præcepto, voto aut pœnitentia facere tenebatur, quia *Subrogatum naturam sequitur, et conditionem illius pro quo subrogatur*, ut, teste Gobat loc. cit., tenent doctores communiter per textum in cap. *Ecclesia* 3, *ut lite pendente.* (54. Commutatio operum debet fieri

Digitized by Google

in opera moraliter æqualia; aliter non esset pura commutatio, sed partialis dispensatio. Et talis æqualitas spectanda est, non tam in ordine ad præstantiam aut pœnalitatem operis, quam in ordine ad mentem et finem Papæ Jubilæum concedentis: Gobat loc. cit., num. 109; La Croix loc. c., n. 1444; Rodriquez., Navarrus, Layman, Lugo, et alii passim.

(55. Confessarius jubilaris poterat olim commutare omnia opera præscripta, quia bullæ antiquæ in facultate commutandi opera omnia solebant exprimere. Nunc vero, ut notat Lugo disp. 27, de pœnitent., n. 118, et ex ipso Claudius La Croix, loc. cit., num 1441, et alii, bullæ solent exprimere solum commutationem jejunii, eleemosynæ, visitationum templi, et orationis, nulla facta mentione confessionis et communionis. Unde diligenter sunt attendendæ bullæ, et si alia opera exprimant, et nullam faciant mentionem de confessione et communione, non est de istis facienda commutatio, quia bullæ tantum valent quantum sonant; et si etiam de istis velle possent fieri commutationem, etiam de istis exprimerent: arg. c. *Inter corporalia* 2, de translatione episcopi, et c. *Quia circa* 22, de privilegiis. (56. Dato tamen casu quo aliquis ante ultimam Dominicam omnibus præter communionem peractis, vellet ipsa ultima Dominica communicare, sed inadvertenter mane jejunium naturale violasset, posset confessarius illa ipsa ultima Dominica communionem commutare in aliud pium opus, quia adesset moralis impossibilitas communicandi, *et impossibilium nulla est obligatio*: l. *Impossibilium*, ff. de Regul. Juris, etc. *Nemo potest* 7, de Regulis juris in 6, ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari*. Et quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit: c. *Quod non est*, de Regulis juris; c. *Quoniam* 13, caus. 1, q. 7; c. *Concilium* 2, de observ. jejunior.; c. *Omnes* 1, de Feriis, cum similibus, Sanctarell. c. 7, dub. 1; Gobat l. c., num. 112; Bellegambe sect. 8, q. 2; Diana par. III, tract. 4, resol. 152, et alii passim. (57. Et communionem posse commutari cum pueris, docet Vega, Sanctarell., Hurtad., Bossius, Faustus, apud Vivam quæst. 8, art. 4, num. 4, qui tamen cum Vasq. probabile putat non esse opus commutationis, quia cum a jure seu a consuetudine prohibeantur pueri communionem sumere, idque noverit Summus Pontifex, videtur non exigi ab iis sacra communio, arg. c. *Tua de testamentis*, ubi conditio de jure impossibilis, etiamsi apponatur, habetur pro non apposita.

58. Ad legitimam operum commutationem non sufficit quodcunque impedimentum, sed requiritur impedimentum cum impotentia saltem morali proveniente ex notabili gravique difficultate. Colligitur ex tenore bullarum Jubilæi, quæ solent apponere particulam: *Qui nequeunt*. Verbum autem *Nequeo* proprie significat impotentiam saltem moralem supra expressam. Sic Gobat loc. c., n. 99 et seq., et ipso teste, sic habet praxis, et *Communis doctorum*. (59. Si tamen causa commutandi fuerit re ipsa insufficiens, sed bona fide judicata sit a confessario sufficiens, adhuc valet talis commutatio pro Jubilæo lucrando, quia commutatio remittitur judicio confessarii, et ex c. *Cognoscentes* 2, de Constitutionibus: *Rem quæ culpa caret in damnum vocari non convenit*. Gobat loc. cit., n. 103; La Croix loc. c., n. 1443, et alii.

(60. An autem hæc facultas commutandi opera præscripta, sicuti et quælibet alia ex assignatis supra sub n. 16, solitis concedi confessariis vi Jubilæi, debeat exerceri intra vel extra sacramentum confessionis, non omnes conveniunt doctores. (61. Primam enim, nempe *facultatem absolvendi a quibuscunque censuris*, posse exerceri pro foro interno extra confessionem, etiamsi in bulla dicatur *auditis confessionibus*, docet Sanchez de Matrimonio lib. VIII, d. 34, n. 30; Gobat in Quinario, tract. 3, c. 34, a n. 257; Coninch., Trullench., Baldi, Avila et alii, cum Diana, part. I, tract. 11, resolut. 250, quia dicunt ipsi, illa verba *auditis confessionibus* videntur significare, *auditis peccatis* propter quæ contracta est censura. Nam absolutio a censuris nullam habet connexionem cum absolutione sacramentali. (62. At vero probabilius dicendum est cum Suarez tom. V, in III parte, disp. 7, sect. 5, n. 36, et lib. VI, de Voto, Vasquez, Navarr., Filliucio, Viva q. 10, art. ult., n. 4; La Croix, lib. VII, n. 161, et aliis, communius non posse exerceri talem facultatem extra sacramentum confessionis, maxime quando in bulla dicitur quod absolutio conferatur *auditis confessionibus*; quia, quando in bulla ponuntur dicta verba, clare denotatur quod absolutio a censuris debeat conferri eodem tempore quo confertur absolutio a peccatis. Hinc Pignatell. tom. I, consult. 20, cum pluribus aliis docet quod, quamvis dispensatio et absolutio pro foro externo dari possit absenti, aut etiam invito, tamen in commissionibus sacræ Pœnitentiariæ non potest absenti dari absolutio, si addatur *pro foro conscientiæ*, et ideo sæpe additur *in actu sacramentalis confessionis*.

(63. Secunda facultas, nempe *absolvendi a quibuscunque peccatis*, id est etiam a reservatis, exerceri non potest extra sacramentum confessionis, quia licet, reservatio possit extra sacramentum confessionis tolli ab aliis qui habent potestatem ordinariam absolvendi a talibus peccatis reservatis, tamen fieri debet in confessione ab illis qui habent delegatam tantum potestatem, uti sunt confessarii vi Jubilæi electi. Delegatur enim illis ut, auditis confessionibus, absolvant a reservatis. Gobat. loc. c., cap. 32, n. 239; Suarez, Vasquez, Lessius, Lugo, Bordon., Bellegambe, cum La Croix, lib. VI, p. 2, num. 1452, ubi subjungit oppositum videri dicere alios, quos ipse citat sub n. 1695.

(64. Tertia facultas, nempe *commutandi vota*, potest probabiliter exerceri etiam extra confessionem. Suarez, Sanchez, Henriquez, Bonacina, Layman, Castropal., Diana, Gobat cum Bellegambe de Jubilæo, p. III, sect. 2, qu. 5; La Croix, lib. III, p I. num. 507, et

Digitized by Google

lib. VI, part. II, n. 1460. Et ratio est, quia nullibi præscribitur quod commutatio votorum fiat in sacramento confessionis, quamvis enim in bulla soleat dici quod *confessionibus auditis valeat absolvere a peccatis et commutare vota*, tamen verba illa *confessionibus auditis* referri debent in ordine ad absolvendum a peccatis, et non in ordine ad commutanda vota, quia facultas commutandi vota, cum non concernat actum confessionis, potest extra confessionem exerceri. (65. Imo Bellegambe et La Croix, locis citatis, Tamburinus et alii, tenent quod commutatio votorum fieri possit etiam cum absente. (66. Insuper Sanchez lib. IV, cap. 54; Diana p. III, tract. 2, resolut. 9, et alii apud ipsos; La Croix lib. III, p. I, n. 507, et lib. VI, part. II, num. 1460 et alii, docent posse fieri commutationem votorum etiam a confessario qui non audit confessionem pœnitentis, et cui pœnitens nullatenus vult confiteri. Licet enim hoc spectet ad forum conscientiæ, non ideo spectat ad forum pœnitentiæ. (67. Oppositum tamen tenent vere probabiliter Rodriquez, Beya, Sayrus et alii, cum quibus videtur consentire etiam Viva q. 12, art. ult., n. 2, ubi adducta supradicta opinione subjungit : *Verum de hujus opinionis probabilitate alii judicent.* Vide verb. *Impedimenta matrimonii* art. 3, n. 36 et 37.

(68. Quarta facultas, nempe *commutandi opera præscripta*, potest fieri extra confessionem, dummodo intra tempus Jubilæi, etiam a confessario, cui posset confiteri pœnitens, quamvis ei confiteri non cogitet. Sic tenent et declaratum referunt a Gregorio XIII, Sanchez, Lugo, Busemb., et alii plurimi, cum Bellegambe, part. III, sect. 8, q. 5; La Croix lib. VI, part. II, num. 1439, et alii. (69. Aliqui tamen, ut refert La Croix, loc. cit., dubitant, quia per confessarium dicunt debere intelligi confessarium pœnitentis lucraturi Jubilæum; confessarius autem cui non cogitat confiteri, non potest dici confessarius pœnitentis.

(70. Quoad confessarium jubilarem affertur attendenda sequens Resolutio.

PATAVINA

Facultatis absolvendi.

Occasione universalis Jubilæi nuper indicti pro imploranda divina ope adversus Turcas, tres sacerdotes capuccini in Patavina diœcesi absque approbatione et licentia eminentissimi episcopi confessiones sacramentales plurium sæcularium personarum publice exceperunt; et quamvis fuissent moniti a parocho de eorum inhabilitate, attamen ab incœptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet eminentissimo episcopo ad docendum de eorum prætensa facultate absolvendi, responderunt quod in opinione probabili aliquorum auctorum regularium, primus eorum uti Guardianus, et prælatus regularis, secundus uti approbatus in aliena diœcesi, et tertius uti approbatus ab ipso episcopo Patavino in alio loco diœcesis ad annum, licet jam elapsum, potuerunt licite et valide tempore Jubilæi excipere dictas confessiones absque nova ordinarii approbatione. Eminentissimus autem episcopus animadvertit huic prætensioni resistere tum constitutiones san. mem. Urbani VIII et Innocentii X, relatas per Fagn. in capit. *Sane*, de Offic. et potest. Judicis Delegati; tum constitutiones san. mem. Alexandri VII 3 januarii 1656, et Clementis X de anno 1670, quæ omnes expresse prohibent ne regulares absque approbatione ordinarii confessiones audiant, quamvis in alio loco approbati; tum etiam responsa hujus sac. congregationis super dubiis ad bullam san. mem. Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, tum denique expressam mentem sanctissimi Domini nostri, qui in bulla præfati Jubilæi requisivit confessarios ab ordinariis locorum esse approbatos : unde plurimum dubitans de viribus hujusmodi confessionum, ab oraculo hujus Sacr. Congregationis quanto citius responderi petit.

Primo an licite?

Secundo, an valide dicti Capuccini sæcularium confessiones exceperint? Et sac. cong. Conc. die 11 Dec. 1683, respondit.

Ad primum, *Illicite.*

Ad secundum, *Invalide;* sed non esse inquietandos illos qui bona fide confessi sunt. Attamen, si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.

Quo vero ad Capuccinos, eminentissimus ordinarius conficiat processum circa administrationem sacramenti pœnitentiæ ab iisdem exercitam, non obstante contraria dispositione sacri concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, et transmittat

Sic refert cardinalis de Lambertinis, postea Summus Pontifex, in suis eruditissimis notificationibus, volumine I, notificatione 17, in fine.

(71. Jubilæi concessio non tribuit sacerdoti facultatem excipiendi confessionem personæ complicis in peccato turpi. Bened. XIV, tom. I, constit. 20, incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 5.

(72. Absolutio ab hæresi etiamsi expresse non reservetur in bulla Jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi bulla absolutionem a criminibus in bulla *Cœnæ* expressis in genere permittat, ut decrevit sacra congregatio Sancti Officii die 23 martii 1656, sub Alexandro VII, Institut. Eccles., 48, § 15.

In Jubilæo confessarii ab ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi qui ab ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt, sed modo cessavit. Ita ex pluribus decretis sacr. congr., Institut. Eccles. 84, § 27. Ubi tamen ex sensu ejusdem sacr. congregationis additur fideles sic bona fide ab ejusmodi confessariis absolutos non esse inquietandos. Ibidem, § 27.

ARTICULUS III.

Jubilæum quoad ea quæ concernunt opera

Digitized by Google

præscripta, tempus et locum pro ipso lucrando.

SUMMARIUM.

1. Opera præscripta pro Jubilæo lucrando septem assignantur, quæ ab ordinariis augeri nequeunt. Ad n. 2. — 3. Nemo tenetur absolute interesse processionibus, et qui interfuit non tenetur visitare ecclesias. Ad n. 5. — 6. Visitatio ecclesiarum est necessario facienda, et quomodo. Ad n. 16. — 17. Oratio requisita pro Jubilæo lucrando quomodo, et in quo loco fieri debeat. Ad n. 20. — 21. Confessio actualis pro lucrando Jubilæo an sit necessaria, et an, et quando sufficiat contritio, vel confessio sacrilega. Ad n. 25. — 26. Communio actualis est necessaria pro lucrando Jubilæo; et an sufficiat communio antea facta, vel communio sacrilega. Ad n. 28. — 29. An dicta communio requiratur in pueris, et an possit pro ipsis commutari in aliud opus pium. — 30. Jejunium pro Jubilæo lucrando quibus diebus præscribi soleat, quomodo observari debeat, et in quæ alia opera possit commutari. Ad n. 38. — 39. Ad eleemosynam dandam pro Jubilæo lucrando qui teneantur, et assignatur praxis servanda pro religiosis in eleemosyna elargienda in casu, etc. Ad n. 40. — 41. Eleemosyna quanta esse debeat, et an possit per alterum dari. Ad n. 42-43. Nomine pauperum quibus danda est eleemosyna quinam intelligantur. — 44. Opera præscripta an omnia, et quando adimpleri debeant. — 45. Confessionis et communionis anticipatio aliquorum dierum an sufficiat pro Jubilæo lucrando. — 46. Lucraturus Jubilæum sufficit si sit in statu gratiæ quando ponit ultimum opus. — 47. Jubilæum ad duas hebdomadas concessum an possit bis obtineri. — 48. Opera præscripta quomodo adimplenda. — 49. Jubilæum ad duas hebdomadas concessum quot dies comprehendat, et quid circa tempus promulgandi, inchoandi, et perficiendi Jubilæum possint episcopi, vel parochi determinare, vel non. Ad n. 55. — 56. Opera præscripta pro Jubilæo lucrando an impleri possint partim in uno, et partim in alio loco; et an replicando opera præscripta possit in diversis locis iterum Jubilæum lucrari. Ad n. 72.

(1. Septem sunt opera quæ solent præscribi et exigi pro Jubilæo lucrando, scilicet, processio, visitatio ecclesiarum, oratio in illis, confessio, communio, jejunium et eleemosyna, ut patet clare ex bullis quæ pro jubilæis edi solent. (2. Ordinarii non possunt nec debent plura requirere quam hæc septem, quæ requirit Papa. Bellegambe de Jubilæo, part. III, sect. 2, quæst. 10; La Croix l. VI, part. II, num. 1457, et alii passim. (3. Quantum ad processionem, quamvis sit gravis obligatio eam indicendi et instituendi, ex quo bullæ pro Jubilæis edi solitæ in virtute sanctæ obedientiæ, et districte præcipiant ac mandent ordinariis locorum et curam animarum exercentibus, ut clericis et populis sibi subjectis solemnes processiones indicant et celebrent; (4. tamen nemo absolute tenetur interesse processioni, nam bullæ disjunctive et alternative loquuntur: *Qui processioni interfuerint, aut ecclesiam, seu ecclesias visitaverint.* Adeoque sufficit alterutrum præstare, nam cap. *In alternativis* 70, de Regulis juris in 6, dicitur expresse: *In alternativis* (id est sub disjunctione propositis) *debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.* Hinc qui nequeunt vel nolunt processioni interesse, non indigent, ut sibi fiat processionis in aliud commutatio, sed vel processionis, vel ecclesiæ, seu ecclesiarum visitationis. Gobat in Quinario tract. 3, cap. 19, num. 123 et sequent., et alii passim. (5. Qui interfuit processioni non tenetur visitare ecclesiam seu ecclesias pro lucrando jubilæo, quia processiones solent dirigi ad ecclesias pro visitatione designatas, ut patet ex praxi. Gobat loc. c., cap. 20, num. 1, et alii communiter.

(6. Visitatio est necessario facienda illarum ecclesiarum, quæ fuerint ab ordinario loci aut curam animarum habente designatæ; sic habetur clare ex verbis bullæ, et tenent communiter doctores. Hinc regulares etiam tenentur visitare ecclesiam seu ecclesias designatas ab ordinario, et si sua propria ecclesia fuerit ab ordinario designata pro visitatione, regulares ibi commorantes satisfaciunt eam visitando, dummodo tamen non fuerit ab ordinario designata solummodo pro mulieribus, quia tunc tenerentur visitare alienam ecclesiam designatam pro viris. Felix Potestas tom. I part. IV, num. 8343; Bardi, et alii. (7. Quando quis præ nimio hominum concursu nequit ingredi ecclesiam visitandam, satisfacit visitando extra portam ibique orando. Lugo tom. VI, disp. 27, n. 97; Gobat loc. c. cap. 20 n. 129; Suarez, Bonacina et alii cum Diana, part. I, tract. 11, resolut. 103; La Croix loc. c. n. 1433, et alii passim. (8. Imo, si ratione talis nimii concursus, ne quidem ad portam ecclesiæ pertingere posset, satis esset visitare et orare in cœmeterio, quia et hoc modo dicitur moraliter visitare ecclesiam: cœmeterium enim in favorabilibus venit nomine ecclesiæ: argument. cap. *Odia* 15 de Regulis Juris, ibi: *Favores convenit ampliari;* Suarez tom. IV, d. 52, sect. 1, n. 7; Lezana verb. *Jubilæum*, n. 11; Layman, lib. V, tract. 7, cap. 3, num. 4; Gobat loc. cit. num. 129, et alii. (9. Quando præscribitur orari in certa capella, vel ad certum altare ecclesiæ, oportet ingredi. La Croix, loc. cit., n. 1433, et alii. (10. Quando præscribitur visitatio plurium altarium in eadem ecclesia, non sufficit esse in ipsa ecclesia, et animo converti ad illa altaria, sed requiritur ut aliquo signo sensibili v. gr. conversione capitis aut corporis significetur et demonstretur conversio animi ad singula designata altaria, quia exigitur visitatio sensibilis, nempe talis actio, quæ exterius indicet orationem aut alium actum religiosum fieri ad talia altaria. Lugo loc. c., num. 89; Gobat loc. cit., n. 131, et alii passim. (11. Si autem in aliqua ecclesia non essent tot altaria quot visitari præscribitur, satisfaciet quis tot inclinationes et orationes repetendo ad illa quæ ibi existunt quot altaria visitare debuisset: Diana part. I, tract. 11, resolut. 102; Bellegambe p. III, sect. 4, quæst. 9; La Croix loc. citat., num. 1433; Escobar et alii.

(12. Quando præscribitur visitatio plurium ecclesiarum, non requiritur quod visitentur omnes una die, sed sufficit quod visitentur intra eamdem hebdomadam qua quis intendit lucrari Jubilæum, nisi tamen in aliqua bulla quid diversum præscriberetur, quia

Digitized by Google

tunc esset ipsi standum :. La Croix loc. cit., n. 1433, et alii passim. (13. Qui missam pergit audire in ecclesia designata, hoc ipso visitat : Belleg. part. II, sect. 5, qu. 5; La Croix l. c., n. 1432, et alii. (14. Visitatio ecclesiarum potest fieri etiam curru, vel equo; Gobat l. c., n. 132; La Croix l. c., n. 1432; Benzonius et alii. (15. Debet tamen visitatio fieri *devote*, ut dicit bulla; devote autem censetur fieri etiam a constituto in mortali; item ab immodesto et peccante per viam, si modeste ingrediatur ecclesiam, et devote oret in ea, quia, ut dicetur infra sub n. 46, non est necesse quod omnia opera peragantur in gratia, sed sufficit si in gratia peragatur opus ultimum. Bellegambe loc. cit., q. 6; Gobat loc. cit., num. 127; La Croix loc. cit., num. 1432; Peyrinus, Navarrus et alii. (16. Qui vicini sunt ecclesiæ designatæ, et qui habitant in ea, ipsam visitando consequuntur tantam indulgentiam, sicuti illi qui veniunt a longe, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur. S. Thomas dist. 20, qu. 1, art. 3, quæst. 2 ad 4; Gobat loc. cit., num. 132; Navarr. et alii passim.

(17. Oratio pro Jubilæo lucrando requisita, nisi aliud constet ex bulla, sufficit, etiamsi sit pure mentalis, quia oratio mentalis est proprie oratio et fusio precum; imo magis proprie quam vocalis; quia vocalis in tantum est oratio, in quantum conjungitur cum mentali. Ita Navarr., Filliuc., Trullench., Gobat et alii cum Viva, q. 8, art. 5, n. 7, ubi dicit sic communiter sentire doctores cum supracitatis, La Croix tamen loc. cit., num. 1421, dicit quod communis sententia requirit orationem vocalem, et Lugo tom. VI, disp. 27, n. 111, testatur quod communiter requiri solet oratio vocalis. Recte autem subjungit quod, quamvis non sit improbabilis opinio dicentium sufficere orationem mentalem, tutius tamen erit aliquid miscere de oratione vocali, quod et dicit La Croix loc. cit.; Gobat loc. cit., et alii. (18. Quando præscribitur oratio indeterminate, sufficit brevissima : Suarez, tom. IV, disc. 52, sect. 8, num. 5; Diana part. v, tract. 12, resolut. 33; Gobat loc. cit., num. 140; Bossius in tract. de Jubilæo, sect. 4, cap. 17; Filliucius tom. I, tract. 8, cap. 6, num. 164 et sequent. Lezana verb. Jubilæum, num. 13, et alii. (19. Quando vero præscribitur orari per aliquod temporis spatium, sufficit quina devota repetitio orationis Dominicæ et Salutationis Angelicæ. Gobat loc. cit., sub num. 140. Imo Quintanadvenas tract. 2, dub. num. 7, in Appendice loquens de clausula, *per aliquod temporis spatium preces fundat*, dicit sufficere si quis oret prout unicuique suggerit devotio, et sufficere ex Rodriquez trium orationum Dominicarum vel Salutationum Angelicarum recitationem, quinimo ipse Quintanadvenas existimat satisfacturum qui recitaret psalmum *Laudate Dominum, omnes gentes*, aut unicam orationem Dominicam, aut unicam Salutationem Angelicam. (20. Oratio debet fieri in loco et tempore designatis, et ad mentem Summi Pontificis; et sufficit si quis dicat : *Intendo orare ad mentem Summi Pontificis præscriptam in bulla;* Gobat locis citatis, num. 141 et 144; La Croix, loc. cit., num. 1432, et alii passim.

(21. Confessio actualis est necessaria, et non sufficit contritio ad lucrandum Jubilæum, quando in bulla Jubilæum concedente requiritur confessio, et lucraturus Jubilæum seu indulgentiam habet peccatum mortale. Sic communior, probabilior et tutior theologorum sententia cum Kazenberger in Supplemento Theologiæ Patritii; Sporer cap. 3, de Indulgentiis, num. 5; Reiffenstuel Theolog. Moral. tract. 12, dist. 3, q. 5, num. 49; Corduba, Cajetan., Rodriquez, Layman, Bellarm., Sanctarell., de Jubilæo, c. 10, dub. 3; Viva de Jubilæo, quæst. 8, art. 3, sub n. 2, contra Filliuccium, Paludanum, Coninch., Henriq., Palaum, et alios. Et ratio est, quia tunc confessio actualis censetur esse conditio necessario requisita ad indulgentiæ consecutionem. Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant, et explicandæ et acquirendæ sunt sicut in bullis exprimitur. (22. Et hoc verum est, etiamsi in bulla dicatur quod conceditur indulgentia Jubilæi *contritis et confessis, seu vere pœnitentibus et confessis*, quia particula *et* non est disjunctiva, sed conjunctiva, et copulativa; dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit; quando enim plures qualitates in subjecto requiruntur copulative (ut in præsenti habetur), tunc omnes debent concurrere ut dispositio habeat suum locum, ex l. *Si is qui*, ff. de rebus dubiis. (23. Ita doctores supracitati. Quando autem in concessione Jubilæi non expresse exigitur confessio, sufficit ut lucraturus Jubilæum seu indulgentiam existat in gratia sanctificante per contritionem perfectam; quia existens in gratia per contritionem est capax indulgentiæ seu Jubilæi; nec in concessione ipsius requiritur actualis confessio, ut supponitur, adeoque in tali casu non est necessaria confessio actualis. Sic Reginaldus, Bonac., Suar., Faber et alii cum Kazenberger loc. cit., num. 29, et *Communis* aliorum cum Mastrio Theolog. moral., disput. 23, q. 4, n. 63; Reiffenst. loc. c., num. 48.

(24. Quando in bulla Jubilæi conceditur indulgentia *contritis et confessis, seu vere pœnitentibus et confessis*, non requiritur actualis confessio, sed sufficit quod lucraturus Jubilæum post ultimam confessionem perseveraverit in gratia usque ad diem vel tempus lucrandi Jubilæum seu indulgentiam. Vide verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 35, ubi et citantur doctores, et adducitur ratio pro hac conclusione. (25. Imo nedum non requiritur in tali casu confessio peccatorum mortalium alias rite confessorum, sed neque confessio venialium, nisi in concessione Jubilæi expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. Vide ibid., n. 34, ubi citantur doctores et adducitur ratio. Quando vero ex concessione Jubilæi requiritur confessio actualis, tunc non sufficit confessio sacrilega, seu voluntarie nulla, ut colligitur ex

Digitized by Google

propositione 14, in ordine inter damnatas ab Alexand. VII, 24 septembr. 1665, ibi : *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Vide art. anteced., n. 29.

(26. Communio actualis est necessaria, et non sufficit præterita pro lucrando Jubilæo, quando in concessione ipse expresse requiritur actualiter de tempore Jubilæi ; patet a pari ex dictis de confessione actuali supra n. 11. (27. Quando vero in bulla Jubilæi conceditur indulgentia *omnibus confessis et communicatis seu sacra communione refectis*, sufficit communio, sicuti confessio facta duobus, seu tribus, seu etiam quatuor, et, secundum aliquos, etiam quinque vel sex diebus ante primam Dominicam. Vide verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 30, 31 et 32, ubi citantur doctores, et adducitur ratio. (28. Nulla tamen sufficit communio sacrilega, sive sit actualis sive præterita ; colligitur ex propositione 35 in ordine inter damnatas ab Innocentio XI, 2 martii 1679, ibi : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Ex qua damnata propositione Viva de Jubilæo, qu. 8, art. 4, n. 2, recte infert non posse nunc amplius sustineri, quod sufficiat communio scienter facta in mortali ad lucrandum Jubilæum, licet olim putarint sufficere plures doctores cum Fausto, Filliucio, Suarez, Corduba, Henriquez et aliis. Vide dicta artic. antecedent. n. 29. (29. An autem communio ad lucrandum Jubilæum requiratur etiam in pueris, et ideo possint tanto citius admitti ad communionem, ut tenent Henriq., et Layman apud Bellegambe. qu. 6, et La Croix l. VI, part. II, n. 1420 ; vel, an communio possit pro ipsis pueris commutari in aliud opus pium : vide art. anteced., n. 57.

(30. Jejunium pro jubilæo lucrando solet præscribi observandum tribus diebus, scilicet, Mercurii, Veneris, et Sabbati ; patet in verbis bullæ pro Jubilæis edi solitæ. (31. Jejunium nequit observari seu fieri extra ipsos dies præscriptos, nec dividi in duas hebdomadas, ut teste La Croix loc. cit. n. 1424, habet *Communis* contra Bonacinam, Layman, et alios, qu. 8, num. 104, disp. 52, sect. 5, de Jubilæo, qu. 6, quorum sententiam card. de Lugo tom. VI, disp. 27, n. 105, vocat falsam. (32. Habens rationalem causam non jejunandi in aliquo seu aliquibus ex præscriptis diebus, potest petere et obtinere commutationem jejunandi in aliis diebus ejusdem hebdomadæ. Henriquez, Filliuccius, Gobat de Jubilæo, num. 213 ; La Croix loc. c., num. 1424, et alii passim. (33. Non obligati ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ, ut pueri, senes, infirmi, itinerantes, laborantes, tenentur jejunare, si lucrari velint Jubilæum, nisi per confessarium in aliud opus pium illis commutetur. *Communis* cum Gobat de Jubilæo, cap. 28. num. 210 ; Lezana verb. *Jubilæum*, n. 12 ; La Croix loc. cit. n. 1424. (34. Jejunium pro Jubilæo exigitur tale quale Ecclesia præcipit fidelibus extra Jubilæum. *Communis* cum Sanchez, in Summ., l. IV, cap. 11, n. 53 ; Gobat loc. cit. n. 205 ; La Croix loc. cit., num. 1424. (35. Habens privilegium comedendi carnes in aliis jejuniis debet ipsis abstinere in jejunio pro lucrando Jubilæo, nisi ipsi per confessarium commutetur in aliud opus pium. Azorius part. I, l. VII, cap. 10 ; Gobat, loc. cit. n. 206 ; La Croix loc. c., num. 1442 ; Lugo tom. VI, disp. 27, num. 109, et alii. (36. Jubilæum potest lucrari per jejunia aliunde debita, v. g. ex præcepto, voto et pœnitentia, patet ex praxi, cum Jubilæum promulgatur in Quadragesima. Lugo loc. cit., n. 110 ; Bellegambe part. I, sect. 3, q. 1 ; La Croix loc. c., n. 1525, ubi testatur sic tenere communem doctorum contra Silvestrum, Tabien., Armill., et Bonac. Vide art. anteced. n. 53.

(37. Ultimo die Jubilæi possunt per confessarium commutari jejunia, vel in eleemosynas, vel alia opera pia eo die præstanda ab eo qui inculpabiliter ipsa jejunia prætermisit, ex quo ignoraverit v. gr. Jubilæum : Viva q. 8, n. 5, et alii passim. Vide dicta art. anteced., n. 56. (38. Imo ultimo die Jubilæi possunt commutari etiam jejunia voluntarie et mala fide prætermissa in jejunia postmodum ponenda, differendo Jubilæi consecutionem. Viva loc. c., n. 5, qui adducit hanc rationem : Nam, dicit ipse, quamvis voluntarie redditus sit impotens, adhuc tamen est potens postmodum ponere injuncta jejunia, et in casu impotentiæ potest confessarius tempore Jubilæi opera injuncta commutare etiam in opera post Jubilæum ponenda, quoties datur causa differendi Jubilæi consecutionem, ut videtur adesse in casu hujus culpabilis impotentiæ. Hæc ille.

(39. Ad eleemosynam dandam pro Jubilæo lucrando tenentur omnes etiam religiosi ; et alii pauperes, vel si non possint dare, petere commutationem in aliud opus pium. Et ratio est quia in bulla Jubilæi exigitur expresse eleemosyna, sicut alia opera, subdita facultate commutandi quæ impleri non possint ; ergo si religiosi et alii pauperes eleemosynam dare non possint, tenentur commutationem petere. Quando enim concessio facta est sub conditione (uti est concessio indulgentiæ Jubilæi facta sub conditione de eleemosyna danda, vel aliquid aliud faciendi, in quod a confessario eleemosyna commutetur), deficiente conditione, concessio habetur pro non facta, ex l. *Pecunia*, ff. *Si certum petatur* ; conditionale autem, non impleta conditione, nihil ponit in esse : tum quia, sicuti ex communi doctorum diximus sub n. 33, quod impotentes ad jejunium, ut pueri, senes, infirmi, laborantes tenentur pro lucrando Jubilæo petere commutationem ipsius jejunii in aliud opus pium, ita dicendum est de religiosis et aliis pauperibus impotentibus ad eleemosynam. Card. de Lugo t. VI, disp. 27, n. 115 et seq. ; Viva de Jubilæo, q. 8, art. 6, n. 2 ; Bellegambe l. c., q. 5 ; La Croix l. VI, part. II, n. 1430 ; Lezana in Summ. verb. *Jubilæum*,

Digitized by Google

n. 14; Felix Potestas t. I, part. IV, n. 3833, et alii plures dicentes quod, licet secundum Navarr., Henriq., Fernand., Dian., Gobat, Arsdekin, Leand., et alios, religiosi et alii pauperes impotentes ad eleemosynam non teneantur probabiliter ad aliud opus, consultius tamen et tutius esse ut commutationem petant; vel conventus seu monasterium det pro ipsis, quod posse fieri, et in praxi esse testatur Lugo l. c. n. 116 et seq. subdens posse sic dare, prout de facto dant etiam Fratres Minores, qui, licet tantum usum habeant, dant tamen eleemosynam quando hoc usu se abdicant, quia sic in pauperem transit dominium. Lugo loc. c., Bellegambe q. 5; La Croix l. c., n. 1430, et alii passim, sic docente communi praxi omnium nostrorum conventuum quotidie eleemosynas in pauperes elargientium.

(40. Ut autem pro lucrando Jubilæo securius valeat pro omnibus religiosis eleemosyna a conventu elargita, consultum est servare praxim quam Gobat tr. 3, de Jubilæo, c. 29, n. 217, testatur servari in sua undequaque præstantissima Societate, quod nempe superiores locales, quando publicantur Jubilæa in refectorio vel in alio loco religioso communitatis, præmoneant se curaturos dari ex bonis communibus monasterii eleemosynam pro omnibus, et talem præmonitionem aut monitionem esse necessariam tenet Lugo l. c.; Bellegambe q. 3, loc. cit.; La Croix n. 1428; Maillard et alii, quia cum eleemosyna debeat esse actio moralis, debet procedere ex cognitione et volitione.

(41. Pro quantitate eleemosynæ elargiendæ attendenda est bulla Jubilæi, quæ si dicat elargiendam esse juxta *cujuscunque facultatem*, tunc dives debet dare eleemosynam majorem quam pauper : Gobat, Bonacina, Busemb., Bellegambe quæst. 2; La Croix, loc. c., n. 1427, et alii. Si bulla nihil determinet et sine addito præscribat eleemosynam dicendo, v. g. *Qui dederit eleemosynam acquiret indulgentiam*, tunc sufficere eleemosynam quantumcunque parvam tenent Diana, Leo, Faustus, Rodriquez, Bonacina, Gobat, et alii, arg. cap. *In obscuris* 30, de Regul. juris in 6, ibi : *In obscuris minimum est sequendum.* Illa autem locutio, *Qui dederit eleemosynam*, est obscura, cum possit æque de magna ac de parva intelligi, adeoque potest intelligi etiam de minima; ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus : cap. *Quia circa* 22, de privileg., et l. De pretio ff. de publiciana in rem action. Si autem bulla dicat, ut jam solent dicere bullæ ei solitæ pro Jubilæis hujus sæculi et ætatis, « et eleemosynas ad libitum prout charitas singulis suggesserit, fecerint; *vel* qui eleemosynam pro arbitrio suo fecerint, vel prout cuique suggeret devotio. » Gobat loc. c. num. 219; Zecchius et alii docent sufficere præbere quantumcunque parvam eleemosynam. At alii cum La Croix l. c., n. 1427, melius dicunt simul habendam esse rationem dictaminis interni suadentis plus vel minus, et ut dicit Lugo loc. c., n. 114, curandum esse ut sit in quantitate proportionata ad finem implorandi divinam opem.

(42. Eleemosyna pro Jubilæo lucrando sufficit, etiamsi detur per alium, v. gr., per famulum, amicum, et hujusmodi. *Communis*, argum., cap. *Qui facit* 73; de Regul. juris in 6, ibi : *Qui facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum.* Si autem famulus vel alius sibi commissam eleemosynam non daret, Homobon, Bonacina, Busemb., Gobat, Cordoba, Leo, Rodriq., Sanctarell. cap. 7, dub 1; Lugo l. c., n. 112; Viva q. 8, art. 6, sub. n. 3, alii dicunt probabilius, quod dominus, seu committens dandam eleemosynam non lucraretur Jubilæum, quia in tali casu non esset data eleemosyna, cum non esset sublevatus pauper; et non posita conditione requisita pro Jubilæo lucrando, uti est ipsa eleemosyna, non acquiritur Jubilæum. Lezana vero verb. *Jubilæum*, n. 14; Sa, verb. *Indulgentia*, n. 4; Pasqualig. qu. 136; Vega, Dicastill., Alloza, et alii, tenent quod dominus, seu committens dandam eleemosynam adhuc in tali casu lucraretur Jubilæum, quia quantum est ex sua parte jam dedit et tradidit eleemosynam, quod probabile et tutum censet etiam Gobat loc. c., n. 121, et alii.

(43. Nomine pauperum quibus pro lucrando Jubilæo præbenda est eleemosyna, intelliguntur, nedum veri pauperes quibus ex obligatione naturali, aut voto, seu pœnitentia tenetur quis succurrere, sed etiam qui secundum suum statum, qualitatem, et conditionem non habent necessaria ad victum, et vestitum, et insuper illi qui se fingunt pauperes, cum revera non sint, dummodo pro veris pauperibus credantur. Item loca pia, monasteria religiosorum, hospitalia, et ecclesiæ, quæ indigent luminaribus, ornamentis, ædificiis, et hujusmodi Gobat loc. c., n. 222; La Croix l. c., n. 1429; Bellegambe qu. 4; Diana, Sanchez, Lugo, Navarr., et alii passim.

(44. Quoad tempus adimplendi opera præscripta, non omnes circa omnia conveniunt. Diana enim, Præpositus, Naldus, Layman, Bonacina, Palaus cum Gobat in Quinario, tract. 3, de Jubilæo, cap. 11, num. 72; Navarr., Lezana, Rodriq., Bossius et alii, dicunt non opus esse ut omnia opera præscripta adimpleantur seu ponantur intra unam et eamdem hebdomadam ex duabus assignatis, sed posse adimpleri seu poni partim in una et partim in altera hebdomada, v. g. in prima hebdomada jejunia, in secunda visitatio ecclesiarum, eleemosyna, confessio, communio, etc. Et nituntur hoc probare ex verbis bullæ, quæ non convincunt debere poni omnia opera præscripta, præter tria jejunia, intra unam et eamdem hebdomadam. Bulla enim Jubilæi hæc verba solet habere : « Qui prima vel secunda hebdomada ecclesias visitaverint, ac feria quarta, sexta, et Sabbato alterius hebdomadæ jejunaverint, pariterque confessi et sanctissima communione refecti fuerint, et eleemosyna, » etc. Ex quibus verbis, dicunt ipsi, apparet omnia opera, præter jejunia, posse poni seu adimpleri prima vel secunda heb-

Digitized by Google

domada. Henriquez autem lib. VII, cap. 11; Sanchez lib. IV, cap. 4; Felix Potestas tom. I, part. IV, n. 3830; Sanctarell. cap. 7, dub. 1; Lugo loc. cit., n. 100; Reiffenstuel Theol. Moral., tract. 12, dist. 3, num. 114, in fine; Ugolinus, Faustus, Reginaldus, cum Viva de Jubilæo, qu. 8, art. 2, sub num. 3, et alii plures, tenent probabilius et tutius omnia opera præscripta ponenda seu adimplenda esse intra unam et eamdem hebdomadam. Et ratio est, quia, ut recte observat sapientissimus Viva, dum dicitur *Qui prima, vel secunda hebdomada*, ponuntur a Papa duo tempora quibus lucrari possit Jubilæum, positis seu adimpletis operibus præscriptis, non vero statuitur unum tempus quindecim dierum quo possint opera præscripta poni seu adimpleri: hoc enim videtur operari particula *vel;* aliter non diceretur: *Qui prima, vel secunda hebdomada*, sed diceretur: *Qui his quindecim diebus.* Ideo autem duæ hebdomadæ assignantur, ut qui nequit prima, possit Jubilæum lucrari secunda; non vero ut possint opera dividi, qui dictio illa alternativa *vel* tribuit actum cuilibet in solidum, ut notat glossa in cap. *Cum plures*, de Offic. delegati in 6, et facit sensum disjunctivum explicatum. Hæc ille. Et hanc sententiam vocat tutiorem ipsemet Gobat loc. cit., quamvis dixerit esse aliam probabiliorem; et sic etiam tutiorem vocant alii passim, et signanter Reiffenstuel loc. cit., dicens quod si tutior, ac proin in praxi merito tenenda et consulenda, et Felix Potestas loc. cit., dicit absolute opera præscripta debere omnino intra unam et eamdem septimanam impleri.

(45. Confessio tamen, et communio, quando in bulla non requiritur expresse de tempore Jubilæi, sed conceditur indulgentia *omnibus confessis et sacra communione refectis*, potest fieri uno, vel etiam duobus, aut tribus, seu etiam quatuor, et, secundum aliquos, etiam quinque vel sex diebus ante primam Dominicam, dummodo lucraturus Jubilæum perseveraverit in gratia usque ad diem lucrandi Jubilæum. Vide supra n. 27, et verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 30, 31 et 32, ubi citantur doctores, et adducitur ratio. (46. Requiritur enim, et sufficit probabilius ad consequendam indulgentiam Jubilæi, quod lucraturus sit in statu gratiæ, saltem dum perficit et ponit ultimum opus præscriptum. Lugo tom. VI, disp. 27, num. 83; Mastrius Theol. Moral., disp. 21, num. 61; Herincx disp. 4, de Satisfact., qu. 11, n. 77; Reiffenstuel tract. 12, dist. 2, q. 3, n. 33, et dist. 3, q. 8, n. 104; Suarez disp. 52, sect. 5; Viva de Jubilæo, quæst. 6, art. 2, num. 4; Layman, Palaus, Bonacina, Bossius, et alii. (47. Et Jubilæum ad duas hebdomadas concessum potest probabiliter bis obtineri, si in utraque hebdomada repetantur opera præscripta. Vide art. ant. num. 15, ubi citantur doctores, et adducitur ratio, quamvis tamen sit æque probabilis etiam opposita sententia propter adducta ib. n. 26. (48. Opera autem præscripta debent ita integre adimpleri, ut si aliquod ipsorum, vel penitus, vel quoad partem notabilem omittatur, sive id fiat ex ignorantia, seu oblivione, sive ex negligentia, aut impotentia (seclusa commutatione in aliud opus pium a confessario facta), non obtineatur quidquam de indulgentia Jubilæi. S. Th. in 5, dist. 20, q. 3; Reiffenst. cit. dist. 3, q. 8, num. 105; Gobat de Jubilæo, c. 11, n. 61, et ipso teste, et alii communiter. Et ratio est quia Jubilæum conceditur a Papa sub conditione adimplendi omnia opera præscripta, vel aliquod aliud faciendi, in quod a confessario aliqua ipsorum sint ex rationabili causa commutata; quando autem concessio facta est sub aliqua conditione, deficiente tali conditione, concessio habetur pro non facta, ex l. *Peccatum*, ff. *Si certum petatur*. Conditionale enim, non impleta conditione, nihil ponit in esse, adeoque, etc.

(49. Tempus Jubilæi extraordinarii concessum ad duas hebdomadas comprehendit quindecim dies, id est tres Dominicas et 12 dies feriales, si inchoetur a die Dominica, ut fieri solet. La Croix lib. VI, part. II, num. 1397; Layman lib. V, tract. 8, num. 7, ubi testatur esse receptum more Germanicarum Ecclesiarum ut quindecim dies permittantur. Totidem permittendos esse dicit P. Paulus Hispanus, part. IV, tract. 24, punct. 12, § 3, num. 3. Totidem Cotonius Italus controvers. lib. II, controv. 12, num. 16 et 17; Felix Potestas tom. I, part. IV, num. 3824, et alii plures, et Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 11, sub num. 62, vers. *Dixi tertio*, ubi testatur se non recordari fuisse minus quam quindecim dies assignatos illis duarum hebdomadarum octodecim Jubilæis, quibus fruitus est in diversis episcopatibus. (50. Quamvis tamen subjungat, nonnullos episcopos expressisse opera præscripta esse perficienda intra quatuordecim dies. Quod si aliqui alii episcopi id clare exprimerent et declararent tempus Jubilæi non extendi ultra quatuordecim dies, esset standum tali expressioni et declarationi, nisi aliter constaret de mente Pontificis, quia bulla Jubilæi non exprimit nisi duas hebdomadas, et hebdomada non continet nisi septem dies. (51. Licet enim episcopi nequeant decurtare tale tempus, et illud arctare intra unam hebdomadam, ut recte dicit Gobat l. c., n. 63, ubi notat errasse quemdam vicarium generalem, qui determinavit pro universis unam solam hebdomadam; tamen alio non constante de mente Pontificis, si expresse declararet esse perficienda opera præscripta inter determinatos quatuordecim dies, esset standum tali declarationi, quia, quod tempus Jubilæi comprehendat 15 dies, ex verbis bullæ affirmari non potest, ut recte notat Layman loc. cit., sed ex benigna DD. interpretatione, accedente Ecclesiarum consuetudine, secundum quam fideles tertia Dominica, quæ est dies 15 ab inchoatione Jubilæi, ad sacramenta accedunt. Et cardinalis de Lugo aliique plures Hispani et Itali, teste Gobat loc. cit., vers. *Dixi tertio*, dicunt esse peculiariter permissum, ut confessio et communio peragantur tertia Dominica indicti Jubilæi.

(52. Ordinarii possunt duas Jubilæi heb-

Digitized by Google

domadas facere inchoari quocunque die septimanæ prout occursus festorum aut alia ratio prudens suggesserit, dummodo tamen adsit tempus adimplendi jejunium tribus præscriptis diebus intra unam et eamdem hebdomadam, ut requiri diximus supra num. 31 et 44. (53. Conveniens tamen et expediens est, ut advertit Gobat loc. cit., sub num. 70, ita inchoare illas hebdomadas, ut tam prima quam secunda incipiat a festo, adeoque quartusdecimus vel quintusdecimus dies Jubilæi desinat in festo. Et Layman loc. cit., num. 7, dicit quod, cum clarissime pateat diem Dominicam qua incipit Jubilæum connumerandam esse inter dies quibus confessio et communio institui possit, ideo, ne eas dies excludatur, conveniens esse videtur ut promulgatio Jubilæi fiat in ecclesiis ante eam Dominicam. (54. Ordinarii aut parochi mortaliter peccant si absque pergravi causa ex negligentia diutius differant promulgationem seu indictionem Jubilæi. Pontifices enim solent in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipere episcopis, « Ut cum primum Jubilæi litterarum transumpta, atque exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento..... publicent, vel publicari faciant. » Et Sixtus V, const. 1, apud Cherubinum (ex cujus mente loqui videntur posteriores Pontifices) diserte imperat inchoari Jubilæum prima vel secunda hebdomada immediate post habitam notitiam Jubilæi, adeoque, cum deficiant in materia gravi, graviter peccant : Gobat l. c., n. 68; Pax Jordan. Elucubration. volum. I, lib. v, tit. 16, num. 69 et 70, ubi dicit ita statim debere episcopum publicare facere Jubilæum, ut non possit, neque occasione messis, vindemiarum, vel alterius cujuscunque occupationis et impedimenti ad aliud tempus differre, etiamsi publica populorum commoditas aliud exposcens, obnixis precibus ad differendum requireretur, eo quod in brevibus talium concessionum sequens clausula soleat apponi : « Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus et quibuscunque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, etc., ut cum primum litterarum transumpta, aut exemplaria, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias, et diœceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca, publicent, aut publicari faciant, » etc. Quæ quidem verba, ut dicit ipse, sunt adeo præcisa et geminata, ut nulla possit cadere dubitatio quin talis fuerit Papæ intentio quod non differatur publicatio. (55. Imo subjungit quod ex illis verbis, « per suas ecclesias, et diœceses, provincias, civitates, oppida, terras, et loca, » similiter manifeste apparet eodem tempore publicationem esse faciendam pro civitate et diœcesi, non autem elapso tempore civitatis, publicare pro diœcesi; hoc enim directe censetur contra intentionem Papæ verbis supradictis expressam. Caveant igitur omnes ad quos spectat publicare, ne differant neque separent civitatem a diœcesi quoad præfatam publicationem, alioquin non excusabuntur a mortali, quia Papa præcipit illis in virtute sanctæ obedientiæ. Hæc ille. Pellizarius tamen, et alii, apud La Croix loc. cit., num. 1397, putant posse ex rationabili causa prius in urbe, postea in diœcesi, aut etiam postea pro monialibus, ut omnes possint successive, commode habere extraordinarios confessarios, præsertim ubi pauci reperiuntur.

(56. Opera præscripta pro Jubilæo lucrando possunt impleri partim in uno loco et partim in alio, dummodo visitatio ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilæi : Lugo cit. disp. 17, a n. 123; Bellegambe part. III, sect. 3, q. 6; Layman lib. v, cap. 8, n. 11; Sannig lib. v Decret. tit. de Pœnit. et remiss., cap. 2, num. 16; Gobat loc. cit., num. 89; La Croix loc. cit., num. 1434; Diana part. v, tract. 12, resol. 53; Castrop., Bonacina, et alii passim. Et ratio est, quia favor Jubilæi est personalis : ex cap. autem *Privilegium* 7, de Regul. Juris in 6, *Privilegium personale personam sequitur*, adeoque quocunque quis pergat, feret secum istum favorem et jus utendi omnibus Jubilæi facultatibus. Tum quia bulla Jubilæi non requirit ut omnia opera impleantur in loco publicati Jubilæi, adeoque, etc. (57. Dicitur autem notanter *dummodo visitatio ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilæi*, quia cum visitatio debeat fieri illarum solarum ecclesiarum quas ordinarius designavit, non potest fieri in alio loco in quo nondum est promulgatum Jubilæum, et consequenter nondum designatæ sunt ecclesiæ visitandæ : Layman, Diana loc. cit.; Lugo loc. cit., n. 127; Gobat loc. cit., num. 90.

(58. Hinc colliges quod, si quis in loco ubi publicatum est Jubilæum, visitaverit designatas ecclesias, et inde iter arripuerit, poterit in itinere reliqua opera peragere : *Citati doctores*. Nec tenetur ratione Jubilæi differre iter in aliud tempus; nam bulla sine distinctione offert gratiam iter agentibus : Gobat loc. cit. sub num. 90, in fine, et alii passim. (59. Item, si quis iter faciens perveniat ad locum in quo Jubilæum celebratur, sive pervenerit illuc ante, sive primum post promulgationem, poterit ibi præstando opera præscripta lucrari Jubilæum æque ac incolæ, quia per præsentiam in illo loco statim acquirit jus. Et si ibi nequeat omnia opera præscripta implere, poterit, visitatis ibi designatis ecclesiis, suum prosequi iter, et in itinere reliqua opera implere et Jubilæum lucrari; Lugo loc. citat., num. 126 et 127; Layman loc. cit. num. 11; Gobat loc. cit. num. 90, et alii. (60. Item, si quis ultimo die perveniat ad locum Jubilæi, potest petere ut opera quæ facere non potest sibi commutentur, et sic ibi lucrari Jubilæum : Lugo loc. cit., num. 125; La Croix loc. citat., num. 1436; Bellegambe part. II, sect. 5, qu. 5, et alii. (61. Item, si quis post lucratum Jubilæum in sua patria pergat ad alium locum ubi celebratur Jubilæum, poterit probabilius

Digitized by Google

ibi iterum lucrari Jubilæum replicando ibi opera præscripta. Vide artic. anteced., num. 25, ubi citantur doctores, et adducitur ratio; quamvis tamen, ut ibi num. 26, dictum fuit, sit vere probabilis etiam sententia contraria. (62. Item, si quis tempore publicati Jubilæi in sua patria, etiam ultimo die primæ, vel secundæ hebdomadæ iter arripiat, nec in itinere impleat cætera opera præscripta, poterit reversus præstando opera præscripta Jubilæum lucrari, quamvis Jubilæi tempus fuerit elapsum, quia Papa concedit navigantibus et iter agentibus ut reversi habeant alias duas completas hebdomadas. Nec obstat quod in sua patria, seu loco publicationis fuerit per totam primam hebdomadam, et quasi per totam secundam, quia, cum Pontifex velit quod unusquisque habeat duarum completarum hebdomadarum spatium, in quo cum quiete et devotione possit se præparare et Jubilæum lucrari, talis nec tunc habet hebdomadam completam ad quietem et devotionem requisitam : Lugo loc. cit., num. 123; Gobat loc. cit., n. 90; Bellegambe sect. 2, q. 4; La Croix loc. cit., n. 1434, et alii, et faciunt dicta supra n. 38. Vide ibi.

Alia ad rem. Vide verb. *Indulgentia*.

APPENDIX

In qua exponitur declaratio facta a doctissimo viro Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Scholarum Piarum juxta constitutiones editas a Benedicto XIV, pro anno Jubilæi 1750, quæ quidem declaratio in variis paragraphis distincta exhibetur, prout ab auctore exarata fuit.

§ I. *Della sospensione delle indulgenze in tempo di Giubileo.*

Durante l' Anno Santo restano sospese tanto in Roma, quanto fuori, tutte le indulgenze, si plenarie, che non plenarie anche perpetue. *Cum nos nuper*, § *Cæterum*.

Eccettuate le seguenti.

I. Quelle concedute in articulo mortis.

II. Quelle, che possono concedere i vescovi, ed altri prelati ordinari de' luoghi, a tenore delle lettere apostoliche di nostro Signore sotto li 5 Aprile 1747.

III. Quelle concedute in recitare l'*Ave Maria*, e solite preci al suono della campana la mattina, mezzo di, e sera, o ginocchioni, o in piedi, secondo i tempi.

IV. Quelle di 7 anni e 7 quarantene concedute a chi confessato, e communicato, o almeno contrito, con fermo proposito di confessarsi, visita la chiesa, ove è esposto il Venerabile per l'orazione delle Quaranta Ore, ivi pregando secondo l'intenzione di S. Chiesa.

V. Quelle concedute a chi accompagna il santissimo Viatico, ed a chi manda torce, o lumi da portasi da altri in detta occasione.

VI. Quelle solite concedersi da' legati, nunzi della S. Sede, ed anche da' vescovi nell' esercizio de' Pontificali, o nel dare la benedizione, o in altra consueta forma.

VII. Quelle degli altari privilegiati per i defonti.

VIII. Quelle concedute direttamente per detti defonti.

IX. Quelle concedute a' vivi, con espressa facolta di applicarle per essi defonti, da valere pero per detti soli defonti.

X. Quelle tutte concedute a' vivi, anche senza espressa facolta di applicarle per i defonti, da valere medesimamente per detti soli defonti. *Cum nos nuper*, § *Itaque*.

§ II. *Della sospensione delle facolta di assolvere da' casi, e censure riservate alla S. Sede, e contenute nella bolla della* Cena, *di commutare voti, e dispensare sopra l'irregolarita, ed altri impedimenti.*

Durante lo stesso Anno Santo, restano sospese (solamente però fuori di Roma) tutte le facolta sopradette concedute a chiunque in qualunque maniera, occasione, o titolo, anche per causa d'indulgenza. *Ibid.*, § *Cæteras. Convocati*, § 55 et 56. Lettera circolare n. 32, pag. 42.

Eccettuate le seguenti.

I. Quelle de' tribunali della S. Inquisizione, di propaganda Fido, e degli officiali, missionari, e ministri deputati da essi tribunali, o dalla S. Sede per estirpazione dell'eresia, e particolarmente di assolvere dalla detta eresia quei, che fanno abjura de' loro errori.

II. Quelle concedute dalla S. Penitenziaria ai missionari ne' luoghi, ed in occasione delle missioni.

III. Quelle de' vescovi, e di altri prelati nelle loro rispettive diocesi, circa il dispensare, ed assolvere i loro sudditi ne'casi occulti, anche riservati alla S. Sede, *prout ipsis a S. Tridentina synodo, seu alias, etiam in publicis, a jure communi ecclesiastico, et ab eadem Apostolica sede pro certis personis, et casibus indultæ, permissæque dignoscuntur*.

IV. Quelle de' superiori regolari, delle quali sono in certo, e pacifico possesso rispetto però solamente a' loro sudditi regolari, e non secolari, tanto in Roma, quanto fuori. *Cum nos nuper*, § *Præservatis*. Lettera circolare num. 32, pag. 42.

§ III. *Delle opere ingiunte alli Romani, e forastieri abitanti in Roma.*

I Fedeli dell' uno e l'altro sesso per acquistare l'indulgenza plenaria, e godere degli indulti ad essa anessi, durante l'Anno Santo, debbono adempire le seguenti quattro opere ingiunte. *Peregrinantes* § *Quo quidem*.

I. Se sono abitanti di Roma, e suo distretto, intendendosi per i primi :

II. Quei ivi nati, e che vi abitano.

III. Quei venuti con animo di abitarvi la magior parte dell'anno.

IV. Quei, che vi stanno con qualche impiego, o per ritrovarvelo.

Digitized by Google

V. Quei, che vi vengono per altra causa, che per il Giubileo.

VI. Quei, che venutivi per tal fine, vi si trattengono piu di sei mesi.

E per i secondi, cioè del distretto, tutti gli Abitanti dentro le cinque miglia fuori delle porte, o nativi, o venutivi, come sopra. *Convocatis*, § 44, detta lettera circolare num. 72, pag. 92.

Debbono visitare, almeno una volta al giorno, quale può computarsi, o da una mezza notte all'altra, o dai vesperi del giorno precedente fino a tutti i vespertini crepuscoli del susseguente. *Peregrinantes*, § *Quo quidem*, per trenta giorni continui, o interpolati, le Basiliche di S. Pietro, di S. Paolo, di S. Giovanni in Laterano, e di Santa Maria Maggiore. Detto § *Quo quidem*, *e tutte quattro in un istesso giorno*, computato, come sopra, e detta visita deve esser fatta con intenzione di onorare Dio, e i suoi santi, e vi si debbono esercitare atti di religione. Detta lettera circolare num. 11, pag. 102.

E se sono forastieri, cioè tutti gli altri non compresi sotto il nome di abitanti di Roma, e suo Distretto, almeno quindici de' suddetti giorni, medesimamente una volta al giorno tutte quattro. *Peregrinantes*. § *Quo quidem*.

Nè è necessario per l'acquisto della indulgenza entrare, o uscire per le porte sante. *Convocatis*, § 49.

Detti forastieri, se dopo intrapreso il viaggio a tal fine per Roma, o anche pervenutivi, o nel cammino, o nella stessa città impediti da malatia, o da altra legittima causa, o sopragiunti da morte, non avessero compito, o nè pure cominciato detto numero di visite, possono godere della medesima Indulgenza, e remissione, come se effettivamente le avessero compito, purchè siansi confessati, e communicati. *Peregrinantes*, § *Et quoniam*.

In caso d'indulto di minorazione del numero delle visite pubblicato dopo essersi da taluno fatta qualcuna delle dette visite a se prescritte, cioè, o di 30, o di 15, respettivamente, può prevalersi delle visite fatte per compire il numero prescritto in detto Indulto, come ancora, se prima dell'Indulto avesse compito il numero in esso prescritto, purchè faccia almeno un'altra visita. *Convocatis*, § 50.

II. Debbono sì gli uni, che gli altri porgere a Dio in dette visite divote preghiere per l'esaltazione della S. Chieza, estirpazione dell'eresie, concordia de'principi cattolici, salute, e pace di tutto il popolo Cristiano. *Peregrinantes*, § *Quo quidem*.

Quali preghiere non vengono determinate nè in qualità, nè in durazione : non debbono però esser sì brevi, che denotino poco affeto agli esercizj spirituali. *Ib.* dicto § *Quo quidem*. Lett. circolare num. 83, pag. 114.

Nè è necessario che sia orazione mentale bastando la vocale, e facendosi la mentale, vi si deve aggiungere qualche orazione vocale. *Convocatis*, § 51.

Quantunque non sia necessario per l'acquisto della indulgenza essere in grazia, o premettere la confessione sagramentale a dette visite, bastando, che l'ultima opera sia fatta in grazia: nulladimeno, acciocchè queste siano meritorie, è molto commendabile, che sian fatte, o dopo una fruttuosa confessione, o dopo un atto di contrizione. *Convocatis*, § 45. Lettera circolare n. 75 e 76, pag. 98 a 102.

III. Debbono fare la confessione sagramentale de' loro peccati realmente, e non in *voto*, quantunque non fossero rei, che di peccati veniali. *Convocatis*, § 46. Lettera circolare num. 7, pag. 11.

Quale dovranno ripetere prima dell' ultima opera ingiunta nel solo caso, che dopo fatte alcune di dette visite in istato di grazia, ricadano in peccato mortale, senza obbligo di ripetere le già fatte. *Convocatis*, § 47.

IV. Debbono fare la santa communione sagramentale insieme, e spirituale, cioè non sacrilega, non essendo sufficiente la sola spirituale. *Peregrinantes*, § *Quo quidem*. *Convocatis*, § 48. Lettera circolare num. 2. pag. 7.

La mancanza della quale non impedisce l' acquisto della indulgenza a' fanciulli, che per ragione di età ne sono incapaci, potendosi dal confessore commutare in altra opera pia. Se poi se ne fossero resi capaci dentro il decorso dell' Anno Santo, in tal caso sarebbero a questa tenuti. *Convocatis*, § 48.

Come nettampoco impedisce a partecipare dei favori del Giubileo, cioè dell' assoluzione da' peccati riservati, e censure, commutazione di voti, e dispense ottenute, la mancanza delle visite, e communione a quei, che essendosi già confessati con serio animo di adempire dette opere, e poi pentiti, non l' adempiano, benchè pecchino mortalmente. *Ibid.*, § 54. Lettera circolare num. 86, pag. 120.

Del qual peccato sono anche rei tutti quelli, che senza licenza de' loro rispettivi superiori vengono a Roma per l' acquisto del Giubileo, come sono li vescovi, parochi, religiosi, mogli ed anche i mariti, se vi vengono con grave incomodo delle mogli; i quali però, ciò non ostante, possono partecipare della Indulgenza, e suddetti favori, se giuntivi, si confessano anche di questo peccato. *Ibid.*, num. 68, pag. 87, 88.

Queste quattro opere ingiunte, possono reiterarsi quante volte ad ognuno piacerà, tanto prima, quanto dopo qualche indulto di minorazione di visite, che sopravenisse; ad effetto però di conseguire la sola indulgenza, e non di partecipare de' favori ad essa annessi. Onde se dopo essere stato partecipe la prima volta di detti favori e di nuovo incorso nelli casi riservati, e censure, o ha bisogno di nuove commutazioni, e dispense, non ne può più essere assoluto, commutato, e dispensato. *Convocatis*, § 52. Lettera circolare num. 84, pag. 117.

§ IV. *Delle monache, Oblate, ed altre persone dell' uno e l'altro sesso dimoranti sì in Roma, che fuori, alle quali può commutarsi in altre opere pie la visita delle quat-*

Digitized by Google

tro basiliche. Le dimoranti sì in Roma, che fuori, sono le seguenti.

I. Tutte le monache professe di perpetua clausura soggette sì agli ordinari de' luoghi, e superiori regulari, che immediatamente alla S. Sede, le novizie, o altre donne secolari loro coabitanti, colla debita licenza, o per educazione, o per altra causa.

II. Le monache parimente professe, che qualche volta escono dalla clausura per questuare.

III. Le Oblate approvate dalla S. Sede, che vivono in comunità, benchè senza clausura, loro novizie, educande, ed altre seco coabitanti.

IV. Le Terziarie, che vivono in comunità, benchè senza clausura, nè approvate dalla S. Sede, loro novizie, educande, ed altre seco loro coabitanti.

V. Le zitelle, e donne dimoranti ne' conservatori, benchè non comprese nel numero delle fin quì nominate, e benchè senza clausura. *Paterna Charitas*, § *Ut autem.*

VI. Li carcerati per cause civili, e criminali de' tribunali sì ecclesiastici, che laici, non però dalla S. Inquisizione.

VII. Li regolari ritenuti nelle carceri claustrali, o perchè non sono terminate le loro cause, o perchè non è compito il tempo della pena impostagli.

VIII. Li confinati per precetto di qualunque superiore in qualche luogo; o città in vece di carcere, custodia, esilio, o rilegazione. *Paterna Charitas*, § *Ad eos.*

IX. Gli anacoreti, ed eremiti, non però quei di niuna clausura, o vivano, o no collegialmente, benchè sotto il governo degli ordinarî, e con proprie regole, ma quei, che vivono separatamente uno dall' altro in continua clausura, e solitudine, benchè non totalmente perpetua, e benchè siano d' Instituto monastico, o ordine regolare, come alcuni Cisterciensi, Certosini, ed Eremiti di S. Romualdo. *Ibid.*, § *Item Anachoretas.*

Le persone dimoranti fuori di Roma solamente sono le seguenti.

I. Li condannati in galera, o altrove *ad opus*, ed a quello addetti. *Ibid.*, § *Ad eos.*

II. Li schiavi, e prigionieri di guerra.

III. Gl' infermi tanto laici, che ecclesiastici, si secolari, che regolari, di qualunque ordine, li quali, secondo il giudizio del medico, non potendo sì presto liberarsi dall' infermità, non sono in istato di venire a Roma dentro il decorso dell' Anno Santo, o anche guariti, non potrebbero fare il viaggio senza grave incomodo e pericolo di ricaduta.

IV. I malsani abitualmente, se intraprendendo il viaggio, potessero facilmente infermarsi, o soggiacere a qualche grave corporale incomodo.

V. Li vecchi sopra gli anni settanta. *Paterna Charitas*, § *Denique.*

Eccettuate le monache, Oblate, Terziarie di Roma, qualunque esse siano, novizie, zitelle, ed altre donne dimoranti con le dovute licenze tanto ne' monasteri delle medesime, quanto ne' conservatori, e communità.

Come pure li carcerati nelle prigioni di Roma.

Alle quali persone tutte può commutarsi la visita delle quattro basiliche in altre opere pie dal solo eminentissimo, e reverendissimo sig. cardinale vicario, o suo vicegerente, o per se stesso, o per mezzo de' confessori, secondo lo stato, condizione, e possibilità di ognuna, e circostanze del luogo, o tempo.

A tutti gli altri sopra enunziati può farsi tale commutazione dai loro respettivi ordinari, e superiori, sì secolari, che regolari.

Ancorchè rispetto agli ordinari de' luoghi alcuni delli sopraddetti fossero esenti dalla loro giurisdizione, comecchè persone secolari, e regolari dimoranti fuori de' chiostri colle debite licenze. *Paterna Charitas*, § *Nos enim.*

§ V. *Delle opere ingiunte a tutte le suddette persone.*

Queste sono le istesse, che debbono adempire gli abitanti di Roma, e suo distretto, come anche li Forastieri venuti a Roma, cioè orazione, confessione sagramentale, e communione eccettuata la visita delle quattro basiliche, in luogo della quale dovranno adempire le opere di pietà, che gli saranno ingiunte, come sopra.

Quali adempite, conseguiranno pienissima Indulgenza, Giubileo, e remissione di tutti i loro peccati, e saranno partecipi de' favori, e Indulti, che si diranno appresso, come se personalmente avessero visitate le quattro basiliche di Roma.

Anche nel caso, che cominciato l' adempimento delle suddette opere, fossero prevenute dalla morte.

E con facoltà di acquistare la sola Indulgenza, anche la seconda volta, se dentro il decorso dell'Anno Santo recitereranno tutte le dette opere ingiunte. *Paterna Charitas*, § *Itaque.*

E qui da notarsi, che alle monache, Oblate, zitelle, ed altre donne dimoranti ne' monasteri, e conservatori di Roma è stata surrogata dall' Eminentissimo e reverendissimo vicario, in luogo della visita delle quattro basiliche, la visita della cappella interiore delli medesimi monasteri, e conservatori, e di altri tre altari, eretti, o da erigersi dentro i detti luoghi, in modo, che uno sia separato dall' altro, per trenta giorni continui, o interpolati, come sopra, ogni giorno tutti quattro.

E se alcune di esse saranno inferme, e che perciò staranno in letto, e non potranno uscire dalle loro camere, dovranno adempire in luogo di dette visite, quanto loro sara imposto dal prudente Confessore. Notificazione dell' eminentissimo e reverendissimo vicario sotto li 3 gennaro 1750.

§ VI. *Delle diversità de' confessori. Questi si riducono a cinque classi.*

I De' penitenzieri ordinari, e straordinari delle quattro basiliche, e di altre chiese deputati, e da deputarsi dall' eminentissimo e

Digitized by Google

reverendissimo sig. cardinale maggior penitenziere. *Convocatis*, § 3.

II. De' deputati, e da deputarsi dall' eminentissimo e reverendissimo sig. card. vicario, *Convocatis*, § 35, che sono li già da lui approvati, e da approvarsi *ad annum* sì secolari, che regolari. Notificazione dell' emin. e reverendiss. vicario sotto li 19 decembre 1749.

III. De' regolari già approvati, e da approvarsi, come sopra, dal detto eminentissimo vicario, o suo vicegerente, e de' deputati da' superiori regolari per udire solamente le confessioni dei medesimi loro regolari. *Convocatis*, § 41.

IV. Di quelli da eleggersi per una sola volta dalle monache professe, e loro novizie, tanto in Roma, che fuori, quali possono essere i soli Confessori sì secolari che regolari di qualunque ordine, già approvati dagli ordinari de' luoghi per udire le confessioni delle monache. *Paterna Charitas*, § *Eisdem*.

V. Di quelli da eleggersi medesimamente per una sola volta da tutte le altre persone nominate di sopra al § 4, quali possono essere li soli confessori sì secolari che regolari di qualunque ordine, approvati da loro respettivi ordinari per udire le confessioni de' secolari. *Ibid.*

Le facoltà de' suddetti confessori si riducono a tre classi.

I. Di assolvere da' casi riservati, e censure.

II. Di commutare voti semplici.

III. Di dispensare sopra alcuni impedimenti. Non però competono tutte a tutti.

§ VII. *Alli penitenzieri delle quattro basiliche, e delle altre chiese competono le seguenti facoltà, quanto all' assoluzione da' peccati riservati, e censure.*

I. Di assolvere qualunque penitente, anche regolare, benchè a questo dalla propria costituzione, o decreto, o precetto papale sia vietato di confessarsi con esteri, da qualunque peccato grave, ed enorme eccesso, anche riservato alla S. Sede, e da qualunque scommunica, ed altre ecclesiastiche censure in qualunque maniera medesimamente riservate al Papa, ed alla S. Sede, e fulminate da' sacri canoni, benchè contenute nella bolla della *Cena*, ed anche dall' eresia formale esternata, fatta però prima dal penitente in atto della confessione la secreta abjura, e purchè non abbia il complice, e se ha complice, o complici, purchè questi abitino in luogo, ove l'eresia domina impunemente. *Convocatis*, § 4 et 5.

In absolvendis Regularibus a suo ordine apostatis et fugitivis, servent modum in sua tabella præscriptum. Ibid., § 31.

Quale modo nel n. 10, della detta tabella è espresso con queste parole.

Apostatis ab ordinibus, seu religionibus approbatis, nisi post reditum ad religionem, aut saltem post reassumptum habitum Regularem cum firmo proposito, et brevi termino ad se præsentandum intra claustra superioribus suæ religionis, aut nisi ultramontani sint, aut longe distent, vel propter inopiam, vel aliud grave impedimentum statim nequeant reassumere habitum, assignari debebit congruum tempus, et absolvi ad reincidentiam, et durante termino, ipsis prohibeatur exercitium suorum ordinum, si sint sacerdotes et in sacris constituti.

Ed in assolverli *a censuris ob suam violatam clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita absolvant, ut super inhabilitate per hoc contracta ad dignitates, et officia sui ordinis consequenda, nullatenus cum eisdem dispensent.* Convocatis, § 29.

Non possono però assolvere dalle censure occulte quei, che non hanno soddisfatta la parte lesa, cioè chi ha sofferto il danno, e non il ciudice. Lettera circolare n. 66, p. 84. *Convocatis*, § 27, e non potendo per allora soddisfarla, se non promettono con giuramento di soddisfarla quanto prima. *Ibid.*

Ed in assolvere *Violantes clausuram monialium ad malum finem in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quævis monasteria, et ecclesias monialium, monendo pœnitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam istam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.* Ibid., § 28.

Nettampoco quei, che hanno libri prohibiti particolarmente di autori contenuti nella bolla della *Cena*, se prima non hanno consegnati segretamente all' inquisitore, o ordinario detti libri, e non potendo allora, se non promettono di consegnarli quanto prima. *Ibid.*, § 30.

II. Di assolvere da tutte le suddette censure, benchè pubblicate, dedotte, nominatamente dichiarate, e denunciate *in Partibus* dagli ordinari de' luoghi, o da qualunque giudice. *Ibid.*, § 5.

Con che però il penitente dopo l' assoluzione debba presentare alla S. Penitenziaria la supplica con suo nome, cognome, diocesi, e narrative del fatto, per cui è incorso in detta censura, o censure, con la fede del penitenziere di averlo assoluto, acciocchè possa da quel tribunale riportare il breve *in forma missi, vel remissi absoluti*, secondo il di lui stile. *Ibid.*

III. Di assolvere dalle censure *ab homine*, o da qualunque giudice *in Partibus* nominatamente fulminate, ad effetto però solamente di conseguire il Giubileo dell' Anno Santo, in tal maniera, che il penitente resti dopo legato dalla medesima censura, e sia tenuto ubbidire al giudice della sentenza, o farsi da esso assolvere, nè a tal Penitente si deve far fede di essersi confessato, ed assoluto. *Ibid.*, § 6.

Avvertano però, che non ostanti le suddette amiplissime facoltà, non possono assolvere da alcuni peccati, e censure, dalle quali nè pure può assolvere, anche nel solo foro della coscienza, lo stesso eminentissimo maggiore penitenziere, secondo l' espressa mente della fel. mem. di Benedetto XIV, dichiarata nella sua costituzione

Digitized by Google

Pastor bonus, in ordine la 95, e sua lettera circolare num. 39, pag. 52.

E sono le seguenti.

I. Principes porro, et alios jus imperii, etiam vicario nomine habentes, ac dominia, et respublicas, seu personas illorum, et illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon episcopos, et alios superiores prælatos in casibus publicis, qui in præfatis litteris die Cœnæ Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset. Pastor bonus, § 11.

II. Minusque possit, etiam in foro conscientiæ tantum absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Card. aut alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum, post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint. Ibid., § 12

III. Vel, Sede Apostolica vacante, in censuras, seu pœnas in litteris fel. record. Gregorii Papæ XV et Urbani VIII, etc., super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, etc., contentas, quomodolibet incideriut. Ibidem.

IV. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, eos cujuscunque qualitatis, etc., absolvere, etc., qui astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes ejusdem Urbani VIII, pont. max. litteris, etc., contra prædicta perpetrantes editis contravenerint. Ibidem, § 13.

V. Nec similiter valeant in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ ullatenus absolvere. Ibid., § 14.

VI. Accipientes munera a regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetæ, etc., non absolvat, nisi facta restitutione, vel si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eamdem, quam primum potuerint, faciendi. Questa restituzione deve farsi alla Religione, o Convento, a cui spetta di ragione. Pastor bonus, § 26.

§ VIII. *Quanto alla commutazione de' Voti gli competono le facoltà.*

Di commutare, dispensando, in altre opere pie tutti i voti semplici, benchè giurati, e riservati alla S. Sede. *Convocatis*, § 8.

Alla quale sono riservati i soli cinque seguenti.

I. Di entrare in religione.

II. Di perpetua continenza.

III. Di pellegrinaggio a Gerusalemme.

IV. Al santuario di S. Giacomo in Galizia.

V. Ed a Roma, non già alla S. Casa di Loreto, come alcuni hanno opinato. Lettera circolare n. 42, pag. 55.

Con queste limitazioni però.

I. Che circa *Votum perpetuæ castitatis nonnisi mulieribus ita commutare possint ob periculum incontinentiæ, vel ob timorem pudicitiæ, et quidem tantummodo ad effectum nubendi, easdem monendo, facturas contra idem votum, si extra usum matrimonialem delinquant, et remansuras eodem prorsus, ac antea voto castitatis obstrictas, si marito supervixerint.* Ibid., § 9.

II. Che circa *Votum religionis eisdem tantum mulieribus commutare dispensando possint ad effectum nubendi, si alterutra supradicta causa intercesserit, ad effectum vero vitam tantum cœlibem in sæculo ducendi, si vel dote sufficiente ad ingrediendam Religionem careant, vel Religionis onera sufferre posse rationabiliter diffidant.* Ibid., § 10.

III. Che circa li voti penali, o preservativi dal peccato possono commutarli nel solo caso, che militi qualche circostanza, per cui potessero giudicare piu proficua la commutazione a rimuovere il peccato. *Ibid.* § 32.

IV. Che nei voti di perseveranza, o altri fatti in qualche congregazione, o comunità, o negli obligatori accettati dal terzo, non possono servirsi di viruna commutazione. *Ibid.*

Per regola nella commutazione di qualunque de' suddetti voti, e da notarsi, che il Sommo Pontefice in concedere tale facoltà, ha aggiunta alla parola *Commutare*, l' altra *Dispensando*, perchè esigendo la sola commutazione la surrogazione in una materia maggiore, o almeno uguale, detta commutazione mista colla dispensa e capace di qualche moderata disuguaglianza fra la materia del Voto, e la materia surrogata. Lettera circolare num. 45, pag. 58.

§ IX. *Quanto alle dispense dagli impedimenti gli competono le facoltà seguenti.*

I. Di dispensare dalla sola irregolarità occulta, contratta unicamente per violazione di censure, tanto gli costituiti negli ordini sagri, quanto minori, benchè questi non espressi nella costituzione *Convocatis*, § 12, ma poi dichiarati nella lettera circolare. *Convocatis*, § 12, lettera circolare pag. 50, num. 66.

II. Cum illis qui scienter vel ignoranter cum impedimento secundi, et tertii, vel tertii solius, aut tertii, et quarti, vel solius quarti gradus consanguinitatis, vel affinitatis, etiam ex copula licita provenientis, matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiæ possint, ad remanendum in matrimonio. Convocatis, § 13.

III. Cum illis, qui a dataria apostolica dispensationem obtinuerunt super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit primus, et secundus, vel secundus tantum gradus consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita provenientis, et pro verecundia copulam inter eos secutam in eadem dataria tacuerunt (dummodo nullitas prædictæ dispensationis ex hujusmodi reticentia proveniens occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiæ valeant,

Digitized by Google

tam ad remanendum in matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si nondum sit contractum. Ibid., § 14.

IV. Dispensare item pro foro tantum conscientiæ valeant super impedimento occulto, tam primi et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis, ex copula illicita provenientis, tam in matrimonio contracto quam in contrahendo. Ibid., § 15.

V. Dispensare similiter pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo possint super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante, id est, quando solum concurrant adulterium, et fides data de matrimonio contrahendo post conjugis mortem. Ibid., § 16.

VI. In prædictis matrimonialium dispensationum casibus, possint etiam quandocunque opus fuerit, pro foro conscientiæ legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam. Ibid., § 17.

VII. Dispensare ad petendum debitum possint in casu affinitatis incestuosæ matrimonio supervenientis. Convocatis, § 18.

VIII. Ad petendum pariter debitum, illis, qui voto simplici castitatis obstricti, matrimonium contraxerunt, dispensare valeant: illos monendo, facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus ac antea, voto obstrictos, si conjugi supervixerint. Ibid., § 19.

§ X. *Quanto alle dispense dalle opere ingiunte gli competono le facoltà.*

I. Di dispensare li forastieri dalle 15 visite delle quattro basiliche, con ridurle almeno a tre, se a causa di povertà, o altro urgente motivo non possono trattenersi in Roma, ed anche di commutare le prescritte visite in altre opere pie ad arbitrio prudente degli stessi Penitenzieri. *Ibid.*, § 20.

II. Di dispensare gli abitanti di Roma, e suo distretto dalle 30 visite commutandole in altre opere pie, se impediti da malattia, o altra legittima causa non possono farle, supponendo però (per non aggravar la propria coscienza) che tanto per questi, quanto per i forastieri, vi sia qualche motivo ragionevole per la dispensa. *Ibid.*, § 21.

Avvertano però tanto essi penitenzieri, quanto qualunque altro de' sopranominati confessori.

I. Che le opere pie da surrogarsi in luogo delle visite, non siano quelle, che il penitente è per altro titolo obbligato di adempire. Lettera circolare num. 53, pag. 69.

II. Che non possono dispensare veruna delle altre opere ingiunte, cioè confessione, comunione, e orazione, che possono separarsi dalle suddette visite. *Ibid.*, num. 53, pag. 67.

III. Che si possono servire di tutte le suddette facoltà con quei penitenti solamente, che hanno sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo. *Convocatis*, § 24, e che si confessano a questo fine.

IV. Che debbono servirsene da per se stessi, e non per intermedia persona, nel solo foro della coscienza, e nel solo atto della Sagramentale Confessione, e nelle basiliche, e chiese respettivamente loro destinate, purchè non si tratti d' infermi. *Ibid.*, § 4 et 29.

Eccettuati, quanto all' udire le confessioni in chiesa, li confessori regolari destinati per le confessioni de' loro religiosi, le quali possono udire dentro i propri conventi, e case. *Ibid.*, § 41.

V. Che non debbono, nè possono tralasciar d' imporre la salutare penitenza col pretesto, che il penitente è disposto a prendere l' Indulgenza, dal che poi nasce l' obbligo del penitente di doverla adempire. *Ibid.*, § 26. Lettera circolare num. 65, pag. 83.

Per regolamento della quale penitenza dovrano leggere quanto circa essa s' insinua dal S. concilio di Trento. Sess. 14, cap. 8, de Pœnit.

VI. Che non ostanti le suddette amplissime facolta: *Nulli penitus confessario dari in præsenti Jubilæo, aut in quovis alio facultatem absolvendi complicem in qualibet inhonesto contra sextum præceptum peccato.* Convocatis, § 23, a tenore della Costituzione di nostro Signore. Constit. 20, *Sacramentum Pœnitentiæ*, § *Demum* sotto il 1. Giugno 1741, *prohibemus ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote qui jurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existat, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus: et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat.* E nella dichiarazione sopra la medesima Costituzione. Constit. 120. *Apostolici muneris*, § 3, sotto li 8 febbrajo 1745. *Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quo vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi, censerique posse, si revera abesset atque deficeret: ac proinde in eorum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: Imo intelligat teneri se graviter hujusmodi pericula,*

Digitized by Google

quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ constitut. declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et præcipimus.

§ XI. *Alli confessori deputati, e da deputarsi dall' eminentissimo, e reverendissimo vicario competono le facoltà. Quanto alla assoluzione da' casi riservati, e censure.*

I. Di assolvere i loro penitenti (non però Regolari) da qualunque grave, ed enorme peccato, e da qualunque censura, purchè sia occulta, fulminata da' sacri canoni, anche riservata al Papa e S. Sede, e contenuta nella bolla della *Cena*, non però dall' eresia formale esternata, *Convocatis*, § 36 et 37.

Avvertendo, che nell' assolvere *Fractores clausuræ monialium ad malum finem*, e chi ha letto libri proibiti, particolarmente di autori contenuti nella bolla della *Cena*, debbono osservare le medesime regole, che i penitenzieri, come sopra al § 7.

Debbono inoltre avvertire, che in vigore delle suddete facoltà non possono assolvere da' casi, e censure, benchè occulte, e molto meno pubbliche, riservate agli ordinari de' luoghi, se il penitente fosse venuto a Roma appostatamente, non a fine di conseguire il Giubileo, ma per esimersi dalla giurisdizione del suo ordinario, per il motivo, che nelle suddette facoltà non viene fatta special menzione di questa, a tenore del Decreto della sagra congregazione del Concilio sotto li 16 settembre 1649, e della costituzione di Clemente X. Constitut. *Superna Magni Patris*, § 7, sotto li 20 maggio 1670.

E per questo l'eminentissimo vicario nella sua notificazione sotto li 19 decembre 1749, in cui deputa i confessori per l' Anno Santo, dà expressa facoltà ai medesimi, durante detto Anno, di assolvere nel foro della coscienza, tanto dal peccato, che dall' interdetto a lui riservati, quei che in tempo debito non hanno adempito il precetto pasquale, come anche dalla scomunica incorsa per aver preso da altri, o respettivamente dato il biglietto della communione pasquale, purchè il Reo non sia denunciato.

§ XII. *Quanto alla commutazione de' voti.*

Possono commutare, dispensando, in altre opere pie qualunque voto semplice, anche giurato, ed anche riservato alla S. Sede, eccettuati li due di perpetua castità, e d'ingresso in religione. *Convocatis*, § 37, ed eccettuati ancora i voti di Perseveranza, o altri soliti farsi in qualche congregazione, o communità, e gli obligatori accettati da un terzo, come si è detto nel § 8.

Dovendosi osservare le medesime regole nei voti penali, e preservativi dal peccato, e nella commutazione di qualunque altro voto, quali sono tenuti osservare li penitenzieri, come nel suddetto, § 8.

§ XIII. *Quanto alle dispense.*

Non gli competono altre facoltà, che di dispensare, e commutare le sole visite delle quattro basiliche, nello stesso modo che competono a' penitenzieri. *Ibid.*, § 39, come nel § 10, con tutte le altre osservazioni ivi notate.

§ XIV. *Alli confessori regolari, approvati dal signor cardinale vicario, o suo vicegerente, insieme deputati da' loro superiori regolari, per udire le sole confessioni de' propri loro religiosi, come sopra ad § VI.*

Competono le stesse facoltà, sì per l' assoluzione da' casi riservati, e censure, che per la commutazione de' voti, e dispense delle visite, che competono ai confessori sì secolari che regolari deputati, e da deputarsi dall' eminentissimo vicario, da servisene però solamente, colli religiosi dello stesso loro ordine dentro li propri conventi, e case. *Ibid.*, § 41.

Ed inoltre possono dispensare i medesimi loro religiosi costituiti in ordini sacri, e minori dalla irregolarità contratta per violazione di censure, purchè sia occulta. *Ibid.*, § 42.

Non possono però senza speciale facoltà de' loro prelati regolari assolvere i loro religiosi da' casi, e censure riservate alli medesimi per la ragione detta nel § XI.

Agl' altri confessori approvati dal signor cardinal vicario, sì secolari che regolari, ma non *ad annum*, durante l' Anno Santo, nulla si dà, e nulla si leva. Lett. circ., n. 89, p. 122.

Si avverte innoltre, che i confessori regolari per poter godere delle facoltà rispetto a' loro religiosi, debbono essere non solamente deputati dai loro superiori, ma insieme approvati dall' eminentissimo vicario, o suo vicegerente.

§ XV. *Alli confessori da eleggersi dalle Monache professe, e loro Novizie, competono le facoltà.*

I. Di assolverle da qualunque peccato, e delitto, quantosivoglia grave, ed enorme, benchè riservato alla S. Sede, e contenuto nella bolla della *Cena. Paterna charitas*, § *Eisdem.*

II. Di commutargli, dispensando, qualunque voto semplice, anche giurato, fatto dopo la solenne professione, quantunque il di lui adempimento sia compatibile con l' osservanza regolare. *Ibid.* Giacchè secondo l' opinione di S. Tommaso 2, 2, q. 88, art. 12, ad 1, in 4, dist. 38, q. 1, art. 4; quæstiunc. 4, in corp., colla comune, per la decretale di Alessandro III. Cap. *Scripturæ* 4, de Voto gli altri voti fatti prima restano sciolti in virtù di essa professione.

§ XVI. *Alli confessori da eleggersi dalle altre persone nominate nel § 4.*

Competono le medesime facoltà, che a' confessori da eleggersi dalle monache professe,

Digitized by Google

circa l'assoluzione da' peccati riservati, e censure; e circa la commutazione de' voti colle sole persone nominate del detto § 4, a tutto il n. 5, non però riservati ai Sommo Pontefice, e S. Sede. *Paterna charitas*, § *Eisdem*.

Avvertendo, che nè gli uni, nè gli altri confessori fuori di Roma possono assolvere da casi riservati ai loro respettivi ordinari, senza expressa facoltà de' medesimi, non intendendosi questa compresa nella generale concessione di assolvere da' casi riservati alla S. Sede, come si è detto nel § XI, e pereiò la fel. me. di Bened. XIV, esorta i detti ordinari ad esser facili in accordare tale facoltà. *Ibid.* § *Cæterum*.

Ut porro qui extra Urbem sunt sciant quas facultates confessariis catholici orbis Benedictus XIV tempore Jubilei indulserit, addendam duximus pastoralem epistolam Petri Aloysii card. Carafa Albanensis episcopi ad suæ diœceseos confessarios datam, ab eodem doctissimo P. Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Shol. Piar. non inconcinne extensam.

PIER LUIGI

Per la misericordia di Dio vescovo d'Albano della S. R. C. card. Carafa a' RR. confessori secolari, e regolari della nostra Diocesi, salute e benedizione nel Signore.

Ricordevoli dell' avvertimento, che nello scorso secolo lascio scritto un dottissimo, e zelantissimo vescovo, circa la premurosa cura, che debbono avere i vescovi per l'esatta amministrazione del sacramento della penitenza: *Non solum debet episcopus confessarios approbare, sed iterum eisdem monita, et instructiones tradere, quibus rite, decenter ac ex tanti sacramenti majestate congruenter administretur*. Pax Jordan. lib. III, tit. 4, 144. Ci siamo conosciuti obbligati per debito strettissimo del nostro pastorale ministero di promulgare questa Istruzione diretta alli confessori della nostra diocesi, sì secolari che regolari, nella quale poniam loro sotto gl' occhi le varie, ed amplissime facoltà dalla paterna apostolica liberalità di nostro Signore benignamente ad essi concedute, nella estensione a tutti i fedeli dimoranti fuori di Roma dell' universal Giubileo, da durare per mesi sei, già da noi publicato sotto questo stesso giorno, acciocchè possano bene intendere quali sieno, ed a quanto si stendano, per farne quell' uso, che sia e uniforme alla mente della Santità Sua, e proficuo alla salute spirituale de' loro penitenti.

§ I. *Della varietà de' confessori.*

Ma prima di esporre la varietà delle medesime facoltà, e spiegarne l'intelligenza, ed uso, siccome li confessori, a quali sono queste concedute, durante il detto semestre, sono di due specie.

Una di quegli, i quali possano, per una sola volta eleggersi dalle monache, e loro novizie.

L'altra, di quegli, i quali possono eleggersi da qualunque altra persona, sì secolare che regolare.

Così stimiamo cosa necessaria parlare degli uni, e degli altri, perchè sappiasi, quali sieno gli eleggibili, quali nò.

Gli eleggibili dalle monache, e loro novizie, sono li soli da noi approvati, o da approvarsi, sì secolari, che regolari, per udire le confessioni delle monache, non solamente di quel monastero, del quale sono attuali confessori, ma eziandio di qualunque monastero esistente nella nostra diocesi. Constit. *Bened. Deus*, § *Insuper*.

Gli eleggibili poi da tutte le altre persone, che non sono nè monache, nè loro novizie, sì laiche come ecclesiastiche, secolari, e regolari di qualunque ordine, congregazione, ed istituto, anche degne d'individua, e speciale menzione, e benchè rispetto alle persone regolari, fosse loro espressamente proibito da' propri statuti, leggi, usi, e consuetudini, eziandio valevoli per giuramento, e conferma della Santa Sede, o costituzioni apostoliche, di confessarsi fuori della propria religione, sono quelli soli, sì secolari, che regolari da noi medesimamente approvati, o da approvarsi, per udire le confessioni de' secolari in qualunque luogo della nostra diocesi. *Ibidem*, § *Insuper*.

E quì, per maggior quiete de' nostri confessori, sì secolari, che regolari approvati per udire le Confessioni de' secolari, dichiariamo, che quantunque sieno presentemente approvati con la restrizione, che non possano udire le confessioni, se non che in quel determinato luogo, o Chiesa da noi loro assegnata, nulladimeno, durante questo semestre del Giubileo, possono udirle in qualunque luogo, o Chiesa della nostra diocesi, usate però le dovute convenienze con li rettori delle Chiese.

Benchè poi abbiamò di tutti i nostri confessori quel concetto, e stima, che merita il loro sublime stato, e divino ministero, non possiamo tuttavia omettere di richiamare alla loro memoria quello stesso, che gli ricorda nostro Signore, cioè, che non ostanti le amplissime facoltà da se concedute per una tale elezione, niuna delle sudd. persone può eleggersi per confessore quello, con cui è complice di qualunque peccato contra il sesto precetto, per riceverne l'assoluzione, e nettampoco ha questi autorità di assolverla. Const. *Bened. Deus*, § *Non intendimus*.

§ II. *Delle varie facoltà concedute a' confessori.*

Venendo ora alle facoltà concedute agli uni, e agli altri confessori, quelle si riducono a quattro classi, nella enumerazione delle quali osserveremo l'ordine stesso tenuto da Nostro Signore nella citata costituzione: *Benedictus Deus*, cioè:

I. Di dispensare le visite agl' impotenti, e la comunione sacramentale alii fanciulli di essa incapaci.

II. Di assolvere da' casi riservati e censure,

Digitized by Google

III. Di commutare i voti semplici.

IV. Di dispensare sopra l' irregolarità contratta per violazione di censure. Constitut. *Benedictus Deus.*

§ III. *Della facoltà di dispensar le visite e comunione.*

Quanto alla dispensa delle quindici visite alle quattro chiese esistenti nella città d' Albano, e da noi espresse nella pubblicazione del Giubileo, cioè di S. Pancrazio, nostra cattedrale, di S. Maria della Rotonda, delle Grazie, della Stella, avendole già noi dispensate in vigore della facoltà dataci da nostro Signore, *Ibid.* alle monache, e loro novizie, Oblate, zitelle, ed altre donne abitanti ne' monasteri di clausura, o in altre religiose, e pie case, e comunità, con aver loro surrogata in luogo di esse, la visita da farsi a due altari eretti, o da ergersi dentro tutti li detti luoghi, per quindici giorni continui, o interpolati, li confessori potranno, come in ciò da noi deputati, a tenore della concessione di nostro Signore, *Ibid.*, § *Navigantes*, dispensare la visita a' detti due altari a qualunque di esse persone, ora nominate, impedite, o per infermità, o per qualsivoglia altra causa, e commutare in altre opere di pietà, secondo la loro prudenza.

Questa stessa dispensa, e commutazione potranno fare i confessori eliggibili da tutte le altre persone, o ritenute in carcere, o in schiavitù, o per qualunque causa impotenti a fare le quindici visite delle sopra enunciate quattro chiese. *Ibid.*

Debbono però avvertire sì gli uni, che gl' altri Confessori, per non aggravare la propria coscienza, a servirsi di tale dispensa.

« Primo. Con quelli penitenti, che sieno veramente impediti, cioè, che l' impedimento, o fisico, o morale, non sia ideale, ed emendicato, ma fondato, e ragionevole Constitut. *Convocatis*, § 21, come potranno agevolmente riconoscere nell' atto della loro sacramentale confessione, la quale dovranno sempre udire ne' consueti luoghi per questa destinati, purchè non si tratti d' Infermi. »

« Secondo. Che le opere pie da surrogarsi in luogo di esse visite, non possano esser quelle, le quali il penitente, è per altro titolo obligato adempire, come già spiega la S. S. in occasione del Giubileo celebrato in Roma. Lettera circolare a' Penitenzieri, etc., num. 53, pag. 69. »

Potranno inoltre dispensare la comunione sacramentale ai fanciulli, di essa incapaci, per ragione di età, e commutare in altre opere pie parimenti secondo la loro prudenza, purchè però anche questi realmente si confessino, affine di conseguire il Giubileo. Const. *Bened. Deus*, § *Navigantes.*

E quì ancora dovranno riportarsi alla dichiarazione fatta da N. Signore nello scorso Anno Santo, concernente questa commutazione, cioè, che se detti fanciulli si potessero render capaci della prima comunione dentro il decorso di questo semestre, sarebbero ad essa tenuti. Constit. *Convocatis*, § 58.

§ IV. *Della facoltà di assolvere da' casi riservati e censure.*

Quanto all' assoluzione de' casi riservati, e censure, compete agli uni, ed agli altri confessori, per concessione di nostro Signore, durante questo semestre, la facoltà di assolvere, per questa sola volta, nel foro solamente della coscienza, e nell' atto della sacramentale confessione, qualunque loro respettivo penitente, il quale però avrà sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo, e si confesserà a questo fine, e con proposito di adempire le altre opere sopra ingiunte, da qualsivoglia peccato grave, ed enorme excesso, anche alla Santità Sua, e Santa Sede, o a noi riservato, e da qualunque scomunica, sospensione, ed altre ecclesiastiche sentenze, e censure imposte per qualunque causa *a jure, vel ab homine*, riservate similmente al Sommo Pontefice, e S. Sede, ed a noi, benchè contenute nella bolla della *Cena* del Signore, o in qualunque modo riservate, in vigore di qualsivoglia altra costituzione apostolica, e fulminate da' sacri canoni, con imporre loro la salutare penitenza, o altri obblighi, che di ragione loro si dovessero ingiungere. Constit. *Bened. Deus*, § *Insuper.*

E riguardo alla penitenza avvertano, che non debbono, nè possono tralasciare d' imporla, col pretesto, che il penitente è disposto a prendere il Giubileo. Constit. *Convoc.*, § 26, e lettera. circ. a' Penitenzieri, num. 65.

La suddetta facoltà però di assolvere non si stende ad assolvere.

« I. Quei, che non hanno sincero animo di conseguire il Giubileo con l' adempimento delle opere ingiunte, e che non si confessano a questo fine. » Const. *Bened. Deus*, § *Itaque*, et § *Insuper.*

« II. Quei, che sono complici col medesimo Confessore, in qualunque peccato, come già si è accennato. » Const. *Ben. Deus*, § *Non intendimus.*

« III. Nè quelli, che sono incorsi nelle Censure per causa dell' eresia formale estrinsecata, benchè occulta, perchè non espressa nella enunciata Costituzione di nostro Signore, a tenore del decreto della universale inquisizione sotto li 15 maggio 1656, approvato da Alessandro VII, ed anche della dichiarazione fatta dalla Santità Sua nello scorso Anno Santo. » Const. *Convocatis*, § 53.

« IV. Nè pur quelli, che da nostro Signore, o S. Sede, o da noi, o da qualunque altro prelato, o giudice ecclesiastico sono stati notoriamente scomunicati, sospesi, interdetti, o in altra maniera dichiarati di essere caduti nelle sentenze, e censure, o pubblicamente denunciati, se fra il termine di detti sei mesi non avranno soddisfatte, e ove sarà bisogno, concordato con le parti. » Const. *Bened. Deus*, § *Non intendimus.*

« V. Molto meno potranno assolvere da

Digitized by Google

quei peccati, e Censure, dalle quali neppure può assolvere, anche nel solo foro della coscienza, lo stesso sig. cardinale maggior penitenziere, a tenore della dichiarazione già fatta dalla Santità Sua per lo scorso Anno Santo. Lettera circolare a' Penitenzieri n. 39, le quali i nostri confessori vedranno espresse nei paragrafi della costituzione di essa Santità Sua che incomincia : *Pastor bonus :* riportati nel fine di questa nostra istruzione. »

« VI. Finalmente, nettampoco quelli, che per loro intrinseca indisposizione non sono capaci del sacramento della penitenza, poichè le amplissime facoltà del giubileo non saldano, nè suppliscono, come alcuni peccatori ignoranti falsamente credono, la mancanza del dolore de' peccati, e del vero proposito di emendarsi, che sono due delle parti essenzialissime di detto sacramento. »

E quantunque sappiasi benissimo da'nostri Confessori quali sieno questi indisposti, tuttavia non vogliamo lasciare di qui nominarli anche noi, almeno li più principali, e li più ovvii, e sono.

« I. Quei che si confessano senza dolore, e proposito.

« II. Quei, che si trovano in occasione prossima volontaria, quale non hanno lasciata, e che possono, nè vogliono lasciare, e che danno simile occasione ad altri di peccare mortalmente, senza volerla togliere.

« III. Quei, che hanno la consuetudine del peccato, senza speranza di emendazione.

« IV. Quei, che nutriscono odj, ed inimicizie, e non vogliono deporle, nè riconciliarsi coll' inimico.

« V. Quei che ritengono ingiustamente la roba altrui, o hanno cagionati danni, e tolto la fama, e potendo non vogliono restituire, e disdirsi. »

§ V. *Della facoltà di commutare i voti.*

Quanto alla commutazione de' voti, compete medesimamente agli uni, e agli altri confessori la facoltà di commutare in altre opere pie, e salutari qualunque voto semplice, anche giurato, e riservato alla Santa Sede. Cost. *Bened. Deus*, § *Insuper*, eccettuati però li seguenti.

« I. Li due voti di castità, ed ingresso in Religione. » Detto § *Insuper*.

« II. I voti accettati dal terzo, o ne quali si tratta del pregiudizio di esso terzo. » *Ivi*.

« III. I voti penali, che chiamansi preservativi dal peccato, fuorchè nel solo caso, in cui militi qualche circostanza, per la quale potessero giudicare egualmente proficua a raffrenare dal peccato la commutazione, che la materia del precedente voto. » Detto § *Insuper*.

Per regola nella commutazione di qualunque de' suddetti voti, dovranno notare li confessori, che non avendo la Santità Sua aggiunto alla parola, *commutare*, l' altra, *dispensando :* la materia da surrogarsi, dev' essere almeno uguale, detto § *Insuper*. e lett. circol. a' penitenzieri n. 45, e dovranno servirsi di questa facoltà nell' atto della sacramentale confessione, e per una sola volta, con quei solamente, i quali hanno sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo, e si confessano a questo fine, come si è detto di sopra.

§ VI. *Della facoltà di dispensare sopra l' irregolarità.*

Quanto finalmente alla dispensa dall' irregolarità, compete alli confessori, che si eleggeranno, come sopra, i penitenti constituiti negli ordini sacri facoltà di dispensare nell' atto medesimamente della sacramentale confessione, e per una solvolta questi stessi, ancorchè sieno regolari, dalla sola irregolarità occulta, contratta unicamente per violazione di censure, ad effetto di potere esercitare gli ordini già ricevuti, ed essere promossi agli altri superiori. Const. *Bened. Deus*, § *Insuper*, se però avranno ancor essi sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo, e si confesseranno a questo fine.

E quì, perchè non nasca ne' nostri confessori dubbio circa questa dispensa, con quelli, che sono costituiti solamente negli ordini minori, se possono, o nò, servirsene con i medesimi, perchè non nominati nella costituzione *Benedictus Deus :* gli rimettiamo alla dichiarazione fatta su questo punto dalla Santità Sua nello scorso Anno Santo, con riportare le medesime sue parole: « E benchè ivi, cioè nella costituzione *Convocatis ;* non sieno nominati, che i sacerdoti, ed i costituiti negli ordini sacri, ciascheduno però può abbastanza conoscere, che se concesso il più, s' intende concesso il meno, non resta vietato a' penitenzieri, a cui si dà l' autorità di dispensare sopra l' irregolarità contratta *ob violationem censurarum* co' sacerdoti, o costituiti negli Ordini sacri, purchè sia occulta, il servirsi della stessa autorità co' chierici costituiti negli Ordini minori. » Lett. circolare a' Penitenzieri, etc., num. 50.

Eccettuata la dispensa sopra questa irregolarità, sappiano li nostri confessori, che nostro Signore non intende di dispensare, o dare la facoltà di dispensare, o abilitare, o restituire nel pristino stato, anche nel foro della coscienza, sopra qualunque altra irregolarità, pubblica, o occulta, nota, difetto, o incapacità, ed inabilità, in qualsivoglia modo contratta. Cost. *Bened. Deus*, § *Non intendimus*.

Delle opere ingiunte per conseguire il Giubileo.

Acciocchè poi li nostri confessori possano pienamente istruire i loro penitenti circa le opere ingiunte per conseguire il Giubileo, oltre la notizia delle medesime, che abbiamo data a tutto il nostro dilettissimo popolo nella publicazione dello stesso Giubileo, ripetiam questo ancor quì, con alcuni brevi avvertimenti. Si riducon questi a quattro, e sono :

I. Visita delle quattro chiese sopra nominate.

II. Orazione da farsi in dette visite.

Digitized by Google

III. Confessione sacramentale.

IV. Comunione sacramentale. Cost. *Bened. Deus*, § *Itaque*.

Circa le visite è d'avvertire, che debbono esser fatte da chi non ne sarà dispensato, a tutte le dette quattro chiese, almeno una volta il giorno, per quindici giorni continui, o interpolati, quale può computarsi, oda una mezza notte all'altra, o dai vespri del giorno precedente a tutti i vespertini crepuscoli del seguente. Detto § *Itaque*.

E quantunque non sia necessario per l'acquisto delle Indulgenze essere in grazia, e premettere la confessione sacramentale a dette visite, bastando, che l'ultima opera sia fatta in grazia, dovranno nulladimeno insinuare seriamente alli penitenti, che le facciano, o dopo una fruttuosa Confessione, o dopo un'atto di contrizione, acciocchè gli sieno meritorie. Costit. *Convocatis*, § 45. Lettera circolare a' penitenzieri, num. 75, e 76.

Debbono ancora essere fatte con intenzione di venerare Dio, ed onorare i suoi Santi, ed esercitarsi in atti di religione. Detta lettera circolare num. 11, e 76.

Circa l'orazione, è d'avvertire che basta la vocale, nè è necessaria la mentale, e facendosi questa, vi si deve aggiungere qualche orazione vocale. Cost. *Convocatis*, § 51.

La quale quantunque non sia determinata ne in qualità, ne in durazione, non deve però essere così breve, che dinoti poco affetto agli ezercizi spirituali. Lett. circ. a' penitenzieri, num. 83.

Circa la confessione, è da notarsi, che dev'essere sacramentale, cioè de' peccati realmente, e non in *voto*, quatunque alcuno non fosse reo, che di peccati veniali. Cost. *Convocatis*, § 46, e detta lettera, num. 7.

Quale dovrà ripetersi nell'ultima opera ingiunta nel solo caso, che dopo fatte alcune delle visite in istato di grazia, taluno ricadesse in peccato mortale, senza obbligo però di ripetere le già fatte. Costit. *Convocatis*, § 45, 47.

Circa la Comunione finalmente, è da avvertirsi, che deve essere sacramentale insieme, e spirituale, cioè non sacrilega, nè è sufficiente la sola spirituale. Detta Costit., § 48, e lett. circ. a' penitenzieri, n. 2.

Eccettuata la visita delle chiese, e comunione sacramentale a' fanciulli di essa incapaci, non è conceduta a' confessori facoltà alcuna di dispensare per qualunque motivo, o impedimento veruna delle altre opere ingiunte, cioè confessione, e comunione, ed orazione. Cost. *Bened. Deus*, potendosi queste separare dalle suddette visite. Detta lettera circolare, num. 53.

In caso poi, che qualche penitente si fosse confessato con animo di conseguire il Giubileo, e di adempire l'opere ingiunte per conseguirlo, e fosse stato assoluto da' casi riservati, e censure, ed avesse ottenuta commutazione de' voti, e dispensa, come sopra, poi pentito, non avesse adempite le dette opere quantunque appena potess'essere esente dal reato di colpa, non lo condannino però li confessori come restato il predetto innodato dalle censure dalle quali è stato prosciolto, nè privo della grazia delle commutazioni, e dispense ottenute. Costit. *Bened. Deus*, § *Cæterum*; Costit. *Convocatis*, § 54. Lett. circ. a' penitenzieri, n. 86.

Che è quanto, ec.

Data in Roma, fuori della Porta Celimontana, li 26 marzo 1751.

PIER. LUIGI, VESCOVO D'ALBANO, CARD. CARAFA.

Paragraphi aliquot ex constit. Benedicti XIV, incipiente Pastor bonus, *quæ est* 95, *tom. I Bullarii ejusdem.*

« § XI. Principes porro, et alios jus imperii etiam vicario nomine habentes, ac dominia, et respublicas, seu personas illorum, et illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon episcopos, et alios superiores, prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis litteris die Cœnæ Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, et absolvi mandare nullatenus valeat.

« § XII. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, absolvere vel absolvi mandare S. R. E. cardinales, aut alios cujuscunque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis et præeminentiæ fuerint, qui vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint, vel Sede Apostolica vacante, in censuras seu pœnas in litteris felic. record. Gregorii PP. XV et Urbani VIII, prædecessorum nostrorum, super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, XVII kal. septembris anno Incarnationis Dominicæ MDCXXI, et V kal. februarii anno ejusdem Incarnationis MDCCXXV, respective emanatis, contentas quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent, Sede Apostolica adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo, pro tempore vacantis ejusdem sedis.

« § XIII. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, eos, cujuscunque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, et conditionis fuerint, absolvere et absolvi mandare, qui astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu reipublicæ Christianæ, sive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII, Pont. Max. litteris pridie kal. aprilis anno ejusdem Incarnationis MDCXXXI, contra prædicta perpetrantes, editis, contravenerint.

« § XIV. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

« § XXVI. Accipientes munera a regula-

Digitized by Google

ribus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus ultra valorem decem scutorum monetæ contra præscriptum a Prædecessoribus nostris Clemente VIII, in suis constitutionibus XIII kal. Julii anni MDXCIV et XVI kal. novembris anni MDCXL, respective editis, non absolvat, nisi facta restitutione ; vel, si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eandem, quam primum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipsius majoris pœnitentiarii, seu confessarii per eum eligendi, eleemosyna, quæ in beneficium religionis seu conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

« § XXXVIII. In casibus vero publicis clausuræ a monialibus prædictis, vel ab aliis quibuscunque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis episcopi, seu ordinarii supplicaverint, et casus ad congregationem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum, et regularium præpositam deducti non fuerint. »

JUDÆUS.

Vide verb. HEBRÆUS.

JUDAICA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ *num.* 27

JUDAS ISCARIOTES.

ADDITAMENTA NOVA AUCTORIS.

Judas Iscariotes, unde sic dictus? Eusebius et sanctus Hieronymus ita] vocatum volunt quod in vico Iscariot tribus Ephraim natus esset. Alii, quod esset ex tribu Issachar, et idcirco Issachariotes, nomine vero contractiori Iscariotes diceretur. Alii denique, quod a vico Carioth, ex tribu Juda nomen deduxerit; *Josue* XV, 25. *Iscarioth* hebraice hominem ex Carioth sonat. Sic Calmet verb. *Judas de Iscarioth*. Et a patria dictum esse Iscariotem tradit etiam S. Chrysostomus in sermone de proditione Judæ : *Quid mihi*, inquit, *ejus patriam dicis? Utinam ipsum quoque nescire licuisset.* Unde errarunt Ubertinus et Rubisius, qui Judam somniarunt esse Picentem, illudque nomen illi inditum a Cariotte Piceni oppidulo, sicuti et errarunt qui vel Gallum vel Germanum fuisse Judam dixerunt, sicut affirmat card. Lambertin. postea Bened. XIV, De Factis D. N. Jesu Christi, n. 207.

Argentei triginta a Juda accepti, ecquid valerent, varie tradunt auctores. Suarez enim III par., tom. II, disput. 34, sect. 1, eos triginta argenteos putat fuisse triginta nummos argento cusos, qui vel siclum, vel sicli semissem conficerent. Alii quidem sicli valore expenso, initaque ratione ad nostratem [monetam, putant Redemptorem nostrum octodecim scutorum Romanorum pretio fuisse venditum. Sic Serry Exercit. 22; eminentiss. Gottus de verit. Religion. Christ. t. IV, part. II, capit. 24, § 1. Marcus vero Georgius Schvartzen in Thesauro dissertationum in Nov. Testamen. Amstelodam., edito anno 1702, tom. II, pag. 210, diss. de pretio quo Salvator noster æstimatus, § 26, commemoratis aliorum opinionibus, concludit triginta argenteos, quando venditus est pactione Judæ Christus Dominus, quindecim taleros imperiales conficere. Sic apud cardin. Lambertin. deinde Benedict. XIV, De Fectis D. N. Jesu Christi, nu. 229. Calmet in Dictionario, verb. *Judas de Iscarioth*, sic tradit : *De prodendo Jesu cum eis convenit, modo sibi persolverent triginta siclos, nempe* 48 *libras et obolos* 12, *si pro quolibet siclo* 32 *obolos et* 5 *denarios supputemus.* Tirinus Commentar. in Matth. capit. XXVI, num. 13, sic habet : *Nempe triginta argenteis siclis, seu triginta florenis Belgicis, vel* 15 *unciis argenti*, ut alibi dixit : *scilicet in prolegom. de ponderibus*, *verb.* Siclus argenti : *ibi Siclus argenti est semuncia argenti.... Quoties legitur argenteus sine adjuncto, subintelligitur siclus.*

JUDEX.

SUMMARIUM

1. Judex unde dictus, et quid sit. Ad num. 2. — 3. Quid opus sit ut quis legitimus judex habeatur. — 4. An judex loci in quo delictum patratum est habeat jus cognitionis, etiamsi reus non sit subditus ipsius jurisdictioni. — 5. Judicum quot sint species, et quæ. Ad num. 12. —13. Quid competat judici ecclesiastico, et quid laico seu sæculari. Ad num. 23. — 24. An quis judicare possit in propria causa. Ad num. 28. — 29. Judex carens scientia, et male judicans, vel differens causarum expeditionem sine justa causa, ad quid teneatur. Ad num. 32. — 33. An judex possit munera unquam accipere, saltem leviora a partibus sponte oblata. Ad num. 41. — 42. An judex ecclesiasticus vel laicus possit unquam aliquid recipere vel exigere sportularum nomine, et quid sportularum nomine intelligatur. Ad num. 49. — 50. An quis possit judex esse in ea causa in qua prius fuit advocatus, et vice versa. Ad n. 51. — 52. An judex possit judicare secundum sententiam probabilem, relicta probabiliore ; et quomodo se gerere debeat in æquali opinionum probabilitate. Ad num. 55. — 56. Quot et quæ sint theologorum sententiæ quoad judicandum *juxta allegata et probata* etiam contra propriam conscientiam. Ad num. 64. — 65. An possit judex juramentum exigere a reis criminaliter inquisitis, dum judicialiter uti principales exa-

Digitized by Google

minantur. — 66. Quid jure canonico statutum sit circa judices synodales. — 67. Subnectuntur additiones ex aliena manu. Ad num. 76. Et addit. Casinenses n. 1 et seqq.

(1. Judex sic dicitur quasi *Jus dicens populo*, sive *quod jure disceptet*, prout expresse habetur in c. *Justum est* 1, caus. 23, q. 2, et in c. *Forus* 10, de verbor. Significat. (2. Hinc definitur judex, quod sit persona auctoritate publica supremi principis creata ad finem justitiam faciendi singulis suis subditis juxta regulas legis et ordinem ab ea præscriptum. *Est in re communis*, arg. c. *In istis* 3, dist. 4, et cit. cap. *Justum est* et c. *Forus*. (3. Unde, ut vides, ad hoc ut quis sit legitimus judex non sufficit quod sit electus pro tali officio auctoritate supremi principis, sed insuper quod servet ordinem justitiæ in suis judiciis proferendis, quia, ut expresse dicitur in cit. cap. *Justum est* et c. *Forus*. *Jure autem disceptare est juste judicare; non est ergo judex, si non est in eo justitia*, et quod illi quos judicat, sint subditi illius jurisdictioni, et causa supra quam fert judicium sit materia sui tribunalis, aliter ejus sententia esset injusta, quia injuste sibi usurparet potestatem, quam non habet in non suos subditos, c. *Ea quæ* 26, de Regulis Juris in 6, ibi: *Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*. (4. Judex autem loci in quo est commissum delictum, habet jus cognitionis, quamvis reus aliunde non sit subditus ipsius jurisdictioni, arg. cap. *Ibi semper* 1, et cap. *Qui crimen* 13, caus. 3 quæst. 6, ubi expresse statuitur quod, *Ibi semper causa agatur ubi crimen admittitur*.

(5. Judex alius est ordinarius, et alius delegatus. Judex ordinarius est ille qui potestatem judicandi habet jure proprio seu ratione officii aut dignitatis suæ, ac eo ipso quod est talis, ut episcopus, præses provinciæ, ac hujusmodi, l. *More majorum*, et l. *Et quia*, ff. de Jurisdict. omnium judic. (6. Judex delegatus est qui non habet jurisdictionem vi proprii officii, sed eam exercet ex beneficio et commissione alterius cujus vice fungitur, l. 1, §. *Qui mandatum*, ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisd. et l. *Si Prætor*, ff. Eodem, et l. *Solet*, ff. de Jurisd. omnium *judic.* (7. De judice delegato, et de iis quæ ipsum concernunt, vide verb. *Delegare*, *Delgatus*, per tot.

(8. Judex alius dicitur *a quo* et alius *ad quem*. Judex *a quo* est judex inferior, a quo per appellationem fit transitus ad superiorem; judex *ad quem* est judex superior, ad quem a judice inferiori fit appellatio. (9. Et de iis quæ concernunt judicem *a quo* et *ad quem*, vide verb. *Appellatio* per tot.

(10. Judex alius dicitur *judex domicilii*, alius *judex delicti*; alius *judex contractus*, et alius *judex rei de qua contenditur*. (11. Et de iis quæ concernunt tales judices vide verb. *Forum* seu *Forus*, a num. 11 ad 30.

(12. Judex alius est ecclesiasticus, et alius laicus seu sæcularis. Judex ecclesiasticus est ille ad quem spectat cognitio et decisio causarum ecclesiasticarum et spiritualium. Judex vero laicus seu sæcularis est ille ad quem spectat cognitio et decisio causarum laicalium et sæcularium. *Communis*, arg. cap. *Decernimus* 2, c. *Qualiter, et quando* 17, de Judiciis, c. *Nullus Judicum* 2, c. *Ex transmissa* 6; c. *Licet* 10, et c. *Ex tenore* 11, de foro competenti.

(13. Hinc judex laicus seu sæcularis nullimode potest cognoscere et judicare de causa ecclesiastica et spirituali, nec principaliter nec incidenter; cap. *Decernimus* 2; c. *Qualiter et quando*, 17 de Judiciis; c. *Nullus Judicum* 2, de foro competent.; cap. *Lator* 5, et c. *Causam quæ inter* 7, qui filii sint legitimi, et similibus; et *communis* doctorum. (14. Idque nec ex delegatione seu commissione episcopi aut alterius prælati Papa inferioris: *Communis* per jura adducta sub verb. *Delegare*, *Delegatus*, n. 34. (15. Imo judex laicus neque una simul cum clerico sibi per episcopum adjuncto potest cognoscere seu judicare de causa spirituali. Glossa in cap. *Contingit* 8, de arbitris, verb. *Spiritualibus;* Layman lib. III, tract. 6, c. 1, n. 2; Reiffenst. lib. II Decret. tit. 1, num. 70: Pirhing, 1 Decret. tit. 29, n. 34, ubi ex Abbate et Julio Claro dicit esse communem.

(16. Neque judex laicus, etiam ex delegatione episcopi, potest cognoscere et judicare de causa criminali clericorum: *Communis* per jura adducta sub. dict. verb. *Delegare*, *Delegatus*, num. 36. (17. Quinimo probabilius neque etiam ex delegatione episcopi potest judex laicus cognoscere causas mere civiles, quæ contra ecclesias vel clericos intentantur. Vide dicta et adducta ad hoc sub dicto verb. *Delegare*, *Delegatus*, num. 36. (18. Est tamen probabilis etiam contraria sententia per dicta l. c. n. 38. (19. Et neque judex laicus potest cognoscere et judicare de causis connexis cum spiritualibus; tales enim causæ spiritualibus connexæ spectant ad solum judicem ecclesiasticum: Abbas in cap. *Quarto* 3, de Judiciis, n. 3; Barbosa ib. n. 3 et 4, et alii apud ipsos. Reiffenstuel lib. II Decretal. tit. 1, n. 72, et alii, et id desumitur ex cit. c. *Quarto*, ubi deducitur quod causa juris-patronatus, utpote conjuncta et connexa spiritualibus causis, non nisi ecclesiastico judicio valeat definiri. (20. Orta quæstione de competentia fori inter judicem ecclesiasticum et laicum, debet cognoscere ecclesiasticus; habetur expresse in c. *Si judex* 12, de Sentent. Excomm. in 6. Vide dicta sub verb. *Forum*, vel *Forus*, num. 8.

(21. Judex laicus neque potest supplere negligentiam judicis ecclesiastici, et proinde clerici ad sæculare forum trahi nequeunt, etiam data ipsorum prælatorum negligentia; sic habetur expresse decisum in c. *Qualiter et quando* 17. de Judiciis, et tenet *communis* doctorum, testo Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 10, num. 45, et sic tenuit Rota in una Oscen. Pœnitentiariæ 10 aprilis 1595, coram

Digitized by Google

D. Bianchetto, allegata a Farinacio part. IV, lib. I, consil. 68. (22. Econtra tamen judex ecclesiasticus potest supplere negligentiam judicis laici : sic habetur expresse decisum in cap. *Ex transmissa* 6, cap. *Licet* 10, et cap. *Ex tenore* 11, de Foro competent., ubi judice sæculari negligente seu malitiose differente terminationem causæ, etiam feudalis, potest adiri judex ecclesiasticus ut debitum ei finem imponat. Et sic tenent Abbas, Sperellus, Barbosa, Baldus, Tuscus, Maranta, et alii communiter, cum Reiffenstuel loc. cit., n. 44. (23. Extra autem casum negligentiæ judicis sæcularis, judex ecclesiasticus nequit cognoscere et judicare de causis mere laicalibus ; c. *Licet* 10, et c. *Ex tenore*, 11, de foro competenti, cum concordantiis.

(24. Regulariter nemo potest esse judex in propria causa ; l. unic. Cod., *Ne quis in sua causa judicet*. (25. Limitatur tamen hæc conclusio, primo in supremis judicibus qui non recognoscunt superiorem in terris, ut Papa, Imperator, Rex, et hujusmodi. Isti enim cum superiorem non recognoscant, nec nullo jure cogantur se submittere judici inferiori, ideo possunt esse judices in propria causa : Bartolus in cit. l. unic., *Ne quis in sua causa judicet*, id probans ex l. *Et hoc Titius*, ff. de hæred. instituend., ubi Titius Tiberius in propria causa sententiam dixisse legitur ; et sic tenet Glossa in cap. *Cum venissent* 12, de Judiciis ; Abbas ib., num. 6 ; card. Tuschus litt. I, conclus. 403, n. 1 et seqq. et alii passim. (26. Consultius vero est quod nec ipsi supremi principes judicent in causis propriis inter ipsos et suos subditos exortis, sed has aliis dijudicandas committant, arg. cap. *Nos si incompetenter* 40, caus. 2, quæst. 7, cap. *Innotuit* 1, de maledicis, ubi Papa injuriosa verba in se prolata non per se ipsum punit, sed ea ad terrorem aliorum compescenda committit cuipiam inferiori, ut clare patet ex textu, et concordat textus in l. 1 et 2 Cod. *si adversum fiscum*, ubi imperator in causa fiscali dat procuratores, et sic consulunt Glossa, et Bartolus loc. cit., Antonellus de Regimine Ecclesiæ, lib. VI, cap. 13, § 3, n. 12, et alii passim, et sic solet esse praxis fere omnium piorum principum.

(27. Limitatur secundo in notoria injuria judici vel Prælato irrogata, quia is, non obstante quod talis causa videatur esse sua propria, potest imponere pœnam a jure taxatam, quia tunc procederet ut merus executor : Abbas in cap. *Cum venissent* 12, de Judiciis, num. 9 ; Pirhing lib. II. Decretal. tit. 1, num. 75 ; Reiffenst. ibid., num. 207, et alii passim. (28. Secus vero ubi pœna venit imponenda arbitrio judicis, quia tunc non procederet ut merus executor, sed ut judex ; et cum in tali casu ob affectum propriæ causæ facile posset in arbitrando excedere modum, ideo posset uti suspectus recusari ; arg. cap. *Quod suspecti* 15, caus. 3, q. 5 ; ac notat Archidiaconus ib., n. 7 ; Joan. Andr. in cap. *Cum speciali*, de appellat. num. 10 ; Abbas, Pirhing, Reiffenst. loc. c., et alii.

(29. Judex carens debita scientia, et ex culpabili ignorantia male judicans, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem totius damni causati parti læsæ, sive in substantia litis, sive in superfluis expensis : *communis*, teste cardin. de Lugo tom. II, disp. 37, n. 1. (30. Judex agnoscens errorem a se (quamvis sine gravi culpa) commissum in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra suam infamiam, impedire errorem, monendo verbi gratia occulte partem læsam ut sibi appellatione, vel alio simili remedio consulat, quia hoc pertinet ad debitam sui muneris exsecutionem, et quia alioquin, si, dum potest, non impedit suum errorem, imputabitur jam ei quasi conservanti id quod propter inadvertentiam inculpabilem prius non imputabatur. Lugo loc. citat., num. 3, de testibus cogendis. (31. Judex carens necessaria scientia ad suum officium non potest absolvi, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firme proponat renuntiare, quia nemo potest retinere officium cujus munia obire non potest, nisi cum damno vel periculo proximi. S. Thomas, 2-2, quæst. 76, art. 2 ; Farinac., III part., quæst. 3, art. 16 ; Reginald lib. XXV, num. 675 ; Cajetanus, Navarrus, et alii passim. (32. Judex mortaliter peccat contra suum officium differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine justa causa, et tenetur restituere parti læsæ damna et expensas quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt, quia est earum injusta causa : Silvester verb. *Judex*, q. 12 ; Clavis Regia lib. XII, c, 12, num. 8 ; Navarr. Bonacina, et alii communiter.

(33. Judex tenetur abstinere a receptione munerum, tum jure divino, tum jure humano. Jure divino est expresse prohibita judicibus munerum acceptio. *Exod.* XXIII, ibi : *Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. Deuteron.* XVI, ibi : *Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos judicum. Eccles.* XX, ibi : *Xenia et dona excæcant oculos judicum.* Et *Is.* I, acriter reprehenduntur judices diligentes munera, ibi : *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem*, et similiter *Michææ* III, ibi : *Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant ;* et alii sæpe consimiliter. Econtra vero commendatur judex munera respuens. *Isa.* 3, ibi : *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitat ;* et Samuel *I Reg.* XII, commendat se populo dicens : *Si de manu cujuspiam munus accepi*, et psalm. XIV, commendatur *qui munera super innocentem non accepit*, et alibi sæpe consimiliter. (34. Jure humano est expresse prohibita judicibus munerum acceptio in l. *Plebiscito*, ff. de offic. Præsid. ; leg. *Solet*. ff. de offic. Proconsulis ; authentic. *Novo jure*, cod. de pœna Judic. ; authent. de Judicibus, § *Nullo quoque*, et § sequenti ; auth. *Ut judices sine quocunque suffragio fiant ;* l. 1, cod. Ad l. *Juliam repetundarum*, et alibi sæpe, in quibus et munera prohibentur et pœnæ statuuntur.

Digitized by Google

Juri civili concordat jus canonicum, in cap. *Judices*, 23, et c. *Jubemus* 126, caus. 1, q. 1; c. *Non sane* 15, caus. 14, q. 5; cap. *Cum ab omni* 10, de vita et honest. Clericor.; cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6, § *Insuper;* cap. *Romana* 1, de censibus in 6, § *Procurationes*, et cap. *Exeyit* 2, eod. in 6, et alibi sæpe.

(35. Judex contra supradictas prohibitiones accipiens notabilia munera, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem; sic habetur expresse in l. 3 et sequent., ff. ad leg. *Juliam repetundarum;* et l. *Jubemus*, cod. eodem, et c. *Statutum* 11, de rescriptis in 6, § *Si aliquid autem*, ubi statuitur quod nec remissio dantis liberat judicem delegatum ab obligatione restituendi munus acceptum, ibi : « Si quid autem contra constitutionem præsentem recipit, ad ipsius restitutionem integram teneatur. Nulla eorum quibus restitutio facienda fuerit remissione ullatenus profutura eidem. » Et hanc restituendi obligationem optime novit Samuel propheta *I Reg.* XII, ubi aperto ore dicebat ad populum : *Loquimini de me . . . Si de manu cujuspiam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis :* Et talem restituendi obligationem jam indicaverat Isaias cap. I, ubi appellat judices diligentes munera, socios furum, ibi : *Socii furum, omnes diligunt munera.* Fures autem non possunt obtinere remissionem peccati furti, nisi restituant ablatum : c. *Peccatum* 4, de Regul. Jur. in 6, ibi : *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Unde in c. *Qui recte* 66, caus. 41, q. 3, expresse dicitur : « Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis exspectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitia, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit, » etc.

(36. An autem talis restitutio sit pro foro conscientiæ facienda ante sententiam condemnatoriam, seu declaratoriam delicti, variant doctores. Molina enim, Vasquez, Lessius, Fagundez, Villalobos, Dicastil., Diana apud Moyam t. I, tract. 6, d. 4, q. 3, a num. 5; Haunold. cum La Croix lib. IV, num. 1502, et alii, cum card. de Lugo, tom. III, disp. 37, n. 134, docent non teneri ad restitutionem ante sententiam condemnatoriam, seu saltem declaratoriam delicti. Silvester vero, Medina, Corduba, Sotus, Vega, et alii, apud Molinam, tom. I, tract. 2, disp. 88, et apud card. de Lugo tom. I, tract. 2, disp. 37, num. 133, sustinent teneri ad restitutionem etiam ante sententiam supradictam. (37. In hac autem doctorum varietate hoc pro certo tenendum est, quod ea quæ ad redimendam vexationem, aut sententiam injustam, aut aliter involuntarie data sunt, debent a judice restitui ante omnem sententiam, quia invitis dominis sunt accepta, et ideo non est translatum dominium; et idem est si judices per legem alicubi expresse reddantur inhabiles ad acquirendum munerum receptorum dominium, uti notant omnes cum Sanchez, et La Croix l. c., n. 1602; Rosign. de rest. 11, disp. 1, § 4, n. 22.

(38. Et hanc inhabilitatem in judicibus ad acquirendum munerum receptorum dominium videntur statuisse jura in l. *Plebiscito*, ff. de offic. præsidis et l. *Solent*, § fin., de offic. Proconsul., et cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6, § *Si quid autem*, ubi statuitur quod si judex delegatus aliquid recipiat, teneatur ad restitutionem, non obstante remissione ejus qui dedit; ut patet ex verbis præcisis allatis supra n. 35. (39. Nec ex consuetudine possunt judices illa acquirere et retinere, ut colligitur ex cap. *Cum ab omni* 10, de vita et honest. clericorum; et expresse dicitur in ejus summario per verba infra adducenda sub n. 42; Lessius l. II, de justitia et jure, cap. 14, dub. 9, num. 72, in fine; Rosignol. de Restitutione 11, disp. 1, § 4, n. 22, et alii. Et ratio est, quia ad hoc, ut valeat præscriptio, requiritur ut præscribens sit capax possessionis civilis suo nomine, cap. *Si diligenti*, de præscription., nec etenim sine possessione stare potest præscriptio. Tales autem judices nequeunt possidere, cum ipso jure reddantur inhabiles et incapaces ad acquirendum munerum receptorum dominium. (40. Ubi vero jura non reddant judices inhabiles ad acquirendum tale dominium, stante consuetudine legitime præscripta, sciente superiore et non contradicente, possunt judices sæculares sponte oblata juste recipere, ut ex multis solide probat Rosignol, loc. c. 20, et alii.

(41. Potest tamen judex recipere a partibus sponte oblata leviora munuscula, pro quibus non est periculum quod pervertatur seu corrumpatur ipsius judicium, quia in istis cessat ratio prohibitionis, et cessante ratione seu causa prohibitionis, cessat ipsa prohibitio seu lex prohibens : l. *Adigere*, § 1, ff. de jure patronat. Hinc c. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6, § *Insuper*, permittitur judici recipere esculentum vel poculentum, quod paucis diebus consumi possit, ibi : « Nisi forsan, esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus : » et concordat jus civile in l. *Solent*, § 3, ff. de offic. Proconsulis, ubi licet Proconsul prohibeatur accipere dona et munera notabilia, non tamen dona et xenia exigua. Vide verb. *Xenia*, num. 11.

(42. Judex ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus, nihil recipere potest sportularum nomine; c. *Cum ab omni* 10, de vita et honest. Clericor., ibi : « Nos attendentes, quod ad hoc vobis et aliis clericis sint ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis... ideoque mandamus quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes, vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri. *Et in ejus summario sic expresse dicitur :* Ecclesiastici judices et delegati gratis judicare debent, nec exigere possunt decimam, vel aliam quotam litis, etiamsi hoc habeat consuetudo; » et sic tenent Abbas ib., n. 9; Engel. lib. I Decretal., tit. 32, n. 12; Reiffenstuel ib., n. 19, et alii. Et de judice delegato habetur etiam expresse in c. *Statutum* 11, § *Insuper*, et § *Assessorem*, de Rescriptis in 6, ubi § *Si quid*

Digitized by Google

autem, subjungitur teneri judicem ad integram restitutionem muneris recepti, non obstante remissione ei facta a dante; et concordat c. *Exigit* § final. de censibus in 6, et Clement. *Nolentes*, § *Quod si secus*, de Hæreticis; ubi pariter liberalis remissio dantis non eximit recipientem ab obligatione restitutionis.

(43. Judex laicus delegatus potest exigere sportularum nomine certam quotam pecuniæ, videlicet duos aureos a principio, et alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium præstandos, dummodo summa pro qua litigatur centum aureos excedat. Ita habetur in Authent. de Judicibus, § *Ne autem*, collat. 6. (44. Judex autem laicus ordinarius nequit aliquid recipere sportularum nomine, quia is jam aliunde habet salarium sibi a principe vel republica constitutum; sic expresse evincitur ex l. *Plebiscito*, ff. de Offic. præsid., et leg. *Solent*, ff. de Offic. proconsulis. Et notat Glossa in l. III cod. de condict. ob turp. caus., et l. 1 cod. de pœnis judic.; et tenent Engel. l. I Decretal., tit. 32, num. 12; Reiffenst. ib. n. 18 : Silvester verb. *Judex* 1, n. 13, q. 8; Rosignol. loc. c. n. 3; Molina tom. I, de justitia disp. 83, citans plures alios, Lugo tom. I, disp. 37, n. 123, qui testatur de communi, et dicit quod judex habens sibi assignatum certum et determinatum stipendium pro suis actionibus, jam debet illas ex justitia, et per consequens non potest aliud pretium pro illis accipere, et si recipiat, cum injuste illud recipiat, debet restituere.

(45. Si autem judex sive ordinarius, sive delegatus, sive ecclesiasticus, sive sæcularis, non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, poterit pro judiciis sibi commissis exigere sportulas seu honoraria. Apostolus enim I *ad Corinth.* cap. IX, n. 7, dicit : *Quis militat suis stipendiis unquam?* et ibid. n. 13, subjungit : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur*, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant? et *Matth.* X, n. 10, dicitur : *Dignus enim est operarius cibo suo. Lucæ* X, n. 7 : *Dignus est enim operarius mercede sua. Deuteronomii* XXV, n. 4, habetur : *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, et hæc omnia allegantur ab Apostolo I *ad Timoth.*, cap. V, n. 18. ibi : *Dicit enim Scriptura : « Non alligabis os bovi trituranti. Et dignus est operarius mercede sua, »* et concordant cap. *Cum secundum* 19, de Præbend. ibi : « Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur non debeat repelli a mercede, » etc.; cap. *Charitatem* 45. caus. 12, qu. 2, ibi : « Justum namque est ut illi consequantur stipendium qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium » cum similibus. Et sic tenent Layman lib. III, tract. 4, n. 9; La Croix lib. IV, n. 1503; Lugo l. c., n. 223; Haunold, Rosignolus, et alii.

(46. Sportulæ sunt quædam vasa in quibus aliquid reponi ac deferri solet, et præcipue apud antiquos erant capsæ pecuniæ condendæ causa paratæ; ac consuetudo tulit ut sportulæ pro ipsa pecunia usurpentur. Ea enim pecunia sportula dici cœpit a sporta seu sportella, receptaculo majoris summæ pecuniarum. Unde pecuniæ illæ quæ judicibus vel viatoribus, id est exsecutoribus litium ac negotiorum pro salario dabantur, sportulæ sunt appellatæ. Calvin. in magno Lexico Juridico verb. *Sportula;* ubi adducit ad hoc Rubr. de sportulis, variasque alias leges. Hinc quantum ad præsens, sportularum nomine intelliguntur salaria seu honoraria judicibus pro causis judicialibus in certa quota pecuniæ a partibus litigantibus præstanda, prout habetur ex Rubrica l. IV, tit. 2, Cod. de sportulis et sumptibus in diversis judiciis faciendis.

(47. Jure naturæ illicitum est judici ob munus acceptum postponere cum damno causas eorum qui diutius exspectarunt, et citius expedire deberent : *certa et communis*, cum card. de Lugo loc. c., num. 125; Haunold. num. 58; La Croix loc. c., n. 1500. (48. Non est autem jure naturæ illicitum judici propter munus acceptum prius expedire unam causam quam aliam, quando illæ causæ æque cito expediri debent, et in arbitrio ipsius est prius expedire quam vult, quia per hoc non facit aliis injuriam, et aliunde in gratiam remunerationis suscipit novam obligationem prius expediendi ejus causam; quæ obligatio, cum sit utilis remuneratori, videtur pretio æstimabilis. Diana part. III, tract. 5, resol. 45; Rosign. de Restitutione 11, disquis. 1, § 4, n. 8, quibus videntur consentire Layman lib. III, sect. 5, tract. 4, cap. 4, n. 9; La Croix loc. c., n. 1500, et alii. (49. Qui tamen merito dicunt cavendum esse ne præpropera hæc expeditio causæ propter pecuniam sit conjuncta cum alterius injusto damno, quia cum motivo acceleratonis causæ ob munus acceptum subingreditur etiam præsumptio favoris in meritis causæ. Unde quamvis talis acceptio munerum non sit illicita judici de jure naturæ, videtur tamen esse ei illicita de jure positivo per jura adducta sub n. 33 et seq.

(50. Judex non potest quis esse in causa in qua fuit prius advocatus : l. *Eos in princip.*, Cod. de appellat., et l. *Prætor*, de jurisdict. omnium judic.; cap. *Nullus unquam* 1, et cap. *Nullus introducatur* 2, caus. 4, q. 4. Et ratio est quia ejus judicium haberetur suspectum et præsumptio staret contra ipsum ratione specialis affectionis quam haberet ad eam partem a se olim jam defensam, ut cum communi doctorum docet Sanchez lib. III, consil., cap. unic., dub. 26; Bartolus in l. *Quisquis vult*, Cod. de Postulando; Reiffenst. lib. I, decr., tit. 37, n. 39. (51. Potest tamen e contra quis fieri advocatus in causa in qua fuit prius judex, quia tunc cessaret dicta suspicio et præsumptio. Nec ullum jus exstat prohibens eum a tali advocatia. *Communis.*

(52. Judex non potest judicare secundum sententiam minus probabilem, relicta probabiliore. *Communis ac certa*, propter se-

Digitized by Google

quentem propositionem 2 in ordine ex merito damnatis ab Innocentio XI die 2 mart. 1679, ibi : « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » (53. Nec potest judex in æquali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium ullatenus accipere pecuniam seu munera pro ferenda sententia in favorem unius præ alio : *Communis etiam ac certa*, propter sequentem propositionem ordine 26 ex merito damnatis ab Alexandro VII die 24 septemb. 1665, ibi : « Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. »

(54. Quando, cunctis bene perpensis, apparent adhuc judici æque probabiles, atque per omnia æquales rationes, et probationes utriusque partis, tunc in pari causa pro reo vel pro possessore est judicandum : cap. *Cum sunt* 11, de Regul. juris in 6. ibi : « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori. » L. *Favorabiliores* 167, de Regul. juris, ibi : *Favorabiliores rei potius quam actores habentur;* c. *In pari* 65, de Regul. juris in 6, ibi : *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis;* l. *In pari* 170, de Regul. juris, ibi : *In pari causa possessor potior haberi debet;* c. *Ad aures*, 6, de Præscriptionibus, ibi : *De jure melior est conditio possidentis*, et c. *Ex litteris* 3, de probationibus, ibi : *Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint jura ad absolvendum quam ad condemnandum.* (55. Excipiuntur tamen causæ privilegiatæ, liberales, seu favorabiles verbi gratia matrimonii, libertatis, dotis ac testamenti, quia in æqualitate probationum judicatur pro causa liberali seu favorabili, textu expresso in cit. cap. *Ex litteris*, ibi : *Præterquam in liberali causa, in qua, si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur.* Et Glossa communiter recepta ib. verb. *In liberali*, ubi excipit dictas causas in his duobus versibus contentas.

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

Et expresse excipiuntur dictæ causæ in c. *Duobus judicibus* 26, de sententia et re judicata, ibi : *Tenet pro reo, non pro actore sententia, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata.*

(56. Judex, regulariter loquendo, judicare debet *secundum allegata, et probata.* Communis ac certa, claris juribus in cap. *Judices* 4, caus. 3, quæst. 7, in cap. *Cum æterni Tribunal.* 1, de sententia et re judicata in 6, et l. *Rem non novam*, cod. de Judic., cum similibus. (57. An autem judex debeat judicare *secundum allegata et probata* etiam contra propriam certam scientiam, tres sunt opiniones, duæ extreme oppositæ, et una media inter utramque. (58. Prima sententia absolute et universim tenet judicem posse ac debere semper in quacunque causa judicare *secundum allegata et probata*, etiam contra propriam conscientiam, si nullum medium supersit effugiendi, et præsertim liberandi, verbi gratia quem ipse judex privata scientia certo scit esse innocentem, et secundum allegata et probata comparet nocens, et reus morte dignus ; et hanc sententiam tenet expresse S. Thom. 2, 2, qu. 64, art. 6, ad 3, ubi sic præcise dicit : « Judex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata et probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem; » et universim qu. 67, art. 2 : et sic tenent Cajetanus, Sotus, Navarrus, Paludanus, Alensis, Thomas Sanchez, Bartolus, Julius Clarus, Covarruvias, Joannes Andreas, et alii apud Card. de Lugo disp. 37, sect. 4, num. 42, arg. cap. *Judicat.* 4, caus. 3, quæst. 7, ubi ex verbis S. Ambrosii habetur : « Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum et meditatum domo refert ; sed sicut audit ita judicat; et sicut se habet negotii natura, decernit ; obsequitur legibus, non adversatur. » Et Glossa ib.; et alia Glossa in c. *Pastoralis* 28, § *Quia vero*, de Officio delegati; et alia Glossa in c. *Perniciosam* 1, de Officio judicis ordinarii, ubi sic expresse dicit : « Judex debet judicare secundum allegata, et secundum canones et leges, et non secundum conscientiam. » Arg. cap. *Summopere* 7, caus. 11, q. 3, et leg. *Illicitas*, § *Veritas*, ff. de Officio præsid., in cujus summario sic expresse dicitur : « Judex debet judicare secundum allegata et probata, non autem secundum conscientiam. »

(59. Secunda sententia, extreme opposita primæ, docet in nulla causa posse judicem judicare *secundum allegata et probata* contra propriam conscientiam, et condemnare quem privata scientia certo scit esse innocentem. Sic tenent Abbas Panormitan. in cit. cap. *Pastoralis*, § *Quia vero*, n. 8, circa finem, de Officio delegati ; Nicolaus de Lyra in Exod., c. 23; Rosella verb. *Judex;* Angelus verb. *Judicare*, et alii, quos citat Lugo disp. 37, sect. 4, num. 42; et Lessius lib. II, cap. 29, n. 84 ; Pontas verb. *Judex*, cas. 3, ubi etiam solvit fundamenta prioris sententiæ. Et ratio istorum est quia judex ferendo sententiam contra privatam suam certissimam scientiam reipsa mentiretur ; aliud enim dicere quam scias mendacium est, atque intrinsece malum, et nunquam licitum. Unde Exod. XXIII sic expresse præcipitur omni judici : *Non suscipies voces mendacii..... Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* Et Apostolus *ad Romanos* XIV sic scribit : *Omne quod non ex fide peccatum est.* Id est, omne quod sit contra conscientiam peccatum est, ut explicat sanctus

Digitized by Google

Ambrosius, relatus in c. *Quærat hic*, § *Illud autem*, de pœnit., dist. 2. Tum quia præsertim in criminalibus nullimode potest habere locum prima sententia, quia nullo modo licet judici condemnare ad mortem quem certissime scit innocentem, suprema lege Dei id prohibente. *Exod.* XXIII, ibi : *Insontem et justum non occides.* Quamvis enim per leges humanas teneretur judex condemnare ad mortem *secundum allegata et probata* ostensum reum, quem ipse privata scientia scit certissime innocentem, adhuc tamen non posset licite ipsum condemnare, ratione dictæ legis divinæ, id prohibentis, cum contra legem divinam et naturalem nihil valeant leges humanæ : arg. cap. *Inferior* 5, dist. 21, c. *Cum inferior* 16, de majorit. et obedient.; clementin. *Ne Romani*, de Election.

(60. Tertia sententia, duabus aliis probabilior, docet quod si nulla media declinandi officium judicis supersint, possit quidem judex *secundum allegata et probata* contra propriam scientiam licite ferre sententiam in civilibus et causis criminalibus minoribus, ubi solum agitur de pœna pecuniaria, privationis officii vel bonorum ; non autem in criminalibus majoribus, in quibus agitur de pœna vitæ vel mutilationis. Sic tenent Imola et alii juristæ in l. *A divo Pio*, ff. de re judicata ; Pirhing lib. I Decret., tit. 32, n. 5 et 10 ; Reiffenstuel ib., num. 46 ; Clingesperger lib. IV Institut., tit. 1, quæst. 4 ; Adrianus *quodlibet.* 2, punct. 3, et *quodlibet.* 6, art. 3 ; Lessius lib. II de Justit. et jur., c. 29, dub. 14 ; Layman lib. III Theol. Moral., tract. 6, c. 2, n. 8 ; Lugo tom. II, disp. 37, sect. 4, n. 42 et sequent. ; Coninch. tom. II, de Sacramentis, disputat. 13, de Censuris, num 106 et 110, et disp. 34, de Matrimon., num. 99, Petrus Navarra de Restitutione, c. 3, n. 161 ; Malderus, Sa, Bonacina, Toletus, cum Busembaum, et La Croix lib. IV, c. 3, dub. 2, art. 4, et alii.

(61. Ratio autem quare judex possit licite contra propriam conscientiam ferre sententiam *secundum allegata et probata* in civilibus et criminalibus minoribus, et non in criminalibus majoribus, est quia judex in causis civilibus et criminalibus minoribus habet ad hoc legitimam potestatem ab ipsa republica, quæ est domina bonorum suorum subditorum, et potest de illis disponere quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur. At vero in criminalibus majoribus non habet judex hanc potestatem a republica, quæ, cum non sit domina vitæ ac membrorum suorum subditorum innocentium, non potest concedere judici talem potestatem. Tum quia occidere innocentem est intrinsece malum, sicuti cognoscere non suam uxorem ; sed nemo potest licite cognoscere quam certo scit esse non suam, quantumvis probetur per legitimos testes esse suam, et judex pronuntiet esse suam ; ergo nec etiam licebit condemnare innocentem, quantumvis probetur nocens per falsa et apparentia testimonia. Major est clara, minor est certa et *communis*, et conceditur ab ipsismet auctoribus contrariis : arg. cap. *Inquisitioni* 44, de Sent. Excomm. ubi conjux certo sciens occultum impedimentum matrimonii, quod tamen in judicio probare nequit, tenetur potius humiliter sustinere excommunicationem quam juxta sententiam judicis reddere debitum, adeoque neque in proposito potest respublica dare auctoritatem judici ad licite condemnandum innocentem contra propriam conscientiam, quantumvis probetur nocens per falsa et apparentia testimonia ; et ad hoc faciunt dicta sub n. 52.

(62. Nec valet dicere quod sit contra rationem ut plus deferatur uni quam duobus vel tribus testibus ; uti faceret judex qui propter suam solam privatam scientiam relinqueret testimonium duorum vel trium testium : tum quia hac ratione quilibet judex fingere posset se habere privatam scientiam de innocentia convicti rei, et sic quemlibet reum sibi bene affectum liberare in grave Reipublicæ detrimentum. Non valet, inquam, quia, licet sit contra rationem credere magis uni testi quam duobus vel tribus, non est tamen contra rationem credere magis sibi quam centum testibus ; quia unusquisque facit sibi plenissimam fidem. Imo non solum facit sibi fidem, sed evidentiam rei, contra quam non valent centum testes oppositum deponentes. At tum quia respondetur non adesse tale periculum in grave assertum reipublicæ detrimentum, quia cum in foro externo non sit credendum judici, nisi id probet, sed potius debeat puniri propter justitiæ ordinem non servatum, non subibit libenter illud periculum punitionis in foro externo, nisi urgente et stimulante conscientia in foro interno gravioris punitionis apud Deum, juxta illud *Matthæi* 10, num. 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

(63. De primo igitur ad ultimum quando judex scit certo scientia privata aliquem esse innocentem, licet juridice probatus sit nocens, tenetur omni modo eum liberare, si potest, verbi gratia excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem, vel singillatim interrogando circumstantiam loci, temporis, et hujusmodi, juxta exemplum Danielis prophetæ, *Dan.* XIII, uti sic testium falsitas possit deprehendi ; vel relinquendo carcerem apertum, si hoc sine majori malo et scandalo fieri possit, vel remittere causam ad judicem superiorem, et coram illo testificari innocentiam certo a se cognitam rei falso accusati. Quod si autem nullum præfatorum aut similium fieri posset seu juvaret pro liberando tali innocente, et judex urgeretur a præpotente parte ad ipsum morti adjudicandum, tunc potius deberet judex officium demittere quam innocentem contra propriam conscientiam, licet juridice probatum nocentem, ad mortem condemnare, non obstante quod etiam hoc modo nihil esset ipsi innocenti profuturus. Sic

Digitized by Google

verius censet cum aliis Lessius lib. II, cit. cap. 29, num. 78; Mastrius Theol. moral., disput. 6, num. 25; Felix Potestas tom. I, part. I, num. 118 et 119; Reiffenstuel. loc. cit., num. 50; Lugo, Filliucius, Toletus, et alii citati pro tertia sententia.

(64. Judex licet habeat certam scientiam privatam contra reum, quia verbi gratia propriis oculis vidit illum delinquentem, si tamen juridice probatus sit innocens, non potest licite ipsum condemnare, quia judex ut persona publica debet sequi scientiam publicam, et procedere secundum allegata et probata, præsertim in favorem rei : arg. cap. *Odia* 15, de Regulis Juris in 6, ibi : *Odia restringi, et favores convenit ampliari;* cap. *in pœnis* 49, de Regulis Juris in 6, ibi : *In pœnis benignior est interpretatio facienda;* l. 115, ff. de Regulis Juris, ibi : *In pœnalibus causis benignius interpretandum est;* l. 42, ff. de Pœnis, ibi : *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam asperandæ;* et sic tenent sanctus Thomas 2, 2, quæst. 67 : Navarr. cap. 25; Abbas in cap. *Pastoralis* 28, de Officio delegati, § *Quia vero*, num. 8; Covarruvias lib. I, Variar. Resolut., cap. 1, num. 8; Cajetanus, Filliucius, Lessius, Bonacina cum Busembaum, et la Croix lib. IV, cap. 3, dub. 2, artic. 4 : Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 32, n. 36, et alii. Et ratio est quia generale est quod actore non probante reus absolvitur : cap. *Cum Ecclesia Sutrina* 3, § final., de causa possession. et propriet.; l. *Qui accusare*, cod. de Edendo, cum similibus. Tum quia talis judex absolvendo reum non agit contra propriam conscientiam cum pronuntiet eum esse innocentem, sed solum quod contra ipsum nihil legitime et juridice fuerit probatum, et pro hac conclusione faciunt jura adducta sub num. 58.

(65. Judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter, uti principales, examinantur. Sic novissime statuit Benedictus XIII in Concilio Romano, tit. 3, de jurejurando, cap. 2. Vide verb. *Accusatus*, num. 26.

(66. Judices synodales, quibus a Romana Curia committuntur judicandæ causæ in partibus a Curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab episcopis in synodis; et si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab episcopo cum consensu capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in synodis, sive extra, nomina secretario supplicum libellorum pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacunque diœcesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet. Benedict. XIV, tom. I Bull., Constit. 28, incip *Quamvis paternæ*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Quatuor hic non incongrue sunt discutienda. I. An judex supplere valeat quæ omissa a partibus sunt. II. An sequi teneatur sententiam æquiorem. III. An probabiliorem. Et demum, IV. Quid faciendum si causa ei videatur utrinque æque probabilis.

(68. Ad primum quod attinet, potest judex ea supplere quæ juris, non item quæ facti sunt, nisi ex actis reluceant. (69. Primum membrum probatur ex Lege unica, c. *Ut quæ desunt advocat. part. judex suppleat :* membrum posterius inde patet, quod jura partium allegare non judicis, sed advocati officium est. Consule Voet in comm. ad. Pand. l. v, tit. 1, n. 49. (70. Limitatio subnexa est æque aperta, propterea quod si facta ex actis reluceant, scit illa ut judex, consequenter cum fidem publicam sequi debeat, debet etiam secundum illa pronuntiare. Quapropter si ex actis colligat alterutrum litigantium præscripsisse, debet ei rem ex præscriptione adjudicare, esto in ea se non fundaverit. Bruneman. in d. l. unica. n. 8; Zanger de Except., part. III, cap. 26, n. 16.

(71. Addit Stryk. juridic. dissert., vol. II, disput. 2, cap. 3, n. 7 : *Si facta quædam* (sunt ejus verba) *judici nota sint, etiam ex aliis actis ista supplere tenetur.* Sed meo judicio minus recte.

(72. Quod concernit secundum, si jura sint utrinque dubia, tenetur judex sequi sententiam æquiorem. (73. Et ita capi debet lex 8, c. *de Judiciis*, ubi habetur : « Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris rationem. (74. Cæterum si lex sit clara, esto judici dura, ac nimis videatur rigorosa, non potest tamen ab ea recedere, l. 12, § 1, ff. Qui et a quib. manumitt.

(75. Quoad tertium, recte Auctor, n. 52, sensit haud posse judicem sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Adi vero Peregrin. in Manuduct. ad Jurisprud. Justin. lib. v, tit. 18, qui et de eo disserit, an advocatus causam tueri possit secundum opinionem probabilem in concursu probabilioris.

(76. Restat ut de quarto disseratur. Variæ autem sunt hac de quæstione opiniones. Mihi ea semper arrisit sententia, ut judex vel transactionem suadeat, vel eo rem dirigat, ut forte aut per arbitros controversia dirimatur, aut vero æqualiter dividatur. Confer. Peregrin. in Manuduct. ad Jurisprud. Justin., lib. IV, tit. 18, qui aliorum opiniones refert unaque confutat.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU. EDITIONIS VENETÆ 1782.

Multi docent judices sæculares nihil omnino posse a partibus recipere, eo quod leges digest. correctæ sint per jus authenticorum, quo prohibetur judicibus universaliter munera accipere : auth. *Ut judices suo quoque suffragio.* Ita Antoine in tract. de obligat., cap. 5, § 1, in not. post quæst. 4, in qua quærit an liceat judici munera a partibus accipere : definitque resp. 1 nihil licere judici accipere pro ferenda sententia,

Digitized by Google

sive justa, sive injusta, eumque sic accepta restituere teneri, spectatoque solo jure naturali, et ante omnem sententiam restitutionem fieri debere ei qui dedit. Et resp. 5 statuit ne munera quidem liberalia, et sponte, ac sine ullo onere oblata, accipere judici fas esse, æque ubi hoc etiam jure naturali, si minus sit magni momenti, vetitum esse ostendit, subdit : « Cum autem dissentiant doctores circa obligationem restituendi ante omnem sententiam munera sponte ac liberaliter, nec ad vexationem injustam redimendam donata confessor debet semper judicem obligare ad talem restitutionem; tum. quia forte ad eam jam tenetur ex conscientia, tum quia tali pœna dignus est, et per eam avocandus est a relapsu. »

ADDITIONES CASINENSES.

In hoc articulo sequentia addere fas sit :

(1. Quæritur utrum judex licite possit pœnam relaxare. « Dicendum, quod duo sunt quantum ad propositum pertinet, circa judicem consideranda : quorum unum est, quod ipse habet judicare inter accusatorem et reum; aliud autem est quod ipse non fert judicii sententiam, quasi ex propria, sed quasi ex publica potestate. Duplici ergo ratione impeditur judex ne reum a pœna absolvere possit. Primo quidem ex parte accusatoris, ad cujus jus quandoque pertinet ut reus puniatur, puta propter aliquam injuriam in ipsum commissam, cujus relaxatio non est in arbitrio alicujus judicis, quia quilibet judex tenetur jus suum reddere unicuique. Alio modo impeditur ex parte reipublicæ, cujus potestate fungitur, ad cujus bonum pertinet quod malefactores puniantur. » D. Thomas 2-2, quæst. 67, art. 4.

Hinc ex D. de Ligorio : « Judex debet judicare secundum leges. Unde ordinarie non potest pœnam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ab bonum reipublicæ aliud necessarium esse dictaret epikeia, vel nisi de privata tantum injuria actoris ageretur. » Lib. IV, cap. 3, n. 205.

(2. Quæritur utrum judex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit aliquis accusator. Respond. negative cum D. Thoma in hæc verba : « Dicendum quod judex est interpres justitiæ. Unde philos. dicit in 5, ethic. *Homines ad judicem confugiunt, sicut ad quamdam justitiam animatam.* Justitia autem... non est ad seipsum, sed ad alterum, et ideo oportet quod judex inter aliquos duos dijudicet : quod quidem fit cum unus est actor, et alius est reus. Et ideo in criminibus non potest aliquem judicio condemnare judex, nisi habeat accusatorem, secundum illud *Act.* XXV : ***Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*** (quæ ei objiciuntur), » 2-2, quæst. 67, art. 3.

(3. Quid vero sit faciendum judici, cum utrinque adsint sententiæ probabiles in quæstione juris?

Debet ferre sententiam secundum opinionem de jure probabiliorem. Quippe judex est constitutus ut secundum merita causæ, et sententiam quæ ei videtur maxime rationi consona, causam decidat; alioquin esset acceptor personarum. Hinc optimè merito damnata ab Innocentio XI sequens propositio : ***Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*** Ex D. de Ligorio, ib., n. 309 et seq.

(4. Hic adverte ex DD. sententia : ***quod attendenda est illa opinio quæ probabilior est secundum allegata et probata.*** Hinc dicunt primo non posse judicem aperire alteri parti quod ipsa posset pro se allegare, quia hoc esset agere munus advocati, quod judici non licet. Notant secundo DD. propositionem damnatam loqui precise de sententia; quare dicunt ex illa non vetari judici opinionem minus probabilem sequi quoad actus, prout examinare testes, etc., sententiam præcedentes. ex D. de Ligorio l. c., n. 210.

(5. Hoc pacto, ut quoad primum ex consultorum mente aliqua dicamus, exploratum habe, quod ea quæ sui origine a litigantibus procedunt nullo modo a judice fieri possunt; adeoque nec exceptionum non oppositarum, nec testium non productorum ratio habenda in sententiis ferendis; nisi quod in causis criminalibus incumbit judicibus sic instituere testium examina, ut non modo inquirant in criminis qualitates et circumstantias reum gravantes, sed et in eas quæ ad ejus innocentiam comprobandam videri possunt pertinere. Voet ad Titul. ff. de Judiciis, n. 49.

(6. Atque ut clarius hac de re constet, illud animadvertendum, ictos in hac re distinguere ea quæ *facti* ab iis quæ *juris* sunt. In iis quippe quæ facti sunt, id pro certo habendum, judicem ea supplere non posse quæ a partibus non allegentur (nisi notoria prorsus sint ex instrumentis illis quæ probationis ergo in judicio prolata sunt); ne alioquin supplendo ea quæ dubii facti sunt, non tam judicis quam advocati partibus videatur fungi, et patrocinari potius quam judicare. Nota vero quod si omissa causam relinquant obscuriorem, ac difficiliorem ejus determinationem, potest judex per sententiam interlocutoriam monere litigantes ut plenius instruant litem pendentem, nec est quod ea propter quisquam eum habuerit jure suspectum. Ex Voet loc. cit.

(7. Secus vero se res habet ex DD. placito in iis quæ juris sunt; quippe tunc judex recte potest supplere quod ex lege est, quemadmodum compertum habemus ex leg. un. cod. *Ut ea quæ desunt advocatis partium judex suppleat*, in hæc verba : « Non dubitandum est judicem, si quid litigatoribus, vel ab his qui negotiis adsistunt, minus fuerit dictum, id supplere et proferre quod sciat, legibus et juri publico convenire. » — « Qua ratione, scribit idem Voet, nihil

Digitized by Google

vetat quominus judex consuetudinem quoque, quanquam non allegatam, in lite finienda sequatur, si modo inveterato usu jus tale inductum constet. Appellationem quoque declaret desertam, parte licet adversa nec allegante, nec petente; in quantum appellatione deserta, confirmata est ipso jure judicis inferioris sententia, quæ per desertam appellationem, non ultra potest suspensa dici. » l. c.

(8. Quæres an sententia judicis injusta obliget in foro conscientiæ?

« Resp. : Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata et probata, sive ex judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiæ, manetque parti læsæ, tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona... Ratio est quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem judicii, hoc est ut determinatio juris, et definitio justi.

« Dixi in *foro conscientiæ;* quia in foro externo, ubi non tam veritas facti quam probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda; neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in pœnam pigritiæ, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis. » Ex D. de Ligorio lib, IV, cap. 3, dub. 2, n. 215.

Hinc duo sequentia subnectuntur :

I. « Is cujus bona per sententiam manifeste injustam adjudicata sunt alteri, potest (nisi alter juste præscripserit) per occultam compensationem ea recipere, quia recuperat jus suum. »

II. « Qui sciens per injustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, neque unquam præscribere potest; quia sunt aliena, et possessor malæ fidei nunquam præscribit : imo tenetur expensas restituere, et compensare damna, etiamsi pars læsa non appellaverit, cum non renuntiet ideo juri suo. » Ex D. de Ligorio loc. cit.

JUDICIUM.

SUMMARIUM.

1. Judicium quod sit; quot vero, et quæ, seu principales; seu minus principales personæ ad illud constituendum requirantur. *Ad num.* 7. — 8. Judicium a quibus causis, et quomodo dividatur. *Ad num.* 11. — 12. In judicio, seu processu summario quæ solemnitates omitti possint, quæ vero non. *Ad num.* 14. — 15. In quibus causis judicium summarium institui potissimum soleat ac possit. *Ad num.* 22. — 23. An possit extra casum necessitatis et pietatis Judicium exerceri diebus feriatis; quot vero sint, et quæ feriarum species. *Ad num.* 27. — 28. Quid licitum vetitumve sit circa dies feriatos. habitata diversitatis feriarum ratione. *Ad num.* 39. — 40. Subnectuntur additiones ex aliena manu. *Ad num.* 74.

(1. Judicium sumptum pro causæ discussione, quæ coram judice pro tribunali sedente fit, definitur, quod sit « legitima rei controversæ apud judicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, et dijudicatio. » *Est in re Communis*, cum Glossa in cap. *Forus* 10, de verborum Significat., verb. *Judicium*, ubi dicit quod « Judicium est legitimus actus duarum personarum, actoris et rei, super eadem quæstione sub eodem judice contracta. »

(2. Ad constituendum judicium requiruntur ordinarie tres personæ principales, scilicet judex, actor, et reus : l. *Inter litigantes* 62, juncta Glossa marg. litt. *F.*, ff. de Judiciis; c. *Forus* 10, de verbor Significat. (3. Judex sic dictus, *quasi jus dicens populo, sive quod jure disceptet*, prout expresse habetur in c. *Justum est* 1, caus. 23, qu. 2, et in cit. c. *Forus* 20, de verb. Significat., est persona quæ publica auctoritate judicio præest, et quasi mediatorem agens inter litigantes, rem controversam secundum juris præscriptum definit, arg. c. *In istis* 3, dist. 4, et cit. c. *Justum est*, et cit. cap. *Forus*. (4. Actor *ab agendo dictus*, est persona quæ actionem proponit, et prior ad judicium provocat : l. *In tribus* 13, l. *Qui prior* 29, ff. de Judiciis, et talis in causis criminalibus proprie vocatur *accusator* : l. *Inter* 10. leg. *Accusatore* 13, ff. de public. Judic.; l. *si accusatoribus* 4. Cod. de accusat. et cit. cap. *Forus* 10, de verbor. Significat. expresse dicitur : « Accusator vocatus est, quasi causator, quia ad causam vocat eum quem appellat. » In causis autem civilibus proprie vocatur *actor*, seu *petitor*, l. *Inter* 62, ff. de Judiciis. (5. Reus sic dictus non a reatu, *sed a re* de qua disceptatur, et est controversia, ut expresse habetur in cit. cap. *Forus*, ibi : « Reus a re quæ petitur nuncupatur; quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur quandiu in Judicium pro re aliqua petitur; » est persona quæ ab actore provocatur, seu in jus vocatur, et contra eam in judicio agitur.

(6. Notanter autem dictum est sub num. 2, quod ad constituendum judicium requiruntur *tres personæ principales*, quia ultra ipsas tres personas principales solent intervenire aliæ personæ minus principales, seu accessoriæ, ut testes, advocatus, procurator, tabellio, et aliæ nonnullæ, veluti ministri justitiæ, ut docet communis praxis. (7. De iis vero quæ concernunt judicem, actorem, reum, advocatum, et procuratorem, vide verb. *Judex*, *Actor*, *Reus*, *Testis*, *Advocatus*, et *Procurator*.

(8. Judicium dividitur juxta quatuor causarum genera : scilicet a causa efficiente, seu ratione judicis illud peragentis; dividitur in judicium *ecclesiasticum*, et *sæculare*. Judicium *ecclesiasticum* est illud in quo coram judice ecclesiastico disceptantur et definiuntur causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes. Judicium *sæculare* e contra est illud in quo coram judice sæculari seu laico disceptantur et definiuntur causæ ad forum

Digitized by Google

sæculare pertinentes. (9. A causa finali, seu ratione finis ob quem processus judicialis instituitur, dividitur judicium in *civile*, *criminale*, et *mixtum*. Judicium *civile* est illud in quo actor suum vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causa ex contractu, sive ex delicto descendat, non agendo tamen super delicto seu crimine. Judicium *criminale* e contra est illud in quo agitur super crimine ad publicam vindictam seu pœnam publicam, sive ea corporalis sit, sive pecuniaria applicanda fisco ; aut publici officii privatio, et hujusmodi. Judicium *mixtum* est illud in quo partim civiliter et partim criminaliter agitur, ut verbi gratia cum de crimine aliquo, uti de furto et damno illato, agitur ad interesse partis et simul ad vindictam publicam. (10. A causa materiali seu ratione materiæ controversæ judicium dividitur in *petitorium* et *possessorium*. Judicium *petitorium* est illud in quo principaliter de rei proprietate, dominio, vel quasi dominio ; vel de jure aliquo in re vel ad rem competente, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, actio empti, depositi, commodati, aut alia similis intentetur. Judicium *possessorium* e contra est illud in quo non de proprietate vel dominio rei, sed de sola possessione seu quasi possessione ejusdem contenditur, sive adipiscenda, seu retinenda, sive recuperanda. (11. A causa formali seu ratione formæ in ipso servatæ dividitur judicium in *ordinarium*, et *summarium*. Judicium *ordinarium* (quod appellatur etiam *plenarium* seu *solemne*) est illud in quo judex cum ordinaria figura et strepitu judicii plenarie et solemniter, servatis omnibus requisitis solemnitatibus, procedit juxta plenum et totale præscriptum juris. Judicium *summarium* (quod appellatur etiam *extraordinarium*) est illud e contra in quo judex simpliciter vel summarie, et de plano, sine ordinario et solemni strepitu, ac figura judicii, sola facti veritate inspecta, procedit. Clement. *Dispendiosam* 2, de Judiciis, et Clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Significat., et l. *Nec quicquam*, § *De plano*, ff. de Offic. proconsul.

(12. In judicio seu processu *summario*, quamvis possint omitti illæ solemnitates quæ jure solum positivo requiruntur, non tamen omitti possunt illæ quæ jure naturali aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariæ; sic colligitur aperte ex cit. Clement. *Dispendiosam* 2, de Judiciis, et cit. Clement. *Sæpe contingit* 2. de verb. Signif. et tenet *communis* doctorum. (13. Prima pars conclusionis ostenditur inductione, allegando textum cit. Clement. *Sæpe contingit*, ubi Clemens V, determinans et declarans quid in judicialibus commissionibus, quæ fiunt a principe, vel a jure, significent hæc verba, scilicet, quod *procedatur simpliciter, et de plano, et sinè strepitu, et figura judicii*, seu summarie dicit : « Nos autem publicationem hujusmodi (quantum nobis est possibile), decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut judex cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias, et frustratorias repellendo ; partium advocatorum et procuratorum contentiones, et jurgia, testiumque superfluam multitudinem refrænando. Et infra post alia multa, subdit : Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) in scriptis, et (prout magis sibi placuerit) stans, vel sedens proferat etiam (si videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, et probatione, et aliis actitatis in causa fuerit faciendum. »

(14. Secunda pars conclusionis, scilicet, quod in judicio seu processu summario non possint omitti ea quæ de jure naturali aut gentium sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, colligitur etiam clare ex citat. Clement. *Sæpe contingit*, de verbor. Significat., ubi Clemens V inter alia sic statuit : « Non sic tamen judex litem abbreviet, quin probationes necessariæ et defensiones legitimæ admittantur. Citationem vero ac præstationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi. » Unde ex istis et ex aliis quæ ibi subjungit Pontifex aperte colligitur quod in judicio seu processu summario nequeunt a judice omitti ea quæ de jure naturali aut gentium sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, quia, si talia a judice omitterentur, veritas occultaretur, et sic justa sententia sequi non posset.

(15. Judicium summarium in duplici causarum genere solet potissimum institui, scilicet in causis, quæ celerem requirunt expeditionem. Clement. *Dispendiosam* 2, de Judiciis, et in causis quæ sunt modici valoris et levis momenti, Authent. *Nisi breves*, et ibi Glossa, Bartol., Bald., Cod. de sent. ex brevi cul. recitand. (16. Causæ celerem expeditionem requirentes sunt præsertim illæ quæ recensentur in cit. clement. *Dispendiosam* 2, de judiciis, ibi : « Dispendiosam prorogationem litium, quam interdum ex subtili ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire, restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis.....Nec non super matrimoniis, vel usuris, et eas quoquomodo tangentibus ventilandis procedi valeat de cætero simpliciter, et de plano, ac sine strepitu judicii et figura. »

(17. Sic etiam summarie decidi solent causæ pauperum, pupillorum, viduarum, carceratorum, aliorumque miserabilium personarum. Authent. de Mandatis Principum, § *Sit tibi quoque*, collat. 3. Item causæ alimentorum : l. 2, ff. de Feriis. Sicut et causæ spolii, depositi, mercedis, et forensium, seu pere-

Digitized by Google

grinorum. Engel lib. II Decret. tit. 1, n. 12; Reiffenst. ibid., n. 48; Maranta par. IV Speculi Aurei, dist. 9, a n. 166, et alii. Item causæ religiosorum : c. *Olim* 26, de Accusationibus; Reiffenst. loc. c., n. 48; Maranta loc. c., n. 170 et 171.

(18. Causæ modici valoris et levis momenti diversimode assignantur a doctoribus, ut notat Glossa in cit. Authent. *Nisi breves*. Alii enim censent esse modicam et levem causam, quæ est usque ad quinquaginta aureos; arg. l. 1. Cod. de Defensoribus civit. Alii autem putant illam esse modicam, et levem, quæ est usque ad trecentos aureos : arg. Authent. de Defensoribus civit. § *Et judicare*, collat. 3. Vel usque ad decem libras auri : arg. authent. de Appellationibus, § *Illud*, collat. 3. Alii tandem melius supradictis docent modicitatem et levitatem causarum dijudicandam esse prudenti arbitrio judicis juxta diversam qualitatem personarum, quia una causa, verbi gratia, centum aureorum, quæ inter homines mediocris fortunæ censeretur magna, inter duos principes vel valde divites reputatur modica. Sic Glossa, et Bartolus in cit. Authent. *Nisi breves;* Reiffenst. loc. c., n. 50; Maranta loc. c., dist. 9, n. 189, cum pluribus aliis ibi citatis.

(19. Causæ judicio summario tractandæ possunt etiam, non contradicentibus partibus, tractari et decidi judicio ordinario et solemni, textu expresso in Clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Signific., § final. ibi : « Si tamen in præmissis casibus solemnis ordo judiciarius in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. » (20. Si tamen judicium quòd ex sui natura fuisset summarium, ex actoris electione reddatur ordinarium, tunc sententia prolata, non servatis solemnitatibus juris, erit nulla et invalida, quia, ex quo actor sua sponte elegerit, et adhibuerit judicium ordinarium cum posset tenere summarium, sententia debet proferri, sub pœna nullitatis, secundum præscriptas solemnitates in tali judicio ordinario et solemni observandas : card. de Luca tom. III, disc. 1, de Judiciis num. 12 et 53; Reiffenst. loc. cit., num. 51, et alii. (21. Sententia enim prolata in judicio ordinario et solemni, non servatis solemnitatibus a jure præscriptis et requisitis, est nulla : l. *Prolatam*, cod. de sent. et interlocut. omnium judicum, cap. *In causis* 19, de sententia et re judicata; card. de Luca loc. cit., n. 11 et 12; Reiffenst. loc. cit., n. 43, et alii. (22. Valida autem est sententia prolata in judicio summario, quamvis non servatis plerisque solemnitatibus a jure positivo requisitis, si sint observatæ illæ quæ jure naturali aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariæ, cit. clement. *Dispendiosam* 2, de Judiciis, et ex alia Clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Significat.; et patet ex dictis supra num. 12 et 13. Sic Barbosa in d. clement. *Sæpe contingit*, n. 1 et seq.; Reiffenst. loc. cit., num. 41; Maranta part. IV Speculi Aurei, disp. 9, num. 8 et seq., et alii communiter.

(23. Judicium extra casum necessitatis et pietatis nequit exerceri diebus feriatis, sive sacris sive profanis, l. 1, ff. de Feriis, l. *Si Feriatis*, ff. eod. et l. 2 Cod. eod. cap. *Omnes dies* 1, et cap. *Conquestus* 5, de Feriis. (24. Dicitur notanter *sive sacris, sive profanis*, quia feriarum tres sunt species, scilicet feriæ sacræ, rusticæ, et repentinæ. (25. *Feriæ Sacræ sive solemnes* sunt illæ quæ ob reverentiam et cultum Dei principaliter sunt institutæ, ut sunt omnes dies festi de præcepto, de quibus sit mentio in cit. cap. *Omnes dies* 1, et cit. cap *Conquestus* 5, de Feriis; et præsertim in Bulla Urbani VIII incip. *Universa*. (26. *Feriæ rusticæ* (quæ etiam vocantur necessariæ) sunt illæ quæ ob necessitates hominum præsertim ruri laborantium, instituuntur, uti sunt feria messium et vindemiarum, de quibus fit mentio in cit. capit. *Conquestus* 5, de Feriis 5, § ultim., et in l. 1, ff. de Feriis. (27. *Feriæ repentinæ* sunt illæ quæ non ex certa et stabili lege constituuntur, sed extra consuetum ordinem repente et subito indicuntur, ut solet fieri ob coronationem principis, aut ejus adventum, vel ob insignem victoriam de hostibus reportatam : l. *Sed et si*, § *Si Feriæ*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Item propter hostilitatatem, vel grassantem publicam luem, aut similem causam extraordinariam, et tales repentinas ferias solus princeps, non autem judex auctoritate propria indicere potest : leg. *A nullo*, Cod. de Feriis.

(28. Prohibitio exercendi judicium diebus feriatis extenditur ad omnes judicii partes, quæ regulariter sunt tres. (29. Prima est inchoatio causæ per rei citationem, quæ rei citatio præsertim exsecutiva per apparitorem sive nuntium facienda, cum spectet ad actus judicii, ut patet ex cap. *Quoniam* 11, de Probationibus, ibi : « Qui fideliter universa judicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes, » etc., nequit ex rigore juris fieri diebus feriatis, ut expresse tenuit Rota in causa Bononien. liberationis a Fidejussione, 9 febr. 1607; apud Farinac. lib. II, dec. 233, num. 4; et tenent. Baldus in l. *Cum Clericis*, n. 3, Cod. de Episc. et Clericis; Lanfrancus tract. de Citat., num. 18; Reiffenstuel lib. II Decret., tit. 9, n. 54; Abbas in cap. *Conquestus* 5, de Feriis, n. 20; Fagnan. ibid., n. 56, allegans praxim et aliam decisionem Rotæ, quæ est dec. 365, num. 1, part. III, recent., et alii, arg. cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis, et l. ull. Cod. eod., ubi videtur actus iste specialiter fuisse prohibitus his verbis : *Nulla quemque urgeat admonitio, præconis horrida vox sileat.*

(30. Secunda pars judicii est processus, qui fit per causæ cognitionem, examinatis et juratis testibus, exhibitisque litteris probatoriis; et hæc pars judicii, cum sit vere et proprie actus judicialis, prohibetur fieri sub pœna nullitatis diebus feriatis, cap. *Omnes dies* 1, et cap. *Conquestus* 5, de Feriis; l. 1, de Feriis; l. *Juris jurandi*, cod. de Testibus, cum similibus; et sic tenet *communis* do-

Digitized by Google

ctorum. (31. Tertia est sententiæ prolatio, ejusque exsecutio, et hæc pars judicii cum sit propriissime actus judicialis, prohibetur expresse fieri diebus feriatis sub pœna nullitatis, cit. cap. *Omnes dies*, cod. eodem, cum similibus, et *communissima* doctorum.

(32. Judicium adeo prohibitum est exerceri feriis sacris, ut neque de consensu partium possit in ipsis valide exerceri, textu expresso in cap. *Conquestus* 5, de Feriis, ibi : « Quibus utique solemnibus feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere; ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus hujusmodi promulgari. » Et sic tenet *communis* doctorum. Et ratio est, quia feriæ sacræ, utpote in honorem Dei institutæ, principaliter concernunt cultum divinum, cui partium consensu renuntiari et præjudicari nequit. (33. Item neque de consensu partium potest judicium exerceri feriis repentinis, quia istæ feriæ respiciunt potius publicum quam privatum partium favorem, arg. l. *Omnes dies*, cod. de Feriis. Pacto autem seu consensu privatorum nequit derogari favori ac juri publico, cap. *Si diligenti* 12, de foro competenti; l. *Jus publicum*, ff. de Pactis : Glossa in clement. *Sæpe contingit*, de verb. Significat., verb. *Ob necessitates;* Abbas in cap. *Omnes dies* 1, de Feriis, num. 11; Fagnan. in c. *Conquestus* 5, de Feriis, num. 7 et seq.; Reiff. lib. II Decret., tit. 9, de Feriis, num. 32; Speculator eod. tit., § *Nunc videamus*, num. 1, et alii. (34. Potest tamen de consensu partium exerceri judicium feriis rusticis, textu expresso in cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis, ibi : « Licet diebus feriatis qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates homines indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate : » et concordat l. *Omnes Judices*, cod. de Feriis, et l. 1, ff. eod. Et ratio est quia tales feriæ concessæ sunt principaliter in gratiam privatorum. Ne scilicet occasione judicii præpediantur a commoditate colligendi fruges suas; iis autem quæ in sui gratiam sunt concessa seu introducta, possunt partes libere renuntiare textu expresso in l. *Si quis* 29, cod. de Pactis, ibi : « Cum sit regula juris antiqui, omnes licentiam habere iis quæ pro se introducta sunt renuntiare. »

(35. Omnibus feriis, sive sacris, sive repentinis, sive rusticis, potest exerceri judicium ratione necessitatis aut pietatis; *communis*, textu expresso in cit. cap. *Conquestus* 5, de Feriis, ubi a generali prohibitione exercendi judicium diebus feriatis excipiuntur duo præmissi casus his verbis expressi : *Nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat.* (36. Hinc ratione necessitatis, sive publicæ, sive privatæ, possunt tunc expediri causæ quæ celeritatem requirunt, ut si res propter dilationem peritura esset, verbi gratia si oriatur controversia circa collectionem fructuum cæteroquin perituroram, vel circa capturam piscium raro aut certis solummodo diebus apparentium, arg. cap. *Licet* 3, de Feriis, et l. *Solet*, ff. eod. Sic causæ respicientes alimenta necessaria possunt expediri diebus feriatis, cum talibus alimentis indigeamus omnibus diebus, l. *Publicus*, cod. de Feriis. Item diebus feriatis potest procedi contra malefactores et facinorosos latrones, quia ex captura facinorosorum hominum sequitur purgatio provinciæ, et salus, et securitas plurimorum innocentium. Item diebus feriatis potest carcerari debitor suspectus de fuga, ut notat Glossa communiter recepta in l. ult., cod. de Feriis, ibi : *Nisi timeatur de recessu*. Sic de primo ad ultimum ratione necessitatis possunt diebus feriatis exerceri omnes illi actus judiciales, qui ob defectum testium, seu judicis, aut alterius impedimenti nequeunt exerceri aliis diebus. Et ratio est, quia ex cap. *Quod non est* 4, de Regulis juris, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, et ut expresse habetur in cap. *Sicut* 11, de consecr., dist. 1 : *Necessitas non habet legem;* ei concordat cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, cap. *Omnes* 1, de Feriis; cap. *Consilium* 2, de Observat. jejun.; cap. *Consuluisti* 3, de Celebrat. Missar.

(37. Ratione pietatis possunt diebus feriatis exerceri actus judiciales pro causis debilium vel miserabilium personarum, quia sic suadeat pietas, et in operibus pietatis et misericordiæ non est habenda distinctio dierum, arg. cap. *Utinam in omni tempore* 11, dist. 76, et capit. *Nunquam* 33, de consecrat., dist. 4. Et sic tenet Glossa in cit. c. *Conquestus* 5, de Feriis, verb. *Pietas;* Speculator tit. de Feriis, § *Sequitur*, n. 1 et sequent.; Hostiensis in Summa, titul. de Feriis, num. 4, et alii communiter. Item diebus feriatis ratione pietatis tractari possunt causæ quæ ad religionem spectant. Nam *summam esse rationem quæ pro religione facit*, patet ex leg. *sunt Personæ*, ff. de Religiosis et Sumptibus funerum. Et de facto diebus festivis solent judicari et puniri hæretici ad majus aliorum tunc confluentium terroris exemplum. Item ex motivo pietatis possunt diebus feriatis tractari, et definiri ea quæ spectant ad pacem et concordiam, l. ult., cod. de Feriis.

(38. In causis summariis, seu de plano tractandis, potest exerceri judicium tempore feriarum rusticarum, textu expresso in clement. *Sæpe contingit* 2, de verb. Signific., ibi : « Sancimus ut judex cui taliter causam committimus..... tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure, procedere valeat. » Et sic tenent doctores communiter. (39. Non potest tamen judicium exerceri in causis summariis extra casum necessitatis aut pietatis tempore feriarum sacrarum et repentinarum : Glossa communiter recepta in cit. clem. *Sæpe contingit*, verb. *Ob necessitates*, de verbor. Significat.; Abbas ibid., num. 28 et 29, et alii passim, argumento a sensu contrario desumpto ex cit. clementina *Sæpe contingit*; ibi enim causæ summariæ permittuntur solum tractari et definiri *tempore feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure*, quales sunt feriæ rusticæ, sive messis atque

Digitized by Google

vindemiarum, aliæque ad mitigandos calores æstivos concessæ; adeoque secus est dicendum de feriis sacris et repentinis, ibi non expressis et non exceptis, quia exceptio unius firmat regulam in contrarium, l. *In iis quæ*, de Legibus, et Glossa ibid. expresse ait : « Exceptio a regula firmat regulam in aliis; sive exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, » ut inquit Fagnan. in cap. *Illa*, n. 31, *Ne sede vacante*, et late probat Barbosa Axiomat. 85, num. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De judiciis tametsi haud parce disserat auctor, libet tamen pauca, sed ordine servato, habere.

(40. Judicium non male definitur : « Ordo judiciarius quo coram judice competente causæ controversæ disceptatio inter actorem et reum legitime peragitur, ut sententia lis finiatur, ut suum cuique tribuatur. »

(41. De judicii divisionibus agit hic auctor, sed congruentius Bohemer. Introduct. in jus digest. lib. v, tit. 1, n. 2 et seqq.

(42. Quatuor in omni judicio consideranda sunt. Primum est *legitima pertractatio secundum ordinem præscriptum*, ne nullitas in processu lateat, leg. 4, cod. de sent. et Interlocut.

(43. Hinc non est incongruum inquirere utrum judicium a citatione an a litis contestatione initium capiat. (44. Hæc autem obtinet distinctio. Quantum ad fundandam jurisdictionem judicis, initium judicium capit a citatione, ac propterea inducit citatio prævention em et litis pendentiam. Quantum vero ad litigantes, nonnisi a litis contestatione initium capit judicium : Stryk. in Usu moderno Pandect. lib. iv, tit. 1, § 5.

(45. De antiqua forma litis contestationis adhibitis testibus factæ videri possunt Vultejus de Judic., lib. iii, c. 1, n. 7 et 55. Obrechtus de litis Contestat., cap. 5, n. 2, et seq. (46. De hodierna vero litis contestatione confer Bohemer Introduct. in Jus digestorum, lib. v, tit. 1, n. 5 et plur. seq.

(47. Plures vero sunt effectus litis contestationis, qui citationi tribui nequeunt, *Primo* enim, malam fidem inducit. *Secundo*, impedit mutationem libelli. *Tertio*, constituit procuratorem dominum litis. *Quarto*, inducit quasi contractum, novationemque. *Quinto* (quod est consectarium præcedentis effectus), facit actiones ad hæredes transitorias et temporales perpetuas. *Sexto*, pertinet post contestationem litis omnis causa et utilitas rei ad officium judicis. *Septimo*, dilatorias excludit exceptiones. Adi de iis et aliis effectibus Stryk. in Usu moderno Pandect., lib. v, tit. 1, § 4; Bohemer Introduct. in Jus digestorum, l. iv, tit. 1, n. 10.

(48. *Alterum* in omni judicio considerandum est *legitima judicis persona coram quo processus peragitur*. In omni autem judice, *primo* requiritur *habilitas*. (49. Inhabilitas autem vel est naturalis, vel civilis : et civilis vel est absoluta, vel secundum quid; consule Bohemer, Introduct. in Jus digestorum, lib. v, tit. 1, n. 12, qui rem exemplis illustrat. *Secundo* in judice requiritur *integritas*, ut præstet officium viri boni. Quocirca permissum est litigantibus judices suspectos recusare. (50. An vero integrum collegium recusari possit, non conveniunt DD. Sunt qui affirmant si maxima pars collegii sit suspecta, Strauch. dissert. Juris Public. 13; Mev. part. 1, dec. 194, fere per tot. Sed id restringunt ad inferiora tribunalia, Vultejus de Judic., lib. ii, c. 7, num. 206; Plum. in Process. Cameræ, tit. 25, § 1. « Sed fateor (inquit Stryk. in Usu moderno Pandect., lib. v, tit. 1, § 11) omnino publicæ rei salutem exigere, ne facile recusentur summa Tribunalia; quod si tamen legibus probata causa adsit, non video quid recusationi obstet. »

(51. Quod attinet ad modum proponendi recusationem, jure civili in libello recusationis suspicionem generaliter allegare sufficit, præstito tamen juramento calumniæ. (52. At jure canonico causa in libello exprimenda. Cognitio vero de illa, vel coram arbitris expeditur, vel ad superiorem devolvitur; Bohemer. Introduct. in jus digestorum, l. v, tit. 1, n. 14.

(53. Pertinet huc etiam juramentum perhorrescentiæ jure canonico introductum, quod hujus efficaciæ est ut, illo præstito, quis coram illo judice apud quem litigare perhorrescit, se sistere non teneatur, sed causa ad superiorem devolvatur. Vide de hoc perhorrescentiæ juramento Feliman. in tractatu ita inscripto.

(54. Requiritur tertio in judice *competentia*, quæ duplex, tum respectu jurisdictionis, ut habeat illam jurisdictionis speciem ad quam pertinet causa controversa; tum respectu reorum ex quorum persona ordinarie competentia judicis æstimatur. De hoc autem foro competente intuitu reorum consulendus præ cæteris Voet. in Comment. ad Pandect., lib. v, tit. 1, per. tot., qui materiam pro dignitate tractat.

(55. *Tertium* in omni judicio considerandum concernit *legitimam litigantium personam*, id est actorem et reum. Actor in judicio dicitur qui quod sibi debetur persequitur; Reus vero qui contra actoris persecutionem se defendit, ejusque elidit intentionem.

(56. In actore primo requiritur ut habeat is *legitimam personam standi in judicio*. Hanc non habent servi, excommunicati, banniti, majores magistratus durante officio, minores et pupilli absque curatore vel tutore, prodigi, et filiifamilias; Bohemer. Introduct. in jus digestorum, lib. v, tit. 1, num. 39. (57. Monet vero idem auctor loco mox citato, majores magistratus, hodiernis moribus, durante etiam officio agere posse; (58. tum monet filiosfamilias in peculio castrensi, et quasi castrensi libere agere posse, in peculio vero adventitio extraordinario agere debere consentiente patre, si pater potuisset usumfructum acquirere, et in peculio adventitio ordinario patrem ipsum agere debere, filio consentiente.

(59. Tenet Grœnveg. de legib. abrogat., l. v, digestor., tit. 1, leg. 4, posse hodie filiosfamil. ex quacunque causa contra pa-

Digitized by Google

tres agere, non obstante patriæ potestatis vinculo. (60. At Stryk. in Usu moderno Pandect., lib. v, § 33, sententiam hanc temperat si de illis bonis quæstio sit quorum usufructus patri non competit, vel etiam de bonis maternis, patre ad secunda vota transeunte.

(61. Nec aliquid hac in re innovavit jus canonicum in capit. 11, de sponsalib. (62. In eo enim causam singularem esse, ubi pater uxorem filii detinet, ex contextu apparet quo casu, ut et omni alio ubi manifesta patris injuria, nec hodie beneficium implorandi auxilium judicis filio denegandum.

(63. Secundo in actore requiritur ut ipse *volens, et sponte agat*. Tribus vero casibus ad agendum compelli quis potest. (64. *Primo*, si alterius ex jure perfecto intersit alterum agere : vide l. 8, in fine, ff. de optione legata; l. ii, § penult. et ultimo ff., ad l. *Rhodiam de Jactu*, l. 13, § 30, ff. de Actionibus empti. *Secundo*, si quis ad agendum teneatur ex officii necessitate, ut tutor, curator, etc. *Tertio*, si quis ad agendum provocetur per remedia, quæ ex leg. *Diffamari*, cod. de Ingenuis et manumiss., et l. *Si contendat*, ff. de Fidejuss. usu forensi trahuntur. (65. Huc etiam pertinet provocatio, creditorum moto concursu.

(66. Qui agere in judicio haud possunt, regulariter nec actores esse queunt, si excipiantur excommunicati et banniti, ne alias beneficio afficiantur. (67. Id vero nota quoad reos, alium pro alio conveniendum haud esse, nisi *primo* aliquis nexus subsit. *Secundo* aliquando per indirectum jus pignorationis, vel represaliarum adhibeatur; de quarum requisitis alibi agendum.

(68. *Quartum* considerandum in omni judicio respicit *qualitatem causarum peragendarum* quæ varii sunt generis, alterantque ipsum processum, imo et forum. Interest autem ut justo ordine uti plures concurrunt, proponantur. (69. In his autem regulis fundatur ordo. *Primo*, præcognosci illa debent sine quibus cætera intelligi haud possunt, uti sunt causæ præjudiciales : Hertius de ordine causarum in Jud., tract., § 4 et sequent. (70. Hæ si in causa principali incidenter moveantur, tandiu principalis ipsa causa sistitur, donec judicatum de incidente sit ab eodem judice, tametsi alia cognoscere de ea principaliter haud valeat, leg. 14, cod de ordin. Judic. *Secundo* in illis quæ non cohærent aut ab altero dependent, proponendum est præstantius. (71. Inde fit ut criminalis mota ab actore terminanda sit præ civili a reo mota : Hertius ubi supra, § 13 et sequent. (72. Eadem de ratione quæstio a fisco mota circa rem suspendit privatam actionem de eadem motam, leg. 35, ff. de Jure fisci. (73. *Tertio*, præparatoria primum tradenda, deinde principalia. (74. Atque hinc est, quod causæ possessionem ante controversiam de proprietate sint finiendæ nisi in petitorio res sit aperta.

JUDICIUM TEMERARIUM, SUSPICIO, ET DUBITATIO.

SUMMARIUM.

1. Judicium, suspicio, et dubitatio inter se differunt. *Ad num.* 2. — 3. Dubitationis et suspicionis quidditas assignatur. — 4. Suspicio alia est levis, alia gravis, alia violenta, et quæ sint. — 5. Judicium aliud est prudens, et aliud imprudens, et quale sit utrumque. *Ad num.* 6. — 7. Dubitatio, et suspicio, alia item est prudens, alia imprudens, et utraque explicatur. — 8. Assignantur judicia sufficientia vel insufficientia ad judicandum, suspicandum, dubitandum de vitio vel crimine alterius. — 9. Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio an sit peccatum. *Ad num.* 10. — 11. Judicium temerarium de alterius crimine quale peccatum sit. *Ad num.* 12. — 13. Temere suspicari, vel dubitare de alterius crimine, an, et quale sit peccatum. *Ad num.* 16.

(1. Hæc tria, scilicet, Dubitatio, Suspicio, et Judicium inter se differunt, *communis ac certa*, et patet ex earum definitionibus, quæ mox dantur. (2. Dubitatio enim non est verus assensus, sed veluti suspensio animi in neutram partem se determinantis, ac veluti in ancipiti hærentis. *Est in re communis*, (3. Suspicio est assensus debilis junctus cum formidine de opposito. *Est in re communis.* (4. Hæc suspicio, alia est levis, alia gravis, et alia violenta. Suspicio levis est quæ assensum valde debilem, multum vero dubitationis, vel formidinis de opposito habet. Suspicio gravis seu vehemens est quæ plus assensus, et minus formidinis vel dubitationis de opposito habet. Suspicio violenta (quæ in cap. *Ex litteris* 12, de Præscriptionibus appellatur *violenta, et certa suspicio*) est quæ plurimum assensus, et valde parum, vel vix aliquid dubitationis vel formidinis de opposito continet, adeoque pertingit ad integram persuasionem seu credulitatem ex conjecturis seu indiciis haustam. (5. Judicium est plenus et firmus animi assensus, vel credulitas. *Est in re communis.*

6. Judicium aliud est prudens, quando scilicet nititur sufficientibus indiciis seu conjecturis ad generandum firmum assensum de alterius probitate vel improbitate. Aliud vero est imprudens, seu *temerarium judicium*, quando scilicet sufficientibus indiciis seu conjecturis non innititur. (7. Et sic dubitatio et suspicio est prudens si innititur, et temeraria si non innititur sufficientibus ad rationabiliter dubitandum vel suspicandum indiciis, seu conjecturis. *Communis.*

(8. Indicia sufficientia ad judicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio vel crimine alterius, sunt, verbi gratia, videre hominem noctu accedere ad domum suspectam, vel infamem, aut inde exire; videre hominem noctu admotis scalis tentare aperire fenestram alicujus domus, et hujusmodi. Indicia autem insufficientia sunt videre hominem honestum et alias bonæ famæ clara

Digitized by Google

die transire per talem domum, vel plateam, ubi femina infamis habitat. Videre hominem clara die coram vicinis et transeuntibus palam admovere scalam, tentare aperire fenestram alicujus domus, et hujusmodi, quia licet possit quis, positis et visis primis indiciis, prudenter judicare vel suspicari quod unus fuerit adulter, et alter fur, non sic tamen positis, et visis solum secundis indiciis, cum potius tunc debeat prudenter judicare talem non animo adulterandi, sed alio justo et honesto fine dictam domum vel plateam transire, et alium non animo furandi, sed ob aperiendam propriam domum, non aliter, propter amissam clavem, sic de facili aperibilem, quam admota scala fenestram ascendere. Generatim igitur illa dicuntur indicia sufficientia ad judicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio vel crimine alicujus, quandocunque illa ex se, vel communi usu hominum sunt ut plurimum conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, suspicatur, vel dubitat. Illa autem dicuntur indicia insufficientia, quæ ex se, vel communi usu hominum sunt indifferentia, aut raro conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, suspicatur, vel dubitat.

(9. Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio vel crimine prudenter, et ex sufficientibus indiciis seu motivis, quæ scilicet habent aliquam moralem connexionem cum tali vitio vel crimine, per se loquendo nullum est peccatum. *Communis*, cum Layman lib. III, tract. 3, part. II, cap. 2, num. 4, Lugo disp. 14, sect. 2; Azor part. V, lib. III, cap. 11, q. 3; Sporer tom. II, tract. 5. in VIII, præcept. Decalog., cap. 4, num. 25; Reiffenstuel Theol. mor., tr. 6, dist. 6, qu. 6, num. 59. Et ratio est, quia proximus amittit jus suæ famæ et bonæ existimationis respectu illius hominis, cui ejus vitium seu crimen sufficientibus indiciis proponitur, unde iste taliter dubitando, suspicando, vel etiam judicando, neque peccat contra charitatem proximi, neque contra justitiam, arg. cap. *Quod suspecti* 15, caus. 3, qu. 5, et capit. *Suspicionis* 39, de Officio delegati, cum similibus, ubi licite ac juste ob legitima indicia, nunc judices, nunc testes, aliique possunt recusari.

(10. Judicium temerarium, absque sufficientibus indiciis de vitio vel crimine proximi in materia gravi deliberate conceptum, est peccatum ex genere suo mortale; *communis*, cum S. Thomas 2, 2, q. 60, art. 3, et colligitur aperte ex verbis Christi *Matthæi* VII, et *Lucæ* VI, *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini*, ubi de judicio temerario sermonem esse patet ex contextu. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est* (peccatum grave) *non consideras?* Et sanctus Jacobus apostolus in sua Canonica, c. 4, conjungit judicium temerarium cum detractione : *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem.* Detrahere autem proximo in materia gravi est peccatum grave, adeoque, etc. Tum quia hoc patet ratione; nam quisque habet jus ad famam, seu bonam existimationem sui apud quemcunque hominem, donec per sufficientia signa innotescat seu demonstretur malus, juxta illud : *Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus*, argum. cap. *In cunctis* 12, caus. 11, qu. 3, cap. *Mandata* 6, et cap. *Dudum* 16, de Præsumpt. Ergo gravem ei injuriam infert qui temere absque sufficientibus indiciis firmam de ipsius improbitate concipit sententiam, eumque in corde suo condemnat, adeoque graviter peccat.

(11. Ut autem tale judicium sit peccatum mortale, tres requiruntur conditiones. Prima, quod judicium *sit in materia gravi;* quæ materiæ gravitas, vel levitas attendi debet vel ex ipsa substantia materiæ vel ex qualitate personæ. Unde defectu gravitatis materiæ, veniale erit judicare de Paulo furtum unius julii; et ratione qualitatis personæ, veniale erit judicare de juvene parum honesto quod transeat per aliquem locum ad inhonesta. Secunda, quod *judicium sit firmum et plene deliberatum;* quia, si judicium non sit firmum et quasi pro moraliter certo conceptum, erit sola suspicio; et si non sit deliberatum cum pleno consensu voluntatis, erit vel sola prima apprehensio de improbitate proximi, vel solus actus judicii imperfecti, non sufficiens ad peccatum mortale. Tertia quod *judicium sit ex levibus et sufficientibus indiciis seu conjecturis;* quia, si judicium sit ex gravibus et sufficientibus indiciis seu conjecturis, non erit temerarium, sed prudens, ut patet ex dictis supra num. 5. (12. Hinc, quia raro omnes tres allatæ conditiones una simul interveniunt, raro judicium temerarium est mortale; una enim ex ipsis deficiente, judicium temerarium non est mortale; *communis.*

(13. Suspicio temeraria de proximi vitio seu crimine ex genere suo est peccatum veniale tantum; *communis*, cum S. Thoma 2, 2, quæst. 60, artic. 3, et indicat etiam sanctus Augustinus tract. 99, in Joan. dicens : « Si suspiciones omnino vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est definitivas firmasque sententias continere debemus. Et ratio est, quia per suspicionem temerariam, etsi aliqualiter lædatur fama seu bona existimatio proximi, non tamen simpliciter et graviter, sed secundum quid et leviter tantum, cum suspicio sit solum levis assensus de vitio seu crimine proximi cum actuali dubitatione seu formidine de opposito. (14. Potest tamen suspicio temeraria evadere peccatum mortale per accidens, ut si oriatur ex maligno affectu, aut conjuncta sit cum gravi odio vel contemptu proximi. Si quis ex tali temeraria suspicione in effectum externum malignum aut damnum proximi procedat, ut si ex sola suspicione judex reum condemnaret; superior subditum puniret, aut ab officio amoveret; si ratione talis suspicionis, quis alicui suffragium in electione negaret, aut eum a consecutione alicujus notabilis boni impediret; *communis.*

Digitized by Google

(15. Dubitatio temeraria positiva de vitio vel crimine alterius per se loquendo est solum peccatum veniale; *communis* cum Lessio l. II, c. 29, dub. 8; Layman l. c., n. 6; Sporer l. c., n. 34. Et ratio est eadem quæ de suspicione, et a fortiori, quia minus lædit famam proximi dubitans solum num sit malus, quam etiam suspicans esse malum. Dubitatio enim temeraria positiva in hoc solum consistit quod quis, habitis sufficientibus indiciis ex quibus posset ac deberet judicare aliquem esse bonum, ille, omisso hoc judicio, ex aliis leviusculis indiciis seu conjecturis vel motivis, positive dubitet seu judicet esse dubium et incertum an sit bonus: adeoque, si per se loquendo suspicio temeraria est solum peccatum veniale, quia famam seu bonam existimationem proximi parum lædit, a fortiori per se loquendo erit solum peccatum veniale dubitatio temeraria positiva, quia minus famam proximi lædit. Dubitatio autem temeraria negativa de vitio seu crimine proximi nullo modo est peccatum; *communis* cum citatis doctoribus. Et ratio est, quia per talem dubitationem nulla prorsus injuria infertur proximo. (16. Dubitatio enim temeraria negativa in hoc solum consistit, quod quis oblata sibi cogitatione de bonitate vel malitia proximi, omne judicium omnemque suspicionem et dubitationem positivam ex defectu motivi et rationis circa ipsius bonitatem vel malitiam suspendat, quod, cum nullimode sit ei injuriosum, nullum pariter erit peccatum.

JURAMENTUM.

SUMMARIUM ARTICULI I.

1. Juramentum quid sit. — 2. Juramentum dividitur in assertorium et promissorium, et quid sit utrumque. *Ad num.* 4. — 5. Juramentum tam assertorium quam promissorium dividitur in simplex et solemne, et quale sit utrumque. — 6. Juramentum rursus dividitur in contestativum, exsecratorium, et comminatorium, et singula explicantur. — 7. Juramentum potest fieri quatuor modis, qui assignantur. — 8. Quænam conditiones requirantur ad hoc ut juramentum sit licitum. — 9. Juramentum debitis conditionibus factum nullum includit peccatum. *Ad num.* 12. — 13. Quid sit jurare cum restrictione mentali. *Ad num.* 26. — 27. Jurare sine animo jurandi an liceat. *Ad num.* 31. — 32. Jurare falsum sine animo jurandi quale peccatum sit. — 33. Jurare sine animo implendi quale peccatum sit. — 34. Quid de juramento sine causa ex consuetudine culpabiliter relenta. *Ad num.* 35. — 36. Assignantur variæ juramenti formulæ. *Ad num.* 47. — 48. Ad licite jurandum requiritur certitudo veritatis, tum ex parte rei juratæ, tum ex parte personæ jurantis, et quando talis certitudo habeatur. *Ad num.* 50. — 51. Veritas juramenti est triplex, et assignatur. — 52. An quando, et quibus liceat juramentum exigere. *Ad num.* 56. — 57. Animadversiones ex aliena manu. — 1. Novæ additiones ex aliena manu. *Ad num.* 8.

ARTICULUS I.

Juramentum quoad ea quæ concernunt ejus esse, divisionem, et modum licitum, seu illicitum jurandi.

(1. Juramentum est invocatio tacita vel expressa divini numinis, tanquam primæ et infallibilis veritatis in testem alicujus rei. *Est in re communis.* (2. Juramentum dividitur in assertorium et promissorium; ita Scotus in 3, dist. 39, quæst. unica, et *communis* aliorum. (3. Juramentum assertorium est illud quo simpliciter sine aliqua promissione aliquid affirmatur vel negatur. *Est in re communis.* (4. Juramentum promissorium est illud quod ad confirmationem promissionis, seu contractus, aut pacti alicujus corroborationem adjicitur. *Est etiam in re communis.*

(5. Juramentum, tam assertorium quam promissorium, dividitur in juramentum simplex et in juramentum solemne. *Juramentum simplex* est quod fit per simplicem divini numinis invocationem, vel contestationem in confirmationem rei assertæ vel promissæ. *Juramentum solemne est* quod per certam verborum formulam vel corporalem alicujus rei, verbi gratia, sancti Evangelii attactum, perficitur coram legitimo superiore, ut majorem auctoritatem et æstimationem habeat, quale potissimum solet fieri in judiciis, in professione fidei, in homagiis ac juramento fidelitatis, et hujusmodi. *Sic in re communis doctorum.*

(6. Rursus juramentum dividitur in juramentum contestativum, exsecrativum, et comminatorium. *Juramentum contestativum* est illud quo Deus simpliciter ut testis invocatur. *Juramentum exsecratorium* seu *imprecatorium* est illud quo jurans sibi ipsi, vel aliis sibi charis, et ad ipsum pertinentibus mali quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit quod asserit vel promittit. *Juramentum comminatorium* est illud quo jurans comminando promittit alicui malum pœnæ, ut verbi gratia. *Per Deum ego te verberabo; Per Deum ego et occidam*, et hujusmodi.

(7. Juramentum potest fieri quatuor modis, scilicet mente, nutu, facto, et verbo. *Mente* fit juramentum quando intra animum aliquid affirmatur vel negatur, Deusque in confirmationem invocatur velut testis. *Nutu* fit juramentum quando alicui dicitur: Jura per Deum, et ipse oculis vel capite annuit. *Facto* fit juramentum quando aliquis oblatum sibi ad jurandum Evangelium tangit. *Verbo* fit juramentum quando aliquis dicit, vel scribit, verbi gratia *Juro* in iis tamen circumstantiis, in quibus sic intelligitur Deus vocari in testem.

(8. Ad juramentum, ut sit licitum, requiruntur tres conditiones, tanquam comites ipsius, nempe *veritas, judicium*, et *justitia*, ut habetur expresse ex *Jeremiæ* IV, ibi: *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, judicio, et justitia. Veritas* in hoc consistit quod res sit vera, aut ex gravi ratione vel bona fide putetur vera, et sic veracissimi Numinis testimonium non adducatur in attestationem falsi, seu mendacii, alioquin esset perjurium et gravissimum peccatum. *Judicium*, seu judi-

Digitized by Google

cii discretio in hoc consistit, quod juramentum non fiat sine necessitate, gravi causa, ac utilitate, sed cum prudenti intellectus consideratione, ac pia et reverenti voluntatis affectione. *Justitia* in hoc consistit, quod res sit licita et honesta, et sic æquissimi Numinis testimonium non adducatur in confirmationem rei iniquæ et peccato obnoxiæ.

(9. Juramentum factum cum omnibus dictis conditionibus nullum est peccatum : imo est potius actus virtutis religionis. Sic S. Thomas 2, 2, quæst. 89, art. 4, asserens tale juramentum esse actum religionis sive latriæ. *Est communis theologorum et canonistarum*, et habetur clare ex *Deuteronomio* VI, ibi : *Dominum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis*, et ex psal. LXII, ibi : *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*, cum similibus. (10. Juramentum tamen cui deest prima conditio, scilicet *veritas*, est semper peccatum mortale. Nec hic excusat levitas materiæ, quia, sive hæc sit gravis, sive levis, sive seria, sive jocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum : et tale juramentum dicitur perjurium cum gravi in Deum irreverentia, quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit, aut possit decipere testando falsum. *Communis.* (11. Juramentum cui deest secunda conditio, scilicet *judicium*, ut plurimum est peccatum veniale tantum; potest tamen fieri mortale ratione pravæ et scandalosæ consuetudinis jurandi sine necessitate et utilitate, et ratione negligentiæ ad tollendam talem pravam consuetudinem. Unde consuetudo incaute jurandi graviter perstringitur in Sacra Scriptura, ut *Ecclesiastici* c. XXIII, ibi : *Jurationi non assuescas os tuum; multi enim casus in illa*, et iterum ibidem : *Vir multum jurans implebitur iniquitate*, cum similibus. *Communis.* (12. Juramentum cui deest tertia conditio, scilicet *justitia*, potest esse grave, vel leve juxta gravitatem, vel levitatem materiæ. Et sic, qui jurat facere rem solum venialiter malam, aut vanam, vel inutilem, seu frivolam, peccat solum venialiter, quia ibi levis tantum irreverentia in Deum censetur. Qui vero jurat se facturum rem mortaliter malam, ut se aliquem occisurum, peccat mortaliter, quia est gravis irreverentia divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare; in quo duæ sunt malitiæ species distinctæ, una contra proximi charitatem, qua vult alteri malum; altera contra Dei reverentiam, qua ad illud abutitur auctoritate Dei odientis omne malum. *Communis* (107)

(13. Jurare cum restrictione non pure mentali, sed aliquo sufficienti modo externata, est licitum, et excusat a mendacio et perjurio in omnibus casibus in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandum secretum : La Croix lib. III, part. I, num. 286 et sequent.; Viva ad proposition. 27, damnat. ab Innocentio XI; num. 3; Felix Potestas tom. I, part. II, num. 1731; Reiffenstuel, Layman, Lessius, Cardenas, et Sporer tom. I, tract. 3, in 2 præcept. Decalogi, cap. 1, num. 104, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia talis locutio externa, quamvis non facile ab audiente percipiatur, tamen, quantum est ex se, habet significationem conformem conceptui in interno mentis loquentis, ut enim conjuncta signis, vel circumstantiis humano modo cogniscibilibus est significativa integræ propositionis mentalis, etiam illius partis per quam verificatur locutio. Locutio autem vera licite juratur, si adsit justa et rationabilis causa jurandi : tum quia talis restrictio non pure mentalis non est facta animo decipiendi, sed occultandi secretum, ad quod occultandum seu celandum habet jus, seu debitum, ut supponitur, adeoque non includit mendacium, nec perjurium, cum fit ex gravi et rationabili causa.

(107) Falsum videtur romanis censoribus peccare tantum venialiter hominem qui rem malam se facturum juret, quæ tamen venialem tantum culpam involvat, aut saltem minus probabilis opinio, quam tuto sequi non valeamus. Horum judicio facile assentior, etsi probe scio plures esse auctores qui cum Ferrario sentiant. Moveor vero ad id statuendum, primum quia longe pejus est jurare, sive Deum in testem vocare promissionis de re mala, quam facturi spondemus, quam jurare de re honesta vel indifferenti sine ulla necessitate, quod tamen sine veniali culpa fieri non potest. Deinde, qui se peccatum veniale commissurum jurat, Deum invocat ad suum propositum roborandum confirmandumque : promissio enim idcirco divini testimonii auctoritate munitur ut firmior et immobilior evadat. Quid vero injuriosius Deo esse potest quam infinita ipsius nominis majestate abuti, quam ipsius auctoritatem in præsidium iniquitatis adhibere? Rursus, qui sine animo jurandi jurat, graviter peccat, qui juramento abutitur. Sed hoc pejor abusus est quo quis juramento utitur ad confirmandam iniquitatem. Præterea si jures sine animo committendi veniale illud peccatum, graviter peccas ex communi sententia, quia perjurus es, scilicet, quia Deum vocas in testem falsi : cur vero si jures cum vero animo peccatum veniale perpetrandi, venialiter dumtaxat delinquas? Abuteris enim juramento, quod res sacrosancta est, cujus finis est confirmatio veritatis : profanas sanctum Dei nomen dum illud assumis atque convertis in vinculum iniquitatis. Deum infinite sanctum in peccati venialis testem invocando adhucis tanquam fidejussorem et approbatorem illius; testes enim adhibentur ut id approbent quod suo testimonio confirmant.

An non hæc maximam Deo irrogatam injuriam redolent? Et quis dicat levem tantum esse in Deum irreverentiam? Scio adversarios reponere jurantem non intendere Deum ad approbandam iniquitatem inducere, atque id lubenter fateor; nam si id expresse intenderet, blasphemus in Deum foret. Sed facio id ipsum præstare dicimus, dum Dei testimonio utitur. Nec magis urget aliorum responsio, qui aiunt jurantem non teneri nisi sub veniali, evitare peccatum veniale. Id sane verum est; at sub gravi culpa tenemur abstinere ab invocatione divini testimonii in confirmationem iniquitatis, etiam minimæ, quia malitia quæcumque, etsi minima, summopere Deo repugnat; ac summa Deo injuria fit dum ad confirmandum propositum perpetrandæ iniquitatis invocatur. Hæc adnotanda duximus, tum ut doctissimis censoribus morem gereremus, tum etiam ut lectores sciant quanta esse debeat confessariorum diligentia in impediendis hujusmodi juramentis. (*Nota Theologi Romani.*)

Digitized by Google

(14. Hic ad clariorem intelligentiam advertendum venit quod duplex est restrictio mentalis. Una *pure mentalis*, et alia *non pure mentalis*, sed aliquo sufficienti modo externata. *Restrictio pure mentalis est* quando tota propositio, spectatis omnibus circumstantiis, prout exterius profertur, est absolute falsa, in mente autem proferentis aliquid subintelligitur per quod, si ab audiente perciperetur, fieret vera; attamen illud subintellectum nullo prorsus signo externo manifestatur, neque in illius cognitionem humano modo veniri potest, ut verbi gratia si Petrus interroget Paulum, an hodie viderit Franciscum? et Paulus respondeat : *Non vidi*, et in mente subintelligat : *Non vidi in foro, cum tamen viderit domi suæ*. Restrictio illa est pure mentalis, quia ex nullis circumstantiis prudenter colligi poterat Petrum interrogare Paulum de visione Francisci in foro, aut Paulum de illa respondere. *Restrictio non pure mentalis*, seu restrictio realis et externa est quando propositio, spectatis quidem præcise verbis, unum de se absolutum significatum habet; sed ex circumstantiis et adjunctis habet aliud ad illam spectans, et in mente proferentis retentum significare, ita tamen ut per illas circumstantias, vel per aliud signum exterius consignificetur illud quod in mente proferentis retinetur. Dantur enim quædam circumstantiæ et signa externa quæ ex se habent verba limitare et consignificare cum illis; locutio namque non fit solis verbis, sed etiam completur ex circumstantiis personæ, loci, temporis, et negotii de quo agitur, ac ex signis externis. Ut proinde locutio possit secundum se esse falsa, sed quatenus simul cum circumstantiis consignificat, possit esse vera. Sic verbi gratia quamvis judex privata scientia sciat aliquem esse reum, nihilominus, si pro tribunali sedens dicat ipsum esse innocentem, ejus dictio et assertio potest esse vera, quia circumstantiæ illæ significant talem haberi a judice innocentem juridice, secundum allegata et probata. Sic Christus Dominus dicens *Joan.* VII, 8, *Ego autem non ascendo ad diem festum hunc*, verissimum dixit, quamvis ascenderit, quia ex circumstantiis verba illa denotabant se non ascensurum publice ad ostendendam miraculis suam divinitatem, ut rogabatur. Item hæc propositio *Peto linguam bovis*, si proferatur in macello, significat linguam carneam animalis; si vero proferatur in pharmacopeo, significat herbam quæ dicitur *lingua bovis*. Item hæc propositio : *Petrus non est in triclinio*, potest esse vera, quamvis sit in triclinio, sed ibi non comedat, si sumatur ly *non est* pro *non comedit*, et sic de similibus. Unde circumstantiæ loci, temporis, personæ, et signa externa possunt consignificare aliquid in mente retentum, licet verba præcise id non manifestent, adeoque restrictio non pure mentalis, sed externata, et amphibologia, seu æquivocatio per verba aut signa externa per se æquivoca, est licita, etiam cum juramento in omnibus casibus in quibus ex juxta causa habet quis jus, vel debitum ad occultandum secretum. Vide verb. *Mendacium*, a. n. 13 ad 21.

(15. Hinc confessarius, quamvis interrogetur a tyranno an aliquid sciat ut confessarius et scientia sacramentali de peccato pœnitentis, poterit etiam cum juramento asserere se nihil scire, etiam spectata tali scientia sacramentali, retinendo in mente *ad dicendum;* quia, cum confessarius habeat jus, imo strictissimum debitum ad id non revelandum, ex tali circumstantia apparet verba ista proferri a confessario quatenus homo est, et scientia extra sacramentalem, relate ad quam vere nihil scit, quod spectat ad scientiam sacramentalem. Et in hoc sensu communissime sacri interpretes docent locutum esse Christum Dominum quando *Marci* XIII, loquens de judicii adventu dixit : *De die illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius hominis.* Licet enim Christus Dominus non solum qua Deus, sed etiam qua homo, diem universalis judicii vere sciret, quia tamen illum nesciebat qua legatus Patris et doctor hominum, cujus muneri notitia illa demandata non fuerat, et diem illum ignorabat ad publicam notitiam, et scientiam communicabilem, quam discipulorum interrogatio requirebat, et ex circumstantiis luculenter apparebat verba illa de tali notitia et scientia communicabili fore accipienda, idcirco vere et absolute dixit se diem illum nescire. Vide tamen in calce hujus articuli *Nota Rom. Theol.* ad hunc n. 15.

(16. Sic secretarius regni, ad occultandam veritatem, et servandum sibi impositum sigillum, poterit uti amphibologia, aut æquivocatione, aut restrictione non pure mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera a marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium? Et sic de aliis similibus casibus, in quibus datur gravis et rationabilis causa permittendi alterius deceptionem passivam salva veracitate loquentis, dummodo juramentum addatur semper restrictioni non pure mentali, sed externatæ, vel per signa externa determinata, vel per verba ex se æquivoca sufficientia ad internam restrictionem significandam. Sic communiter doctores cum supra citatis sub n. 13.

(17. Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur a judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessa, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur, et iste non solum coram Deo esset immunis a mendacio, sed etiam a perjurio, si cum juramento negaverit. Vide verb. *Accusatus*, n. 31, ubi pro hac affertur solida ratio, et adducuntur doctores, ibidem sub n. 33, 34, 35, adducuntur exempla ibi videnda, ne jam dicta repetantur.

(18. Item qui juramento interrogatur an veniat ex tali loco qui falso existimatur peste infectus, jurare potest se inde non venire, sub intelligendo *ex eo loco*, qualis existimatur, nimirum *peste infecto* : Navar-

Digitized by Google

rus, Tolet, Rodriquez, Suarez, et alii, cum Sanchez, et Sporer loco mox citando. Imo multi, ut Toletus, Lessius, et alii, cum Sporer tom. I, tr. 3, in 2 præc. Dec., n. 122, tenent quod, quamvis talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens, certo crederet se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione, nimirum, *ut ab ipso periculum* timeri debeat.

(19. Item, si clericus vel religiosus sit coram sæculari judice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt, eum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, *ut coram tali incompetente judice deponi debeat. Communis.* Item si clericus vel religiosus, aut alia persona exempta a gabellis solvendis interrogetur a gabellario an habeat seu portet aliquid gabellæ obstrictum, jurare potest se nihil tale habere, seu portare, utendo hac restrictione : *Nihil habeo seu porto ex quo gabellam solvere debeam;* Ledesma, Gobat cum Sporer loc. cit., n. 122, et alii passim. Vide Verb. *Accusatus*, n. 42, ubi alia ad rem.

(20. Item si Caius, verbi gratia, sit certe et vere creditor Titii in mille, et Sempronius sit incerte et dubie creditor ipsius Caii pariter in mille; ne Sempronius intentet sequestrum, et pro se exigat mille quæ debet Titius Caio, ipse Caius potest licite jurare se recepisse dicta mille a Titio, quamvis revera non receperit, sed solum habeat pro receptis, quia jus Caii in mille contra Titium est certum, jus vero Sempronii contra Caium non est certum, sed dubium, seu Caius habet aliunde jus non solvendi illa mille Sempronio : unde Caius habet jus reddendi tutum omni meliori modo quo potest suum creditum contra Titium. Quilibet enim habet jus tuendi suum omni majori securitate qua potest, maxime si alia non ei suppetat via suum assecurandi, et licita utatur restrictione, ut patet in exemplis allatis sub. verb. *Accusatus*, n. 33, 34 et 35. Et sic expresse tenet cum aliis Tamburin. tom. I, lib. III, § 5; Felix potestas l. cit., n. 1063, et in simili Sporer loc. cit., n. 123. cum pluribus aliis. Vide verb. *Solutio*, n. 42, 43, 44.

(21. Item mercatores qui dicunt vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, licet in rigore hoc verum non sit, excusantur a mendacio et perjurio per hoc quod ipsi intelligant, et satis sciatur, et cognoscatur ab emptoribus, significare velle se non posse cum honesto et mediocri lucro ita vendere. Item cum dicunt vel etiam jurant merces sibi pluris constare, quamvis in rigore non sit verum, excusantur per hoc, quia quando dicunt sibi pluris constare, sciunt emptores quod non intelligant nude pretium rei emptæ, sed etiam computent expensas vecturæ, et gabellæ, aliasque, quas faciunt toto anno in suam communem negotiationem; hæc enim juste venire possunt nomine pretii, quo res ipsis constat : Gobat tom. III, collectan. de Jurament., n. 672, citans Samaticenses; La Croix lib. III, part. I, n. 301. Si autem locutiones mercatorum non essent veræ in allato sensu, tunc mentirentur, et si jurarent, pejerarent : doctores citati.

(22. Reus, an, et quando teneatur, vel non fateri veritatem judici ipsum interroganti sub juramento. Vide verb. *Accusatus*, a n. 10 ad 44.

(23. Nec valet objicere quod per tales amphibologias, seu æquivocationes, et restrictiones non pure mentales, sed externatas, humana societas, et humanum commercium perturbetur, ex quo per tales locutiones regulariter decipiantur audientes, adeoque non esse licitas. Non valet, inquam, quia per similes locutiones commercium humanum potius justificatur quam perturbetur; nam humanum commercium non debet esse contra jus humanum. Nec officit quod regulariter per similes locutiones decipiantur audientes, quia id per accidens sequitur, nam audiens prudens acuti, et perspicacis intellectus posset veram significationem locutionis percipere, et simul imprudentiam suæ interrogationis advertere, si signa, verba, circumstantias externas, et gravitatem rei, et jus, seu debitum alterius de secreto occultando reflecteret; quod, si audiens talis non sit, sibi imputet quod non intelligat; signa namque et verba in talibus circumstantiis supponuntur per se significativa, et externata conformiter ad mentis restrictionem, adeoque de se perceptibilia; et sic loquens, seu respondens intendit celare secretum, ad quod occultandum habet jus, vel debitum, non autem audientem decipere. Nec ejus deceptionem, quam prævidet, vitare tenetur cum suo aut aliorum gravi et notabili præjudicio et damno, quia tunc est deceptio accepta, non vero data, ut patet a simili de scandalo passivo per communem doctorum, et clare constat ex celebri responsione ab omnibus, ut licita admissa, prout data fuit a S. Athanasio eludente satellites Juliani eum ad necem quærentes : et a S. P. N. Francisco, qui cum a ministris justitiæ requisitus *an illac transisset* quidam homicida, positis intra manicas manibus respondit, *isthac non transivit*, intelligens non transisse per suas manicas, et sic plenam, et veram responsionem ex verbis, et illa actione externa componens.

(24. Nec valet etiam objicere quod tales amphibologiæ, seu æquivocationes, et restrictiones mentales sint proscriptæ ab Innocentio XI, die 2 martii 1679, in istis tribus damnatis propositionibus 26, 27, et 28, in ordine. *Propositio* 26 : « Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Propositio* 27 : Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veri-

Digitized by Google

tatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa. *Propositio* 28 : Qui mediante commendatione vel munere, ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. »

(25. Non valet, inquam, quia in istis tribus propositionibus damnantur solum amphibologiæ, æquivocationes et restrictiones pure mentales, ut pro certo notat Cardenas dissertat. 19, cap. 4, n. 35; Sporer tom. I, tract. 3 in 2, præcept. Decalog., cap. 1, sect. 3, n. 104; Viva ad propositionem 27 Innocentii XI, n. 5; La Croix l. III, part. I, num. 287, cum sequent.; Reiffenstuel Theol. Moral., tract. 6, dist. 2, q. 3, n. 40; Felix Potestas tom. I, part. II, n. 1731 et seq., et alii passim. (26. Et tales amphibologias, seu æquivocationes, et restrictiones pure mentales esse omnino illicitas fatemur, et concedimus ultro et nos, quia includunt mendacium, quod est ab intrinseco malum, adeoque eas merito damnavit Pontifex in supra relatis propositionibus.

(27. Jurare sine animo jurandi semper est illicitum, sive quis juret verum sive falsum, sive in re gravi sive in re levi, sive cum causa sive non, sive in judicio sive extra. Et ratio est, quia jurare sine animo jurandi semper continet mendacium irreligiosum, quod a nulla causa, sive levi, sive gravi cohonestari potest; quamvis enim juramentum fictum addatur assertioni veræ, falso tamen asserit se jurare, qui non habet animum jurandi; qui enim dicit, verbi gratia promitto, dono, et hujusmodi, carens animo promittendi, donandi, et hujusmodi, mentitur; mendacium autem nunquam est licitum, quantacunque detur causa, cum sit intrinsece malum. Unde Innocentius XI, die 2 martii 1679, merito damnavit sequentem propositionem 25 in ordine, ibi : « Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. »

(28. An autem jurare sine animo jurandi sit peccatum mortale vel veniale solum, variant doctores. Cajetanus enim 2, 2, q. 89, art. 7; Felix Potestas tom. I, part. II, n. 1611; Hurtad. diss. 12, cap. 5; Armilla, Covarruv., Filguera et alii tenent quod qui jurat sine animo jurandi peccat mortaliter, quamvis verum juret, etiamsi materia sit levis, et sit extra legitimum iudicium. Quam sententiam Suarez cap. 17, n. 6, censet probabilem, quamvis nimis rigorosam. Et ratio istorum est, quia sic jurans, mentiens, et proximum decipiens jurat, nam verbis externis dicit se jurare, et interius habet animum oppositum, et revera non jurat. Tum quia sic jurans illudit testimonio Dei, cum fingat se illud invocare, et tamen non invocat. (29. Probabilius tamen et communius Suarez l. c.; Sanchez lib. III, cap. 6; Lessius d. 8, n. 46; Castrop. p. 8, n. 4; Illsung. t. V, n. 55; Dicastill. d. 2, num. 288; Cardenas in 2, Crisi d. 18, n. 12 : Viva ad propositionem 25 Innocent. XI, num. 7; La Croix lib. III, part. I, num. 277; Sporer loc. cit., num 133, et alii dicunt quod sic jurans peccat solum venialiter, dummodo non juret in contractu, aut in judicio legitimo, aut in casu quo proximus pati possit aliquod grave damnum. Et ratio est, quia sic jurare, nec est graviter injuriosum Deo nec homini. Non Deo, quia invocatur exterius ad confirmandum duntaxat verum, et quamvis sit aliqua irreverentia illum invocare sine animo invocandi, atque adeo in vanum, ea tamen non est irreverentia gravis, sicuti non est irreverentia gravis jurare verum sine necessitate, hoc est sine judicio comite, ut diximus supra n. 11. Neque est graviter injuriosum homini, quia supponitur hoc fieri extra contractum, et extra judicium legitimum, ac extra quemcunque casum in quo homo damnum aliquod grave patiatur ex hoc ficto juramento. Tum quia juramentum nec cadit super mendacium, nec super deceptionem proximi, sed tantum super rem veram; Deus enim recipit juramentum prout ex corde procedit : cap. *Humanæ aures* 11, caus. 22, q. 5.

(30. Unde ad primam rationem primæ sententiæ respondent defensores secundæ, quod non est peccatum mortale, quamvis aliquis mentiens et decipiens juret, dummodo juramento non confirmet mendacium vel deceptionem, quod hic non facit. Ad secundam rationem respondent, quod sic jurans non dicitur graviter illudere Deo, quia sicuti non dicitur graviter illudere Deo qui fingit se orare cum animo tunc non orandi, unde non peccat nisi venialiter in hac simulatione, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. 3, art. 4, ita nec dicitur graviter illudere Deo jurans verum sine animo jurandi; nec peccat secundum se, nisi venialiter, nolens interius Deum in testem advocare, quando aliunde ad id tenetur (108).

(31. Jurare sine animo jurandi in Judicio

(108) Non ita facile Ferrario assentietur, qui animadvertat gravem quæ Deo injuria fit, dum sanctum ac ineffabile ipsius Nomen adhibeatur ad hominem decipiendum. Nam qui verbis jurat, animo vero se nolle jurare contendit, decipit eos apud quos juramento res comprobat, ac Dei nomen nonnisi decipiendi animo usurpat, cum per hujusmodi nomen mentiatur ac decipiat. Quis vero dicat gravem Deo injuriam non fieri? Audiatur Fr. Aurelius Rielle de Relig., q. 4. Dei nomen, inquit, assumere in vanum, est intrinsece malum : sed jurare sine animo jurandi, est Dei nomen et testimonium assumere in vanum; cum non sit assumere illud ad finem propter quem assumendum est. Et quidem hoc probat tale juramentum esse mortifere malum; magna enim in Deum irreverentia est quod illius nomine abutatur homo ad decipiendum alios. Accedit etiam quod talis jurandi modus evertat finem principalem juramenti, omnemque ejus fructum evacuet. Siquidem finis juramenti est firmare veritatem et sinceritatem, atque afferre securitatem quibus deficientibus, perit omnis juramenti effectus. Atque hinc patet majorem in hoc casu Deo injuriam irrogari quam dum quis simulet orare, sine animo orandi. Nam præter simulationem, in vanum sumitur, et ad alios decipiendos Dei nomen adhibetur. (*Nota Romani Theologi.*)

Digitized by Google

legitimo, et in contractibus, ac casibus quibus proximus patiatur aliquod grave damnum ex tali ficto juramento, est peccatum mortale : *Communis*. Et ratio est, quia ultra quam quod jurans in contractibus et dictis casibus gravem injuriam et damnum affert proximo, et assumit mendaciter nomen Dei ad decipiendum proximum cum gravi injuria, et damno ipsius, et reipublicæ; in judicio legitimo tenetur sub gravi ad vere, et non fictitie jurandum : quilibet enim in judicio legitimo respondere tenetur secundum mentem judicis legitime interrogantis; judex autem petit verum, et non fictum juramentum, cum hoc valde intersit communi bono reipublicæ : adeoque, etc.

(32. Jurare falsum sine animo jurandi est peccatum mortale, nedum in materia gravi, ut sine controversia tenent omnes; sed etiam in materia levi, quia sicut in idololatria, et in blasphemia, aut in infidelitate non datur parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, etiamsi desit animus internus litandi idolo, blasphemandi, aut non credendi, ita nec in perjuro etiamsi desit animus internus jurandi. Unde Verricelli part. I, Quæst. moral., tract. 1, qu. 12, sic expresse concludit : « Non audeo asserere probabilem neque tutam in conscientia eam sententiam quæ affirmaret non esse peccatum mortale in materia levi, ut in mendacio jocoso aut officioso jurare exterius sine animo interno jurandi. » Et sic tenet Viva l. c., n. 6, et alii de hac difficultate tractantes : arg. proposit. 24 in ordine ex damnatis ab Innocent. XI, die 2 martii 1679, ibi : « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. »

(33. Jurare cum animo jurandi, et promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, est semper peccatum mortale, quia sic jurans vocat Deum in testem voluntatis implendæ, quam tamen scit se non habere; unde cum adducere Deum in testimonium falsitatis sit semper gravissima irreverentia contra ipsum etiam in materia levi, ut patet ex mox adducta propositione damnata, sequitur aperte quod jurare cum animo jurandi, et promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, sit semper peccatum mortale etiam in materia levi : *sic communis doctorum*, teste Sporer tom. I, tract. 3 in 2 præcept. Decalog., c. 1, sect. 4, n. 135.

(34-35. Consuetudo culpabiliter retenta jurandi sine causa, attamen verum, et cum debita advertentia et considerationе ad veritatem rei jurandæ, est peccatum veniale tantum, quia habitus non possunt habere majorem malitiam quam habent actus, ex quibus generantur; actus autem taliter jurandi sunt solum peccata venialia, adeoque, etc. *Communis*. Consuetudo autem culpabiliter retenta jurandi indiscrete et inadvertenter, sive verum sive falsum, est peccatum mortale, ita ut talis consuetudinarius voluntarie omittens exstirpare vel emendare ipsam consuetudinem, vi talis consuetudinis culpabiliter retentæ peccat mortaliter, toties quoties ita indiscrete et inadvertenter ad veritatem vel falsitatem jurat, sive reipsa sit verum, sive falsum, quod jurat. *Communis*. Et ratio est, quia omnis voluntarie se constituens, aut relinquens in periculo proximo peccati mortalis, peccat mortaliter. Talis autem consuetudinarius culpabiliter retinens, vel omittens exstirpare dictam consuetudinem, ac vi illius ita indiscrete et inadvertenter verum vel falsum jurans, is voluntarie se relinquit, et semper constituit in proximo periculo peccati mortalis, scilicet juramentorum falsorum seu perjuriorum, adeoque, etc.

(36. Hic juvat adducere plurimorum consuetudines jurandi per diversas formulas, quarum aliquæ veram rationem juramenti continent, et aliæ non. Veram igitur juramenti rationem continent sequentes et similes jurandi formulæ *Juro per Deum verum. Testor Deum. Invoco Deum testem. Per Deum ita est. Sit mihi testis Deus*, et hujusmodi. Tales enim et similes formulæ expressam invocationem divini testimonii in se continent.

(37. Si autem quis per simplicem assertionem, et non per divini testimonii invocationem sequentes vel similes formulas proferat : « Deus scit me verum dicere. Deus novit. Deus videt meam conscientiam. Coram Deo loquor. Deus videt ita esse. Deus testabitur suo tempore. Deus scit quia non mentior, » et hujusmodi, non erit verum juramentum, nisi aliud constet, aut ex circumstantiis probetur. Tales enim et similes formulæ continent meram assertionem, non autem divini testimonii invocationem, prout requiritur ad veram juramenti rationem. In istis tamen et similibus formulis attendenda est intentio loquentis, quia ratione intentionis loquentis solent quandoque ut juramenta usurpari, ut patet in apostolo Paulo *ad Romanos I*, ibi : *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo; II ad Corinth.*, ibi : *Testem invoco Deum in animam meam; ad Galatas I*, ibi : *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior; I ad Timoth.* v, ibi : *Testificor coram Deo*, quibus verbis Apostolus jurasse existimatur.

(38. Juramenta non sunt dicere : « Per fidem meam et in fide veri sacerdotis, veri religiosi, veri christiani, veri hominis honorati. In fide regis, principis, aut nobilis equitis. In mea conscientia, » et hujusmodi. Per tales enim et similes formulas non invocatur, nec adducitur Deus in testem, prout requiritur ad verum juramentum, sed adducitur pro motivo credulitatis sola fides humana, quæ præstari debet sacerdoti, religioso, regi, principi, nobili, et hujusmodi.

(39. Item juramenta non sunt dicere : « Juro Deum. Per Deum. Per animam meam. Per vitam meam, quod te volo una die occidere, quod super te, vel super tuis bonis, de hac injuria, de hoc damno strictissimam una die summam rationem, quod omnia mihi solves, » et hujusmodi. Talia enim et similia nec dicuntur animo jurandi, nec accipiuntur communiter ut juramenta, sed sunt

Digitized by Google

quidam modi comminandi et loquendi quibus solent uti rixosi et iracundi ad aliis exprimendam suam excandescentiam, iram et indignationem.

(40. Item juramenta non sunt dicere : « Amputetur mihi nasus. Detruncentur mihi aures, nisi ita sit. Sim infamis, habear perfidus, hæreticus, Turca. Non sim honestus, nobilis, christianus, religiosus, sacerdos, (et hujusmodi), nisi verum sit quod dico. » (41. Tales enim et similes formulæ non sunt veræ exsecrationes, vel invocationes divini judicii ad hæc; sed solum quædam permissiones, quasi dicatur : *Habeas me pro tali, nisi verum sit quod dico.* Sporer loc. cit. sub num. 8; Gobat tom. III, de juramento n. 489, et alii passim. Sunt tamen vera juramenta exsecratoria dicere. « Tollat me Deus subitanea morte. Vivus hinc non discedam. Dæmon me ducat nunc in infernum, et hujusmodi, si mentio : » Sporer loc. cit., n. 13; Felix Potestas tom. I, part. II, n. 1547, et alii passim.

(42. Item juramenta non sunt dicere simpliciter : *Juro. Juro hoc verum esse. Juro ita esse*, et hujusmodi, quia per tales et similes formulas non fit invocatio, nec expressa, nec tacita Dei in testem, nec exprimitur per quem juretur. Imo, si simpliciter dicatur : *Juro*, nec exprimitur quid juretur. Possent tamen similes formulæ esse juramenta, si proferrentur cum animo et voluntate Deum in testem invocandi, aut ex circumstantiis ea intentio colligeretur, ut, verbi gratia, si Petro dicenti Paulo : *Jura mihi per Deum verum ita hoc esse*, Paulus respondeat : *Juro*, tunc enim Paulus vere, et realiter censetur jurare, et sic de similibus : Sporer loc. cit., num. 6, et alii communiter.

(43. Item juramenta non sunt jurare per creaturas in quibus nihil divinæ bonitatis specialiter relucet, nec per ipsas additur expressa relatio ad Deum, ut si quis dicat: *Juro per hanc chartam, per hanc vestem, per hanc paleam*, et hujusmodi, quia simpliciter sic eas creaturas proferendo non censentur adduci cum relatione ad Deum. Sunt autem juramenta jurare per ipsas creaturas, si expressa addatur relatio ad Deum, seu adducatur in obliquo Deus, ut si quis dicat, *Juro per hunc panem Dei, per hunc ignem Dei*, et hujusmodi; quia sic invocatur Deus tanquam panis, ignis, et hujusmodi conditor : Silvester verb. *Juramentum*, 2 q. 4; Sanchez l. III, cap. 2, n. 10; Sporer loc. cit. sub num. 7, et alii.

(44. Juramenta autem impuicita sunt jurare per creaturas, etiam irrationales et inanimatas, specialiter tamen excellentes, et in quibus Deus specialiter eluceat et resideat, ut *Per cælum et terram*, et hujusmodi, sicut juravit Moyses *Deut.* c. IV, n. 26, et cap. XXX, n. 19, ibi : *Testes invoco hodie cælum et terram;* et Christus Dominus *Matthæi* cap. V, n. 34, prohibens supervacanea juramenta dicit : *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus;* neque per Jerosolymam, *quia civitas est magni Regis.* Item cap. XXIII, num. 20 et seq. dicit : *Qui ergo jurat in altari jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt; et quicunque juraverit in templo jurat in illo et in eo qui habitat in ipso; et qui jurat in cælo jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum.* Et consonat Epistola Canonica D. Jacobi apostoli c. V, n. 12, ibi : *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum.* Item juramenta sunt jurare per quasvis res sacras Deo specialiter consecratas, ut *per crucem Christi, per sacramenta, per sacram Scripturam, per Evangelia* : cap. *Quoties cordis* 9, caus. 1, q. 7. Item juramenta sunt jurare per beatissimam Virginem, per beatos angelos, et sanctos Dei, quatenus beati gratia et gloria Deo uniti sunt, tanquam amici et domestici Dei, in quibus divina Majestas perfectissime resplendet. Si quis tamen juraret per beatissimam Virginem Mariam per angelos et sanctos absolute, per suam creatam perfectionem, et excellentiam gratiæ et gloriæ, non referendo ad Deum, non esset verum juramentum virtutis religionis, sed solum esset sacra contestatio virtutis duliæ : Sanch. lib. III, cap. 2, n. 9; Sporer loc. cit., n. 7, et alii.

(45. Jurare per vitam Dei et sanctorum, per caput, cor, aliaque membra honesta Christi, beatissimæ Virginis, et sanctorum, per sanguinem Christi, per ejus vulnera, et hujusmodi, si reverenter fiat in sensu assertorio et invocatorio, et non in sensu exsecratorio (quod scilicet illa pereant, vel non sint, si hoc non ita sit), blasphemum et illicitum per se non est : Sporer loc. cit. sub n. 6, et alii. Blasphemum autem et illicitum est, si fiat in tali sensu exsecratorio : Sporer loc. cit., et alii. Et a fortiori blasphemum, et gravissime prohibitum est jurare per membra Dei, cum Deus, ut purissimus spiritus, membra corporea non habeat. Item jurare per inhonesta membra Christi, beatissimæ V. M., et sanctorum : cap. *Si quis* 10, caus. 22, quæst. 1, ibi : « Si quis per capillum Dei vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ordine ecclesiastico est, deponatur, si laicus anathematizetur; » et authen. *Ut non luxurientur homines*, collat. 6, ibi : « Nemo juret per membra Dei, aut alio modo Deum blasphemet; his enim delictis, et fames, et terræmotus, et pestilentiæ fiunt. Præcipimus ergo tales comprehendi, atque ultimis subdi suppliciis. »

(46. Dicere : « Ita hoc verum est sicuti verum est quod Deus sit unus, quod personæ divinæ sint tres, » et hujusmodi : si intentio sit adducere divinam veritatem in testem, et insuper comparare totaliter humanam veritatem cum divina, ut humana veritas, et certitudo nostri dicti tanta sit quanta est divina veritas et certitudo veritatis divinæ, tunc est juramentum et blasphemia. Si intentio sit adducere divinam veritatem in testem; at non totaliter comparare, sed solum aliqualiter veritatem humanam divinæ assimilare hyperbolice loquendo (ut communiter et usua-

Digitized by Google

liter proferetur) ita ut sensus sit : « Sicuti verum est quod Deus sit unus, personæ divinæ sint tres, ita suo modo verum est hoc quod dico; » tunc est juramentum, sed non blasphemia. Si autem intentio sit solum assimilare aliqualiter modo nunc explicato veritatem humanam divinæ, et non adducere divinam veritatem in testem, sed solum enuntiative proferre, nec est juramentum nec blasphemia; Felix Potestas loc. cit., n. 1556; Sporer loc. cit., num. 5, et alii.

(47. Juramenta sub dictis, aliisque formulis etiam licitis non sunt passim facienda; pluribus enim subsunt periculis. Unde attendendum est monitum Ecclesiastici cap. XXIII, n. 9 et sequent. ibi : *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum ne admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis; sicut enim servus interrogatus assidue, e livore non minuitur, sic omnis jurans et nominans in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Et id quod Christus Dominus, *Matth.* c. v, n. 34, prohibens supervacanea juramenta dicit : *Audistis quia dictum est antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino vota tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est.* Et consonat Epistola Canonica D. Jacobi apostoli cap. v, n. 12, ibi : *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum, sit autem sermo vester, est, est, non, non, ut non sub judicio decidatis.* Et D. Augustinus serm. 30, de Verbis Apost., sic optime concludit : « Duo sunt quæ damnabo nunquam, veram jurationem, et nullam jurationem; damno autem falsam jurationem. Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. »

(48. Ad licite jurandum requiritur certitudo veritatis, tum ex parte rei juratæ, tum ex parte personæ jurantis. *Communis.*

(49. Certitudo veritatis ex parte rei juratæ sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res secundum sensum humanum, communem acceptationem aut consuetudinem sumpta, ita se habet sicuti juratur; ut si quis parochus juret suum clericum frequentasse toto anno ecclesiam, quamvis aliquoties intermiserit, quia parum pro nihilo reputatur, et humano sensu totus annus æstimatur, etiamsi modicum quid abfuerit. Idem dicendum est de fidibus juratis, quæ apud familias regulares concedi solent, quod lectores per tot integros annos legerint, et studentes scholas frequentaverint, et omnes suas scholasticas functiones laudabiliter obiverint, quamvis juxta consuetudinem nonnisi per septem, vel octo integros menses singulis annis id egerint, et aliquoties defecerint, seu non ita laudabiliter semper peregerint; et sic de similibus.

(50. Certitudo veritatis ex parte personæ jurantis sufficiens ad juramentum licitum habetur, si jurans sit certus, vel physice, vel moraliter, juxta diversitatem materiæ, de veritate rei quam jurat. Unde in odiosis, puta in contractibus, et negotiationibus humani commercii, ac in sententiis ferendis, et quoties est periculum damni proximi, ad absolute jurandum rem ita esse, vel non esse, requiritur certitudo scientifica, seu physica, et experimentalis, qualis habetur per visum, cap. *Testis* 15, caus. 3, quæst. 9. Judex enim in illis juridice interrogans intendit interrogare non de quacunque certitudine, sed de certitudine sufficiente ad faciendam semiplenam probationem, ad quam non sufficit certitudo moralis unius testis, ex auditu cujusvis fide digni, sed requiritur certitudo scientifica, seu physica, et experimentalis. In favorabilibus autem, in quibus nullum adest damnum, et præjudicium proximi ad absolute jurandum, sufficit certitudo moralis, seu credulitas : arg. cap. *Ex parte* 1, de Scrutinio in Ordine faciendo, ubi Innocentius III definit, quod archidiaconus testificans episcopo clericum promovendum esse dignum ad ordinem, non peccat, quamvis non physice certo sciat, sed solum sciat quantum humana fragilitas sinit noscere, seu ex indiciis probabilibus; quod est testimonium de credulitate, reddita hac ratione : *Cum illum quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare.* Hinc quando petitur informatio alicujus personæ, verbi gratia, de vita, et fama, et similibus, sufficit ad jurandum in ejus favorem certitudo moralis ex auditu, quia certitudo de visu, seu physica et omnimoda de istis, nec haberi, nec quæri solet.

(51. Veritas juramenti est triplex. Prima quando objectum juramenti conformatur, et menti, et rei, et sic nullum est peccatum, si aliunde interveniant alia requisita ad juramentum. Secunda, quando objectum juramenti conformatur menti, sed non rei, et in hoc casu si non fuit adhibita debita diligentia pro veritate scienda, est peccatum mortale. Tertia, quando objectum juramenti conformatur rei, sed non menti, et in hoc casu est peccatum mortale, et perjurium, licet dicatur veritas, quia juratur contra dictamen propriæ conscientiæ. *Communis.*

(52. Nulla persona privata potest licite exigere juramentum ab eo quem certo scit esse pejeraturum arg. cap. *Clericos* 3, de cohabit. Clericor., et cap. *Ille qui* 5, caus. 22, qu. 5, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse dicitur : « Ille qui hominem provocat ad jurationem, et scit eum falsum juraturum esse, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam : imo duas animas, et ejus quem jurare provocavit, et suam : scis verum esse quod dicis, et falsum esse quod ille dicit, et jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit, tu quid invenisti? Imo et tu periisti, qui de illius morte te satiare voluisti. » Et ipsemet D. Au-

Digitized by Google

gustinus tom. X, serm. 2, de Decollat. S. Joannis Baptistæ, idem, serm. 11, de Sanctis, ubi supra dicta scribit, subjungit ad rem hoc formidabile, sed dignum exemplum, ibi : « Aliquid dicam quod, nunquam dixi charitati vestræ in hoc populo, quod contigit in hac Ecclesia : Fuit hic homo quidam simplex, innocens, bene fidelis a multis vestrum (*id est Hipponensibus*), imo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutumlymeni quis vestrum non novit, qui estis cives? Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei, vel quod ei debebatur, et hominis fidei se commisit. Commotus provocavit eum ad jusjurandum : juravit ille, iste perdidit, sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis et fidelis ipsa nocte se exhibitum fuisse ad judicem, et cum magno impetu atque terrore se pervenisse ad præsidentem excelsum quemdam, et admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, jussum fuisse perturbatum retro vocari, et interrogatum fuisse his verbis : Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille : Negavit mihi rem meam. Responsum est illi : Et nonne melius erat ut rem tuam quam exigebas perderes quam animam hominis istius falsa juratione perimere? Prostratus est, jussus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postea quam emendatus est : Parcitur innocentiæ tuæ, de cætero cave ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, et emendatus est, sed multo gravius peccatum faciet qui post istum meum sermonem, et istam meam admonitionem et exhortationem, tale aliquid fecerit. » Hæc. D. Augustinus. Sic etiam tenent S. Bonaventura in 3, dist. 39, art. 2, quæst. 3; S. Thomas 2, 2, quæst. 98, art. 4; Reiffenstuel. lib. II Decretal., tit. 7, num. 52; Abbas in cap. *Cæterum* 5, de Juramento calumniæ, num. 4; Pax Jordanus Elucubrat., vol. III, lib. XIV, tit. 22, num. 50 et 51; Gobat tom. III, de juram., num. 645; Felix Potestas, tom. II, part. II, num. 1576; Bonacina, Castropal., Scotus, Vasquez, Silvester, et alii plures, contra multos alios. Et ratio nostra est, quia nulla potest assignari justa causa, et necessitatis tale juramentum exigendi. Tota enim justa causa et necessitas esset, ut dicunt ipsimet adversarii, maxime tuitio proprii juris, recuperatio propriæ rei, firmatio veritatis, pacti, et hujusmodi : atqui nihil horum per tale falsum juramentum potest obtineri, imo contrarium potius resultat; quia statim ac ipse cum falsitate jurat, non tibi, verbi gratia, competere tale jus, tuam non esse talem rem, tibi non debere quod dicis, et hujusmodi, jus tuum non tueris, rem tuam non recuperas, sed potius perdis, imo sine ulla tua utilitate animam proximi et tuam perdis, ut recte dicit S. Augustinus relatus in cit. cap. *Ille qui* 5, caus. 22, qu. 5, adeoque, etc.

(53. Dicitur notanter *Nulla persona privata*, quia persona publica, ut publica, puta judex, licite potest, justa interveniente causa et necessitate, exigere juramentum ab eo quem certo scit esse pejeraturum. *Communis.* Et ratio est, quia judex illud juramentum exigit juris ordine : et jus publicum ac communis utilitas prævalet cuilibet juri privatæ personæ. Et quamvis judex non prodesset privatæ personæ læsæ per recuperationem rei prætensæ, ut vere, et realiter suæ, prodesset tamen communitati et reipublicæ, quia, si non posset licite judex exigere juramentum ab iis quos certo scit esse pejeraturos, possent perversi fingere se certo pejeraturos, ut sic a judicis interrogatione eximerentur, quod cederet in maximum reipublicæ præjudicium et detrimentum. Tum quia posse judicem licite exigere juramentum ab eo quem certo scit esse pejeraturum, cedit in aliorum exemplum, qui sic deterriti, ne in damnationem propriæ animæ adducantur ad similia perjuria, seu falsa juramenta, abstinent se a plurimis malis cum non parvo reipublicæ bono. Tum etiam quia, cum judex teneatur sequi præscriptum juris, adhibendo ea quibus solet elici veritas, quando, aut lex in particulari decernit ut aliqua controversia juramento finiatur, aut una pars in defectu probationum juramentum juste poscit ab altera parte, tenetur judex exigere juramentum ab illa altera parte, ne se suspectum reddat, aut det justam occasionem scandali, quod est illi magis cavendum qua mpeccatum privati; adeoque, etc. Vide infra num. 56.

(54. Non licet scienter alterum inducere ad jurandum falsum, quamvis ipse alter bona fide omnino credat esse verum. *Communis.* Et ratio est, quia talis sciens inducit alterum ut adducat Deum in testem falsi, quod est intrinsece malum, quamvis jurans propter bonam fidem et ignorantiam invincibilem excusetur a peccato. Sic, verbi gratia, Paulus sciens se esse illegitime natum, quamvis alii communiter certo putent esse legitimum, non potest sine gravi peccato alios inducere ad jurandum se esse legitimum, quia, quamvis tale perjurium respectu jurantium sit solum materiale, adeoque nullum peccatum ratione bonæ fidei et erroris invincibilis, respectu tamen ipsius inducentis est formale, adeoque peccatum, quia et cognitum, et volitum, imo per se intentum.

(55. Licitum est cuique, necessitate, seu justa causa existente, ad damnum, vel injuriam cavendam, etiam in contractibus et aliis causis exigere juramentum a pagano qui per falsos deos aut Mahometem certo noscitur juraturus, non quidem, ut determinate juret tali modo, sed absolute, et in genere. Sic D. Augustinus epist. 154, ad Publicolam, et serm. 30, de verbis Apostoli; D. Bonaventura l. c.; S. Thom. 2, 2, qu. 78, art. 4, et in 3 sent. dist. 39, qu. unic. art. fin., ad 3; S. Antoninus, III par. Summæ Theol., tit. 27. cap. 1; Lessius lib. II, c. 42, dubit. 10, n. 50; Reiffenstuel Theol. moral. tract. 6, dist. 2, q. 3, n. 36; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 1579, et alii

Digitized by Google

passim. Sic enim *Genesis* XXXI, Jacob recepit juramentum a Laban Idololatra, et *Machabæor.* l. I, c. VIII, Judas a Romanis idololatris; et idipsum est quotidianum apud mercatores qui cum infidelibus contrahunt. Non licet autem tale juramentum exigere sine necessitate, et justa causa, neque etiam licet aliquem inducere ad hoc determinate; quod juret per falsos deos, quia esset cooperari alterius peccato, ut notant citati sancti Patres aliique omnes.

(56. Judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter, uti principales, examinantur. Sic novissime statuit Benedictus tertius decimus in concil. Romano tit. 13, de Jurejurando, cap. 2. Vide verb. *Reus* num. 26.

Ad num. 15 hujus Articuli Romani Theol. Notæ.

(57. Circa restrictiones mentales videantur quæ adnotata sunt supra verbo *Accusatus*; ubi plura refutata sunt quæ in hoc articulo a Ferrari repetuntur. Sed hic, uberioris cognitionis causa, primum nonnullas regulas, deinde nova proferemus adversus laxas opiniones argumenta. Primo, extra controversiam est, restrictiones mentis, quæ et absolutæ, et circumstantiis inspectis, intra mentem sistunt, nulloque modo ab audiente percipi queunt, fuisse ab Ecclesia proscriptas tanquam mendacia. Et licet quidam scribant esse prohibitum usum earumdem duntaxat *a tutto pacto*, id est continuum; id tamen ceu falsum omnino et proscriptum reprobamus.

Secundo, certum est aliquam locutionem esse falsam secundum se, veramque fieri ex circumstantiis interrogationis. Puta, si Confessarius roget Titium confitentem peccata sua, an fornicationem, furtum, aliaque peccata commisisset, et Titius neget, vera responsio est, licet aliquando eam commiserit, et confessus eadem fuerit. Quia ex circumstantia confessionis externæ et realis, in qua sola peccata commissa, et nondum confessa, panduntur, juxta communem intelligentiam, interrogatio est de his solis peccatis. Quare Titius respondens se eadem peccata non commisisse post ultimam confessionem, ad mentem respondet confessarii. Similiter, si Petrus interrogatus a servo sollicite per vicos et plateas dominum suum requirente, an illum viderit, respondeat se non vidisse; quamvis heri alioque tempore millies illum viderit, vera est responsio; quia ex circumstantia externa sollicitæ et anxiæ inquisitionis patet ejus interrogationem esse de visione sui domini hic et nunc, ita ut ex responsione deprehendere queat ubi nunc reperiatur. Et si Petrus responderet famulo, se heri vidisse dominum illius, famulus sibi illudi existimaret. Hæc autem vera sunt juxta communem omnium intelligentiam, ac proinde licita. Porro in hoc errant recentiores plurimi, quod ex his peculiaribus casibus inferant regulam universalem, ut jam jam explicabimus.

Amphibologica locutio ea est quæ varios patitur sensus, quamque qui loquitur aliter intelligit ac intelligendum prospiciat ab illo qui audit; ea tamen intelligi ab eodem potest, vel certe valet alter advertere esse ambignam orationem; adeoque aliis interrogationibus urgere potest respondentem ad probandam veritatem, verbi gratia, quando Abraham dixit Saram sororem esse suam: Si pharao advertisset ad illud verbum *Soror*, intellexisset verbum æquivocum, aliasque sorores ex patre, alias ex fratre, vel nepote; et hac via incedere potuisset ad cogendum Abrahamum ut veritatem manifestaret, si manifestabilis fuisset absque peccato.

Tandem certum est nunquam licitum esse uti amphibologia sine justa causa (id omnes fatentur) quando loquens utitur oratione amphibologica in sensu quem non percipiendum confidit ab audiente. Si enim utatur amphibologia in eo sensu quem credit et prospicit intelligendum ab audiente, tunc non est proprie amphibologia, quia qui ad mentem, et juxta intentionem interrogantis loquitur, et respondet candide, et sincere loquitur, nullaque esse de peccato suspicio potest. His præmissis, quæ nobis videatur vera sententia proponitur.

« Licitum est locutione amphibologica, seu æquivocatione, quæ aut vi verborum, aut ratione circumstantiarum, juxta communem intelligentiam, plures excipit sensus intelligibiles ab audiente, veritatem occultare; sed non semper hæc amphibologia occurrit, neque semper sufficit ad occultandam veritatem, potissimum dum interrogans urget ut sine æquivocatione loquamur: propterea alia via occultanda sunt secreta quæ absque peccato revelari nequeunt. »

Hæc nostra sententia duplici constat membro. Primum nihil peculiare continet, nec video ab aliquo negari posse. Constat enim, et exemplis allatis, et pluribus ex ipsa Scriptura adducendis, licitam esse illam æquivocationem quæ sensus plures patitur ab audiente, aut vi verborum, aut circumstantiarum ratione intelligibiles, quia reipsa talis locutio habet hos varios sensus, juxta communem hominum intelligentiam; quanquam non semper quilibet audiens advertat ad sensum quem loquens intendit: quod contingit ex ejusdem audientis oscitantia aut hebetudine. Quando autem vel crimen, vel secretum, vel quodpiam aliud factum, occultandum ex justitia, aut charitate, excipiat locutionem amphibologicam, seu verba æquivoca, non potest a nobis definiri, neque certa regula præscribi; sed quisque in praxi consulere suam conscientiam debet, ad veritatis regulas respiciendo. Ita docet Sotus lib. de tegen. sec., memb. 111, quæst. 111, concl. 7. « Interim tamen, si percontetur quis, quibus amphibologiis poterit se miser tueri, non possumus illas sigillatim colligere; sed pro sua quisque peritia et prudentia illas poterit excogitare. »

Secundum sententiæ nostræ membrum ad punctum præcipuum, ac quasi dixerim, unicum præsentis quæstionis spectat atque

Digitized by Google

declarat. Illud adversatur communi doctrinæ recentiorum, qui, ut diximus supra, quia copulare volunt semper et custodiam sigilli et conservationem vitæ, volunt quoque semper, et pro quacunque veritatis alicujus momenti occultatione, adesse amphibologicas locutiones, quibus veritas occultetur. Neque enim ipsis ex natura ipsius peculiaris facti, quod reipsa æquivocationem suscipit, inferunt licite adhiberi posse amphibologiam exteriorem; sed absolute statuunt, quodcunque factum, seu crimen, et quamcumque veritatem non manifestabilem admittere æquivocationes externas hoc ipso quod veritas non debeat manifestari et communicari. Nos contra dicimus, aliqua sua natura admittere æquivocationem, seu verba duplicis potestatis, aut sub talibus circumstantiis interrogationes aliquando fieri, quæ plures sensus habere possint: et tunc affirmamus licitum esse, justa urgente causa, occultare veritatem beneficio locutionis amphibologicæ, ab audiente, si advertat, intelligibilis. Exempla rem manifestabunt. Abraham amphibologia occultare potuit licite matrimonium: quia revera Sara soror illius non ex matre, sed ex patre erat: quæ consanguinitas apud Hebræos sufficiebat ad sororis veram appellationem. Quod si tali consanguinitatis vinculo juncti non fuissent, minime tali amphibologia celare matrimonium potuisset. Christus dixit: *Ego autem non ascendam ad diem festum istum:* quia revera erant plures dies festi, et primus celebrior erat, atque solemnior, ad quem invitabatur Christus: qui sincere respondit ad illam solemnem festivitatem se non ascendere, quia nondum tempus suum advenerat; tacuit vero suum ascensum occultum post alios dies faciendum, quando tempus suum impletum jam esset. Dum sacerdos, qui simul est confessor, interrogatur an sciat homicidium, aut aliud delictum perpetratum, sincere et vere respondet se illud ignorare, quamvis illud in confessione audierit: quia juxta communem intelligentiam omnium Christianorum non interrogatur ut confessor, sed ut cæteri homines. Hæc omnia paucioribus verbis explicat P. Dominicus Soto, qui, ut mea præfert opinio, præ omnibus theologis controversiam hanc felicius versavit, et ad Ecclesiæ mentem proximius sua doctrina hac in materia accessit. Inquit ergo de leg. sec. memb. 111, quæst. 111, concl. 7: « Si verba non occurrunt quibus per æquivocationem usu hominum receptam citra mendacium celari possit crimen, mori debet antequam mentiatur... Dicta sanctorum eo tendunt, ut prohibeant responsa per verba quæ nullum possunt facere verum sensum, secundum significationem usu receptam; quippe quæ non possent a mendacio ulla ratione excusari. »

Clarius explicatur discrimen quod nostram inter et recentiorum opinionem intercedit. Recentiores, ut vidimus, non ex facti natura, neque ex circumstantiis revera extrinsecus advenientibus, quæ veritatem ipsam, ut sic dicam, afficiant, sed ex causis, seu damno quod manifestationem veritatis consequitur, inferunt, restrictiones non esse mentales. Exempla rem manifestabunt. Uxor adultera vitam amittit si adulterium marito pugione districto illam impetenti fateatur. Dicunt ipsi mulierem adulteram uti posse amphibologia, aut duplici scientia communicabili et incommunicabili, aut verbis nihil significantibus, ut mortem evadat. Nostra sententia cum D. Augustino oppositum asserit. Causæ enim quæ obligant ad celandam veritatem omnino disparatæ sunt ab ipsa locutione; adeoque perperam adducuntur tanquam circumstantiæ externæ, vi quarum sensus in mente retentus fiat exterior. Si hoc namque verum esset, nullæ forent restrictiones pure mentales: quoniam auctores illarum nonnisi ob graves causas illas propugnabant, et tamen nemo illorum dixit quod causæ istæ constituant illas restrictiones exteriores. Hoc inventum excogitarunt scriptores (quod magnopere advertendum est) post propositiones damnatas. Ut enim declinarent pontificias censuras, restrictiones mere mentales, non mere mentales, sed exteriores appellare cœperunt. Et si ab illis quæras cur appellentur exteriores, respondent, quia hic et nunc manifestatio veritatis infert grave damnum, violat vel justitiam, vel charitatem. Facile enim illis est hanc, cæteroquin falsam doctrinam, fuco linire; quia, ut explicando nostram sententiam adnotavimus, revera dantur aliquæ restrictiones externæ, non ob causas occultandi veritatem, sed quæ ipsam afficiunt locutionem, et factum quod sub locutione cadit: ut patet in confessario, cujus personalis dignitas circumstantia vere externa est, quæve determinat locutionem: et in responsione Abrahami et Christi Domini non ascendentis ad solemnitatem primi diei. Et hæc est fere unica occasio errandi recentioribus, qui ex uno casu peculari, puta confessarii, cui similis non datur, inferunt regulam universalem, qua statuunt omnes veritates summi momenti, omniaque secreta occultanda esse amphibologico sermone, nulla facta consideratione, utrum factum seu crimen occultandum excipiat nec ne sermonem amphibologicum, suppeditetque vocabula æquivoca; ut matrimonium occultandum suppeditavit Abrahamo verbum æquivocum *sororis*. Sed unice considerant consectaria mala quæ manifestatio veritatis parit; et ex hoc principio inferunt restrictiones non esse pure mentales. Quod eodem recidit ac si dicerent in gravi vel extrema necessitate mendacia non esse mendacia, restrictiones pure mentales non esse pure mentales. Quemadmodum siquidem antiqui defensores mendaciorum excusabant locutionem Raab negantis reperiri hospites in domo sua, et filii negantis patrem exstare domi, et adulteræ negantis adulterium se commisisse ob mortem vitandam; sic isti eamdem omnino locutionem absque exteriori addito excusant: cum hoc tamen discrimine quod antiqui in mendaciorum defensione

Digitized by Google

sinceri erant, mendacia appellantes mendacia, sed venia digna, quia ob necessitatem prolata; isti vero volunt necessitatem efficere, ut illa locutio non sit mendacium, sed amphibologia externa, eo quod interdum revera dantur locutiones amphibologicæ, ut exemplis productis constat. Placet quæ dicta sunt confirmare auctoritate celeberrimi Caramuelis, qui Theol. fund., tom. II, num. 805, pag. mihi 182: « Est mihi, inquit, innata aversio contra restrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis et sinceritatis, necessariæ non sunt. Nam omnia quæ ipsæ præstare possunt, præstabunt consignificantes circumstantiæ. Quod si tales dicantur ut etiam ibi admittendæ sint ubi desunt circumstantiæ significantes (ignoscant mihi earumdem auctores et propugnatores), tollunt humanam societatem et securitatem, et tanquam pestiferæ damnandæ sunt. Quoniam semel admissæ aperiunt omni mendacio, omni perjurio viam. Et tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam et malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur *restrictio mentalis* nominari, quod est virus condire saccharo, et scelus specie virtutis colorare. » Adeo hæc perspicua sunt, adeo luculenta, ut nulla cavillatione implicari valeant. Caramuel ipse, qui in laxanda evangelica et naturali lege palmam cæteris præripuit, haud potuit tam manifestæ veritati oculos claudere. Quæ olim mendacia, post restrictiones *pure mentales*, et quæ olim restrictiones pure mentales, jam *restrictiones externæ* appellantur.

Ex iis quæ diximus, variæ pro praxi eliciuntur regulæ.

Prima est : Si factum quod sub sermone cadit non admittit suapte natura verba æquivoca, quæ juxta communem intelligentiam varios excipiat sensus, absolute ab audiente intelligibiles, nullo modo licitum est respondenti ex necessitate occultandæ veritatis uti his locutionibus, *Nescio illud factum*, id est *ut manifestabile : Non feci*, subintelligendo *scientia communicabili : Non habeo pecunias*, subintelligendo ad tibi dandas. Hæ omnes locutiones, quas universaliter adhibendas statuunt probabilistæ ad occultandam veritatem, quæ revelata grave incommodum pareret, sunt absolute restrictiones pure mentales ab Ecclesia damnatæ, seu sunt pura putaque mendacia.

Secunda Regula : Aliquando factum supra quod cadit interrogatio admittit locutionem amphibologicam, vel quia persona respondens gerit munus duplicis personæ, ut confessarius, secretarius principis, etc., de quibus infra, quæ sunt circumstantiæ revera externæ; vel quia conditio peculiaris illius facti subministrat responsioni verbum æquivocum; et tunc licita est, gravi causa impellente, amphibologia.

Tertia Regula : Locutiones amphibologicæ, licet interdum satis sint ad occultandam aliquam veritatem interrogatoribus obtusis, aut iis quorum parum refert eam scire, sæpe tamen ineptæ sunt ad occultandam veritatem magni momenti interrogatoribus vafris et versipellibus, qui æquivocationem deprehendere valent, atque respondentem ad incitas redigere ut præcise respondeat. Quid ergo tum agendum? Infra declarabo.

Quarta Regula. Quando sagax interrogator æquivocam seu amphibologicam responsionem deprehendit, urgetque respondentem, ut præcise et candide respondeat, ut omittat amphibologias et restrictiones omnes, non potest respondens uti amphibologia reflexa usque in infinitum, ut docent recentiores plurimi; sed debet repellere injustum interrogatorem modo infra explicando.

Quinta Regula. E præcedenti regula clarissime constat recentiores præfatos restrictiones pure mentales, et consequenter mendacia docere. Tantum siquidem abest ut eorum locutio amphibologica externa sit, quin ita interna est, ut audiens nullo excogitabili modo possit vi talis locutionis deprehendere sensum loquentis. Hic enim ita restringit et claudit intra mentem sensum suum, ut juret se nulla uti æquivocatione quemadmodum docent communiter recentes probabilistæ cum Sanchez lib. III, cap. 6, num. 45.

Sexta Regula. Quando quis utitur amphibologia in sensu quem confidit non perceptum iri ab audiente, quem tamen perciperet si adverteret, non intendit illius deceptionem, sed occultationem veritatis, quam custodire tenetur, deceptionem vero audientis solum permittit.

Septima Regula. Ut omnes causas necessarias ad licitum usum amphibologiæ externæ perspectas habeas, eas ad quatuor capita redacta ob oculos pono. Prima, quod justa et gravissima causa urgeat. Secunda, quod respondens non teneatur ex justitia, aut religione, aut obedientia veritatem nude patefacere; sed jus habeat illam celandi. Tertia, quod veritatis occultatio ita prosit loquenti, ut nulli noceat. Quarta, quod verba vi sua, aut vi circumstantiarum referant sensum loquentis, intelligibilem ab audiente si advertere velit.

Octava Regula. Ex hucusque dictis patet non esse quæstionem de nomine, dum rationes impugnantur, quibus recentiores defendunt amphibologicas locutiones. Nam, si admittatur verba privari significatione ex reipublicæ consensu, aut licitum esse usum notitiæ communicabilis et incommunicabilis, qualibet gravi urgente causa, respectu omnium personarum et factorum; jam statuitur regula generalis, ob grave malum vitandum semper licitum esse veritatem celare media amphibologia, sive res quæ narratur aut occultatur excipiat, sive non excipiat æquivocationem. Quod eodem recidit ac si dicatur mendacia licita esse causa gravi urgente. Hoc vero assero ab Ecclesia damnatum fuisse. Igitur ibi tantum amphibologias admittimus, ubi revera, aut circumstantia vere externa personæ, aut factum ipsum verba æquivoca subministret, ipsamque locutionem ingrediatur; et amphibologia

Digitized by Google

insuper talis sit, ut valeat ab acuto auditore deprehendi. Hoc autem non ita frequenter occurrit. Id solum potius de nomine est, num restrictiones mentis, quas plures etiam post Innocentium XI defendunt, debeant aut mendacia, aut mentales restrictiones appellari. Nam restrictiones mentis ob gravissimas causas vitæ, honoris, rerum familiarium, ut mendacia, damnavit Pontifex Summus. Videant ergo quomodo censuram Pontificiam evadere queant illi qui scribunt restrictiones mentis esse prohibitas in quotidiano usu (*a tutto pacto*), non ob graves causas.

Nona Regula. Quoniam hæc quæstio pluribus circumstantiis est subjecta, non potest statui regula generalis et præcisa quæ omnibus casibus valeat accommodari. Nos certe conati sumus, et sententiam recentiorum suo in lumine collocare, et quæstionis statum exponere, et regulas, quoad fieri potuit, præcisas præscribere. Nihilominus adhuc multa declaranda supersunt, quæ sigillatim explicabimus dissertatione sequenti, in qua plurimos casus resolvemus ad hanc materiam attinentes.

Omnes Scripturæ textus quos antiqui in mendaciorum favorem producebant, afferunt quoque recentiores ut mentales propugnent restrictiones. Qui scripserunt ante Innocentium XI, eosdem omnino textus pro restrictionibus *pure* mentalibus allegabant, quos nunc pro restrictionibus *non pure* mentalibus laudant postremi scriptores; quod satis esse deberet ad demonstrandum ex præfatis nihil neque in mendaciorum, neque in restrictionum mentalium favorem elici posse. Plurimos Scripturæ textus refert Caramuel in libro qui inscribitur Hapoletes. Eos tantum nos recensebimus qui negotium facessere possunt.

Objiciunt itaque I. Abraham Gen. XII et XX, vocavit Saram sororem suam : *Soror mea est :* quæ tamen erat illius uxor. II. Idem Abraham cum ad montem pergeret, ut immolaret, sicut mandatum acceperat a Deo, filium suum Isaac, dixit ad pueros suos Gen. XXII : *Expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* III. Mentitus quoque videtur Jacob cum se Esau simulavit ut paternam assequeretur benedictionem, Gen. XXVII, *Ego sum primogenitus tuus Esau.* IV. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ dum Pharaoni conquerenti quod Hebræorum mares, ut ipse jusserat, non interfecissent, responderunt : *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres : ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus... et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* Exod. I. V. Mentitus videtur angelus Tobiam alloquens his verbis : *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius,* Tob. V.

Antequam ad singula respondeamus, cum D. Augustino advertimus plurima in sacra Scriptura haberi quæ mendacia absolute videntur; attamen, ut inquit Augustinus, mendacia non sunt, seu mysteria; aut si mendacia, imitanda minime sunt. En verba D. Augustini lib. contra mend. XV, adversus Priscillianistas : « Ad te igitur pertinet, sectam detestabilem cum refellis, sic accipienda monstrare ista testimonio Scripturarum, ut vel doceas non esse quæ putantur mendacia, si eo modo intelligantur quo intelligenda sunt, vel imitanda non esse quæ manifestum est esse mendacia. Ad ostendenda ergo quæ putantur in Scripturis esse mendacia non ea esse quæ putantur, si recte intelligantur, non tibi parum adversus istos valere videatur; quod non de apostolicis, sed de propheticis litteris inveniunt velut exempla mentiendi. Illa enim, quæ nominatim commemorant, ubi sit unusquisque mentitus, in iis libris leguntur in quibus non solum dicta, verum etiam facta multa figurata conscripta sunt, quia figurate gesta sunt. » Hæc Augustini doctrina satis esset ad solvendas omnes difficultates quæ ex sacra Scriptura opponi solent. Nihilominus tamen in majorem veritatis confirmationem ad singula responsum dabimus.

Igitur ad primum respondet D. Augustinus lib. con. mend., cap. 10, his verbis : « Qui asserunt aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit : Non est uxor mea, sed dixit : *Soror mea est ;* quod erat revera tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod et postea jam sibi ab illo qui abduxerat ea reddita confirmavit, respondens illi, et dicens : *Est vere soror mea de patre, non de matre,* hoc est de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc et filius ejus fecit Isaac. Nam et ipsum novimus propinquam suam conjugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum. »

Ad secundum respondet idem Augustinus, nequaquam Abraham mentitum fuisse, sed prophetasse : certissime namque sperabat Deum, qui paulo ante illi dixerat, *In Isaac vocabitur tibi semen,* eumdem Isaac mortuum suscitaturum, ut ipse D. Paulus declarat ad Heb. XI : *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen : arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.* Quam interpretationem declarat Augustinus lib. VI, *de Civitate Dei,* cap. 32 : « Non dubitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus.

Ad tertium idem Augustinus respondet lib. commend., cap. 10 : « Jacob, quod matre fecit auctore ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium : quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcunque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ

Digitized by Google

sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur esse mendacia : quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam; ita ut hæc ipsa quæ appellatur metaphora, hoc est de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam canitiem, procul dubio fluctus, gemmas, florem, nivem, quia in his rebus non invenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus ab istis mendacia putabuntur... Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur, profecto non solum id quod fecit aut dixit Jacob patri ut benediceretur, sed neque illud quod Joseph velut illudendis locutus est fratribus, nec quod David simulavit insaniam, nec cætera hujusmodi, mendacia judicanda sunt, sed locutiones, actionesque propheticæ ad ea quæ vera sunt intelligenda referendæ : quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum pie quærentis exerceant, et ne nuda ac prompta vilescant. » Item lib. de Civit. Dei XVI, cap. 27 : « Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium *veritatis?* » Multi tum ex antiquis, tum ex recentibus scriptoribus docent Jacob fuisse mentitum; sed simul docent qui catholici sunt mendacium illud non esse imitandum.

Ad quartum respondet Augustinus lib. cont. mendac., cap. 15. « Sed quod scriptum est bene Deum fecisse cum Ægyptiis obstetricibus, et Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. »

Ad quintum respondeo, angelum Raphaelem hominis personam repræsentasse, et humano more locutum fuisse : Neque enim Tobias, eum alloquens, angelum, sed hominem reputabat : *Ignorans, quod angelus Dei esset, salutavit eum.* Tob. V, vers. 6. Consequenter Raphael Tobiæ seniori interroganti : *Indica mihi de qua domo, aut de qua Tribu es tu,* respondit : *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Quoniam sicut personam præferebat humanam, ita quoque et stirpem Israeliticam, et genus paternum ex illustri prosapia magni Azariæ absque mendacio referebat. Ananiæ autem potius quam alterius filium se dixit, quia Ananias Hebraice est, ut inquit sanctus Pagninus, *donum, et miseratio, et glorificatio Dei.* Porro omnes angeli sunt filii Dei. Ideo more humano loquens patrem allegavit, qui simul et Tobiæ innotesceret, et cœlestem suam originem clauderet. Quare ejus locutio fuit, ut cum Augustino loquar, *non mendacium, sed mysterium.* Quemadmodum enim confessarius, et hominis, et Dei personam gerit; sic et angelus, qui Dei legatione fungitur sub specie hominis. Et sicut confessarius sine mendacio quædam proferre potest ut homo, et quædam ut Dei minister; et sic angelus in humano commercio more humano loqui potest sine mendacio. Plurimos alios Scripturæ textus quos expendit Augustinus missos facio. Nam si quis etiam obfirmate contenderet aliquem ex sanctis Patriarchis mentitum fuisse, non ob id quidquam concluderet adversus nostram et communem catholicorum sententiam : quoniam tunc mendacium rejiceremus, tanquam imitatione indignum. Lubet transcribere verba Augustini ex lib. cont. mend., cap. 9. « Unde constat non omnia quæ a sanctis vel justis viris legimus facta transferre debeamus in mores; sed etiam hinc discere quam late pateat et quousque perveniat quod Apostolus cit. Gal. VI. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris..,* In omnibus autem actionibus nostris maxime etiam bonos turbant compensativa péccata, ita ut nec peccata existimentur, si habeant tales causas propter quas fiant, et in quibus videatur peccare potius, si non fiant. »

Non modo ex Veteri Testamento, sed etiam ex Evangelio aliqui objiciuntur textus in favorem restrictionum mentalium. Tres celebriores referam. Primus habetur Joan. VII, vers. 8 : *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderant fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.* Alium textum opponunt ex Matth. XXIV, et Marc. XIII, vers. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Alium denique ex *Luca* cap. XXIV, vers. 28 : *Et ipse se finxit longius ire.*

Antequam ad singulos textus responsum præbeam, cum D. Augustino animadverto Christum Dominum plurima in Evangelio figurate, et sub parabolarum tegumentis locutum fuisse. Quæ vero imperitis mendacia videntur, mysteria sunt, figuratæque locutiones. Sed Augustinum audiamus lib. de mend., cap. 21 : « Elucet itaque, discussis omnibus, nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi nunquam esse omnino mentiendum. Quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus factisque Sanctorum inveniuntur, quod ad eas attinet Scripturas quæ ad nullam figuratam significationem referunt, sicut sunt res gestæ in Actibus apostolorum. » Nam Domini omnia in Evangelio quæ imperitioribus mendacia videntur figuratæ significationes sunt.

Nonne omnes fatemur Scripturæ textus plures excipere sensus, quorum alii clariores, alii obscuriores sunt, alii spirituales, alii litterales? Hinc est quod Deus, ut con-

Digitized by Google

fusionem tolleret, statuit Ecclesiam suam esse supremum judicem, nulli errori obnoxium, qui decernat definiatque legitimum et genuinum sensum a falso. Quia vero extra hanc unicam Ecclesiam quisque sibi jus usurpat interpretandi Scripturas, quisque etiam propriam profitetur religionem, inter quos nullus ordo, nulla unitas, nulla Ecclesia, sed confusio et maxima perturbatio. Porro si in nostris sermonibus licitum foret sacros scriptores imitari in usu figurarum, troporum et allegoriarum, humanum commercium abrumperetur; omniaque confusa et perturbata evaderent, et respublica humana eligere supremum judicem seu interpretem nostrarum locutionum deberet, sicuti Deus pro Scripturæ sanctæ interpretatione designavit Ecclesiam. Verum, ut his incommodis occurreret, nobis in suo Evangelio formam locutionis in responsionibus adhibendam præscripsit his verbis: *Sit sermo vester: Est, est, non, non.* His præmissis, ad singulos textus respondeo.

Primus qui opponitur textus nullam præfert difficultatem, si integer consideretur. Nec opus est ut ad textum Græcum recurramus, in quo loco *Non* legitur *Nondum ascendo*, ut observat Jansenius Gandavensis in sua Concord., cap. 73, et Erasmus ipse fatetur exemplaria a se visa pro *non* habere *nondum*. Sed his non indigemus: quia sensus illius narrationis clarus et obvius est. Siquidem Christus sciebat tempus passionis suæ nondum advenisse, prævidebatque fratres suos seu consanguineos evulgaturos ejus iter in Judæam, si illud illis manifestasset; ac proinde Judæos ipsum ad mortem quæsituros. Hæc omnia ex textu prævio patent: *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua.* Quid primum respondit Christus? *Tempus meum nondum advenit*, vers. 7. Porro addit vers. 8: *Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non* (vel, secundum Græcum textum, qui primæ responsioni optimæ cohæret), *nondum ascendo ad diem festum istum.* Dixit ergo Christus, *Non ascendo*, ut occultaretur, addit *istum*, ne mentiretur. Hæc interpretatio tota est Augustini serm. 163, nov. edit., num. 7: Hoc ergo ne illi prævenirent, et cum venturum esse nuntiarent, et præpararentur insidiæ. *Non ascendo*, inquit, *ad diem festum istum:* Dixit: *Non ascendo*, ut occultaretur, addit *istum*, ne mentiretur. Aliquid distulit, nihil tamen falsi dixit.

Hæc interpretatio adhuc clarior evadet, si et rationem quam Christus allegat, et verba quibus suum iter in Hierusalem narrat, consideraverimus. Porro hæc est ratio cur Christus non ascendit: *Quia meum tempus*, inquit, *nondum advenit.* Ecce quomodo ex verbis ipsius Christi manifeste colligitur, ipsum non negasse absolute se profecturum in Hierusalem; sed solum dixisse se cum suis fratribus et publico stipatum comitatu nolle ascendere. Bis siquidem repetit tempus suum *nondum* advenisse, seu *nondum* impletum esse: et relate ad hanc responsionis formam intelliguntur alia verba, *non ascendo:* quia nondum venit hora mea. Nonne ex hac responsione quilibet prudens colligit: Ergo ascendet cum ipse judicabit tempus suum advenisse? Hæc omnia non vi alicujus restrictionis internæ, sed vi verborum manifesta sunt. Atque confirmantur, si advertamus festum Scenopegiæ, de quo nunc est sermo, pluribus diebus constasse, quarum prima solemnior erat. Negavit ergo Christus ad primam vel secundam diem ad quam ibant ejus fratres se ascensurum: et ideo dixit: *Nondum advenit*, etc. Ascendit autem postea, nempe tertia, aut quarta die, *non manifeste*, seu quasi in occulto: quæ verba non eum sensum produnt, ut Christus in mente retinuerit illud *manifeste*, et quod illius responsio vera sit, attenta ejusmodi restrictione mentali, sicuti contendebant olim auctores restrictionum earumdem quas tamen *non pure* mentales oretenus aliqui vocant. Hæc falsissima interpretatio opponi ad summum posset, si eadem ipsa die ascendisset in templum Christus: aut nisi verbis externis declarasset se reipsa non ascensurum ad festum illud ad quod fratres sui ascendebant. Imo, inquit Augustinus, non temere dixit: Vos ascendite *ad hunc*, ego non ascendo *ad istum*, sed addit *istum*, ne mentiretur, indicans quod mentitus fuisset si adverbium illud *manifeste* in mente retinuisset, nihil exterius addendo: et propterea addidit *istum*, ne mentiretur. Hæc omnia iterum evidenter confirmat Augustinus tract. 28, in Joannem: *Non ad hunc*, id est ad quem vos vultis, primum, vel secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur: *mediato die festo*, id est cum jam illius diei festi *tot dies præterissent* quot remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant. Hæc est unica et germana interpretatio, quæ naturaliter ex sensu litterali profluit. Quoniam Christus respondit juxta mentem petentium, qui poscebant ut ascenderet secum palam. *Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* In sensu ergo interrogantium respondit Christus se non ascendere, sicuti si dixissent: *Veni nobiscum*, et respondisset: *Nolo.*

Ad secundum textum, qui difficilior est, multiplex est Patrum responsio; nulla tamen favet restrictionibus mentalibus. In primis D. Ambrosius lib. v, de fide, cap. 7, cum pluribus aliis dubitavit num illa particula *neque Filius* ad textum pertineat, an ab arianis subdole addita sit. Textus enim evangelicus Matthæi sic habet: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* » Hieronymus vero in hunc locum Matthæi scribit suo tempore in quibusdam Latinis codicibus ejusdem Matthæi additam fuisse particulam *neque Filius*, quæ tamen Græcis, et maxime *Adamantii et Pierii*, exemplaribus non habebatur. « Sed,

Digitized by Google

inquit Hieronymus, quia in nonnullis legitur, disserendum videtur... legitur quia probavimus non ignorare Filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur... Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die, manifestius respondit : *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, *non est vestrum scire,* ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis... denique et consequens Evangelii sermo idipsum cogit intelligi. Dicens quoque Patrem solum nosse, in Patre comprehendit et Filium ; omnis enim Pater Filii nomen est. »

Pater Dominicus Soto *in 4 Sentent., dist.* 43, qu. 11, art. 2, de laudato textu scribens, inquit : « Nihilominus nefas esset et hæresis dubitare, ut quidam hæsitant, illam apud Marcum vocem existere, propterea quod non sit apud Matthæum. » Et post concilium Tridentinum nemo catholicorum hac de re quæstionem movet. Soto loco laudato comparat Christum confessario. « Sicut enim confessarius multa scit ut Dei minister, quæ ignorat ut homo est, in humano commercio, ita et Christus, ut legatus Patris æterni, multa habebat sub sigillo, quæ prout magisterium exercebat apostolorum, se nescire dicebat. »

D. Augustinus pluribus in locis explicat laudatum textum. *Enarr. in psalm.* VI : « Ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit ? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit, sed secundum illam locutionem : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat :* Deuter. XIII, id est, scire faciat vos, etc. *Exsurge, Domine,* id est, fac nos exsurgere. Cum ergo ita dicatur nescire Filium hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire eos faciat quibus hoc non expedit scire, id est non eis hoc ostendat, » etc. Similia scribit Augustinus lib. I, de Trinitate, cap. 12 : « Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est quod non ita sciebat, ut tunc discipuli judicarent, sicut dictum est ad Abraham : *Nunc cognovi quod timeas Deum,* Gen. XXII, id est nunc feci, ut cognosceres : qui et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. » Nam et illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno : de quo futuro, tanquam præterito, loquens ait : *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit voluntatem Domini sui. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis ;* Joan. XV. Quod nondum fecerat, sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est : ipse enim ait : *Multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modo,* Joan. XVI. Inter quæ intelligitur et de die, et hora.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(1. Jusjurandum non male definitur : « Asseveratio religiosa animo jurandi facta rei alicujus, adhibita invocatione Dei in testem et vindicem. »

(2. Summa jurisjurandi divisio est, ut sit vel promissorium, vel assertorium. Promissorium est, quod futura negotia concernit, ut major illis firmitas, aut securitas accedat, quale est tutorum, curatorum, subjectorum, vassallorum, militum, judicum, advocatorum, honores suscipientium, et aliorum ; est et illud, quod conventionibus subinde apponi solet. De hujus postremi jurisjurandi efficacia tum jure civili, tum jure Canonico, agemus in addit. ad art. III.

(3. Assertorium jurisjurandum est, quod præsentia, ac præcipue præterita negotia respicit. Estque vel affectionis in litem, vel veritatis. De priori agitur in Pandectis in tit. *De in lit. jurand.* Posterius, scilicet veritatis, vel a Testibus præstatur, vel a litigantibus. Et hoc præstatur, vel extra judicium, vel in judicio. Illud dicitur voluntarium. Fundatur in conventione quadam seu transactione, ita ut, quæ alias in pactis et transactionibus attenduntur, ea hic quoque desiderentur.

(4. In judicio varia juramenta sunt recepta. Occurrit primo loco juramentum judiciale, quod pars parti defert in judicio, judice approbante.

(5. Occurrit secundo juramentum necessarium, quod ob inopiam probationis judex, etiam non rogatus, defert actori vel reo.

(6. Estque vel suppletorium, vel purgatorium. Suppletorium, quod Judex ei deferi, qui semiplene, vel plusquam semiplene probavit. Purgatorium, quod juri canonico debetur, est quod Judex causa cognita, reo defert, si vel suspicionibus a parte adversa allatis, semiplenam tamen probationem non constituentibus gravatus est, vel si actor alia de causa ad suppletorium admitti nequeat ad elidendas istas suspiciones.

(7. Ad integritatem quoque judiciorum conservandam, introductum est juramentum calumniæ, tum generale, tum speciale.

(8. Habes, et quidem paucis omnes jurisjurandi species, si addas jusjurandum perhorrescentiæ, de quo in additione ad verbum *Judicium* dictum est.

ARTICULUS II.

Juramentum quoad ea quæ concernunt juramentum judiciale.

SUMMARIUM.

1. Juramentum judiciale prout respicit partes litigantes dividitur in juramentum calumniæ, malitiæ et de veritate dicenda. — 2. Juramentum calumniæ quid sit, et cur tale dicatur. *Ad n.* 3. — 4. Calumnia quid sit, tum in causis civilibus, tum in criminalibus. — 5. Juramentum calumniæ præstari debet super quinque capitibus, quæ assignantur. *Ad n.* 6. — 7. Juramentum malitiæ quid sit : et quæ ejus differentia a juramento calumniæ. *Ad n.* 8. — 9. Juramentum de veritate dicenda quid sit : et in quo differat, aut conveniat cum juramento calumniæ. *Ad n.* 11. — 12. Juramentum judiciale prout respicit decisionem causarum dividitur in juramentum decisorium litis, et in juramentum in litem : et quid sit utrumque. *Ad n.* 13. — 14. Juramentum decisorium litis triplex est, et assignatur, et explicatur. *Ad n.* 17. — 18. Juramentum in litem est quoque triplex, et assignatur. *Ad num.* 21. — 22. Ad jura-

Digitized by Google

mentum litis decisorium tum judiciale, tum voluntarium, tum necessarium, quid requiratur. *Ad n.* 25. — 26. Juramentum necessarium, sive suppletorium cui deferendum. *Ad n.* 30. — 31. Prædicta tria juramenta, an, quando, et ex quibus causis possint recusari. *Ad n.* 36. — 37. Pueri an sint admittendi, aut cogendi ad jurandum in judicio. *Ad n.* 38. — 39. Assignantur qui repellendi aut admittendi sint ad jurandum. *Ad n.* 44. — 45. Ex addit. ex aliena manu plura de juram. suppletorio subnectuntur. *Ad n.* 62. — 63. Juramentum purgatorium quid sit, et quando hujus præstationi locus detur : quidve amplius notandum. *Ad n.* 68.

(1. Juramentum judiciale, prout respicit partes litigantes, dividitur in *juramentum calumniæ*, *juramentum malitiæ*, et *juramentum de veritate dicenda. Ita in re communis.*

(2. Juramentum *calumniæ* est illud quo partes litigantes jurant, quod in judicio, tam agendo quam excipiendo, et defendendo absque fraude et calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint, id est juramentum *calumniæ* est illud quod in principio litis, vel postea, alterutra parte exigente, necessario judex deferre debet; actori quidem, *ut juret non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere;* reo vero, ut juret, quod putat, *se bona instantia uti ad reluctandum*, id est, resistere actori, existimando se jus habere, ut habetur in l. II, in princip. Cod. De jurejurando propter calumniam.

(3. Et hoc dicitur *juramentum calumniæ*, subintelligendo *evitandæ in causis*, sicuti communiter cum Glossa in cap. *Si de calumnia* 1, de juramento calumniæ in 6, verb. *Calumnia*, exponitur illud Apostoli I ad Corinth. VII : *Propter fornicationem*, scilicet evitandam, *unusquisque suam habeat uxorem.*

(4. Calumnia enim, de qua evitanda hoc juramentum præstatur, seu calumniari in causis civilibus est per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare, l. *Si calumnietur* 233, *in princ.* ff. de verb. signif; ubi dicitur, quod *Calumniatores appellati sunt qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus.* Calumniari autem in causis criminalibus, nihil aliud est quam falsa crimina intentare : l. 1, § 1, ff. ad S. C. Turpillianum.

(5. *Juramentum calumniæ* præstari debet super quinque capitibus, ut tradit Glossa communiter recepta, in cap. *Inhærentes* 1, de juramento calumniæ, verb. *Calumniæ juramentum*, ubi sic expresse habet : « In juramento calumniæ quinque capitula continentur : scilicet quod credat se bonam causam habere, interrogatus non negabit, quod verum esse credit, nec utetur scienter falsa probatione, et quod dilationem non petat in fraudem, nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittit aliquid pro hac causa, nisi illis personis quibus leges dare permittunt ; » et ibi hæc quinque his versibus comprehendit.

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur.
Et si quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

(6. Ubi, ut vides, in juramento calumniæ debet quis jurare : Primo, quod credat se justam causam habere, et fovere bonum jus, l. II Cod. de jurejurando propter calumniam. Secundo, quod in judicio interrogatus veritatem respondebit super omnibus. Glossa loc. cit. Tertio, quod nihil promiserit, dederit, seu daturus sit per se, vel per alios causa patrocinii judicibus, aliisve personis, exceptis iis quæ propriis advocatis aliisque personis, quibus a jure dari permittitur : authent. *Principales*, cod. de jurejurando propter calumniam. Quarto, quod non utetur scienter falsa probatione : authent. *In isto juramento*, cod. eod. Quinto, quod nullam petat calumniosam dilationem, neque probationem superfluam exigat ab adversario in fraudem, sive animo protrahendi seu differendi litem et causam, l. I, authent. *In isto juramento*, cod. eod.

(7. Juramentum malitiæ est illud quod præstatur non super tota causa, sed super exceptionibus, vel aliis singularibus articulis, sive ante, sive post litem contestatam, quoties est præsumptio contra partem litigantem, quod malitiose proponat exceptionem, quod petat dilationem, et hujusmodi. *Est in re communis :* arg. c. *Pastoralis* 4, de exceptionibus, et c. *Ultra tertiam* 55, de testibus, et desumitur clare ex cap. *In appellationis caus.* 2, de juramento calumniæ in 6, § *In omnibus autem causis*, et Glossa ibid ; verb. *Malitiæ.*

(8. Juramentum malitiæ differt multipliciter a juramento calumniæ. Primo, quia juramentum malitiæ potest exigi, tam ante quam post litem contestatam, cit. cap. *In appellationis causa* 2, de juramento calumniæ in 6, § *In omnibus autem causis.* Juramentum autem calumniæ exigi potest tantum post litem contestatam, arg. cap. *Si de calumnia* 1, de juramento calumniæ in 6. Secundo, juramentum malitiæ potest exigi toties quoties aliquid malitiose dici vel fieri præsumitur, cit. cap. *In appellationis causa*, § *In omnibus autem causis.* Juramentum vero calumniæ in eadem instantia, et ab eadem persona, non nisi semel præstandum est, authent. *De iis qui ingrediuntur*, § fin., collat. 5, et authent. *In isto juramento*, Cod. de jurejurando propter calumniam, ubi expresse prohibetur : *Ne sæpius juretur in causa.* Et concordant cap. *Si Christus* 26, de jurejurando, et cap. 2, de probat. Tertio, juramentum malitiæ exigitur solum super aliquibus particularibus, super quibus adest præsumptio, quod aliquid malitiose proponatur, vel petatur ex citatis juribus sub num. 7. Juramentum autem calumniæ exigitur super tota causa seu lite, authent. *Hoc Sacramentum*, cod. de juramento calumniæ. Quarto, juramentum malitiæ fuit semper præstitum, tam de jure antiquo quam novo, nedum in causis profanis et civilibus, sed etiam in ecclesiasticis et spiritualibus, ut patet in cap. *Cum Dilectus* 32. de electione, et cap. *Litteras* 13, de restitutione spoliator. Juramentum vero calumniæ olim dabatur solum in causis pro-

Digitized by Google

fanis et civilibus, et non in causis ecclesiasticis et spiritualibus, et in istis præstatur solum de jure novo, ut expresse habetur in c. *Si de calumnia* 1, de juramento calumniæ in 6, § *Quamvis in causis spiritualibus.*

(9. Juramentum de veritate dicenda est illud quod præstatur super scientia seu veritate quam quis scit dicenda. Hinc juramentum hoc stricte et rigorose loquendo cadit solum super scientiam (atque explicatur per verbum *Scio*), et non mere super credulitatem. Unde in rigore juris jurans de veritate dicenda non tenetur respondere, nisi id quod vere scit et novit per proprios sensus, arg. c. *Hortamur* 20, caus. 3, quæst. 9, ut patet clare de testibus, qui regulariter non probant, nisi deponant de scientia, sive de iis quæ propriis sensibus perceperunt, textu expresso in c. *Testes* 15, caus. 3, q. 9.

(10. Juramentum de veritate dicenda, et juramentum calumniæ, partim conveniunt, et partim differunt. Conveniunt primo, quia utrumque potest exigi ac præstari tam in exordio litis quam in qualibet ejus parte, textu expresso in c. *Si de calumnia seu veritate dicenda* 1, de juramento calumniæ, § 1, in 6. Secundo, conveniunt, quia utrumque etiam in causis spiritualibus est nunc de facto præstandum, cit. cap. *Si de calumnia, § fin.* Quamvis olim in causis spiritualibus non fuerit præstandum juramentum calumniæ, textu expresso in cap. *Litteras* 2, de juramento calumniæ. Tertio conveniunt, quia in causa appellationis, tam de veritate dicenda quam de calumnia jurari debet, non obstante quod a principio taliter juratum fuerit, textu expresso in capit. *In Appellationis causa* 2, § 1, de juramento calumniæ in 6.

(11. Differunt vero, primo, quia juramentum calumniæ est juramentum credulitatis, quo quis jurat se credere, quod bonum jus foveat. Unde explicari solet per verbum *Credo*. Juramentum autem de veritate dicenda est juramentum de scientia seu de veritate, quam quis scit, dicendo, atque fit per verbum *Scio*. Hic juvat, et valde utile et expediens est præter juramentum calumniæ exigere a parte adversa etiam juramentum de veritate dicenda, sicuti de facto utrumque simul conjungitur, et exigitur in cit. c. *In appellationis causa* 2, de juramento calumniæ in 6; Pirhing lib. II Decretal., tit. 7, n. 28; Reiffenstuel ib., n. 14, et alii. Secundo differunt, quia juramentum calumniæ, cum feratur super tota causa, respicit multa capitula juxta dicta et adducta supra sub num. 5 et 6. Juramentum autem de veritate dicenda respicit unum solum capitulum, scilicet illud super quo exigitur et præstatur, quodque a jurante scitur juxta dicta et adducta supra num. 9. Tertio differunt, quia juramentum de veritate dicenda est species juramenti ut sic. Non sic tamen juramentum calumniæ. Ancharanus in cap. *In appellationis causa* 2, de juramento calumniæ in 6, n. 4; Reiffenstuel. loc. c., n. 14, et alii.

(12. Juramentum *judiciale*, prout respicit decisionem causarum, dividitur in juramentum *decisorium litis*, et juramentum *in litem. Communis.* (13. *Juramentum decisorium litis* est illud per quod deciditur lis principalis; juramentum *in litem* est illud per quod deciditur æstimatio rei. *Est in re communis.*

(14. Juramentum litis decisorium est triplex, scilicet voluntarium, judiciale, et necessarium. *Communis.* (15. *Juramentum voluntarium seu conventionale* est illud quod voluntarie seu ex mera conventione partium extra judicium defertur sub eo pacto quod, si una pars litigans, cui illud ab altera parte defertur confisa de justitia suæ causæ juraverit, absque alio processu causam obtineat; arg. l. *Jusjurandum quod* 17, ff. hoc. tit.; ubi sic habetur: « Jusjurandum quod ex conventione extra judicium defertur, » etc. (16. Juramentum judiciale seu juramentum *judiciale* specifice sumptum est illud quod a parte parti defertur in judicio judice approbante, et tunc illa pars cui defertur tenetur vel jurare, vel parti deferenti juramentum referre, alioquin causam perdet, seu solvere tenebitur, cap. *Cum causam* 7, de juramento calumniæ, et l. *Jusjurandum* 34, § *Datur autem*, ff. eod. (17. *Juramentum necessarium seu juramentum suppletorium* est illud quod per judicem alterutri parti ob defectum plenæ probationis, sive in ejus supplementum defertur, cap. *Sicut* 2, de probationibus, ubi Glossa verb. *Cum aliæ*, Fagnan. num. 5, Barbosa num. 4, et alii passim. Dicitur autem *necessarium*, partim quia judex quandoque illud deferre cogitur, et partim quia delatum sine justa causa recusari non potest: cit. cap. *Cum causam* 7, de juramento calumniæ, et l. *Generaliter* 12, § *Sin autem*, cod. de reb. cred. et jurejurand.

(18. Juramentum *in litem* est quoque triplex, scilicet juramentum in litem ex veritate, juramentum in litem de affectione, et juramentum in litem de interesse. *Communis.* (19. Juramentum *in litem de veritate* seu vera æstimatione est illud quod defertur spoliato aut damnum passo super vera æstimatione seu valore rei per vim aut dolum alterius amissæ, quando alia probatio haberi non potest, l. *In actionibus* 5, § *Sed et in his*, ff. De in litem jurando. Si quis enim, verbi gratia, legitime probaverit violentiam sibi factam, nec tamen singula ablata liquido probare valeat, eo quod difficile sit probare singulas minutas quantitates seu parvas res ab hoc sibi ablatas fuisse, tunc judex inspecta personarum et negotii qualitate, debet damnum illatum taxare, et postea damnum passo juramentum super rebus sibi ablatis, earumque valore deferre, quod videlicet tantum, et non minus, ablatum fuerit; et in tali casu erit standum ejus juramento usque ad quantitatem taxatam, textu expresso in l. *Si quando* 9, cod. Unde vi, et cap. *Super eo* 7, de iis quæ vi metusve causa fiunt.

(20. Juramentum *in litem de affectione* est

Digitized by Google

illud quod defertur spoliato aut damnum passo, non tantum super vera æstimatione seu valore rei sibi dolo ablatæ vel destructæ, sed etiam quantum res illa valebat juxta suam affectionem. Si quis enim, verbi gratia, mihi abstulerit aut destruxerit codicem, seu librum valentem communi æstimatione quinque scuta, et ego non dedissem pro decem scutis, eo quia mihi charissimus erat ob singulares annotationes magno meo labore in ipso conscriptas, tunc judex in pœnam dolose aut contumaciter restituere recusantis potest mihi injuste spoliato deferre juramentum, quo juxta etiam meam privatam affectionem erga talem codicem seu librum illum sic æstimem et jurem, quod illum nec dedissem pro decem scutis, et inde judex si non prius taxavit, potest ipsum taxare, et juxta communem æstimationem, et privatam meam limitatam et rationabilem affectionem, l. *Videamus* 4, § *Deferre*, et § *Item videndum*, ff. De in litem jurando, et ibi Glossa verb. *Ex magna causa*, vers. *Tu dicas*.

(21. Juramentum *in litem de interesse* est illud quod defertur et præstatur super interesse singulari et extra rem. Si quis enim, verbi gratia, pecuniam penes me deposuerit tali tempore restituendam, et ego dolose pro tali tempore non restituerim, et ideo ipse grave damnum sit passus, ex quo defectu talis non restitutæ pecuniæ perdiderit pignora sub usuris, vel fuerit coactus emere merces interim pretio adauctas, tunc judex propter meam dolosam et culpabilem dilationem restituendi pecuniam, potest deferre depositori juramentum in litem de suo interesse singulari extra rem, scilicet, ut ipse juret in litem secundum æstimationem damni quod passus est ratione meæ dilatæ culpabiliter et dolose ultra conventum tempus restitutionis talis pecuniæ, et hujusmodi : l. *Nummis* 3, § *Nisi forte*, ff. De in litem jurando.

(22. Ad juramentum litis decisorium ejusque delationem requiritur quod lis existat dubia, nec alio modo legitimo de veritate constare possit. *Communis*, textu expresso in cap. *Sicut* 2, de probationibus, ubi reprobatur etiam consuetudo in contrarium ibi ; « Nos (cum tunc demum ad hujusmodi, *scilicet juramenti*, sit suffragium recurrendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur) talem consuetudinem reprobamus. »

(23. Ad juramentum litis decisorium voluntarium seu conventionale requiruntur et sufficiunt ea quæ requiruntur et sufficiunt ad pactum seu transactionem ut sic, id est, ut tam deferens quam præstans juramentum a jure non prohibeantur, nec simpliciter, nec super tali re jurare seu transigere ; juramentum enim voluntarium seu conventionale speciem continet transactionis, l. II, hoc titulo ; adeoque ad istud sufficiunt ea quæ ad transactionem. *Communis*.

(24. Ad juramentum litis decisorium judiciale, seu quod pars parti defert in judicio, requiritur insuper quod, causa cognita, sit a judice approbatum ; l. *in bonæ fidei*, cod. De rebus creditis, et l. *Generaliter*, § *Sed juramentum*, cod. eod., ubi sic expresse habetur : *Sed juramento illato cum hoc a partibus factum fuerit et a judice approbatum*.

(25. Ad juramentum necessarium, seu suppletorium plura copulative requiruntur. Primo, ut causa sit dubia, nec aliæ possint haberi legitimæ probationes : cit. c. *Sicut* 2, de probationibus. Si enim actor plene probavit, reus est condemnandus, nec tunc est locus juramento suppletorio, cit. c. *Sicut* 2, et cap. *In præsentia* 8, de probationibus. Secundo quod causa sit saltem semiplene probata. Si enim actor nihil probavit, absolvendus est reus ; etiamsi is nihil præstiterit : l. *Qui accusare*, cod. De edendo, et cap. *Cum Ecclesia*, § fin., de causa possess. Unde nec opus est quod tunc reus juret. *Communis*, cum Glossa in cit. l. *In bonæ fidei*, verb. *Decidi*, cod. de rebus credit. Tertio, quod deferatur solum personæ habenti veram scientiam causæ per proprios sensus corporeos, arg. c. *Testes* 15, caus. 3, qu. 9, et l. *Testium*, cod. de testibus ; Glossa in l. *Bonæ fidei*, verb. *Decidi*, ff. de rebus credit. Quarto quod deferatur solum personæ legali, id est honestæ et fide dignæ, non autem vili, infami, seu tali, quæ secundum leges a ferendo testimonio repellatur : arg. cap. *Nulli* 3, quæst. 4 ; cap. *Constituimus* 3, quæst. 5 ; cap. *Testes* 2, quæst. 7 ; cap. *Præterea* 7, de testibus cogend., cum similibus.

(26. Juramentum necessarium, seu suppletorium, cæteris paribus, est potius deferendum reo quam actori. Glossa in l. *Admonendi*, verb. *Exacto jurejurando*, ff. de jurejurando ; Speculator tit. de juramenti delatione, num. 9 ; Abbas in cap. *Juramenta* 36, de jurejurando, § *Sane* num. 9 ; Barbosa ibid., num. 6 ; Reiffenstuel lib. II Decretal., tit. 24, num. 191 ; Mascardus de probat., q. procem. 7, num. 53 ; Menochius de arbitr. Judic., l. II, cas. 190, n. 19, et alii passim, innixi cit. c. *Juramenta* 36, de jurejurando, § *Sane*, ubi sic dicitur : « Præsumptione vero faciente pro illo (scilicet pro actore, ut explicat Glossa) reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum, nisi judex (inspectis personarum et causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum. » Quibus verbis, ut vides, statuitur juramentum esse potius cæteris paribus deferendum reo quam actori ; hic autem cætera supponuntur esse paria, cum supponatur, et quod actor semiplene probaverit suam intentionem, et reus suam defensionem, et sit æqualis conditio, atque legalitas utriusque, adeoque cæteris paribus reo potius quam actori est deferendum juramentum, favente etiam regula undecima juris in 6, ubi sic expresse statuitur ; *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*, et l. *Favorabiliores*, ff. de regulis juris, ubi sic dici-

Digitized by Google

tur : *Favorabiliores rei potius quam actores habentur.*

(27. Si actor semiplene probaverit, reus autem nihil præstiterit, et sint ambo æque legales, tunc juramentum est actori, et non reo deferendum. Jason in repetit. l. *Admonendi*, n. 314, ff. de jurejur. ; Menochius lib. II de Arbitr. Judic., cas. 119, n. 19 et 20; Pirhing. lib. II Decret., tit. 24, num. 90; Reiffenstuel ibid., n. 195; Fachineus lib. I Controvers. jur., cap. 18, et alii. Et ratio est, quia cum reus, ut supponitur, nihil ad suam defensionem præstiterit, sed solum verbis, actoris intentionem negaverit, actor vero ipsam suam intentionem semiplene probaverit, judex debet induci ad opinandum melius, et potius esse jus ipsius actoris quam rei. Unde cum reum absolvere non possit nec debeat, ex quo per semiplenam probationem actoris contra ipsum sit pene convictus; neque ipsum reum simpliciter condemnare possit et debeat, ex quo actoris intentio non est plene, sed solum semiplene probata; debet judex ex probationis inopia causam jurejurando actoris decidere, textu expresso l. *In bonæ fidei* 3, cod. de rebus creditis, ibi : « In bonæ fidei contractibus, nec non et in cæteris causis, inopia probationum, per judicem jurejurando causa cognita res decidi oportet. »

(28. Si non omnia sint paria ex parte actoris et rei, relinquitur judici, ut exacte, perpensis personarum et causæ circumstantiis, cuinam parti juramentum deferre debeat, prudenter resolvat, arg. cap. *Juramenta* 36, de jurejurando § *Sane*, Glossa ib. verb. *in probatione;* Abbas ib., n. 9; Joann. num. 6; Reiffenst. loc. cit., n. 197, et alii Andr., passim.

(29. Quando actor plene probavit suam intentionem, reus est condemnandus, nec tunc est locus juramento suppletorio, cap. *Sicut* 2, et cap. *In præsentia* 8, de probationibus; *et communis doctorum.* (30. Quando autem actor nihil probavit, absolvendus est reus, etiamsi is nihil præstiterit, nec tunc opus est ut reus juret : l. *Qui accusare*, cod. de edendo, c. *Cum Ecclesia* 3, § fin., de causa possess., et cap. *Juramenta* 36, § *Sane*, de jurejurando, ubi sic præcise statuitur : *Sane si actor omnino in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere.* Et in ejus summario sic dicitur : *Actore nihil probante, reus est absque omni onere absolvendus.* Sic doctores communiter.

(31. Juramentum litis decisorium voluntarium libere potest recusari, adeo ut nec sit opus illud referre alteri parti Glossa in l. *Jusjurandum quod ex conventione*, ff. de jurejurando, verb. *Non potest;* Jason ib., n. 1; Abbas in cit. c. *Juramenta*, n. 1; Reiffenstuel lib. II Decr., tit. 24, n. 221; Vallensis de Jurejurando, § 5, n. 1, et alii passim. (32. Tale enim juramentum, cum sit omnimode voluntarium, nequit deferri, nec referri in invitum, arg. l. I, II et III, de jurejur. Nisi forte inter partes jam fuerit conventum quod una earum determinate juret; tunc enim ab ea præstandum est Juramentum, alias succumbet, adeo ut, si illa nolit postea jurare, sed velit juramentum alteri parti deferre, istud deferre non potest, l. *Jusjurandum quod ex conventione*, ff. de jurejurando, ibi : *Jusjurandum quod ex conventione extra judicium defertur, referri non potest.* Tale enim juramentum extrajudiciale, quamvis a principio sit voluntarium, tamen ex prævia conventione, seu susceptione redditur necessarium, juxta illud vulgatum : *Quod a principio est voluntatis, ex post facto sit necessitatis;* atque patet ex l. *Sicut* cod. de action. et obligat., et l. *In commodato*, § *Sicut*, ff. commodati, et facit regula 85 juris in 6, ibi : *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur;* et sic tenent doctores citati.

(33. Juramentum judiciale, quod, judice approbante, a parte parti refertur, nequit libere recusari, sed pars cui delatum est debet, aut jurare, aut juramentum referre, aut solvere : l. *Jusjurandum* 34, § *Ait prætor*, ff. de jurejur. ibi : *Ait prætor eum a quo jusjurandum petetur, solvere, aut jurare cogam. Alterum itaque eligat reus, aut solvat, aut juret..... Datur autem et alia facultas reo, ut, si jurabit, referat jusjurandum :* et concordat l. *Generaliter*, § *Sin autem*, cod. de rebus credit. et l. *Delata*, cod. eod. Et ratio est, quia, ut expresse dicitur in l. *Manifestæ* 38, ff. de jurejurando, *Manifestæ turpitudinis est et confessionis nolle nec jurare, nec juramentum referre* : Et sic tenet Glossa communiter recepta in c. *Juramenta* 36; de jurejurando, verb. *A te.*

(34. Excipitur tamen actio famosa, ut est actio furti, et hujusmodi. Nam conventus actione famosa non potest hujusmodi juramentum referre, textu expresso in cit. c. *Juramenta* 36, de jurejurando, § 1, ibi : *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum* et concordat l. *Marcellus*, § final., ff. De action. rerum amotar., et l. *Ideo Labeo*, ff. eodem. Et ratio est clara, quia conventus actione famosa, verbi gratia, quod gemmam vel annulum abstulerit, melius præsumitur scire veritatem quam actor gemmam seu annulum hujusmodi repetens. Unde juremerito taliter conventus non permittitur juramentum sibi ab actore delatum eidem referre, cum talis reus certo sciat an gemmam seu annulum alteri abstulerit, quod actor tam certo scire non potest, cum dentur gemmæ et annuli multum sibi similes, adeoque non posset adeo certa et tuta conscientia jurare; et sic dicendum venit de conventis super aliis criminibus infamiam irrogantibus; melius enim ipsi præsumuntur scire veritatem, scilicet, an commiserint illa crimina nec ne? quam actores seu accusatores eorum.

(35. Juramentum litis decisorium necessarium, seu a judice parti delatum, sine justa causa recusari non potest, nec etiam alteri parti referre, et si secus fiat, tunc illud recusans habetur pro convicto c. *Juramenta* 36, de jurejurando, et l. *Generali-*

Digitized by Google

ter 12, § *Sin autem*, cod. De rebus creditis. *Est communissima.*

(36. Justæ autem causæ recusandi juramentum necessarium, vel etiam judiciale a judice approbatum, plures a doctoribus assignantur. Prima justa causa est, si actor plene probavit suam intentionem; tunc enim potest is recusare juramentum sibi ulterius oblatum, sive a parte, sive a judice, non enim potest amplius compelli jurare : c. *Sicut* 2, et c. *In præsentia* 7, de probationibus. Secunda est, si actor nihil probavit, nequidem semiplene; tunc enim reus nequit cogi ad jurandum quamvis actor se obtulerit ad standum ejus juramento : l. *Qui accusare*, cod. de edendo; c. *Cum ecclesia* 3, § fin., de causa possess., et c. *Juramenta* 30, § *Sane*, de jurejurando. Tertia est, si is cui defertur vel refertur ejusmodi juramentum, veritatis ac rei gestæ est ignarus, vel probabilem ejus oblivionem aut ignorantiam allegat : l. *Jusjurandum*, § 1, ff. de jurejurando; l. *Marcellus* § *Qui rerum*, ff. de action. rerum amotar.; Glossa in cap. *Juramenta*, verb. *Nisi justa de causa.* Quarta est, si materia vel causa sit talis, quod super ipsa nequeat deferri seu referri juramentum : tunc enim juramentum merito potest recusari, ut, verbi gratia, in materiis, et causis arduis et magni momenti vel præjudicii, in quibus ob avaritiam hominum magis urget periculum perjurii, gravisque præjudicii proximo injuste inferendi. Sic tenent communiter doctores, cum Pirhing lib. II Decretal., tit. 24, num. 96; Reiffenstuel ibidem, num. 186 et 232. Quinta est, si causa sit criminalis, et agatur criminaliter ad vindictam publicam : tunc enim potest recusari juramentum suppletorium, quia in tali causa probationes debent esse luce meridiana clariores : l. ultim. Cod de probationibus, et necesse est ut reus confessus vel convictus sit, ut condemnari possit : l. *Qui sententiam* 16, cod. de pœnis. Sexta, si actiones vel personæ sint tales quæ coram tali judice tractari seu conveniri non possint : tunc enim potest recusari juramentum, quia non cogitur quis ibi jurare ubi non potest conveniri : l. *Tutor*, § fin., ff. de jurejurando. Septima est, si persona cui defertur juramentum non teneatur jurare, ut pupillus, procurator, ac defensor rerum alienarum : isti enim non possunt compelli ad jurandum : leg. *Jusjurandum*, § *Pupillo*, ff. de Jurejurando. Octava est si persona deferens prohibeatur alteri deferre juramentum, ut procurator non habens ad hoc speciale mandatum, vel generale mandatum cum libera et plena facultate : l. *Jusjurandum quod ex conventione*, § fin., de Jurejurando. Item prodigus, et furiosus cum similibus : l. *Tutor*, § *Prodigus*, ff. de jurejurando.

(37. Quamvis omnes homines rationis usu præditi ex natura rei sint capaces juramenti edendi, etiamsi pueri ante pubertatem, prout constat ex c. *Pueris* 1, de delictis puerorum, ubi habetur pueros ante quartumdecimum annum perjuros esse posse, tamen pueri ante tatem 14 annum, seu ante pubertatem non sunt cogendi ad jurandum in judicio, textu expresso in c. *Parvuli* 13, et c. *Pueris* 5, caus. 22, q. 5, quia, ut dicit sanct. Thomas 2, 2, quæst. 80; art. 10, in corpore, quia nondum habent perfectum usum rationis, quo possint cum reverentia debita juramentum præstare. (38. Imo ad jurandum in judicio ante talem annum non sunt admittendi, quia nondum tantam rationis discretionem habere censentur, ut eorum juramentum cum partis litigantis præjudicio recipi debeat. Layman Theol. Moral., lib. IV, tract. 3, c. 12, n. 3; Sanch. lib. III, in decalog., c. 3, n. 6; Pirhing lib. II, Decretal., tit. 14, n. 21, et alii passim, arg. l. III, § *Lege Julia*, ff. de festibus, et similibus.

(39. Perjuri ad jurandum in judicio non admittuntur, cit. cap. *Parvuli* 14, caus. 22, q. 5, et tenet *communis doctorum*, quia, cum semel pejerasse constet periculum et suspicio est eos iterum esse pejeraturos. (40. Item ad jurandum in judicio non admittuntur infames infamia juris vel facti, usurarii, Judæi, inimici capitales, pauperes suspecti de perjurio, nec ulli alii qui ratione maculæ, seu vitii, aut defectus repelluntur a testificando; arg. c. *Nulli* 3, q. 4; cap. *Constituimus* 3, q. 5; cap. *Testes* 2, q. 7; cap. *Prætarea* 8, de testibus cogend. cum similibus; et concordat textus in lege Julia ff. de testibus, cum similibus. Vide verb. *Testes.* (41. Supradicti autem admittendi non sunt in judicio solum ad juramentum, quod ad honorem, vel favorem jurantis spectat, ut est juramentum purgationis vel probationis supplendæ, vel etiam testimonii ferendi. Juramenta autem quæ potius oneris sunt quam honoris, uti est juramentum calumniæ, et fidelitatis, et hujusmodi, etiam perjuri et alii infames præstare debent, et hoc *ne videantur de sua malitia commodum reportare*, ut de aliis dicitur in cap. *Intelleximus* 7, de judiciis. Sic Glossa in citat. cap. *Parvuli* 14, caus. 22, q. 5, verb. *Causa;* Sanchez lib. III, cit. cap. 2, n. 5; Layman loc. cit., num. 3; Pirhing. loc. cit., n. 23, et alii passim.

(42. Sacerdotes in levi causa non debent compelli ad jurandum in judicio, c. *Si quis presbyter* 4, caus. 2, q. 4, ubi expresse dicitur : *Sacerdotes ex levi causa jurare non debent.* (43. In casu tamen necessitatis vel magnæ utilitatis, verbi gratia, ad sui purgationem, vel ad probandam alterius innocentiam, vel ad tuenda sua, vel ecclesiæ suæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter lædi vel perdi possent; item pro fide, pace, obedientia, absolutione a vinculo excommunicationis, possunt jurare etiam sacerdotes, ac religiosi. S. Thomas 2, 2, qu. 89, art. 10; Silvester verb. *Juramentum* 2, q. 3; Azorius part. I, lib. XI, cap. 11, quæst. 6; Sanchez loc. c., n. 7; Pirhing lib. II Decretal., tit. 24, num. 22; Reiffenstuel ibidem, n. 23, et communis aliorum; idque desumitur ex c. *Significasti* 4, de election.; cap. *Ad reprimemdam* 8, de offic. ordinar.; et habetur expresse decisum in c. *Etsi Christus* 26, de jurejurando, ubi Summus Pontifex Innocentius III solvit etiam contraria, ob quæ aliqui

Digitized by Google

religiosi, veluti vitæ perfectioris æmulatores, jurare timuerunt, in judicio pro causis suæ ecclesiæ; et in ejus Summario sic præcise dicitur: *Licite ex causa necessaria etiam per religiosos juratur.* Tum quia Clerici in causis suarum ecclesiarum, imo et in propriis suis causis præstare possunt juramentum calumniæ, c. *Inhærentes* 1, c. *Cæterum* 5, de juramento calumniæ. Quinimo in jure ipso canonico est expresse statutum quod non credatur testi, quamvis religioso, nisi juratus deponat, cap. *Nuper* 51, de testibus, ibi: *Respondemus quod nullius testimonio quantumcunque religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in alterius præjudicium debet credi*, et in ejus summario sic dicitur: *Non creditur testi etiam religioso qui sine juramento deponit.*

(44. Quamvis autem clerici, sive religiosi, etiam sacerdotes, exigente necessitate, possint juramentum præstare voluntarium coram laico, arg. cap. *Ex rescripto* 9, de jurejurando, et cap. *Pervenit* 2, de fidejussoribus, non debent tamen nec possunt jurare coram laico, tanquam superiore suo exigente ab ipsis juramentum coactivum sive necessarium sine licentia sui Prælati, cap. *Quoties* 21, caus. 22, quæst. 5, ibi: *Juramentum vero clericus laico præstare non debet;* et cap. *Nullus* 22, ead. caus. et quæst. ibi: *Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidpiam super sacra evangelia jurare præsumat;* et cap. *in Inhærentes* 1, de juramento calumniæ, ubi Summus Pontifex Honorius III, postquam adduxit statutum seu constitutionem Henrici imperatoris omnimode prohibentis clericos et religiosos compelli ad jurandum in manibus laicorum, his verbis: « Nos itaque divinæ et humanæ legis intentione servata decernimus, et imperiali auctoritate irretractabiliter definimus, ut non episcopus, non cujuscunque ordinis clericus, non presbyter abbas, non aliquis monachus, vel sanctimonialis, in causa quacunque sive controversia seu criminali seu civili jusjurandum compellatur qualibet ratione subire; sed aliis idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare, » statim subjungit: « Verum cum hac moderatione, ut episcopus inconsulto Romano Pontifice, vel quisque clericus inconsulto prælato suo, minime jurare audeat. » Sic tenent Sanchez lib. III, in Decalog. cap. 3, n. 8; Silvester verb. *Juramentum* 2, q. 3; Layman loc. cit., num. 3; Pirhing loc. cit., n. 22, et alii passim. Vide verb. *Testes*, art. 1, a. n. 106.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Omnes juramenti judicialis species persequi nimium esset. Pauca tantum habebimus de juramento suppletorio, tum de juramento purgatorio.

(45. Suppletorium juramentum non inveteratis nostrorum pragmaticorum erroribus, uti Faber de errorib. Pragmatic., decad. 19, err. 1, blaterat; sed juri civili in leg. 31, ff. de Jurejurando, et in leg. 3, cod. eod. confirmato a jure canonico in cap. 2, de Probationib., originem debet. Consule Seraphin. de Privileg. jurament. Privileg. 33, num. 3.

(46. Est autem juramentum suppletorium, quod a judice causa cognita, vel reo si suam exceptionem, vel actori, si actionem, licet non perfecte, tamen ad minimum semiplene probavit, ad decidendam hanc causam dubiam imponitur, parte etiam non petente.

47. Posita semiplena probatione, de qua adeundus Stryk. jurid. dissert., vol. VII, disp. 1, per tot., requisita juramenti suppletorii commodissime ad tres illos juramentorum comites, *veritatem* scilicet, *judicium*, et *justitiam*, referri possunt.

(48. Requiritur igitur primo *veritas*. Hinc juramentum suppletorium super *credulitate* deferri nequit, ut quidquid contradicat Carpzov. Jurisprud. Fovens., part. x, constit. 23, definit. 8, firmant Esbach. Not. in Carpzov. l. c., n 2; Stryk. de Jur. sensum, in proœmio, num. 39 et seq. Adde Brunem. de process. civil. cap. 23, num. 25. (49. Vide tamen casus in quibus juramentum suppletorium super credulitate deferri potest, apud Bohemer. in Decretal., lib. II, tit. 24, § 72.

(50. Requiritur secundo *judicium*. Hoc desultoriam levitatem in jurando respuit, temeritatemque excludit; e contrario plenam animi deliberationem in jurante exigit, ut cogitationibus negotium accurate perpendat. (51. Oportet igitur jurantem personam esse legalem et fide dignam; quapropter ei contra quem præsumptio est quod falsum dicat juramentum, hoc haud defertur, tametsi semiplenam probationem pro se habeat. (52. Neque hoc remedium juris semel pejeranti, homicidæ, usurario, condemnato actione furti, injuriarum, aliisque infamia juris et facti notatis conceditur.

(53. Requiritur demum *Justitia*, quæ observatur dum judex ad hujus juramenti delationem nonnisi causa cognita devenit.

(54. Pertinet autem potissimum ad hanc causæ cognitionem ut judex probe perpendat an causæ qualitas ita sit comparata, ut supplementum hoc probationis admittat. Quædam enim privilegiatam hanc probationem respuunt, et ordinariam probationem desiderant.

(55. Huc pertinent primo causæ *criminales*. Vide tamen limitationes apud Carpzov. de Process., tit. 12, art. 2, n. 73. (56. Secundo causæ *matrimoniales*. (57. Tertio causæ *famosæ*, in quibus condemnatus evadit infamis.

(58. Quinimo in omnibus actionibus civilibus quæ sunt arduæ, quamvis semiplena probatio facta sit, juramento suppletorio locus haud est. (59. Tales sunt *pecuniariæ graves*, *beneficiales*, *feudales*, *causæ*, *status*, aliæque plures. Confer Minsinger centur. 1; observat. 69; Seraphin. de Privileg. Juram., privil. 33, num. 123 et sequent. (60. Non vero causas hasce haud excludere probationem semiplenam majorem, cum legalitate personæ, pro qua jus præsumit conjunctam, quia tunc demum suppletorium juramentum locum sibi vindicat.

(61. Vide et alios casus in quibus locus

Digitized by Google

haud datur juramento suppletorio apud Stryk. Juridic. dissert., vol. VII, disput. 1, cap. 5, § 8, et potissimum volum. XI, disp. 29, quæ est De causis juramentum suppletorium respuentibus.

(62. Num autem contra juramentum suppletorium jam præstitum probatio contrarii admittatur, non levis quæstio est. affirmant tamen Carpzov., Jurisprud. forens. part. 1, constit. 15, definit. 5; Nicolaus Calvolus in Praxi judiciali, § *Sententia definitiva*, conclus. 1, num. 97.

(63. Deveniamus ad juramentum purgatorium. Hoc judex in causa dubia actori vel reo suspicione, probatione semiplena inferiore gravato, ad eam elidendam imponit, et quidem ex officio.

(64. Quæ autem præsumptiones adesse debeant ut purgatorio huic juramento sit locus, tradunt Lauterbacus, Struvius, aliique ad tit. ff. de jurejurando.

(65. An post hujus jurisjurandi præstationem locus sit probationi contrarii, pariter disputatur, sententiamque affirmativam tenent Setser. de Jurejur., lib. III, cap. 11, num. 45 et seq.; Brunnem. de Proces. civil., cap. 23, num. 38.

(66. Idque non solum si juramentum purgatorium in causa civili præstitum sit, verum etiam si sit præstitum in causa criminali; Mynsiger. Centur. 2, observ. 82, fere per tot.; Tabor. de Confront. disput. 3, thes. 16.

(67. Sequitur hinc quod is qui jure retractus legali uti vult ad elidendam fraudis suspicionem, licet juramento se purgaverit, quod pro se non pro alio retrahat, nihilo tamen minus contra hoc juramentum locus est probationi contrarii : Menoch. de Arbitrar. jud. Quæst., lib. 1, quæst. 76, num. 17; Suarez in Thesaur. recept. opinion, lit. I, num. 313. Alia exempla affert Stryk. Juridic. Dissert. vol. VII, disput. 28, cap. 6, § 7.

(68. Omittendum haud est diversum ab hoc purgatorio juramento esse juramentum de veritate dicenda, quod nonnullis in tribunalibus reis indistincte deferebatur ex consuetudine potius quam ex jure. Quocirca prohibitio facta a concilio Romano tit. 13, cap. 62, hujus juramenti de veritate dicenda, non cadit super juramento purgatorio.

ARTICULUS III.

Juramentum promissorium quod ad ea, quæ concernunt ejus interpretationem, obligationem, irritationem, dispensationem, et relaxationem, seu remissionem.

SUMMARIUM.

1. Juramentum in dubio est stricte interpretandum. — 2. Juramentum bona fide et sine dolo generaliter præstitum quomodo interpretandum. *Ad num.* 3. — 4. Juramentum præstitum circa materiam juris quomodo interpretandum. — 5. In omni juramento promissorio quamvis absolute facto, quæ tacite subintelliguntur conditiones, quæ assignantur. *Ad num.* 10. — 11. Juramentum servandi statuta edita alicujus ecclesiæ, capituli, collegii, communitatis, civitatis, provinciæ, seu regni quomodo interpretandum. *Ad num.* 14. — 15. Juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam, vel inhonestam, an obliget, vel non. *Ad num.* 16. — 17. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, vel de re indifferenti an obliget. — 18. Juramentum factum homini, aut ecclesiæ, vel alicui communitati de re honesta et licita, an obliget, et an possit solo jurantis arbitrio commutari. *Ad num.* 19. — 20. Juramentum promissorium, gravi, et injusto metu extortum an obliget. — 21. Obligatio juramenti, an, et quando transeat ad hæredes vel successores. *Ad num.* 24. — 25. Juramenta quocunque modo facta a quo irritanda, seu annullanda. *Ad num.* 34. — 35. Relaxare juramenta, sive directe, sive indirecte ad quos spectet. *Ad num.* 37. — 38. Quatenus juramentum actibus invalidis adjectum vigorem in praxi habeat. *Ad num.* 53. — 54. An ex tali juramento hodie detur actio : alia ad rem. Vide v. *Votum.* — Subnectuntur additiones Casinenses plusquam 90 num. comprehensæ. Ponitur in fine formula juramenti quod ab episcopis ante consecrationem Romano Pontifici præstatur prout in Pontificali R. continetur, ubi nonnulla ad rem.

(1. Juramentum in dubio est stricte interpretandum, tum propter gravem, quam in se continet religionis obligationem, tum propter perjurii periculum, adeoque illud, quod palam verbis expressum non est, censetur omissum : l. *Quidquid astringendæ*, ff. de verbor. obligat. ibi : « Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est, aut certe secundum promissorem interpretandum. » Et hoc colligitur etiam ex cap. *Cum Clerici* 10, de verbor. signific., ubi juramentum a quopiam editum stricte per innocentium III Summum Pontificem interpretatur; et concordat cap. *Contingit* 1, de jurejurando in 6. Et ratio est, quia, ubi agitur de inducenda obligatione, utpote quid odiosum, debet fieri stricta interpretatio : cap. *Odia* 15, de regulis juris in 6, ibi : *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Et sic tenent communiter doctores.

(2. Juramentum bona fide et sine dolo generaliter præstitum est interpretandum secundum intentionem jurantis, neque extendendum est ad incognita, seu ad ea de quibus jurans in specie non cogitavit, et si menti occurrisset, verisimiliter non promisisset, sed excepisset; arg. cap. *Veniens* 16, de jurejurando, ubi Innocentius III Summus Pontifex definivit non esse servandum quoddam juramentum, quia juraus *nequaquam taliter jurasset, si mandatum illud sibi contrarium præscivisset.* Et ita docent Glossa ibidem verb. *Præscivisset;* Abbas ibidem, num. 4; Joann. Andr. num. 9; Barbosa num. 4; et alii canonistæ communiter; Pirhing lib. II decretal., tit. 24, n. 109; Reiffenstuel ibid., n. 44, et S. Thomas 2. 2., quæst. 98, art. 2 ad 3, ubi docet quod si quis, verbi gratia, juravit se alteri in omnibus pariturum, tale juramentum est interpretandum, dummodo non illicita, vel importabilia, et immoderata, et statui suo obstantia, seu contraria ei præcipiat : arg. cap. *Contingit* 1, § final., de jurejurando in 6, quia in generali promissione non veniunt ea quæ quis verisimiliter in specie non promisisset aut promittere non potuisset : arg.

Digitized by Google

cap. *In generali* 81, de regulis juris in 6, ibi : *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

(3. Si autem jurans dolose præstitit juramentum sub verbis æquivocis ad decipiendum eum cui juravit, tunc juramentum est interpretandum, et obligat juxta intentionem recipientis, id est juxta sanum intellectum illius cui juratur : cap. *Quacunque* 9, caus. 22, qu. 5, ibi : « Quacunque arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicuti ille cui juratur intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia, et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit. » Et sic tenent S. Thomas 2, 2, quæst. 89, art. 7 ad 4; Angelus verb. *Juramentum* 4, num. 1; Navarrus cap. 12, Manual., num. 3; Reiffenstuel loc. cit., num. 48; Sanchez lib. III, in Decalog. cap. 10, num. 4, et num. 12, 13 et 14; Covarruvias in cap. *Quamvis*, de pactis in 6, part. I, § 5, n. 1 et 2, et alii passim. Et ratio est quia *Fraus et dolus alicui patrocinari non debent*, cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, de rescriptis; cap. *Ex litteris* 2, de dolo et contumacia; cap. *Tuæ* 12, de clericis non residentibus, et l. *in fundo*, ff. de rei vind.; l. *Cum hi*, ff. de transact., et in l. *Si legatarius*, cod. de legatis, ibi : *Ut non accipiat fructus suæ calliditatis.*

(4. Juramentum præstitum circa materiam juris, id est, circa illa de quibus jus aliquid disponit (est interpretandum secundum dispositionem juris, nec est ultra extendendum; arg. cap. *ad nostram* 21, de jurejurando, in cujus summario sic præcise habetur : « Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest, ut non obviet juri, alias tanquam temerarium non obligat contra juris observantiam; » et concordat textus in l. ultim., ff. Qui satis dare cogantur, ibi : « Qui jurato promisit judicio sisti, non videtur pejerasse si ex concessa causa hoc deseruerit; » et sic tenet Glossa in cap. *Contingit* 1, verb. *Declaramus*, de jurejurando in 6; Abbas in cap. *Tua nos*, num. 4, de ecclesiis ædificandis; Innocentius in cap. *Per litteras*, circa medium, de Arbitris; Pirhing lib. II. Decret., tit. 24, n. 107; Reiffenstuel ibid., n. 41; Layman Theol. moral., lib. IV, tract. 3, cap. 9, n. 2, et alii passim. Et ratio est, quia in quolibet juramento promissorio tacite subintelligitur, atque ipso jure inest conditio illa, salvo jure et auctoritate superioris (scilicet supremi legislatoris) cap. *Venientes* 59, de jurejurando.

(5. Unde in omni juramento promissorio, quamvis absolute facto, quædam tacite subintelliguntur conditiones, sicuti docent Glossa in c. *Quemadmodum* 25, de jurejurando, verb. *Conditio;* Abbas ibid., n. 8; Pirhing. loc. cit., n. 119; Reiffenstuel loc. cit., n. 51; Silvester verb. *Juramentum* 3, quæst. 1; Suarez lib. II, de juramento, cap. 34; Layman loc. cit., n. 4, et alii; et clare colligitur ex cit. cap. *Quemadmodum* 25, § 1, de jurejurando, ibi : « Non obstante hujusmodi juramento, quoniam in eo talis erit subintelligenda conditio. »

(6. Prima conditio quæ in juramento promissorio tacite ac ipso jure subintelligitur, est, *Si potero*, quia ex cap. *Nemo* 6, de regulis juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari*, et hoc procedit nedum de impossibili physice, id est quod naturaliter fieri non potest, sed etiam de impossibili moraliter, id est quod licite fieri non potest; quia juramentum non est vinculum iniquitatis; cap. *Quanto* 18, de jurejurando; cap. *Contingit* 1, eodem in 6. Nam de jure illud tantum possibile, et fieri posse censetur quod licite fieri potest, cap. *Fraternitatis* 15, caus. 22, quæst. 2, juncta Glossa verb. *Quod potest.*

(7. Secunda est, *Salvo jure et auctoritate superioris :* colligitur clare ex cap. *Venientes* 19, de jurejurando, ibi : « Cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum. » Et in ejus summario dicitur : « Non valet juramentum præstitum in præjudicium juris superioris; » et concordat cap. *Ea te* 22, de jurejurando, ubi illicitum nec servandum statuitur juramentum, quod salvo Apostolicæ Sedis honore servari nequit.

(8. Tertia est. *Nisi is in cujus favorem juratum est, sponte remiserit :* quia quilibet potest rem vi juramenti sibi debitam, alteri remittere et condonare, cum quilibet suo juri renuntiare possit : cap. *Si diligenti* 12, de foro competent., et cap. *Si de terra* 6, de privilegiis, ubi sic expresse habetur : *Cum liberum sit unicuique jurisuo renuntiare.* Tum quia beneficia non conferuntur in invitum, textu expresso in l. *Invito*, ff. de regul. juris, requiritur enim ejus acceptatio, leg. *Absenti*, ff. de donation.; adeoque, etc.

(9. Quarta conditio est; *Si res in eodem statu permanserint*, id est, non fuerint notabiliter mutatæ : quia verisimile non est jurantem habuisse intentionem se obligandi ad rem adeo difficilem, vel etiam indecentem, qualis contingere solet ubi notabilis mutatio supervenit; adeoque ejus juramentum est interpretandum, quod ad casum adeo improvisum et incogitatum se non extendat, sic colligitur ex capit. *Veniens* 16, cap. *Brevi* 17, ibi : *Nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit ecclesiæ subvenire;* cap. *Quemadmodum* 25, et cap. *Petitio* 31, de jurejurando; et concordat textus in l. *Cum quis*, § 1, ff. de solutionibus, ibi : « Tacite enim hæc conventio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat. »

(10. Quinta conditio maxime in pacto vel contractu etiam jurato subintellecta est : *Si et altera pars fidem servaverit*, id est, pacto seu promissis suis steterit; quia ex cap. *Frustra* 75, de regulis juris in 6, *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, qui fidem a se præstitam servare recusat*, et habetur expresse in cap. *Pervenit* 3, de jurejurando ibi : « Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento firmasses, aliquatenus teneris, si constet eum conditioni minime pa-

Digitized by Google

ruisse ; » concordat cap. *Sicut* 29, eod. § *Juramentum*, ibi : *Juramentum autem quod Joannes se asserit præstitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat qui præstitit, dum ille cui præstitum fuerit, servare negligit quod promisit;* et in ejus summario præcise dicitur : « Non astringitur quis juramento adimplendo quod juravit, si ab alia parte non impletur cujus respectu præstitum est juramentum. »

(11. Juramentum servandi statuta edita alicujus ecclesiæ, capituli, vel communitatis, civitatis, provinciæ, seu regni, non est interpretandum quod extendatur ad statuta in posterum edenda, textu expresso in cap. *Clericus* 35, de jurejurando, et ibi Glossa et doctores communiter. Juramentum enim est stricte interpretandum ex juribus adductis supra sub n. 1, adeoque, qui juravit servare statuta jam edita, nequit intelligi quod vi talis juramenti voluerit se obligare ad servanda etiam statuta in posterum edenda.

(12. Imo, etiamsi quis promittat se velle vi juramenti antea præstiti servare illa statuta postmodum edita, quia obligatio prioris juramenti non potest ultra fines sui objecti extendi per simplicem promissionem : objectum autem prioris juramenti fuerunt solum statuta jam edita, unde nisi de novo juraverit, promissio illa retinet solam vim simplicis promissionis, ac proinde, licet quis transgredi non debeat quod promisit, non tamen censendus est perjurus, si promissum non exsequatur, cum ad exsequendam talem simplicem promissionem non obligetur ex debito præstiti juramenti, ut expresse habetur in cit. cap. *Clericus* 35, de jurejurando, ibi : « Clericus qui juravit se statuta in ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter observare, licet transgredi non debuerat quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti. » Et in ejus summario sic præcise dicitur : « Qui juravit servare statuta edita, et postea per illud juramentum aliter non jurando, promisit servare edenda seu postea edita, non tenetur ex juramento ad noviter edita. »

(13. Item juramentum etiam absolute et simpliciter præstitum servandi statuta alicujus ecclesiæ, collegii, civitatis, provinciæ, vel regni, non addendo *jam edita*, non extenditur ad futura seu edenda, nisi expresse in aliqua parte juramenti fiat mentio, seu appareat jurantis intentionem etiam esse de futuris : Baldus in cit. cap. *Clericus* 35, de jurejurando, n. 3; Barbosa ibid., num. 7; Pirhing lib. II Decretal., n. 105; Reiffenst. ibid. n. 62; Angelus verb. *Juramentum* 5, n. 35; Sanchez lib. III, in *Decalog.* c. 14, n. 1; Azorius p. 1, lib. II, c. 8, qu. 7; Suarez de Juramento, cap. 32, n. 11, et alii plures ab ipsis citati contra aliquos volentes juramentum simpliciter præstitum de servandis statutis extendi etiam ad servanda in posterum edenda. Et ratio nostra est, quia juramentum ob periculum perjurii, et damnum quod sequi potest, est stricte interpretandum ex juribus adductis supra num. 1; adeoque non debet extendi ad id quod verba late significant.

(14. Dummodo tamen posterior illud statutum non sit mere declarativum prioris seu veteris, quia tunc tale statutum mere declarativum non esset vere novum statutum : sed realiter esset idem cum veteri, eo quod declaratio legis retrotrahatur ad tempus conditæ legis, atque a principio jam inesse, et infuisse censetur : authent. *De raptis mulieribus*, § final. collat. 9, ubi imperator de tali legum suarum declaratione loquens ait : « Quam interpretationem non in futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset a nobis. » Concordat textus in l. *Ita fidei* 40, ff. de jure fisci, ibi : *Non tantum legem circumveniri voluit, sed etiam interpretationem legis.* Et sic tenent Baldus et alii supracitati doctores, et Glossa communiter recepta in cap. *Sicut nobis* 5, verb. *Respondemus*, de verbor. signif. in 6.

(15. Omne juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam et licitam parit obligationem observandi illud ex virtute religionis. *Communis* textu claro in cap. *Si vero* 8, de jurejurando ; et concordat c. *Cum contingat* 28, eod., et cap. *Quamvis pactum* 2, de pactis in 6, cum similibus. (16. Juramentum autem de re inhonesta et illicita mortaliter seu venialiter, nullam parit obligationem. *Communis* textu aperto in cit. cap. *Si vero* 8, et cap. *Cum contingat* 28, de jurejurando, cap. *Quamvis* 2, et cap. *Quia* 3, de pactis in 6, cap. *Si publicis* 1, cap. *Est etiam* 2, cap. *Quod David* 2, cap. *Juravit David* 4, cap. *In malis promissis* 5, cap. *Si aliquid* 6, cap. *Unusquisque* 8, cap. *Non est observandum* 13, cap. *Si aliquid* 16, cap. *Actione* 18, cap. *Si quis* 19, cap. *Si ad peccatum* 20, cap. *Mulier* 21, cap. *Inter cætera* 22, et cap. *Innocens*, 23, caus. 22, q. 4, cap. *Non est obligatorium* 58, et cap. *In malis* 69, de Regulis Juris in 6. Et ratio est, quia juramentum non fuit institutum ut esset vinculum iniquitatis, ut expresse dicitur in citat. cap. *Quanto* 18, de jurejurando, ibi; « Cum juramentum non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum, » et in cap. *Inter cætera* 22, caus. 2, quæst. 4, ibi : « Porro juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur ut esset vinculum iniquitatis. » Hinc in cap. *Non est obligatorium* 58, de regulis juris in 6, expresse dicitur : *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, et cap. *In malis promissis* 69, de regulis juris etiam in 6, præcise habetur : *In malis promissis fidem non expedit observari.*

17. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, et cujus oppositum est melius, sicut et juramentum Deo factum de re prorsus indifferente, non obligat. *Communis*, arg. cap. Scripturæ 4, de voto, ubi statuitur non obligare votum de re impeditiva majoris boni, et licite posse elici illud majus bonum,

Digitized by Google

adeoque idem dicendum venit de juramento soli Deo facto, quod induit naturam voti; et clare habetur in cap. *Pervenit* 3, de jurejurando, ubi expresse dicitur : « Non enim propositum aut promissum infringit qui in melius illud commutat. » Et in ejus summario dicitur : « Non pejerat qui juramenti implementum in melius commutat. »

(18. Juramentum autem factum homini, seu ecclesiæ, vel alicui communitati de re honesta et licita semper obligat, neque in aliam quamvis meliorem rem solo jurantis arbitrio commutari potest. *Communis*, arg. cap. *Cum contingat* 28, de jurejurando, et cap. *Quamvis pactum* 2, de pactis in 6, ubi tanquam recepta juris canonici generalis regula statuitur quod « Juramentum homini præstitum necessario sit servandum, quotiescunque sine peccato, seu sine salutis æternæ dispendio, et sine alterius præjudicio servari potest. »

(19. Ratio vero quare juramentum promissorium soli Deo factum de opere minus perfecto non obliget, sed possit solo jurantis arbitrio commutari in melius; non sic autem juramentum promissorium factum homini, est quia in juramento promissorio facto homini spectatur quid illi gratius sit, unde mutari nequit in opus quod absolute quidem melius sit : at ei in cujus gratiam seu utilitatem fuit factum, sit minus utile, vel acceptum, cum sic contentus esse non præsumatur. In juramento autem promissorio facto soli Deo spectatur quid melius sit. Unde mutari potest in qualecunque opus melius, cum sic Deus præsumatur esse contentus : Layman *Theolog. Moral.*, *l.* IV, tr. 3, cap. 6, num. 6; Reiffenstuel l. II Decret., tit. 24, n. 80, et alii passim.

(20. Juramentum promissorium gravi et injusto metu extortum obligat quando sine culpa servari potest, et a legitimo superiore non relaxatur; sic, verbi gratia, qui juravit latroni inique exigenti pecunias soluturum, juramentum servare debet, nisi ei relaxetur. *Communis*, cum S. Thoma 2-2, q. 89, art. 7, ad 3; Pirhing l. c., num 60; Reiffenstuel loc. cit., num 100; Sanchez lib. III, in decalog., cap. 11, n. 14; Layman loc, cit., cap. 7, n. 2, textu expresso in cap. *Si vero* 8, de jurejurando, ibi : « Si vero aliquis quemquam gravissimo metu sub religione juramenti suum jus refutare coegerit, ipsumque sibi retinuerit, quia nos consulere voluisti an alter eorum, vel neuter id habere debeat; Duximus tibi respondendum quod non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi sit tale quod servatum vergat in interitum salutis æternæ. Nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur. » Et ibidem statim subjungitur, quod ad coercendam iniquitatem perversorum, Romana Ecclesia consuevit a tali juramento absolvere. Et in ejus summario sic præcise dicitur : « Si juramentum per metum extortum servari potest sine interitu salutis æternæ, servandum est, Ecclesia tamen Romana consuevit a tali juramento absolvere, » Et concordat cap. *Verum* 15, de jurejurando, et cap. *Ad audientiam* 4, de iis quæ vi metusve causa fiunt.

(21. Obligatio propria juramenti, prout procedit ex virtute religionis, est omnino personalis, solumque jurantem afficit, et non transit ad hæredes seu successores ejus : S. Thomas 2-2, q. 98, art. 2 ad 4; Abbas in cap. *Veritatis* 14, de jurejurando num. 3; Covarruvias in c. *Quamvis pactum* 2, de pactis in 6, part. I, § 5, n. 4; Suarez lib. I, de jurament., cap. 31, num. 12; Layman loc. cit., cap. 10, num. 7; Sanchez lib. III, in Decalog., cap. 13, num. 1; Reiffenstuel loc. cit., num. 103; Pirhing loc. cit., num. 146, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia tale juramentum est vinculum personale; religio enim juramenti, ejusque obligatio, nonnisi propria voluntate suscipi potest, adeoque non transit ad alias personas propria voluntate ad talis juramenti obligationem non concurrentes. (22. Et hoc stat, etiamsi quis pro se et suis successoribus juraverit aliquid præstare; quia, licet successores in tali casu possint obligari vi pacti seu promissionis ab alio acceptata, ut infra num. 24 dicetur, non tamen hi obligantur ex vi juramenti, adeo ut si juramentum sui antecessoris non servent, censeantur perjuri; quia obligatio juramenti, quæ oritur ex virtute religionis, nonnisi propria voluntate suscipi potest, cum sit actio personalis; Abbas, Sanchez, Layman, Pirhing, Reiffenstuel, loc. cit., et alii.

(23. Unde si rex, verbi gratia, episcopus, canonicus, et hujusmodi ad regnum, episcopatum, canonicatum, et hujusmodi admittantur sine ullo præstito juramento, non obligantur sub juramento ad servanda ea quæ sui antecessores servare jurarunt; et si ea transgrediantur, non evadunt perjuri, et per hoc omnes supradicti a principio sui regni, episcopatus, canonicatus, et hujusmodi solent præstare proprium, ac personale juramentum : Silvester verb. *Juramentum* 4, quæst, 3; Suarez, Sanchez, Pirhing, Reiffenstuel, Layman, aliique supracitati.

(24. Obligatio juramenti proprie promissorii seu firmatorii promissionis ab altero acceptatæ, vi pacti, seu ex virtute justitiæ, transit ad hæredes aut successores ejus cui juratum est, *Communis*, arg. l. *Veteris*, cod. de contrahend. stipulat., et l. *Si pactum* 9, ff. de probationibus, et cap. *Veritatis* 14, de jurejurando, in quo habetur : « Vassallum qui juravit prælato fidelitatem, atque reverentiam, et obedientiam, eamdem etiam sine novo juramento debere successoribus, quamvis eorum expressa mentio facta non fuerit. » Unde recte dicunt communiter doctores cum Innocentio et Abbate in cit. c. *Veritatis;* Covarruvias in cit. part. I, § 2, num. 7; Scaccia lib. II, *de Judiciis*, c. 2, n. 103, quod juramentum licet sit personale ex parte jurantis, tamen fit reale ex parte ejus cui juratur, id est transitorium cum re, puta dignitate, hæreditate, sicuti explicant Abbas in cit. cap. *Veritatis* num. 3;

Digitized by Google

Covarruvias loc. cit. n. 7; Layman loc. cit., cap. 10, n. 5, in fine, et alii.

(25. Juramenta possunt per potestatem dominativam irritari, seu annullari, non solum per accidens, et indirecte, id est ratione materiae promissæ et juratæ, quæ alterius potestati subjecta sit, sed etiam per se et directe, id est ratione voluntatis jurantis, quæ alterius potestati subjecta sit, ut in religioso et impubere accidit. Sic colligitur ex cap. 30, num., et tenent S. Thomas 2-2, quæst. 89, art. 9, ad 3; S. Antoninus p. 2, t.t. 10, c. 6, § 2; Sanchez lib. III, moral., cap. 19, num. 1; Silvester verb. *Juramentum* 3, quæst. 7; Sa eod. verb. n. 31; Layman, loc. cit., cap. 11, num. 1; Sotus lib. VIII, q. 1, art. 9; Toletus lib. IV, cap. 23, et alii passim.

(26. Juramenta promissoria soli Deo facta irritari et annullari possunt per potestatem dominativam patris, prælati, domini, mariti, et hujusmodi; sic colligitur ex cit. cap. 30, num., et tenent citati doctores, et alii communiter apud Sanchez cit. lib. V, cap. 19, num. 2, et Layman loc. cit., num. 2. Juramentum enim promissorium Deo factum nihil aliud est quam votum juratum, adeoque fit sicuti votum, ea tacita et subintellecta conditione « salvo jure superioris irritandi potestate præditi argum. » Cap. *Venientes* 19, et cap. *Ea te* 22, de jurejurando, et patet ex dictis num. 7, quia juramentum accedens promissioni, seu voto, assumit naturam, et conditiones ejus, cap. *Quemadmodum* 25, de jurejurando.

(27. Juramenta etiam homini præstita annullari et irritari possunt per potestatem dominativam patris, prælati, domini, tutoris, mariti, et hujusmodi, quoties voluntas jurantis, seu materia jurata est ipsis subjecta, vel præjudicans; arg. cit. cap., *Venientes* 19, de jurejurando, ubi statuitur, quod non valeat juramentum præstitum in præjudicium juris superioris, et in juramento intelligatur semper jus superioris exceptum.

(28. Unde papa potest irritare et annullare omnia juramenta edita circa beneficia ecclesiastica distribuenda, augenda, minuenda, quia super istis habet plenissimam potestatem; cap. *Licet* 2, de præbend. in 6. Item juramenta de non alienandis rebus Ecclesiæ, et alia hujusmodi, quæ sunt de materia subjecta dispositioni papæ.

(29. Ita episcopus potest irritare ea clericorum juramenta, quæ facta sunt circa res suæ dispositioni subjectas, ut, verbi gratia, si clericus juravit se vestes sacras commodaturum, aut tali loco non discessurum, donec debita solverit, vel quid aliud fecerit. Non enim ob id derogatur juri episcopi, quo minus ob justam causam eum ad se revocare possit, et inhibere ne sacras vestes commodet, et hujusmodi; Abbas in cit. cap. *Venientes* 19, de jurejurando, num. 3; Layman, loc. cit., cap. 11, num. 2; Sporer, et alii passim.

(30. Item superioris regularis potest irritare et annullare juramenta suorum subditorum, quia ob emissum votum obedientiæ, eorum voluntas est omnimode superiori subjecta, nec habent velle, nec posse: Sanchez cit. lib. III, cap. 19, num. 3; Layman loc. cit., num. 2; Felix Potestas, tom. I, p. II, n. 1715. Sporer, et alii passim.

(31. Item pater ac tutor irritare potest omnia pacta jurata impuberis, quia ob ætatis imbecillitatem, etiam ejus voluntas et obligationes alienæ potestati subjectæ sunt; Covarruvias in cap. *Quamvis* part. III, § 1, num. 5; Gunez Resolut. cap. 14, num. 18; Suarez lib. II, cap. 38, n. 12; Lessius lib. II, c. 42, n. 61; Layman, loc. cit., n. 2, et alii plures.

(32. Item dominus irritare potest promissiones juratas servi sui, maritus promissiones juratas uxoris, et econtra uxor promissiones juratas mariti, si juramenta illis præjudicent, aut sint de materia illis subjecta; Leyman loc. cit., n. 2; Felix Potestas loc. cit. num. 1716; Suarez, Sporer, Azorius, et alii passim.

(33. Juramentum autem hominis, cujus voluntas et materia jurata non est alteri subjecta, nec præjudicans, quando ab eo, cui est præstitum, acceptatum est, non potest ordinarie remitti, relaxari, irritari, nec dispensari, nec etiam in melius commutari sine consensu ejus cui præstitum est. *Communis* S. Thoma 2-2, q. 89, art. 9, ad 3; Layman loc. cit., c. 11, num. 5. Et ratio est, quia tali juramento est jam acquisitum jus homini, cui præstitum est; unde tali jure, sicuti et aliis bonis, privari non potest.

(34. Notanter vero dicitur *ordinarie*, quia dantur aliqui casus, in quibus potest relaxari etiam tale juramentum. Primo, si bonum commune Ecclesiæ talis juramenti relaxationem exigat, quia per text. in cap. *Bonæ memoriæ* 3, de postulat. Prælator., l. *Actione* 61, § 1, ff. *Pro socio*, cum similibus, bonum commune prævalet bono particulari, seu privato, et tale juramentum relaxare maxime pertinet ad summum pontificem, ut cum S. Th. 2-2, q. 89, art. 9, ad 3, docet communis doctorum. Interdum tamen potest etiam episcopus juxta qualitatem causarum et personarum relaxare juramentum alteri præstitum, verbi gratia, non accusandi, non denuntiandi, et hujusmodi, si bonum commune suæ diœcesis id postulet. Suar. lib. II, de juramento cap. 4, num. 5; Silvester verb. *Juramentum* 5, q. 3; Layman loc. cit., cap. 11, num. 5; Piringh lib. II, decretal, tit. 24, num. 154, et indicat etiam S. Thomas loc. cit., ubi dicit quod id maxime pertinere videtur ad potestatem papæ, adeoque censent posse interdum juxta qualitatem causarum, et personarum fieri etiam ab episcopo. Secundo in pœnam criminis commissi ab eo, cui præstitum est juramentum, textu claro in cap. *Nos sanctorum* 4, et cap. *juratos* 5, caus. 15, qu. 6, ubi donec excommunicati resipiscant, absolvuntur a juramento fidelitatis, qui illud ipsis præstiterunt. Tertio ratione gravis injuriæ, quam jurans si passus ab eo, qui juravit, seu ab aliis ejus adhærentibus, eo quod per dolum, vim, vel metum injuste incussum, vel læsionem valde enormem juramentum, seu contractus jura-

Digitized by Google

mento confirmatus, sit extortus, capit. *Auctoritatem* 2, caus. 15, quæst. 6, cap. *Verum* 15, de jurejurando; Sanchez lib. III, in Decalog., cap. 26, n. 26; Suarez lib. II, de juramento cap. 21, num. 6; Layman loc. cit., n. 5; Pirhing loc. cit., num. 115; qui ex communi dicunt tunc tale juramentum posse etiam relaxari ab episcopo, vel alio prælato quasi episcopalem jurisdictionem habente. Vide verb. *Votum*, art. 3, n. 125.

(35. Relaxare juramenta directe, id est per modum absolutionis, vel dispensationis pertinet ad solos superiores, seu judices ecclesiasticos, quia est actus jurisdictionis spiritualis, cum juramentum sit vinculum spirituale; adeoque ad solam potestatem spiritualem spectat illud dissolvere. Relaxare autem juramenta indirecte, id est ratione materiæ, vel supplendo vicem ejus, cui juratum est, et qui remittere debeat et nolit, potest pertinere etiam ad judices laicos. Si enim ille, cui juratum est per metum, vim, vel dolum, tale juramentum remittere debeat, et nolit remittere, tunc judex sæcularis loco, et nomine illius, quamvis renitentis, illud remittere potest, quia, quando subditus tenetur præstare consensum ad aliquem actum et renuit, potest judex sæcularis illud præstare, et supplere ejus consensum, et eo invito id præstare, quia in tali casu factum judicis reputatur factum partis, ut docent doctores in lege. *Si ob causam*, cod. de eviction. Et sic tenet Suarez lib. II, de jurament., cap. 41, num. 16; Sanchez lib. III, c. 22, num. 13; Layman loc. cit., capit. 11, num. 9; Pirhing, loc. cit., num. 159; Guttierez, et alii.

(36. Placet hic subnectere formulam juramenti præstandi ab abbatibus, aliisque monasteria, seu ecclesias habentibus cum jurisdictione quasi episcopali, et territorio separato, quam præscripsit Bened. XIV, tom. I, sui Bullarii, const. 7 incip. *Quod sancta* § 11, et est talis.

« Ego N. ab hac hora inantea fidelis et obediens ero B. Petro apostolo sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et domino nostro N. papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios suos seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia et auctoritatem S. R. E. domini nostri papæ et successorum prædictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscunque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et quantocitius potero, significabo eidem domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, et rebelles eidem domino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse persequar, et impugnabo. Sacras B. B. apostolorum memorias singulis trienniis, seu quinquenniis, personaliter, ac per me ipsum visitabo, et domino nostro successoribusque præfatis rationem reddam de commisso mihi munere, deque rebus omnibus ad mei monasterii, seu ecclesiæ statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exsequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio conventus monasterii mei, seu capituli Ecclesiæ meæ, aut alium in ecclesiastica dignitate constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium presbyterum sæcularem vel regularem spectatæ probitatis, et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimentis docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem congregationis sacri concilii præfectum per dictum nuntium transmittendas. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto Romano pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. » Sic ibi ad litteram.

(37. Alia ad rem. Vide verb. *Votum*, cum ea quæ dicuntur et resolvuntur de voto, possint proportionaliter dici et resolvi de juramento.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Tres hic quæstiones non intempestive sunt discutiendæ. Prima est, « quatenus juramenta actibus invalidis adjecta vigorem in praxi habeant? Altera, an ex tali juramento hodie detur actio? Et tertia, an ex juramento defuncti teneantur hæredes? » Ad primam quæstionem quod attinet, pro ejus recta resolutione distinguendæ sunt plures actuum species. (39. Sunt enim actus a Legibus absolute prohibiti. Sunt actus qui non dependent a libero contrahentium arbitrio. Sunt actus, qui tertii præjudicium concernunt. Sunt demum actus, qui non valent in favorem agentium, valere tamen possunt, si ab eo, cujus interest, non impugnantur.

Digitized by Google

(40. Actus absolute prohibiti per juramentum confirmari nequeunt, propterea quod positi ii non sunt in arbitrio paciscentium, nec possunt pactis privatorum tolli, præsertim si contineant speciem delicti. (41. Idque non solum de iis actibus intelligendum, qui juri divino vel naturæ sunt contrarii, sed et quos jus canonicum, vel civile absolute prohibuit utilitatis publicæ gratia. (42. Atque hinc est quod clerici, ne accedente quidem juramento, jurisdictionem prorogare queunt, cap. 12, de judiciis. (43. Absolute enim hæc prorogatio prohibita est. Vide et alia exempla, quæ suppeditat jus canonicum cap. 18, de testib., et c. 4, de testib. cogend., et cap. 7, de pignor.

(44. Neque per juramentum confirmantur actus, quia libero contrahentium arbitrio non dependent. Sic is, qui venditionem contrahit pactumque juratum addit, ne unquam pretium exigatur et tamen venditio omnino maneat, nihil agit cupitque contradictoria. (45. Nec societas est ita inita ut ad alterum omne lucrum perveniret, ad alterum omne damnum, si vel maxime juramentum intervenisset; Vide Seraphinum de Seraphinis de privileg., juramenti privileg. 130, n. 6.

(46. Nota vero quod actus, quibus certæ solemnitates sunt præscriptæ, ob earum defectum nulli quidem sunt, sed non ita paciscentium arbitrio exempti ut eosdem sine solemnitatibus peractos servare haud possint, si velint. (47. Atque ideo actus hujusmodi per juramentum confirmantur, supplente ipso juramento defectum solemnitatum. Benckendorff ad Seraphinum de Privil. jurament., lib. I, cap. 23, n. 117.

(48. Variæ hinc oriuntur conclusiones. Transactio, quæ, non inspectis tabulis de iis quæstionibus quæ ex testamento dependent, facta est, non subsistit; accedente juramento, valet, ut quidquid contradicat Seraphinus de privileg. jurament., privileg. 100, num. 5, firmat. Benckendorff cit. loc., n. 2. (49. Pariter transactio de alimentis testamento relictis sine prætoris decreto et causæ cognitione facta, nulla est; at sustinetur si accedat juramentum : Fachin. lib. III, controv. jur., cap. 21; Colet. de aliment., lib. II, cap. 8, num. 24. (50. Donatio demum excedens 500 solidos sine insinuatione irrita est; at munita juramento valida est. Seraphin. de privileg. jurament. fere per tot: ibique Benckendorff, n. 3.

(51. Actus tertii præjudicium concernentes per juramentum non confirmantur. Atque hinc sponsalia posteriora licet juramento munita subsistere nequeunt in præjudicium priorum publicorum, si insistat prior sponsa juri suo. (52. Et renuntiatio jurata S. C. Macedoniani valet in liberorum præjudicium, non item patris, in cujus favorem primario hoc S. C. introductum est.

(53. Reliquum est ut disseramus de actibus illis qui non valent in favorem agentium; possunt tamen valere, si non impugnentur ab eo cujus interest. Hos autem per juramentum jure canonico confirmari noto notius est. Quo fit ut alienatio fundi dotalis jure civili non subsistat, si vel maxime uxor consentiat, valeat tamen jure canonico, interveniente juramento, cap. 28, de jurejur., et cap. 2, eod. tit. in 6. Vide aliud exemplum in cap. 2, de pactis in 6.

(54. Pergimus ad secundam quæstionem, an ex juramento detur hodie actio. Sunt qui tenent jurantem ad servandum juramentum obligari ex virtute religionis, ut tamen nulla alteri acquiratur actio in foro externo. Confer Wiestner instit. jur. can., lib. II, tit. 24, num. 78. At dari ex juramento actionem dicendum est, attento c. 9, de arbitr., tum c. 28, de jurejurand. Consule Bohemerum in Decretal., lib. II, tit. 24, § 54, et plur. seqq.

Tertia et ultima quæstio est, an hæredes ex jurerando defuncti teneantur? At si ex jurejurando datur actio, facile est dignoscere obligari hæredes ex jurejurando defuncti. Tametsi enim quoad reatum perjurii juramentum defuncti haud transeat in hæredes, ipsa tamen obligatio, quæ in persona defuncti robur propter jusjurandum accepit, impugnari minime potest ab hæredibus, quippe qui obligati sunt ad factum defuncti præstandum.

ADDITIONES CASINENSES.

Appendix de juramento.

(1. Apud omnes gentes et quovis ævo, circa asserta, pollicitationes, promissa, contractus maximam semper vim jurisjurandi fuisse ex vetustissimis monumentis sat compertum habemus. Hinc apud Sophoclem

Mens excitari jurejurando solet,
Ut bina diligenter evitet mala,
Culpari amicis, et deos offendere.

Hoc pacto, inquit Tullius (*Offic*, 3) : « Nullum vinculum ad astringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt. »

Ægyptii, Diodoro teste, jusjurandum vocabant fidem maximam : atque apud eos « in perjuros capitis pœna erat constituta, ut qui duo maxima committerent flagitia, quod et pietatem in Deos violarent, et fidem, maximum humanæ societatis firmamentum, everterent. » Sic idem Diodorus, lib. I, cap. 77.

Et quia juramenti maxima vis, et sanctimonia etiam apud ethnicos habita fuit, gravissimam propterea pœnam perjuros manere nunquam non creditum, quæ ad posteros quoque pertingeret.

Clades mortalibus...
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.
(Hesiodus, *Theogon.*, v. 231.)

Apud Euripidem, Medeæ interroganti quid Ægeus, si quæ sub jurejurando promiserat non præstaret, passurus esset, hic respondit :

Quæ hominibus impiis solent accidere.

2. Porro ad veritatis fideique humanæ præsidium jusjurandum præsto fuisse, ex facto disciplinaque populorum nemo sit qui dubitet. Quo illud Pauli spectat : *Ad confirmationem est juramentum* (*ad Hebr.* VI, 16).

(3. Jam vero juramentum nihil aliud importat quam Deum in testem assumere.

Digitized by Google

« quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur. » Sic D. Thom. 2-2, q. 89, art. 1. — Et hoc profecto est, quod ait Augustinus : « Quid est jurare per Deum, nisi testis est Deus? » (4. Hinc juramentum est « assumptio, seu imploratio divini testimonii ad aliquid confirmandum. »

(5. Adverte quod « jurare est Deum invocare, seu assumere in testem, non quidem, ut hic et nunc veritatem aliquo miraculo testetur, hoc enim esset tentare Deum ; sed quando, et quomodo ei placuerit, sive in hac vita, sive in altera, quando *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV, 5). »

(6. Illud vero in primis prænotandum venit « juramentum secundum se esse licitum et honestum. » Quod patet ex origine et fine. Ex origine quidem, quia juramentum est introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem et universalem omnium cognitionem et provisionem; ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justificandum homines, et ad finiendum controversias. D. Th. 2-2, q. 89, art. 2.

(7. Imo, ex eodem D. Th. jurare est actus religionis, sive latriæ. « Dicendum in ejus verba, quod ille qui jurat invocat divinum testimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid quod certius est et potius. Et ideo in hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem utpote cujus veritas est indefectibilis, et cognitio universalis; et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad religionem, sive latriam; unde manifestum est, quod juramentum est actus religionis, sive latriæ. » 2-2, q. 89, art. 4. — Neque obstat, quod Dominus *Matth.* V, dixerit : *Ego autem dico vobis non jurare omnino ;* ut et *Jac.* V, legitur : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare.* Hæc enim scripta testimonia nequaquam jusjurandum ejusque usum, sed abusum duntaxat condemnant, scilicet facilitatem jurandi, etiam in levissimis, nulliusque momenti rebus, adeoque « sine necessitate, et cautela : videtur enim parvam reverentiam habere apud Deum; qui eum ex levi causa testem inducit, quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. Imminet etiam periculum perjurii, quia de facili homo in verbo delinquit. Unde *in Ecclesiast.* XXIII, 9, dicitur *Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa.* » Ita D. Thomas 2-2, q. 89, art. 4.

Intellige ex hoc, « quod juramentum non est de genere eorum, quæ per se bona sunt et frequentanda, uti est oratio, eleemosyna, et hujusmodi; sed quæ bona sunt duntaxat, supposita vera necessitate, seu causa rationabili, ut explicat Augustinus, lib. I, *de Verbis Domini in monte;* » Reiffenstuel ad tit. 24 ex de jurejur., § 1, n. 23; Bonacina, de juram. disput. 4. punct. 3, prop. 1, n. 1; Sanchez in Sum. lib. III, c. 3, n. 2.

(8. Prima autem et præcipua juramenti divisio est *in assertorium* et *promissorium :* quippe « divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita, et hoc dicitur juramentum *assertorium*, quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum, et hoc dicitur juramentum *promissorium.* » Sic D. Thomas 2-2, q. 89, art. 1.

(9. Exploratum porro habeto ad juramentum duo ex communi sententia requiri : 1. intentionem saltem *virtualem* jurandi, seu Deum in testem assumendi. Quippe cum juramentum debeat esse actus humanus, quatenus juramentum est, ac proinde ab intentione jurandi proficisci, hinc profecto est nullo modo jurare qui verba juramenti, verbi gratia, docendi causa profert ac recitat, cum animus jurandi revera desit. 2. Locutionem, qua Deus in testem advocatur : Quæ locutio non solum in verbis consistit, sed etiam in quovis signo quo Dei invocatio exprimatur ; puta, nutu, contactu Evangelii, elevatione manus, etc., quando hæc fiant ex jurandi intentione. Imo illa locutio potest esse mere interna, et sic juramentum mere internum esse potest.

(10. Jam vero tres comites, ut verbis utar D. Th. juramenti ponendi sunt, *veritas*, nempe *judicium*, et *justitia*, secundum illud *Jerem.* IV : *Jurabis : Vivit Dominus in veritate, in judicio et justitia.* Audiamus eumdem Thomam in hæc verba : « Ad bonum usum juramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete juret; et quantum ad hoc, requiritur *judicium*, scilicet discretionis, ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum, et quantum ad hoc requiritur *veritas*, per quam aliquis juramento confirmat quod verum est, et *justitia*, per quam confirmat quod licitum est. *Judicio* autem caret juramentum incautum; *veritate* juramentum falsum; *justitia* autem juramentum iniquum, sive illicitum. » 2-2, q. 89, art. 3. Præstat nunc de quolibet horum sigillatim disserere.

(11. Quod ad veritatem spectat, ubi hæc deest, peccatur mortaliter, quia committitur gravis in Deum irreverentia, quippe adducitur in testem falsitatis. Neque hic excusat levitas materiæ, quia sive hæc sit gravis, sive levis, seria, sive jocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum; et tale juramentum dicitur perjurium. Apud D. de Ligor. de Juram., n. 147. « Ille qui jocose perjurat, sic D. Thomas, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, et ideo non excusatur a peccato mortali. » 2-2, q. 98, art. 3, ad 2.

Hinc ab Innoc. XI damnata fuit sequens propositio : « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem (109). »

(12. « Porro perjurium proprie dictum est.

(109) Notandum quod communiter rustici non apprehendunt gravitatem perjurii, dum se confi-

Digitized by Google

juramentum falsum, quo quis aliquid sub obtestatione divini numinis confirmat esse verum quod tamen credit esse falsum, vel econtra ait esse falsum quod putat esse verum. Vel brevius : perjurium est juramentum de falso in opinione jurantis. Additur, in opinione jurantis, quia quamvis quod quis jurat esse verum vel falsum, sit tale a parte rei, si tamen jurans putaret non esse tale, nihilominus pejeraret, quia deliberate Deum in testem rei, juxta suam opinionem, falsæ adduceret. »

(13. « Infertur proinde omne perjurium, cum deliberatione factum, esse peccatum mortale, quia revera est gravis irreverentia Deo illata ipsum deliberate adducere in testem mendacii; et hoc idem dicendum, si quis dubitaret de veritate; nam exponeret se manifesto periculo adducendi Deum in testem falsitatis, ac proinde peccaret. »

(14. « Additur notanter *deliberate* et *advertenter* facto; quia ut notat doctor noster... estque *communis*, perjurium sine deliberatione factum, non est peccatum mortale, cum generaliter ad omnem actum humanum, ac præsertim ad peccatum mortale requiratur *voluntarium*, ac sufficiens deliberatio. Unde quamvis nunquam ratione parvitatis materiæ, adhuc tamen ratione defectus *voluntarii*, aut sufficientis deliberationis, quandoque homines a peccato mortali contingit excusari, dum videlicet proferunt verba ex se quidem juramentum falsum sonantia, sed sine intentione actuali, vel virtuali Deum in testem falsitatis adducendi; aut quia id faciunt non cum plena deliberatione; siquidem, ut notat sæpe citatus D. Thomas, 2-2, q. 73, art. 2, « Peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda. » Ita Reiffenst. Theol. Mor., de juram. q. 2, conclus. 11, n. 28 et 30.

(15. « An autem ita et quando (sic etiam D. de Ligorio) perjurium possit esse veniale per accidens; scilicet ob defectum deliberationis et advertentiæ. » V. Exobat, l. cit., n. 147.

(16. Idem docet Bonacina hoc pacto : « Quapropter si non est verum quod jurat, vel jurans arbitratur non esse verum, aut dubitat esse verum, quod certo jurat, peccat mortaliter peccato perjurii, aut saltem exponit se periculo adducendi Deum in testem falsi. Hoc tamen intelligendum est nisi jurans excusatur ob indeliberationem, aut levem negligentiam in cognoscenda veritate. Istæ enim sunt regulæ generales, generaliter excusantes a peccato. Lessius, Sanchez, Valentia, Suarez, Filliuc., et alii. » De juramento disput. 4, punct. 3, propos. 2, n. 5.

(17. Demum ut quid addamus quoad defectum veritatis in juramento promissorio; ex communi, peccat mortaliter qui aliquid juramento promittit sine voluntate implendi vel si jurat se facturum quod scit sibi esse impossibile, idque etiam si res sit moraliter tantum impossibilis. Peccat quidem graviter qui promittit aliquid cum juramento, putans impossibile ut impleat, sed addendum cum Salmat, secus esse, si probabilem rationem haberet implendi : ita D. de Ligorio, de Juram., n. 172 Item peccat mortaliter si dubitet an possit, vel debeat præstare; nec in his excusat parvitas materiæ, sive licita, vel illicita (110).

(18. « Quæritur qualiter quis debeat rem aliquam judicare veram, ut desuper jurare possit? Sanchez, Castropaolo, Diana, putant esse sufficiens, si tantum probabiliter ea res judicetur vera, saltem, si juramentum fuerit extrajudiciale. Econtra vero Suarez, Dicastillo, aliique, existimant requiri moralem certitudinem talem, ut de opposito non adsit formido prudens, seu fundata in ratione gravi; vel saltem, juxta La Croix, ut de opposito non habeatur formido æqualis, alias enim quis se exponeret periculo gravi alicujus perjurii. Et hæc sententia, ait Reiffenst. mihi æque ac P. La Croix præplacet, præsertim in judicialibus, ubi agitur de damno tertii; etenim vi juramenti videor velle indicare quod id de quo juro censeam magis verum quam ejus oppositum. » Reiffenst. *Theol. Mor.* de Juram. q. 2. concl. 11, sub. n. 3.

Vide insuper Lucium nostrum art. 1, v. *Juramentum*, n. 48. et seqq.

(19. Circa vero usum amphibologiæ et restrictionum non pure mentalium, quamvis intentio nostra non sit infirmare quæ modo observationis ad n. 13, et seqq. art. 1, v. *Juramentum* in addit. Roman. Theologo, ad auctoris velut castigationem, notata sunt. Attamen cum de re maximi momenti agatur, non alienum duximus doctrinam D. de Ligorio super hac materia per extensum referre, ut lector quid sit in praxi tenendum magis ediscat.

(20. « Ad majorem claritatem (en ejus verba) in hac materia tam difficili plura sunt distinguenda. Primo loco distinguendum, aliam esse Amphibologiam, sive æquivocationem; aliam *restrictionem mentalem*.

(21. « Amphibologia triplici modo esse potest, 1° quando verbum habet duplicem sen-

tentes de juramentis parum vel minime distinguunt juramenta vera a falsis; et hoc ex praxi nonnullorum jam dudum intellexi. Quare pro iis, qui consuetudinem taliter ad pejerandum habent, confessarius potius censeo abstinendos esse ab instruendis his talibus de peccato gravi, quod revera est in perjurio, ne peccata materialia in iis ob malum habitum, quem habent, formalia evadant... Bene tamen tales consuetudinarii sunt fortiter monendi, ut deinceps desinant falsum jurare. Cæterum non semper expedit monere hujusmodi rudem pœnitentem de gravitate perjurii, si monitio prævideatur non de facili profutura » Ita D. de Ligorio l. cit., n. 159.

(110) « In juramento promissorio, ut clarius conceptum explicemus duplex veritas interveniat necesse est, una intentionis, seu veritas dicti, et altera executionis, seu veritas facti; etenim perjurium committitur, non tantum si non serves quod promittis, sed etiam si ab initio servandi intentionem non habueris, quamvis ex post facto serves, quia ejus rei, quæ secundum tuam intentionem falsa fuit, Deum testem adduxisti. » Engel ad tit 24, ex de Jur. jur. § 1, n. 6.

Digitized by Google

sum, prout *volo* significat velle, et volare; 2° quando sermo duplicem sensum principalem habet, verbi gratia, *hic liber est Petri*; significare potest, quod Petrus sit libri dominus, aut sit libri auctor; 3° quando verba habent duplicem sensum, unum magis communem, alium minus; vel unum litteralem, alium spiritualem; ut verba illa quæ dixit Christus de Baptista : *Ipse est Elias*, et Baptista dixit : *Ego non sum Elias*. Quo sensu viri spirituales cibos delicatos dicunt eis nocere, id est mortificationi; doloribus afflicti dicunt bene valere, id est quoad robur spiritus : sic etiam quis interrogatus de aliquo, quod expedit celare, potest respondere; *dico non*, id est dico verbo *non*. Cardenas de hoc dubitat, sed, salvo meliori consilio, videtur immerito, cum verbum *dico* vere duplicem sensum habeat; significat enim proferre et asserere; in nostro autem sensu *dico* idem est ac *profero*. »

(22. « His positis, certum est et commune apud omnes quod ex justa causa licitum est uti æquivocatione modis expositis, et eam juramento firmare. Ratio, quia tunc non decipimus proximum, sed ex justa causa permittimus, ut ipse se decipiat, et ex alia parte non tenemur ad mentem aliorum loqui, si justa causa subsit. Justa autem causa esse potest quicunque finis honestus ad servanda bona spiritui, vel corpori utilia. »

(23. « Restrictio vero mentalis, alia est *pure mentalis*, quæ nullo modo ab aliis percipi potest; alia non est pure mentalis, quæ ex adjunctis circumstantiis innotescere potest. »

« Restrictio pure mentalis nunquam est licita, nec juramentum super eadem, ut patet ex tribus propositionibus damnatis ab Innoc. XI. »

In quibus prima, n. 26, dicebat : « Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fuit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. »

Secunda n. 27 : « Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quemlibet virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa. »

Tertia, n. 28 : « Qui mediante commendatione vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. »

(24. « Econtrario licitum est ex justa causa uti restrictione non pure mentali, etiam cum juramento, si illa ex circumstantiis percipi potest. Id probatur ex *Joan.* VII, ubi Christus dixit : *Non ascendo ad diem festum hunc*. Et tamen narrat Scriptura quod postea ascendit; *non ascendo*, subintellexit, manifeste, ut rogabant discipuli, sed *ascendo* occulte. Pariter ex *Matth.* XXIV, ubi Dominus dixit : *De die illa nemo scit... neque Filius*, sub intelligendo ad manifestandum, ut discipuli petebant, prout explicat D. Augustinus, p. 6, in proleg. Sic etiam sentit D. Thomas, 3, p. q. 10, art. 2, ad. 2, inquiens : « Dicitur ignorare diem, quia non facit scire; » *id est* ac si dixisset : Haud scio ad manifestandum aliis. Et idem sentiunt Chrysost., Hier., Ambros., Athanas., Basil., Hilarius, ut testatur Suarez. Hanc sententiam communiter tenent Gonet, Layman, Palud, Soto, Cardenas, La Croix, etc., ubi dicunt hanc sententiam esse communem fere omnium DD. Consentit etiam rigidissimus Contensonius. Nam explicando illud *Joan.* VII, de Ascens. Christi ad diem festum, dicit Christum verba subobscura adhibuisse, in quibus poterat vir prudens verborum sensum facile interpretando aperire. — Favet D. Thomas, 2-2, q. 110, art. 5, ad 4, dicit : « Non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocunque periculo liberet; licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut August. dicit in lib. *contra mendacium*. » Ratio autem hujus sententiæ est, quia si non liceret uti restrictione non pure mentali, non existeret modus secretum licite celandi, si quis nequiret aperire sine damno, vel incommodo; quod utique esset æque perniciosum commercio humano quam mendacium. »

Damnatio autem peracta a pontifice restrictionis mentalis recte intelligenda est de destrictione pure, et stricte sumpta; illa enim tantum vera mentalis restrictio dici debet, quæ tantum in mente fit, et ita occulta remanet, et nullo modo ex circumstantiis externis agnosci valet. D. de Ligorio, de Juram., n. 151, 152.

(25. « Hinc infertur : 1° confessarius affirmare potest, etiam juramento, se ignorare peccatum auditum in confessione, subintelligendo, ut hominem, non ut ministrum Christi. *Communissime*. Ratio, quia interrogans non habet jus nisi ad sciendam notitiam communicabilem, qualis non est notitia confessarii. Et hoc etiamsi alter interroget, an audierit ut minister Christi... Quia confessarius semper censendus est respondere ut homo, nam, ut minister Christi, non potest loqui. Hinc dicunt Card., ac Fel. Pot., quod quoties tenetur quis occultare infamiam alterius, licite dicit ignorare, scilicet non habeo scientiam utilem ad respondendum; sive non scio tanquam manifestabile... Et si quis temere petat a confessario an audierit tale peccatum in confessione, bene potest respondere : Non audivi, scilicet, ut homo, vel ad manifestandum. » *Idem*, l. c., n. 153.

(26. « Reus, aut testis a judice non legitime interrogatus potest jurare se ignorare crimen quod revera scit, subintelligendo ignorare ad deponendum. Item, si testis ex alio capite non teneatur deponere, nempe si ipsi constet crimen caruisse culpa, vel si sciat crimen, sed sub secreto, cum nulla

Digitized by Google

præcesserit infamia. Reus tamen, vel testis, qui legitime a judice interrogatur, nequit ulla æquivocatione uti, quia tenetur justo præcepto superioris parere. Est *Communis*. Et idem dicendum de juramento in contractibus onerosis, quia alias injuria alteri irrogaretur. Excipe in judicio, si crimen fuerit omnino occultum, tunc enim potest, imo tenetur testis dicere, reum non commisisse. Et idem potest reus, si non adest semiplena probatio. Tamb. cum communi, quia tunc judex non legitime interrogat; » D. de Ligorio, ib., n. 154.

(27. « Quæritur 2° an reus legitime interrogatus possit negare crimen, etiam cum juramento, si grave damnum ex confessione ipsi immineat? Negat Elbel cum D. Thom., et quidem probabilius, quia reus tenetur tunc pro communi bono damnum illud subire. Sed satis probabiliter Lugo de just., Tamb., Sanchez., Viva, item Ebel Carden., cum Nav., Less., Fill., et aliis pluribus, dicunt posse reum, si sibi immineat pœna mortis, vel carceris, aut exsilii perpetui, amissionis omnium bonorum, triremium, et similis, negare, crimen etiam cum juramento, saltem sine peccato gravi, subintelligendo, non commisisse, quatenus teneatur fateri, modo sit spes vitandi pœnam. Ratio quia lex humana non potest sub gravi obligare homines cum tanto onere. » D. de Ligorio, ib., n. 156 (111).

(28. « Pœnitens, interrogatus a confessario de peccato confesso, potest jurare non commisisse, subintelligens illud, quod confessus non sit. Hoc tamen intelligendum, nisi confessarius juste interroget ad noscendum statum pœnitentis, ut ex prop. 58 dam. ab Inn. XI, in hæc verba « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. » D. de Ligorio, ib., n. 157.

(29. « Indigens bonis absconditis ad sustentationem potest judici respondere se nihil habere... Pariter hæres, qui sine inventario occultavit bona, si non tenetur ex illis satisfacere creditoribus, potest judici respondere, nihil occultasse, subintelligendo de bonis, quibus satisfacere teneatur. » Ex D. Ligorio l. c., n., 158.

(30. « Qui mutuum accepit, sed postea satisfecit, potest negare accepisse mutuum, sub intelligendo ita ut debeat solvere. Sic pariter, si quis fuit coactus ad matrimonium, potest judici asserere etiam cum juramento non contraxisse, scilicet libere, ut par erat; idem de eo qui irrita sponsalia inivit. Pariter qui matrimonium promisit, sed indo non teneatur ad illud, potest negare promissionem, scilicet ut ex illa teneatur. — Qui venit de loco falso putato infecto, potest negare venire ex illo, scilicet ut pestilenti, quia hæc est mens custodum. Pariter uxor, cui constat matrimonium esse nullum, potest judici, vel confessario, qui alias non vellet eam absolvere, promittere cum juramento cohabitare cum viro, etsi non intendat, intelligens de cohabitatione licita. Salmat. » Ex D. de Ligorio, ib., n. 259.

(31. Rogatus a judice an sit locutus cum reo, potest negare, intelligens non locutum fuisse ad cooperandum crimini. Ex D. de Ligorio, ib., n. 160.

(32. « Quæritur an adultera possit negare adulterium viro, intelligens ut illi revelet? Potest æquivoce asserere non fregisse matrimonium quod vere persistit. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere : Innocens sum ab hoc crimine, quia per confessionem est jam ablatum, et potest affirmare cum juramento, quippe ad jurandum sufficit certitudo moralis; quæ certitudo moralis remissionis peccati potest quidem haberi, quando quis bene moraliter dispositus recepit pœnitentiæ sacramentum. Ad quæsitum vero Card... admittit in periculo mortis licere feminæ uti metaphora, quæ communis est in Scriptura, ubi adulterium sumitur pro idololatria, ut ex *Ezech.*, XXIII, 27, *quia adulteratæ sunt, et cum idolis fornicatæ sunt*. Imo si crimen est vere occultum, probabiliter potest mulier negare cum juramento et dicere : non commisi, eodem modo, quo reus potest dicere judici non legitime interroganti : Crimen non commisi, intelligendo non commisisse, ita ut teneatur ei manifestare. » Ex D. de Ligorio, ib., n. 162.

Qui habet unum panem sibi necessarium, vere respondet se nullum habere ei qui petit panem commodandum, quia nullum habet de quo commodare possit, de quo solo ille interrogat : Ronc., et idem dicit Card. de pecunia petita, si domino sit necessaria. Ex eod., n. 163.

Sed hæc hactenus, de cætero lectoris judicium sit.

(33. « Quoad judicium (quæ est altera con-

(111) « Celebris est hæc quæstio, an teneatur reus fateri crimen judici legitime interroganti, cum timore magnæ pœnæ. Affirmat prima sententia. Ratio, quia judex jus habet præcipiendi, quando legitime interrogat, ut reus crimen ei revelet. Ideoque reus peccat contra justitiam, si in hac re gravi ei non obediat. Secunda tamen sententia, quam satis probabilem etiam intrinsece puto (quamvis primam communem probabiliorem) negat teneri reum crimen suum revelare, casu quo damnandus foret ad mortem, aut ad triremes, ad carcerem perpetuum, vel ad amissionem omnium bonorum, vel totius famæ et honoris. Ratio, quia videtur non adesse hanc duram legem, tanquam humano modo impossibilem, ut quis teneatur quasi ipsemet se condemnare ad gravissimam pœnam, crimen suum confitendo, » nisi commune damnum immineat ex reticentia confessionis delicti, puta hæresis, læsæ majestatis, etc.; tunc enim reus tenetur seipsum prodere, vel saltem socios, quantum opus est ad commune damnum avertendum, etiamsi si ipsi mors imminent ex revelatione sociorum, ex quibus evadet in judicio convictus. Casu vero, quo tale damnum non timetur, cum lex obligans ad crimen fatendum probabiliter non exstet, probabiliter judex non habet jus veritatem in tali casu exigendi, nec reus obligationem eam manifestandi; et ideo reus amplo bologiis crimen celando, contra justitiam non peccat » D. de Ligorio lib. IV, cap. 3, dub. 7, n. 274.

Digitized by Google

ditio juramenti) spectat, si hoc solum desit, ut plurimum est veniale tantum; ut si quis absque necessitate juret, sive ex levitate quadam animi, sive ex consuetudine. » V. Sanchez, lib. III, c. 6, n. 22, Less.

« Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccari potest, juxta quantitatem negligentiæ, quam jurans admittit in investigatione veritatis, vel tollendæ consuetudinis. » Sanchez, n. 10.

« Et sic mortalis est status illorum qui non tollunt consuetudinem jurandi sine attentione, sitne verum hoc, an falsum, quod jurare solent. » Apud D. de Ligorio, de juram., n. 145.

(34. « Quod ad justitiam attinet, quæ est tertia in juramento conditio, peccat mortaliter, qui jurat se facturum rem mortaliter malam ut se aliquem interfecturum; quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, ita ut hic duæ malitiæ concurrant : una quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei odio habentis omne malum. » Apud D. de Ligorio, de Juram., n. 146.

(35. « Hoc certum est in juramento promissorio; sed quæstio est an sit peccatum grave defectus justitiæ in juramento assertorio; si quis cum juramento se jactet de aliquo peccato? Prima sententia affirmat; sed probabilius dicendum non esse nisi veniale contra religionem; quia in tali assertorio juramento (juramentum) pronuntiatur ad alios certiores reddendos de suo peccato, quod non est, nisi quædam animi levitas venialis. Secus tamen dicendum, ut bene advertunt Salmat, si quis juramentum assumeret ad firmandam detractionem, quia juramentum tunc sumitur ad infamiam alterius certiorem reddendam. » D. de Ligorio, l. cit., n. 146.

(36. « Venialiter autem peccat, qui jurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem, aut frivolam; cum ibi levis tantum irreverentia conseatur. » Busemb. Sed magis, ita D. de Ligorio, mihi arridet sententia opposita, quam tenet Elbel., quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem, ac fidejussorem peccati, quamvis levis). *Ibid.*, n. c.

(37. Item venialiter peccat, qui jurat aliquid contra consilia evangelica, ut se non ingressurum religionem, non daturum eleemosynam, aut mutuum. Suarez, Less., Sanchez, apud D. de Ligorio, n. c.

(38. His ita præstitutis, operæ pretium est de interpretatione juramenti regulas quasdam proponere.

Regula I. Juramentum, ex DD. sententia, est stricti juris, stricteque interpretandum. Suarez, lib. II, de juramento, cap. 12, numero 7, apud Reiffenst. ad tit. 24, ex de juram., § 2, n. 1.

Id sane desumitur ex cap : *Cum clerici* ex., 19, de verb. significat., ubi juramentum editum stricte per pontificem interpretatur. Lubet afferre verba Decretalis : « Cum clerici Placentini juramentum præstant sub hac forma verborum : Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero, et obediens sanctæ Placentinæ Ecclesiæ, et domino meo episcopo Placentino; per vestras nos litteras consulere voluistis, utrum intelligi debeat clerus totius diœcesis, an capitulum tantum Ecclesiæ cathedralis? Nos igitur discr. v. respondemus, quod per Ecclesiæ Placentinæ vocabulum in forma juramenti præscripti, non debet intelligi totius diœcesis clerus; et si capitulum intelligatur Ecclesiæ cathedralis, is tamen qui præstat hujusmodi juramentum, episcopo, tanquam capiti, principaliter obligatur. »

Accedit ratio quia ubi de inducenda obligatione agitur, stricta debet fieri interpretatio juxta c. : *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, 15 de reg. jur. in 6. Unde si quædam reperiatur obscuritas, juramentum interpretatur pro favore jurantis; atque illud quod palam verbis expressum non est, censetur omissum l. *Quidquid astringendæ* ff. de verb, obligat. ibi : « Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est, ac fere secundum promissorem interpretamur. »

(39. « Atque istud vel maxime procedit pro foro externo; nam in foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis, juxta illud I. Regum cap. XXVI, v. 7 : *Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Unde D. Gregorius relatus *can. Humanæ aures* 22, q. 5, sic loquitur : « Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant; divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. »

(40. « Quod si tamen de ipsa jurantis intentione non constet, tunc etiam in foro animæ ac pœnitentiali, juramentum stricte est interpretandum. »

« Neque obstat favor juramenti atque reverentia eidem debita. Siquidem favor juramenti, ac reverentia ipsi debita, principaliter consistit in eo quod sit verum, justum atque rationabile; sicque habeat comites suos, *veritatem* nimirum, *judicium* atque *justitiam;* non autem, ut ad plura extendatur atque in dubio amplietur; quinimo, quo benignior fuerit interpretatio juramenti, eo facilius observabitur, magisque evitabitur ipsius violatio, seu perjurium. » Ex Reiffenst., l. cit., n. 32, 33, 34.

(41. Hoc pacto quando juramentum est præstitum circa materiam juris, hoc est circa illa, de quibus jus ipsum disponit, tunc illud est interpretandum secundum dispositionem juris communis, neque ultra extendendum. Ita Glossa in c. 1, vers. *Declaramus* l. c. *in* 6; Innocen. c. *Per tuas litteras*, de arbitr.; Abbas, c. *Tua nos* n. 4, de Eccl., ædific., Layman., Pirhing, aliique.

Id amplius evincitur ex cap. *Ad nostram* 21. Ex h. tit. tenoris sequentis : « Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod dudum a te quasi per extorsionem tale fuit præstitum juramentum, quod in omni causa deberes ordinem judiciarium observare. Verum quoniam secundum traditiones cano-

Digitized by Google

nicas manifesta accusatione non indigent, nec in eis est ordo judiciarius observandus, qui debet in aliis observari, neque tu quando sub præmisso tenore jurasti habebas in mente, ut propterea venires contra canonicas sanctiones; alioquin non juramentum, sed perjurium potius exstitisset, nec esset aliqua ratione servandum. Nos juramentum tuum benignius interpretari volentes, ita quod in manifestis et notoriis ratione juramenti præmissi non credimus te teneri servare subtilitatem ordinis judiciarii, quam in his non servari per omnia ipsa quoque juris ratio postulat, et requirit. Quanquam et secundum approbatum intellectum Scripturæ divinæ recte possit intelligi quod jurasti, ut in omnibus causis ordinem judiciarium observares; in illis videlicet, in quibus est ordo judiciarius servandus. Sic ergo faciens, et juramenti tenorem servabis, et instituta canonica non omittes. » Ubi vides quod jurans in omni causa observare debere ordinem judiciarium non tenetur vi juramenti ipsum servare in manifestis ac notoriis : quippe, spectato jure communi, manifesta accusatione non indigent : ac proinde etiam illud juramentum, utpote interpretandum secundum jus commune, casum hunc de manifestis non comprehendit. Ex Reiff., ib., n. 36.

Audiamus ad mox allatum textum cl. Barbosa in hæc verba : « Juramentum simpliciter et in genere factum intelligitur de his rebus quæ juri non contradicunt ; verbi gratia, qui jurat in omni causa servare ordinem judiciarium, intelligitur quando talis ordo servandus est, et non quando jus aliter disponit; verbi gratia, in manifestis, et notoriis non est opus accusatione, nec subtilitate ordinis juris, secundum jus canonicum, et in hoc servandum non est juramentum, alioquin si intendebat facere contra jus canonicum, erat perjurium. » Collect. DD. in 2. Decret., tit. 24, de jurejur., c. 20, n. 1.

(42. Hujusmodi doctrina declaratur amplius exemplis atque casibus specialibus.

Sic clericus, qui juravit perpetuam residentiam, potest in casibus a jure permissis abesse, verbi gratia, pro servitio suæ Ecclesiæ, ut habetur ex cap. 13, ex., de Cleric, non resident. tenoris ut sequitur : « Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod tempore, quo præposituram de Valeriis recepisti, præstitisti de facienda residentia juramentum. — Cum autem prosequendo præposituræ jura, residere interdum in Ecclesia memorata non possis, de juramento super ipsa residentia præstito metuens, provideri tibi super hoc a nobis humiliter postulasti. Nos vero dicimus quod si, te non absentando in fraudem, præposituræ tuæ jura fideliter prosequeris, cum ex hoc censeri debeas residens, perjurium non incurris. »

Hinc Barbosa ad hunc textum : « Jurans, inquit, residere in sua Ecclesia, et postea sine fraude se absentans ad defendenda, vel prosequenda illius jura, non dicitur perjurus, sed debet censeri residens. » Collect. DD. in 3. Decret. tit. 4, de cler. non resid., cap. 13, n. 1.

(43. Similiter clericus qui juravit perpetuam residentiam, ut supra, potest abesse ex causa infirmitatis, seu justæ et rationabilis corporalis necessitatis. Reiffenstuel, ad Tit. 24, ex de jurejur., § 2, n. 38.

(44. Item qui juravit parere juri, vel mandatis Ecclesiæ, potest, hoc juramento non obstante, si se injuste gravatum viderit, licite appellare, sicut jure communi concessum est. Abbas ad Cap. *Prout nobis ex de dolo et contum.* Reiffenstuel, loc, cit., num. 39.

(45. Hi siquidem, aliique hujusmodi casus exceptionem et interpretationem favorabilem admittunt, ac recipiunt ex dispositione juris communis, juxta quod servitium Ecclesiæ, aut infirmitas excusant a residentia prout ab injusto gravamine fit locus apellationi.

Regula 2. In interpretatione juramenti attendenda semper sunt salus, et majus bonum proximi, publica utilitas atque bonum commune.

Hoc pacto, jurans, vel vovens concubinam ulterius non cognoscere, nihilominus potest cum ea contrahere matrimonium, quia votum, vel juramentum hujusmodi intelligitur solum de voto illicito. — Quod verum est, etiamsi jurasset expresse non contrahere matrimonium cum ea, relicta sibi facultate cum aliis contrahendi, quia tale votum, vel juramentum est impeditivum majoris boni, nam melius est contrahere cum concubina, quam cum alia. Bonacina tom. II, disp. 4, de voto, q. 2, § 3, n. 9. Apud Nicolium, Floscul., v. *Juramentum.*

(46. Sic qui juravit, consilium, seu secretum alterius nulli revelare, vi hujus juramenti solummodo tenetur celare consilium ipsius honestum secus; dicendum de consilio malo et reipublicæ pernicioso : Abbas, ad cap. *Ergo* h. t. n. 7. Qui tamen notanter addit quod tunc ejusmodi consilium, seu secretum malum non possit revelari omnibus, foret enim manifesta detractio, occultum crimen alterius sine legitima causa manifestare, sed illis duntaxat, quibus potest prodesse, et non obesse, puta quia possunt sibi, aut reipublicæ præcavere a gravioribus malis. Reiffenst., l. c., n. 40.

(47. Sic quoque qui juravit alicui reo se non revelaturum ejus crimen, non tenetur ex tali juramento, quippe vergeret ad communitatis detrimentum, cujus vel maxime interest, ne delicta impunita maneant; intelligo secundum limitationem ut in n. præcedenti.

(48. Insuper qui doctrinam alicujus experimenti, sive salubris, ut singularis remedii accepit, ac interposito jurejurando promisit id se nemini communicaturum, juramentum istud servare non semper tenetur, sed in certis duntaxat rerum circumstantiis. Quippe cum salubris remedii communicatio non minimum bonum sit, jusjurandum, quo se aliquis astringit, ut nusquam illud communicet, foret contra charitatem. Ex Nat. Alex.

Digitized by Google

Theol. Dogm. mor., lib. IV, ad 2, Decal., de juram., regula 20.

(49. Regula 3. Juramentum bona fide generaliter præstitum est interpretandum secundum intentionem jurantis, non vero extendendum ad incognita, seu ad talia de quibus jurans in specie non cogitavit, et si in mentem venisset, verisimiliter excepisset. Hinc D. Th. « si jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem ipsius jurantis. » 2-2, qu. 89, art. 7, ad 4.

(50. Hoc pacto, juramentum non est extendendum ad casus non cogitatos, nimiumque graves, seu improbabiles. Reiffenst., l. c., n. 45.

(51. Proinde, qui juravit stare mandatis alterius, si alter ipsi præcipiat, ut in pœnam alicujus illatæ offensæ, filios, filiasque exhæredet, et a se propriam removeat uxorem, non tenetur servare tale juramentum, utpote ad incogitata se extendens, simulque præcipiens aliquid illicitum, ut ex cap. 23, ex hujus tituli, in hæc verba : « Quintavallis Vicarius nostris auribus intimavit quod cum olim filiæ sive cum Giburga et Venetia filiabus Jo. Bertii, ad verba, et etiam ad verbera devenissent, idem Quintavallis pro offensa quam filiæ illius aliis irrogaverant, satisfacere cupiens, de consilio convicinorum mulieribus illis, et consanguineis suis præstitit juramentum, ut pro ipsa offensa earum mandato pareret : quæ ab ipso juramento recepto, tale illi sub debito juramenti dedere mandatum, quod si quando filii, vel filiæ, vel uxor illius aliquod factum, vel verbum contumeliosum mulieribus illis objicerent, idem Quintavallis, et filios suos exhæredaret et filias, et a se propriam removeret uxorem. Quo circa f. t. inquiras de præmissis diligentius veritatem; et si rem noveris ita esse, cum licitum fuerit juramentum, sed mandatum illicitum, prædictis filiabus Jo. Bertii, ut revocent mandatum illius injungas ; alioquin prædictum Quintavallis ad mandati observationem illius, auctoritate nostra suffultus denunties non teneri.

(52. « Notatur ad hoc, ait Barbosa ad hunc textum, quod cum aliquis jurat simpliciter stare mandato alicujus, non tenetur parere si præcipiat illicita. Unde si famulus juravit se Domino obtemperaturum, ipsi imperanti aliquid inordinate parere non tenetur. Et si quis juravit stare consilio alicujus, intelligi debet, si consilium sit juri consonum. » Collect. DD. in 2, decret. cap. Quintavall. 23, ex. de jurejur., n. 2 et 3.

(53. « Hinc, deciditur quæstio de clerico, qui juravit stare omni mandato episcopi, qui tandem præcepit clerico ut beneficium, de quo controversia erat, renuntiaret, neque super hoc appellaret, in qua quæstione Joan. Andreas concludit clericum posse appellare, non obstante tali præcepto, quia beneficium juris non potuit ei episcopus denegare, et iniquum fuit præceptum ; ideoque juramentum ad illud non extendebatur, cùm de illo juraas verisimiliter non cogitasset. » Ita Fagnanus ad cap. *Veniens*, ex. de jurejur., n. 19.

(54. At si jurans fuerit in dolo, præstando, v. g., juramentum sub verbis callidis ad decipiendum eum cui jurat, tunc juramentum est interpretandum, atque est obligatorium juxta intentionem recipientis, hoc est juxta sanum intellectum illius cui juramentum præstatur. « Quando non est eadem jurantis intentio, et ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur. » Sic D. Th. 2-2, q. 89, art. 7, ad 4. — Et revera *fraus et dolus alicui patrocinari non debent*, ut dicitur cap. *Sedes* 13, ex de Rescriptis. Quinimo dolose jurans, teneretur ex virtute justitiæ pro foro conscientiæ, etiam ante aliam sententiam judicis, ad refundendum omne damnum alteri, quem suo doloso juramento decipit, atque damnificat. Reiffenst. ad. cit. tit., 24, ex de jurejur., § 2, n. 48 et 49.

(55. Quarta regula est juramentum personam jurantis respicere, nequaquam vero hæredes et successores complecti etiamsi quis pro se et hæredibus juramentum præstiterit.

Enimvero jusjurandum est obligatio voluntarie assumpta ex virtute religionis, sicut et votum, adeoque esse non potest absque intentione jurandi ; ac proinde est vinculum personæ annexum, sicque nequit ejus obligatio ad aliam transferri personam. Reiffenst. ib. § 4, num. 103. Nota vero quod obligatio ex contractu firmato a juramento ad hæredes sine dubio transmittitur. Qui utique, quamvis non ex juramento propter se, ex contractu tamen tenebuntur, quippe ex notissimis juris principiis *omnis obligatio defuncti transit in hæredem ;* et hoc pro utroque foro. *Communis*, ex cap. 1, de pactis, et l. Jurisjurandi ff. de operis libert.

(56. Infertur inde quod si defunctus promissionem homini factam, et ab eodem acceptatam, verbi gratia, de danda certæ pauperi puellæ dote, juramento firmaverit, sicque duplicem contraxerit obligationem, unam religionis vi præstiti juramenti, alteram justitiæ ratione pacti, seu promissionis ab altero acceptatæ; tunc quidem per mortem ipsius exstinguatur prior obligatio, quæ est propria juramenti, atque ex virtute religionis oritur, cum sit mere personalis : Posterior tamen transeat ad hæredem, qui adeundo hæreditatem censetur contractum inire ad solvenda omnia defuncti obligationes et onera, sicque etiam tenetur dare dotem promissam puellæ pauperi. Reiffenst., ib., n. 107.

(57. Id vero intellige de obligationibus ex justitia : quia si hæres ex justitia non tenetur, juramentum ab auctore præstitum, utpote personale, non tenet. « Secus dicendum, sic Reiffenstuel, de juramento debitoris defuncti, qui promisit solvere usuras. Nam quia obligatio juramenti fuit personalis, remansit sicque exstincta in morte debitoris defuncti ; nulla vera remanserat obligatio justitiæ, eo quod exactio usurarum contineat turpitudinem, atque injustitiam ex parte

Digitized by Google

recipientis. Hinc hæres non tenetur ad istud juramentum persolvendum, » loc. cit., n. 109.

(58. Hinc quando juramentum solum obligat, contractus vero, cæteroquin de jure nullus, per illud non confirmatur, obligatio ejus non transit in hæredes. Quia juramentum non potest esse sine propria intentione, ac proinde obligatio ejus est mere personalis atque voluntarie assumpta ex virtute religionis, et consequenter non transit ad hæredes. Reiffenst., l. c., n. 113.

Audiamus insuper D. de Ligorio in hæc verba :

« Quæritur, cum contractus est irritus a jure, utrum tunc juramentum firmet contractum, ita ut promissarius ex eo acquirat jus justitiæ? Probabiliter negatur. Ratio quia nullo modo juramentum habet vim firmandi hujusmodi contractum; non ex se, quia solum obligat virtute religionis; non ex jure positivo, nam licet ex cap. 28, ex. de jurejur., tales contractus debeant servari ob juramentum, nullibi tamen habetur servandos esse ex justitia; et ideo hæc obligatio non transit ad hæredes jurantis; et ipse jurans deobligatur, relaxato juramento. » D. de Ligorio de juram., n. 177.

(59. Attamen juramentum ex parte ejus, cui juratur, non est personale, sed transit ad hæredes ipsius, ut ex cap. *Veritatis* h. t. in hæc verba « Veritatis. Cum intentio nostra sit nihil intolerabile tibi, tuisque hæredibus imponere, taliter in hoc articulo tibi duximus respondendum, ut hæredes tui, qui nobis, vel alicui successorum nostrorum juraverint, alii jurare minime compellantur. Catholicis, tamen successoribus nostris, qui pro tempore fuerint, et hominis et fidelitatis puritatem nihilominus, ac si jurassent, omni tempore teneantur absque tergiversatione aliqua fideliter observare. »

(60. Ergo vassallus, qui juravit prælato fidelitatem atque reverentiam, eamdem etiam tenetur exhibere successoribus ipsius, neque istis amplius compellitur jurare, nisi velit, prout notat Glossa ad h. t. cap.; Reiffenst. ib. n. 110.

(61. « Si vero ad perfectam resolutionem eorum, quæ dicta sunt, quæras, cur possit aliquis se obligare alicui et successoribus illius sub pœna perjurii, non autem obligare se, et successores suos; respondebitur quod in primo casu plures illæ personæ sunt objectum juramenti, et potest jurans intendere totum illud objectum. Agitur enim solum de obligatione propria jurantis, quam quis facere poterit, prout voluerit. In secundo autem casu distinctæ sunt personæ, et juramentum natura sua non potest obligare nisi personam jurantem; et ita cum agatur de obligatione aliena, quam quis non potest facere, merito juramentum alias personas non obligat. » Barbosa Collect. DD. in 2, Decret. de jurejur. cap. *Veritatis* 14, n. 10.

(62. Hisce positis ad juramentum promissorium exponendum, ejusque naturam, obligationem et vinculum deveniamus.

Ante omnia præstat doctrinam D. Thomæ hic afferre in hæc sane verba : « In juramento, quod præstatur de his quæ sunt fienda a nobis, obligatio cadit super rem quam aliquis juramento firmavit; tenetur enim aliquis ut faciat verum esse id quod juravit; alioquin deest veritas juramento. Si autem est talis res quæ in ejus potestate non sit, deest juramento discretionis judicium : nisi forte quod erat ei possibile, quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, puta cum aliquis jurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi vel furto subtrahitur; tunc enim videtur excusatus esse a faciendo quod juravit; licet teneatur facere quod in se est. Si vero sit quidem possibile fieri; sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc juramento deest justitia, et ideo juramentum non est servandum in eo casu quo est peccatum vel boni impeditivum : Secundum enim August., utrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum est quod quicunque jurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc ut veritas impleatur; si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium et justitia, » 2-2, q. 88, art. 7.

Prosequitur idem S. doctor. « Juramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. Uno modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum, vel quia est secundum se malum, sicut cum aliquis jurat se perpetraturum adulterium; sive quia est majoris boni impeditivum : puta cum aliquis jurat se non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut quod non accipiet prælationem in casu in quo expedit eam accipere, vel si quid aliud est hujusmodi. Hujusmodi enim juramentum a principio est illicitum; differenter tamen, quia si quis juret se facturum aliquod peccatum, et peccavit jurando, et peccat juramentum servando. Si quis autem jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat juramentum servando; sed multo melius facit, si non servet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid quod de novo emerserit, quod fuit impræmeditatum, sicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ saltanti se daturum quod petisset; hoc enim juramentum poterat esse a principio licitum, intellecta debita conditione, scilicet si peteret quod dare deceret; sed impletio juramenti fuit illicita. » *Ibidem* ad 2.

(63. Unde certum est quod omne juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam, et cedentem ad honorem Dei, vel bonum tertii pariat obligationem illud observandi ex virtute religionis. Quippe juramenta debite facta, simulque honesta involvunt reverentiam divini numinis, cujus summam atque indefectibilem veritatem jurans profitetur atque in testem advocat : proinde ad observantiam obligant, ne Dei veracissimi testimonium in confirmationem

Digitized by Google

falsitatis et mendacii per vetitum nefas adducatur. *Communis.*

(64. Quid, si quis juret sine animo jurandi? Si desit intentio jurandi, conveniunt DD. juramentum in foro conscientiæ non obligare ex virtute religionis, ac vi ipsius juramenti, revera enim talis non fuit ex defectu intentionis; quamvis non solum talis graviter, imo dupliciter peccat, dum et Dei nomen assumit in vanum, et proximum decipit, ita ei dolose jurando: sed etiam obligatur ad servandum juramentum illud, tum ratione scandali exterioris vitandi, quod alias ex transgressione illius subsequeretur; tum ex justitia, ne ex suo doloso juramento grave damnum atque injustitia proximo inferatur; alioquin vero tenebitur ad resarciendum omne damnum suo doloso juramento causatum : Quia dolose jurans proximo, tenetur juxta intentionem recipientis servare suum juramentum, licet non ex virtute religionis, saltem spectato foro conscientiæ : Sanchez, lib. v, in Decal., cap. 10. n 4, et seqq. Apud Reiffenst., ad tit. ex de jurejur. § 3, n. 70.

Hinc Innocentius XI seq. propos. damnavit : « Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. »

(65. Notanter tamen dicitur, saltem spectato foro conscientiæ; siquidem in foro externo cogeretur talis servare juramentum juxta verum sensum verborum atque intentionem accipientis; et si dolose jurans illud non servaret, censeretur agere non solum contra justitiam ratione damni injuste illati, sed etiam contra virtutem religionis, sicque reputaretur perjurius; nam Ecclesia non judicat de occultis; ac proinde censeretur juramentum fuisse veraciter et debita cum intentione probatum.

(66. Neque enim prodesset, si ficte jurans postea ultro confiteretur defectum suæ internæ intentionis tempore præstiti exterius juramenti : nam allegans propriam turpitudinem, non auditur, saltem non ad suum commodum, bene tamen ad suum præjudicium. Reiffenst., l. c., n. 71, 72.

(67. Quæritur an sic ficte jurans graviter peccet. Resp. affirmative, si juret sine animo implendi promissionem; si vero cum animo implendi, peccat tantum venialiter, ut communissime dicunt Sanchez, Roncaglia, Tambur. Elbel, etc. Recte vero excipiunt, si juramentum fiat in contractibus, vel coram judice, quia tunc, licet non sit perjurium, est tamen gravis deceptio contra justitiam D. de Ligorio, de juram., n. 172.

(68. « An autem jurans cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi, teneatur ad servandum juramentum? Prima sententia negat, tum quia hujusmodi juramentum fuit invalidum, tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta jurantium intentionem ex c. *Humanæ aures* q. 5, ubi dicitur : Divina judicia talia foris nostra verba audiunt qualia ex intimis proferuntur. » Ita Pal., Salmat., Ronc., Tamb., Mazzat., Elbel., Sanchez cum S. Bonav., S. Anton., Scoto Sylv., Nav., Arm., Gabr., Ang. et aliis cum *communi*, ut asserit Azor et clare favet D. Th. n. 3, dist. 39, q. 1, art. 3, q. 3, ubi ait : « Si autem simpliciter juret absque dolo, tunc in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundum suam intentionem. » Et idem confirmat 2, 2, q. 89, art. 7, ad 48. « Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. » Is autem jurat sine dolo, ut dicit Elbel cum Fill., qui jurat alicui nullum jus habenti ex justitia ad rem promissam. — Secunda tamen sententia affirmat teneri ad servandam juramentum. Hanc tenent Less., licet vocem oppositam valde probabilem Cajet., Suarez, Sot., item Valent., Sayr., Fill., Arag. apud Bonac., Renzi. Ratio, quia, qui jurat cum animo jurandi, jam verum juramentum emittit, et ideo tenetur efficere, ad servandam reverentiam divini nominis, ut verum evadat quod jurat; nec potest a juramento separare obligationem implendi promissum, cum obligatio oriatur ex ipso juramento, de cujus natura est, ut effectum habeat quod juratur, ne vocetur Deus in testem falsitatis. Et in hoc apparet differentia inter votum, seu contractum, et juramentum; nam in illis obligatio pendet ab intentione voventis vel contrahentis; in juramento autem ex vi ipsius juramenti. Utraque sententia est probabilis, sed prima est probabilior; nam ratio hujus secundæ sententiæ supponit ut certum, tale juramentum sine animo se obligandi emissum, esse verum juramentum; attamen probabilius est et commune, ut asserunt Salmat., et etiam Viva, quod hujusmodi juramentum non sit verum juramentum, tum quia caret conditione necessaria ad naturam juramenti promissorii, qualis est animus se obligandi; tum quia juramentum sequitur naturam promissionis quam confirmat, ut certum est apud Bus, cum Less., Bonac., etc. At promissio sine tali animo facta non est quidem promissio, sed simplex propositum; ergo evanescente promissione, evanescit etiam juramentum, et habetur ut factum sine animo jurandi, quod certe nullum est. Si autem nullum existit juramentum, nulla existit obligatio illud implendi. D. de Ligorio, De juram., n. 172.

(69. Quæritur an detur parvitas materiæ in transgressione juramenti promissorii; puta si promittens dare aliquid modicum cum intentione præstandi dum jurat, sed postea non impleat, an tantum leviter peccet? Prima sententia negat, quippe adest violatio juramenti, in qua violatione nulla datur parvitas materiæ. Secunda vero sententia non minus probabilis, imo forte probabilior affirmat. Ex D. de Ligorio, De juram., n. 173.

(70. Quid si ex eo quod quis jurat, tantummodo parum aliquid non servet?

« Certum est, quod si ex eo, quod jurasti tantummodo parum aliquid non serves, non est grave; v. g. si jurasti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo. Sanchez t. I, l. IV, c. 12, n. 21. Quia tunc excusat parvitas materiæ; et sic excusantur, qui jurant servare statuta alicujus capituli, collegii, universitatis, si postea parvum

Digitized by Google

aliquod statutum violent. » Apud D. de Ligorio l. et n. c.

(71. Quæritur an obliget juramentum metu gravi et injuste incusso extortum?

Samuel Puffendorfius, nequaquam hujusmodi juramentum quem obligare contendit. « Plane, sic ille, videtur expirare obligatio si in homine, cui promittitur, vitium sit, ob quod recte acceptare promissum is non possit. Neque enim Deo promisi, neque dixi : in honorem, et gloriam divini nominis latroni dabo; et si vel maxime admittas, hoc quoque jusjurandum habere vim voti, tamen cum votum non stringat, nisi a Deo acceptetur, unde constabit mihi, Deo probari, ut ego innocens me bonis meis spoliem, et illa in impium nebulonem conferam, ne ille gratis sceleratus fuerit? Ne vero Numinis honor minoris dein sit apud latronem, ejusmodi juramento neglecto, non est metuendum, cum is ipso vitæ genere satis ostendat quanti Deum faciat. Si quis tamen sit, qui evitando simplicium scandalo, et ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum subductus irreverentius habere, pecuniæ promissæ jacturam facere velit, satius utique videtur, Deoque acceptius, eam in pias causas erogare, quam nebulonis alicujus malitiam eadem alere. » *Jus Natur.* et *Gent.* lib. IV, De jurejur. cap. 2, § 8.

(72. Huic opinioni (quam nos duntaxat modo historico attulimus maxime cum de auctore a Romanæ Ecclesiæ communione alieno agatur) (112), nos cum communi theologorum jure merito contradicimus, duce D. Thoma, qui sic habet : « Dicendum quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit; et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam. » 2-2, q. 89, art. 7, ad 3.

« Romani autem pontifices, prosequitur D. Thomas, ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. » *Ibid.*

(73. Sed quod magis est, si jus Decretalium evolvamus, persuasum fiet hanc fuisse summorum pontificum mentem, nempe juramentum promissorium, metu etiam gravi atque injuste incusso extortum obligare, dummodo citra dispendium salutis æternæ valeat servari nisi a legitimo superiore relaxetur.

Primum responsum, quod est Alexandri III, occurrit in tit. ex. de jurejur., Cap. *Si vero* 8, tenoris sequentis : « Si vero quemquam gravissimo metu sub religione juramenti jus suum refutare coegerit, ipsum quoque sibi retinuerit; quia nos consulere voluisti, alter, an neuter id habere debeat : hoc tibi duximus respondendum quod non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale fuerit juramentum quod servatum vergat in interitum salutis æternæ; nec nos cuilibet ex responsione nostra volumus dare materiam contra juramentum suum venire, ne auctores perjurii esse videamur. Unde aliquando in Romana Ecclesia a pluribus et a prædecessoribus nostris factum esse recolitur quod clerici, qui coacti Ecclesiæ ministerium abjurarunt, de juramento absolutionis beneficium meruerunt. » Ad quam decret. sic ait Em. Gonzales : « Ex præsenti textu talis deducitur assertio : Juramentum metu extortum servandum est, donec ab Ecclesia relaxetur. » — Audiamus amplius Barbosam ita scribentem : « Juramentum metu extortum, si potest servari sine interitu salutis æternæ, servandum est. Ecclesia tamen Romana consuevit a tali juramento absolvere. » Collect. DD. in decr. de jurejur., cap. 8, *Si vero*.

(74. Item Celestinus III interrogatus de illis, qui jusjurandum inviti pro vita, et rebus servandis, emiserant, respondet se nihil aliud arbitrari quam quod antecessores sui Romani pontifices arbitrati fuisse noscuntur. Additque pontifex : « Cæterum, ut agatur consultius et auferatur materia pejerandi, non eis ita expresse dicatur, ut juramentum non servent, sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi, » cap. *Verum* 15, ex de jurejur.

Præstat in interpretatione hujus textus audire Barbosam, qui sic docet : « Cum communi dicendum mihi est violantem juramentum per metum extortum, si materia sit gravis, peccatum mortale committere. Cui quidem sententiæ non obstat textus *in præsenti*, in citatis verbis; quia multipliciter responderi potest. Et primo, quasi dicat textus quamvis violantes juramentum metu extortum in materia gravi, peccatum mortale incurrant, nihilominus non sunt tanquam pro peccato vel scelere magno, damnatione et accusatione dignissimo puniendi, idque propter circumstantiam metus, qui, licet non tollat, attenuat tamen culpam. — Secundo,

(112) « Quæstio magna est, num obliget in conscientia juramentum metu extortum. Dicitur in conscientia, quia in foro externo, ubi præsumitur non adfuisse animus jurandi, certe non obligat tale juramentum ex c. Verum de jurejur. Quoad forum autem internum, prima sententia negat obligare cum Azor, S. Anton., Sylv., Cop., Ang., Panorm., et alii apud Sanchez, qui eam probabilem vocat, ex Auth. Sacramenta, Si adversus vendit onem : ubi dicitur talia juramenta nullius momenti esse habenda. Hinc dicunt, quod promissio sic jurata, vel irrita est, vel rescindibilis a metum passo. Secunda tamen sententia longe probabilior, quam Elbel vocat communissimam, Viva, communem; dicit tale juramentum obligare. Ratio, quia tenemur efficere ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus.... Respondetur autem Authent. cit. non recepiam, vel expresse revocatam fuisse a c. 8, et 15 de jurejur. » D. de Ligorio, de juram., n. 175.

Digitized by Google

etiam responderi potest, ut scilicet verba textus significent violantibus juramentum per metum extortum, etiam in materia gravi, minorem pœnam esse infligendam propter circumstantiam metus, quamvis in rei veritate graviter peccent, et sic dicendum est metum in specie hujus textus culpam transgressionis efficere leviorem, non tamen exinde sequitur, venialem solum, non vero mortalem culpam contrahi, quamvis libenter fateamur levius peccatum mortale resultare, stante circumstantia metus, illa namque deficiente, longe gravius esset. » Collect. DD. in 2, Decret., cap. *Verum* n. 3 et 4.

« Dicendum, addit Gonzales, in hoc textu, *Verum*, neutiquam doceri, pejerantem etiam juramento metu præstito, non peccare lethaliter, sed tantum non esse illi pœnitentiam eam injungendam, quæ imponeretur pro alia culpa mortali; siquidem non ita severius agendum est cum illo, qui per metum præstito juramento, illud fregit, ac cum eo, qui voluntarium violavit juramentum, quia propter metum temperatur pœna. » Ad cap. 8, ex de jurejur., n. 8.

(75. Eadem plane, ac suorum prædecessorum, fuit mens Clementis III, ut in cap., *Ad aures*, ex. de iis, quæ vi, metusque causa fiunt, cujus hæc sunt verba : « Tuæ discretioni præsentibus innotescat, quod renuntiatio facta ab electo ad plebanum Ecclesiæ ad terrorem laicorum, nisi forte juramento vel fide interposita sit confirmata, non impedit quominus is, qui renuntiavit Ecclesiæ ad cujus regimen prius erat electus, præficiatur eidem. »

Ex hac exceptione, nisi forte juramento, Glossa colligit : « Ergo si juramentum intervenisset, vel fides interposita fuisset, quod ulterius non repeteret, non potest eam repetere, juramento vel fide obstante, quod potest servari sine interitu salutis æternæ. » Apud Nat., Alex., *Theol. dogm. mor.*, de juram., reg. 9.

(76. Neque prædictis obstat quod votum, si fiat ex metu gravi sive injuste incusso, sit invalidum, ut ex communi. Nam disparitas adest, ut ait Abbas in cap., *Si vero*, ex. de jurejur. Quippe cum juramentum frequenter interveniat in actionibus hominum, aliter de eo quam in voto statuendum, ne detur materia allegandi metum sicque pejerandi, ablegata religione juramenti, quo fides humana constabilitur, Deo in testem invocato pro aliquo implendo. Hæc vero ratio non militat in voto, utpote quod raro emittitur, et eo magis ex can., *Non est*. 15, q. 1, ubi dicitur : « Voluntarium sibi militem elegit Christus. »

Unde talia vota facta ex metu injuste incusso invalida sunt, vel quod ea jus irritet, vel Deus non acceptat, ne detur locus injustæ coactioni.

(77. Quæritur « an matrimonium metu contractum, si firmetur juramento, reddatur validum? Aliqui dicunt ratificari saltem in foro conscientiæ. Cæterum tanquam certum tenendum est hujusmodi matrimonium non effici validum juramento. Probatur ex can. 2, *ex de eo, qui duxit in matrim.*, ubi expresse habetur eum, qui post matrimonium metu contractum et juratum, aliam duxit, permansurum cum secunda, priusque matrimonium fuisse invalidum. Ratio est quia matrimonium coactum prohibetur ob publicam utilitatem, eo quod alioquin male servaretur pax inter conjuges et in republica, maleque soboles educaretur; at contractus vetitus ob publicam utilitatem non firmatur juramento. » Sanchez de matrim., disput. 20, num. 12.

Hinc Barbosa ad cit. cap. 2, *significavit, ex de eo qui duxit in matrim.* sic habet : « Notatur ad hoc, quod juramento non efficitur validum matrimonium metu contractum. Nam juramentum adjectum matrimonio metu gravi extorto non obligat, nec indiget relaxatione num. 5. »

Notandum ea, quæ hucusque exposuimus de juramento per metum extorto procedere in foro conscientiæ; « quia in foro externo, ubi præsumitur non adfuisse animus jurandi, certe non obligat tale juramentum. » D. de Ligorio de juram. n. 174. — « Et ideo tale juramentum, metu extortum, minime obligare, nec indigere relaxatione, sustinent Vincentius, Felinus, et in praxi apud judices seculares hæc sententia est recepta, ut testatur Covarruvias. Ita Sanchez de matrim. lib. IV, disput. 20, n. 3. Juramentum per metum celebratum obligat in foro interiori, non exteriori. » Barbosa Repert. jur. can. et civil. v. *Juramentum*.

(78. Quæritur utrum pactum, vel contractus de jure nullus confirmetur per juramentum ?

« Respondit ita Engel in hac quæstione esse distinguendum, an contractus sit invalidus in odium creditoris, ita ut is sine peccato etiam veniali ex tali contractu aliquid acquirere non possit, prout fit in contractu usurario, aut metu, vel dolo inito; vel an contractus tantum invalidetur in favorem debitoris, sicut invalidatur alienatio rei dotalis, rei ad minorem pertinentis, et similes. Priori casu non confirmabitur contractus, sed ipsum tantummodo juramentum servandum erit, vel ejus relaxatio petenda, ne Deus vane et temere in testem vocatus sit, imo post impletum juramentum repetitio ejus, quod ex tali juramento præstitum est, conceditur, c. *Debitores* 6, h. tit. c., ad *audientiam 4, de his quæ vi, metusque causa fiunt*. Altero casu mihi videtur probabilius, ipsum conctractum juramento firmari, ut ex text. *Quamvis* 2, de pactis in 6, satis appareret ». Ad Tit. 24, ex. de jurejur., n. 12 et 13.

« Contractus jure humano cæteroquin irritos, confirmari juramento probatur ex textu satis claro, c. *quamvis pactum*, de Pactis in 6, ubi dicitur : « Quamvis pactum, en « verba textus, patri factum a filia dum nu- « ptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad « bona paterna regressum haberet, improbet « lex civilis; si tamen juramento, non vi, nec « dolo præstito firmatum fuerit, ab eadem om- « nino servari debebit, cum non vergat in « æternæ salutis dispendium, nec redundet in

Digitized by Google

« alterius detrimentum. » Ubi patet non juramentum duntaxat decerni servandum, sed etiam ipsummet pactum, utpote de quo loquitur textus, cum dicit juramento firmatum, subditque omnino servari debebit. » Reiffenst. ad tit. 24 ex. de jurejur., § 4, n. 119.

Hoc pacto in l. 1, cod., *Si adversus venditionem*, dicit imperator juniorem qui adversus venditionem rei suæ juratæ venit, non tantum perjurium, sed etiam perfidiam committere ; si perfidiam, ergo supponitur, non tantum juramentum, sed etiam fidem datam et pactum valere. Engel. l. cit., n. 13. Lubet hic verba legis referre : « Si minor annis viginti quinque emptori prædii cavisti nullam de cætero te esse controversiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter præstito servare confirmasti, neque perfidiæ, neque perjurii me auctorem tibi futurum sperare debuisti. »

(79. At Tamb., Elbel., Fel., Potest., aliique, quibus D. de Ligorio accedere videtur, tenent juramentum nequaquam confirmare contractus jure positivo rescindibiles, aut invalidos. Audiamus Fel., Potestat., in hæc verba scribentem : « Prima sententia affirmat juramentum confirmare contractus, ita ut duas obligationes inducat, religionis et justitiæ commutativæ, taliter quod, si contractus est validus, sed rescindibilis, non possit rescindi, nisi prius relaxato juramento ; si est jure positivo invalidus, eum reviviscere faciat, reddatque validum et transferentem dominium. Adducunt exemplum : alienatio fundi dotalis facta ab uxore est jure positivo invalida, si autem uxor addat juramentum, fit valida, ita ut etiam juramento relaxato, adhuc tenetur uxor ex vi justitiæ stare alienationi, nisi post relaxationem juramenti, etiam ipsa alienatio a judice rescindatur. »

« Secunda sententia, quam teneo, negat. Dico igitur juramentum nullum confirmare contractum ; ac proinde contractui jure positivo invalido, aut valido, sed rescindibili, solum addit obligationem religionis, minime justitiæ commutativæ, nec transfert dominium. Et in juramento relaxato non tenetur amplius uxor stare alienationi fundi dotalis. Ratio est, nam juramentum id non habet ex se, nec ex jure. Non ex se, quia est accessorium (contractus), adeoque contractum relinquit, ut est in se. Non ex jure ; quia jura canonica quæ adducuntur expresse nil aliud dicunt, nisi quod servari debeat si sine dispendio æternæ salutis servari possit. Quod optime verificatur, si juramentum servetur ex vi religionis ; et onus justitiæ cum sit odiosum, non est sine expresso jure præsumendum. Adde plura jura expresse dicere præmissos contractus esse servandos in reverentiam juramenti. Ex his sequitur non dari juramentum confirmans contractum. » In 2, Præcept. Decal. de juram., n. 1638, 1639. Hæc quidem sententia sua non caret probabilitate.

(80. Quæritur an juramentum contra leges civiles earumque prohibitionem factum, obliget ? Cum lex civilis principaliter fundatur super bono publico, tunc juramentum de præstando actu per eam prohibito non obligat. Ratio est quia pactis et juramentis privatorum juri publico, renuntiari non potest. Siquidem nemo renuntiare potest ei, quod pro se non est introductum, prout dictat ipsum lumen naturale. Quinimo juramentum, quod principaliter militat contra bonum commune, si servetur, vergit in dispendium salutis æternæ, hoc ipso quod sit contra jus alterius, sive communitatis ; etenim regula generalis est quod juramentum vergens in præjudicium tertii, non obligat, quia includit injustitiam. Sic Reiffenst. ad tit. 24, ex de jurejur., § 3, n. 90 et 91.

Quando vero lex civilis principaliter fundatur super favore privati, licet secundario, et in consequentiam respiciat etiam publicam utilitatem, tunc juramentum in contrarium præstitum valet, atque obligat. Sic alienatio rerum dotalium secundum leges est prohibita, ac invalida. Si tamen eam mulier sine vi, et dolo, juramento suo confirmet, istud erit observandum, ne via perjuriis aperiatur. Nam finis primarius seu principaliter intentus illarum legum civilium est bonum particulare mulierum, utpote quibus expedit salvas habere dotes suas, quamvis secundario inde sequatur bonum reipublicæ. — Deinde, licet secundum leges civiles, pactum, quod filia dote contenta, patri ab intestato non succedat, non valeat, et ita ipsa succedere patri non prohibeatur ; si tamen accesserit juramentum, omnino servari debet. Reiffenst., ibid. n. 93.

(81. His ita explicatis, ad majorem in hac materia explanationem, sequentes regulas subnectere juvat.

Regul. I. — Juramentum observandum est, et obligat, quoties sine dispendio æternæ salutis et sine alterius præjudicio servari potest. Regula generalis et certa : cap. *Cum contingat*, 28, ex. de jurejur. ; et *Quamvis* 2, de pact. in 6.

Regul. II. — Nec pro vitæ propriæ, vel alterius conservatione, nec in favorem fidei, commissum perjurium a lethalis peccati labe immune est.

Hæc regula Conc. Constantiensis et Martini V pontificis Maximi auctoritate firmata est. Illi namque omnes, qui in suspicionem errorum Joannis Wiclef et Joannis Hus venissent, inter alia interrogandi erant : « Utrum credant, quod perjurium scienter commissum ex quacunque causa vel occasione, pro conservatione vitæ propriæ vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum. »

Regul. III. — Suscipere potest Christianus juramentum illius qui per falsos deos juraturus est, eoque uti, imo et jusjurandum ab eo exigere, quem ita juraturum non dubitat, intellige ex necessitate aut justa causa. N. Alex., Theol. *dogm. mor.* de juram., Reg. 15. *Communis.*

Audiamus hac in re D. Th. qui sic habet : « Licet malo uti propter bonum, sicut et

Digitized by Google

Deus utitur, non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere, non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos deos juret. » 2-2, q. 98, art. 4, ad 4.

Nota, quod « paganus jurans falsum per falsos deos peccat mortaliter; non quia sit verum juramentum, cum non sit invocatio divini numinis, sed in sui existimatione; quia putat esse verum juramentum. Sicut ex conscientia erronea peccat, qui violat præceptum, quod putat habere, licet revera non exstet. Si autem postea paganus cognoscat suos deos esse falsos, non tenetur amplius ad juramentum, quia revera nullum fuit, sed solum tenetur stare promissis ex fidelitate. » Ita Felix Potestas de juram., n. 1566.

Audiamus insuper Cornelium a Lapide ita scribentem : « Licet idololatra juret per idolam, quod non est Deus, ac proinde in reipsa non juret, nec pejeret, tamen ex mente sua, qua credit idolum esse verum Deum, jurat et pejerat. Error enim idololatriæ, quo quis idola sua putat veros esse deos, efficit ut pejerando sacrilegus habeatur et injustus, ait S. August., epist. 154 ad Publicolam. » In lib. *Sapient.* XIV, 31.

Hoc quippe divina probant eloquia : Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat super injustorum prævaricationem. » *Sapient.* XIV, 31.

Regul. IV. — Juramenta contra utilitatem Ecclesiæ præstita nullius sunt roboris.

Id clarissime probat Innocent. III, Responsum *Sicut nostris* 27, ex. de jurejur. ibi : « Non juramenta, sed perjuria potius sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiæ attentantur. Mandamus quatenus ab ipsis canonicis diligenter inquiras super præmissis diligentius veritatem; et si ea inveneris esse vera, quod in damnum episcopalis juris repereris taliter attentatum, nostra suffultus auctoritate in statum debitum reducas. »

Regul. V. — Juramentum contra leges canonicas semper est invalidum. Assertio est communis : Suarez tom. II, de Relig. lib. II, de juram., cap. 20, n. 3.

« Duplices sunt leges Canonicæ, quædam declarativæ juris divini, naturalis, vel positivi, et de his eadem est ratio, quæ de ipso divino jure. Aliæ sunt leges canonicæ constitutivæ novi juris humani et ecclesiastici, et de his etiam est universalis assertio; ejusque ratio est, quia leges canonicæ semper inducunt in conscientia obligationem, ergo agere contra illas est agere contra conscientiam ; ergo juramentum de tali actu non potest obligare. Assumptum certum est, et commune in materia de legibus. Et ratio est quia lex canonica per se primo dirigitur ad bonum animæ, et ideo in eodem foro animæ obligationem inducit. Addo vero quod, licet aliquæ regulæ ecclesiasticæ non sint rigorose leges obligantes sub reatu culpæ, ut de regulis multorum religiosorum constat, et de aliquibus aliis est probabile, nihilominus etiam in illis procedit conclusio, quia actus talium statutorum regularum aut rubricarum saltem sunt meliores, et in consilio, et ideo juramentum talibus regulis contrarium plane non obligat, sicut de juramento contra consilium dictum est. » Suarez *ibidem* cit., n. 3.

Regul. VI. Juramentum præstitum contra jus superioris irritum est.

Id aperte liquet ex cap. *Venientes*, 19, ex, de jurejur. Ubi Inn. III declarat consules, qui jurarunt intra certum tempus sententias exsequi, ab illarum exsecutione supersedere debere, non obstante juramento, si appellatione sint suspensæ : « Mandamus, en verba decreti, quatenus appellationibus ad nos interpositis deferatis humiliter et devote; cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum. »

Regul. VII. — Non obligaris implere, si quid jurasti contra consilia evangelica : ut non ingredi religionem, non dare eleemosynam, etc., et licet peccaris talia jurando, non tamen peccas non implendo. *Communis.*

Regul. VIII. — Non est reus perjurii, qui ob justam et ligitimam causam juramentum non implet, nempe ob melius quid, intellige de juramento vel voto quod fit Deo, vel violatis ab altera parte conditionibus sub quibus juramentum præstitum est.

Id manifeste evincitur ex jure Decretalium, cap. *Pervenit*, 3, ex de jurejur, ibi : « Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat; nec tu, etiamsi scriptum promissum tuum juramento vel fidei obligatione, interposita conditione, firmasses, aliquatenus tenereris, si constet eum conditioni minime paruisse. »

« Duplicem, ait Gonzales ad hunc textum, fuisse consultationem Pontifici Gregorio factam, et sic duplex responsum datum fuisse. Primum videlicet, jusjurandum de re aliqua factum posse in melius commutari. Ratio in promptu est, nam sicut creditori melius satisfactum dicimus, si integrum illi debitum persolvatur : aut si in magis pretiosa moneta illi solutio fiat, sic et Deo satisfactum melius dicimus, quando quod illi pro anima et peccatorum redemptione offerimus, in meliori opere persolvimus... Secundum responsum Gregorii spectat ad juramentum, non Deo, sed parti præstitum, quod ea non implente, imo frangente, impune violari potest, » n. 1.

« Juramentum, sic Barbosa, qui in melius commutat, non illud frangit. Item qui jurat facere aliquid interposita conditione, si altera pars non implet conditionem, ipse non tenetur servare juramentum. Notatur ad hoc quod perjurii reus non est, qui jusjurandum propria auctoritate commutat in melius ; nam eo ipso est Deo magis acceptum et gratum, si tamen confirmet promissionem factam homini, non potest quis, absque consensu expresso, vel tacito ejus, cui est facta promissio, in melius commu-

Digitized by Google

tare ; in idem est Sanchez, ubi dicit textu in præsenti loqui de voto, cum enim Deus sit creditor, potius rem meliorem acceptat, secus in promissione homini facta. » Barbosa, Collect. DD. in 2, Decret. cap. *Pervenit.* 3, de jurejur., num. 1 et 2.

Regul. IX. — Quæcunque juramenta vergunt in deteriorem exitum servanda non sunt, nec reus est perjurii, qui illa violaverit.

Nititur hæc regula can. *Si aliquid*, caus. 22, q. 4, ibi : « Si aliquid forte incautius nos jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, illud consilio salubriore mutandum noverimus. »

Regul. X. — Juramentum, si sit contrarium alteri juramento licite facto, non est servandum.

Ad intellectum hujus regulæ distingue : « si juramentum alteri opponitur in actu jurandi, puta si jurasti non amplius jurare, et postea jures, v. g. jejunare, teneris ad jejunium, quia secundum juramentum est tunc de materia licita, quamvis peccasti jurando. »

« Econverso jaramentum secundum est nullum si opponatur priori in materia jurata, quia tunc esset de materia illicita. Hinc, si jurasti matrimonium Cajæ, imo etiam si simpliciter promisisti, ut docet Sanchez de Matr. l. c., disp. 50, n. 2, et postea jures Titiæ, hoc secundum non obligat, etiamsi postea Caja remittat promissionem, ex regula : *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*, de Reg. jur. in 6. Notat tamen La Croix cum Sanchez, Tamb. et communi, quod si contractus posterior juratus impleatur, validus est quamvis illicitus ; quia per juramentum non invalidatur actus, qui alias valide fieri poterat. » D. de Ligorio de juram., n. 179.

Regul. XI. — Si jures, rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut indifferentem, quæ nec ex fine, nec ex circumstantiis cohonestatur, nulla inducitur obligatio ad ea præstanda, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum ac otiosarum. *Communiter.*

« Ubi nota juramentum non convalescere, etsi talis res illicita et vana, postea, mutatis circumstantiis, fiat honesta, cum juxta Reg. 18, jur. non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. » Apud D. de Ligorio, l. cit., n. 176.

Nota secundo Barbosam cum Abb. pluribusque aliis, hanc ex cap. *Quanto*, ex. 18, de jurejur., deducere regulam nempe : « Qui scienter jurat rem illicitam peccat, et juramentum non tenet, quia non debet esse vinculum iniquitatis; qui putans rem esse licitam, jurat, debet servare juramentum in eo in quo licite servari potest, quia fuit licitum, ideo est servandum; si vero rem putans illicitam, juravit, et est res licita, pœniteat de peccato et servet juramentum. » Collectan. DD. ibi, n. 1.

Regul. XII. — Obligatio juramenti tollitur, si res jurata fiat postea impossibilis, vel illicita ob superioris prohibitionem, vel prorsus inutilis ad intentatum finem, vel noxia ei cui promissa est. *Communis.* Antoine de juram., q. 9.

Idem dic, si res, mutatis circumstantiis, aliter se exhibeat, puta parentes, qui juraverint se punituros liberos, heri famulos, non tenentur eosdem punire, si corrigi parati veniam petant, ob mutatum statum rei ; et juramentum comminatorium (de quo hic) hanc habet conditionem tacite intellectam, nisi sit melius non servare : nisi punitio inutilis sit. Hinc si punitio, si qua forte digni sint, videatur plus obfutura quam profutura, non tenentur eos punire, et in his casibus juramentum non obligat. Antoine de juram., q. 9, n. 1.

Regul. XIII. — « Obligaris ex juramento, etsi sit errore aut dolo extortum, si dolus, vel error versetur tantum circa circumstantias accidentales non magni momenti ; nam si versetur circa substantiam, ut, v. g., si annulum te daturum alteri jures, putans esse ferreum, cum sit aureus, vel circa circumstantias magni momenti, quibus cognitis non jurasses, non obligaris. » Sanchez, Suarez, Apud D. de Ligorio de juram. n. 175, 3.

« Sed dubium est num sit de se sufficiens illa mutatio, etiam non notabilis, qua tamen prævisa ille talis juramentum non emisisset? Prima sententia affirmat ex. » D. Thom. in 4, dist. 48, q. 1, art. 3, qui sic docet : id liberare a voti vel juramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret. Ratio, quia intentio se obligandi vel deest, vel sic interpretatur. — Secunda sententia tenet non sufficere, quia obligatio non est desumenda ex promissione quæ in futurum non fieret, sed ex illa quæ jam facta est. Ita Suarez, Sanchez, Salmat, etc. Merito tamen dicunt non posse negari probabilitatem primæ sententiæ. Imo ipsimet Salmat. censent illam esse notabilem mutationem, quæ si a principio cognita fuisset, jurans non promisisset, quod utique cum prima sententia cohæret. D. de Ligorio de juram., n. 187.

Regul. XIV. — Juramentum promissorium eamdem habet conditionem, eodemque modo explicandum est quo promissio, vel propositum cui est annexum.

Ratio est, quia accessorium sequitur principale, ideoque, quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum, v. g. Titius, qui cum juramento promisit nuptias Bertæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, etc., non tenetur stare juramento, postquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, et quamvis etiam per vim fuerit carnaliter ab aliquo cognita ; ex Barbosa Collect. DD. in 2 decret., cap. *Quemadmodum*, 25, de jurejur., n. 11, vel infamiam, quia promissio ipsa non obligat eo casu. Apud D. de Ligorio, n. 180.

Regul. XV. — « Teneris implere, nec potest commutari in aliquod opus melius, si aliquid jurasti in utilitatem, aut gratiam alicujus, dummodo sit honestum, et sine peccato impleri possit. Unde, v. g., alumnus qui juravit se serviturum principi, aut huic, vel isti ecclesiæ, etc., non potest ingredi religionem, sine relaxatione. Excipe tamen si

Digitized by Google

jurasses Titiæ eam ducere; nam eo casu potes, ea relicta, ingredi religionem; quia juramentum sortitur naturam actus, cui apponitur; promissioni autem matrimonii hæc tacita conditio inest : nisi ingrediar religionem. » Apud D. de Ligorio de juram , n. 177. V. insuper Lucium nostrum, art. 3, v. *Juramentum*, num. 33 et 34.

Regul. XVI. — Cum res jurata manifeste repugnat justitiæ, dispensatione, seu absolutione a juramento non est opus; idem dicas si juramentum sit majoris boni impeditivum.

Hæc est D. Thomæ doctrina in sequentia verba : « Quandoque illud, quod cadit sub juramento promissorio, est manifeste repugnans justitiæ, sicut cum aliquis jurat se facturum homicidium; vel quia est majoris boni impeditivum, sicut cum aliquis jurat, se non intraturum religionem, et tale juramentum dispensatione non indiget : sed in primo casu tenetur aliquis tale juramentum non servare, in secundo vero casu licitum est servare, et non servare. » 2-2, q. 89, art. 9, ad 3, vide dicta supra, n. 62.

Regul. XVII. — Cum aliquid sub juramento promittitur, de quo dubium est utrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliquo casu; in hoc potest quilibet episcopus dispensare. » D. Thom. ibidem.

Regul. XVIII. — Cum id quod juramento promissum est, honestum est et utile, dispensatio vel commutatio justa de causa peti potest, quam solus pontifex concedere potest in juramentis ex Ecclesiæ disciplina, sedi apostolicæ reservatis (113) : episcopi etiam in reliquis.

Audiamus eumdem D. Thomam. « Quandoque vero sub juramento promittitur aliquid quod est manifeste licitum et utile, et in tali juramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, quod maxime videtur pertinere ad potestatem papæ, qui habet curam universalis Ecclesiæ, vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad papam pertinet in omnibus generaliter quæ ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis, » *l. cit.*

Hæc omnia, quæ distinctis regulis tradidimus, sequentibus effatibus quantum ad juramentum promissorium attinet, perstringuntur, nempe *si potero, si res non mutetur notabiliter, si acceptes, nisi remittas; si is cui voluntas, vel materia subest, non contradicat, aut aliter disponat, salvo jure superioris; si alter stet promissis, suam obligationem impleat.*

(82. *Affertur formula juramenti, quod ab episcopis electis, ante consecrationem summo Pontifici præstatur, tenoris sequentis*:

Ego N., electus Ecclesiæ N., ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et domino nostro, domino N. papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum; seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur; vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut nuntios suos, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; papatum Romanum et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, domini nostri papæ, et successorum prædictorum, conservare, defendere, augere, et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur. Et, si talia a quibuscunque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse, et, quantocitius potero, significabo eidem domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata apostolica, totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos et rebelles eidem domino nostro, vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi præditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina singulis triennii personaliter per me ipsum visitabo, et domino nostro, ac successoribus præfatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exsequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei capituli, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut, iis mihi deficientibus, per diœcesanum sacerdotem; et clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem vel regularem, spectatæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas pro-

(113) Ut de castitate servanda, de religionis ingressu, de peregrinatione Hierosolymitana, de accessu ad limina apostolorum. Item in juramentis super statutis Ecclesiarum, vel quæ a regibus, principibus viris et episcopis fiunt, vel de rebus maxime arduis sunt emissa, dispensationem a summo duntaxat pontifice postulari mos est. In cæteris dispensare possunt episcopi in suis respective diœcesibus: Romanus vero pontifex in toto orbe Christiano.

Digitized by Google

bationes ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem proponentem in congregatione sacri concilii, per supradictum nuntium transmittendas.

Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

(83. Quoad hujusmodi fidelitatis sacramentum, præstat quædam historice persequi.

(84. Et quidem antiqua juramenti formula sæculo octavo occurrit, cum Bonifacius Germaniæ apostolus, dum ordinabatur, hocce Gregorio II pontifici præstitit jusjurandum, nempe:

« Promitto ego Bonifacius, Dei gratia episcopus, tibi B. Petre apostolorum princeps, vicarioque tuo B. Gregorio papæ, et successoribus ejus, per Patrem, Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem inseparabilem, et hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctæ fidei catholicæ exhibere, et in unitate ejusdem fidei Dei operante persistere, in quo omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur; nullo modo me contra unitatem communis et universalis Ecclesiæ suadente quopiam consentire; sed ut dixi, fidem et puritatem tibi, et prædicto vicario, atque successoribus ejus per omnia exhibere. Sed et si cognovero antistites contra instituta sanctorum Patrum conversari, cum iis nullam habere communionem, aut conjunctionem; sed magis si prohibere valuero, prohibebo; sin minus, fideliter statim domino meo apostolico renuntiabo. Quod si, quod absit, contra hujus promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, et ultionem Ananiæ et Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præsumpserunt. Hunc etiam indiculum sacramenti ego Bonifacius exiguus episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum corpus sancti Petri, ita ut præsumptum est, Deo teste et judice, feci sacramentum, quod et conservare promitto.» — Apud Surium in vita S. Bonifacii, tom. V; nec non apud Baronium, tom. IX, annal. ann. 723, et penes Binium, tom. III, p. I, Concil.

(85. Altera formula fidelitatis et obedientiæ sacramentum exhibens exstat in actis sexti concilii Romani, sub Gregorio VII, an. 1079, ut apud Binium tom. III, Concil. p. II, occasione nempe schismatis, quod in ipsum summum pontificem imperator Henricus IV excitaverat, secundum quam formulam episcopi a schismate recedentes jurare opus erat, sicque Aquileiensis archiepiscopus suum edidit juramentum, estque tenoris sequentis:

« Ab hac hora, et inantea fidelis ero B. Petro, et papæ Gregorio suisque successoribus qui per meliores cardinales intraverint. Non ero in consilio neque in facto ut vitam, aut membra, aut papatum perdant, aut capti sint mala captione. Ad synodum, ad quam me vocabunt, vel per se, vel per suos nuntios, vel per suas litteras, veniam et canonice obediam; aut si non potero, legatos meos mittam. Papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum et defendendum salvo meo ordine. Consilium vero quod mihi crediderint per se, aut per nuntios suos sive per litteras, nulli pandam, me sciente, ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo et redeundo honorifice tractabo, et in necessitatibus suis adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia observabo, inquantum sua certa licentia remanserit.» Apud Gonzales, ad tit. 28, ex de jurejur., cap. 4, n. 1.

Ab hac formula secundum substantiam differre non videtur, illa quæ prostat in actis concilii Venetici, tempore Alexandri III, habiti apud Binium tom. III, Concil. p. II, secundum quam reversi a schismate Octaviani antipapæ, fidelitatem obedientiamque eidem Alexandro promiserunt; cujus hæc sunt verba:

« Ego N., anathematizo et recuso omnem hæresim extollentem se adversus sanctam Romanam Ecclesiam, præcipue vero schisma Octaviani et Joannis, etc., et promitto fidelitatem S. R. E. et domino meo Alexandro, et successoribus ejus intrantibus, ipsique serviam absque omni malo ingenio, contra omnem hominem, secundum ordinem meum. Consilia ejus, quæ mihi scripto certo mandaverit, vel ipse commiserit, nulli hominum pandam, neque etiam pro periculo corporis atque membrorum. Legatum Romanæ Ecclesiæ honorabo, et ducam, et reducam, et juvabo expensis. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.» — Apud Gonzales, l. c., n. 2.

(86. Exstat et alia quoque formula in Gestis Innocentii III, pag. 64 et 102, ubi proponitur forma sacramenti exigendi tam a patriarchis et primatibus, quam a metropolitanis in pallii concessione.

(87. Formula vero generalis et notissima illa est, quæ continetur in l. II, ex. tit. 24, 4, de jurejur. quam hic transcribere placet:

Gregorius Petro Subdiacono.

« Ego episcopus N. ab hac hora inantea fidelis ero sancto Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, dominoque meo papæ N. ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, nec in facto, ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium, quod mihi per se, aut per litteras, aut per nuntium manifestabit, in ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ, et regulas sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum et retinendum, salvo meo ordine, contra omnes homines. Vocatus ad synodum ve-

Digitized by Google

niam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum apostolicæ sedis, quem certum legatum esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Apostolorum limitum singulis annis, aut per me, aut per certum nuntium meum visitabo, nisi eorum absolvar licentia. Sic me adjuvet Deus, et hæc sancta Evangelia. »

Nota quod Petrus subdiaconus, cui allata formula missa dicitur, fuit defensor Siciliæ tempore Gregorii Magni. Hinc fortasse argui posset prælaudatum summum pontificem formulæ hujusmodi esse auctorem. At licet plures Gregorii Magni epistolæ exstent ad dictum Petrum subdiaconum, nulla tamen ex illius papæ epistolis ejusmodi sacramenti formulam exhibet. Franciscus Hallierius tribuit relatam formulam Gregorio II; alii legunt Gregorius III. Rectius præstat cum Cujacio, in h. text., integram formulam Gregorio VII tribuere, qui, ut supra diximus, simile fidelitatis et obedientiæ jusjurandum ab Aquileiensi archiepiscopo exegit, uno tantum capite de invisendis apostolorum liminibus carens.

(88. Hujusmodi formula est illa eadem a Clemente VIII reformata, et extensa, ac in Pontificali Romano inserta, quam nos attulimus.

(89. Nisi quod in Pontificali Romano, loco *Regulas sanctorum Patrum*, uti in allato textu jur., Decretal. dicitur *Regalia sancti Petri*.

(90. Ita quoque, ut in Pontificali Romano, legitur in actis concilii Romani, sub Gregorio VII, ut supra vidimus. Et sane dici posse videtur hanc esse genuinam lectionem, magisque propriam, nempe *Regalia Sancti Petri*; opinaturque non immerito Ant. Augustinus, in cap. 20 de elect. 1, Collect., erratum fuisse ex litterarum compendio. Nimirum *Regalia Sancti Petri*, fortasse per notas R. S. P. scripta erant, pro quibus compilatores expresserunt *Regulas sanctorum Patrum*. « Forsan, sic quoque Gonzales, quia notis scriptum erat hoc juramentum ita, R. S. P. id est *Regalia sancti Petri*, compilatores legerunt *Regulas sanctorum Patrum*, ut crucem figerent repetentibus in præsenti in expositione horum verborum, » ad tit. 24, ex. de jurejur., cap. 4, n. 1. Verum tamen est in eodem Pontificali Romano, in formula, de qua supra, etiam *Regulas sanctorum Patrum* paulo infra adjici.

Ex his porro omnibus, quæ dicta ac commemorata sunt, evidentissime liquet quam falso Molineus contendat juramentum, de quo sermo est, nonnisi a temporibus Gregorii IX, qui pontificiæ potestatis munia an. 1227 auspicatus fuit, esse repetendum, ab eoque primam duxisse originem.

Atque hæc de juramento exposuisse sufficiat.

JURISDICTIO.

SUMMARIUM.

1. Jurisdictio unde dicta, et quid sit, ad n. 2. — 3. Jurisdictionis quotuplex divisio, et quæ, ad n. 10. — 11. Jurisdictio ordinaria quot modis acquiratur, et qui eam habeant privilegio, lege, vel consuetudine, ad n. 18. — 19. Jurisdictio ordinaria in quo differat a delegata, ad n. 21. — 22. An episcopi jurisdictionem immediate a Christo pariter habeant ac apostoli habuerunt, ad n. 23. — 24. Quæ sit varia sacerdotum sive sæcularium, sive regularium jurisdictio quoad confessionem, ad n. 37.—38. An jurisdictio gravi metu, vi, sive fraude obtenta, seu extorta, ipso jure sit nulla, ad n. 39. — 40. Quinam actus jurisdictionis regulariter diebus ferialibus sint invalidi, ad n. 41. — 42. Alia ad rem, ad n. 52. — 53. Subnectuntur additiones ex aliena manu, ad n. 69.

(1. Jurisdictio dicta est a jure dicendo secundum æquitatem jurisque regulas, tanquam præcipuo publice potestatis officio, ut colligitur ex l. 1, ff. de jurisdiction. omn. judicum, et ex l. 1, § *Daunamus*, ff. de suspectis tutoribus. (2. Hinc jurisdictio definitur, quod sit « Facultas alicujus habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios ad eorum regimen et gubernationem; Est in re communis. »

(3. Jurisdictio dividitur primo in ecclesiasticam et civilem. Jurisdictio ecclesiastica est illa, quæ circa causas ad Dei cultum, spiritualemque animarum salutem pertinentes versatur. Et hæc exercetur, nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiæ et sacramentali. Jurisdictio civilis seu politica est illa quæ circa causas sæculares et profanas versatur, et temporalem reipublicæ gubernationem respicit. Et hæc exercetur solummodo in foro externo.

(4. Jurisdictio dividitur secundo in voluntariam et contentiosam. Jurisdictio voluntaria est illa quæ exercetur solum in volentes, et ad hanc in civilibus spectat manumissio, et adoptio juxta l. 11, ff. De officio proconsulis. In ecclesiasticis autem ad hanc spectant, ordinatio, consecratio, benedictio, absolutio, dispensatio, beneficiorum collatio, et hujusmodi, ut notant doctores in cap. *Decernimus* 2, de judiciis, et apud Barbos. de offic. et potest. episcop., part. III, alleg. 126, n. 4. Jurisdictio contentiosa est illa quæ exercetur in invitos, v. gr., in jus vocando, puniendo et alia hujusmodi exercendo, quæ expediri non possunt, nisi judice pro tribunali sedente, seu quando inter duos pluresque contenditur; arg. l. *Inter stipulantem*, § 2, ff. De verb. oblig., ibi.: *Judicium autem etiam in invitum redditur*, et amplius declarat Glossa in cit. l. 11, ff. de officio proconsulis, verb. *Contentiosam*.

(5. Jurisdictio voluntaria differt a contentiosa, nedum ex dictis, qui voluntaria solum in volentes exercetur, unde etiam nomen accepit, et contentiosa etiam in invitos exerceri potest in judicio, unde a conten-

Digitized by Google

tione partium inibi contendentium nomen desumpsit. Sed etiam differt, quia voluntaria jurisdictio extra proprium territorium valide, et plerumque etiam licite exercetur, dispensando, v. gr., cum subditis in eorum votis et juramentis, absolvendo a censuris et peccatis, assistendo eorum matrimoniis, legitimando, adoptando, delegando et hujusmodi. Cum enim ad voluntariæ jurisditionis exercitium non requiratur strepitus, seu processus judicialis, nec opus sit judicem pro tribunali sedere, ideo nulla infertur injuria judici, in cujus territorio, seu diœcesi tales privatim actus exercentur, ut docent communiter doctores in cit. l. II, ff. De officio proconsulis, et in cap. *Novit* 7, De officio legati. Jurisdictio autem contentiosa, utpote quæ causas, tum civiles, tum criminales definire debet cum strepitu, seu processu judiciali pro tribunali sedendo, exerceri non potest extra proprium territorium sine expresso vel tacito consensu judicis illius loci, ipsarumque partium contendentium : Cum, ut expresse dicitur in cap. *Ut animarum periculis* 2, de constitutionibus in 6. *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*, et ita ibi doctores communiter.

(6. Jurisdictio dividitur tertio in ordinariam et delegatam. Ordinaria est illa quæ cuipiam jure proprio, seu ratione officii, aut dignitatis suæ ex lege, canone, vel consuetudine competit. Delegata est illa, quam quis non habet jure proprio, sed solum ex commissione alterius, cujus vice fungitur. Sic colligitur ex l. *More majorum*, et l. *Et quia*, ff. de jurisdict. omn. judic., ubi is censetur habere jurisdictionem ordinariam, ac delegare posse, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet.

(7. Jurisdictio dividitur quarto in imperium et simplicem jurisdictionem. Imperium est jurisdictio quæ nobili judicis officio exercetur; officium autem nobile judicis est illud, quod non deservit, nec alligatur alicui actioni, sed judex motu proprio, sive ex officio ex se, et non adductus a partibus, procedere potest ad crimina punienda, beneficia, privilegia conferenda, et hujusmodi, juxta cap. *Qualiter et quando* 24, de accusationibus. Simplex jurisdictio est quæ exercetur judicis officio mercenario; officium autem mercenarium judicis est illud quod deservit, et alligatur actioni intentæ per partem; judex enim habens simplicem jurisdictionem non potest motu proprio, sive ex officio ex se procedere ad causas et lites civiles, sed solum ad instantiam actoris. Unde talis judex, si partes instent, debet procedere et sententiam ferre, nec potest ipsas partes ad compositionem compellere; et si partes desistant, debet et ipse a tela judiciaria desistere; sic ex Bartolo in l. I, et l. *Imperium* 3, de jur. omnium judicum, Abbate in cap. *Quod sedem* 10, De officio judicis, ordinarii num. 5; Durand. in spec., tit. *de jurisd. omnium jud.*, n. 10; Molina tr. 5, de justitia, n. 1, 2 et seq.; Layman Theol. moral. 1, tr. 4, c. 5, n. 7; Pirhing lib. I Decretal., tit. 31, n. 3.

(8. Imperium dividitur in *merum* et *mistum*. Merum imperium est jurisdictio, quæ exercetur judicis officio nobili publicam utilitatem respiciente; cujus actus sunt leges condere, malefactores punire, et hujusmodi. Mistum imperium est jurisdictio, quae nobili judicis officio privatam utilitatem respiciente, exercetur; et ejus actus sunt: tutores dare, mittere in possessionem, restituere in integrum, et hujusmodi. Imperium merum appellatur alio nomine Jurisdictio alta, seu summa. Imperium mistum alio nomine dicitur jurisdictio bassa, seu inferior, quæ competit cuilibet magistratui, licet non semper quoad omnes actus. Sic ex citatis doctoribus.

(9. Imperium merum, juxta jus civile tribus veluti gradibus distinguitur. Primum, seu supremus continet pœnas mortis naturalis, ut combustionis, rotæ, decapitationis, et hujusmodi. Secundus complectitur pœnam mortis civilis et deportationis in insulam, relegationis, seu banni regii vel imperialis. Tertius respicit pœnas non capitales, tum corporis afflictivas, tum famosas, ut amputationis manuum, fustigationis, sistentiæ ad numellas, et hujusmodi. Engel tit. De officio judicis, num. 1; Christophorus Chlingensperger, lib. I Collegii Instit.; Justinian., l tit. 20, q. 6; Reiffenstuel, lib. I, decret., tit. n. 29, 22, et alii.

(10. Imperium merum datur etiam de jure canonico. Ita Glossa magna, et Abbas in cap. *Quod sedem* 10, de Officio ordinarii, num. 5; Engel eod. tit., num. 12; Reiffenst. loc. cit., num. 25 et 26; Pirhing loc. citat., n. 3, et alii passim. Hinc de jure canonico ad primum gradum imperii meri spectat gladius spiritualis, scilicet potestas excommunicandi, quæ pœnis capitalibus comparatur, textu expresso in cap. *Per venerabilem* 14, *Qui filii sint legitimi* § Sunt autem. Item potestas degradandi et tradendi curiæ sæculari, juxta Glossam in cap. *Quod sedem* 10, verb. *Committere* ante finem De officio ordinarii, quod æquiparatur ultimo supplicio, ut recte notat Innocentius in c. *Qualiter et quando* 24, De accusationibus, et alii passim. Ad secundum gradum spectat potestas relegandi, subjiciendi torturæ, perpetuis carceribus mancipandi, verberandi flagellis citra mortem, vel mutilationem, et hujusmodi. Ad tertium gradum spectat potestas leniter coercendi in corpore, carcerandi ad tempus, imponendi multam pecuniariam, et hujusmodi. Sic ex citatis doctoribus.

(11. Jurisdictio ordinaria tribus modis acquiri potest, scilicet: vel ex privilegio supremi principis concesso dignitati, seu personæ, vel a lege, seu canone; vel ex consuetudine legitime præscripta, cap. *Duo simul* 9, De officio ordinarii; Imola, ibid., num. 1. Durand., in spec. tit. De Officio vicarii § 2, num. 1. Pirhing loc. cit., num. 5, et alii passim. (12. Et quidem ex privilegio supremi principis ecclesiastici, scilicet a summo pontifice constituuntur judices ordinarii, le-

Digitized by Google

gati, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, officiales sedis, seu curiæ Romanæ, ut vice-cancellarius, camerarius, et alii hujusmodi. Et a supremo principe sæculari, scilicet imperatore, rege et hujusmodi constituuntur duces, marchiones, comites, aliique provinciarum aut locorum gubernatores, magistratus, et hujusmodi, qui omnes gaudent jurisdictione ordinaria. *Communis.*

(13. A lege, seu canone constitui censentur judices ordinarii, qui secundum præscriptum legis aut canonis, vel ab homine publicam potestatem habente, vel ab universitate, seu collegio, vel capitulo per electionem constituuntur. Sic quilibet ab universitate, collegio, capitulo, congregatione, et hujusmodi electus legitime et canonice in rectorem, et præfectum, seu superiorem ejusdem, ut illi per modum capitis præsit: habet jurisdictionem ordinariam erga suos subditos in causis spectantibus ad universitatem, collegium, capitulum, congregationem, et hujusmodi. *Communis.* Et episcopus etiam creando vicarium generalem, facit ipsum judicem ordinarium, cum vicarius generalis gaudeat auctoritate ordinaria, ut dicetur infra *sub num.* 15. (14. Ex consuetudine legitime præscripta censentur constitui judices ordinarii, qui per tempus legitimum, scilicet 40 annorum cum propria bona fide, et etiam scientia, et patientia eorum, contra quos præscripserunt, tali jurisdictione usi sunt, quia consuetudo legitime præscripta tribuit jurisdictionem ordinariam; cap. *Simul* 9, De officio ordinarii, et cap. *Cum contingat* 13, de foro competente, et ibi Glossa verb. *Maxime*, et canonistæ communiter, sicuti etiam tenent communiter legistæ in l. *Imperium* 3, ff. De jurisdictione omnium judicum.

(15. Vicarius generalis episcopi habet jurisdictionem ordinariam, et non delegatam. Ita colligitur ex cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, ex cap. *Romana* 3, § 1, de appellat. in 6, ac tenet expresse Glossa in cit. c. *Romana*, verb. *Generaliter*, et alia Glossa in cit. c. *Licet* 2, verb. *Officialem*, De officio vicarii in 6; Abbas in c. *Quoniam* 14, num. 11, De officio delegati, et cap. *Decernimus*, num 12, De judiciis; Felinus in Rubric. De officio delegati num. 4. Sperellus decis. 97, Fori ecclesiastici num. 3; Maranta in Speculo aureo, part. IV, dist. 5, num. 12 et 13; Covarruvias, lib. III Variar. resolut. cap. 20, num. 4, et Pract. quæst. cap. 4, n. 8; Mascardus De probationibus conclus. 1413, n. 9, et 32; Nicolaus Garcias De beneficiis, part. V, cap. 8, n. 21; Sbrozius De officio vicarii lib. II, quæst. 55; Bernardus Sannig De officio Vicarii, cap. 4, num. 5; Pirhing eod. tit., num. 35; Reiffenst. ib., a n. 91 ad 101, ubi late id probat, et solvit argumenta contraria; Sanchez, lib. III De matrimonio disp. 29, num. 2, 3 et sequent; Barbosa De offic. et potest. episcop., par. III, allegat. 54, num. 26, ubi innumeros alios citat pro hac sententia: et a num. 37 ad 46, ubi solvit omnia argumenta contrariæ sententiæ, cujus patronos varios cum suis argumentis citat et adducit a num. 30 ad 37, et sic tenet etiam Sacra Rota recentior, part. IV, tom. I, decis. 614 n. 2, et ead. part. IV, tom. II, decis. 48, n. 10. Vide verb. *Vicarius generalis*, art. 1, n. 41.

(16. Et ratio nostra est, quia jurisdictio, quæ a lege, seu canone ratione officii seu dignitatis, alicui conceditur, est ordinaria, l. More Majorum; et l. et Quia, ff. de Jurisdiction. omn. judic. Vicarius autem generalis episcopi habet jurisdictionem a canone, et ratione sui officii sibi concessam, cap. *Licet* 2, De officio vicarii in 6, cum similibus; et notat Glossa in d. cap. *Licet*, verb. *Officialem*, plura jura adducens, adeoque, etc. Tum quia idem est tribunal, seu auditorium, eademque jurisdictio episcopi et vicarii sui generalis, textu expresso, cap. *Non putamus* II, De consuetud. in 6, ibi: « Cum sit idem auditorium utriusque; » et in cap. *Romana* 3, De appellationibus eod. in 6, ibi: « Cum unum, et idem consistorium, sive auditorium sit censendum. » Jurisdictio autem episcopi est ordinaria, cap. *Cum episcopus* 7, De officio ordinarii in 6, adeoque etiam ordinaria erit illa sui vicarii generalis; tum etiam quia si jurisdictio vicarii generalis non esset ordinaria, sed delegata, daretur appellatio ab ipso ad episcopum, cum a delegato detur appellatio ad delegantem, textu expresso in cap. *Super quæstionum articulis*, § Porro 27, De officio delegati cum similibus; atqui a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, textu clarissimo in cit. cap. *Non putamus* 2, De consuetud. in 6, addita ratione: « Ne ab eodem ad se ipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur »; et in cit. cap. *Romana* 3, § 1, De appellat. eod. in 6, ibi: « Nec ab eisdem ad se ipsos interponi videatur, » adeoque, etc.

(17. Nec valet objicere quod episcopus instituat seu constituat sibi vicarium generalem, et possit ipsum quoties voluerit amovere; adeoque ejus jurisdictionem non esse ordinariam, cum jurisdictio ordinaria sit perpetua, et neque mortuo concedente expiret, ut patet ex c. *Legato* 2, De officio legati in 6. Non valet, inquam, quia eo ipso quod quis instituitur vicarius generalis ab episcopo, jus tribuit ipsi jurisdictionem, et quidem immediate, arg. cap. *Licet* 2, De officio vicarii in 6, et notat Barbosa cit. allegat. 54, num. 44. Sanchez lib. III, De Matrim. disp. 29, n. 13. Fagnan. in cap. *Quod nobis* 2, De clandestina desponsat., num. 45, et alii. Quamvis enim episcopus mediet quasi nominans, et instituens, non tamen mediat quasi dans jurisdictionem. Nec obstat quod jurisdictio vicarii generalis ad nutum episcopi sit revocabilis, quia id non fit ex eo quod jurisdictio illa non sit ordinaria, sed quia vicarius consequitur eam a lege mediante nominatione episcopi. Cum igitur hanc nominationem possit episcopus revocare, sublato antecedente, necessario tollitur et consequens. Simile enim quid contigit in judicibus, qui ordinariam habent jurisdictionem, non obstante, quod eorum jurisdictio cesset statim ac per superiorem a suis officiis amoveantur, et ad ipsa officia a tali superiore

Digitized by Google

seu principe fuerint nominati et deputati. Et quamvis jurisdictio ordinaria sit perpetua, quando inest primario, et per se in jusdicente, non tamen perpetua est ea jurisdictio ordinaria, quæ in ipso inest solum secundario, et accessorie ad aliam ordinariam, cui cohæret, uti est jurisdictio ordinaria vicarii generalis cohærens jurisdictioni ordinariæ episcopi : et hoc patet exemplo legati proconsulis, qui, moriente proconsule, cessat et amittit non solum jurisdictionem, quæ a proconsule mandatur, de qua in leg. *Legati* 13, De officio proconsulis, sed et dationem tutoris, quæ tamen non ex mandato proconsulis, sed proprio jure ex legislatione eidem competit, juxta leg. 1, vers. Legatus quoque, ff. De tutoribus et curatoribus, l. Et legati 15, juncta Glossa De officio proconsul. Sic Barbosa cit. allegat. 54, num. 44. Sanchez cit. l. III De matrimon. disp. 29, num. 13. Reiffenst., lib. I Decret., tit. 18, n. 100. Quintana dv. lib. II De jurisd., n. 14, et alii.

(18. Jurisdictio quoque vicarii capitularis, sede vacante, est ordinaria, statim enim ac ipse eligitur, a jure transit in eum tota jurisdictio ipsimet capitulo competens, adeo ut non sit necessaria specialis commissio, cum conc. Trident. sess. 24, cap. 16, *De Reform.*, arctaverit capitulum ad constituendum vicarium, qui jurisdictionem suam administret. Martha De jurisdict. par. II, cap. 30. Marchetus in praxi vicarii capitularis part. II, tit. 12, num. 35. Aloysius Riccius in Praxi aurea par. II, resolut. 99, num. 1. Sanch. lib III, De matrimonio disp. 29, num 4. Reiffenst. loc. cit., num. 97; Guttier. De Matrimonio, cap. 66, n. 13. Rota recentior par. IV, tom. II, dec. 48, num. 10. Addendum hic aliquid de Parochi jurisdictione. Habent et hi jurisdictionem ordinariam in foro *interno*, quam suis Cappellanis delegant. Dixi in foro *interno*. Nam licet Petrus Mengonius an. 1732, disceptationem De eminentiori parochorum dignitate supra canonicos, Florentiæ ediderit, in eaque Parochis jurisdictionem ordinariam etiam *in foro externo* asserere conatus sit, ductus decretali Alexandri III, cap. *Cum ab Ecclesiarum*, De offic. judic., anno tamen sequenti Joannes Dominicus Larius eum strenue confutavit in alia dissertatione Pisis evulgata. Vide Benedict. XIV, De Synodo Diœces. lib. V, cap. 5, n. 2.

(19. Jurisdictio ordinaria primario, et per se inexistens in jusdicente non exstinguitur morte concedentis, v. g. Papæ; cap. *Legatus* 2 De officio legati, in 6, cum similibus.

(20. Jurisdictio autem delegata expirat, si delegans, re integra, moriatur, cap. *Relatum* 19, cap. *Gratum* 20, cap. *Licet undique* 30, De officio judicis delegati, l. Et quia, ff. De jurisdict. omn. judic.

(21. Et ratio disparitatis est, quia concessio jurisdictionis ordinariæ est gratia facta ipsi, cui conceditur, cum talis in dignitate constituatur, gratia autem facta non expirat morte concedentis, etiam re integra, textu expresso in cap. *Si cui* 36, De præbend. in 6, ibi : « Hujusmodi concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis. » E contra vero jurisdictio delegata non est gratia facta ipsi delegato, sed quoddam mandatum de faciendajustitia alteri; mandatum autem expirat morte mandantis, re adhuc integra; l. Mandatum, Cod. Mandati et cap. *Licet undique* 30, De offic. jud. eis delegati, ibi : « Mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit; » Reiffenst. loc. cit., tit. 29, num. 51; Sanchez lib. III De matrimon., disp. 22, n. 55 et 57, cum aliis.

(22. Apostoli omnes immediate a Christo, et non mediante Petro, acceperunt suam jurisdictionem; vide *Apostolus* a num. 6 ad 11, ubi late de hoc. (23. Episcopi jurisdictionem habent mediante Papa.

23. Jurisdictio enim habita ab apostolis immediate a Christo fuit solummodo personalis et extraordinaria propter necessitatem illius temporis et primæ fundationis Ecclesiæ, adeoque in se ipsis terminatura, nec transitura ad suos successores, quales sunt episcopi Papa inferiores. Melchiades Papa in Epistola decretali; Anacletus Papa cap. *In novo* 2, dist. 21, et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, Bellarmin. De pontifice lib. IV, cap. 2; Barbosa De offic. et potest. episcop., par. I, tit. 1, c. 1, a n. 18, et alii passim. Cave, credas, sententiam de episcoporum jurisdictione a Summo Pontifice derivatam nonnisi Isidorianis hisce, quas auctor laudat, Melchiadis et Anacleti decretalibus niti. Multo gravioribus illa argumentis probatur, quæ adversus Febronium proposita inveniens, atque expensa a Franc. Antonio Zaccaria in utroque *Antifebronio* Italico et Latino. Id tamen omnino præ oculis habendum, episcoporum jurisdictionem, sive sit immediate a Christo Domino, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subesse, *ut consentientibus omnibus Catholicis* (quod aiebat idem Benedict. XIV, lib. VII, cap. 8, num. 7) « ejusdem auctoritate et imperio limitari atque ex legitima causa omnino auferri possit. »

(24. Confessarii regulares ordinum mendicantium, et aliorum exemptorum communicantium cum ipsis privilegiis habent immediate a Papa jurisdictionem in quosvis Christifideles, supposita tamen approbatione episcoporum. Clementina *Dudum;* De sepulturis, et sic declarasse etiam Sacr. Congreg. Concilii testatur Fagnan. in cap. *Omnis*, De pœnitentiis et remissionibus, num. 79. Vide verb. *Approbatio*, art. 1, num. 42.

(25. Jurisdictio, seu potestas jurisdictionis necessario requiritur in confessario, et absolutio data a sacerdote sine jurisdictione est nulla; vide verb. *Confessarius* art. 1, a num. 6 ad 10.

(26. Defectu jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus, neque valide potest absolvere a peccatis venialibus aut mortalibus alias confessis; Vide d. verb. *Confessarius* a num. 11 ad 12.

(27. Possunt tamen simplices sacerdotes in articulo mortis absolvere nedum a venialibus et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus et censuris etiam reser-

Digitized by Google

vatis; pro tali enim casu Ecclesia dat jurisdictionem omnibus sacerdotibus etiam degradatis, excommunicatis vitandis, irregularibus, apostatis, et hæreticis, ac talis potestas extenditur etiam ad probabile periculum mortis. Vide *ib.*, a n. 13 ad 15, ubi, ut etiam in verb. *Absolutio* art. 1, num. 50, patet in jure ad propositum pro eodem usurpari articulum et periculum mortis; physice tamen differunt: unde ne forte tironibus deesse videamur, dum dicimus sacerdotes quoscunque posse in articulo et in periculo mortis ut supra absolvere (dummodo non adsit sacerdos approbatus, ut mox n. sequenti), hic subnectimus quod articulum mortis est tempus illud quo mors certo instat de proximo, estque inevitabilis; periculum autem probabile mortis est tempus illud, quo mors non certo instat, sed ex sæpe contingentibus probabiliter timetur: sic est in proxime prælium aggressuris, aut periculosam, aut longam navigationem suscepturis; item in femina primo paritura, vel ad partum difficili, in bannitis impune occidibilibus, in proxime rationis, aut loquelæ usum amissuris, in inservientibus peste infectis, vel laborantibus morbo ut plurimum solito mortem afferre. In his igitur casibus simplex sacerdos non approbatus potest absolvere, etc., dummodo non adsit, etc., cum onere tamen pœnitenti imponendo, si convalescat, vel periculum mortis evanescat, de comparendo coram superiore pro censuris reservatis, et de satisfacienda parte, quoties adsit pars læsa; unde quantum ad censuras reservatas tota auctoritas pro foro interno est. Vide etiam verb. *Absolvere*, *Absolutio*, art. 1, a n. 48 ad 57. (28. Simplex sacerdos non habet in præfatis casibus absolvendi jurisdictionem præsente sacerdote approbato. Vide *ib.*, a num. 16 ad 17. Excipe vero casum, difficulter tamen contingentem, videlicet si præsens sacerdos approbatus malitiose absolutionem impertiri nollet; tunc enim ipse habendus esset tanquam absens, ac proinde simplex sacerdos absolvere deberet.

(29. Nullus sacerdos sive sæcularis, sive regularis, potest confessiones excipere sine potestate jurisdictionis, aliter absolutio esset nulla, gravissime peccaret, et rigide posset, et deberet puniri; vide *ib.*, a num. 25 ad 27. Error communis potest dare jurisdictionem si in vero sensu capiatur: vide *ib.*, a n. 33 ad 37 (114). (30. Error communis cum titulo colorato et putativo dat jurisdictionem ad valide absolvendum, licet occultum subsit impedimentum ex jure positivo proveniens: vide *ib.*, num. 36. (31. Secus autem si defectus, seu impedimentum esset ex jure naturali, vel divino proveniens: vide *ib.*, n. 37. (32. An autem etiam error communis sine titulo colorato, seu putativo det jurisdictionem ad valide absolvendum? vide *ib.*, a num. 38 ad 42, ibique supponitur implicite tanquam certissimum errorem particularem non dare jurisdictionem; et ratio est, eo quia error particularis facile detegi potest ex communi notitia, nec incommoda ex illo sequuntur, quæ ex errore communi; ac Ecclesia, sicut leges, primo, et principaliter bono communi prospicere, communitatisque incommodis occurrere assolet: unde licet error communis inferat jurisdictionem, non tamen error particularis; quoties autem stante errore communi aliqua oriretur suspicio de sacerdotis jurisdictione, exploranda foret sedulo veritas, qua non obstante, si dubium adhuc superstes maneret, perseveraret jurisdictio, quia prævalet possessio jam a populo acquisita.

(33. Quamvis jurisdictio et approbatio confessarii confundi soleant, eo quod regulariter data approbatione conceditur jurisdictio, in re tamen differunt; nam confessarii jurisdictio est potestas, sive jus in subditos ad absolvendi potestatem exercendam, quam ex vi ordinis habet sacerdos; approbatio autem est authenticum judicium de idoneitate sacerdotis ad confessiones excipiendas, seu cui possit ad id conferri jurisdictio, quod utique judicium stare potest absque jurisdictionis collatione, ut si episcopus sacerdotem jam judicatum idoneum non deputaret ad audiendas confessiones. Vide etiam verb. *Approbatio*, n. 1 et 3.

(34. Jurisdictio sacerdotis est quidem juris

Nota Romani Theologi.

(114) Etsi notum est Romanis censoribus, Patrem Dominicum Viva, nonnullosque alios probabilistas cum nostro Ferrario opinari, solum errorem communem sine titulo colorato sufficere ad jurisdictionem, qua valide pœnitentes absolvantur; tamen hanc assertionem sine adnotatione vulgandam Romæ non esse censuerunt; nam doctis quamplurimis viris laxa atque falsa omnibus visa est hæc opinio, cum præsumi Ecclesiæ consensus rationabiliter non possit titulo colorato deficiente. Quando adest titulus coloratus, nempe quando sacerdos subit examen coram episcopo, quando obtinet in conspectu hominum beneficium, et ut parochus ab omnibus tam solidis fundamentis habetur, sapienter et provide S. Mater Ecclesia ei confert jurisdictionem. At, si sacerdotes iniqui exponunt se in tribunali fide mala ad confessiones excipiendas: et istis Ecclesia jurisdictionem confert ob utilitatem fidelium, itane vero? An non vides hinc majora et horrendiora consequi absurda, quam sit utilitas pœnitentium? Nam admissa hac doctrina et persuasione in populo Christiano, quod validæ sint confessiones et absolutiones talium fictorum confessariorum, jam aperitur janua omnibus iniquis et sceleratis sacerdotibus fingendi se confessarios, disseminandi errores, hæreses, et seducendi populum christianum. Siquidem, ut credantur confessarii, sat est, inquit P. Viva, ut error non sit *supinus, aut crassus*, sed probabilis. Quid autem facilius hoc errore probabili contrario errori supino et crasso? Nam nemo præsumitur malus, nisi probetur. Ergo quoties fideles vident sacerdotem sedentem in tribunali, præsumere debent esse confessarium, licet non sit; et error communis semper probabilis erit, et non supinus. Utilitas ergo pœnitentium, quæ obtruditur pro fundamento jurisdictionis ab Ecclesia collatæ, inepta res est, si conferatur cum universali damno, et perturbatione ministerii, et scandalis atque absurdis quæ sequerentur, si consisteret præfata opinio P. Vivæ et aliorum: titulus coloratus perquam rarus est. Errores isti communes, non supini, sed probabiles frequentissimi forent, semel admissa doctrina, quod ejusmodi confessiones et absolutiones validæ essent.

Digitized by Google

Ecclesiastici quantum ad collationem, ampliationem et restrictionem; Ecclesia enim est, quæ illam confert, et eo modo quo judicat in Domino expedire: at de jure divino est, quod sacerdos valide absolvere haudquaquam possit absque jurisdictione, quemadmodum sequitur ex verbis Trid. sess. 14, c. 7, adductis in verb. *Confessarius*, art. 1, n. 8; unde circa jurisdictionem ministri, secundum quod est juris divini, in sacramentis tam administrandis quam recipiendis tenendum est idem, ac circa materiam eorumdem, et formam, nempe quod minime liceat sequi opinionem probabilem, relicta tutiori propter easdem rationes; quia scilicet exponeretur periculo frustrationis sacramentum cum damno recipientis et irreverentia sacramenti. Cæterum quantum ad jurisdictionem secundum quod est juris Ecclesiastici, ad hæc usque tempora adhuc viget quam plurimorum doctorum sententia, videlicet quod Ecclesia suppleat seu det jurisdictionem confessario absolventi ex opinione vere et graviter probabili circa jurisdictionem, ut est juris Ecclesiastici, quemadmodum affati sumus de errore communi, cujus non minus potens sapientium opinio ad dandam jurisdictionem in pœnitentium bonum apparet, præsertim dum supponitur ei accedere circumstantia, quæ jurisdictionem moraliter certam reddat; ut esset Ecclesiæ determinatio, sac. canonum decisio, communis theologorum, et consuetudo (quam in proposito certam et indubitabilem testantur Cardenas, Suarez, Lugo Card. et alii), Patrum sensus, aut si opinio tutior sit improbabilis, vel tenuiter et non vere probabilis, aut scrupulosa: perenniter tamen gravi et summa cautela in cunctis procedendum.

(35. Jurisdictio confessarii distingui potest in directam et in indirectam. Prima est, quam exercet confessarius in peccata sibi tamen subjecta confessa, et alteri non reservata; vel, si alteri reservata, sibi tamen subjecta ratione Jubilæi, privilegii, vel specialis concessionis. Secunda est, quam in reservata, et sibi non subjecta exercet confessarius ratione concomitantiæ cum sibi subjectis. exemplum pro jurisdictione directa non est necessarium siquidem per se patet ex terminis; Exemplum pro jurisdictione indirecta est primo, dum quis legitimo confessario aperit peccata cum inculpabili oblivione aliquorum; peccata namque explicite manifesta directe absolvuntur a confessario, quatenus in ea plenam habet potestatem si non sint reservata, peccata vero inculpabiliter oblita indirecte absolvuntur, ratione scilicet absolutionis datæ super peccata confessa, quatenus remitti non potest unum peccatum sine alio, sed gratia expellit omnia, cum nequeat quis insimul Dei amicus et inimicus esse. Secundo, si quis bona fide propria peccata confessus esset sacerdoti non habenti jurisdictionem, vel ob aliquem pœnitentis occultum defectum sine culpa contingat invalidam esse confessionem, sequenti confessione facta legitimo confessario, peccata illa indirecte manent absoluta, ratione scilicet absolutionis datæ super peccata confessa, ut nuper dicebamus; id enim æquivalet inculpabili oblivioni; verum quoties pœnitens in cognitionem ferretur confessionis invalidæ, eam legitimo sacerdoti repetere deberet, ut directe subjiciantur et absolvantur peccata, nec non defectus inculpabilis corrigatur; quod si pœnitens, stante invalida confessione supradicta, communionem sumpsisset, bona fides ipsum a sacrilegio excusasset: et dicta advertere, ad coercendos scrupulos, ac conscientiæ quietem inserendam fidelibus multis juvabit plurimum. Tertio, cum quis urgente necessitate celebrandi, aut communicandi confitetur confessario inferiori plura peccata, quorum aliqua sint reservata, tunc enim a reservatis absolvitur non directe, quia ea non cadunt sub potestate confessarii, sed indirecte, ex vi absolutionis directe datæ supra non reservata; cum onere tamen postea confitendi reservata habenti in ea auctoritatem pro directa absolutione: quod si pœnitens in præfata urgenti necessitate non haberet nisi reservatum, confiteri deberet aliquod ex jam confessis peccatis, in quæ confessarius directam habet auctoritatem, ut vi illius indirecte, et per concomitantiam absolvere possit a reservato, alias nec indirecte pœnitens absolvi posset a reservato, sicut clare sequitur ex hucusque dictis; unde tunc pœnitens sibi consulere deberet per contritionem.

Quid autem sentiendum in urgentiis præfatis, si casui reservato etiam foret annexa reservata censura, patefiet, Deo dante, in verb. *Reservatio casuum*.

(36. Jurisdictio in pœnitentes nequit acquiri sola consuetudine, uti expresse declaratum habetur in c. *Si Episcopus* 2, De pœnitentiis et remissionibus, ibi: « Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessarium sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare. »

(37. Alia de jurisdictione et facultate confessarii quoad absolutionem, vide verb. *Absolutio* per tot.

(38. Jurisdictio gravi metu, vi seu fraudo obtenta seu extorta, est ipso Jure nulla, arg. l. II, § 1, ff. De judiciis; et Glossa *ibid.*, quæ explicans textum de Jurisdictione per vim compulsivam prorogata loquentem: « Nulla jurisdictio est, addit, scilicet ipso jure, sicut nec dos per vim promissa; » Concordat Bartolus *ib.*, § Non casum, et Abbas in c. 2, n. 12, De his, quæ vi metusve causa fiunt. Et facit c. *Unicum*, de his, quæ vi metusve causa fiunt, in 6, ubi similis absolutio a censuris per metum extorta declaratur omnino nulla, et sic tenet etiam Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 40, n. 63 et seq., et lib. II, tit. 2, num. 137. et aliis cum Glossa Marginal. in cit. l. II, De judiciis, et alia Glossa in cit. cap. 4, verb. *Coactus*, De his quæ vi, metusve causa fiunt; Dicastill. d. 10, n. 181. (39. Contraria tamen opinio est valde probabilis, et ipsam tenent Sanchez lib. III De matrimon., disp. 39, num. 13; Lessius, lib. I De justit. et jure, c. 17, num. 37. Pir-

Digitized by Google

hing lib. I Decretal., tit. 40, n. 33, ubi defendit tanquam probabiliorem, et La-Croix lib. VI, part. II, n. 1554, ubi dicit quod probabilius est jurisdictionem vi, metu, vel fraude extortam sufficere ad valide absolvendum, quia confessio manet voluntaria simpliciter.

(40. Jurisdictionis contentiosæ actus regulariter sunt invalidi diebus Feriatis; l. I, ff. De feriis, l. Si Feriatis, ff. eodem cap. *Omnes dies* 1, et c. *Conquestus* 5, de feriis. Ita Abbas in cit. c. *Conquestus* n. 1; Fagnan. *ibid.*, n. 1, et seq., et Communis aliorum. (41 Secus autem est dicendum de actibus Judictionis voluntariæ, qui nimirum absque strepitu judiciali tantum in volentes exercentur, diebus etiam feriatis recte expediuntur, l. Solet, ff. De feriis, l. Actus omnes; cod. eod. ubi licentia diebus Feriatis emancipandi et manumittendi cunctis conceditur; et Baldus in summario generaliter inquit: « Actus voluntariæ jurisdictionis possunt explicari quolibet tempore, etiam feriato; » vide quoad hæc verb. *Judicium*, a num. 24, usque ad finem

(42. Jurisdictio ordinaria activa non recte infertur ex privilegio exemptionis passivæ. Benedict. XIV, tom. I Constit. 76, incip. *Apostolicæ servitutis*, § 9 et 10. (43. Jurisdictio ordinaria prælato inferiori concessa dici nequit per verba generalia expressam illius mentionem non facientia. Idem *ibid.*, § 7. (44. Nec per cessionem juris episcopalis in genere, utpote quod intelligi potest consentanea ad exemptionen passivam. Idem *ibid.*, § 12. (45. Jurisdictio in clerum et populum monachis raro tributa; nunquam vero ætate Alexandri III. Idem *ibid.*, § 11.

(46. Jurisdictio episcoporum in ecclesiis parochialibus regularium in Indiis Occidentalibus et Orientalibus asseritur. Idem tom. II, constit. 1, incip. *Quamvis ad confirmandum.* (47. Jurisdictio episcopi in omnes ecclesias intra diœcesis suæ fines constitutas, in jure fundata est. (48. Idem constit. 33, incip. *Inter multa*, et constit. 40, incip. *Causarum Palatii*, jurisdictio activa in clerum et populum valde differt ab exemptione passiva. (49. Idem const. 33, incip. *Inter multa.* Jurisdictio Græcis prælatis in populum Latini ritus nunquam in Italia attributa dignoscitur. Idem *ibid.*

(50. Inferior prælatus ad hoc ut territorium separatum, et jurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in clerum et populum obtineat cum ipsius episcopi exclusione, non juvatur per Quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum et subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi, quæ fuit olim decisio S. Congregationis Concilii die 7 Januarii 1721, dein approbata a Clemente XI, die 14 ejusdem mensis, et confirmata a Bened. XIV, in suo Bullario tom. II, constit 33. Tunc autem dicetur consuetudo rite inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior prælatus omnem omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut episcopus in cujus diœcesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, neque in iis se unquam miscuerit. De Synod. diœces., lib. XIII, c. 8, § 18 et 21, nov. edit.

(51. Episcopi, licet habeant capitula quantumcunque exempta, possunt per se ipsos sine adjunctis de capitulo visitare ecclesiam, canonicos, et beneficiatos, ut decisum a S. Congreg. Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri. *Ibid.*, c. 9, § 6, nov. edit.

(52. Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum procedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, a Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium, et si ambo conveniant in sententiam episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Tridentino sess. 25, cap. 6, *De refor.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6, c. 4, altero in sess. 25, cap. 4, *De Synodo diœces.*, lib. XIII, cap. 9, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Amplissima est hæc materia. At angusti limites additionum vix patiuntur, ut aliqua habeamus de jurisdictione ordinaria et delegata, tum de jurisdictione contentiosa et voluntaria.

53. Duobus modis jurisdictio dici potest ordinaria. Primo, quæ jure perpetuo et stabili, vel lege, vel principum constitutione ad instar regulæ constituta est et efformata. (54. Opponitur delegatæ, quæ extra ordinem committitur alicui, qui alias judicis munus non habet, in certo casu, et sic se habet per modum exceptionis. (55. Hoc sensu omnia principum et prælatorum judicia jurisdictionem habent ordinariam, quippe quia hunc in finem sunt constituta, ut ordinarie et regulariter in causis controversis pateat ad ea aditus, et judices iis propositi nomine principum et prælatorum jus dicant. (56. Commissarii vero, qui pro re nata ad certam causam deputantur, extraordinariam jurisdictionem habent, cum perpetuum judicium non exerceant, sed unam alteramque causam ob singulares circumstantias expediant, pateatque adhuc ad delegantem recursus.

(57. Secundo dicitur ordinaria jurisdictio, quam quis jure proprio, et non ex alterius commissione et beneficio tenet et exercet, nec ita a superioris arbitrio dependet, ut pro ejus arbitrio revocari possit. (58. Opponitur huic vicaria, seu delegata jurisdictio, quam quis nomine et vice ejus qui jurisdictionem ordinariam habet, gerit. (59. Hoc sensu soli principes et episcopi habent jurisdictionem ordinariam. (60. Officiales vero episcoporum vicariam gerunt operam, qui eam ob causam dicuntur ipsorum vicarii, reddendis rationibus iisdem obnoxii sunt, et ab eis in exercitio jurisdictionis sunt dependentes.

(61. Dici solet habere officialem eamdem

Digitized by Google

jurisdictionem, quæ competit episcopo. At eam haud habet eodem modo. Ille enim eam habet jure proprio ; hic vero potestate vicaria : licetque idem exerceat tribunal, quod episcopus habet, est adhuc ejus administer, ab eoque constituitur; vide de his omnibus Bohemer, in Decretal. lib. 1, tit. 28, § 7.

(62. De contentiosa jurisdictione non est quod multa habeamus. De ejus divisione in libellarem et decretoriam, traditam ab Obrecto De jurisdict., lib. 1, cap. 9, n. 19, vide omnino Schimier, Jurisprud. canon., lib. 1, tract. 5, cap. 8, in supplement. quæst. 2, per tot.

(63. Voluntaria jurisdictio neque a voluntate magistratus dicitur, quasi eam pro arbitrio accommodet, neque a voluntate partium, quasi eam pro suo libitu petant, sed potius ab actibus, qui non imperantur, sed a volentibus solum et consentientibus peraguntur ; Lauterbac. in Disput. de jurisdict. volunt., thes. 2.

(64. Dividitur jurisdictio voluntaria in simplicem et mixtam. Simplex exercetur a magistratu sine speciali causæ cognitione, sola interpositione publicæ auctoritatis circa actum qui coram se geritur. Mixta exercetur cum speciali et solemni causæ cognitione ; Braun De jurisdict., c. 4, § 3, n. 4.

(65. Pertinent ad jurisdictionem voluntariam simplicem, ex jurisdispositione, adoptio, emancipatio, et manumissio, et, ex interpretatione prudentium, confirmatio testamenti judicialis, insinuatio donationis ultra 500 solidos, insinuatio judicialis hypothecæ bonorum immobilium, edictalis bonorum possessio, apertura et publicatio testamentorum; Lauterbac., dict. Disput., thes. 33, et sequitur Vinn. De jurisdict., cap. 6, n. 6.

(66. Ad jurisdictionem voluntariam mixtam pertinent arrogatio, emancipatio impuberis, manumissio servi, si fiat a minori 25 annis, transactio de alimentis testamento relictis, alienatio rerum immobilium vel mobilium pretiosarum ad pupillos vel minores spectantium, et bonorum possessio decretalis; consule Schimier Jurisprud. canon. civil., lib. 1, tract. 5, cap. 8, section. 2, § 4, num. 38, et plur. sequent.

(67. Quæritur an dispensatio super votis et juramentis, absolutio a censuris, collatio beneficiorum aut privilegiorum, et alia id genus jure canonico inducta spectent ad jurisdictionem voluntariam, et utrum ad simplicem, an ad mixtam? At confer Schimier Jurisprud. canon. civil., l. 1, tract. 5, cap. 8, sect. 2, § 3, n. 43, et sequent.

(68. Conveniunt in hoc jurisdictio simplex et mixta, quod utraque personalem requirit præsentiam eorum quibus administratur, nec ministerium procuratoris admittit; Braun De Jurisdict., c. 4, § 3, num. 21. (69 Differunt vero quia simplex potest administrari in causa propria, propriæ et conjunctis personis, a judice competente et incompetente, intra et extra territorium jus dicentis, die feriato et non feriato. Mixta vero redditur causis et personis alienis, a judice competenti, ac pro tribunali sedente intra territorium proprium, diebusque juridicis. Nec mirum. Simplex enim cum non requirat causæ cognitionem, nec judicio, nec judici, nec loco astricta, solam præsentiam magistratus et inscriptionem negotii ad acta desiderat. Mixta vero, utpote desiderans judicialem causæ cognitionem, certo loco, judici, et judicio alligata est; Vinnius De Jurisd., cap. 6, num. 7; Braun eod. tract., c. 4, § 3, num. 38, et seq.

JURISPRUDENTIA.

Noviss. adject.

SUMMARIUM.

1. Jurisprudentia quæ jura consideret. — 2. — 3. Jurisprudentia antediluviana. — 4. Hebræorum jurisprudentia. — 5. *Ægyptiorum, aliarumque gentium, præsertim Græcorum legumlatores.* — 6. Romanorum jurisprudentia profana a Numa Pompilio ad Justinianum. — 7. Juris Justinianei fata in oriente. — 8. Et in occidente. — 9. Jurisprudentia sacra, seu ecclesiastica.

(1. Jus, ut mox videbimus, multiplex est: naturale, positivum, hocque aliud divinum, aliud humanum; humanum vero aliud item est, gentium, civile et ecclesiasticum. Itaque jurisprudentia quæ omnia hæc jura considerat, latissime patet.

(2. Primum omnium jurium fundamentum est jus naturæ. Hujus vero prima et generalia principia quam in se pauca, tam in iis quæ inde eruuntur multiplicia, manifestat lumen naturale, cuivis hominum ingenitum. Hoc lumen cum in Adamo admodum excellens fuerit, facile ea quæ ad jus naturæ pertinent, progeniem suam posterosque illo docuit, copioseque explanavit.

(3. Præter jus hoc, quod omnium aliorum jurium regula est moderatrix, primorum parentum filiis et filiabus, horumque nepotibus in familias distributis jus quoddam œconomicum (species civilis adhuc imperfecta) esse cœpit, sine quo recta familiæ gubernatio subsistere nequit, ut quod officia uxoris erga maritum, liberorum erga parentes, servorum erga dominos, et familiæ membrorum erga se invicem complectitur. Ubi vero illæ magis magisque auctæ in gentes integras excrevere, ortum est jus gentium circa bella, pacis fœdera et commercia mutuo consensu constitutum. Constructis autem civitatibus, natum est jus civile seu politicum, quo omnia et singula civitatis membra in officio continentur. Cætera universim jurisprudentia in sacram et profanam jam tum dividebatur. Docet enim ipsum jus naturæ, Deo quod Dei est, et homini quod hominis est, dandum esse. Utrumque ab Adamo tanquam juris doctore divinitus constituto primis hominibus traditum est,

Digitized by Google

ita ut in Caini posteris, quos *filios hominum* sacræ Scripturæ appellant, jus profanum; in Sethi vero familia, quæ *filiorum Dei* nomine in iisdem Scripturis designatur, jus sacrum maximam partem custoditum et propagatum fuerit, præsertim postquam Enos *cœpit invocare nomen Domini* (*Gen.* IV, 26), seu auctor fuit ut nova aliqua certaque ratione ac ritu Deus publice coleretur.

(4. Exstincto per diluvium, paucis exceptis, humano genere, instauratum est a Noemo jus naturæ. Huic sane admodum consentanea sunt septem illa præcepta, quæ Noemo ejusque posteris imposita fuisse Hebræi tradunt; fatendum tamen est nullum de hisce Noachidarum præceptis apud veteres monumentum exstare, ut recte animadvertit cl. Alphonsus Nicolai in *Gen.*, lect. 53. Sed, et hisce præceptis omissis, utrumque illud jus naturæ profanum et sacrum per Noemi progeniem, facta gentium divisione, ad alias quoque orbis plagas et regiones quas occuparunt, translatum. Præcipue post patriarchas viguit in populo Dei, cujus principes fuere Moyses et Aaron, quorum ille quæ ad hujus vitæ regimen et felicitatem, iste quæ ad divinum cultum et res sacras pertinebant, uterque Dei, legislatoris supremi, jussu saluberrimis legibus promulgatis ordinavit. Perseverarunt hæc jura intacta post occupatam terram sanctam tum sub ducibus populi, et judicibus, tum sub regibus Israel et Juda, ita ut reges profanum, summi sacerdotes sacrum administrarent; Deo sæpius graves infligente pœnas, ubi reges manus in jura sacra immiscere ausi fuerunt.

(5. A populo electo ad alias quoque gentes, regna et provincias, jurium cultura transiit. Nimirum cum antea suo velut arbitrio, vel sub potentiorum tyrannico regimine viverent populi, legumlatores surrexerunt, homines sapientes et satis probi, qui partim naturæ lumine illustrati, partim iis quæ, peregrinando per alias terras, e sacro maxime Hebræorum codice hauserant, rectæ gubernationis principiis adjuti, conscriptis latisque legibus optimis respublicas regnaque tanquam copiosa suppellectile instruxerunt. Veterum legumlatorum catalogum dedit Fabricius, Bibl. Gr., lib. XI, cap. 14. Principes satis hic sit indicare. Mercurium Trismegistum ferunt primum Ægyptiis leges tulisse; sed de hoc Mercurio, de quo plurima antiqui fabulati sunt, legendi cum primis Moshemius ad Codworthi Systema intellectuale, cap. IV, § 18, et qui eum secutus eum primis est Nicolai in sacra Biblia, t. I, diff. 111, p. 79 seqq. Florent. edit. 1756. Phoroneum regem in Græcia primum leges Argivis edidisse perhibent Clemens Alexandrinus in Protreptico, et S. Isidorus Hispalensis Origin., lib. V, c. 1. Lycurgo Spartanorum leges, quarum lacinias aliquas Nicolaus Kragius exhibuit in Republica Lacedæmoniorum, tribui solent. Celeberrimum inter Græcos Atheniensium jus est, ejusque leges ex historicis et oratoribus, sub titulis suis peculiari corpore collegit, et commentario doctissimo illustravit Samuel Petitus Parisiis 1635, fol. Soloni Acticorum hæ leges maximam partem adjudicantur. Vide Gothofredum Schmidium in Diss. De Solone Legislatore, Lipsiæ 1688, et Fridericum Menzium in diss. De Solonis legibus, ibidem, 1701. Universim vero de primis Græcorum legibus disputantem adi Cl. Goguetum, t. XI, præclari operis inscripti *De l'origine des lois, des arts et des sciences*, lib. I, cap. 4, art. 8, qui et de legibus Cretensium sequenti articulo agit.

(6. Numa Pompilius, secundus Romanorum rex eis leges dedit. Fatendum porro est nullibi melius atque augustius jus profanum fuisse excultum, quam in Græcia et in Romana republica. Confer Antonii Thysii collationem legum Atticarum et Romanarum, recusam tom. V Thesauri Gronoviani. Nec deerat his populis jus sacrum, seu potius quoddam illius simulacrum, apud Græcos fabulis, apud Romanos superstitionibus refertum: erant tamen utrobique aræ, sacrificia, fana, sacerdotes, quin etiam Romæ pontifices maximi, penes quos summa fuit sacrorum potestas. Ejectis regibus, Romana respublica duodecim Tabularum quarum decem e Græcia fuerunt allatæ, legibus regebatur. Earum fragmenta plures collegerunt, et illustrarunt: Joannes Nicolaus Funcius, Rintelli 1744, et Ferrasonius in Historia jurisprudentiæ Romanæ; huc spectant Aloysii lib.; Baron. a Locella tria tentamina ad illustrandas leges XII Tabularum, Viennæ 1754. Juri tamen Romano atque communi initium datum fuit sub Augusto Cæsare; quod perpetuis rescriptis, ut vocant, edictis et sanctionibus per sequentes imperatores auctum fuit. Synopticam juris civilis usque ad Justinianum Historiam Josepho Simonio Assemano debemus, Bibl. jur. canon. et civil. Eccles. orientalis, lib. XI, cap. 2. Mosaicarum vero et Romanarum legum collationem, in titulos sexdecim tributam, a Petro Pithœo Parisiis 1572 fuisse editam novimus. Ejus auctor non ipse Pithœus fuit (quod Imbonato perperam excidit in Bibliotheca Hebræo-Latina, pag. 200), sed Licinius Rufinus, seu potius Licinio, qui, Severo Alexandro imperante, vixit, junior Christianus aliquis, nisi cum Marquardo Frehero lib. I Παρέργων juris, cap. 9, Judæum quempiam fuisse malis, qui, cum videret sectam suam invidia laborare, quod disciplina jureque a Romanis diverso uteretur, amoliri eam studens, demonstrandum susceperit non usque adeo multum leges Judaicas a Romanis dissidere, imo has ab illis fluxisse. Alia de hac collatione variisque ejus editionibus profert Fabricius, Biblioth. lat., lib. IV, cap. 9, n. 4.

(7. Progrediamur ad Justinianum. Is Romanum jus in eam, qua hodie utimur Juris civilis et profani formam, Triboniani potissimum consilio et opere, redegit. Historiam juris romani Justinianæi chronologicam habes tomo I Corporis juris civilis Romani opera et studio Simonis Van Lewen, Lipsiæ editi 1750; conferri tamen cum hac utiliter poterit Terrassonii Historia jurisprudentiæ Romanæ; Historia juris civilis ab Heineccio elucubrata, et Assemani Bibliotheca juris

Digitized by Google

orientalis antea laudata. In oriente et occidente Justinianæum jus vulgatum fuit cum plenissima auctoritate, peremptorio imperatoris edicto, vetitumque ne quis aut antiquiora jura cum Justinianæis libris commisceret, aut in foro leges alias laudare auderet. Obtinuit autem apud orientales istud Justinianæum jus usque ad tempora Basilii Macedonis, Leonis Sapientis, et Constantini Porphyrogeniti, qui novum jus ediderunt in sexaginta Basilicorum libros tributum. Basilius primus illis libris manum admovit; perfecit, promulgavitque opera Sabbatii Protospatharii Leo sapiens ejus filius. Constantinus denique idem opus ab avo inchoatum, a patre absolutum recognovit, emendavit iterumque edidit. De his consule Assemani Bibliothecam lib. XI, cap. 16.

(8. In occidente, ac præsertim in Italia non diu jus Romanum servatum fuit, omnia susquedeque vertentibus Longobardis primum, deinde aliis barbaris in nostras regiones irrumpentibus, ac suarum gentium leges, Salicam, Ripuariam, Alemannicam, etc., ad nos transferentibus. Equidem ab hisce populis vetitum non fuit nostratibus Romana lege vivere, ut ostendit Muratorius, Antiquit. Italic. med. ævi, diss. XXII. Nihilominus Longobardorum, ac deinde Carolingorum imperatorum leges jus Justinianæum fere in desuetudinem deduxere. Verum præsertim postquam, Lothario II imperante, a 1137, aut (quod Pagio visum est) 1135, in expugnatione Amalphitanæ urbis celeberrimus Codex Pandectarum seu Digestorum, quorum exigua a multis sæculis notitia fuerat, inventus est, et in Pisanorum manus devenit; veteris Romani juris auctoritas in Italia convaluit, et reliquarum legum usus infirmavit. Ab hoc nempe tempore jus Romanum a viris eruditis aliquanto diligentius tractari cœpit : quod tamen ab ipsis saltem XII sæculi initiis, ut Muratorius ostendit, Ant. Italic., diss. XLIV, in Bononiensi academia tradebatur : scholæ ejusdem paulatim ad alias urbes, tam in Italia quam extra Italiam magno Romanæ jurisprudentiæ incremento propagatæ. Sunt etiam qui velint Lotharium II, auctore Irnerio, primo juris Romani in academia Bononiensi doctore, edicto sanxisse, ut in posterum omnes uni legi Romanæ, cæteris omnibus abrogatis, obtemperarent; sed hæc opinio magnis viris probari non potuit : vide Muratorium in Præfatione ad Leges Longobardorum t. I Scriptor. rer. Italic., p. 2.

(9. Eodem XII sæculo Bononia juris quoque sacri seu canonici magistrum dedit. Circumferebantur a multis sæculis cum in Italia, tum in Germania, Hispania, Gallia canonum collectiones, de quibus vide quæ paulo post sequenti articulo adnotabimus. Verum nondum fuerat qui jus canonicum palam doceret. Gratianus Sanctorum Naboris et Felicis Benedictinus, apud eosdem Bononienses monachus, id sibi sumpsit; cum enim jus Romanum videret in ea academia ingenti plausu explicari, Decretum suum agressus est, quod anno tandem XII aut insequenti perfecit; dein illud doctoribus Bononiensibus tradidit examinandum, corrigendum, atque Eugenio III in Romana cathedra tunc sedenti offerrent : quo ipsius auctoritate et indulto in ipsa Bononiensi academia posset publica interpretatione illustrari. Facile Gratianus obtinuit quod optaverat, nam non modo academia illa ejus labores probavit, sed etiam cancellarius opus pontifici obtulit, ab eoque ut explicari publice posset impetravit. Postea tamen jus canonicum, conciliorum decretis ac Romanorum Pontificum, præcipue vero Alexandri III, Innocentii III, et Honorii III, epistolis, responsis et constitutionibus locupletatum, a Gregorio IX, adlaborante S. Raymundo a Penafort, in corpus juris ecclesiastici seu canonici, anno circiter 1230, coaluit. Gregorius porro hanc suam collectionem in quinque decretalium libros tributam verbis amplissimis confirmavit, eamque doctoribus Bononiensibus inscripsit, quo sibi viros illos sui studiosissimos magis devinxit. Hinc enim illi, abrogato Gratiani Decreto, aut saltem nonnihil illius usu infirmato, in normam scholarum Gregorianam istam collectionem statim assumpserunt. Quo quidem celeberrimæ illius academiæ exemplo factum ut hæc Gregorii collectio per omnes plagas non modo Italiæ, sed etiam Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Belgii longe lateque disseminaretur, nec solum in scholis publicis, verum et in judiciis dominaretur.

ADDITIONES CASINENSES.

Quoad præcepta Noachidarum, quorum obiter meminit auctor hujus articuli sub n. 4, affirmant rabbini, per Deum Noe ejusque filiis quædam imposita fuisse præcepta, ad jus naturale spectantia, quæ omnes homines obligant, adeo ut præceptorum ejusmodi observantia ad salutem satis sit. Addunt insuper post vulgatam Moysis legem nemini exterorum inter Hebræos morari permissum, nisi saltem Noachidarum præceptis obtemperarent; mortemque iis illatam qui bello victi hæc præcepta ignorassent. Sunt porro hujusmodi :

1° *De judiciis.* Obedientia præstanda judicibus, magistratibus et principibus.

2° *De cultu extraneo.* Cultus idolorum, sacrilegia, superstitiones omnino interdicta.

3° *De maledictione nominis sanctissimi.* Maledictio nominis Dei, blasphemiæ, mendacia.

4° *De revelatione turpitudinum.* Copulæ, et incestus illiciti, sodomia, bestialitas, peccata contra naturam.

5° *De sanguinis effusione.* Quorumcunque animalium sanguinis effusio, homicidium, vulnera, mutilatio, etc.

6° *De rapina.* Furtum, fraudes, mendacia, etc.

7° *De membro animalis viventis.* Non comedere membra alicujus animalis adhuc viventis, sicut mos erat quibusdam ethnicis, ut apud Arnobium, contra gentes, l. v : « Ca.

Digitized by Google

prorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipant. »

Ait amplius Maimonides omnia hæc præcepta, præter ultimum, imposita fuisse Adamo, ultimum vero impositum Noe. A quibusdam rabbinis hæc præterea superadduntur, nempe : *Interdictio sanguinem extrahendi ex animali vivo, ut hauriatur ; interdictio magiæ et sortilegii ; interdictio copulandi animalia alterius inter se speciei, et arbores inserendi : Interdictio mutilandi animalia.*

« Hæc utique, inquit Calmet, inveniuntur in his scriptoribus ; attamen de eorum vetustate maxime est ambigendum, cum a scriptura, ab Onkelo (qui famosus rabbinus primo seculo reparatæ salutis exstitit) a Josepho, a Philone, et ab ullo ex veteribus Patribus nulla mentio fiat. » (Diction. Bibl., v. *Noachidæ.*)

Et in comment. in Genes., ad cap. IX, v. 9, sic idem Calmet : « Nihil ea de re in Scriptura, in veteribus Judæorum et Christianorum auctoribus, nihil in Josepho et Philone. *Suspicionem etiam, de illorum vetustate promovet rabbinorum dissentio quoad numerum illorum ;* sicut etiam in dubium revocantur ex redacta a rabbinis in angustiores limites eorum significatione, atque imposita lege proselytis domicilii ea observandi. »

« Judæorum alii docent, prosequitur Calmet, Deum constituisse Noe ejusque posteris septem præcepta expressa Genesis cap. IX ; 1. Connubium : *Crescite, et multiplicamini.* 2. Jus coercendi animalia : *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* 3. Facultas adhibendi in cibum carnes : *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.* 4. Abstinentia a sanguine : *Carnem cum sanguine non comedetis.* 5. Homicidium interdictum : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu hominis.* 6. Jus plectendi homicidas : *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* 7. Tandem, nempe : *Ingredimini super terram, et implete eam.* » (Ibidem.)

JUS, JUSTITIA.

SUMMARIUM.

1. Juris vocabulum unde sit dictum, et quomodo hoc loco accipiatur, ad num. 3. — 4. Juris quotuplex divisio ac subdivisio, ad num. 22. — 23. Corpus juris canonici in quot et quas partes dividatur, ad n. 34. — 35. Quinam sit juris civilis et canonici promiscuus usus in utroque foro, ad n. 41. — 42. Quid sit agendum in jurium discordantia sive contrarietate, ad n. 43. — 44. Jus, prout est objectum justitiæ, quid sit, et quemadmodum dividatur, ad n. 48. — 49. Justitia quid sit, et quomodo communissime dividatur, ad n. 53. — 54. Quænam justitiæ ratio intercedat inter Deum et hominem, patrem et filium, maritum et uxorem, dominum, et servum, ad n. 56. — 57. Justitia præmiativa, et punitiva seu vindicativa, ad quam justitiæ speciem reducatur. — 58. An unquam adversus jus divinum præscribatur, et in quibus detur præscriptio adversus jus humanum. — 59. Alia ad rem remissive. Subjunctuntur Additiones Casinenses.

(1. Jus derivatur a verbo *justo*, textu expresso in cap. *Jus generale* 1, dist. 1, ibi : « Jus autem est dictum, quia justum est, » et in l. 1, ff. De justitia et jure, ibi : « Jus a justitia appellatum est ; nam jus est ars boni et æqui. » (2. Nec in re discrepat in cap. *Jus dictum est* 12, De verbor. significat., ubi dicitur : « Jus dictum est a jure possidendi, hoc enim jure possidetur, quod juste ; » quia ibi, ut recte notant Abbas in d. cap. *Jus dictum*, Reiffenstuel lib. 1 Decretal., § 1, proœmii num. 3, et alibi, ponitur Etymologia juris, non prout jus est nomen generale, sed prout applicatur ad rem certam, dicendo verbi gratia : « Habeo jus in tali re. »

(3. Relictis variis aliis juris acceptionibus, hic jus potissimum accipitur pro lege, quæ est regula justitiæ seu justi in genere. Cum enim legibus non nisi id quod justum est sive debitum inter cives vel erga rempublicam statuatur, hinc usu receptum est ut ipsæ leges tum divinæ tum humanæ jura appellarentur ; et in hac significatione accipitur jus in cit. cap. *Jus generale* 2, dist. 1, ubi dicitur : « Jus generale nomen est, lex autem juris est species. » (4. Unde jus pro lege acceptum dividitur primo in jus naturale et jus positivum ; jus naturale (quod alio nomine nuncupatur *Lex naturalis*) est illud cujus obligatio non ex libera alicujus præcipientis legislatoris voluntate, sed ex ipsa rei præceptæ vel prohibitæ natura oritur, verbi gratia : *Quod tibi vis fieri, alteri feceris, et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* et hujusmodi : « Est in re communis, » et colligitur ex cap. *Jus naturale* 7, dist. 2, ubi dicitur : « Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique jure naturæ, non constitutione aliqua habetur. » Et clarissime insinuatur *ad Romanos* cap. 2, ibi : *Gentes quæ legem non habent* (id est scriptam) *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt ; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis ; testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* (5. Et jam indicaverat regius Psalles *Psalm.* 4, ibi : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*) Jus positivum est illud quod non ex rei natura, sed ex libera Dei vel hominis voluntate pendet et vim obtinet ; et dicitur *positivum*, quia a superiore, non ex quadam necessitate atque intrinseca exigentia objecti, sed libere et contingenter ponitur. Est in re communis.

(6. Jus positivum dividitur in jus positivum divinum, et positivum humanum. Jus positivum divinum est quod a Deo supremo legislatore, de iis quæ ad jus naturale non spectant, in tempore latum, et hominibus positum fuit. Notanter autem dicitur de iis quæ ad jus naturale non spectant, ut ab isto jure divino positivo excludatur jus naturale, quod certo respectu et ratione etiam divinum appellatur, quatenus a Deo tanquam auctore naturæ mentibus humanis est inditum. Jus positivum humanum est illud

Digitized by Google

quod ab auctoritate humana aliquid præcipiente vel prohibente procedit.

(7. Jus positivum divinum subdividitur in vetus, et novum. Vetus est, quod Deus in Veteri Testamento tulit, et triplicis generis præcepta continebat, scilicet moralia, cæremonialia, et judicialia. Jus positivum divinum novum est quod Christus Dominus verus Deus et homo in Novo Testamento condidit et observari mandavit, et continet præcepta fidei, spei, charitatis et sacramentorum.

(8. Jus positivum humanum subdividitur in jus gentium, civile et canonicum.

(9. Jus gentium est illud quo omnes gentes vel ferme omnes utuntur, l. 1, § Jus gentium, de justitia et jure, juncta leg. Omnes, ff. eod. ubi dicitur: « quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes homines utuntur. »

(10. Jus autem gentium duplex solet a juristis assignari, scilicet jus gentium primarium, et secundarium. Jus gentium primarium est illud quod naturalis ratio omnibus gentibus dictat, quodque mentibus hominum a Deo naturaliter inditum est, et ab omnibus populis solo naturali instinctu rationis custoditur, et sic coincidit cum jure naturali; § Jus autem, Instit. de jure nat. gent. et civil. et l. Omnes 9, ff. de justitia et jure cum similibus. Jus gentium secundarium est illud quod ex naturali quadam ratione proficiscitur, at non simpliciter et ab initio solo rationis instinctu nobis est inditum, sed necessitate humani commercii postea, sic exigente usu ac moribus omnium aut fere omnium gentium, est introductum, sive per modum legis præceptivæ aut prohibitivæ, sive solum per modum potestatis seu facultatis permissivæ, quidpiam agendi quod usu seu consuetudine omnium vel pene omnium gentium præcipitur, prohibetur, aut conceditur, tanquam necessarium vel utile hominibus inter se societatem seu commercium foventibus; et de hoc jure gentium secundario est sermo in l. *Ex hoc jure*, ff. De justitia et jure, et § Jus autem gentium, instit. eod. tit. et afferuntur exempla in c. *Jus gentium* 9, dist. 1, præcisis his verbis: « Jus gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita; hoc inde jus gentium appellatur, quia eo jure omnes fere gentes utuntur. »

(11. Jus civile est quod auctoritate principis sive magistratus sæcularis est conditum ad reipublicæ gubernationem, et temporalem pacem, et salutem civium conservandam; Est in re communis per textum in c. *Jus civil.*, 8, dist. 1, ubi sic præcise dicitur: « Jus civile est quod quisque populus vel quæque civitas sibi proprium divinæ humanaque causa constituit. » (12. Jus civile dividitur primo in jus scriptum, et non scriptum, c. *Jus generale* 2, c. *Lex* 2, c. *Mox* 4, cap. *Consuetudo* 5, dist. 1, et §. Constat autem, Instit. de jure natur. gent. et civil. Jus civile scriptum est quod expresso consensu principis seu magistratus legis condendæ potestatem habentis constitutum est. Jus autem civile non scriptum est jus consuetudinarium, sive illud quod diuturnis moribus, tacito utentium consensu comprobatis, introducitur. Communis, arg. cit. Juribus.

(13. Jus civile dividitur secundo in jus commune, et particulare seu municipale. Jus civile commune est illud quod est commune omnibus provinciis et incolis Romano imperio subjectis, illosque omnes obligat. Jus autem civile particulare seu municipale est illud quod non ligat omnes subditos imperii Romani, sed solum subditos loci vel territorii pro quibus hoc jus conditum est. Communis.

(14. Totum jus commune civile seu Cæsareum dividitur in tres præcipue partes, scilicet in Digestum, Institutiones et Codicem. *Digestum*, quod alio nomine appellatur *Pandecta* seu libri *Pandectarum*, continet in se quinquaginta libros, qui omnes divisi solent in tres tomos. Primus vocatur *Digestum vetus*, quia prius editum est, et continet priores viginti quatuor libros. Secundus vocatur *Infortiatum*, quia fortiorem ac pleniorem legum cognitionem suppeditat, et continet sequentes quatuordecim libros usque ad trigesimum octavum inclusive. Tertius vocatur *Digestum novum*, quia postremo editum est, et continet reliquos duodecim libros. *Institutiones imperiales*, seu Justiniani imperatoris, dividuntur in quatuor libros, et sunt quoddam juris compendium. *Codex Justiniani* continet duodecim libros, quorum tres ultimi tractantes de jure publico non solent explicari in omnibus scholis. Istis tribus juris civilis partibus sunt adjectæ postremo *Novellæ constitutiones* Justiniani et Leonis Imperatorum, et alio nomine dicuntur *Authenticæ*, et constant novem authenticis collationibus, quibus recens decima adjecta est; insuper adjectæ sunt *Consuetudines Feudorum* seu duo *Libri Feudorum*, et aliæ quædam constitutiones imperiales.

(15. Jus canonicum derivatur a verbo Græco κάνων quod Latine significat *regula*; c. *Canon* 1, dist. 3. (16, 17. Regula autem ecclesiastica est dicta, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit quam ad rectitudinem, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat, vel distortum pravumque corrigat, c. *Regula* 2, dist. 3. Unde jus canonicum recte definitur, quod sit jus positivum ex sacris canonibus seu regulis ecclesiasticis collatum, et ad recte vivendum, æternamque salutem consequendam, et justitiam in populo Christiano conservandam a summis pontificibus Ecclesiæ catholicæ traditum, constitutum vel approbatum. Qua in re communis. (18. Jus canonicum vocatur etiam alio nomine *Jus ecclesiasticum*, quia materia in ipso contenta est ecclesiastica, et agit potissimum de personis et

Digitized by Google

rebus ecclesiasticis. Item vocatur etiam *jus pontificium*, quia a summis pontificibus fuit institutum et approbatum. Item vocatur *jus divinum* large sumendo jus divinum, sive quia instinctu et gratia sancti Spiritus canones editi sunt, ut dicitur in c. *Violatores* 5, caus. 25, q. 1, sive quia canones sunt veluti conclusiones deductæ ex principiis juris seu legis divinæ, c. *Qualiter* 24, de accus., et quædam ex sacris litteris excerpta continent, sive denique quia summus pontifex potestatem condendi leges ab ipso Christo, veluti ipsius vicarius, et Petri successor accepit, ut desumitur ex cap. *Translato* 3, De constitutionibus.

(19. Jus canonicum dividitur prime ad instar juris civilis in scriptum, et non scriptum, textu expresso, in c. *Jus generale* 2, dist. 1, et in cap. *Ecclesiasticarum* 5, dist. 11. (20 Jus canonicum scriptum desumptum est partim ex jure divino, et sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti, partim ex decretis conciliorum auctoritate pontificia confirmatorum, partim ex diversis rescriptis et constitutionibus summorum pontificum, partim ex placitis seu legibus principum sæcularium, et partim ex sententiis sanctorum Patrum. (21. Jus canonicum autem non scriptum continet traditiones et laudabiles consuetudines ecclesiasticas. Communis, et clare patet ex cap. *Ecclesiasticarum* 5, cap. *Consuetudinem* 6, c. *In his rebus* 7, c. *Catholica* 8, c. *Palam est*. 9, c. *Hoc vestræ* 10, et c. *Quis nesciat?* 11. dist. 11, cap. *Præceptis Apostolicis* 2, cap. *Sit Sancta* 3, cap. *Illud breviter* 4, cap. *Ridiculum* 5, cap. *Diuturni mores* 6, c. *Consuetudo* 7, c. *Nos consuetudinem* 8, cap. *Quemadmodum* 9, cap. *Novit*. 10, cap. *Illa autem* 11, et c. *Omnia talia* 12, dist. 12.

(22. Jus canonicum dividitur secundo in jus commune, et jus speciale. Jus canonicum commune est illud quod pro universa Ecclesia latum est, et omnes fideles obligat. Jus canonicum speciale est illud quod solum pro certo loco, provincia, diœcesi vel communitate latum fuit, et extra fines ipsius non obligat, ut sunt diversæ constitutiones synodales diœcesum aut provinciarum. Communis.

* (23. Corpus juris canonici universim, de quo hic auctor, præcesserunt plurimæ cum apud Græcos tum apud Latinos canonum collectiones, cum primis Dionysiana a Dionysio Exiguo compacta. De hisce collectionibus plures disseruerunt, ut de Marca, et P. Constantius; sed omnibus palmam eripuere Patres Ballerinii in amplissimo de antiquis canonum collectionibus et collectoribus tractatu, quem tomo III operum S. Leonis M. præmiserunt. Cum hoc tamen non inutile erit conferre Benedictinum Zallwein t. II Principior. jur eccl., q. 1, c. 3, et seqq., * Et dividitur in sex partes, scilicet : prima, in Decretum Gratiani; secunda, in Decretales Gregorii IX; tertia in Decretales Bonifacii VIII; quarta, in Decretales Clementis V; quinta in Decretales Joannis XXII; sexta, in Decretales variorum pontificum.

(24. Prima igitur pars juris canonici est Decretum Gratiani, quod a suo auctore Gratiano, religioso Ordinis Sancti Benedicti, nomen traxit, qui anno circiter 1150, tempore Eugenii III, hoc opus ex diversis sacræ Scripturæ sententiis, summorum pontificum et conciliorum decretis, sanctorum Patrum scriptis, imperatorum etiam legibus et sanctionibus compilavit, ac concordiam discordantium canonum appellavit, et multa de suo adjecit. Hoc Gratiani Decretum componitur ex tribus partibus. Prima pars continet centum et unam distinctiones, in quibus per capita seu canones agitur de jure divino et humano, et de personis ecclesiasticis. Et textus in hac prima Decreti parte contenti citantur ponendo numerum distinctionis, et initium capitis seu canonis, v. g. dist. 1, c. *Jus generale*, ubi legendum est, Ut habetur dist. 1, cap. seu canone qui incipit, *Jus generale*. Secunda pars continet causas 36, in quibus tractatur de negotiis clericorum et laicorum, et earum ferme quælibet plures continet quæstiones; et quælibet quæstio plures canones seu capita. Et textus in hac secunda parte contenti citantur hoc modo, cap. *Nullius crimen* 1, quæst. 4, lege, capite, seu canone, qui incipit *Nullius crimen*, causa prima, quæstione quarta : et, ut facilius textus reperiantur, solet a multis præponi ad caput seu canonem proprius numerus in ordine, scribendo v. g. *Nullius crimen* 1, causa 1, q. 4. Inseritur autem causæ trigesimæ tertiæ, de matrimonio agenti, tractatus de pœnitentia in quæstione tertia, quæ dividitur in septem distinctiones subdivisas per capita seu canones. Et textus in hoc tractatu citantur sic, v. g. cap. seu can. *Petrus doluit*, De Pœnit., dist. 1, lege : ut habetur De Pœnit., dist. 1, c. seu can. qui incipit, *Petrus doluit*. Tertia tandem Decreti pars, quæ agit de consecratione ecclesiarum, celebratione missarum, de sacramentis baptismi, confirmationis, eucharistiæ, etc., continet quinque distinctiones, quarum quælibet complectitur varia capita seu canones. Et textus in hac tertia parte contenti citantur hoc modo, capit. vel canon. *Omnes basilicæ* De consecr., dist. 1; lege : capite vel canone *Omnes basilicæ*, De consecratione., dist. 1. Vel citantur sic, De consecr., dist. 1. *Omnes Basilicæ*, lege : De consecratione, dist. 1, cap. seu can. qui incip. *Omnes Basilicæ*. His adjungi solent quadraginta septem canones pœnitentiales, qui sic citantur : *Canon Pœnitent.* 1, vel 2, vel 3, vel 4. Item octoginta quatuor canones, quos *Apostolicos* vocant, dicunturque collecti per sanctum Clementem papam, et sic citantur : Canon. apostol. 1, vel 2, vel 3, vel 4, sicuti est proprius numerus in ordine.

(25. Quamvis necdum sufficienter constet quod Decreto Gratiani universim fuerit attributa auctoritas legis canonicæ totum mundum obligantis (Consulendus de hujus Decreti auctoritate idem Zallwein quæst. 2,

Digitized by Google

cap. 2, § 5, seqq. et Zaccaria Antifebron., t. XI, *p.* 414, seqq.), nihilominus propter perfectam emendationem, et hujus emendationis approbationen a Gregorio XIII factam, meretur totalem fidem, quod canones aliaque ibidem contenta cum suis originalibus sine errore aut falsitate correspondeant, ut pluribus citatis tradit Barbosa in Collect. DD. ad proœmium Decreti, num. 6, et sequent. Pirhing. in Proœmio num. 32. Engel *ibid.*, n. 6. Reiffenstuel *ibid.*, n. 65, et alii passim.* Multum tamen etiamnum desiderari, ut emendatissimum hocce decretum habeamus, inter eruditos constat. Vide Rieggerum in luculenta dissertatione De emendatione Gratiani, præsertim vero præclaros Berardi in hoc Decretum commentarios Augustæ Taurinorum editos.* (26 Hinc canones, aliaque contenta in tali Decreto habent eamdem auctoritatem quam de se haberent et habent apud proprios auctores seu conditores; nec majorem habent per hoc quod referantur in ipso decreto. Sic doctores supracitati, ac alii fere communiter, et expresse sacra Rota Romana apud Peniam decis. 480, ubi inter alia sic habet: « Nec refert illos canones recenseri in Decreto a Gratiano compilato; quia, cum Gratianus, non publica auctoritate, infinita quæque illa canonum ecclesiasticorum et legum etiam sæcularium capitula in suum librum contulerit; nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano pontifice liber ille (N. B.) tanquam authenticus et legalis approbatus fuerit, inde fit quod quilibet canon inibi relatus, ex eo tantum quod ibi referatur, non habeat majorem auctoritatem, quam in primo loco consistens de sui natura esset habiturus. Nec Gregorius XIII Gratiani librum tanquam legalem authenticavit, cum solum emendari jusserit, et emendationes sine additionibus mandaverit observari.»* Rectissime. Interea Gratiano suæ debentur laudes et grates, quippe qui quamplurima antiqua documenta nobis conservavit, quæ facile injuria temporum intercidissent, et ea, quæ hac illac dispersa erant, in unum collegit, atque meliori ordine donavit, ut vel ipse Bohemerus, introduct. ad novam edit. Corp. jur. canon., § 20, fateri non dubitavit. Quamobrem non sine ingenti calumnia Gratianus inter quatuor Satanicæ impietatis columnas ponitur apud Gasparem Zieglerum De orig. et increm. juris canon., § 49, ubi quatuor Satanæ apostoli nominantur, Gratianus, Petrus Lombardus, et Sancti Franciscus ac Dominicus.*

(27. Secunda pars juris canonici sunt Decretales jussu Gregorii IX collectæ a sancto Raymundo de Pennafort, ordinis Prædicatorum, circa annum 1234. Istæ Decretales sunt sic dictæ, quia magis ex summorum pontificum constitutionibus et epistolis Decretalibus coalescunt, quam ex conciliorum decretis; decretum autem Gratiani e contra. Dividuntur istæ Decretales in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula, et citantur ponendo initium vel numerum capituli, et allegando titulum, v. gr., c. *Canonum statuta*, De constitutionibus; lege capite *Canonum statuta*, tit. De constitutionibus, et ab aliquibus post initium capituli ponitur etiam numerus sui ordinis, ut facilius reperiatur, v. g. cap. *Canonum Statuta* 1, De Constitutionibus; Glossator Decretalium est Bernardus Parmensis. Materiam Decretalium glossa proœmialis memoriæ causa sequentibus versiculis comprehendit:

Pars prior officia parat, Ecclesiæque ministros.
Altera dat testes, et cætera judiciorum;
Tertia de rebus et vita presbyterorum;
Quarta docet quales sint nexus conjugiorum.
Quintaque de vitiis, et pœnis tractat eorum.

Et brevius hoc versiculo:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

* De Gregorii IX collectione plura dabunt Doujatius in Prænotionibus Canonicis, illustrissimus Bartholus in Institutionibus, et Zallwein l. c., cap. 4.*

(28. Tertia pars juris canonici est liber sextus Decretalium, qui post quinque libros Decretalium Gregorii IX, auctoritate Bonifacii VIII compilatus fuit a Guilielmo Ebrodunensi, Berengario Biterrensi, et Richardo Senensi, circa annum Christi 1297, qui etiam dividitur in alios quinque libros, qui subdividuntur in titulos juxta ordinem in quinque Decretalium libris observatum (omissis tamen illis titulis circa quos specialis controversia de novo non emerserat), ac tituli in capitula. Citatio in hac parte fit ponendo initium vel numerum capituli, et titulum, ut in quinque libris Decretalium, cum addito in 6, v. g. cap. *Ut super* 4. De appellat., in 6, lege: capite, quod incipit *Ut super*, et est quartum in titulo de appellationibus in libro sexto Decretalium. Glossator hujus libri est Joannes Andreas Bononiensis jurisconsultus.

(29. Quarta pars juris canonici sunt Clementinæ, id est constitutiones, partim editæ a Clemente V, partim ejus jussu collectæ, et post ejus mortem promulgatæ a Joanne XXII circa annum Christi 1317, et dividuntur in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula. Citatio fit v. gr. Clement. *Causam electionis* 3, De electione, lege: in Clementinis, capite *Causam electionis* 3. De electione. Glossator est dictus Joannes Andreas Bononiensis jurisconsultus.

(30. Quinta pars juris canonici sunt Extravagantes Joannis XXII, id est viginti constitutiones editæ a Joanne XXII, et distributæ in quatuordecim titulos, et dicuntur Extravagantes, quia vagantur per varias materias ultra illas quæ in libris Decretalium habentur, et quia antea extra Corpus juris canonici incerta quasi sede vagabantur, quod nomen adhuc retinent; licet postea in ordinem librorum juris canonici redactæ sint. Citatio fit addito nomine hujus Papæ, v. gr. Extravag. *Prodiens Joannis XII*, lege,

Digitized by Google

In extravagante constitutione Joannis XXII, quæ incipit *Prodiens*. Glossator est Zenzelinus de Cassanis.

(31. Sexta pars juris canonici sunt Extravagantes communes, id est constitutiones quæ post priora omnia emanarunt a diversis pontificibus, et dividuntur in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula, quorum singuli novam et distinctam continent constitutionem vel constitutiones seu extravagantes; vocantur *extravagantes* propter supradictam rationem, et *communes*, quia non ab uno solo pontifice, sicut extravagantes Joann. XXII, sed a pluribus et diversis pontificibus sunt editæ. Citatio fit ponendo initium capituli, et titulum in quo reperitur capitulum, v. gr. Extravagant. *Ad regimen* 13, De præbend.; lege : In extravagante quæ incipit *Ad regimen*, c. 13, De præbend. Glossas addiderunt Joannes Monachus, Guilielmus de Monte Lauduno, et Joannes Franciscus de Pavinis.

(32. Corpori juris canonici in quibusdam recentioribus exemplaribus ad finem reperitur adjectus Liber septimus Decretalium collectus a Petro Matthæo jurisconsulto Lugdunensi, et juxta ordinem titulorum in quinque Decretalium libris contentorum distributus. Ast hic, prout nunc est editus, non est auctoritate publica in Corpus juris canonici receptus, licet habeat constitutiones reipsa obligantes, qualia sunt decreta et canones posteriorum conciliorum usque ad Tridentinum inclusive, et constitutiones multæ variorum summorum pontificum, quæ in ipso reperiuntur *. Plura in hoc libro a scriptoribus notantur et quodammodo carpuntur, præsertim vero quod in Tridentini concilii decretis, quæ Matthæus suæ collectioni inseruit, non indigitarit quid synodus novi statuerit, aut in quibus ab antiquiore jure canonico recesserit. Defectum tamen hunc in maximum legentium commodum supplevit Joannes Doujat, in suis ad Lancelotti Institutiones adnotationibus *.

(33. De alio septimo Decretalium libro memoratu dignam relationem facit Prosper Fagn., lib. II Decret. in c. *Cum venissent* 12, De judiciis, n. 61 et 62, quæ, prout ibi est, hic ad litteram datur; ibi : « Cum Gregorius XIII commisisset prius Flavio Ursino, Francisco Alciato, et Antonio Carafæ S. R. E. cardinalibus licentiam compilandi septimum librum Decretalium, multaque ipse manu sua exarasset ac monuisset, sed e vivis ereptus inchoatum opus dimisisset, Sixtus V ejus successor eam curam imposuit Dominico cardinali Pinello anno 1587., eique collegas adjunxit cardinales Aldobrandinum, Mattheium, Columnam. Ex quibus, cardinali Aldobrandino post obitum Sixti ad pontificatum assumpto, et creatis cardinalibus ex prælatis ipsius Congregationis Lucio Saxo, Laurentio Blanchetto, et Pompeio Arrigonio; extremo anno 1593, factus est finis ea undequaque seligendi et recognoscendi quæ inserendi in canonum corpus essent. Magnopere autem hæsitatum est num in extrema hac compilatione inseri deberent œcumenicorum concil. Florent. ac Trid. canones etiam ad dogmata pertinentes; et tandem optimis rationibus in eam itum est sententiam ut insererentur, licet Collectiones tam Greg. IX, Bonifacii VIII, et Clementis V, quam in antiquioribus Isidori, Burchardi, Anselmi, Photii, et aliorum paucissimis dogmatibus sint respersæ. Itaque volumen pontificia jura, et conciliorum decreta trecentorum prope annorum in quinque libros disposita, suis propriis distributa titulis, compediaria quadam summa complectens, extremam manum accepit die 25 Julii anno 1598. Sed cum typis jam excusum sub nomine septimi libri Decretalium Clementis VIII prope diem esset publicandum, gravis emersit difficultas, quod, cum decreta fere omnia concil. Trident. in eo inserta jam in Corpus juris canonici redacta essent, negandum non erat quin jurisperitis liceret eis applicare glossas et commentarios; ita enim in præcedentibus compilationibus factum videmus : nam, ut missas faciamus veteres Græcorum collectiones, quibus suas addiderunt interpretationes non modo Alexius, Aristenus, Joannes Zonaras, et Theodorus Balsamon, verum etiam Joannes Scholasticus, et Photius ambo Constantinopolitani antistites, et Matthæius Bastenus monachus, Constantinusque Harmenopolus, atque Arsenius; apud Latinos prima decretalium compilatio, quam tempore Alexandri III ex decretis antiquorum conciliorum et summorum Pontificum constitutionibus a Gratiano omissis, fecit Bernardus præpositus Papiensis, mox Faventinus episcopus, et Breviarum Extravagantium inscripsit, licet privato ejus nomine edita fuerit, glossatores tamen habuit Vincentium, Alanum, Tancredum, Laurentium et Rogerium. Similiter ad secundam privatam compilationem Gilberti et Alani, quam suo nomine edidit Joannes Gallensis eorum discipulus, glossemata fecerunt idem Joannes, Hugo Ferrariensis episcopus, et Bernardus major Compostellanus. Quemadmodum, et ad tertiam, quæ a Bernardo archidiacono Compostellano propria auctoritate Romæ confecta, et ideo Romana appellata, ac deinde omnium prima liber Decretalium conscripta fuit, glossas fecerunt idem Vincentius, Alanus, Rogerius, Jacobus, et omnium copiosissime Tancredus, ut constat ex vetusto codice antiquarum compilationum ab Anagnia civitate in bibliothecam Vaticanam delato, licet Joann. Andr. putaverit glossas ad hanc compilationem composuisse Paulum Hungarum. Quartæ itidem compilationi, cui addita fuerunt capita septuaginta et unum generalis concilii Lateranensis paulo ante celebrati, glossæ fuerunt applicatæ, licet de auctoribus variæ sint opiniones; alii enim illas tribuunt Joanni, alii Roberto, sive Rogerio. Et prætermissa quinta, quam idem Tancredus compaginavit ex constitutionibus Honorii III, ad sextam itidem compilationem, quam Gregorius IX ex quinque compilationibus præcedentibus in quinque libris Decretalium disposuit, opera scilicet Raymundi tunc ejus

Digitized by Google

capellani et pœnitentiarii, mox tertii ordinis Prædicatorum magistri generalis, glossas edidit Bernardus de Botono Parmensis, et canonicus Bononiæ. Sed et ad sextum librum Decretalium Bonif. VIII, quæ septima fuit compilatio, Jo. Andr. Bononiensis applicuit glossas, quæ in hoc prævaluerunt glossis Joann. Monachi cardinalis (fuerunt enim concurrentes, ut idemmet Jo. Andr. testatur *in præfatione ejus libri*). Ac demum ad compilationem Clementinarum Clementis V, a Joanne XXII publicatam, glossas confecit idem Joan. Andr., et ad Extravagantes; quæ una cum Decretalibus Gregorii IX, Sexto, Clementinis, Corpus juris canonici constituunt, ut declaravit Gregorius XIII in constitutione quæ incipit : *Cum pro munere*, Zenzelinus de Cassanis, et Guilielmus de Monte Lauduno glossas applicaverunt, et apostillas Joannes Franciscus de Pavinis Rotæ auditor. Itidem veterum canonum expositores, Ruffinum, Silvestrum, Jo. Hispanum, Joannem Faventinum, Gotfredum, Melendum, Bartholomæum Brixien., Joannem de Deo, et alios quamplures recenset Guilielmus Durand. in procem. Spec., n. 14, et ibi fusius Jo. Andr. in add. inc. B. Parm. lit. *M*. Quod igitur ad veteres canonum collectiones factum est, nulla ratio suadebat cur non idem esset permittendum ad extremam hanc compilationem septimi libri Decretalium. Id vero ex diametro adversabatur constitutioni Pii IV, prohibentis ne super decretis concilii Tridentini edantur glossæ et commentarii, ullumque omnino interpretationis genus. Tanti autem hujusmodi prohibitio habita fuit, ut hanc unam ob causam substiterit hujus voluminis publicatio miris elucubrata laboribus ac vigiliis, et præsulum, gymnasiorum, totiusque Ecclesiæ vocibus efflagitata; ita ut propterea nullus restet dubitandi locus quin constitutio Pii IV interdicat etiam probabilem glossatorum interpretationem. Hactenus Fagnanus. »

(34. Extra corpus juris plures alii libri sanctiones habentes exstant, scilicet : « Concilia generalia et provincialia a summis pontificibus approbata, Bullarium, Regulæ cancellariæ, Declarationes cardinalium, et Decisiones Rotæ Romanæ. » De Conciliis, vide verb. *Concilium*. De Bullario stat certum quod bullæ seu constitutiones pontificiæ in ipso contentæ, si probantur authenticæ et originali suo conformes, habeant vim obligandi, secus non, uti recte Plettenberg, in Introductione ad jus canonicum c. 19, advertit, et alii passim. De Regulis cancellariæ, vide verb. *Cancellaria*. De Declarationibus cardinalium, vide verb. *Declarationes cardinalium*. De Decisionibus Rotæ Romanæ est certum quod, licet istæ faciant jus inter partes ipsas litigantes, non tamen faciunt jus universale, ut docet Franciscus de Pavinis in Præludio Extravagantium Joann. XXII, et communis aliorum; vide verb. *Auditores Rotæ*.

(35, 36. Canones et leges mixtim allegantur in utroque foro, quando sibi non contradicunt; colligitur ex cap. *Si in adjutorium* 7, dist. 10, ibi : « Si in adjutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriosos civem Romanum se esse protestatus est; » et concordat textus in cap. *De capitulis* 9, et cap. *Certum* 12, ead. dist. 10, juncto cap. 1, de novi operis nuntiation., cum similibus, et patet experientia apud omnes canonistas et legistas. Hinc casus in jure civili dubius, sed in canonico claro decisus, procedit quoque in foro civili, et e contra, cap. 1 De novi operis nuntiatione, ibi : « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, » ubi Glossa verb. *Adjuvantur* notabiliter infert : « Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges, » et Abbas *ibidem* n. 3, dicit expresse : « Causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectu canonum ; omnes enim leges principum non contradicentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic ; » et Fagnanus in cap. *Cum esses*, num. 18, De testam., sic inquit : « Ubicunque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum et jus civile. Imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ, » ut c. 1, et ibi Abbas num. 2, Joan. Andr. n. 6, De novi operis nuntiatione, et alii communiter.

(37. Quando inter jus canonicum et civile est aperta contrarietas et diversitas, eaque est de re profana, nec attingit conscientiam vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumque similium actuum, quodlibet jus est in suo foro servandum, scilicet in terris papæ subjectis jus canonicum, in terris imperii sæcularis jus civile; cap. *Quoniam*, dist. 10, et cap. *Cum ad verum* 6, dist. 96, et concordat cap. *Solitæ* 6, De majorit. et obedient., cap. *Novit* 13, § 1, De judiciis, et cap. *Per venerabilem* 13, § Rationibus, Qui filii sint legitimi.

(38. Quando autem inter jus canonicum et civile est aperta contrarietas in materia conscientiæ et peccati, v. g. in præscriptione cum mala fide, in usuris, et hujusmodi materiis peccatum foventibus, standum est juri canonico, relicto jure civili, etiam in terris imperii sæcularis; in spiritualibus enim, et ubi agitur de salute animæ, jurisdictio papæ, tanquam Christi vicarii et communis animarum pastoris, etiam in terras imperii sæcularis et totum mundum extenditur, ut tenet communis catholicorum per textum in cap. *Solitæ* 6, De majorit. et obed., vers. *Quod autem*, et in cap. *Novit*. 13, De judiciis, Extravag. *Unam Sanctam*, De majorit. et obed. Et ratio est quia tunc leges civiles foventes peccatum censentur esse correctæ per canones; lex autem correcta non dicitur amplius lex, ut recte docet Glossa in l. ult. ff. ad Legem Cornel. de falsis; Fagnan. in c. *Cum esses*, num. 167, De testamentis, et communis aliorum, arg. cap. *Licet Roma-*

Digitized by Google

nus, De constitutionibus in 6, et leg. Sed et posteriores, ff. De legibus, ubi statuitur quod lex posterior revocet priorem directe contrariam, etiam non facta ejus mentione.

(39. Adducuntur plures correctiones juris civilis factæ a jure canonico. Jus civile in l. Sicut, et l. Omnes, et l. Cum notissimi, Cod. De præscript. 30 vel 40 annor., permittens præscriptionem longissimi temporis cum mala fide est correctum per jus canonicum in Quoniam 20, De præscriptionibus, ubi leges civiles allegatæ, velut nutritivæ peccati expresse revocantur, addita ratione: « Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum quæ absque mortali peccato non potest observari. » Jus civile in l. 1. ff. de usuris, et l. Eos qui, cod. eod. cum similibus, ubi censentur lictæ usuræ, vel saltem permittuntur, est correctum per jus canonicum in cap. *Super eo*, 4, cap. *Cum tu*, 5, c. *Præterea* 7, De usuris, juncta Clement. unic. eod. ubi usuræ expresse prohibentur sub gravissimis pœnis. Jus civile in l. Patri, et seq. ff. Ad legem Juliam, De Adulteriis, ubi licitum est patri occidere adulterum in fragranti crimine cum filia deprehensum, dummodo et filiam occidat, et in l. Marito ff. eod. ubi idem permittitur marito respectu certarum personarum, si deprehendantur in adulterio cum uxore sua, est correctum per jus canonicum, in c. *Si non licet* 9, caus. 23, qu. 5, c. *Inter hæc* 6, et cap. *Admonere* 8, caus. 33, q. 2, cum similibus, ubi expresse prohibetur talis occisio, et concordat propositio 19, inter damnatas ab Alexandro VII. « Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. » Aliæ plurimæ correctiones juris civilis factæ a jure canonico possent adduci, sed brevitatis gratia relinquuntur videndæ apud auctores, et præsertim apud Baptistam a S. Blasio, tom. I, Tract. contradictionum juris canonici cum jure civili, ubi de istis duas centurias recenset.

(40. In materia spirituali et sacramentorum, neglecta seu relicta dispositione juris civilis, universim ad jus canonicum est recurrendum. Hæc enim tractare et definire non spectat ad potestatem sæcularem, sed ad spiritualem et ecclesiasticam, textu expresso in cap. *Decernimus* 2, De judiciis cum similibus. Hinc, quamvis jure civili in l. Nuptiæ 2, et 18, ff. De ritu nuptiarum, et l. Nec filiam, cod. De nuptiis, et § 1, Institut. eod. declaretur invalidum matrimonium quod filifamilias contrahunt sine consensu parentum in quorum potestate existunt, standum tamen est juri canonico, in cap. *Sufficiat* 2, caus. 27, q. 2, et cap. *Hoc Sanctum* 16, caus. 32, quæst. 2, cum similibus, ubi talis consensus non requiritur nisi de honestate, juncto conc. Trident. sess. 23, c. 1, *De reform. matrimon.*, ubi oppositum asserentes anathemate damnantur.

(41. Item negliguntur et relinquuntur leges civiles disponentes de personis et rebus ecclesiasticis, et quoad ista est omnimode standum dispositioni juris canonici; cap. *Bene quidem* 1, cap. *Denique* 5, cap. *Cum ad verum* 6, cap. *Satis* 7, cap. *In scripturis* 9, distinct. 96, cap. *Ecclesia* 10, De constitutionibus; ubi expresse id statuitur, quamvis leges civiles favorem ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum concernant, ibi: « A quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. » *Confer cl. P. Zech. in suis Præcognitis juris canonici, tit. 20, ubi agit de origine præcipuarum differentiarum inter jus canonicum et jus civile : item quale jus sit sequendum? Neque omittendus Bartholus in Institutionibus juris canonici, in quibus plura offendes a jure canonico in jure civili emendata.*

(42. Jura juribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine necessitate, textu expresso in cap. *Cum expediat* 29, De elect. in 6, ibi : « Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari; » et concordat textus in l. Unic., De inofficios. dotibus, ibi : « Leges legibus concordare promptum est, » cum similibus. Unde in l. Non est novum 25, et seq. ff. De legibus generaliter sancitur, ad evitandas jurium correctiones, leges priores esse trahendas et explicandas per posteriores, et e contra, has per priores, ibi : « Non est novum ut priores leges ad posteriores trahantur, etc. Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. »

(43. Ubi tamen est manifesta jurium contrarietas non admittens congruam conciliationem, tunc standum est posteriori decisioni seu constitutioni : lex enim posterior revocat priorem directe contrariam, etiam non facta ejus mentione, textu expresso in cap. *Licet Romanus* 1, De constitutionibus in 6, ibi : « Licet Romanus pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur, » etc. Concordat l. Sed et posteriores, ff. De legibus, ibi : « Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. » Unde etiam in testamentis statur ultimo, quamvis in ipso non fiat mentio de priori, l. Si Mihi, et tibi, ff. De legatis 1, et cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quæst. 2.

(44. Jus, prout est objectum justitiæ, est facultas legitima quam quis habet ad aliquam rem obtinendam vel retinendam, aut ad aliquid faciendum; ita ut ab illius rei obtentione seu retentione, vel ab illa actione facienda licite impediri non possit. Est in re communis. Et in hoc sensu dicitur quis jure suo uti, habere jus agnationis vel cognationis ad hæreditatem vel tutelas; quod jus necessitudinis appellatur in l. ult. ff. De justit. et jure. Item in hoc sensu dicitur hæres succedere in omne jus defuncti : Reg. juris 59, et 62 in 6. Item in hoc sensu dicitur : « Nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur, » l. Nullus § De regul. jur. Item in hoc sensu dicitur : « Nemo potest

Digitized by Google

plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur; » regul. 19, juris in 6. Item in hoc sensu dicitur : « Juri suo quilibet renuntiare potest, » cap. *Si diligenti* 12, De foro compet., cap. *Si de terra* 6, De privilegiis. Item in hoc sensu dicitur : « Qui juri suo semel renuntiat, non potest postea ad illud redire, » cap. *Quam periculosum* 8, caus. 7, q. 1, c. *Cum inter* 16, De election., juncta Glossa, ibid.

(45. Jus taliter acceptum dividitur in jus in re, et in jus ad rem; cap. *Quoniam* 8, De concession. præbend., in 6, ibi : « Quibus jus non esset quæsitum in re, licet ad rem. » (46. Jus in re, seu reale, est illud quod per ipsam rei traditionem acquiritur; jus autem ad rem, seu personale, est illud quod aliquo justo titulo habetur ad rem, ut ejus traditio fiat. Sic in re communis. (47. Unde, ut vides, *jus in re* seu *reale* dat actionem in ipsam rem; ita ut habens jus in re habeat actionem ad eam sibi vindicandam, a quocunque possideatur. Sic, verbi gratia, si equus Pauli fuit furto ablatus, poterit eum Paulus repetere, ubicunque invenerit, non obstante quod alius equum bona fide emerit, quia talis equus est Paulo obrectus, et ipse respectu hujus equi habet jus in re; § Omnium, Instit. de action. et ibi Glossa fin. l. Officium 9, ff. De rei vindicat. *Jus* autem *ad rem* seu *personale* non dat actionem in ipsam rem, sed in personam impedientem consecutionem rei. Sic verbi gratia si quis habeat jus ad rem sibi donatam, venditam, sed nondum traditam, seu per electionem, postulationem, aut præsentationem ad beneficium ecclesiasticum nondum sibi collatum, non potest ipsam rem seu beneficium vindicare, atque in judicio repetere, quia res illa nondum est facta sua ante actualem traditionem, sicuti nec beneficium factum suum ante actualem collationem, sed solum poterit actionem personalem instituere adversus eum qui ipsum fraudavit, seu injuste impedit vel impediverit ab illius rei seu beneficii consecutione; l. penult. Cod. De action. et oblig. Hinc patet quod duo possint habere jus respectu unius et ejusdem rei, unus scilicet *jus in re*, et alter *jus ad rem;* verbi gratia, Paulus vendens domum Titio, pretio nondum soluto, et domo nondum tradita, habet adhuc jus in domo, Titius autem jus solum ad domum.

(48. Unde, ut totum hoc melius intelligatur, notandum est quod actio *Ut sic*, quæ ut habetur § 1. « Institut. de Action. est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, » dividitur in actionem realem et personalem, ut docet communis et clarissimus textus in § Omnium, Instit. de actionib. ibi : « Omnium autem actionum summa divisio in duo genera deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personam; nam agit unusquisque, aut cum eo qui ei obligatus est vel ex contractu vel ex maleficio, quo casu proditæ sunt actiones in personam : per quas intendit adversarium ei dare aut facere oportere, et aliis quibusdam modis; aut cum eo agit qui nullo jure ei obligatus est; movet tamen ei de aliqua re controversiam, quo casu proditæ actiones in rem sunt; veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet; possessor autem dominum ejus se esse dicat, nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est. »

(49. Justitia non semel pro virtute omni ac sanctitate sumitur; sic *Prov.* XI, v. 6. *Justitia rectorum* (scilicet virtuosa et sancta vita) *liberabit eos. Matth.* III, *vers.* 15, dum Christus Joanni baptizare recusanti dixit : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*, nempe omnem virtutem et perfectionem. *Matth.* V, *vers.* 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (videlicet virtutem et sanctitatem), *quoniam ipsi saturabuntur. Ibid.*, vers 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra* (id est virtus, et religio, et sanctitas) *plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum;* ut enim in hunc textum inquit meus Lyranus, illi magis secundum opera justi appellari, quam secundum voluntatem affectabant; ad salutem autem non sufficit bona doctrina, nisi adsit bona vita : hinc viros sanctos et virtute præditos, justos appellari ex sacris litteris et sanctis Patribus passim deprehendimus; estque justitia sic sumpta una ex octo beatitudinibus quas in monte Christus docuit (*Matth.*, cit. cap. v). At, prout ad præsens spectat, justitia tanquam peculiaris virtus, et prima ex cardinalibus attenditur; sicque accepta describitur quod sit constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi. Communis cum Ulpiano in l. Justitia, ff. de Justitia et jure.

(50. Justitia hæc communissime dividitur in *legalem* seu *universalem*, et *particularem*. Justitia legalis seu universalis « est virtus ordinans hominem a suis actibus ad bonum commune reipublicæ seu communitatis, » id est, virtus qua homo reddit et præstat quod justum et debitum est ipsi communitati ad sui conservationem. Justitia particularis « est virtus quæ cuique particulari personæ jus suum debitum reddit, seu, quod idem est, virtus quæ recte inter se ordinat et adæquat homines quoad commutationem bonorum particularium et distributionem bonorum communium. » (51. Hæc justitia particularis subdividitur in *distributivam*, et *commutativam*. Communis ex Aristotele v Ethicor., cap. 2. Justitia distributiva est quæ distribuit bona communitatis in singulas partes secundum debitam proportionem dignitatis vel meriti cujusque, sicut econtra etiam onera communitatis secundum proportionem facultatis cujusque. Justitia commutativa est quæ commutat bona particularia inter ipsas partes communitatis secundum æqualitatem debitam, sive ex contractu, sive ex delicto propter damnum alteri illatum. Et hæc justitia commutativa observatur inter partes, quando fit commutatio voluntaria, et ex contractu cum consensu utriusque, scilicet dantis et accipientis : ut in emptione, venditione, mutuo, aliisque contractibus, considerando solum valorem rerum sine ullo respectu ad personas, uti videlicet tanti valeat res reddenda, quanti

Digitized by Google

valet accepta, ut centum reddendo pro centum, qualescunque sint personæ contrahentes et commutantes, sive nobiles, sive ignobiles. Et observatur etiam, quando commutatio est involuntaria, et ex delicto, seu damno injuste illato, ut cum quis alicui invito aliquid suum aufert, seu damnum injustum infert in bonis fortunæ, famæ, vel vitæ. Si quis enim furatus sit alteri equum æstimatum 40 scutis, injuste per injuriam combusserit alterius domum æstimatam centum scutis, debet totidem ei restituere, etiamsi nullum pactum cum ipso inierit; quia rem ablatam reddere, et damnum injuste illatum resarcire cogitur. Communis.

(52. Justitia distributiva et commutativa varie differunt, præcipue vero in tribus, scilicet *in æqualitate, in alteritate, et in debito*. In æqualitate differunt, quia justitia commutativa servat æqualitatem simpliciter, et arithmeticam, id est rei ad rem, ut centum ad centum sine ullo habito respectu ad personas. Justitia vero distributiva servat solum æqualitatem secundum quid, et geometricam, id est solum æqualitatem inter proportionem et proportionem, ut nimirum talis sit proportio inter bona et onera, quæ distribuuntur, qualis est proportio inter conditiones et qualitates personarum quibus fit distributio. In alteritate differunt, quia justitia commutativa proprie et totaliter est ad alterum, sive ad personam adæquate et totaliter distinctam; justitia vero distributiva non est omnino ad alterum, seu ad personam adæquate et totaliter distinctam, sed est totius reipublicæ seu communitatis ad partem seu membrum illius; pars autem non adæquate et omnino distinguitur a toto, sed in toto includitur. In debito differunt, quia justitia distributiva non continet proprie ac stricte debitum, sicuti justitia commutativa. Nam ille, cui ex emptione, verbi gratia, vel donatione res debetur, longe majus et arctius jus habet ad illam, tanquam sibi jure proprio debitam petendam, quam ad petendam partem boni communitatis, verbi gratia officium, dignitatem, beneficium, etc.; longeque gravior committitur injuria contra justitiam commutativam, quam contra justitiam distributivam.

(53. Sola enim justitia commutativa, si violetur, proprie et per se inducit obligationem restitutionis; justitia autem distributiva non inducit obligationem restitutionis, ratione sui, erga partem neglectam, sed ratione justitiæ commutativæ, si ei sit adjuncta, solum aliquando per accidens erga ipsam communitatem, ut si princeps contulit officium indigno cum detrimento reipublicæ, tenebitur ad compensationem damnorum, etc., card. de Lugo De justitia et jure, tom. I, disp. 1, sect. 3, a n. 51, ubi testatur de communi Lessius lib. II, cap. 1, num. ultimo et c. 32, dub. 3. Rebellus lib. I, q. 3, n. 18. Sporer tom. II, tract. 4, Præliminar. ad præcept. secundæ Tabulæ, c. 1, sect. 3, n. 37, et alii passim.

(54. Non potest inter Deum et hominem intercedere justitia rigorosa et stricta, sed solum justitia latius sumpta. Communis. Justitia enim rigorosa et stricta requirit ex parte debitoris perfectum debitum solvendi: implicat autem ut sit in Deo perfectum debitum solvendi respectu creaturæ, et in creatura perfectum jus exigendi respectu Dei, adeoque, etc. Latius vero sumpta justitia potest intercedere inter Deum et hominem, quia si justitia sumatur præcise pro obligatione adimplendi promissa, potest Deus ex justitia aliqualiter teneri creaturæ, uti ex tali justitia debet justis coronam gloriæ, justa illud Apostoli, *II ad Timoth.* IV: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Hinc S. Augustinus de talis justitiæ debito loquens in psalm. XXXVIII, circa finem, dicit: « Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo; » et serm. 16, De verbis apostoli cap. 2, quasi Deo recordans talis justitiæ debitum, sic ipsum alloquitur: « Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti. »

(55. Inter patrem et filium, dominum et mancipium, maritum et uxorem formaliter qua tales sunt, non potest esse justitia proprie et simpliciter, sed solum improprie et secundum quid. Communis. Et ratio est quia justitia perfecta debet esse ad alterum, qui scilicet natura et jure sit ab altero distinctus. Filius autem, mancipium seu servus, et uxor, quatenus tales sunt, non sunt natura et jure a patre, domino et marito distincti, adeoque, etc. Filius namque, ut talis, est quasi pars patris et natura, quippe ex paterno semine natus. Unde ea quæ debet filius patri, non debet ut distinctus ab ipso, sed ut ejus pars, et ea quæ pater debet filio, non debet alteri, sed ut sibi ipsi, seu ut suæ parti. Sic servus non censetur alter a domino, cum non sit sui juris, sed domini, ipsiusque instrumentum animatum ad opera domestica, et quiddam ex ejus bonis, adeo ut possit illum, ut rem suam, vendere, donare, commutare. Ita etiam uxor est aliquid mariti, et econtra, cum sint moraliter unum corpus et una caro, et sic non censentur distincti in ordine ad regimen domesticum, cum jus uxoris ad illud sit juris viri, seu dependens a viro, adeoque inter ipsos non potest esse justitia proprie et simpliciter, sed solum improprie et secundum quid.

(56. Inter supradictos autem materialiter sumptos, ac quatenus homines sunt, et singuli peculiare jus vel dominium habent, potest esse justitia proprie et simpliciter. Communis. Et ratio est quia supradicti materialiter sumpti, quatenus homines sunt, sunt sui juris, et ab invicem independentes in multis rebus, nec accipitur unus ut pars alterius, sed quilibet, ut persona singularis et capax ex bonis sibi propriis ineundi contractus; filius namque non solum jam emancipatus, tanquam verus dominus omnium bonorum suorum, sed etiam minorennis adhuc sub patria potestate constitutus, tanquam verus dominus suorum bonorum castrensium vel quasi castrensium, potest cum eodemmet suo patre inire veros contractus emptionis vel venditionis, vel alios ex justitia obligantes, juxta l. 2, ff. De emptione.

Digitized by Google

Sic mancipium seu servus, tanquam verus dominus proprii peculii, potest medio ipso inire cum domino contractum redemptionis, ita ut dominus peccaret contra justitiam, si, eo pacto inito acceptaque pecunia, servum non manumitteret. Ita etiam uxor, tanquam vera domina bonorum suorum paraphernalium potest de ipsis cum marito inire contractus ex justitia obligantes. Tum quia etiam, quoad debitum conjugale et dotis legitimam administrationem, est inter uxorem et maritum juris stricti æqualitas, adeoque justitia simpliciter, cum negatio debiti et dotis dissipatio sint proprie contra justitiam, ut tenent omnes. Tum etiam quia singuli omnium supradictorum habent sibi proprium et strictum jus famæ et vitæ, unde universaliter delicta inter patrem et filium, servum et dominum, uxorem et maritum, ut homicidium, injusta infamatio, furta de bonis non subjectis, sunt vere contra justitiam simpliciter; imo sunt delicta contra justitiam qualificata, adeoque inter ipsos materialiter sumptos, quatenus homines sunt, potest esse justitia proprie et simpliciter.

(57. Justitia præmiativa, quæ pro meritis reddit præmia, et vindicativa seu punitiva, quæ delictis reddit supplicia, utraque deducitur saltem per imitationem et similitudinem ad justitiam tam distributivam quam commutativam, ut patet inductione; tunc enim justitia præmiativa reducitur ad distributivam, quando munera, officia, honores et hujusmodi in præmium propriorum meritorum et beneficiorum præstitorum distribuit, inæqualiter tamen juxta inæqualitatem ac proportionem status et conditionis, dando scilicet plus personis dignioribus et præstantioribus, quam minus dignis et minus præstantibus, ut communiter fieri solet. Tunc autem justitia præmiativa reducitur ad commutativam, quando præmia distribuit æqualiter juxta æqualitatem meritorum, nulla habita ratione conditionis, dignitatis et status personarum quibus fit illa distributio. Ita etiam tunc justitia vindicativa seu punitiva reducitur ad distributivam, quando nocentes, ut par est, punit, habita tamen ratione dignitatis seu status personarum; sic alapa data, verbi gratia, a persona potente et magnæ dignitatis, levius punitur quam data a persona infimæ plebis; quamvis sit data eidem personæ; tunc vero justitia punitiva seu vindicativa reducitur ad commutativam, quando servat æqualitatem inter pœnam et delictum, æqualia inferendo supplicia pro æqualibus delictis, nulla habita ratione conditionis, dignitatis et status personarum, quibus supplicia inferuntur. Mastrius in 3, disp. 7, n. 177. Reiffenstuel Theolog. moral., tract. 6, De just. et jure, dist. 2, q. 2, num. 19, post Scotum 4, dist. 46, q. unic. § Hoc prima, et plures alios.

(58. Adversus jus divinum non præscribitur. Benedictus XIV, tom. XXI, constitut. 3, incip. : *Declarasti Nobis*. Nec adversus jus ecclesiasticum in his quæ præcepta sunt universalis Ecclesiæ. Idem *ibidem*.

(59. Alia ad rem, vide in Additionibus ex aliena manu ad verb. *Lex*, art. 1.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Agitur sub n. 38, h. articuli de contrarietate, ubi intervenit, inter jus canonicum et civile.

Liceat nunc rem abundantius evolvere, comparatione facta inter utrumque, ecclesiasticum nempe et jus civile Romanum.

(2. « Ut rite in hac materia procedamus, meminisse oportet, ex legibus civilibus aliquas esse jure canonico expresse approbatas, aliquas expresse correctas atque abrogatas, aliquas vero neque approbatas neque improbatas, sed silentio prætermissas. » Ita Benedictus XIV, De synod. diœcesi, lib. IX, cap. 10, n. 1.

(3. Ut a primis initium rite ducamus, aliquas ex iis indicabimus matrimonium repicientes. — Olim ex Romanæ Ecclesiæ disciplina impotentiæ ergo minime matrimonia dissolvebantur. Et hujusmodi conjugiis occurrentibus, in quibus impotentia perpetua deprehenderetur, responderi solebat mulieri ut conjugem suum, quem tanquam virum habere non poterat, in fratris locum haberet, juxta quod rescriptum legitur ab Alexandro III, in hæc verba : « Consuetudo est Romanæ Ecclesiæ, in similibus taliter tenere, quod si non potest eam sicut uxorem habere, ipsam habeat ut sororem. Cap. 2 De frigid. et malefic., in l. Collect. Decret. apud Ant. August.

(4. « Hodie vero, sic idem Benedictus XIV : « impotentia perpetua recensetur inter impedimenta matrimonium dirimentia, » de quo in cap. *Fraternitatis*, ac toto titulo De frigidis et maleficiatis, ibidem, n. 2.

(5. « At quoniam, prosequitur Lambertinus, post contractum conjugium frequenter contingit constare quidem de alterutrius conjugis impotentia, sed valide dubitari num ea sit perpetua vel potius temporanea, seu an sit insanabilis vel possit naturali arte sanari; ideirco leges civiles, quando impotentiæ signa aut evidentia aut indubitata non sunt, certum conjugibus præscripsere tempus, intra quod operam dare possint rei conjugali suasque vires experiri, adhibitis etiam opportunis remediis quæ peritorum judicio apta sint ad illas reficiendas et roborandas, si adhiberi queant citra grave vitæ periculum et valetudinis detrimentum. Ad hujusmodi experimentum Justinianus imperator, in l. In causis, cod. de repudiis, præfinivit biennium; sed postea, ratus non posse intra biennium certum ferri judicium de impotentiæ perpetuitate, in Novella 22, § Per occasionem, illud prorogavit ad triennium, loc. cit., n. 2. »

(6. Lubet afferre hic utrumque textum Justinianæum, tenoris sequentis : « In causis jam dudum specialiter definitis, ex quibus recte mittuntur repudia, illam addimus, ut, si maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos annos continuos computandos, coire minime propter naturalem imbecillitatem valeat, possit mulier, vel ejus parentes sine periculo dotis amittendæ repudium marito mittere. » L. x, cod. De repudiis.)

Digitized by Google

(7. Postea in Novella 22, cap. 6, sic idem imperator constituit : « Per occasionem quoque necessariam et non irrationabilem distrahitur matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coire mulieri, et agere quæ a natura viris data sunt; si *biennium* quidem, secundum de hoc a nobis pridem scriptam legem, transcurrat ex nuptiarum tempore, ille vero quia pro veritate est vir non ostendat; licebit. . . mulieri, aut ejus patribus disjungere matrimonium, et mittere repudium. . . . Hanc itaque legem corrigimus brevi quadam adjectione : non enim *biennium* numerari solum ex ipso tempore copulationis, sed *triennium* volumus : edocti namque sumus. . . quosdam, amplius quam biennium temporis non valentes, postea potentes ostensos ministrare filiorum procreationi. »

(8. Hanc autem Justiniani sanctionem expresse Cœlestinus III approbavit in cap. *Laudabilem* 5, De frigidis et maleficiatis, cujus hæc sunt verba : « Laudabilem, etc., et infrà... Sollicite quoque ad ultimum requisivisti, quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, in qua si defecerint, separentur. Nos vero . . . in præsenti consultatione sentimus ut, si naturaliter frigidus non potest illa, quam duxit, uti pro conjuge, a tempore celebrati contractus, si frigiditas prius probari non possit, usque ad triennium secundum *authenticum legale* cohabitent, quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint et . . . mulier per justum judicium de viro probare potuerit quod cum ea coire non possit, accipiat alium. »

(9. Ac proinde (modo relatum Justiniani Novellæ 22, cap. 6.) in foris ecclesiasticis « tanquam lex canonica allegatur, et ubique religiose custoditur; » ait Benedictus XIV, l. et n. cit.

(10. Pari modo quantum ad cognationem civilem attinet, leges Romanæ, turpe atque inhonestum reputantes matrimonia inter eos iniri qui etiam imaginaria ac ficta ista cognationis specie conjunguntur, irritas decrevere nuptias : 1° Inter adoptantem et adoptatum atque ab isto descendentes; 2° inter adoptatum et filios naturales adoptantis; 3° inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis; aliis insuper ad rem notatis, prout in evolvendis ex Lucio nostro matrimonii impedimentis, infra v. *Matrimonium* videbimus.

(11. Jam vero et cognationem legalem, et quæ ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo quo a jure civili statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nicolaus I, in Responsione ad consulta Bulgarorum, cap. 21, cujus responsionis fragmenta referuntur in can. *Ita diligere* 1, caus. 30, quæst. 3, in cap. unic. De cognatione legali, in hæc sane verba : « Ita diligere, ibi . . . Quandoquidem nec inter eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. » Apud Bened XIV. l. c. n. 1.

(12. Hactenus de legibus civilibus a jure canonico expresse receptis et approbatis. Longe plura proferre possumus exempla legum abrogatarum et correctarum, quæ scilicet cum sanctionibus canonicis minime cohærerent.

(13. Ut vero in hac re accurate procedamus, illud utique notandum venit, differentias seu contrarietates speciales inter jus civile Romanum, atque canonicum, generatim ad quinque capita reduci. Vel enim spectant materiam conscientiæ, et ubi periculum immineat peccati; vel res ecclesiasticas et spirituales; vel processum judiciarium; vel res seu materias profanas; vel pœnas delinquentibus debitas : de his sigillatim præstat disserere.

(14. Quantum ad primum hujusmodi præcipue differentiæ observandæ veniunt.

I. De jure Romano possessor malæ fidei, res sic possessas præscribit tempore longissimo l. 3, l. 4, cod. De præscr., 30, vel 40, an. — Secus est de jure canonico, ut ex cap. ult. de præscr. ubi allegatæ leges civiles velut nutritivæ peccati expresse revocantur, hoc sane pacto : « Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. »

II. Sic pactum factum patri a filia, dum nuptui tradebatur, quod, de dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, non valet jure civili, quamvis sit juratum (Reiffenstuel. in Decretal. Procem. § 11, n. 3) ex l. Pactum 3, cod. De collationibus, ibi : « Pactum dotali instrumento comprehensum, *ut contenta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet*, juris auctoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia ea ratione prohibetur. » — Secus dicendum de jure canonico, ubi juramentum fuerit interpositum : cap. *Quamvis De pactis* in 6. » Ibi : « Quamvis pactum patri factum a filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis; si tamen juramento non vi nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debebit : cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. »

III. De jure civili usuræ vel censentur licitæ, l. 1, ff. De usuris, ibi : « Placuit licitas usuras peti posse, » juncta l. eos qui, cod. eod., vel saltem ibidem permittuntur. — At his sanctionibus « Ecclesiæ legibus est derogatum, ac severe vetitum, seu verius jure naturali et divino vetitum declaratum, quidquam lucri, etiamsi minimum sit, ex mutuo reportare : quod ex can. 43, inter apostolicos, ex can. 2 concil. Illiberitani, ex can. 12 concil. Arelatensis l. ex can. 16 concilii Carthaginensis III, aliisque pluribus Ecclesiæ sanctionibus, atque ex com-

Digitized by Google

muni sanctorum Patrum sensu aperte constare inferius demonstrabimus. » Ita Benedictus XIV. De Synod. diœces., lib. IX, cap. 11, *n.* 1. — Vide dicenda et addenda sub v *Usura*.

IV. De Lege civili « Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet. » L. 20, ff. ad legem Juliam De adulteriis coercendis. Idemque permittitur marito respectu certarum personarum, si deprehendantur in adulterio cum uxore sua : 1. Marito 24, ff. eod. « At ejusmodi leges, utpote quæ impunitatem dabant delinquentibus adversus V Decalogi præceptum, quo cuilibet interdicitur ne quemquam privata auctoritate interficiat, sunt a jure canonico rescissæ, uti habetur in can. *Inter hæc*, 33, q. 2. Quare ab Alexandro VII, die 7 Septembris 1669, apostolicæ damnationis telo confixa fuit etiam hæc propositio in ordine 19 : « Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. » Quinimo adeo jus canonicum abhorret ab occisione uxoris, etiam in adulterio repertæ, ut virum id scelus perpetrantem non solvat ab impedimento, quo in can. *Interfectores*, et in can. *Admonere* 33, quæst. 2, cæteros ligavit propriæ uxoris interfectores, ne deinceps possint cum alia matrimonium contrahere. . . . quod tamen impedimentum esse tantum impediens, et non dirimens, docet cum communi S. Thomas in 4, dist. 38, q. 1, art. 2. Ad aliquid vero indulgendum humanæ imbecillitati, et subitæ iræ qua homines exardescunt, cum suo suæque familiæ honori illatam injuriam propriis oculis conspiciunt, statuit Alexander III, cap. *Si vero* De sentent. excomm., ut excommunicationi Papæ reservatæ non subjaceat « qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas. » Sic Benedictus XIV, l. cit., cap. 12, n. 7.

V. Pariter juxta leges civiles conjugatus cognoscens solutam, adulterii judicio non tenetur, l. 6, § 1, ff. De adulteriis ; et l. 2, cod. eod. tit., quamvis adulterii crimine damnetur conjugata solutum admittens. Aliud statutum est a jure canonico, quod tam virum quam uxorem eadem lege teneri voluit, quia utrobique idem ligat fidei conjugalis vinculum. Quare Ambrosius lib. I, *De Abraham*, relatus in can. *Nemo*, 32, quæst. 4, ait : « Nemo blandiatur sibi de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in ea quæ non sit legitima uxor commissum fuerit, adulterii crimine damnatur. »

Et in can. 20, ead. caus. 32, quæst. 5, sic S. Hieron. « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi. *Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, et solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria et ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur. » Abrogatis autem, ita Benedictus XIV, prædictis legibus civilibus nimium indulgentibus virorum impudicitiæ, consequens fuit ut eadem actio ad divortium daretur uxori contra virum adulterum, quæ huic competit adversus adulteram uxorem. De Synod. diœces., lib. IX, cap. 12, n. 1.

VI. Sic quoque jure communi Justinianæo irrita habentur matrimonia inita a filiis familias sine consensu parentum, secundum illud ff. 2, de ritu nupt., nempe : « Nuptiæ consistere non possunt nisi consentiant omnes, id est qui coeunt, quorumque sunt in potestate. » Quod idem ad servos, quoad consensum dominorum, extendebatur.

« Utrasque leges civiles, tam videlicet quæ servorum, quam quæ filiorum familias solo contrahentium consensu inita matrimonia infringebant, quondam ratas habuit Ecclesia : etenim S. Basilius, epist. 199, canonica 2, ad Amphilochium : « Matrimonia, inquit, sine iis qui potestatem habent, fornicationes sunt. Neque ergo vivente patre, neque hero, qui conveniunt, extra reprehensionem sunt ; quemadmodum si annuant cohabitationi, quos penes hujus rei est arbitrium, tunc firmitatem conjugii accipit cohabitatio. » Et concilium Aurelianense IV an. 541, can. 22 : « Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur ; sed, sicut est prohibitum, non admittatur. In his qui perpetraverint, excommunicationis severitas, pro modo piaculi, imponatur. » Et can. 24, loquens de conjugio servorum decrevit : « Quæcunque mancipia, sub specie conjugii, ad ecclesiæ septa confugerint, ut per hoc credant posse fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio a clericis defendatur. »

« Concilium Cabilonense II an. 813, relato a Gratiano in can. ult. 29, quæst. 2, postquam dixit : « Nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, hanc statim limitationem adjecit ; ubi legalis conjunctio fuit, et per voluntatem dominorum. » Hæc omnia habentur apud Benedictum XIV. l. c. cap. 11, n. 2 et 3.

« Verum postea consultius visum Ecclesiæ præfatas civiles leges, pluribus sæculis a se aut approbatas aut toleratas, corrigere et abrogare ; statuitque ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet contrahentium consensu, nequaquam autem a nutu eorum sub quorum dominio vel potestate contrahentes existunt ; quod generatim sancitum legimus in cap. *Cum locum*, ex. De sponsalibus et matrim in cap. *Licet*, et in cap. *Tua*, De sponsa duorum ; speciatim vero de servis rescriptis Adrianus papa (115) ad archiepisco-

(115) Cum hac epigraphe, *Adrianus* (papa), *Sancteburgen. archiepisc.* (ann. 790), ita apud Bohemerum. Iloc pacto auctor decretalis dicendus foret Adrianus I, qui an. 772 pontifex fuit creatus.

Digitized by Google

pum Salisburgensem in cap. *Dignum*, De conjugio servorum, ibi : *Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; et si contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc ecclesiastico judicio dissolvenda.* Ac tandem de filiisfamilias, post alias sanctiones indicatas a Juenin, definivit Tridentinum sess. 24, cap. 1, *De reformat. matrim.*, ubi anathemate perculit *qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Hæc docet Benedictus XIV, l. c., n. 4.

« Quamobrem, ut cum eodem Lambertino loquar, non licet hodie easdem civiles leges, jamdiu ab Ecclesia rescissas, excitare, earumque obtentu firmitatem adimere aut servorum aut filiorum familias connubiis quibus domini vel parentes non annuerunt. (Hinc) intra fines pœnarum civilium concluditur edictum a Christianissimo rege Henrico III in comitiis Blesensibus anni 1579, art. 40, promulgatum, atque a Ludovico XIII, anno 1629 et 1639, renovatum, quo nulla et invalida declarantur matrimonia a filiis familias contracta sine consensu parentum : illud siquidem verbum INVALIDA, non esse aliter explicandum, quam per solam relationem ad contractum civilem, » ejusdem Ludovici nomine, clero Gallicano responderunt regii commissarii; uti habetur tom. II Rerum et decretorum cleri Francisci, testaturque Loyetus, in Parisiensi senatu consiliarius, tit. 6, litt. M. scribens : « Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum quas requirit articulus 40 Blesensis constitutionis, nullatenus attingit ipsum sacramentum, quod nihilominus in isto matrimonio existit; non agitur de sacramento matrimonii aut ejus essentialibus cæremoniis; sed de validitate conventionum matrimonialium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate et communitate inter virum et uxorem, quæ conventiones non dependent ex theologicis decisionibus, sed ex edictis in parlamento verificatis. » Idem tradit Cabassutius in Theor., et prax. jur. canon., lib. III, cap. 26, n. 6 et 7, (116) ubi Brodeum carpit, quod regium edictum ad ipsam etiam sacramenti rationem protraxerit (117). Idem docet Gerbasius, in lib. quem inscripsit Tractatus pacificus, etc., pag. 504. Idem Natalis Alexander. Theol. dogmat. et moral., lib. II, cap. 2, prop. 1. (118) « Quocirca ignoramus qua ratione Juenin. metuerit suum calculum adjicere tot doctorum Gallicanorum sententiæ, regia etiam declaratione firmatæ, et decidere noluerit, an revera in Gallia matrimonia inita a filiisfamilias sine consensu parentum, sint valida quoad substantiam, etsi civilibus effectibus destitui nemo dubitet. » Hæc omnia in terminis habentur penes prælaudatum Benedictum XIV., cit. op., lib. II, cap. 11, n. 5. »

VII. Ut ad enumerandas differentias, et contrarietates inter utrumque jus redeamus, de jure civili possunt consobrini et patrueles, seu duorum fratrum vel sororum liberi, licite matrimonium contrahere : l. Celebrandis, cod. De nuptiis et inst. cod. Non sic de jure canonico, cap. *Non debet*, 8, ex. De consang. et affinit.

VIII. De jure civili cum ancillis, hoc est mancipiis, non potest esse connubium sive matrimonium, sed tantum contubernium : l. Cum ancillis, cod. De incest. ac proinde servi, ob violatum contubernium suum, adulterii crimine non possunt accusari; l. Servi, cod. ad leg. Jul. de Adult Secus. est de

(116) « Cùm rex, ita Cabassutius, Ludovicus XIII suum publicari fecisset edictum anni 1629, mense Januario, eoque renovaret articulum præfatum 40 edicti Blesensis, et judices ecclesiasticos juberet secundum ipsum in causis matrimonialibus judicare; *Art.* 39. Clerus Gallicanus eo tempore sua Parisiis comitia habens regem suppliciter in his verbis admonuit : « Rex humillime supplicatur ut consideraré « non pigeat quantum sit momentum in hoc arti« culo, qui eget expositione ad duarum difficulta« tum elucidationem. Prima est, ut non aliter intel« ligantur hæ voces, » valide, aut invalide « con« tracti matrimonii, quam per relationem » ad contractum civilem, « et nullatenus » ad contractum spiritualem sacramenti. « Secunda, ut non adstrin« gantur ecclesiastici ad judicandum secundum hu« jus edicti simulque Blesensis articulos, sed juxta « sacros canones et ecclesiastica decreta, quæ sunt « unica regula et norma judicii ecclesiasticorum. « Hi enim non possunt aut debent jurisdictionem, « quam a solo Deo collatam (* V. Lucium nostrum v. « *Jurisdictio*, n. 22 et 23*) habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuari. Quapropter necesse est « ex isto articulo hæc verba resecare; et obligabun« tur ecclesiastici judices in causis istiusmodi ma« trimonium judicare ad hujus articuli normam. » Ad hanc simplicem requisitionem, prosequitur Cabassutius, rex Christianissimus officium respondendi commisit magno regni cancellario, et selectioribus quibusdam officialibus sanctioris consilii. Hi verbis istis ex scripto responderunt : « Commonitio Cleri, « quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta « fuit, verba ista, VALIDE ac INVALIDE contracta « matrimonia, non esse aliter explicanda quam per « solam relationem ad contractum civilem per laicos « judices; altera pariter difficultas justa et rationi « congrua visa fuit. »

(117) « Scio, sic Cabassutius, Brodeum voluisse istam invaliditatem ad ipsum etiam sacramentum protrahere. At hoc citra invidiam et injuriam dici potest, scriptorem istum, quoties a jurisprudentiæ finibus ad Theologicas dissertationes digreditur, id facere tam imperite et infeliciter, ut ei jure dici possit hoc ipsum quod Megabyso inepte de picturis disserenti respondit Apelles, eum se deridendum exhibere novitiis ejus artis. » (L. cit., n. 7.)

(118) Audiamus Natalem Alex., loc. cit. : « Nec aliter intelligenda sunt regum Christianissimorum edicta quæ matrimonia filiorum familias invitis parentibus *invalide contracta* declarant; *invalide*, inquam, quoad effectus quosdam civiles, non quoad rationem sacramenti, sive quoad substantiam contractus, qui materia sacramenti proxima est, ut constat ex Henrici II constitutione Parisiis edita an. 1556, ex constitutione Henrici III, Blesis edita an. 1579. Constitutionibus Ludovici XIII, editis anno 1629 et 1639, quibus quidem ab omni hæreditate repelluntur filii familias qui parentibus invitis matrimonium contraxerint. . . . sed matrimonii sic contracti substantiam, firmitatem rationemque sacramenti non attingunt, ut regis nomine clero Gallicano responderunt illustrissimi commissarii ab ejus majestate deputati an. 1629. »

Digitized by Google

jure canonico, cap. 1 et 2, ex De conjugio servorum.

IX. De jure civili vox unius testis non admittitur in quacunque causa, quantumvis testis ille sit magnæ auctoritatis : 1 Juris Jurand. cod. De testibus, ibi. « Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat. » — De jure canonico ad dictum solius matris de impedimento deponentis, impeditur matrimonium contrahendum; cap. *Super eo* 22. De testibus, ibi : « Super eo, et infra... Super illa vero quæstione, quam fecisti, an filia conjungenda non sit viro, eo quod sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur; disc. t. tal. respondemus, quod si matrimonium inter eos non est consummatum, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi, quia præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant, cum mater id confitetur. »

Atque hæc præcipua attigisse sufficiat.

(15. Quantum ad res ecclesiasticas et spirituales, præter jam enumeratas, hæ inter utrumque jus differentiæ vel in primis constitui possunt.

I. De jure canonico gradus consanguinitatis ita computantur, ut fratres, sororesque germani sint inter se in primo gradu : fratrum et sororum filii, seu patrueles et consobrini sint in secundo gradu conjuncti, etc. Can. Ad sedem, et can. ult. 25, quæst. 5. De jure civili autem fratres, sororesque in secundo gradu, eorumque filii in quarto consanguinitatis gradu constituuntur. « Secundo gradu sunt... ex transverso frater et soror, » l. 1, § 4, ff. De gradib. et affin. « Quarto gradu sunt... Fratres patrueles, sorores patrueles, id est qui, quæve ex duobus fratribus progenerantur. Item consobrini, consobrinæque, id est qui, quæque ex duabus sororibus nascuntur, quasi conorini. » L. 1, § 15, ff. eod.

II. Secundum canones manifestus usurarius non potest testamentum facere, et factum non valet, nisi de usuris satisfecerit, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum idoneam cautionem præstiterit : cap. *Quamquam*, § fin. de usuris in 6, ibi : « Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent, ut præmittitur, idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure. » De jure civ. id non reperitur statutum.

(16. Quoad processum judiciarium hæc potissima inter utrumque jus habentur discrimina.

I. De jure civili ex pacto nudo non nascitur obligatio : l. Juris gentium, § Quinimo, ff. de pactis. Secus est de jure canonico, cap. 1, De pactis, ut ibi in epigraphe, *Pacta quorumcunque nuda servanda sunt.*

II. De jure canonico potest a quocunque judice appellari ad Papam, etiam omisso in medio : can. ad Romanam, 2, q. 6, et cap. *Si duobus*, 7. De appellat., et alibi. Secus est de jure civili, ubi non recte appellatur ab inferioribus ad imperatorem, omissis mediis; l. Imperatores, 21, ff. De appellat.

(17. Quoad alias res, seu materias profanas differentiæ ferme sequentes notantur.

I. Secundum jus civile ætas virilis interpretatur esse vigintiquinque annorum : l. 1, ff. de minoribus, et l. ult., cod. De his qui veniam ætatis, etc. Aliter dicendum de jure canonico, utpote ad ætatem virilem requirente triginta annos, cap. *Episcopus, dist.* 77, ibi : « Ante triginta annos, id est quam ad viri perfecti ætatem perveniat. »

II. De jure civili requiruntur ad substantiam testamenti non privilegiati septem testes; l. Hoc consultissima lege, et l. Si De illius, cod. De testamentis. Secus de jure canonico, cap. *Cum* 10, cap. *Relatum* 11, ex. De testamentis.

III. De jure civili filii spurii, sive ex damnato complexu procreati jus ad alimenta quoad parentes non habent. Auth. Ex complexu, cap. *De Incest.*

Diversimode dicendum de jure canonico, cap. *Cum haberet*, v. § final. De eo qui duxit in matrimonium, etc., ibi; « Cum haberet uxorem legitimam nomine Alitiam Joannes lator præsentium, cum ancilla crimen adulterii perpetravit..... a qua etiam decem procreavit filios..... sollicitudinis tuæ tamen intererit, ut uterque provideat suis liberis procreatis, et secundum quod eis suppetunt facultates, substentationi eorum necessaria subministret. » — Hanc ecclesiasticam præscriptionem humanitatis juribus optime faventem, modernæ leges, Romano jure posthabito, secutæ fuerunt.

(18. Pœnas denique quod attinet, ut alias differentias inter utrumque jus omittamus, sequentem notasse sufficiat.

De jure civili vidua non potest nubere intra annum luctus absque pœna infamiæ, l. 1 et sequent. cod. De secundis nuptiis. At de jure canonico potest libere nubere, cui voluerit absque tali pœna, cap. pen. et ult. ex. De secund. nupt. Lubet afferre textum harum Decretalium : « Super alia vero quæstione, qua quæsitum est an. Si mulier possit sine infamia nubere infra tempus luctus, secundum leges definitum; sollicitudini tuæ respondemus, quia cum Apostolus dicat : *Mulier, viro suo mortuo, soluta est a lege viri, in Domino nubat cui vult;* per licentiam et auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur. » Cap. pen. tit. cit., et in c. ult. « Cum secundum Apostolum mulier, mortuo viro suo, ab ejus sit lege soluta, et nubendi cui vult tantum in Domino liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum, intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubit; concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate, cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros Canones imitari. » Cap. ult. ejusdem tit.

(19. Tandem ut aliquid dicamus de legibus sæcularibus a jure canonico silentio prætermissis, notandum quod « ejusmodi

Digitized by Google

leges, si rem spectent mere profanam, neque ulla ex parte sacris canonibus adversentur, tacite approbatæ videntur, in cap. 1, ex De novi operis nuntiatione in quo legitur : « sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur... » Unde fit, ut judex ecclesiasticus sententiam prolaturus de quæstione super re mere temporali, de qua nihil a jure canonico reperiatur decisum, non solum possit, sed debeat juri civili se conformare.» Ita Benedictus XIV, in cit. oper. De synod. diœces., lib. IX, cap. 14, n. 1.

Audiamus insuper Fagnanum in hæc verba : Ubicunque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum et jus civile, imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ. Ad cap. *Cum esset*, 10, ex De testamentis, n. 18.

Atque hæc in ejusmodi materia dixisse satis sit.

JUSPATRONATUS.

SUMMARIUM ARTICULI I.

Juspatronatus quid sit, ejusque nomen, nec non nomen patroni quomodo varie accipiatur. — 2. Definitio jurispatronatus. — Ejus multiplex divisio, ad num. 18. — 43. Juspatronatus quomodo acquiratur ad num. 41 — 42. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad num. 63.

ARTICULUS I.

Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt ejus naturam, divisionem et acquisitionem.

(1. Nomen patroni et juspatronatus in jure varie, et præsertim tripliciter accipitur. Primo *patronus* accipitur pro advocato, et juspatronatus pro jure advocatiæ, unde patroni dicuntur, qui aliorum causas in judicio defendunt, eisque patrocinantur, de quibus fit mentio in l. , rem. 14, § Patroni, cod. De judiciis, in c. *Observandum* 1, caus. 15, qu. 2, et in cap. *Ex litteris* 6, De transactionibus. Secundo, patronus accipitur pro illo qui manumittit, seu liberum dimittit servum suum, et jus quod pro beneficio manumissionis acquirit in personam manumissi seu Liberti, juspatronatus vocatur, et de hoc exstat integer Titulus in ff. De jurepatronatus, et cod. De bonis libert. et jurepatronatus. Tertio patronus accipitur pro eo qui habet jus, seu potestatem a SS. canonibus concessam præsentandi aliquem ad ecclesiam, vel ecclesiasticum beneficium, et tale jus, seu potestas vocatur juspatronatus. Et solum de jurepatronatus hoc tertio modo sumpto habebitur sermo.

(2. Unde juspatronatus tertio modo sumptum definitur, quod sit *jus*, seu potestas nominandi, sive præsentandi clericum promovendum ad beneficium ecclesiasticum vacans. Est in re communis. Seu juspatronatus est jus honorificum, onerosum et utile, alicui competens in ecclesia, eo quod de Ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit vel dotaverit ; aut id a suis antecessoribus factum fuerit. » Ita Abbas in Rubric. De jurepatronatus, num. 3. Joan. Andr. ibid., n. 3, vers. *Si jus igitur sine calumnia ;* Fagnan, lib. III. Decret. in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronat., n. 31. Barbos. lib. III Juris Eccles. univers., cap. 12, n. 2, et alii apud ipsos. Dicitur autem jus honorificum, quia patronus habet honorem, ut ad beneficium sui jurispatronatus alius non admittatur, seu in ipso instituatur, quam ille quem ipse præsentaverit superiori : dicitur *onerosum*, quia patronus tenetur defendere ecclesiam suam, ne ejus bona depereant, eamque, cum opus fuerit, reparare atque impensis necessariis regere, cap. *Filiis* 31, caus. 16, q. 7, cum similibus: Dicitur *utile*, quia, si patronus vergeret ad inopiam, ecclesia teneretur eum potius alere ac juvare, quam cæteros alios pauperes, ex redditibus qui, detractis necessariis expensis, supersunt, c. *Quicunque* 2, caus. 16, quæst. 7, cap. *Nobis* 25. De jurepatronatus, cum similibus.

(3. Juspatronatus dividitur primo in hæreditarium, gentilitium, seu familiare, et mixtum. (4. Communis. *Hæreditarium* est illud quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, arg. c. *Quoniam* 3, De jurepatronatus. Sic Communis cum Rota recent. part. 5. tom. I, decis. 175, n. 3, et seq.; part. 7. dec. 72, num. 1, part. 10, decis. 293, n. 20. Barbosa loc. cit., num. 20; Covarruv. , lib. II Variar. resolut., cap. 18, n. 6. (5. *Gentilitium*, seu *familiare* est illud, quod competit, et relictum est solum illis de tali familia, vel in quo vocantur solum illi qui sunt de genere. Communis, cum Rota recent. part. 5, dec. 581, num. 4 part 11, decis. 220, n. 4, 5, 7, 8, 9, part. 14, decis. 462, num. 1, et sæpe alibi; Barbosa loc. cit., num. 22; Ricc. tract. de jurepatronat., resolut. 232, n. 1. (6. *Mistum* ex hæreditario et gentilitio est illud quod competit, et relictum est solum illis qui sunt et hæredes, et de tali familia. Communis, cum Rota recent., part. 6, decis. 267, n. 6, part. 7, dec. 208, n. 1, part. 9, tom. I, dec. 185, num. 7, part. 11, dec. 254, num. 16, part. 19, tom. I, dec. 223, n. 16, et sæpe alibi.

(7. Juspatronatus esse gentilitium probatur et constat ex pluribus. Primo ex fundatione in qua fundator illud relinquit descendentibus et successoribus de sua agnatione, familia, seu domo : Rota recent. part. 1, decis. 482, num. 1, part. 3, decis. 581, num. 4, part. 14, dec. 462, num. 1, et sæpe alibi. Secundo, ex præsentationibus factis a solis masculis, exclusis feminis et extraneis donec dicti masculi exstiterunt. Rota recent. par. 12, dec. 204, n. 13, part. 13, decis. 103,

Digitized by Google

num. 10, part. 14, dec. 515, num. 15, par. 19, tom. II, dec. 662, num. 17. Item quando in omnibus præsentationibus semper fuit facta mentio familiæ, seu domus, non autem qualitatis hæreditariæ; Rota part. 4, tom. I, dec. 287, num. 12, part. 12, decis. 204, num. 5, part. 13, decis. 237, num. 8, part. 14, decis. 515, num. 9 et 10. Item ex præsentatione a Patre et filiis simul facta; Rota part. 4, tom. I, decis. 287, num. 7, par. 5, tom. I, dec. 385, num. 3, part. 6, decis. 166, num. 14, part. 13, decis. 103, num. 7, part. 14, dec. 515, num. 9. Tertio, probatur gentilitium ex ultimo statu; Rota, part. 12, dec. 204, num. 17. Qui ultimus status ob lapsum 40 annorum sufficit ad probandum juspatronatus gentilitium; Rota part. 13, dec. 237, num. 18, part. 14, decis. 515, num. 38. Quarto, probatur gentilitium ex sententia Ordinarii declarante illud esse de aliqua familia; Rota part. 1, dec. 482, num. 5, par. 19, tom. I, dec. 192, num. 7. Quinto, probatur gentilitium ex enuntiativis, seu assertionibus antiquis dicentibus verb. gr. « ad illos de tali domo et familia spectare; » Rota part. 18, tom. II, dec. 679, num. 4, part. 19, tom. II, dec. 662, num, 5. Sexto probatur gentilitium ex inscriptionibus antiquis in Ecclesia factis, vel etiam in Campanili existentibus; Rota part. 14, dec. 515, n. 12, par. 18, tom. II, dec. 676, n. 7. Item ex sepulcro constructo et ex insignibus familiæ insculptis, tam in pavimento, quam in pariete Cappellæ; Rota par. 19, tom. II, dec. 630, n. 31.

(8. Juspatronatus esse hæreditarium probatur et constat etiam ex pluribus: Primo ex fundatione, in qua a fundatore sunt vocati ad illud hæredes, nulla facta mentione de agnatione; Rota part. 7, dec. 275, n. 5. Secundo, probatur hæreditarium, si in illo Filius, vivente Patre, nullum jus habet; Rota p. 12, d. 204, n. 11. Tertio, probatur hæreditarium ex pluribus præsentationibus factis titulo hæreditatis; Rota part. 1, decis. 707, n. 6. Quarto, probatur, seu præsumitur hæreditarium, et non gentilitium, donec exhibeatur instrumentum fundationis; Rota part. 19, tom. I, decis. 181, n. 9. Juspatronatus enim de jure præsumitur hæreditarium potius quam gentilitium; Rota p. 1, dec. 707, n. 8, part. 3, dec. 492, n. 7, part. 6, dec. 89, n. 1, p. 7, dec. 280, n. 5, part. 11, dec. 268, n. 1, et sæpe alibi.

(9. Juspatronatus esse mistum probatur, et constat etiam ex pluribus. Primo, ex fundatione, in qua fundator expresse vocavit ad juspatronatum solum illos qui erunt et hæredes, et de tali familia una simul; Rota part. 6, dec. 267, n. 6, part. 7, dec. 208, n. 1, part. 1, dec. 254, n. 16. Secundo, si juspatronatus reservatum fuerit pro hæredibus descendentibus per lineam masculinam; in ipso enim casu videtur fundator considerasse utramque qualitatem, hæreditariam scilicet et gentilitiam; Rota part. 19, tom. II, decis. 543, n. 6. Tertio, ex observantia plus quam centenaria, qua fuerint solum admissi ad præsentandum ii qui habuerint utramque qualitatem, scilicet hæreditariam et gentilitiam; Rota part. 19, tom. II, decis. 583, n. 8. Quarto, si ex institutione requiratur in vocatis qualitas filiorum et hæredum; Rota part. 6, dec. 217, n. 1, vel si fuerit reservatum pro successoribus, et hæredibus sanguinis; Rota part. 11, dec. 254, n. 9. Hinc ad effectum succedendi in jurepatronatus misto requiritur utraque qualitas, hæreditaria scilicet et gentilitia, seu hæredis et sanguinis; Rota part. 6, dec. 267, part. 9, tom. I, dec. 185, n. 7, part. 11, dec. 254, n. 16, part. 19, tom. I, dec. 223, n. 16.

(10. Juspatronatus dividitur secundo in *activum* et *passivum*. Activum est ipsum jus, quod patronus habet præsentandi aliquem ad beneficium. Passivum est jus competens aliquibus de tali familia vel loco, quod si idonei sint, exclusis extraneis, per patronum necessario debeant præsentari. Communis cum Rota recent. part. 4, tom. II, decis. 84, n. 11. Barbosa lib. III, Juris ecclesiast. univers. cap. 12, num. 20. Moneta De commutat. ult. volunt., c. 10, n. 200, et alii passim. (11. Juspatronatus activum subdividitur in *personale* et *reale*; personale est, quod competit personæ patroni independenter a re aliqua, vel loco, ubicunque existat; reale est quod est annexum alicui certæ rei vel loco, v. g. castro, prædio, pago, et hujusmodi, et cum eo transit ad quemlibet, etiam non hæredem, qui rem talem emptione, v. gr. vel donatione acquirit. Communis.

(12. Juspatronatus dividitur tertio in *ecclesiasticum*, *laicale* et *mistum*: Communis. (13. Ecclesiasticum est illud, quod de bonis ecclesiasticis fundatum et erectum fuit, arg. cap. *Dilectus* 6, De officio legati, et c. Cum dilectus 28, De jurepatronatus; Rota part. 8, decis. 106, num. 6. Barb. loc. cit., num. 4. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellariæ glos. 8, n. 5, et alii passim. Vel est illud, quod, licet fundatum fuerit ex bonis laicalibus, fuit tamen, vel ab initio, vel postea translatum fundatione, testamento, donatione, aut alio quovis modo in ecclesiam, aut in capitulum, seu collegium ecclesiasticum canonicorum regularium, aut sæcularium, vel ad aliquam personam ecclesiasticam ratione ecclesiæ, dignitatis, aut beneficii; cap. unic. § Verum, de jurepatr. in 6. Rota recent. p. 2, dec. 541, n. 4. Gonzal. ad Reg. 8. Cancellariæ gloss. 18, n. 5. Garcias De beneficiis p. 5, c. 1, n. 552. Barb. l. cit., n. 10, et De offic. et potest. episc., allegat. 72, n. 28, et alii communiter. (14. Laicale est illud, quod laico vel etiam clerico, non ratione ecclesiæ, vel ecclesiastici beneficii, sed ratione proprii patrimonii competit. Communis, cum Glossa in Clement. *Plures*, De jurepatronatus, verb. *Præsentare*, Barbosa cit. cap. 12, n. 13. Moneta loc. cit., cap. 20, n. 220. (15. Mistum est illud, quod partim nomine, seu ratione ecclesiæ ad clericum, partim titulo laicali, seu sæculari ad laicum vel etiam clericum pertinet, ac proinde ex utroque est mistum. Est in re communis.

(16. Juspatronatus esse ecclesiasticum constat, et probatur ex pluribus. Primo, ex

Digitized by Google

fundatione et donatione de bonis ecclesiasticis. Rota recent. p. 8, decis. 106, n. 6. Hinc censetur ecclesiasticum, quando fuit fundatum a clerico non habente bona patrimonialia, vel aliunde quæsita quam ex beneficio. Rota p. 1, decis. 615, n. 4, p. 3, dec. 273, n. 1. Barb. cit. c. 12, num. 5, et alii ibi citati. Secundo, quando Juspatronatus devenit ad ecclesiam, seu monasterium, et spectat ad priorem ratione ecclesiæ et monasterii. Rota p. 2, decis. 541, num. 4, part. 9, tom. I, dec. 298, n. 5, et decis. 329, num. 9. Tertio, quando est relictum religioso, seu monacho. Rota part. 9, tom. I, decis. 286, num. 12, part. 13, decis. 313, n. 7. Et hoc procedit etiam, quando Juspatronatus est relictum eidem religioso, non intuitu ecclesiæ, sed intuitu ipsius personæ; quia religiosus ob resistentiam voti paupertatis nihil habet patrimoniale, aut proprium, sed quidquid acquirit, monasterio acquirit, et eo ipso quod est delatum monacho, statim fit monasterii. Rot. cit. p. 9, tom. I, dec. 289, n. 11 et 12, per Jura ibi adducta. Quarto, quando præsentatio spectat ad ecclesiasticum. Rota p. 8, dec. 88, n. 26, ut si fuerit reservatum ad favorem personarum ecclesiasticarum. Rota p. 8, dec. 106, n. 7. Et hoc procedit etiamsi fundatum fuerit de bonis laicalibus; adhuc enim censetur ecclesiasticum, licet emanaverit a laico, et de bonis laici, si competit ecclesiæ, vel personis ecclesiasticis ratione ecclesiæ. Rota par. 7, dec. 157, n. 5. Secus tamen, si fuerit relictum clerico sæculari, non intuitu Ecclesiæ, sed intuitu personæ. Rota part. 9, tom. I, dec. 289, n. 11 et 12. Quinto, Juspatronatus censetur esse ecclesiasticum, quando est relictum beguinis. Ipsæ enim beguinæ, licet sæculares, religiose vivunt, et habitu religioso amictæ incedunt. Rota p. 5, tom. I, dec. 144, n. 21. Sexto, censetur ecclesiasticum juspatronatus relictum confraternitati cum ordinarii auctoritate erectæ, cum ecclesia, campanili, usu sacri et aliis, ex quibus vere ecclesiastica reputanda veniat, secus si confraternitas sit erecta ad opera pietatis absque dictis requisitis, card. de Luca De jurepatronatus, disc. 59, sub n. 18. Rota part. 5, tom. I, decis. 144, n. 1.

(17. Juspatronatus esse laicale constat, et probatur etiam ex pluribus. Primo, quando est fundatum de bonis laicalibus, ejusque præsentatio spectat ad laicum. Rota p. 9, tom. II, dec. 329, num. 27. Secundo, quando testator professus est se illud constituisse laicale. Rota p. 19, tom. I, dec. 242, n. 7. Et hoc procedit etiamsi esset relictum Ecclesiæ; potest enim, hoc non obstante, a Testatore declarari et effici, quod illud non desinat esse laicale. Rota dicta dec. 242, n. 10. Tertio ex sententia ordinarii instituentis aliquem uti a patronis laicis præsentatum. Rota part. 8, dec. 224, n. 8. Quarto, ex assertiva Papæ. Rota part. 6, dec. 186, num. 4. Quinto quando laicus est in quasi possessione juris præsentandi. Rota part. 3, decis. 233, n. 3, part. 9, tom. III, dec. 329, num. 20. Sexto, quando nominatio est relicta universitati laicorum, licet electio unius ex nominatis spectet ad ecclesiasticos. Rota part. 1, dec. 481, num. 6. Septimo, quando ad præsentandum concurrit major pars laicorum, quamvis etiam aliqui clerici præsentent. Rota part. 12, decis. 230, num. 9 et 10. Hoc tamen procedit ad effectum evitandi derogationes et reservationes. Ad effectum autem temporis ad præsentandum, nempe semestris, dicitur ecclesiasticum. Rota loc. cit. num. 11, 12, 13, et sequent. Octavo, quando juspatronatus spectat ad confraternitatem laicorum, cujus confratres non induuntur, nec distinguuntur aliquo signo religionis, et beneficium fuit fundatum laico, et de bonis profanis; Rota p. 5, t. I, dec. 144, n. 1 et 2, et dec. 290, n. 1. Barb. lib. III. Juris ecclesiastic. univers., c. 12, n. 15, cum plurimis aliis ibi citatis.

(18. Juspatronatus esse mistum constat, et probatur etiam pluribus. Primo, quando fundatio fuit facta ex bonis ecclesiasticis et laicalibus, seu patrimonialibus. Rota p. 3, dec. 273, sub num. 4. Secundo, quando fundatio facta fuit ex bonis ecclesiasticis, et dotatio ex bonis laicalibus, seu e contra: verb. gr. Si Ecclesia ex bonis suis fundaverit aliam Ecclesiam, et eam dotaverit laicus ex suis bonis laicalibus, seu e contra. Rota p. 12, dec. 162, num. 1, et doctores passim. Tertio, quando fundator statuit expresse quod juspatronatus spectet una simul ad clericos et laicos, quamvis totum fuerit fundatum ex suis bonis laicalibus et patrimonialibus, potest enim fundator remittere juspatronatus vel totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium hæredum, prout ei libuerit, arg. c. *Significavit* 41, De testibus, et cap. *Unic.* De jurepatronat., in 6, et ibi notant doctores communiter. Quarto, quando quocunque alio titulo partim spectat ad clericos, et partim ad laicos. Rota tom. III, p. 4, decis. 655, num. 3, et part. 19, tom. I, dec. 129, n. 4.

(19. Juspatronatus tribus potissimum modis de Jure potest acquiri, scilicet fundatione, ædificatione et dotatione. Communis cum glossa in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, quæst. 7, ubi ad rem dat sequentem receptum versiculum.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

(20. Hinc quilibet disjunctim vel separatim sumptus ex tribus dictis modis sufficit ad acquirendum juspatronatus. Communis cum Rota p. 4, tom. III, decis. 360, n. 52, part. 5, tom. II, decis. 432, n. 1, et sæpe alibi; Fagnan. in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, num. 2; Reiffenstuel, lib. III Decretal., tit. 38, n. 4; Pirhing. ibid., n. 6.

(21. Et quidem quod sola fundatio sufficiat ad acquirendum juspatronatus habetur clare ex cap. *Decernimus* 32, caus. 16, q. 6, c. *Quoniam* 3, et c. *Nobis* 25, De jurepatronatus. (22. Fundasse autem ecclesiam ad propositum proprie dicitur, sive quis eam in proprio fundo, seu solo suis sumptibus omnino construxerit; c. *Abbatum* 4, caus. 18, q. 2, cap. *Nobis* 25, De jurepatronatus, sive

Digitized by Google

etiam tantummodo fundum, seu solum ad eam ædificandam obtulerit ac donaverit. Lambertin. De jurepatronat., part. 1, lib. I, quæst. 2, art. 2, n. 1 et 2. Barbosa lib. III Juris ecclesiastic. univers. c. 12, n. 28, et Communis aliorum.

(23. Quod sola ædificatio, seu constructio ecclesiæ sufficiat ad acquirendum juspatronatus habetur, expresse ex cap. Monasterium 33, caus. 16, q. 7, et cit. cap. *Nobis* 25. De jure patronatus ibi : « Si quis ecclesiam cum consensu Diœcesani construxit, ex eo juspatronatus acquirit. » (24. Ædificasse autem ecclesiam ad nostrum propositum proprie dicitur, qui eam cum consensu ordinarii propriis sumptibus construxit, arg. cit., c. *Monasterium* 33, caus. 16, quæst. 7, et cit. cap. *Nobis* 25, De jurepat. Qui vero sine consensu ordinarii eam construit, cum illicite agat arg. cap. *Nemo* 8, *De consecr.* dist. 1, non acquirit juspatronatus, ut cum communi doctorum recte notat Fagnanus in cit. cap. *Nobis*, n. 4. *Item* ædificasse censetur quantum ad præsens, qui ecclesiam penitus destructam suis sumptibus cum consensu ordinarii eam reædificat, in quo casu primus ædificans, si nolit eam reædificare, amittit, et reædificans acquirit juspatronatus. Talis enim censetur ecclesiam ædificare, cum perinde sit ac si ecclesiam primitus ædificasset, arg. cap. *Consuluit* 7, De judæis, et tenet Communis doctorum cum Glossa in cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, verb. *Fundatores*. Si vero ecclesia non sit penitus destructa, sed solum in aliqua parte, ex refectione et reparatione illius, non acquiritur juspatronatus. Communis cum Glossa loc. cit., etiamsi successive diversis temporibus per partes tota fieret nova, quia adhuc eadem ecclesia esse censetur, adeoque primus ædificator non desineret esse patronus, arg. l. *Quid tamen*, § 1, vers. Plene, ff. Quibus modis ususfructus amitt. Azorius p. 2, lib. VI, cap. 19, q. 10. Pirhing lib. III Decr., tit. 38, num. 8. Reiffenstuel ibid., n. 8, et alii passim.

(25. Quod sola dotatio sufficiat ad acquirendum juspatronatus habetur clare ex c. *Filiis* 31, cap. 16, quæst. 7, et concil Trident. sess. 14, *De Reform.* cap. 12, et sess. 21, eod. cap. 7, ubi sola dotatio pro sufficienti causa acquirendi juspatronatus agnoscitur. (26. Dotasse autem ecclesiam quantum ad propositum censetur ille, qui ei sine dote fundatæ et constructæ congruam dotem assignat, tribuendo ei sufficientes redditus, seu annuos census pro ministris ecclesiæ, pro paramentis, pro luminaribus, aliisque necessariis, arg. cap. *Quicunque* 30, et cap. *Filius* 31, caus., 16, quæst. 7. Qui tamen non tribueret dotem sufficientem, non diceretur *patronus*, sed tantum Benefactor ecclesiæ, ut expresse declaravit Sacra Congregatio, apud Garciam De beneficiis p. 5, cap. 9, n. 52, his verbis : « Dotans insufficienter, quod arbitrabitur ordinarius, non acquirit juspatronatus, sed dicitur benefactor. » Item censetur quantum ad præsens quis dotare ecclesiam, quando dos primitus ei assignata omnino perit, et antiquus patronus non vult amplius illam dotare ; bene vero ipsam sufficienter dotat ille alius ; tunc enim antiquus patronus amittit juspatronatus, et illud acquirit qui de novo sufficienter dotat ecclesiam. Fagnanus in cap. *Quoniam* 3. De jurepatronat. n. 59. Reiffenstuel, loc. cit. n. 9. Pirhing. loc. cit. num. 9, et alii passim.

(27. Quando unus et idem simul fundat, ædificat et dotat ecclesiam, tunc solus ipse acquirit juspatronatus. Quando vero plures concurrunt, ita ut unus fundet, alter ædificet, et tertius dotet, tunc acquirunt omnes Juspatronatus in solidum, et una simul in solidum evadunt Patroni, arg. c. *Filiis* 31, caus. 16, qu. 7, et tenet communis doctorum cum Fagnan. in cit. c. *Quoniam* 3, De jurepatronatus n. 49. Garcias l. c., n. 52. Abbat. ad Rubr. de jurepatronat. num. 6. Pirhing. loc. cit., n. 7. Reiffenstuel loc. cit., num. 10. Item quando plures concurrunt ad unam ex tribus causis, seu modis allegatis, v. gr. ad solam fundationem, vel ad solam ædificationem, vel ad solam dotationem, evadunt omnes simul patroni, et æquale juspatronatus acquirunt respectu illius tituli. Sic expresse declaravit Sacra Congregatio apud Garciam loc. cit., n. 53, et tenent citati Doctores, aliique passim. (28. Juspatronatus, seu præsentandi prælatum in ecclesia regulari seu collegiata, etiam de diœcesani episcopi consensu, non acquiritur ex fundatione, ædificatione et dotatione, sine particulari privilegio apostolico ; cap. *Hinc est etiam* 39, caus. 16, quæst. 1, et cap. *Nobis* 15, De jurepatronat. Rota part. 2, recent. decis. 421, n. 2. Fagnan. lib. III Decretal. in cit. capit. *Nobis*, num. 14. Lambertin. lib. I, quæst. 5, part. 1, art. 1, num. 10 et 11. Puteus lib. II, decis. 466, n. 4, et seq. Barbosa lib. III Juris eccles. univ., cap. 12, n. 48, citans alias Rotæ decisiones, aliosque doctores. (29. Id tamen est intelligendum de jurepatronatus in tota Ecclesia ; secus vero in aliquo altari constructo vel construendo de ordine testatoris in dicta ecclesia regulari, seu collegiata ; quia tunc sufficit solum consensus regularium seu capitularium, ut firmavit Rota in Segobiensi Capellaniæ 26, Februarii 1626, coram bonæ memoriæ Ubaldo in vers. *Non obstat secundo*, et ex aliis refert, et tenet Barbosa loc. cit., n. 48.

(30. Præter supradictos tres modos et causas acquirendi juspatronatus, potest idem acquiri adhuc aliis duobus modis, scilicet privilegio, et præscriptione. Juspatronatus, acquiritur privilegio, quando Summus Pontifex alicui de ecclesia benemerito, vel ob aliam causam illud concedit, quamvis ecclesiam nec fundaverit, nec ædificaverit, nec dotaverit ; Papa enim de plenitudine potestatis de cunctis beneficiis habet plenariam potestatem, textu expresso in c. *Licet* 2, De præbend. in 6. (31. Non potest tamen juspatronatus acquiri privilegio episcopi vel alterius prælati Papa inferioris, ut clare patet ex cap. hoc *Consultissimo* 2, De rebus eccles. non alienand. in 6, et fuit declaratum a Sacra Congregatione apud Gar-

Digitized by Google

ciam De benefic. part. 5, cap. 9, num. 128.

(32. Imo juspatronatus ex privilegio quocunque, etiam Papali, ante concilium Tridentinum concessum, revocatum est in totum, etiam cum quasi possessione inde secuta, ab eodem concilio sess. 25, de reform., cap. 9. Parisius De confident. q. 28, num. 239 et sequent. Seraphin. dec. 1395, num. 4. Gonzal. ad Reg. 8. Cancellariæ glossa 18, n. 18. Barbosa super Trident. d. sess. 25, cap. 9, num. 68, et lib. III Juris Eccles. univers., cap. 12, num. 63 et 64. Garcias De Beneficiis, part. 5, cap. 9, a num. 115, ubi num. 118, ex declaratione Sacræ Congregationis addit, sublata esse omnia privilegia, etiamsi habeant clausulam, quod juspatronatus ex privilegio concessum sit ejusdem valoris ac roboris, ac si esset ex fundatione, ædificatione, aut dotatione, cum sit ad instar, et non proprie ex fundatione, ædificatione aut dotatione. Unde qui juspatronatus ex titulo solius privilegii manutenere vult, debet docere, quod illud habeat a Summo Pontifice post tempora concilii Tridentini concessum cum clausula derogatoria ejusdem concilii; Pirhing. lib. VI Decretal., tit. 38, num. 12. Reiffenstuel ibid., n. 12. Azorius p. 2, l. 6, c. 19, n. ult., et alii.

(33. Advertendum hic tamen venit, quod quamvis concilium Tridentinum, d. sess. 25, cap. 9, *De Reformat.*, in totum prorsus abrogaverit juspatronatus ex privilegio una cum quasi possessione; hoc tamen non procedit in jurepatronatus ex privilegio concesso 40 annis ante publicationem ejusdem concilii, cum tale juspatronatus non cadat amplius sub revisione Ordinarii. Rota part. 13, recent. decis. 492, n. 8. Barbosa in collectan. ad concil. Trident. c. 19, sess. 25, *De reform.*, num. 85, ubi adducit alias Rotæ decisiones. Garcias, loc. cit., c. 9, n. 124. Addenda ad Gregor. decis. 397, num. 6, vers. *Prædicta indubitanter*. Filliucius t. III, tract. 41, cap. 2, n. 62, et alii passim, Neque procedit in jurepatronatus concesso ex titulo oneroso propter augmentum dotis : Rota part. 13, recent. dict. decis. 492, num. 6. Addend. ad Gregor cit. decis. 397, num. 6, vers. *Prædicta indubitanter*. Rota coram Seraphin. dec. 490, n, 2. Garcias loc. cit., cap. 9, num. 120. Gabriel cons. 195, num. 1 et 2, lib. I. Lotter De re benefic. *lib.* II, qu. 8, n. 12 et seq., et num. 25, et alii.

(34. Juspatronatus acquiritur, præscriptione contra ecclesiam liberam, seu nondum patronatam ex multiplicatis præsentationibus per tempus immemoriale; sic expresse statuit concilium Tridentinum sess. 25, c. 9, *De reform.* ibi : « Sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. » (35. Ad hoc autem, ut dicantur præsentationes multiplicatæ, duas sufficere asserunt Riccius in Praxi fori Ecclesiastic., resolut. 127, in fine : Castropalao tom. II, tract. 13, disp. 2, punct. 3, num. 4. Barbosa in Collectan. ad concil. Trid. d. sess. 25, cap. 9, *De reform.* n. 5, cum pluribus aliis ibi citatis, arg. c. *Pluralis* 40, de Regul. in Juris 6, ibi : « Pluralis locutio duorum numero est contenta. » (36. Tempus vero immemoriale, quantum ad præsens, censetur tempus quadraginta annorum in personis, ubi non præsumitur juspatronatus esse ex usurpatione, arg. cap. *De quarta* 4, c. *Ad aures* 6, c. *Illud autem* 8, etc. Quia indicante 9 De præscriptionibus, ubi habetur clare decisum, quod contra ecclesiam jura episcopalia, decimas et hujusmodi quadraginta annorum spatio præscribatur. Sic per doctrinam Glossæ communiter receptæ in cap. 1 De præscriptionibus in 6, tenent Baldus De præscript. part. 2. Quintæ partis quæst. 6, num. 43, Mascardus De probat. Conclus. 138. Moneta De decimis cap. 5, num. 76. Aloysius Riccius in tract. De novissim. probat. Jurispatronat., resol. 70. Barbosa in Collectan. ad Tridentinum, cit. sess. 25, cap. 9, *De reformat.* num. 11, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., c. 12, n. 75, cum pluribus aliis ibi citatis. Rota in Sorana Jurispatronatus 28 April. 1603, in Jacen. Parochialis 27 Junii ejusdem anni coram card. Pamphil. senior.

(37. Aliter autem discurrendum est de tali præscriptione in personis, ubi præsumitur juspatronatus esse ex usurpatione. Et ad hoc datur dispositio concilii Tridentini d. sess. 25, c. 9. *De reformat.*, ibi : « In iis vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus, in quibus id jus (patronatus) plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio eis aliter suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. » (38. Personæ vero, et communitates seu universitates, in quibus præsumitur juspatronatus esse ex usurpatione, sunt ex declaratione Sacræ Congregationis apud Gonzalez in Regul. 8, Cancel. glossa 18, a n. 66, omnes potentes, et omnes perpetuam jurisdictionem habentes in loco beneficii, seu ecclesiæ jurispatronatus; ut nobiles, barones, comites, marchiones, principes, duces, reges, imperatores, universitates et communitates.

(39. Juspatronatus acquiritur præscriptione contra ecclesiam non amplius liberam, sed jam patronatam, seu potius contra patronum per tempus ordinarium, scilicet decem annorum inter præsentes, et viginti inter absentes cum titulo : Sine titulo autem triginta annorum cum bona fide, sicuti præscribi possunt alia jura, et bona immobilia contra privatos, l. 1 Cod. de usucap. transformand. et § 1 Inst. de usuc. leg. Sicut in rem, Cod. De præscrip. 30 vel 40 annor., et concordat textus in cap. *Sanctorum* 3, De præscriptionibus. Et ex communi docet Covarruvias in Regul. Possessor. part. 2, § 16, n. 6. Lessius lib. II, cap. 6, dub. 10, num. 33. Molina disp. 70, num. 2. Lugo disp. 7, n. 99. Pirhing. lib. II Decretal., tit. 26, num. 118. Et ratio est, quia hoc casu non præscribitur

Digitized by Google

contra ecclesiam, cujus parum interest nunc vel illum habere patronum privatum, et æque evenire possit, ut ille, qui præscribit, utilior sit ecclesiæ, quam prior ejusdem patronus, contra quem præscribitur, ut recte observat Molina De justitia et jure, cit. disp. 70, num. 2. Sed solum præscribitur adversus priorem patronum, qui non gaudet speciali privilegio, ut longiore tempore quam ordinario a jure statuto contra illum præscribi debeat.

(40. Si quis autem quibusdam annis sit absens, et quibusdam præsens, adjiciuntur ei super decennium, tot anni, quot annis ex decennio fuit absens, textu expresso in authent. *Quod si quis*, Cod. De præscription. long. temp., ibi : « Quod si quis quisbusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei super decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens; hac tamen intelligentia, et advertentia, ut communiter notant doctores, quod unus annus præsentiæ æquivaleat duobus annis absentiæ, et vicissim duo anni absentiæ faciant unum annum præsentiæ. Unde si quis per octo annos fuerit præsens, et deinde per duos absens, alii duo anni sint superaddendi, ita ut hæc præscriptio ante annos duodecim non compleatur. »

(41. Ad hanc præscriptionem contra ecclesiam jam patronatam, seu potius contra patronum, sufficit cum tempore debito unica præsentatio facta, et suum effectum sortita, et non requiruntur plures. Communis cum Rota in Bergomen. Capellaniæ 18 Maii 1629, coram Merlino, Barbosa in Collectan. ad concil. Trident. d. sess. 25, cap. 6, n. 22. Reiffenstuel, lib. III Decretal., tit. 38, num. 16. Et ratio est, quia de jure communi non requiruntur plures, sed sufficit unus actus præsentationis ad constituendum aliquem in possessionem, dummodo interea non evenerit alius casus præsentationis, ut recte observat Barbosa loc. cit. Nec officit, quod concilium Tridentinum loc. cit. requirat ad hoc multiplicatas præsentationes, ibi : « Ex multiplicatis præsentationibus; » quia ut communiter advertunt doctores, concilium ibi loquitur de præscriptione contra ecclesiam liberam, et nondum patronatam, quam in libertate conservare summopere intendit; non autem de præscriptione contra ecclesiam jam patronatam, seu potius contra patronum, qui non gaudet speciali privilegio, sed sola ordinaria dispositione juris communis, ut jam fuit dictum supra, num. 39.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Definit in hoc articulo Auctor juspatronatus, tum dividit, et demum de modis agit originariis illud acquirendi.

(42. Reale juspatronatus, de quo agit Auctor, n. 1, subdividendum est in *regium*, *feudale* et *privatum*. (43. Regium, quod ad imperatorem, et reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinet : ex Trident. sess. 25, De reform., c. 9. (44. Feudale jurispatronatus appellatur, quod Feudo, reique feudali adnexum est, et Feudatario competit ratione investituræ feudalis, vel universæ feudi possessionis, nequaquam vero intuitu personarum, et sic ad possessorem feudi transit cum universitate illius. (45. Privatum denique est, quod non propter feudum, vel feudalem investituram, sed alio quovis titulo possidetur nedum a personis privatis, sed etiam a feudatariis tanquam allodiale, seu Burgensaticum.

(46. Plura habet præcipua juspatronatus regium. Illud non comprehenditur sub quacunque reservatione, non facta ejus speciali mentione; Rota in Colon. Præposituræ 1 Decembris 1727, § Adjuvatur, cor. clar. mem. Calcagnin. Minusque venit sub qualibet derogatione citra etiam specialem mentionem. (47. Quinimo « quamvis (ait idem supremum Tribunal in d. Colonien. Præposituræ 2 Decembris 1727, d. § Adjuvatur, cor. clar. mem. Calcagnin.) Romani pro tempore Pontifices absoluta beneficiorum potestate fruantur, nihilominus frequenter indulgent Curiæ stylo non derogandi regum, supremorumque principum patronatibus, eorumque devolutiones non perquirendi, etiamsi vacationes in Curia contigissent. » (48. Et, ut alia missa faciamus, nullum in jurepatronatus regio currit tempus ad præsentandum; Antunez De donat. Reg., part. 3, cap. 27, n. 124. Piton. De controvers. patron., alleg. 19, n. 18. Rigant. in Comment. ad regul. Cancellar., regul. 42. Sacrum Auditorium in d. Colonien. Præposituræ 2 Decembris 1727, § Animadvertebat, et seq. cor. clar. mem. Calcagnin. in Compostellana Parochialis 29 Mart. 1756, § 9, et 5 Julii 1756, § 6, et 10 Decembris § 9, cor. Emin. Bussio.

(49. Feudale juspatronatus ob dominium directum Feudi quod apud regem est, et regium dijudicari debet; Gagliard. De jurepatr., cap. 3, n. 14. Antunez De donat. Regiis, lib. III, cap. 20, n. 1. Rota in Compostellana Parochialis 29. Martii 1756, § 9, et 4 Julii 1756, § 5, et 10 Decemb. 1756, § 10, cor. Em. Bussio. (50. At non omnes effectus jurispatronatus regii tribui queunt juripatronatus feudali. (51. Notabile enim est, quod feudatarii intra quatrimestre præsentare tenentur. (52. Reges enim et supremi principes nullum habent tempus præfinitum ad præsentandum, eo quia maximæ curæ quibus tum pacis, tum belli tempore occupantur, quotidianum impedimentum præbere censentur, quominus de præsentatione cogitent. (53. Hæc autem ratio locum quoad feudatarios haud sibi vindicat, Gagliard. De jurepatron., cap. 18, num. 28. (54. Rota vero in mox dicta compostellana Parochialis videtur sensisse, quod et Feudatariis nullum currat tempus ad præsentandum.

(55. De jurepatronatus privato reali plures occurrunt inspectiones. Potissimum est illa,

Digitized by Google

quando vero juspatronatus privatum sit reale; vide Rot. in Viterbien. Capellaniæ 3 Jul. 1718, cor. bon. mem. Gamach. et in Pennen. seu Adrien. Jurispatronatus 12 Martii 1731, cor. bon. mem. Ratio. (56. Solet etiam maxime inquiri in quos transeat hoc jus patronatus privatum reale. Confer Rot. in Carinolen. Canonicatus 2 Maii 1738, cor. clar. mem. Millin.

(57. Inter originarios modos acquirendi juspatronatus Auctor n. 22 refert et fundationem, eam accipiendo pro simplici donatione fundi seu loci ad ecclesiam ædificandam, adeoque distinguit fundationem ab ædificatione et dotatione. (58. Vetus est hic error Gloss. in Can. Piæ Mentis 16, quæst. 7. (59. At is confutatus jam fuit a Francisco de Roye De jurepatron., cap. 13. Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudentia canonica verb. *Patronatus* cap. 3, num. 3, et plus. seq. aliisque. (60. Reædificatione et redotatione quando acquiri possit juspatronatus jam constitutum, vide apud Gagliard. De jurepatr., cap. 5, n. 28.

(61. De jurepatronatus rei seu annexo aliqua hic addere inutile haud est. Porro si agatur de beneficio ab antiquo fundato, posito in oppido, cui annexum prætenditur, et dotato præterea ex ejus redditibus, præsumptio est pro annexione jurispatronatus oppido illius, etiamsi desit instrumentum fundationis, ita ut qui contrarium prætendit, eam excludere teneatur; Confer Bohemer. in Decretal. lib. III, titul. 38, § 107. Adde Piton. De Controvers. patronor., alleg. 100, num. 21. Fagn. De jurepatr., part. II, can. 14 et 15, cas. 2, n. 12 et seq. Rota coram Caprar., decis. 214, n. 7 et 15, coram Molin., decis. 609, n. 16, et in Constantien. Juris nominandi 26 Junii 1751, § 6, coram bon. memor. vicecomit.

(62. Observantia quoque declarare potest an juspatronatus sit annexum, nec ne. Si enim ii semper præsentarunt, qui potiti sunt oppido, cui prætenditur annexum, pro annexione respondendum est, tum concurrentibus circumstantiis mox expositis, tum etiam iis non concurrentibus; Lotter. De re benefic., lib. II, qu. 4, n. 98. Dunod. De Præscript. bon. Eccles., p. 33, edit. Paris. anni 1753. Rota coram Kaunitz. decis. 204, n. 1, in Pennen. seu Adrien. Jurispatronatus 12 Martii 1711, § 16, coram bon. mem. Ratt. inter impress. decis. 300, num. 3 et seq.

(63. Posita vero adnexione dubitari solet utrum juspatronatus quoad exercitium spectet ex æquo ad omnes possessores oppidi illius, an pro partibus ejusdem. Ex æquo pertinere videtur sentire Franciscus de Roye in Prolegom. ad tit. De jurepatron. c. 19, § Sed eam. At prævaluit opinio tenens, quod spectet pro partibus, cardinal. de Luca. De jurepatron., discurs. 61, n. 6. Rota coram Molin., decis. 947.

ARTICULUS II.

Juspatronus, quoad ea quæ concernunt ejus in alios translationem et ejusdem amissionem.

SUMMARIUM.

1. Juspatronatus primo transit per successionem hæreditariam; et assignantur hæredes, ad quos transire potest, et quomodo, ad n. 24 — 25. Secundo, transit de uno in alium per donationem, et quomodo talis donatio fieri possit, et cujus consensus requiratur, ad n. 42 — 43. Tertio, transit de uno in alium per permutationem; et quomodo permutatio fieri possit, ac debeat, ad n. 50 — 51. Quanto transfertur de uno in alium per venditionem; et talis venditio per singulas sui partes late explicatur, ad n. 70 — 71. Assignantur varii modi, seu causæ, quibus amittitur, et penitus extinguitur juspatronatus, ad n. 83. — 84. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 94.

1. Juspatronatus quatuor modis ab uno in alium transferri potest, scilicet, *Successione, Donatione, Permutatione et Venditione.* Communis cum Glossa in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, q. 7, et in cap. *Cum sæculum* 13, De Jurepatronatus, verb. *Emptorum*, ubi dat sequentes versiculos:

Jurapatronatus transire facit novus hæres,
Et res permutata, donatio, venditioque.

(2. Primo igitur modo juspatronatus transit per successionem hæreditariam cum universitate bonorum ad quoscunque hæredes, tam mares quam feminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato, sive ex testamento succedant, arg. cap. *Perlatum est* 1. Et cap. *Ex litteris* 7. De jurepatronatus, et Clementin. 2, eod. tit. Et sic tenet Abbas in cit. cap. *Perlatum est*, n. 2 et sequent., et ibi Fagnanus, n. 12 et 13, et Barbosa num. 9; Pirhing lib. III Decretal., tit. 28, n. 44; Reiffenstuel ibid., num. 18, et Communis aliorum. Jura enim indistincte loquuntur de hæredibus patroni, nulla expressa differentia, sive hæredes sint masculi, sive feminæ, sive necessarii, sive extranei, sive hæredes sint ab intestato, sive ex testamento; ubi autem jura indistincte loquuntur, indistincte etiam sunt intelligenda, cum ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, cap. *Quia circa* 22, De privileg. et l. De pretio, ff. De publiciana in rem actione.

(3. Hinc, si filia sit hæres cum fratre, æque cum illo succedit in jurepatronatus hæreditario. Communis, arg. Citatis juribus. (4. Item, si filius, vel filia non sit hæres patris sui, ex quo vel exhæredetur vel repudiet hæreditatem, non succedit in jurepatronatus hæreditario; quia hoc veluti accessorium sequitur hæreditatem. Communis. (5. Item, si filius vel filia instituatur a patre in re certa, et extraneus instituatur hæres universalis, juspatronatus hæreditarium transit ad extraneum hæredem, et non ad filium, nec filiam, quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet, et filius institutus in re certa habetur in loco Lega-

Digitized by Google

tarii; l. penultim. Cod. de hæred. institut.; adeoque, cum non sit hæres, non potest consequi juspatronatus hæreditarium. Communis. (6. Excipiendus est tamen casus, quo tali rei certæ, v. g. castro, pago, palatio, vel fundo, in quo instituitur, esset inseparabiliter annexum ipsum juspatronatus, quia tali casu juspatronatus non transiret ad extraneum hæredem universalem, sed ad filium in tali re certa institutum; cum juspatronatus transeat semper cum re, cui est inseparabiliter annexum, arg. cap. *Ex litteris* 7 De jurepatronat., et ibi Fagnan., num. 3. Barbosa n. 2. Canisius in cap. 1 et 2, n. 5, De jurepatronat. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, num. 44. Reiffenstuel. ibidem, num. 10, et alii. *Accessorium* enim *naturam sequi congruit principalis*, ut expresse dicitur in cap. *Accessorium* 42, De reg. juris. in 6.

(7. Quando plures sunt hæredes unius patroni, succedunt omnes æquali jure, quamvis in partibus inæqualibus sint instituti hæredes, unde in solidum tale juspatronatus possidere debent, nec inter se illud dividere possunt; cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronatus, et Glossa ibid., verb. *Dividi non debeat*, et doctores communiter, arg. l. Via 17, ff. De servit. leg. Si sepulcrum, Cod. de Religios. et sumpt. fun. l. 1, § Si Ususfructus, ff. ad l. Falcid. et leg. Usus, ff. De usu et habit. (8. Possunt tamen dicti plures hæredes inter se pacisci et convenire de rectore alternis vicibus præsentando, hoc est, quod unus præsentet prima vice vacationis beneficii seu ecclesiæ, alter secunda, et alter tertia. Communis, texto expresso in Clementina Plures 2, De jurepatronatus, ibi: « Et ut facilius provideatur ecclesiis, non inconveniens reputamus patronos ipsos inter se posse libere conveniri de rectore ab eis alternis vicibus præsentando. » Glossa ibid., verb. *Alternis vicibus*. (9. Item possunt compatroni et hæredes eorum inter se dividere menses, ita ut, si mense Januario vacat ecclesia, seu beneficium, præsentet unus, si in Februario præsentet alter, etc. Vel etiam si plura beneficia conferenda habent, unus ad hoc, et alter ad illud præsentet: Communis, arg. cit. Clementina *Plures*.

(10. Et has conventiones possunt compatroni ac hæredes inter se inire absque ullo consensu episcopi arg. cit., Clementina *Plures*, ibi: « Inter se posse libere convenire, » et ibi Glossa verb. *Libere*. Fagnan. in cit. cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat., n. 6. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 46, § 1, n. 58. Barbosa De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 71, n. 28, et seq. Pirhing l. III Decretal., tit. 38, n. 46. Reiffenstuel ibid., n. 23, et communis aliorum.

(11. Etiam juspatronatus gentilitium, scilicet reservatum illis qui sunt de familia seu agnatione fundatoris, exstincta familia, seu agnatione, transit ad hæredes extraneos, nisi in prima fundatione fundator expresse et taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem. Rota in causa Cremonensi jurispatron. die 6 Jan. 1578, coram Carain. Seraphin., ut in ejus impressis dec. 364, quæ postea confirmata fuit sub die 21 Novemb. ejusdem anni ut dec. 378, et concordat Rota dec. 385, per tot. coram Robusterio part. 1, diversar. Cassad. dec. 1, n. 3, De jurepatronat. Ancharanus cons. 81. Fagnan. in cit. cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat. n. 25. Pirhing, loc. cit., n. 53. Reiffenstuel loc. cit., n. 24, et alii passim. Et ratio est, quia reservatio jurispatronatus facta in prima fundatione a fundatore pro illis qui sunt de sua familia, seu agnatione, non addita particula taxativa *tantum*, vel alia simili, intelligitur solum facta cum ea restrictione, ut tale juspatronatus non transeat ad hæredes extraneos, durante sua familia, seu agnatione; ergo secus intelligitur facta pro casu deficientis suæ familiæ; tum quia casus a fundatore omissus relinquitur dispositioni juris communis; argum. l. Commodissime, ff. De liber. et posthum. l. Si cum dotem, ff. Solut. Matrim., l. Si extraneus, ff. De condict. ob caus. Atqui casus deficientis suæ familiæ fuit a fundatore omissus, ergo est relinquendus dispositioni juris communis, quo statutum est, ut juspatronatus transeat etiam ad hæredes extraneos, juxta dicta supra n. 2. Sic enim dispositio hominis convenit cum dispositione legis, et utraque servatur in suo casu; scilicet dispositio hominis quandiu duraverit sua familia; dispositio autem legis, quando illa defecerit.

(12. Si autem fundator expresse statuit cum particula taxativa *tantum*, quod tale jus patronatus transeat ad illos solum qui sunt de sua familia, seu agnatione, non vero ad eorum hæredes extraneos, tunc ad ipsos non transit, et exstincta familia, exstinguitur juspatronatus, et ecclesia, seu beneficium remanet liberæ collationis. Et ideo notanter fuit dictum in conclusione sub n. antecedente. « Nisi in prima fundatione fundator expresse et taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem. » Et ratio est, quia fundator potest in fundatione remittere juspatronatus, vel in totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit arg. c. *Significavit* 41, De testibus, et cap. *Si laicus unic.* De jurepatronatus in 6. Sic tenet communis cum supracitatis.

(13. Juspatronatus, quamvis transitorium ad hæredes extraneos regulariter non transit ad substitutos, seu fideicommissarium etiam universalem, sed remanet penes hæredem directum, seu gravatum. Rota part. 5, recent. tom. II, dec. 543, n. 9 et 19, part. 6, decis. 89, n. 27, part. 7, decis. 72, a n. 7 usque ad 18, p. 9, tom. I, decis. 206, n. 5, 8 et 14, part. 12, decis. 400, num. 1, part. 13, decis. 64, n. 4, et sæpe alibi. Et sic tenet Communis doctorum, cum Barbosa in cap. *Perlatum est* 1. De jurepatronat., num. 10 et 11, et Garcias De benefic., part. 5, cap. 9, num. 17, ubi n. 18 et 19, ait: « Juspatronatus personale et non annexum bo-

Digitized by Google

nis, non transire ad fideicommissarium, quamvis ex testantis judicio et expressa voluntate possit fideicommissarius consequi juspatronatus, accedente licentia episcopi. Et ratio est, quia ex præsumpta voluntate testatoris ad fideicommissarium transeunt solum bona et jura afferentia commodum pecuniarium, non autem illa quæ ad solum honorem pertinent, uti est juspatronatus, » ut censuit expresse Rota part. 9, tom. I, decis. 289, n. 9 et 10, part. 12, dec. 100, n. 8 et 9, adeoque juspatronatus ex præsumpta testatoris voluntate remanere debet apud primum ac directum hæredem. Tum quia, quamvis jura sepulcrorum veniant in universali alienatione, l. Si modicis 24, ff. De contrahend. Empt., l. Quædam 62, ff. De acquirend. rerum dominio; tamen non veniunt in translatione universali, quæ fit in fideicommissarium, sed penes hæredem manent: ergo sicut ista jura non comprehenduntur sub restitutione facienda fideicommissario, cum non veniant jure hæreditario, ita nec juspatronatus ecclesiæ seu beneficii.

(14. Transit autem juspatronatus ad fideicommissarium, ubi id constet de voluntate testatoris. Rota part. 5 recent., tom. II, decis. 542, n. 13, part. 12, decis. 700, n. 10, par. 13, decis. 74, n. 1, part. 14, decis. 153, n. 3, part. 18, tom. II, decis. 589, num. 3. Non enim repugnat naturæ jurispatronatus, quin illud possit transferri etiam in fideicommissarios. Rota part. 7, decis. 72, n. 11 et 12, p. 18, tom. II, decis. 667, n. 17. Dummodo tamen non solum concurrat Testatoris voluntas, sed etiam forma primævæ acquisitionis non repugnet; Rota part. 10, decis. 240, n. 10, part. 12, dec. 100, n. 11, et decis. 190, num. 1. Ita ut juspatronatus, et jus præsentandi pertineat substituto habenti qualitatem per fundatorem desideratam; Rota part. 13, decis. 136, n. 2. (15. Ad effectum tamen cognoscendi et eliciendi voluntatem testatoris, non sufficit voluntas implicita, sed requiritur expressa. Rota part. 5, tom. II, dec. 542, n. 16, part. 7, decis. 170, n. 6 et 7. Puta, si verbis expressis testator declaraverit sub universali hæreditate, in qua fideicommissum constituit, comprehendi juspatronatus, quo casu mentio jurispatronatus facta in institutione, censetur repetita etiam in substitutione. Rota part. 18, t. II, decis. 589, n. 4. Vel quando verba fideicommissi comprehendunt etiam jura et actiones, Rota part. 12, decis. 104, num. 11, part. 13, dec. 152, num. 1 et 2. Seu quando substitutio facta fuit etiam de juribus et actionibus. Rota p. 12, dec. 271, n. 4, part. 13, decis. 64, num. 6 et 7.

(16. Item juspatronatus transit etiam ad fideicommissarium universalem, quando est inseparabiliter annexum universitati bonorum fideicommissorum, arg. c. *Ex litteris* 7, et c. *Cum sæculum* 13, De jurepatronatus per dicta supra n. 6. Tunc enim fideicommissarius, velut universalis bonorum possessor, succedit in omnia annexa ipsis bonis per cit. cap. *Accessorium* 42. De regul. Juris in 6, succeditque pariter in universum jus defuncti jure Prætorio, et in effectu est plenus hæres, l. II et III, § 1, num. 2, ff. De bonor. possess. Imo tale juspatronatus transit etiam in usufructuarium universitatis bonorum. Barbosa in cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., num. 7, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., cap. 12, num. 232, cum pluribus ibi citatis. Pirhing. lib. XXXVIII Decretal., num. 55, in fine. Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris*, num. 57, ubi adducit alios et decisionem Rotæ.

(17. Juspatronatus per hæreditariam successionem potest transire ad monasterium seu religionem, idque duplici modo. Primo, quando a patrono laico monasterium capax bonorum in communi instituitur hæres; tunc enim cum universitate bonorum talis hæreditatis transit ad monasterium etiam juspatronatus. Secundo, quando patronus laicus fit religiosus, tunc enim juspatronatus ad ipsum spectans cum omnibus ipsius bonis transfertur in monasterium, et quidem perpetuo, si sit juspatronatus hæreditarium. Tale enim juspatronatus sequitur hæreditatem, et hæreditati monachi succedit monasterium, cum quidquid acquirit monachus, acquirat Monasterium, cap. *Statutum*. 1, caus. 18, qu. 1, c. *Abbates* 16, caus. 18, q. 2, c. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, c. *In præsentia* 8, De probation. cum similibus. Ita Tamburin. De jure abbat. t. III, disp. 9, q. 28, num. 1 et 2. Pirhing. loc. cit., num. 59, et alii passim.

(18. Si autem juspatronatus sit gentilitium et jure sanguinis delatum ad patronum, qui religionem ingressus est, tunc tale juspatronatus non transfertur in monasterium perpetuo, sed solum ad tempus, id est durante vita monachi, quia post ejus obitum defertur ad hæredes ipsius consanguineos. Tamburin. l. c. n. 2. Pirhing. l. c. n. 59. Garcias De benefic., part. 5, c. 1, n. 555, et alii. (19. Juspatronatus transit etiam probabiliter ad fiscum saltem indirecte et accessorie, quando ab ipso ob aliquod enorme patroni crimen confiscantur omnia, vel aliqua specialia ejus bona, cui annexum est juspatronatus; tunc enim, adveniente vacatione beneficii, vice patroni banniti, præsentat fiscus. Abbas in cap. *Quanto*. num. 6, De judiciis, et in cap. *Nobis* 25, De jurepatronat., num. 2. Ferret. consil. 179. Barbosa in cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 9, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., cap. 12, n. 238, et part. 3, De offic. et potest. episcop., allegat. 71, num. 45, cum pluribus ibi citatis, Lotter. De re benefic., lib. II, q. 4, num. 21, cum aliis, Pirhing. loc. c., n. 57, et alii. (20. Secus autem juspatronatus personale, seu per se, et singulariter consistens, non annexum ullis patroni bonis, quia tale juspatronatus, cum defectu jurisdictionis nequeat confiscari per Judicem Laicum, manet penes delinquentem, donec per sententiam judicis ecclesiastici eo privetur tanquam indignus, et tunc ecclesia fit libera. Barbosa in cit. cap. *Ex*

Digitized by Google

litteris, num. 10, et cit. lib. III, cap. 12, num. 9, 239. Abbas in cap. *Cum Laici* 10, De jurepatr., n. 2. Azorius part. 2, lib. VI, cap. 20, q. 14. Pirhing loc. cit., num. 57. Silvester verb. *Juspatronat.*, qu. 5, dist. 6. Garcias De benefic., part. 5, cap. 9, num. 26, et sequent., et alii passim. (21. Imo, secundum multos, neque juspatronatus reale, seu annexum bonis transit ad fiscum laicale ex confiscatione talium bonorum; sed tunc ecclesia libertatem acquirit. Ita Cardin. in Clementin. *Plures*, De jurepatronat., n. 8. Imola in Clementin. *Pastoralis*, De re judicat., num. 71 et seq. Joan. de Anania in cap. *Vergentis*, De hæreticis, num. 6. Lambertin., De jurepatronat., lib. III, qu. 8, art. 8, n. 16 et 22. Simancha in catholic. Instit., tit. 5, n. 95. Rota part. 1, recent. decis. 53, n. 5. Et hanc Rota part. 5, tom. I, decis. 336, n. 17, dicit esse opinionem magis communem, quam tenet ipsa Rota, quia juspatronatus tanquam quid spirituale non venit in confiscatione facta a judice laico. Rota cit. decis. 336, n. 17, ubi citat plures alias Rotæ decisiones, Glossam et alios doctores, et ibid., num. 16, cum Roch. de Curte, dicit esse etiam opinionem æquiorem.

(22. In translatione jurispatronatus cum universitate bonorum, seu cum specialibus aliquibus bonis, ut cum claustro, villa, pago, quibus ipsum juspatronatus est inseparabiliter annexum, non requiritur consensus episcopi, arg. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus cum similibus, Barbosa De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 71, num. 10. Vivian. in Praxi jurispatronat., part. 1, lib. IV, cap. 1, num. 2. Piasecius part. 2, cap. 15, art. 1, num. 44, et communis aliorum. (23. Requiritur autem consensus episcopi quando juspatronatus de per se sine ulla hæreditate transfertur in laicum, seu clericum nomine proprio, v. g. per legatum in testamento relictum, arg. cap. *Si Laicus*, unic. De jurepatronat., in 6, a sensu contrario, et communis doctorum cum Barbosa loc. cit., num. 12. Tunc enim, antequam consensus episcopi accedat, juspatronatus existit penes hæredem, quia per solam dispositionem laici non potest hujusmodi jus de per se in alium laicum, seu clericum nomine proprio, et non nomine ecclesiæ transferri, cum jura tantum permittant, ut juspatronatus transferatur in filios vel hæredes, non autem in legatarios, cap. *Filiis* 32, caus. 16, quæst. 7. Abbas in cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronatus, num. 6. Joan. Andr. ibid., num. 2. Pirhing loc. cit., num. 58. Azorius loc. cit., qu. 10. Silvester loc. cit. qu. 4, dicto 6, et alii communiter. (24. Non requiritur tamen consensus episcopi, quando juspatronatus etiam de per se transfertur in ecclesiam, seu locum religiosum, vel in clericum nomine ecclesiæ; cap. *Illud* 8, De jurepatronatus, et cap. *Si Laicus* unic. cod. in 6, et communis doctorum cum Barbosa l. c., n. 11. Pirhing l. c., n. 58. Sanchez Consil. Moral., lib. II, c. 3, disp. 76, n. 3.

(25. Secundo modo juspatronatus transit de uno in alium per donationem. Glossa communiter recepta in c. *Piæ mentis* 26, caus. 16, qu. 7, et in c. *Cum sæcul.* 13, De jurepatronatus; et est textus in c. *Ex insinuatione* 14, et c. *Nullus* 17, De Jurepatronatus. (26. Jurispatronatus donatio, si fiat de laico in laicum, seu in clericum nomine proprio, et non nomine ecclesiæ, seu dignitatis, quam obtinet, requirit necessario episcopi consensum, arg. c. *Si laicus* unic. De jurepatr. in 6, a sensu contrario; et tenent Abbas in c. *Illud* 8, De jurep., n. 5. Barbosa ib., n. 2, et part. 3. De offic. et potest. episc., alleg, 71, n. 23. Pirhing loc cit., num. 61, et alii communiter. (27. Si autem donatio per patronum etiam laicum fiat ecclesiæ, monasterio, aut alteri loco pio, seu etiam clerico nomine ecclesiæ vel dignitatis, quam obtinet, episcopi consensus non requiritur. Communis textu expresso in cap. *Illud* 8, *de jurepatronatus, et cap. Si Laicus* unic. eod. in 6. (28. Si vero donatio fiat ab Ecclesia alteri ecclesiæ, requiritur dictus episcopi consensus, quia sine illo ecclesia alienari non potest, cap. *Sine exceptione* 52, caus. 12, qu. 2. Barbosa cit. allegat. 71, num. 26, et alii. (29. Et si talis donatio ab ecclesia fiat laico, requiritur Beneplacitum Apostolicum. Rota part. 2, dec. 146, num. 6, et par. 5, tom. I, dec. 191, num. 8, arg. Extravagant. *Ambitiosæ*, De rebus eccles. non alienand. (30 Consensus episcopi necessarius non est in donatione, qua unus patronus alteri patrono socio, seu compatrono jus suum donat, remittit, seu renuntiat. Rota part. 1, recent. dec. 707, n. 4, part. 5, tom. I, dec. 191, num. 5, et decis. 225, num. 9, par. 7, decis. 101, n. 1, par. 10, dec. 238, num. 8. Barbosa cit. allegat. 71, num. 18, cum plurimis aliis ibi citatis. Reiffenstuel lib. III Decret., tit. 38, n. 26, ubi dicit esse communem, arg. Clement. *Plures* 2, De jurepatronatus, et ibi Glossa verb. *Libere*. (31. Non potest tamen sine consensu episcopi tale juspatronatus donari filio compatroni, quia filius in vita patris, qui est patronus, non reputatur compatronus. Card. Pereira De resolut. emphyt., c. 6, n. 3, et De potest. eligendi, cap. 1, num. 24. Barbosa cit. alleg. 71, num. 29, et alii.

(32 Consensus episcopi, licet requiratur in donatione particulari, non requiritur tamen in donatione universali omnium bonorum, Rota part. 6, recent. dec. 208, num. 12 et sequent. Annotat. ad decis. 46, a n. 121 usque ad n. 125, part. 9, tom. I, et decis. 73, n. 30, par. 11. (33. Imo juspatronatus venit sub generali donatione omnium bonorum, jurium et actionum. Rota part. 19, tom. I, decis. 181, n. 3. Etiamsi juspatronatus non fuerit expressum. Rota. part. 19, tom. II, decis. 615, n, 2, et neque in hoc casu requiritur consensus Episcopi. Rota part. 19, tom. I, decis. 181, n. 5, et ead. part. 9, tom. II, decis. 615, n. 2.

(34. Consensus episcopi, ubi requiritur in translatione jurispatronatus, debet esse expressus, nisi scienter translatio fuerit admissa ab ipso episcopo; Barbosa cit. alle-

Digitized by Google

71, n. 15, et alii passim. (35 Ubi requiritur consensus episcopi, ut in donatione particulari, si fiat sine ipso, donatio non valet; Rota part. 1, recent. decis. 311, n. 1, et decis. 576, n. 1, part. 2, dec. 157, n. 1, et decis. 637, num. 3, part 3, decis. 555, n. 1, et decis, 606, n. 2, et sæpe alibi. Et talis jurispatronatus donatio absque consensu episcopi facta est taliter penitus irrita, ut donans possit præsentare non obstante donatione a se facta; imo potest talis patronus cum consensu ordinarii alteri donare. Annot. ad decis. 46 a n. 46 usque ad 64, part. 9, tom. III. (36. Neque ad hunc effectum sufficit consensus vicarii generalis absque speciali mandato; Rota part. 1, recent. decis. 302, n. 3, part. 2, decis. 257, n. 1, et decis 337, n. 5, part. 8, decis. 224, n. 9 et 10, decis. 238, n. 2, et sæpe alibi; etiamsi episcopus fuerit absens; Rota part. 2, decis. 237, num. 5. (37. Consensus in translatione jurispatronatus debet esse episcopi illius diœcesis in qua sita est ecclesia; cap. *Cura pastoralis* 11, De jurepatronat. Barbosa cit. allegat. 71, num., 17, et alii passim. (38. Consensus, seu confirmatio episcopi non debet necessario intervenire in ipso actu donationis; Rota part. 17, decis. 80, num. 3, sed etiam postea, et quandocunque supervenire potest etiam post donationem; Rota part. 2, decis. 605, num. 3, part. 5, tom. I, decis. 191, num. 7, part. 11, decis. 73, num. 32, et part. 17, decis. 80, num. 2. Quinimo supervenire potest etiam post obitum ipsius donatoris in præjudicium ejus hæredis et habentium causam ab eo. Rotà part. 9, tom. II, decis. 430, num. 9. Quando nempe nullus adsit, cui fuerit interea Jus quæsitum; Rota part. 11, dec. 130, num. 18. Ita ut res sit integra, neque agatur de præjudicio alterius, quam ipsius donantis, ejusque hæredum; Rota part. 11, decis. 372, n. 26. Et sic doctores communiter.

(39. Donatio particularis jurispatronatus facta laico sine consensu, seu confirmatione ordinarii est revocabilis, cum facta sine ejus consensu seu confirmatione non valeat, ex quo nequeant laici præsumptione propria disponere de eo, quod est ecclesiastici juris ad textus apertos in cap. *Illud* 8. Nullus Laicus 17, et cap. *Suggestum* 20, De jurepatronatus. Rota par. 1, recent. dec. 31, num. 1, et dec. 576, num. 1, part. 2, decis. 257, num. 1, et decis. 337, num. 4, par. 3, dec. 606, n. 2, par. 9, tom. II, dec. 430, n. 2, part. 19, tom. II, dec. 630, n. 8, et novissime in Bonon. Parochialis 8 Februarii 1706, § Nullitas enim, coram Scotto. Lambertin. De jurepatronat., lib. 1, part. 2, qu. 6, art. 4, num. 2. Pitonius De controversiis patronorum, tom. I, allegat. 42, num. 3, et 22, et alii passim. Hinc talis donator potest cum consensu ordinarii alteri donare; Annot. ad dec. 46, a n. 56 usque ad 64, p. 9, tom. I, et communis doctorum.

(40. Est tamen valida et irrevocabilis in præjudicium donantis talis particularis jurispatronatus donatio sine consensu, seu confirmatione ordinarii, si facta sit cum juramento, promissione et pacto expresso de eam non revocando: Rota part. 17, recent. dec. 80, n. 5, et in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum apud Bertachin. Voto decis. 47, num. 14 et 39, et in Compostellana Parochialis 25 Junii 1696, § Quandoquidem, et 28 Junii 1697, § Non relevante, coram Priolo, et pluribus adductis Pignatell. tom. VI, consultat. 96, num. 12, 15, et sequentib., et judicatum fuit per Judices commissarios in voto impresso apud Saminiat. controv. 196, num. 43, et sequent. tom. II. Et Rota Maceraten. in una Maceraten. Beneficii 1 Junii 1721, § In nihilo § Quare, et § Sic etiam coram Tomano, Piton., loc. cit., n. 11, et 22, ubi addit se ita judicari obtinuisse in Sulmonen, seu Valven. Capellaniæ per sententiam A. C. Cencii lata sub die 2 Octobris 1714. Et ratio est, quia licet talis donatio sit de sua natura revocabilis ante consensum, seu confirmationem ordinarii ex dictis num. antecedenti, attamen per juramentum de eam non revocando evadit firma, et irrevocabilis in præjudicium ipsius donantis, cum in tali statu res non sit amplius integra, nec sit locus pœnitentiæ; Seraphin. De jurament. privileg., 139. Cyriac. controvers. 322, n. 33. Pignatell. loc. cit., n. 12, et sic alia præsentatio donantis contra suum juramentum non potest admitti per ordinarium ne fiat particeps ejus delicti confovendo ipsius perjurium; Rota part. 17, recent. dec. 80, a num. 5. Merlin. dec. 443, num. 4 et seq. Guttierez De juramento confirm., par. 3, cap. 14. Sporell. decis. 180, num. 1 et 16, usque ad 21. Rota Macerat. in una Macerat. Beneficii 1 Junii 1711, § Quare cum donatio, coram Tomano, impressa apud Pitonium loc. cit. Abhorrent enim Sacri Canones confoveri perjurium, cap. *Si vero* 8, De jurejurando, ibi: « Nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur », et concordant cap. *Verum* 15, et cap. *Mulieri* 38, eod. tit. De jurejurando, ac etiam jus Cæsareum in l. Si minori 1. Cod. Si adversus venditionem, et l. Ambiguitates 2. Cod. de indicta viduitate. Unde ante consensum ordinarii talis donatio in præjudicium donantis habet implicitum statum validitatis, usquequo seperveniat confirmatio episcopi, Rota Macerat. in cit. Macerat. Beneficii 1 Junii 1711, § In nihilo impressa apud Piton. loc. cit. Saminiat., controvers. 196, et alii passim.

(41. Neque a tali juramento potest ab ordinario absolvi dictus donator, donatorio seu parte non citata, cum absolutio sit in præjudicium tertii. Gales De oblig. can., q. 25, n. 3, et ibi Zach. n. 11. Cyriac. controv. 7, n. 14. Altimar. De nullit. rubr. 12, n. 92. Scop. ad Grat. dec. 165, n. 3. Rota Macerat. in d. Maceraten. Beneficii, § Nec ad præservandum cor. Tomano. Sperell. dec. 180, n. 60, ubi pluribus citatis testatur sic de stylo servari.

(42. Post consensum, seu confirmationem ordinarii talis jurispatronatus donatio est irrevocabilis, etiamsi non fuerit jurata: Rota

Digitized by Google

part. 7, recent. dec. 36, n. 5 et seq. Pitonius cit. allegat. 40, n. 22, ubi testatur, quod sic solet regulariter concludi, et sic tenent doctores communiter. Et ratio est, quia per confirmationem, seu decretum ordinarii evadit donatio inter vivos; Rota part. 19, rec. dec. 335, n. 15, quæ ex sola pœnitentia donatoris revocari non permittitur per text. in l. Possessionem 3. Cod de revocandis donationibus, cum donatio inter vivos irrevocabilis et immutabilis sit; l. Perfecta 4. Cod. de donationibus, quæ sub modo, et § Aliæ autem 2. Instit. de donationibus cum similibus; Rota cit. dec. 335, n. 9.

(43. Tertio modo, juspatronatus transit de uno in alium per permutationem, Glossa communiter recepta in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, q. 7, et in cap. *Cum sæculum* 13, de jurepatronatus, et ex textu in c. *Nemini* 40, caus. 16, q. 7. (44. Et quidem licite et valide, saltem accessorie, et per accidens permutari potest etiam pro rebus temporalibus, si nempe universitas bonorum, vel alia res temporalis, ut villa, castrum, et hujusmodi, cui juspatronatus est inseparabiliter annexum, permutatur cum aliis bonis temporalibus, dummodo hoc in æstimationem non veniat, ita ut ratione illius in permutatione res temporalis pretiosior, quam alia commutanda exigatur et detur. (45. Et talis permutatio potest fieri etiam sine consensu episcopi; contractus enim celebratur de solis temporalibus (ad quem contractum utique non requiritur consensus episcopi, ut de se patet) cum quibus juspatronatus, ut inseparabiliter annexum, accessorie transit; regula autem est, quod juspatronatus transeat cum re, cui est inseparabiliter annexum, etiam absque consensu episcopi, arg. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus, et notant, et tenent, ibi Abbas num. 1, Innocent. num. 2, Barbosa num. 3, Fagnan. num. 3, et alii communiter. (46. Nullatenus tamen neque cum consensu episcopi potest permutari juspatronatus de per se, et solitarie sumptum pro re temporali. Communis textu expresso in cap. *Quæsitum* 5, de rerum permutatione, addita ratione: « Quia circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet semper Simoniæ, » et in cap. *Exhibita* 9 cod., ibi: « Cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur. » Juspatronatus autem est annexum spirituali, textu expresso in c. *De jure* 16, de jurepatronatus, ibi: « Juspatronatus, quod est spirituali annexum. »

(47. Juspatronatus permutari potest cum alio jurepatronatu, aut alia re spirituali. Communis, arg. cit. cap. *Quæsitum* 5, de rerum permut., et cit. c. *Nemini* 40, caus. 16, quæst. 7. (48. Talis autem permutatio nequit fieri sine consensu episcopi, quia spiritualium permutatio in materia beneficiaria requirit episcopi consensum, seu auctoritatem; arg. cit. cap. *Quæsitum* 5, De rerum permut., Reiffenstuel lib. III Decret., tit. 36, num. 28. Pirhing ibid., num. 79. Zoesius ibid., num. 25, Silvester, verb. *Juspatronatus*, q. 5, et alii. (49. Barbosa tamen De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 71, n. 31, cum aliis ibi citatis dicit, quod consensus episcopi solum requiritur, si permutatione juspatronatus transferatur in laicum; secus vero si transferatur in ecclesiam aut in clericum nomine ecclesiæ. (50. Episcopi consensus pro tali permutatione requisitus non debet necessario intervenire in ipso actu permutationis, sed etiam postea, et quandocunque intervenire potest, etiam post permutationem, imo etiam post obitum permutantis. Barbosa loc. cit., n. 22. cum aliis ibi citatis, et faciunt proportionaliter decisiones Rotæ, pro donatione adductæ supra sub n. 38.

(51. Quarto modo, juspatronatus transit, seu transfertur de uno ad alium per venditionem. Glossa communiter recepta in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, q. 7, et in cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatron., et est textus in d. cap. *Cum sæculum*. (52. Hoc tamen non debet intelligi, quod juspatronatus per se, ac solitarie sumptum possit vendi, quia sic sumptum, nec licite, nec valide vendi potest, ut tenet communissima doctorum, textu expresso in cap. *De jure* 16, De jurepatronatus, addita ibi ratione: « Cum inconveniens sit vendi juspatronatus, quod est spirituali annexum. » (53. Imo vendens juspatronatus sic sumptum, si sit persona singularis, subjacet excommunicationi; si vero sit aliqua communitas, seu universitas, subjacet interdicto. concil. Trident. sess. 25, *De reformat.* cap. 9. (54. Et tam vendens, quam emens, etiamsi intervenerit consensus episcopi, ipso facto privati existunt tali jure patronatus; arg. cap. *Quia Clerici* 6, De jurepatronatus, et expresse conc. Trident. loc. cit., ibi: « Si secus fecerint, excommunicationis et interdicti pœnis subjiciuntur, et dicto jurepatronatus ipso jure privati existant. » Annot. ad dec. 46. Rotæ recent. n. 3 et seq., par. IX, tom. I. Barbosa in cit. cap. *Quia Clerici*, num. 2, et in Trident., loc. cit., num. 81, et De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 72, num. 35, et communis aliorum. (55. Nec talis venditor posset retinere pretium acceptum, ne ex iniquitate sua commodum reportet; arg. cap. *Intelleximus* 7. De judiciis, ibi: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare. » Sed tenetur illud restituere, non quidem emptori, utpote qui mala fide contra sacros canones emit, arg. cap. *De hoc* 11, De simonia, et l. Fundum, cod. de evict., sed ecclesiæ, cui per simoniam injuria fuit illata. Abbas in cap. *De jure* 16. De Jurepatr., num. 3. Barbosa ibid., num. 5. Lambert. De jurepatron., lib. I, par. 2, q. 5, art. 6. Vivian. in Praxi jurepatr., lib. IV, c. 5, n. 9, et alii.

(56. Quando vendens ratione illicitæ et invalidæ venditionis privatur jurepatronatus, tunc ecclesia patronata remanet libera, si unus tantum est patronus, vel plures quidem, sed omnes pro tali venditione delinquentes. Annot. ad dec. 46, num. 7, p. 9. Rotæ recent. tom. I. Barbosa Collectan. in cap. *Quia Clerici* 6, de jurepatronat., num. 2, et in Trid. sess. 25, *De reform.*, cap. 9, num. 81, cum pluribus ibi citatis. (57. Si autem plu-

Digitized by Google

res sint patroni, et unus solus, vel alter delinquat, tunc beneficium non remanet liberum, maxime si sit hæreditarium, sed juspatronatus competit aliis compatronis innocentibus, annot. ad d. decis. 46, n. 9. Cantera in suis qq. crimin. cap. 1, num. 50. Socinus Junior cons. 51, num. 6, vol. II. Peregr. De jure fisci, lib. v. tit. 1, num. 72. Bajard. ad Clar. lib. v, quæst. 79, num. 26. Sanchez in præcepta Decalogi, lib. II, c. 19, n. 17. Barbosa in conc. Trid., loc. cit., n. 81. Reiffenst. lib III Decretal., tit 38, num. 29, et alii. (58. Secus vero, si virtute, seu vigore fundationis ad aliquem devolveretur : siquidem tunc vendente tantum condemnato, si vacaret, pro ejus parte Ordinarius conferret, cit. Annot. ad d. dec. 46, num. 10, et supradicti doctores.

(59. Juspatronatus, quamvis nequeat vendi de per se principaliter, ac solitarie sumptum; potest tamen vendi per accidens, seu accessorie, uti si vendatur universitas bonorum, cui inseparabiliter est annexum juspatronatus; dummodo ratione illius non augeatur pretium. Communis; arg. cap. *Ex litteris* 7, et cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronat. Neque hoc casu requiritur consensus episcopi. Rota part. 7, rec. dec. 206, n. 28, part. 14, dec. 536, n. 183, et communis doctorum. (60. Secus autem quando translatio fit rerum particularium, et signanter jurispatronatus; tunc enim, non attenta tituli universitate requiritur consensus ordinarii. Rota part. 14, dec. 536, n. 184. (61. Juspatronatus accessorie, seu per accidens potest transferri in alium, non solum per venditionem universitatis bonorum, sed etiam per venditionem rei particularis, cui inseparabiliter sit annexum, dummodo ratione illius pretium non augeatur. Barbosa Collectan. in cap. *Ex litteris*, 7. De jurepat., n. 2, ubi dicit hoc clare colligi ex textu dicti cap. *Ex litteris*, Cardin. in c. *Cum sæculum* 13. De jurepatron., quæst. 5. Reiffenst. loc. cit., n. 31, ubi dicit hanc opinionem esse veriorem et juri conformiorem, et in hanc inclinant etiam multi alii. (62. Si enim fundator dicat : « Statuo, seu volo, quod juspatronatus semper inseparabiliter annexum sit huic palatio, huic domui, huic fundo, huic agro, et hujusmodi, ita ut in quemcunque transierit hoc palatium, hæc domus, hic fundus, hic ager, et hujusmodi, transeat etiam inseparabiliter juspatronatus, » videtur clarum, quod per venditionem et translationem talis palatii, talis domus, talis fundi, talis agri, et hujusmodi, transferatur et vendatur accessorie, et per accidens etiam ipsum juspatronatus inseparabiliter ipsi palatio, domui, etc., a fundatore annexum : quia, cum possit fundator in limine fundationis apponere conditiones et pacta sibi benevisa, etiamsi juri communi sint contraria, dummodo accedat episcopi consensus, ut tenet Rota part. 1, recent. dec. 530, n. 2, et communis canonistarum, ideo ejus voluntas est servanda. Rota par. 2, rec. dec. 254, n. 2, et aliter esset inutilis et ridicula ejus facultas sic disponendi et apponendi quascunque conditiones, et quæcunque pacta sibi benevisa, si non deberet ejus servari voluntas sic disponens; tum quia jura et rationes æque militant de tali re particulari ac de universitate bonorum, ut consideranti patet; et regula universalis, et illimitata ab ipsis etiam adversariis alibi illimitate sæpe posita, est, quod juspatronatus transeat cum re cui est inseparabiliter annexum; arg. cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatr. et universaliter accessorium sequatur naturam principalis; cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi : « Accessorium naturam sequi congruit principalis. » (63. Nec intervenit simonia, quia dum venditur res, in qua inest juspatronatus non venditur ipsum juspatronatus, sed illa res, cui inest, ut docet S. Thom. 2—2, q. 100, art 4. Abbas et Bero in cap. *de jure* in 16, de jurepatr., et alii plures, et Annotat. ad dec. 46, Rotæ p. 9, tom. I, n. 15.

(64. Plurimi tamen, et maximi doctores, ut Innocent. in cap. *Ex litteris* 7, jurepatron., num. 3, et ibid., Joan. Andr. n. 3. Hostiensis n. 7. Abbas n. 14, Fagnan. n. 19. Roch. de Curte in tractat. de jurepatron. in verb. *Ipse velis*, quæst. 20. Lambertin. in eodem tract. par. 2, lib. I, quæst. 5, art. 7, et plures alii citati a Covar. lib. I Variarum resol., cap. 13, n. 3, conclusionem limitant, dicendo, quod juspatronatus transeat quidem cum re particulari, cui est inseparabiliter annexum, si vendatur res particularis continens jura universitatis, cujusmodi secundum ipsos sunt civitas, castrum, oppidum, pagus, villa aut fundus, cui jura universitatis, aut jurisdictio, servitutes, onera, actiones, et hujusmodi, sunt annexa; non sic autem si vendatur res particularis talia jura universitatis non continens.

(65. Juspatronatus annexum castro, villæ et hujusmodi rei datæ in dotem, transit cum ipsa dote in maritum, ita ut, stante matrimonio, Jus præsentandi competat marito, et non uxori. Garcias De Benefic., part. 5, cap. 9, n. 137 et seq. Menochius cons. 66, n. 27. Mantica dec. 140, num. 2 et 13. Barbosa in cit. cap. *Ex litteris* 7, de jurepatr. n. 3, et De offic. et potest. episc., par. 3, alleg. 71, n. 38, cum plurimis ibi citatis, et fere communi aliorum contra Abbatem et Azorium. Et ratio est, quia juspatronatus transit eum re in illum, qui eam cum dominio directo, vel saltem utili acquirit; ut arg. cap. *Ex litteris* 7, De Jurepatr. et cap. *Cum Bertoldus* 18, De sententia et re judicata, tenet ex communi Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris*, n. 15. Sed maritus durante matrimonio, habet dominium saltem utile dotis; l. Dote ancillam, *C. De rei vindicat.*, cap. *Per vestras* 7, De donat. inter vir. et uxor., c. *Salubriter* 16, De usuris; ergo, etc.

(66. Juspatronatus annexum inseparabiliter castro, oppido, pago, palatio, prædio, et hujusmodi dato in feudum, seu emphyteusim, transit cum ipso in feudatarium seu emphyteutam; Communis, arg. cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronatus, et ibi Glossa verb. *Emptorum*; et ad hoc facit ratio allata supra n. 58. (67. Secus autem,

Digitized by Google

si tale castrum, oppidum, palatium, prædium, et hujusmodi, detur solum pro pignore, aut hypotheca, quia tunc juspatronatus non transit cum ipso castro, oppido et hujusmodi in creditorem habentem pignus, aut hypothecam, sed remanet apud debitorem, ita ut eveniente tali tempore vacantia beneficii patronati jus præsentandi competat debitori et non creditori; arg. cap. *Cum Bertoldus* 18. De sententia et re judicata, et tenet communis doctorum cum Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus, num. 16. Et ratio est, quia ad hoc, ut transeat juspatronatus cum aliqua re, requiritur omnino, quod ipsa res transeat quoad dominium directum, vel saltem utile; et non sufficit quod transeat solum quoad civilem, vel naturalem nudam possessionem, ut arg. cit. cap. *Ex litteris* 7. De jurepatron., et cit. cap. *Cum Bertoldus* 18, De sent. et re judicata, docet ex communi Fagnan. in d. cap. *Ex litteris*, num. 15. In creditorem autem habentem pignus non transit dominium pignoris, nec directum, nec utile, sed nuda ipsius possessio (nisi aliter conventum fuerit), et tenetur creditor fructus perceptos restituere, vel in sortem computare, et peccat utendo; cap *Cum contra* 6, De pignorib., cap. *Plures* 1, De usuris, et l. Sed an viæ, ff. de pignoribus, et l. Creditor, ff. De furt. adeoque juspatronatus, nec accessorie transit cum pignore seu hypotheca.

(68. Juspatronatus annexum rei concessæ ad firmam, seu locatæ ad longum tempus, v. gr. saltem ad decennium transit ad conductorem, ita ut eveniente vacatione beneficii tempore locationis et conductionis, jus præsentandi spectet ad conductorem, et non ad locantem. Communis cum Abbate in cit. cap. *Litteris* 7, De jurepatronatus n. 5. Barbosa ibid., num. 5. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, num. 76, arg. cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., et cap. *Vestra* 2. De locato et conducto. Et ratio est, quia per talem concessionem ad firmam, seu locationem ad longum tempus transit possessio, et omnis utilitas rei locatæ in conductorem, et consequenter etiam juspatronatus, seu ratio præsentandi, quæ est quædam commoditas et veluti fructus jurispatronatus. (69. Insuper secundum Barbosam in. cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 4, Glossam et alios ibi citatos, juspatronatus transit etiam in conductorem cum re locata, et conducta ad modicum, seu breve tempus, quia etiam per locationem ad modicum, seu breve tempus transit commoditas rei locatæ in conductorem, ita ut illi liceat uti et frui re conducta, ut habetur in leg. Ex conducto 16, ff. Locali. Ideoque videtur etiam transire in ipsum jus præsentandi, seu ipsam præsentationem, quæ est quædam commoditas, vel quidam fructus jurispatronatus juxta doctrinam Glossæ receptæ in c. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient., verb. *Capitulo*, et Glossa ult. in c. *Cum Bertoldus* 18, de sent. et re judicata.

(70. At vero, licet hæc sententia sit probabilis ut etiam censet Abbas in cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 5, et alii, tamen, ut fatetur ipsemet Barbosa loc. cit., num. 4, in fine, receptior est et melioribus nititur fundamentis sententia contraria, scilicet, quod juspatronatus non transeat ad conductorem cum re locata et conducta ad modicum et breve tempus, sed maneat penes locantem, quia tunc non transfertur utile dominium, nec possessio, sed nuda detentio rei, et jus percipiendi fructus, ut notatur in l. Si certum, § Si duobus, ff. Commodat. et in l. III, § Ex contrario ff. De acquirend. possess. cum colonus conductus ad modicum et breve tempus non suo, sed domini locantis nomine possideat rem locatam; l. II, De præscript., 30, vel 40. annor. Abbas in cit. cap. *Ex litteris*, num. 5. Fagnan. ibid., n. 14. Bero ibid., n. 2. Cardin. in Clement. 1, § Verum, in 2, qu. De rebus eccles. non alienand. Azorius p. 2, l. VI, c. 20, q. 11. Pirhing l. III Decretal., tit. 38, n. 76, et alii plures citati a Barbosa l. c., n. 4, in principio.

(71. Juspatronatus amittitur, et penitus exstinguitur variis modis, sive causis. Primo, juspatronatus cessat et omnino amittitur, si ecclesia patronata sine spe reædificationis totaliter destruatur, vel redditus omnino deficiant et pereant. Communis, arg. c. § fin. Inst. de usufructu. Rei enim non existentis nullæ sunt qualitates; cap. *Ad dissolvendum* 13, De desponsat. impuber., l. Si non obtulit 4, § Condemnatum, ff. De re judicata. (72. Secundo, quando causa, propter quam quis erat patronus, perempta est; Lambertin. De jurepatron. lib. III, q. 6, art. 1. Barbosa l. III, Juris ecclesiast. univers., cap. 12, num. 254, et alii passim. (73. Tertio, deficiente et penitus exstincta linea vocatorum ad tale juspatronatus, tunc enim ecclesia seu beneficium libertatem consequitur, et libere ab ordinario confertur. Barbosa loc. cit., n. 154. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, n. 138. Reiffenst. ibid. num. 125. Engel. ibid., num. 26, et alii communiter. (74. Quarto, per non usum longissimi, vel longi temporis ad præscriptionem requisiti, si videlicet interea duabus saltem vicibus rector ecclesiæ fuerit absque præsentatione institutus, dummodo tamen patronus non fuerit legitime impeditus. Abbas cons. 106, col. penult. l. II, Barbosa l. c., Pirhing l. c. Reiffenst. l. c., et communis aliorum. (75. Quinto, si patronus patiatur ecclesiam patronatam erigi in collegiatam seu monasterium, quia in his præsentatio aliqua locum non habet, sed electio; cap. *Nobis* 25, De jurepatron., et sic tenet communis cum supracitatis. (76. Sexto, si ecclesia patronata cum consensu patroni alteri ecclesiæ, vel monasterio, sine reservatione jurispatronatus uniatur, vel incorporetur; quia per talem unionem, seu incorporationem censetur ecclesia exstincta, et consequenter etiam juspatronatus in illa competens patrono. Pirhing l. c., Reiffenst. l. c. Zoesius tit. De jurepatronat., n. 68. Joan. And. in cap. 2, De religiosis domibus,

Digitized by Google

et alii. (77. Septimo extinguitur per liberam remissionem patroni; quilibet enim renuntiare potest juri suo; cap. *Si diligenti* 12, De foro competent., etc. Si de terra 6, De privileg., et tenet Zoesius loc. cit. Pirhing l. c., et alii; arg. c. *Si Laicus*, unic. De jurepatron., in 6. (78. Octavo, si patronus rectorem, vel alium clericum ipsius ecclesiæ per se vel per alios occiderit, aut mutilaverit, eo ipso juspatronatus amittit, textu expresso in cap. *In quibusdam* 12, § Sacris, de pœnis. Nisi tamen id faceret ad sui necessariam defensionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et tale juspatronatus ob hanc delicti causam exstinctum non transit ad hæredes, sed ecclesia fit libera. Glossa in cit. cap. *In quibusdam*, verb. *Prorsus amittant*, Barbosa loc. cit., Pirhing loc. cit., Reiffenst. l. cit., Vivian. in Praxi jurispatronat., lib. xv, cap. 2, n. 10, et alii. (79. Nono, si patronus fiat hæreticus, schismaticus, aut apostata, seu hæreticorum receptator, fautor et defensor, quia in tali casu bonis omnibus spoliatur, et consequenter etiam jurepatronatus eis annexo; arg. cap. *Absolutos* 16, De hæreticis. Moneta De Commut. ult. volunt. cap. 11. n. 158. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 2, n. 6. Barbosa loc. cit. Engel loc. cit. Pirhing loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. (80. Decimo, si patronus se ingerat in perceptione fructuum beneficii patronati, aut ejus bona usurpet, in tali enim casu ipso facto privatur jurepatronatus, et incurrit excommunicationem reservatam, textu expresso in concil. Trid., sess. 22, *De reform.* cap. 11. Vivian loc. cit., lib. xv, cap. 1, n. 13. Franciscus Leo in Thesauro fori ecclesiastici, p. 2, c. 2, c. 21, n. 32. Barbosa loc. cit., Reiffenst. loc. cit., et alii. (81. Undecimo, si patronus modo a sacris canonibus prohibito vendat, aut alio modo in alium transferat juspatronatus, quia in tali casu ipso facto privatur jurepatronatus, et excommunicationi subjicitur, textu expresso in concil. Trid., sess. 25, *De reform.*, cap. 9, § Nec dictum juspatronatus, Engel, loc. cit., Reiffenstuel. loc. cit., et alii. (82. Duodecimo, jurepatronatus privandus est, qui illud simoniace acquisivit; arg. cap. *Quia clerici* 6, De jurepatronatus, Zoesius loc. cit., Pirhing loc. cit., Reiffenst. loc. cit., et alii. (83. Tertiodecimo, si patronus ingratus sit ecclesiæ, perdit juspatronatus. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 2, num. 4. Barbosa loc. cit. Surd. De aliment., tit. 7, quæst. 32, n. 9 et 19, et qu. 58, n. 2, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Disserit hoc in articulo Auctor de modis derivativis, quibus acquiritur juspatronatus, tum de modis quibus amittitur.

(84. Agens Auctor de successione, qui est unus de modis derivativis, asserit n. 7, plures hæredes pro inæqualibus partibus institutos æqualiter in juspatronatus succedere. At si intelligit de exercitio juspatronatus, res haud caret difficultate; dum illud juxta hæreditarias partes dividatur. Confer Gagliard. De jurepatronat., cap. 10, n. 4.

(85. Quod, inquit Auctor, n. 9, conventiones, in quibus jus præsentandi per turnum dividitur, opus haud habere consensu ordinarii, accuratiori indiget discussione. Porro si conventio hæc sit inita inter eos, quorum aliquis nullam prorsus partem juris-patronatus habeat, necessarius ad ejus validitatem est consensus ordinarii, isque non ratione juris præsentandi per turnum, sed alienationis in extraneum; Rot. in Mediolanen. Juspatronatus 4 Junii 1734, cor. bon. mem. Harrac.

(86. Quod si inita sit dicta conventio inter patronos, sed sit inter eos aliquis qui alienare quoquomodo prohibeatur, ut est patronus ecclesiasticus, opus est ad ejus validitatem, ratione dictæ prohibitionis, confirmatione pontificia; Rota in Paderbornen. Canonicatus 25 Junii 1726, cor. bon. mem. Cer.

(87. Si inita sit dicta conventio inter patronos quorum nemo alienare prohibetur, sed patronis in suo cuique turno adjectum sit onus præsentandi has vel illas personas, ratione hujusce oneris ad illius validitatem accedere pariter debet pontificia confirmatio; Rot. in Valentina Beneficii 28 Junii 1723, cor. bon. mem. Gamach.

(88. At si dicta conventio intersit inter patronos, nec aliquis de ipsis alienare sit prohibitus, nec onus iis sit adjectum præsentandi aliquem de certo genere personarum, subsistit sine ulla ecclesiastici superioris auctoritate; Rota cor. Dunozet. Jun. dec. 702, n. 1, et in Compostellana Parochialis 22 Febr. 1734, « Ubi vero, cor. Eminentiss. Crescentio.

(89. Utrum ad firmitatem dictæ conventionis requiratur consensus omnium patronorum, an sufficiat consensus majoris partis ipsorum, non incongrua quæstio est. Requiri consensum omnium patronorum videntur affirmare Piton. De controv. Patron., allegat 100, n. 318. Rota in Pistorien. Beneficii 1716, § Alia cor. bon. mem. Cerr.

(90. At ita intelligas, ut possit dictam conventionem impugnare patronus, qui non consensit, non item aliqui de patronis, qui suum præstiterunt consensum, quibusque propterea vetitum esse debet factum proprium impugnare; Rota in Hydruntina Capellaniæ 10 Maii 1679, § final. cor. bon. mem. dell' Olmo, et Barchinonen. Beneficii 22 Februarii 1704. § final. cor. bon. mem. Cafarell.

(91. Quænam requirantur, ut hæc conventio afficere possit ex persona propria vocatos ad juspatronatus, vide apud Piton. De controv. patron., alleg. 71, n. 15.

(92. Nec inutile est hic accuratius explicare, an et quando, re non integra, possit necne supervenire consensus ordinarii, et validare actum, in quo fuit translatum juspatronatus. Plures vero distinguendi sunt casus. Enimvero ubi agitur de donatione simplici jurispatronatus inutilis est consensus ordinarii superveniens, re nondum integra; idque quia, non obstante hu-

Digitized by Google

jusmodi donatione, liberum erat donanti ab ea resilire, et ad alios juspatronatus transferre; Rot. in Pennen. Jurispatronatus 2 Maii 1733, § 7, et seq. et in confirmatoria 3 Julii 1744, § 4, cor. clar. mem. Millin.

(93. Aliter se res habet quoad donationem jurispatronatus continentem pactum juratum de non revocando. Etenim cum hujusmodi donatio irrevocabilis maneat quoad donantem, etiam ante consensum ordinarii; inde fit quod subsequens translatio, utpote irrita ex defectu potestatis, nullum præbere valeat impedimentum consensui ordinarii, qui, quandocunque supervenerit, validat actum usque ab initio; Rot. in Aquilana Beneficii 28 Junii 1749, § 3, cor. Rever. P. D. Canilliac. Decano, et in Compostellana parochialis de Coiros 8 Maii 1747, § 7, decis. coram illustr. Clement. inter impressas Romæ 1781, apud Barbiellini ad Minervam.

(94. Quod in donatione jurispatronatus, continente pactum juratum de non revocando, obtinet, id ex identitate rationis locum quoque sibi vindicat in dispositione ejusdem jurispatronatus facta per legatum. Nam cum hæres nullatenus ex se impedire valeat, quominus adimpleatur voluntas testatoris favore alterius de suo jurepatronatus disponentis; imo illam modis omnibus ad optatum finem perducere teneatur: hinc est quod, si ipse hæres contra fas et jura voluntatem defuncti eludat, donando ante consensum ordinarii juspatronatus, nullum ex hujusmodi irrita donatione oriri potest obstaculum supervenienti consensui ordinarii, qui propterea indistincte retrotrahitur ad diem factæ dispositionis in præjudicium cujuslibet actus interim gesti Rot.; in Tuden. parochialis de Teuton. 20 Junii 1757, § 13, et in confirmatoria 28 Novembris 1757, § 12, cor. R. P. D. Herreros.

ARTICULUS III.

Juspatronus, quoad ea quæ concernunt ejus probationem.

SUMMARIUM.

1. Alleganti juspatronatus incumbit onus illud probandi: Et quomodo probari debeat in personis suspectis vel non suspectis de usurpatione, et quæ sint personæ suspectæ: ad num. 3. — 4. Ad hoc ut juspatronatus præsumatur acquisitum ex usurpatione, quid probari debeat; ad num. 8. — 9. Jurispatronatus usurpatio in quibus præsumi possit: ad num. 12. — 13. Præsumptio usurpationis jurispatronatus quando cesset: ad num. 22. — 23. Assignantur personæ privatæ, et non suspectæ de usurpatione jurispatronatus; et quid requiratur ad patronatum probandum in prædictis personis: ad num. 26. — 27. Juspatronatus in personis potentibus quomodo probari debeat: et an requiratur scriptura authentica, et quæ sit talis scriptura: ad num. 30. — 31. Ad hoc ut scripturæ et instrumenta dicantur authentica, quid requiratur: ad num. 32. — 33. Scripturæ authenticæ ad probandum juspatronatus personæ suspectæ de usurpatione, quæ censeantur: ad num. 35. — 36. Præsentationes per authenticas scripturas probandæ, an et quomodo esse debeant continuatæ: ad num. 42. — 43. Juspatronatus in personis privatis non requirit tam plenam probationem sicuti in personis potentibus. — 44. Assignantur et explicantur varii modi, quibus probatur juspatronatus in personis privatis, ubi plura alia scitu digna ad rem obiter afferuntur, ad num 81. — 82. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad num. 86.

(1. Cum beneficia præsumantur libera, alleganti juspatronatus incumbit onus illud probandi. Rota recent. p. 4, tom. II, dec. 59, n. 9. (2. Alio autem modo probari debet juspatronatus a personis suspectis de usurpatione, in quibus exactiores probationes requiruntur. Conc. Trid. sess. 25 *De reform.*, cap. 9. Rota recent. par. 4, tom. II, dec. 59, n. 11. Et alio modo a personis privatis, in quibus conc. Trid. loc. cit. nihil innovavit circa hujusmodi probationem, sed illam reliquit in terminis juris communis; Rota p. 1, dec. 211, n. 2, et dec. 312, num. 2, part. 5, tom. I, dec. 290, num. 10, part. 12, dec. 162, num. 4, part. 17, dec. 220, num. 11.

(3. Personæ suspectæ de usurpatione jurispatronatus sunt omnes domini civitatum, castrorum, aut locorum, duces, principes, marchiones, comites, barones, universitates, seu communitates, et alii quilibet domini perpetuam jurisdictionem habentes in loco beneficii. Sic declarasse sacram congregationem concilii refert Gonzalez ad Regul. 8, Cancell. gloss. 18, n. 66, et sæpe sæpius tenuit Rota, et signanter in Sorana jurispatronatus 28 Aprilis 1603, coram Card. Pamphil. et in alia Jacen. parochialis 17 Junii 1603, coram eodem, et in Lucana jurispatronatus 14 Junii 1621, cor. Coccino, et par. 2, rec. dec. 412, num. 4, et decis. 421, n. 1, part. 12, dec. 187, n. 1, part. 14, dec. 488, num. 6, 7 et 8. (4. Nec juspatronatus præsumitur acquisitum ex usurpatione ex sola potentia acquirentium, nisi etiam probetur eorumdem temporalis jurisdictio in loco ubi situm est beneficium; Rota part. 3, recent. dec. 172, n. 10, et decis. 191, n. 2, part. 12, dec. 187, n. 1, et sæpe alibi. (5. Ita ut jurisdictio seu potentia extra locum beneficii non sufficiat; Rota part. 5, rec. tom. I, decis. 197, n. 37 et 38. Nisi potentia sit talis quæ influat etiam in locum beneficii; Rota part. 7, rec. dec. 282, n. 22, et sequent. par. 12, dec. 90, n. 26. (6. Cæterum usurpatio non præsumitur in personis privatis alicujus loci, quamvis sint potentes in alio; Rota part. 12, dec. 90, n. 24. (7. Imo, ut usurpatio suspicari valeat de familia, requiritur quod eadem familia sit in loco beneficii cum tali jurisdictione quæ incutiat formidinem ordinario, eumque retrahat a vindicanda usurpatione beneficii; Rota part. 19, tom. II, decis. 539, n. 6. (8. Neque ad hunc effectum potentia inducitur ex nobilitate et antiquitate familiæ; Rota part. 12, decis. 90, n. 21 et 22.

(9. Jurispatronatus usurpatio non solum præsumitur in dominis temporalibus et familiis potentibus, ut supra; sed etiam in universitatibus seu communitatibus; Conc. Trid., cit. sess. 25, *De reform.*, cap. 9, ibi: « Seu communitatibus vel universitatibus » Rota part. 5, rec. tom. I, dec. 197, n. 31 et 32, et

Digitized by Google

part. 17, dec. 220, n. 9, par. 18, tom. II, dec. 768, n. 4, et sæpe alibi. (10. Et hoc procedit etiam in universitatibus seu communitatibus parvis, ut declaravit sacra congregatio concilii relata, et secuta a Rota par. 5, recen. tom. II, dec. 477, num. 14, et tenuit eadem Rota coram Mantica dec. 253, n. 3, et in Herden. Beneficii 11 Mart. 1596, coram Penia, et in Cremonen. capellaniæ 2 Aprilis 1601, coram Coccino, ac alias sæpe, et cum plurimis tenet Barbosa lib. III Juris Ecclesiastici univers. capit 12, num. 144, et part. 3 De offic. et potest. episcop., allegat. 72, n. 62, et in Trid. sess. 25 *De reformat.*, cap. 9, n. 50. (11. Imo hoc itidem procedit in universitatibus seu communitatibus parvis, quæ nullam jurisdictionem, seu imperium habent in loco beneficii; Rota part. 5, tom. II, dec. 477, num. 14, part. 9, tom. I, dec. 245, n. 6, part. 11, dec. 347, num. 14, part. 12, dec. 279, num. 3, et sic consuevit declarare sacra Congregatio apud Rotam pag. 5, tom. I, dec. 97, num. 36, et cum pluribus tenet Barbosa cit. allegat. 72, num. 32, et cit. cap. 12, n. 144 et sequent. (12. Etiamsi essent universitates et communitates paucorum parochianorum; Rota cit. part. 5, tom. I, decis. 197, num. 36, ubi citat varias alias Rotæ decisiones. Barbosa cum pluribus aliis cit allegat. 72, num. 32, et cit. cap. 12, n. 144 et 145.

(13. Cessat autem præsumptio usurpationis in confraternitate, seu congregatione personarum quæ nullam habent jurisdictionem, aut publicam auctoritatem aut potentiam; Rota part. 5, tom. I, decis. 290, n. 3 et 18, part. 9, tom. II, decis. 321, n. 10. (14. Item cessat præsumptio usurpationis, quando juspatronatus spectat ad præsidentes confraternitatis, etiamsi ipsi eligantur a communitate; Rota ibidem num. 22. Barbosa cit. allegat. 72, num. 64, et cit. cap. 12, n. 149. (15. Item juspatronatus non præsumitur acquisitum ex usurpatione, si non totius universitatis, sed illius partis esse prætendatur. Sic decisum fuisse a sacra cong. Concilii referunt Gonzales ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 18, num. 69. Barbosa cit. allegat. 72, num. 64, et in concil. Trid., cit. sess. 25, cap. 9, n. 51. (16. Item juspatronatus non præsumitur ex usurpatione, quando una illius pars spectat ad universitatem parochianorum, et alia ad alias privatas personas; Rota in una Aurien. parochialis 5 Decembris 1605, coram Manzanendo, et in Fesulana juspatronatus 8 Februarii 1610, coram Cavalerio, quæ est decisio 210 primæ partis recentior. num. 2. Barbosa in concil. Trident., loc. cit., num. 56.

(17. Cessat quoque præsumptio usurpationis, si privata persona seu familia habeat juspatronatus simul cum familia potenti vel universitate; Rota in Firmana altaris de Doriis 15 Februarii 1610, coram cardinal. Marquemont. et part. 2, recent. decis. 154, sub n. 7, et part. 17, tom. II, dec. 768, n. 6; Menoch. De præsumpt., lib III, consil. 99, num. 15 et 16, et consil. 654. Barbosa in concil. Trident., loc. cit., num. 53, et cit. cap. 12, num. 174. (18. Item cessat præsumptio usurpationis, quando communitas seu universitas possidet juspatronatus simul cum persona non suspecta; Rota in Lauden. jurispatronatus 28 Junii 1630, coram Pirovano; Barbosa in concil. Trid., loc. cit., n. 54, et cit. allegat. 72, n. 64, et cit. cap. 12, n. 148. (19. Item cessat præsumptio usurpationis jurispatron. si sit mixtum septem officialium laicorum nomine universitatis laicalis, et trium ecclesiasticorum privato nomine præsentantium ratione mixturæ et favore ecclesiæ. Barbosa in concil. Trident., loc. cit., num. 52; Scilius in Select. canonic. cap. 27, num. 4, ubi referunt decisum in Pampilonem 3 Augusti 1620. (20. Item cessat præsumptio usurpationis in jurepatronatus competente collegio juristarum; Rota part. 9, recent. tom. II, decis. 32, num. 12, part. 12, decis. 176, num. 4. (21. Item cessat præsumptio usurpationis in ecclesia seu monasterio; Rota part. 10, recent. decis. 322, num. 10; etiamsi ecclesia sit domina castri, aut jurisdictionis temporalis; ipsa enim est justitiæ cultrix. Rota part 5, tom. I, decis. 401, n. 7, et seq. ubi refert alias decisiones, Barbosa cit. allegat. 72, sub n. 64, et cit. cap. 12, num. 253, ubi refert alias Rotæ decisiones. (22. Item usurpatio juris-patronatus non præsumitur in abbate jurisdictionem temporalem habente. Sacra congr. Concil. in Sublacensi jurispatronatus 12 Septembris 1621. Rota cit. part. tom. I, decis. 401, n. 10, Barbosa cit. allegat. 72, n. 64, et cit. c. 12, n. 153, et cit. sess. 25, c. 9, n. 45, et in Summa apostolic. decis. verb. *Usurpatio jurispatronatus* n. 4, ubi citat Rotæ decisionem.

(23. Personæ privatæ et non suspectæ de usurpatione jurispatronatus, sunt patroni illi qui non sunt domini temporales loci ubi fundatum est juspatronatus. Rota in Papien. jurispatronatus 17 Februarii 1611, coram Manzanedo, Barbosa De offic. et potest episcop., cit. alleg. 72, n. 66, et in concil. Triden., cit. sess. 25, cap. 9, n. 45. (24. Unde juspatronatus talium personarum privatarum non admittit præsumptionem usurpationis, Rota in Tuden. parochialis 7 Novemb. 1611, coram Ubaldo, et part. 12, recent. decis. 90, n. 1. Barbosa cit. alleg. 72, n. 66. (25. Hinc ad probandum tale juspatronatus personarum privatarum non requiritur rigor a concilio Trident. præscriptus in cit. sess. 25, *De reform.* cap. 9, sed pertinentia talis jurispatronatus satis probatur ex probationibus sufficientibus de jure communi; Rota part. 4, tom. II, decis. 275, num; 1, et doctores communiter. (26. Item rigor concilii Tridentini in probando jurepatronatu non requiritur, si agatur non contra ecclesiam seu libertatem beneficii, sed solum inter ipsosmet patronos; Gonzalez ad Regul 8. Cancellar. gloss. 19, n. 59. Piasec. in Praxi nova episcop., part. 2, cap. 5, n. 7, vers. *Non tamen.*, Barbosa lib. III, Juris ecclesiastic. univers., cap. 12, n. 149 et part. 3, De offic. et potest. episcop.

Digitized by Google

alleg. 72, num. 67, ubi adducit decisiones Rotæ.

(27. Juspatronatus in personis potentibus seu alias de usurpatione suspectis debet probari ex vero titulo fundationis vel dotationis, quæ ex authentico documento ostendatur, vel ex immemoriali cum præsentationibus continuatis spatio quinquaginta annorum, quæ omnes effectum sortitæ sint et authenticis scripturis probentur, et aliter facta probatio non suffragatur. Sacr. congr. Concil. apud Rotam in Sorana jurispatronatus 28 Aprilis 1603, coram cardinal. Pamphil. senior., et sæpius Rota recent. et signanter p. 1, decis. 481, num. 2, part. 5, t. II, decis. 275, num. 2 et 3, et clare concil. Tridentinum sess. 25, *De reform.* cap. 9.

(28. Jurispatronatus fundatio et dotatio ubi est probanda in personis suspectis de usurpatione, tunc concilium Trid. d. cap. 9 requirens authenticum instrumentum intelligitur per authenticas scripturas tantum, et non sufficiunt testes, præsumptiones, et probationes a jure: sac. congr. Conc. in Panormitana 19 Februarii 1633, teste Bonfadin. apud Barbosam in Summa apostolicar. decisionum, verbo *Juspatronatus*, n. 11.

(29. Unde juspatronatus in personis potentibus et suspectis de usurpatione non probatur ex enuntiativis antiquis cum quasi possessione præsentandi, quia observanda est forma tradita a concilio Trident. d. cap. 9, et æquipollens non sufficit; sac. congr. Conc. teste Rota, in Jacen. parochialis 27 Junii 1603, coram card. Pamphilio senior. et sic tenuit sæpius Rota recent., et signanter, p. 4, tom. II, decis. 27, n. 16, part. 5, tom. I, decis. 197, n. 62 et 63, part. 16, decis. 182, num. 12.

(30. Scriptura authentica ad probandum juspatronatus censetur bulla episcopi, seu consensus in scripto datus ad fundandum, construendum, seu dotandum. Vivian. in Prax. jurispatronatus part. 2, lib. XI, c. 5, n. 12. Piasec. in Praxi episcop. part. 2, c. 5, n. 6. Barbosa l. III. juris eccles. univers., cap. 12, n. 118, et in Tridentin, sess. 25, cap. 9, n. 62, et part. 3, De offic. et potest. episc., allegat. 72, n. 24, cum aliis ibi citatis.

(31. Scriptura, ut dicatur authentica, debet continere omnia requisita a jure, tam in confectione quam in extractione.; Aloysius Riccius in Praxi rerum fori eccles. resolut. 126, in 2. edit. Garcias De benefic. part. 5, cap. 9, n. 8. Barbosa cit. cap. 12, n. 119, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 62, et cit. allegat. 72, n. 27. (32. Instrumentum regulariter, ut dicatur authenticum, non solum debet confici cum debitis requisitis ex dispositione juris communis, sed etiam intervenire debent solemnitates juris municipalis: Barbosa cit. c. 13 Juris eccles. univers., n. 119, cum Riccio ibi cit., et aliis. (33. Scripturæ authenticæ ad probandum juspatronatus personæ suspectæ de usurpatione censentur ipsæ testium attestationes in antiqua acta redactæ, et in archivio publico repertæ: Rota decis. 542 et 580, part. 4, divers. Menoch. consil. 336, num. 23. Moneta De commut. ultim. voluntat., cap. 10, n. 210; Vivian. cit. cap. 5, num. 18. Barbosa cit. cap. 12, num. 121, et cit. alleg. 72, num. 26, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 63, cum aliis ibi citatis.

(34. Non sufficiunt tamen testium attestationes etiam in instrumenta et in scripturas authenticas redactæ, si non fuerint confectæ in actu ipso præsentationis, et cadant super ipsis præsentationibus primario et directe, quia alias redderetur elusoria dispositio concilii quæ rejicit testes; nam sequeretur semper posse admitti probationes factas per testes, quoties redigerentur in instrumenta et in scripturas authenticas, quia hoc etiam posset dici probatio per scripturas authenticas; Rota in Terracinensi jurispatronatus 10 Aprilis 1628, coram Merlino, Barbosa cit. cap. 12, num. 124, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 65, et alii. (35. Nec etiam ad authenticam probationem jurispatronatus sufficeret, si prætendatur authenticas scripturas deperditas fuisse, illas probare per testes juxta formam capitis *Cum olim* 12, De privilegiis; Rota in Calaguritana jurispatronatus de Viana 2 Decemb. 1624, coram Remboldo, Gonzal. ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 18, n. 82. Parisius de confid. qu. 28, n. 258. Riccius in Praxi fori Eccles., resolut. 137, et in tract. De noviss. probat. jurispatronatus resolut. 119 et 121; Barbosa cit. c. 12, n. 122, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 66.

(36. Præsentationes per authenticas scripturas probandæ debent esse continuatæ, ut expresse statuit ipsummet concilium loc. cit. ibi: ***Etiam continuatæ***, ut scilicet una sequatur aliam. Parisius De confident., q. 28, num. 255. Riccius in Praxi for. eccles. resolut. 133, vers. *Amplia secundo*, et in tract. De noviss. probat. jurispatronat., resolut. 133, n. 4; Barbosa cit. cap. 12, num. 112, et cit. allegat. 72, n. 55, et cit. sess. 25, n. 56. (37. Non est tamen necessaria probatio continuati temporis in præsentando si probentur extrema, cum tunc media præsumantur; Rota in Florentina cappellæ 30 Maii 1616, coram Pirovano, et in Januensi Abbatiæ 13 Junii 1625, coram Buratto, et supracitati doctores. (38. Et debent probari continuatæ saltem per spatium quinquaginta annorum, textu expresso in ipso concilio loc. cit. ibi: « Non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio. » (39. Et prædicti quinquaginta anni sumunt initium ab illo die quo apparet factam fuisse primam præsentationem et antiquiorem producta in actis cum subsequenti institutione, iique numerari debent usque ad diem litis postremo motæ, in qua controvertitur an sit et constet esse de jurepatronatus. Campanil. in Diversorio juris canonici., rubr. 11, cap. 13, num. 416. Barbosa cit. allegat. 72, n. 59, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 57, ubi id resolvunt ex Rotæ decisione. (40. Nec sufficiunt præsentationes continuatæ, nisi etiam sint effectum sortitæ, textu expresso in concilio loc. cit., ibi: « Quæ omnes effectum sortitæ sint. » Dicuntur autem effectum sortitæ, si sint confirmatæ præsentationes. Riccius in tract. De noviss. probat. juris

Digitized by Google

patr., resolut. 115 et 116. Parisius loc. cit., q. 28, n. 256. Barbosa cit. allegat. 72, n. 56, et cit. cap. 12, n. 14, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 58, et alii. (41. Nec sufficit unica præsentatio, licet fuerit effectuata spatio 50 annorum et ultra, quia concilium Tridentinum non contentatur unica præsentatione, cum requirat plures, easque effectuatas, ut dicit Rota decis. 557, sub n. 1, vers. *Hinc autem* p. 4, divers. et in Sorana jurispatronatus 28 Aprilis 1603, coram card. Pamphilio senior. Barbosa cit. c. 12, n. 116, et cit. sess. 25, c. 9, n. 60. Ferentil. in adnotat. ad Burat. decis. 139, n. 12, et alii. (42. Dicta exactior et plenior probatio jurispatronatus in personis de usurpatione suspectis statuta a concilio Tridentino d. sess. 29, cap. 9, *De reformat.*, requiritur tam in petitorio quam in possessorio, ut declaravit sacra cong. ejusdem concilii interpres, teste Gonzalez ad Regul. 8, Cancellar. gloss. 19, n. 23, apud Rotam part. 5, recent. tom. I, decis. 197, n. 41, et tenuit ipsa Rota sæpe sæpius, et signanter in Reatinen. juspatronatus 28 Octobris coram Robusterio, in Valentina capellaniæ 28 Aprilis 1595, coram cardinal. Bianchetto, in Auximana jurispatronatus 28 Maii 1595, coram Merlino, in Calaguritana jurispatronatus de Viana 15 Martii 1599, quas omnes decisiones una cum aliis refert ipsa Rota d. part. 5, tom. I, decis. 197, n. 41. Unde non sufficit docere de quasi possessione præsentandi ad effectum manutentionis; Gonzal. dict. gloss. 18, num. 23, vers. *Ubi etiam;* Riccius in d. tractatu de noviss. probat. jurispatronat., resolut. 84. Barbosa cit. cap. 12, n. 109, quia concilium d. cap, 9, sustulit omnem possessionem. Seraphin. decis. 1395, n. 4, vers. *Neque obstat*, et n. 5, vers. *Et ex eo.* Barbosa loc. mox cit. Rota cit. part. 5, tom. I, decis. 197, num. 42, et part. 19, tom. I, decis. 8, n. 7.

(43. Juspatronatus in personis privatis et non suspectis de usurpatione, non requirit tam exactam et plenam probationem sicuti in personis potentibus et de usurpatione suspectis, ut clare patet ex ipsomet concilio d. sess. 25, cap. 9, in illis enim concilium nihil ibi alteravit aut innovavit, adeoque probatio talis jurispatronatus remanet adhuc sub dispositione juris communis, ut sæpe sæpius dixit Rota, et signanter decis. 798, n. 4, part. 1, divers. et dec. 331, prope finem part. 2, etiam divers. et dec. 360, num. 2, dec. 374, num. 1, par. 2, recent. et coram Cavalerio decis. 560, n. 1, coram Coccino, quas omnes citat et sequitur Barbosa cit. cap. 12 Juris Eccles. univers., num 102, adducendo etiam varios alios doctores.

(44. Hinc in ipsis personis privatis juspatronatus probatur variis modis. Et primo, probatur ex præsentationibus per quadraginta annos effectum sortitis, dummodo cum hujusmodi quadragenaria possessione concurrat publica vox et fama, vel aliæ præsumptiones quæ habeant vim famæ; Rota part. 1, dec. 312, n. 3, part. 2, decis. 360, part. 4, tom. II, dec. 322, n. 1, et 2, part. 5, tom. I, decis. 290, n. 4, part. 10, dec. 321, n. 13, part. 12, dec. 224, n. 3, et 3, et sæpe alibi. Cassad. dec. 3, n. 4, cum seq. de probat. Barbosa cit. cap. 12, n. 85, et cit. sess. 25, cap. 8, n. 1, cum pluribus ibi citatis. (45. Et dicta quadragenaria potest compleri etiam in unico præsentato si talis supervixerit, et fuerit in possessione per 40 annos, nec unquam evenerit casus novæ præsentationis; Rota part 18, tom. I, dec. 315, n. 2 et 3. Achil. decis. 5, n. 1, De jurepatronat. Barbosa in conc. Trid., sess. 25, *De reform.*, c. 9, n. 22, ubi citat Rotam in Bergomensi capellaniæ 18 Maii 1629, coram Merlino.

(46. Secundo, probatur juspatronatus per enuntiativas centum annos et hominum memoriam excedentes; Rota part. 19, recent. tom, II, dec. 539, n. 12, et sæpe alibi. Et ad hunc effectum valde deserviunt enuntiativæ ordinariorum; Rota part. 14, dec. 291, n. 5. Cum enim ordinarii præsumantur scire qualitates beneficiorum, et soleant esse difficiles in canonizando juspatronatus, et in admittendis præsentationibus in præjudicium libertatis Ecclesiæ; ideo plurimum attenduntur enuntiativæ ab illis emanatæ; Rota part. 8, dec. 221, num. 3. Barbosa cit. sess. 25, cap. 9, num. 24 et cit. allegat. 72, num. 40, et 41, et cit. cap. 12, num. 87, ubi citat plures doctores, et Rotæ decisiones.

(47. Hic tamen advertendum venit quod enuntiativæ debent esse ad minus duæ, quia regulariter una non probat, quamvis sit antiqua; Rota part. 4, tom. II, dec 276, n. 2, par. 12, dec. 341, n. 17. Barbosa locis cit., ubi adducit alias Rotæ decisiones. Insuper enuntiativæ debent provenire a diversis personis, et a diverso fonte, quia si provenirent ab eadem persona, licet plures, pro unica tantum haberentur. Beltram. ad Gregor. XV, decis. 407, n. 5. Caputaq. decis. 337, num. 6, part. 3. Barbosa locis citatis, ubi adducit varias Rotæ decisiones. Et tales enuntiativæ debent esse plurium instrumentorum a diversis notariis confectorum, et requiritur quod non emanaverint a personis suspectis et interesse habentibus, ut statuit Rota relata et secuta a Barbosa cit. cap. 12, n. 90 et sequent. et cit. sess. 25, cap. 9, n. 25, et passim ab aliis.

(48. Tertio, probatur juspatronatus ex sententia antiqua episcopi, qua judicavit ad præsentationem alicujus patroni beneficium pertinere; Rota recent. part. 1, decis. 413, n. 1, part. 4, tom. I, decis. 276, n. 1, part. 9, dec. 25, n. 9. (49. Etiamsi sententia lata fuerit in alio judicio ab ordinario; Rota part. 3, dec. 172, n. 2. (50. In cujus præjudicium ejusque successorum ex illa probatur existentia et natura jurispatronatus; Rota p. 1, decis. 482, n. 5. (51. Dummodo tamen sententia transitum fecerit in judicatum; Rota part. 9, tom. I, decis. 23, n. 11, part. 10, decis. 169, n. 11, part. 18, tom. II, decis 720, n. 6. (52. Imo sententia antiqua jurispatronatus, seu lata super eo tanquam super statu beneficii, et obtenta ab interesse habentibus, ac in judicatum trans-

Digitized by Google

acta, facit jus quoad omnes; Rota part. 3, dec. 319, n. 2, part. 9, tom. I, decis. 213, n. 13, part. 10, dec. 321, n. 4 et 5, part. 17, decis. 149, n. 11. (53. Et facit jus quoad omnes etiam non citatos; Rota part. 17, decis. 333, n. 5. Quidquid sit in casu, quo constet adfuisse verum patronum, eumque non fuisse vocatum. Rota ibid., n. 6. Prout facit jus quoad alios postea præsentatos. Rota part. 18, tom. I, decis. 143, n. 4. (54. Sententia autem censetur antiqua, si lata sit ultra 40 annos ante motam litem. Rota recent. part. 5, tom. I, dec. 348, n. 8, et concordant doctores passim cum Barbosa cit. sess. 25, cap. 9, n. 29, et cit. cap. 12, n. 69 et seq.

(55. Quarto, probatur juspatronatus ex litteris institutionalibus antistitum, quibus attestatur beneficium ad præsentationem alicujus patroni pertinere; per assertionem enim et confessionem ordinarii in institutione emissam habetur sufficiens probatio jurispatronatus. Rota recent. part. 3, dec. 753, n. 5, part. 15, decis. 296, n. 3, et sæpe alibi; et concordant doctores cum Barbosa cit. cap. 12, n. 98, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 30. (56. Ita ut assertiones ordinariorum justificent quod beneficia in ecclesia sint de jurepatronatus alicujus. Rota part. 14, dec. 444, n. 17. Quibus plurimum deferendum venit. Rota part. 14, decis. 509, n. 14. (57. Prout eis multum deferri solet propter eorum præjudicium. Rota part. 2, dec. 694, n. 4. Item probatur ex libris episcopatus in quibus beneficium est descriptum de jurepatronatus, Rota part. 3, decis. 172, n. 7. (58. Item probatur ex antiquis episcoporum visitationibus. Rota part. 3, decis. 735, n. 6, part. 12, decis. 162, n. 6. Et sic visitationes eorumdem probant pertinentiam jurispatronatus. Rota part. 5, tom. II, decis. 536, n. 16. Quamvis dictæ visitationes non fuerint factæ ab ipso ordinario, sed a visitatoribus per eum deputatis, præsertim si ex aliis sint adminiculatæ. Rota ibid., n. 17. In visitationibus enim sumuntur informationes a testibus asserentibus beneficium esse jurispatronatus. Rota part. 2, dec. 360, n. 11.

(59. Quinto, probatur juspatronatus ex provisionibus et litteris apostolicis; Rota part. 11, decis. 202, n. 2, part. 12, dec. 224, n. 7, et sæpe alibi. Eoque fortius probat, si papa disponat ex certa scientia quod beneficia sint jurispatronatus; quia tunc dispositio præjudicat libertati ecclesiæ; Rota part. 5, tom. I, dec. 197, n. 84. (60. Hinc juspatronatus probari dicitur ex provisionibus a pontifice factis tanquam de jurepatronatus. Rota part. 12, dec. 224, n. 7. (61. Et eo magis ex multiplicatis provisionibus apostolicis cum derogatione jurispatronatus. Rota part. 12, dec. 161, n. 2. (62. Imo etiam probatur ex provisione apostolica quomodocunque habente clausulam derogatoriam; Rota part. 18, tom. II, dec. 421, n. 18 et 19, quia ex ea saltem constat noluisse papam immutare statum beneficii. Rota ibid., n. 19. Ad quem effectum sufficit quod litteræ apostolicæ contineant simplicem enuntiativam, beneficium esse de jurepatronatus. Rota part. 10, dec. 321, sub n. 14. Neque enim excluditur, sed potius confirmatur juspatronatus ex provisione apostolica facta cum reservatione vel derogatione illius, etiam pro una vice tantum. Rota part. 10, dec. 63, n. 3, et dec. 321, n. 12. (63. Et eo fortius juspatronatus probatur ex provisione pontificis pro exsecutione ordinario commissa, et ab eo postmodum exsecuta. Rota part. 18, tom. I, dec. 290, n. 9, part. 19, tom. I, dec. 336, n. 3.

(64. Sexto, probatur juspatronatus ex consensibus patronorum reservatis et præstitis in pluribus provisionibus. Rota part. 4, tom. I, dec. 197, n. 2. Consensus enim, ut supra, præstitus æquipollet præsentationi. Rota part. 14, dec. 509, n. 29. (65. Et sic beneficium probatur per consensum a patronis præstitum resignationi. Rota part. 7, dec. 221, n. 5, part. 12, dec. 148, n. 18 et 19. Ex quo quidem consensu acquiritur quasi possessio præsentandi. (66. Rota ibidem n. 20, part. 2, dec. 154, n. 4. Et hæc quasi possessio competit etiam successoribus. Rota part. 12, dec. 148, n. 21. Ita ut ex pluribus præsentationibus hoc modo factis resultet probatio jurispatronatus. Rota part. 2, dec. 154, n. 5.

(67. Septimo, probatur juspatronatus ex confessione partis. Rota part. 9, tom. I, dec. 5, n. 1. Puta si confessio partis adversæ emissa fuerit in supplicatione. Rota part. 3, dec. 162, n. 1, eoque magis probat confessio partis adversæ, si fuerit geminata. Rota part. 2, dec. 221, n. 1. (68. Unde non solum probatur ex confessione contra confitentem, sed etiam contra habentem ex eo causam. Rota part. 11, dec. 73, n. 33. (69. Sic etiam probatur ex confessione utriusque partis per plures enuntiativas adminiculata. Rota part. 19, tom. II, dec. 662, n. 4. Ita ut juspatronatus ex fundatione et dotatione probatum satis dicatur per confessionem utriusque partis adminiculatam. Rota part. 5, tom. I, dec. 542, n. 1 et 2. Cum hac tamen declaratione, quod hoc tantum procedit quoties ordinarius non est in causa. Rota part. 2, dec. 274, n. 1, part. 11, dec. 73, n. 4, part. 18, tom. II, dec. 697, n. 2, part. 19, tom. II, dec. 662, n. 4. (70. Etiamsi confessio emanaverit inter collitigantes, quæ quidem probat in præjudicium confitentis, et quando lis non est cum ordinario; Rota part. 13, dec. 529, n. 2, part. 14, dec. 291, n. 4, part. 19, dec. 30, n. 2 et 3. Nullatenus vero probat in præjudicium ecclesiæ; Rota part. 6, dec. 289, n. 21, et sæpe alibi.

(71. Octavo, probatur juspatronatus ex fama seu publica voce; Rota part. 4, tom. III, dec. 530, n. 6, part. 18, tom. I, l. 49, n. 6. Hoc tamen debet intelligi de fama antiqua juncta longissima possessione, seu quasi præsentandi pluribus præsentationibus continuata; Rota ibidem n. 7, et part. 1, dec. 195, n. 1. (72. Et ad hoc ut sufficiat fama in antiquis, debet esse eum præsentationi-

Digitized by Google

bus effectuatis saltem per 40 annos; Rota part. 16, dec. 299, n. 11 et seq. (73. Fama autem probatur ex pluribus enuntiativis; Rota part. 1, dec. 148, n. 1, part. 9, tom. II, dec. 321, n. 35. (74. Ad quem effectum requiruntur plures enuntiativæ supra 100 annos: Rota part. 9, tom. II, dec. 321, n. 36 et 37. Insuper juspatronatus antiquum, in quo sufficiunt probationes per indicia, et conjecturas probatur per testes de fama et communi reputatione deponentes; Rota part. 2, dec. 694, n. 6 et 7. (75. Hoc tamen est intelligendum juncta quasi possessione præsentandi per 40 annos. Rota part. 1, dec. 77, n. 2 et 3. (76. Nec enim probatur ex testibus de sola publica voce et fama deponentibus, nisi adsit quasi possessio. Rota part. 18, tom. II, dec. 781, n. 5. (77. Testes vero ad effectum probandi in antiquis deponere debent de publica voce et fama, quod quis pro vero patrono semper habitus fuerit. Rota part. 9, tom. I, dec. 249, n. 3. (78. Unde deponere debent de visu per annos 40, et de auditu a majoribus, qui pariter ab aliis audiverunt. Rota part. 1, dec. 154, n. 6.

(79. Nono, probatur juspatronatus ex inscriptionibus armorum et insignium sculptorum et depictorum in ecclesia; Rota part. 4, tom. II, decis. 471, n. 12, part. 28, tom. II, dec. 503, n. 4 et 5. Et maxime ex insignibus ejusdem familiæ sculptis in ecclesia ab antiquissimo tempore; Rota part. 1, dec. 518, n. 6. Eoque magis insignia probant, quando fuerint posita in limine fundationis; Rota part. 6, dec. 299, n. 5. Vel quando apposita fuerunt de mandato judicis, quo casu bene probant quasi possessionem juspatronatus, Rota part. 4, tom. II, dec. 471, n. 11. Barbosa cit. cap. 12, n. 93, cit. sess. 25, cap. 9, n. 20, ubi citat varios doctores et Rotæ decisiones. (80. Imo Rota part. 1, dec. 13, n. 3, vult ad hoc sufficere insignia prædicta, quamvis non appareant valde antiqua, quia præsumuntur per patronos apposita ad conservationem sui juris, sed hoc intellige junctis aliis adminiculis, ut explicat Rota ibid., n. 3 et seq. (81. Et eo fortius probatur tale juspatronatus ex denominatione capellæ talis familiæ, cujus sunt insignia; Rota part. 2, dec. 694, n. 6. Barbosa cit. cap. 12, n. 95, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 27, et alii ibi citati.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(82. De probatione jurispatronatus personarum potentum plura eaque utilia habet auctor, sed vide nihilominus Rota in Prænestina Rectoriæ S. Laurentii 4 Decembris 1733, cor. R. P. D. Peralt. inter impress. in fol. tom. II, Romæ, 1787, apud Barbiellini, ad Minervam, et in Urbevetana jurispatronatus 21 Aprilis 1749, coram bon. mem. de Vais.

(83. Quoad vero probationem jurispatronatus personorum privatarum, interest scire utrum illud probetur ad omnes effectus, an ad effectus tantummodo honorificos. (84. Mitius enim proceditur posteriori hoc casu, quam priori illo casu, ac propterea quæ posteriori casu sufficiunt probationes, ea nullam vim habent priori casu.

(85. Sic enuntiativæ, « insignia gentilitia, onus ornandi et manutenendi capellam, » et alia id genus probant utique juspatronatus ad effectus honorificos duntaxat, non item ad omnes effectus; Rota in Neapolitana capellæ et sepulcri, super bono jure 17 Januarii 1724, coram clar. mem. Calcagnin. et in Nepesina jurispatronatus capellæ 10 Decemb. 1725, coram bon. mem. Gamaches.

(86. Hac igitur cum distinctione intelligi debet auctor, dum ait probari juspatronatus enuntiativis, insignibus, etc.

ARTICULUS IV.

Juspatronus, quoad ea quæ concernunt patronus eorum jura et onera.

SUMMARIUM.

1. Patroni quoad propositum qui dicantur et esse possint, vel non : ad num. 14. — 15. Quomodo fiat successio patronorum in jurepatronatus hæreditario ac gentilitio : ad num 19 — 20. Patroni an possint aliquid temporale exigere a præsentatis : ad num. 22. — 23. Patroni laici et ecclesiastici quot menses habeant ad præsentandum, et an tale tempus possit prorogari, et a quibus : ad num. 32. — 33. Patroni jurispatronatus mixti quot menses ad præsentandum habere possint : ad num. 38. — 39. Tempus ad præsentandum quando patronis currere incipiat : ad num. 43. — 44. Patronus ecclesiasticus semel ac idoneum præsentaverit, non potest pro illa vice alterum præsentare, etiam cumulative. — 45. Patronus laicus potest variare præsentando secundum cumulative. An autem possit semel tantum vel pluries variare, disputant doctores ; et assignantur rationes quare variare possit patronus laicus, et non ecclesiasticus : ad num. 58. — 59. Inter varia jura quæ patrono competunt, quatuor præcipue assignantur. — 60. Juri præsentandi, quod patrono competit, an et quando possint papa, legatus pontificius, vel ordinarius derogare : ad num. 69. — 70. Patronus an possit laicum nominare vel præsentare : ad num. 73. — 74. Quid si patronus recusat præsentare quem nominavit fundator? — 75. Patronus an possit seipsum præsentare, aut a procuratore a se deputato præsentari, et an possit acceptare beneficium ? ad num. 78. — 79. Patronus potest præsentare filium, aut alium consanguineum, vel conjunctum. — 80. Quid si plures sint patroni? — 81. Patronus sive ecclesiasticus sive laicus, an et ad quæ beneficia teneatur præsentare digniorem : et quid si indignum præsentet? ad num. 91. — 92. Quid quando plures æque digni præsentantur ab eodem patrono laico vel ecclesiastico ? ad num. 93. — 94. Quid quando plures inæqualis dignitatis aut meriti simul ab unico vel a pluribus patronis præsentantur? ad num. 98. — 99. Quid, quando patroni litigant inter se super jure patronatus, et litem non finiunt intra tempus a jure statutum ad præsentandum, et nullus ex ipsis est in notoria possessione præsentandi ? ad num 101. — 102. Quid, quando lis est inter patronum et episcopum super existentia jurispatronatus, vel inter patronum et præsentatum, aut inter ipsos præsentatos ? ad num. 104. — 105. Jura honorifica patroni ejusque onera, nec non jura ad alimenta assignantur : ad num. 156.

(1. Patroni quoad propositum dicuntur et sunt, qui habent jus seu potestatem a sacris canonibus concessam præsentandi ali-

Digitized by Google

quem ad Ecclesiam, vel ecclesiasticum beneficium. (2. Sic in re communis. Patroni possunt esse non solum clerici, sed etiam laici cap. *Decernimus* 32, caus. 16, q. 7, et cap. *Quoniam* 3, et cap. *Cum autem* 24, De jurepatronatus, ibi : « Si laicus fuerit, cui jus competit præsentandi. » Et est communissima, et patens quotidiana experientia. Quamvis enim Laici jurium spiritualium (inter quæ est juspatronatus ex c. De jure 16, De jurepatronatus) non sint capaces; c. *Decernimus* 2 De judiciis; c. *Tua nos* 25. De decimis, cum similibus, tamen hujus jurispatronatus, quod non est quid pure spirituale, sed tantum spirituali annexum, ut dicitur in cit. cap. *De jure* 16, De jurepatronatus, ibi : « Juspatronatus, quod est spirituali annexum, » sunt redditi capaces ex spirituali gratia, permissione, ac tolerantia Ecclesiæ, ut dicitur in cit. cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus ibi : « In qua eos Ecclesiæ hucusque sustinuit, » et jam concesserat in cap. *Decernimus* 32, caus. 16, quæst. 7, ut inde laici magis allicerentur ad fundandas et dotandas ecclesias, et ad erigenda beneficia ecclesiastica, ut recte advertit Hugo in c. *Piæ mentis* 26, caus. 16, qu. 7. Goffred. in cap. *Sacrosanta*, De elect. Glossa in Clement. final. post med. vers. *Et fuit forte motivum*, De rescriptis. Fagnan. in cit. cap. *Quoniam* 3, De jurepatronat., n. 6. Abbas ibidem n. 2, et alii passim.

(3. Patroni esse possunt non solum mares, sed etiam feminæ; arg. cap. *Cum dilecta* 16. De concession. præbent., et cap. *Ex litteris* 7. De jurepatronatus, et docet communis doctorum, et praxis universalis.

(4. Patroni esse possunt non solum puberes, sed etiam impuberes; arg. cap. *Piæ mentis* 26, cap. *Frigentius* 27, cap. *Quoniam* 30, cap. *Filiis* 31, c. *Decernimus* 32, et cap. *Monasterium* 33, caus. 16, q. 7, ubi cuivis fideli fundanti, ædificanti, vel dotanti ecclesiam, et hæredibus ejus conceditur juspatronatus, nec ibid. nec alibi excipiuntur impuberes, et sic tenent doctores communiter. (5. Est tamen hic advertendum quod, quamvis impuberes ante septennium possint acquirere juspatronatus et esse patroni, defectu tamen usus rationis nequeunt pro tali tempore præsentare, sed nomine ipsorum debent præsentare tutores : Garcias De Beneficiis, part. 5, cap. 9, n. 193. Azorius par. 2, lib. VI, cap. 21, quæst. 14. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, n. 18. Reiffenst. ibid., n. 38. Lambertinus, et alii. (6. Si autem impuberes sint majores septennio, possunt ipsi præsentare etiam sine tutorum suorum auctoritate, quia impuberes septennio majores, præsumuntur habere usum rationis. Unde, sicuti eo tempore valide contrahunt sponsalia, ita etiam valide præsentant; Rota decis. 6, De jurepatronat. in antiq. Pirhing loc. cit., n. 18. Reiffenst. loc. cit., n. 39. Garcias loco cit. n. 186 et seqq. Castropal. p. 2, tract. 5, disp. 2, n. 40. Azorius loco cit. Rebuff. De nomination. quæst. 17, n. 40, et alii communiter, qui tamen omnes docent valde decens et æquum esse ut impuberes præsentent auctoritate et assensu tutorum suorum. (7. Hinc quamvis tutores absolute præsentare possint, etiamsi pupilli impuberes sint majores septennio, eo quod tutores habeant potestatem, nedum in personam, sed etiam in bona pupillorum : arg. c. *Si annum* 3, De judiciis, in 6; tamen si tales pupilli ante institutionem contradicant, et alios præsentent idoneos, isti sunt præferendi præsentatis a tutoribus, etiam dignioribus, quia cum tales pupilli sint prædiți usu rationis, et sint patroni jurispatronatus, ad illos pertinet præsentatio; arg. cap. *Decernimus* 32, caus. 16, qu. 7. Sic doctores numero antecedenti citati, et teste Garcia l. c., n. 186, et alii communiter.

(8. Si autem patroni sint puberes, quamvis minores 25 annis, tunc non possunt præsentare curatores, et si absque mandato aut expresso consensu præsentent, eorum præsentatio est invalida, quia curatores non dantur minoribus quoad ecclesiastica et spiritualia; et ipsi minores, seu puberes, vel majores quatuordecim annis, in beneficialibus et aliis causis spiritualibus et dependentibus ab eisdem, nullatenus dependent a curatoribus, textu expresso in cit. cap. *Si annum quartum decimum* 3, De judiciis in 6. Garcias l. c., n. 195 et 196. Pirhing l. c. sub n. 18. Reiffents. l. c., n. 41. Castropal. l. c., n. 21, et alii passim.

(9. Sic etiam, si filiusfamilias sit patronus, præsentatio spectat ad ipsum, et non ad patrem, quia, in spiritualibus et quasi spiritualibus seu dependentibus ab eisdem, non dependet filius a patre nec illi subjicitur, textu claro in cit. cap. *Si autem quartum decimum* 3, De judiciis, in 6. Garcias loc. cit., n. 198. Pirhing loc. cit. sub n. 18. Reiffenstuel loc. cit., 41 et 42, et alii. (10. Id tamen limitatur in jurepatronatus quod competit filio ratione bonorum adventitiorum, quia, cum usufructus talium bonorum spectet ad patrem, ex l. *Cum oportet*, cod. de bonis, quæ liberis, ad ipsum patrem spectare debet etiam juspatronatus talibus bonis inseparabiliter annexum; Garcias loc. cit., par. 5, cap. 9, n. 206. Castropal. loc., cit. n. 22. Reiffenstuel loc. cit., n. 42, et alii. Juspatronatus enim transit cum re in illum qui eam cum dominio directo vel saltem utili acquirit, ut arg. c. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus, et cap. *Cum Bertholdus* 18, De sententia et re judicata, ut tenet ex communi Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris*, n. 15. Vide a lducta supra art. 2, n. 16 et 61.

(11. Patroni esse possunt non solum legitime nati, sed etiam spurii, vel alii illegitimi; arg. cap. *Piæ mentis* 26, cap. *Frigentius* 27, cap. *Quicunque* 30, cap. *Filii* 31, c. *Decernimus* 32, et c. *Monasterium* 33, caus. 16, quæst. 7, in quibus generatim cuicunque Christiano fundanti, exstruenti, vel dotanti ecclesiam, et hæredibus ejus conceditur juspatronatus, nec ibi, nec alibi excipiuntur illegitimi; tum quia, cum spurii et illegitimi sint capaces hæreditatis

Digitized by Google

vel legati relicti ab extraneo, possunt una cum hæreditate vel legato acquirere etiam juspatronatus ei inseparabiliter annexum, uti pariter si spuriis et illegitimis donetur vel vendatur res aliqua cui annexum sit inseparabiliter juspatronatus, ad ipsos transit etiam juspatronatus una cum re eis vendita vel donata; quia juspatronatus transit cum rerum universitate, seu cum aliqua speciali re cui sit inseparabiliter annexum per jura et fundamenta adducta supra art. 2, n. 6, 25, 39, 40, 47, 55, 58, 61 et seq.

(12. Patroni esse non possunt Judæi, pagani et infideles, quamvis ecclesiam fundaverint, exstruxerint vel dotaverint, seu castrum aut villam emerint cui annexum sit juspatronatus, quia propter id jura citata numero antecedenti dicunt acquiri quidem juspatronatus, sed a solis Christianis et fidelibus. Unde Judæi, pagani et infideles sunt omnino exclusi. Sic communis doctorum cum Fagnan. in cap. *Nobis* 25, De jurepatron., n. 7. Abbat. ibid., n. 3. Joan. Andr. ibid. n. 3. Pirhing l. c., n. 20. Reiffenstuel l. c., n. 43, arg. cit. juribus.

(13. Patroni esse non possunt neque hæretici, quia, cum hæretici sint extra ecclesiam, non potest eis competere juspatronatus, quod est ecclesiasticum; arg. cap. *Didicimus* 31, caus. 24, quæst. 1. Tum quia omnia bona hæreticorum ipso jure sunt confiscata; cap. *Cum secundum* 19, De hæreticis, in 6, adeoque etiam juspatronatus eis annexum; cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis » et faciunt dicta supra art. 2, num. 19, 20, 21. (14. Excommunicati tolerati et non vitandi possunt esse patroni. Potest enim episcopus consentire quod tales excommunicati fundent, ædificent aut dotent ecclesiam, et sic juspatronatus acquirant, quamvis exercitium et usum ipsius nequeant habere ante absolutionem. Joan. Andr. in cap. *Nobis* 25, De jurepatronat., num. 3. Pirhing, loc. cit., num. 21. Fagnan. in cit. cap. *Nobis*, num. 12 et 13, ubi dicit quod excommunicatus acquirit juspatronatus habitu tantum sed non actu ante absolutionem, et citat plures alios; tum quia excommunicati non amittunt juspatronatus quod ante excommunicationem habebant, sed privantur solum ipsius usu et exercitio, donec fuerint absoluti, Pirhing loc. cit., n. 21. Azorius par. 2, lib. VI, cap. 1, q. 9, et alii passim.

(15. Successio patronorum in jurepatronatus hæreditario seu mixto fit in stirpes, et non in capita, unde plures hæredes unius patroni defuncti, pro uno tantum simul patrono reputantur, et unam tantum vocent habent; sic ad dirimendas contrarias doctorum opiniones fuit expresse statutum in Clem. *Plures* 2, De jurepatronatus. Et sic hodie tenet communis cum Rota recent. par. 4, tom II, decis. 47, n. 9, par. 7, dec. 72, n. 21, part. 13, decis. 103, n. 2, et dec. 272, n. 1, par. 17, dec. 99, n. 8. et sæpe alibi. (16. Hinc filii seu descendentes admittuntur in stirpes, et non in capita. Rota par. 4, tom. I, dec. 77, n. 1, par. 7, dec. 275, n. 3, par. 11, dec. 268, n. 3. (16. Et sic stirpes attendi debent in præsentatione jurispatronatus, et non numerus personarum, ita quod plures ab uno descendentes procedant in stirpes, non autem in capita, et unius loco reputentur; Rota par. 4, tom. I, dec. 657, n. 3, et cit. Clementina *Plures*. (17. Et idem procedit in jurepatronatus hæreditario ad plures lineas spectante, in quo præsentatio fieri debet in stirpes, et non in capita. Rota par. 18, tom. II, dec. 424, n. 1. Ita ut in jurepatronatus tribus personis relicto, quælibet ex ipsis suam constituat lineam et vocem. Rota ibidem n. 3. Et descendentes ab una tantum partem habeant, quantam descendentes ab alia; Rota, ibid., n. 4.

(18. Successio patronorum in jurepatronatus gentilitio seu familiari fit in capita, et non in stirpes; Rota part. 4, tom. II, dec. 47, n. 2, par. 5, tom. I, decis. 284. n. 10, par. 7, dec. 280, n. 4. (19. Et sic descendentes jure sanguinis succedunt in capita, et non in stirpes; Rota p. 2, dec. 251, n. 5, p. 13, dec. 103, n. 3. Et omnes tenentur præsentare in capita; Rota part. 13, dec. 83, n. 21.

(20. Patroni a præsentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum; cap. *Sicut* 2, De supplenda negligentia prælator., et cap. *Præterea* 23, De jurepatronatus. (21. Præsentatio est simoniaca, quando aliquid datur vel promittitur pro habendis vocibus seu præsentationibus patronorum; arg. cap. *Veniens* 19. De simonia, ubi Abbas, et Decius in not. 5. Roch. de Curte De jurepatronat., verb. *Et utile*, quæst. 3, n. 9. Lambertin. in simili tractatu lib. II, par. 1, qu. 9 art. 8. Navarr. in Manual., cap. 23, n. 100, vers. *Nam cum quis;* Barbos. lib. III, Juris eccles. univ., cap. 12, n. 202. Rota in Comensi Cappellæ 11 Mart. 1595, et in Romana jurispatronatus 29 Januarii 1601, coram card. Millino. (22. Quamvis id fiat etiam ipso præsentato ignorante; c. Si alicujus 59, De electione, c. *Nobis* 27, De simonia; Rota dec. 285, n. 3, p. 1, divers. et in d. Comensi Cappellæ, Barbosa loc cit., n. 202, et alii passim.

(23. Patroni laici habent solum quatuor menses ad præsentandum; cap. *Quoniam* 3, et capit. *Cum propter* 27, De jurepatron., et cap. *Si Laicus*, unic. De jurepatron., in 6, § Verum, ubi sic præcise dicitur: « Verum licet patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat: » et in ejus summario: « Laicus quadrimestre tempus habet ad præsentandum. » Et sic communis cum Rota part. 9, tom. I, decis. 19, n. 13, et eidem part. 9, tom. II, dec. 446, n. 16, p. 12, dec. 25, n. 4, et sæpe alibi. (24. Quo quidem quadrimestris tempore elapso, patronorum auctoritas exspirat, ita ut post illud non possint amplius præsentare, cum tunc collatio devolvatur ad superiorem; arg. c. *Eam te decet* 22, et cap. *Cum propter* 27, De jurepatronat.,

Digitized by Google

cap. *Licet* 3. De supplenda negligent. prælat., et cap. *Nulla* 2, De concessione præbendæ ; Rota part. 2, recent. dec. 10, n. 7, et sæpe alibi. (25. Non præjudicat tamen dictum quadrimestre pupillo, quin eidem ob non petitam in tempore dispensationem competat restitutio in integrum ; Rota par. 13, rec. dec. 290, n. 14.

(26. Patroni autem ecclesiastici de jure habent semestre ad præsentandum ; cap. *Eam te decet* 22, De jurepatronat., et cit. cap. *Si Laicus*, unic. § Verum, De jurepatronat., in 6, ibi : « Ecclesia tamen, (vel monasterium, cui facta est a laico juris collatio patronatus) tempus habet semestre : » et in ejus summario sic præcise dicitur : « Ecclesia vero (*habet*) semestre, licet a laico acquisiverit juspatronatus. » (27. Tali semestri elapso patronorum ecclesiasticorum auctoritas exspirat, ita ut post illud non possint amplius præsentare, sed pro ea vice collatio devolvatur gradatim ad superiorem, id est de capitulo ad episcopum, de episcopo ad metropolitanum, de metropolitano ad nuntium, de nuntio ad papam ; cap. *Licet* 3. De supplend. negligentia prælator., et c. *Nulla* 1. De concessione præbendæ, et Rota par. 2, recent. decis. 186, n. 1, part. 18, tom. I, dec. 180, n. 3. (28. Et quilibet eorum habet sex menses ad conferendum a tempore scientiæ ; Rota in Spoletana Beneficiorum 31 Januarii 1694, coram Mantica, inter ejus impressa, decis. 260, et par. 18, tom. I, recentior. decis. 180, n. 3. (29. Quamvis devolutio esset facta a laico patrono, qui tantum habet quadrimestre ; Garcias De Beneficiis, p. 10, c. 3, n. 9. Rota dec. 6, De jurepatronatus in novis, et in Sabinen. Beneficii 11 Maii 1584, coram Gyptio, et in Salamantina Portionis 13 Junii 1585, coram Ubaldo.

(30. Potest tamen episcopus et respective metropolitanus et nuntius, elapso tempore, patronis, et respective aliis ad quos jus fuerit devolutum, gratiam facere, et tempus ad præsentandum seu respective conferendum prorogare ; Rota par. 17, recent. dec. 13, n. 2. Lambertin. De jurepatron., lib. II, cap. 9, n. 33. Castropalao part. 2, tract. 13, disp. 2, punct. 5, n. 8. Riccius in praxi resolut. 195. Barbosa part. 3 De offic. et potest. episcopi, allegat. 72, n. 143 et 170, et alii ; arg. Sicut nobis 2. De supplenda negligentia prælator., ponderando ibi verbum *Liceat*, quod ponit causam in voluntate illius, cui licet. (31. Cum hæc tamen advertentia quod episcopus et respective metropolitanus et nuntius non potest prorogare tempus ultra sex menses ; argum. c. *Nulla* 2, De concessione præbend., ubi ipsis in casu devolutionis conceduntur solum sex menses ad conferendum, ibi : « Infra sex menses personis quæ digne administrare valeant, conferantur » quia, ut recte censuit Rota loc. cit., n. 3 et 4, et hoc solum facere potest in præjudicium sui ipsius, non autem in præjudicium alterius superioris, Castropalao loc. cit., Reiffenstuel lib. III Decretal., tit. 38, n. 56, et alii (32. Quamvis autem possit episcopus et respective metropolitanus et nuntius supradictum tempus prorogare, ipsum tamen non potest abbreviare : Vivian. in praxi jurispatronat., part. 2, lib. VII, capit. 7. Castropalao loc. cit., punct. 5, n. 8. Barbosa loc. cit., num. 143. Alphonsus de Leone quæst. 4, praxi 5, n. 87, ubi citat Rotam in Salamantina Beneficii 4 Februarii 1630, coram Ghislerio, in qua fuit expresse resolutum, ordinarium non posse restringere neque abbreviare tempus patronis concessum a jure ad præsentandum, quia indultum a jure beneficium non potest per judicem tolli, cap. *Indultum* 71. De regul. juris in 6, ibi : « Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. »

(33. Patroni jurispatronatus mixti possunt omnes præsentare intra semestre ; Rota part. 19, recent. t. I, dec. 129, n. 3, et decis. 298, n. 1, 4 et seqq., cum communi doctorum. (34. Tale enim juspatronatus mixtum gaudet privilegio jurispatronatus ecclesiastici ad effectum præsentandi intra semestre ; Rota part. 12, dec. 250, n. 15, et part. 13, decis. 376, n. 4 et 5. (35. Etiamsi minor pars sit clericorum : Rota part. 11, decis. 250, n. 13 et 14. (36. Ita tamen ut patroni, uti laici, intra quadrimestre ad præsentandum ante episcopi institutionem possint variare ; Rota ibid., n. 19. (37. Quin amittant tanquam clerici semestre ad præsentandum ; Rota ibidem, n. 20 et 21. (38. Quia in jurepatronatus mixto semper attenditur qualitas favorabilior patronis ; Rota ibid., n. 22 et 23.

(39. Tempus ad præsentandum non currit patronis, nisi a die scientiæ seu habitæ notitiæ vacationis ; arg. cap. *Quia diversitatem* 5, De concessione præbendæ, ibi : « Semestre autem tempus non a tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius potius volumus computari. » Et sic communis cum Garcia, De beneficiis, part. 10, cap. 2, num. 34. Barbosa loc. cit., num. 134, et Rota par. 2, rec. dec. 10, n. 7, decis. 173, num. 1, et dec. 406, num. 1. (40. Et quidem dictum tempus currit solum a die scientiæ veræ et certæ, nec sufficit dubia ; Rota par. 5, tom. I, dec. 15, num. 12. Ita ut probatio scientiæ debeat esse vera et concludens, nec præsumptiva sufficiat ; Rota par. 2, dec. 173, n. 1. Barbosa loc. cit., num. 35 et 36, cum pluribus aliis ibi citatis ; arg. cap. *Præsumitur* 46, De reg. juris, in 6, ibi : « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. » (41. Nisi ignorantia vacationis sit inverisimilis, quo casu tempus currit a die ipsius vacationis ; Rota part. 3, decis. 377, num. 3. Præsumitur autem ignorantia potius quam scientia, si beneficiatus decesserit extra locum beneficii, et habitationis patronorum ; Rota par. 3, dec. 21, num. 1. (42. Similiter non currit tempus patrono legitime impedito aut absenti, ut si patronus sit absens reipublicæ causa, vel injuste carceratus, vel si non haberet tutum accessum propter perhorrescentiam alicujus inimici ; tempus enim non currit legitime impedito, arg. cit. cap. *Quia diversitatem* 5. De concessione præbendæ ;

Digitized by Google

in cujus summario sic expresse dicitur : « Semestre ad eligendum seu conferendum a jure præfixum non currit legitime impedito, » et cap. *Ne pro defectu*, De election., ibi : « Justo impedimento cessante, » Rebuffus De Patron. poss., n. 304. Barbosa cit., alleg. 72, n. 138, et lib. III juris ecclesiastic. univers., c. 12, n. 170, et communis aliorum. (43. Præsentatio intra prædictum tempus datum a jure potest fieri a patronis quocunque die, etiam feriato, et etiam paschali, cum sit quid extra judiciale, et sapiat spiritualitatem. Communis cum Barbosa cit. allegat. 72, num. 144 et seq.

(44. Patronus ecclesiasticus semel ac aliquem idoneum præsentavit, non potest amplius variare, seu pro illa vice alium præsentare, etiam cumulative; quod tamen si fecerit, debet episcopus primo præsentatum instituere, textu claro in cap. *Quod autem* 5, cap. *Cum autem* 24, et cap. *Pastoralis* 29. De jurepatronatus; Rota par. 13, recent. dec. 14, num. 18, par. 17, dec. 250, num. 15. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatronatus, num. 15, ubi expresse dicit quod patronus ecclesiasticus non potest variare præsentando alium etiam cumulative, et sic tenent etiam alii communiter. (45. Patronus autem laicus potest variare præsentando secundum cumulative, non tamen privative ex exclusive hoc est, potest uni præsentato alium adhuc adjungere, et episcopo, quem instituere velit, relinquere. Non vero potest primum penitus excludere, arg. cit c. *Cum autem* 34, de jurepatronatus, ubi, cum relinquatur arbitrio episcopi quis ex duobus a patrono laico successive præsentatis instituatur, aperte declaratur primam præsentationem non fuisse revocatam, alioquin episcopus non posset primum præsentatum instituere. Et sic in cit. cap. *Cum autem*, tenent Joan. Andr., n. 6. Abbas, n. 2. Ancharanus, n. 3. Barbosa, n. 2. Fagnan., n. 6, ubi ex Lambertino testatur sic tenere communem canonistarum et legistarum. Et sic Rota par. 9, tom. I, dec. 235, n. 5, par. 14, dec. 431, n. 5, et sæpe alibi.

(46. Ipse tamen patronus laicus potest semel tantum variare, arg. cit. cap. *Quod autem* 5, cap. *Cum autem* 24, cap. *Cum dilectus* 28, et cap. *Pastoralis* 29, De jurepatron. ubi tum textus, tum summaria loquuntur tantum de duobus successive, et non de pluribus. Et sic tenet Rota par. 13, recent. dec. 14, sub. n. 18, et dec. 178, n. 4, par. 14, dec. 262, n. 5. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatron., n. 8, et efficaciter probat Calderin. Cons. 16. An laicus, tit. De jurepatronat., Garcias De benefic., par. 5, cap. 9, n. 214. Roch. de Curte De jurepatronat., quæst. 10, verb. *Honorificum*; Lambertin. De jurepatronat., lib. II, par. 2, quæst. 7, art. 23. Navarr. in cap. *Placuit* De pœnitent., dist. 6, n. 167 et seq. et pluribus aliis citatis, Barbosa par. 3, De offic. et potest. episc. cit. allegat. 72, num. 161, ubi citat etiam Rotam in Compostellana Parochialis 20 Febr. 1630, cor. Merlino.

(47. Sunt autem multi qui tenent posse patronum laicum intra quadrimestre cumulative variare non solum semel, sed bis, ter, quater, et quoties voluerit. Sic Glossa in Clementin. *Plures* 2, De jurepatron., verb. *Præsentare*; Abbas in cap. *Quanto*, De judic., et ibi etiam Decius, Castropalao par. 2, tract. 13, disp. 2, punct. 6, n. 3. Azorius par. 2, lib. VI, c. 2. Perez de Lara, De anniversers., lib. II, c. 9. n. 8. Navarr. in suis Sign. canonic., concl. 112, n. 3. Alphonsus de Leone, quæst. 4, prax. 5, num. 98, et probabilius Reiffenst. lib. III, Decret., tit. 38, sub num. 58, arg. cit. cap. *Quod autem* 5, cap. *Cum autem* 24, et cap. *Pastoralis* 29. Et ratio istorum est, quia talis cumulativa variatio non est odiosa, sed favorabilis Ecclesiæ, quia quanto plures ei præsentantur, pinguiorem habet facultatem eligendi, et acquirendi digniorem rectorem. Unde ad id quod in contrarium adducitur, quod variatio sit restringenda, utpote odiosa, dicunt esse quidem odiosam variationem exclusivam, non autem cumulativam, quæ potius est favorabilis. Et licet in citatis juribus tum textus tum summaria loquantur tantum de duobus successive, per hoc tamen non excluditur tertius, quartus, quintus, etc., cum dicta jura loquantur tantum de duobus, ex quo solum de duobus se obtulit casus, qui si de pluribus se obtulisset, de pluribus etiam dicta jura locuta fuissent.

(48. Conveniunt tamen communiter doctores utriusque sententiæ quod patronus laicus, sicut potest duos cumulative præsentare successivis temporibus, ita potest præsentare plures simul unico contextu, dummodo id agat etiam cumulative, eo modo ut episcopus alterum eligat et admittat. Rota par. 16, dec. 240, n. 10. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatron., n. 5, et alii passim, arg. cap. Clementin. *Plures* 2, De jurepatronat., § final. (49. Item conveniunt satis communiter doctores quod, si patronus laicus prima vel secunda vice fecit præsentationem nullam, veluti si præsentavit coram non habente potestatem instituendi, possit intra quadrimestre tertium præsentare, quia tunc, sicuti patronus, potest præsentare sic secundum ex toto, recedendo a primo : arg. c. *Cum laicis* 10, De jurepatronat., per quem textum ita tenet ex Abbate, et aliis Fagnan. in cit. cap. *Cum autem*, n. 10 et 24, eodem modo potest præsentare tertium. Prima enim præsentatio, cum sit nulla, non computatur in numero præsentationum, et sic non impedit quin secunda præsentatio sit prima, et tertius cumulative præsentatus sit secundus, quia, ut expresse dicitur in cap. *Non præstat* 52, De regul. juris in 6. « Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum : » adeoque patronus laicus, qui sic nulliter præsentavit prima vel secunda vice, poterit intra quadrimestre tertium, qui erit secundus, præsentare. Fagnan. cum aliis in cit. c. *Cum autem*, n. 9 et 11. Reiffenstuel l. c., n. 59. Rota part. 12, recent. decis. 154, n. 15. (50. Idem dicendum venit, si patronus prima vel secunda vice

Digitized by Google

ignoranter præsentavit inhabilem seu indignum. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem*, n. 12, cum Joann. Andr. et Cardinal. in cap. *Cum vos* 4, De officio ordinar. In tali enim casu patronus est sine culpa, sine qua nemo est privandus jure suo, cap. *Sine culpa* 23, De regul. juris in 6, ibi : « Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. »

(51. Non potest tamen patronus, lite pendente, nec etiam cumulando variare. Rota part. 5, recent. tom. I, decis. 607, num. 4.

(52. Nec ea durante inter duos præsentatos, alium tertium præsentare sine vitio attentati. Rota part. 2, decis. 504, n. 2. Barbosa cit. allegat. 72, n. 162, ubi citat plures alios, et adducit etiam decisionem Rotæ.

(53. Minus vero, lite pendente super titulo beneficii inter provisum apostolicum, et præsentatum, iterum alium præsentare potest. Rota part. 2, dec. 206, n. 8. Ita ut, neque possit cumulando præsentare collitigantem. Rota ibidem. (54. Prout neque in locum mortui alium præsentare potest. Rota part. 3, dec. 336, sub n. 3, Barbosa loc. cit., cum aliis.

(55. Ratio autem quare ex supra dictis patronus laicus variare possit, et non ecclesiasticus, multiplex a doctoribus assignatur. Prima, et verior, est quia præsentatio ecclesiasticorum vim habet electionis, in qua electione non cadit variatio, cum statim electo acquiratur jus in re cap. *Publicato* 58, De electione, ibi : « Publicato scrutinio variare nequeunt electores » et ibi, Glossa verb. *Variare*. Non sic autem præsentatio laicorum, quia præsentatus ab istis acquirit tantum jus ad rem. Unde sicut non tenet secunda electio, prima non cassata, cap. *Consideravimus* 10, et cap. *Auditis* 29, De election., ita nec secunda præsentatio ecclesiasticorum, Joan. Andreas in cap. *Cum autem* 24, De jurepatronat., n. 7. Butrius ibid., n. 9. Abbas ibid., n. 7. Ancharan. ibid., n. 5. Innocent., ibidem in fine, Fagnan. ibid., n. 19, Gonzal. Ad regul. 8, Cancel. gloss. 15, § 2, n. 1, Barbosa cit. alleg. 72, n. 154, ubi citat Rotam, et plures alios doctores. (56. Secunda ratio potest esse, quia clerici facilius et melius possunt invenire et cognoscere clericos idoneos quam laici, qui, cum sint extra clericalem militiam, possunt titubare, Lambertin. De jurepatronat., lib. II, p. 3, quæst. 7, artic. 2. Barbosa loc. cit., n. 155, et alii. (57. Tertia ratio potest esse, quia clerici patroni pinguius jus habent, quam laici, ut dicit Glossa in cit. c. *Cum autem* 24, De jurepat., verb. *Persona*, id est ex præsentatione clerici plus juris tribuitur præsentato, quam ex præsentatione laici, ut explicat cardinal. num. 4, vers. Quæro quæ est ratio, cum. Fagnan. loc. c., n. 15, firmius enim debet esse verbum ecclesiasticorum, quam laicorum, cap. *Inter corporalia* et *spiritualia* 2, De translation. episcop., et Clement. *Cum illusio unic.*, De renuntiation., ibi : « Cum illusio et variatio in personis ecclesiasticis maxime sint vitandæ. » Imo pactio, sive locutio, vel dictum etiam cujuscunque firmius est, si agatur in foro ecclesiæ, ut notatur in cap. *Antigonus* 1, et capit. *Qualiter* 3, De pactis; Fagnan. loc. cit., n. 16, et alii. (58. Quarta ratio potest esse, quia laici habent tantum quadrimestre ad præsentandum, ecclesiastici vero semestre; unde æquum videtur, ut qui gravantur in uno, releventur in alio; l. Eum qui, ff. De jurejur. l. Jure succursum 6, ff. De jure dotium : et sic, cum patroni laici graventur in hoc quod tantum habeant quadrimestre, releventur in alio, id est in hoc quod possint variare. Barbosa cit. allegat. 72, n. 155, Reiffenstuel lib. III Decretal., tit. 38, n. 57, et alii.

(59. Inter varia jura quæ patrono ratione juspatronatus competunt, quatuor præcipue assignantur in cap., *Nobis* 25, De jurepatron., et a Glossa ibid., in fine, enumerantur in sequentibus duobus versiculis.

Patrono debetur honor, onus, utilitasque.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

(60. Patrono ita competit jus præsentandi, ut, si clericum habilem et idoneum præsentet, episcopus vel alius ad quem spectat institutio, eum admittere, et in beneficio instituere teneatur; cap. *Significasti* 18, De jurepatron., cum similibus, et communis doctorum. (61. Dummodo tamen præsentet in tempore a jure statuto, quod est quadrimestre pro patrono laico, ex dictis supra n. 23, et semestre pro patrono ecclesiastico, ex adductis n. 26. (62. Nisi a fundatore in fundatione cum consensu episcopi fuerit tale tempus prolongatum vel abbreviatum, uti posse sic prolongare et abbreviare cum episcopi consensu, et episcopum non posse ipsum consensum denegare, aliter superior suppleret, docet Lambertin. De jurepatronat., part. 2, lib. I, quæst. princip. 28, art. 7. Ventriglia tom. II, De jurepatronat., annot. 1, § 3, n. 33, et communis aliorum. Cum fundator beneficii possit in limine fundationis cum consensu episcopi apponere conditiones et pacta sibi benevisa, etiamsi juri communi sint contraria, et episcopus teneatur illa admittere, alias superior suppleret, ut docet, et testatur de communi Monacell. part. 1, tit. 2, formul. 1, n. 7, et seq. et tenet Rota part. 1, recent. decis. 530, n. 2, cardin. de Luca, De jurepatronat., disc. 15, sub n. 6, disc. 20, n. 16, discep. 68, n. 8, De benefic., disc. 33, n. 6, disc. 95, n. 8.

(63. Hinc, sine consensu patroni in tempore a jure vel fundatore statuto habilem præsentantis, episcopus alteri conferre non potest beneficium jurispatronatus; et si, ipso patrono contradicente, conferatur ab episcopo, collatio est irritanda, et facienda ad præcisam præsentationem ipsius patroni, cap. *Decernimus* 32, caus. 16, quæst. 7, ibi : « Quod si spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem præsumpserit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos iidem ipsi fundatores con-

Digitized by Google

dignos elegerint, ordinari; » et arg. cap. *Ex insinuatione* 14, cap. *Significasti* 18, cap. *Nobis* 25, De jurepatron., cum similibus. Et sic tenet communis doctorum.

(64. Papa tamen, si velit, potest libere disponere de beneficiis patronatis, nedum ecclesiasticorum, sed etiam laicorum, etiam invitis patronis. Communis cum Glossa in Clement. *Per litteras* 2, De præb. verb. *Apostolicis;* Fagnan. in c. *Quoniam* 3, De jurepatronat, n. 9. Reiffenstuel lib. III, Decretal., tit. 38, n. 63, arg. cap. *Licet* 2, De præbend., in 6. Cum enim juspatronatus, quod laici in ecclesiis habent, gratiosum sit, eosque ecclesia in tali potestate ex gratia sustineat, ut expresse dicitur in cit. cap. *Quoniam*, ibi : « Potestate, in qua eos ecclesia hucusque sustinuit, abuntur, » etc., stat clarum, quod papa ex plenitudine potestatis possit tali juripatronatus derogare arg. cap. *Omnis res* 1, De regul. juris, ibi : « Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

(65. Sed non expedit ut papa de jurepatronatus laicorum sic ipsis invitis disponat, ne laici a fundationibus retrahantur, ut notant communiter doctores, et quia « patronorum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est » ut dicit conc. Trid. sess. 25, *De reform.*, cap. 9. (66. Unde nunquam Papa censendus est velle derogare juripatronatus proprio laicorum, nisi id clare exprimat. Fagnan. loc. cit., n 11. Reiffenst. loc. cit., n. 63. Geminian. cons. 38, Pro clariori, n. 13, vers. Ex iis ergo patet; Felin. in tract. Quando litteræ Apostolic. præjudic. patron. in princip. et alii passim.

(67. Non sic autem de jurepatronatus ecclesiasticorum, cui papa censetur derogare per simplicem concessionem, unionem, aut reservationem ab ipso factam. Communis cum supracitatis. In tali enim jurepatronatus ecclesiasticorum cessant motiva non libere ei derogandi, quæ occurrunt in jurepatronatus laicorum. (68. Imo juripatronatus ecclesiastico potest derogare etiam legatus summi pontificis, qui potest sibi reservare nondum vacantia beneficia jurispatronatus ecclesiastici, eaque vacantia conferre, etiam absque consensu patroni; quamvis non sic beneficia jurispatronatus laicalis, arg. c. *Dilectus* 6, De officio legati; et cap. *Cum dilectus* 28, De jurepatronatus : et ibi Abbas n. 2, Barbosa n. 1, et communis aliorum. Et ratio adducitur in cit. cap. *Cum dilectus*, scilicet, quia patronus ecclesiasticus subest jurisdictioni legati pontificii, et non sic patronus laicus. (69. Si autem juspatronatus sit mixtum, tunc legatus pontificius nec reservare nec conferre potest beneficium invitis patronis, quia patronus clericus participat de privilegio patroni laici, cum in jurepatronatus mixto semper attendatur qualitas favorabilior patronatus. Rota par. 12, rec. dec. 230, n. 22 et 23, et fuit dictum supra a n. 33 ad 38.

(70. Patronus potest nominare laicum, dummodo iste reperiatur clericus tempore præsentationis. Vivian. De jurepatron. lib. VI, cap. 7, n. 50, par. 2. Rota post eumdem dec. 148, n. 15, et seq. et part. 19, recent. dec. 621, n. 22, et in Farfen. Canonicatus 8 Junii 1711, § Postremo, coram Molines, Garcias De beneficiis, p. 7, cap. 1, num. 32 et seq. Parisius De resignat., lib. IV, q. 2 et 6. Piton. De controvers. patronorum, alleg. 100, n. 436. (71. Imo patronus potest etiam præsentare laicum coram ordinario sub conditione quod clericetur intra tempus statutum ad præsentandum, cum in hoc casu præsentatio collata videatur in tempus quo præsentatus erit capax per assecutionem clericatus ante institutionem. Parisius De resignat. benefic., lib. IV, quæst. 2, n. 5 et 6, citans Rotam, in Imolensi jurispatronatus 19 Novem. 1594, coram Orano, cujus Rotæ, et Parisii sententiam in sensu conclusionis videtur sequi etiam Barbosa De offic. et potest episcop., par. 3, allegat. 72, n. 78, uti de facto pro seipsum citat Pitonius l. c., n. 437, et sic tenet etiam Garcias De beneficiis, p. 7, c. 1, n. 28 et 29. De Luca De jurepatron., disc. 45, n. 7. Modern. Roman. discept. 13, n. 45. Rota post Vivian. De jurepatronat. dec. 147, n. 19, et admisit Rota in Volaterana Beneficii 7 Decemb. 1709, § Nec valuit, coram Crispo, et sic tenuit etiam Rota apud Peniam decis. 4 et 147, n. 20, et in aliis, et Pyrr. Corrad. in Praxi Benefic., lib. IV, c. 6, n. 31 et 32, ut refert Cardin. de Luca cit. dec. 45, n. 5, et alii plures.

(72. Multi tamen, ut Ventriglia tom. II, annot. 7, n. 12, et sequent. citans alios, Reiffenstuel, lib. III Decretal., tit. 38, n. 71. Castropalao, et Gonzal. apud ipsum, et alii tenent oppositum, scilicet, quod patronus non possit præsentare laicum sub conditione futuri clericatus, nec alium aliunde incapacem sub conditione futuræ capacitatis intra tempus ad præsentandum statutum, v. g. sub conditione ætatis seu dispensationis acquirendæ, et hujusmodi, volentes quod in beneficiis attendatur capacitas tempore præsentationis; at hæc opinio non habet sequaces, uti dicit Pitonius cit. oper. De controvers. patronorum, allegat. 1, sub, n. 23, in fine, ubi expresse dicit, quod modus præsentandi inhabilem sub conditione habilitatis intra terminum juris superventuræ, est omnino licitus, et sic etiam modus se opponendi cor. institutore, quem servare possunt passive vocati, si per patronos omittantur; possunt enim comparere, et instare pro institutione, v. g. « Si, et postquam effecti fuerint clerici, aut dispensati ab ætate. » Hæc enim præsentatio, aut oppositio, seu instantia non expletur pure, sed pendet ab eventu seu conditione habilitatis purificanda intra quadrimestre, et interim remanet in pendulo; unde aut non purificabitur conditio intra terminum, et nulla adesse dicitur præsentatio seu oppositio; aut purificatur, et tali casu clericatus seu dispensatio retrotrahitur ad diem præsentationis et oppositionis, ut commu-

Digitized by Google

niter dixerant supracitati doctores, et Rota sub. n. 91. Hæc ille.

(73. Quamvis autem modus sic præsentandi sit omnino licitus, Cardinalis de Luca De jurepatronatus, cit. dec. 45, n. 8, dicit quod melius esset quod patronus differret præsentationem usque ad ultimum diem vel horam termini a lege præfiniti ad præsentandum, atque ita exspectare capacitatem personæ sibi placitæ, quæ ob superventam capacitatem posset tali tempore validissime adhuc præsentari, ut tenet communis cum Pitonio De contr. patr., allegat. 2, n. 24, et alleg. 4, n. 23.

(74. Patrono recusante præsentare quem nominavit fundator, potest ille nedum irrequisito, sed imo etiam invito domino, comparere cor. Superiore, et institutionem obtinere. Communis cum Card. de Luca De jurepatron. disc. 20, n. 7, vers. Etiam sine præsentatione, Piton. cit. opere, alleg. 82, n. 10. Rota cor. Burrat. dec. 755, n. 2, et in rec. dec. 68, n. 2. part. 12, et in Valentina Beneficii 9 Jan. 1693. § Moti, et 3 Apr. ejusdem anni § fin. coram Molines impress. apud Piton. Discept. eccles., 7, n. 31.

(75. Patronus nequit præsentare seipsum, quamvis sit clericus, et undequaque dignissimus. Communissima, textu expresso in cap. *Cum ad nostram* 7, De institutionibus, et cap. *Per nostras* 26, De jurepatronatus ; præsentatio enim sui ipsius sapit ambitum, seu vitium ambitionis, ut innuitur in cit. cap. 26 De jurepatronatus. Tum quia, ut expresse dicitur in cit. cap. *Cum ad nostram* 7, De institutionibus ; « inter dantem et accipientem debet esse distinctio personalis. » (76. Imo patronus non potest præsentari a procuratore a se constituto ad præsentandum, quia virtualiter seipsum præsentare censeretur, arg. cap. *Qui facit* 72, De reg. juris, in 6, ibi : « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum. » Communis cum Rota decis. 185, par. 2, diversar. Castropalao part. 2, tract. 13, disput. 2, punct. 7, n. 2. Barbosa lib. III Juris ecclesiastic. univers. cap. 19, n. 193, et par. 3, De offic. et potest. episcop., alleg. 72, n. 87.

Potest tamen patronus rogare episcopum ut, si inveniatur dignus, sibi illud conferat ; sivedebet juspatronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo exspolietur jure patroni, quando donationem approbaverit episcopus, vel saltem episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione beneficium, et beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum. Benedictus XIV, Institution. eccles. 95, § 5.

(77. Potest etiam patronus acceptare beneficium, si hoc eidem, absque prævia præsentatione sui ipsius, motu proprio confert episcopus ; tunc enim non præsentat seipsum, nec collatio habet originem a seipso, sed ab ordinario superiore vocatur, cui vocationi ipse consentire potest ; alioquin patronus esset deterioris conditionis quam alii clerici, ipsique obesset quod beneficium fundaverit, quod non est dicendum ; Barbosa cit. lib. III, Jus ecclesiastic. unic., cap. 12, n. 199, et cit. alleg. 72, n. 90. Abbas in cit. c. *Per nostras* 26, De jurepatronat. 31. Pirhing. lib. III Decretal., tit. 38, n. 73, et alii passim. (78. Imo potest patronus rogare et supplicare episcopum ut ipsi conferat beneficium, quo casu poterit episcopus illum gratificando admittere ; Lambertin. De jurepatronat. lib. II, par. 1, q. 8, art. 3. Zerola in praxi episc. part. 1, § 2. Pirhing. loc. cit., n. 91. Barbosa cit. cap. 12, n. 199. Rota in Regiensi Jurispatronatus 19 Januar. 1624, coram Pirovano, et in ead. 5 Maii 1625, coram Ubaldo, et in Barchinonen. Beneficii 2 Maii 1625, cor. Pirovano.

(79. Patronus potest præsentare filium, aut alium consanguineum, vel conjunctum ; filii enim, consanguinei, vel conjuncti ipsius patroni non debent esse deterioris conditionis quam alii ; aliòquin juspatronatus, quod est introductum in favorem fundatoris, retorqueretur in odium ipsius et suorum, quod nullatenus est dicendum, cum sit expresse contra c. *Quod ob gratiam* 61, De Regul. Juris in 6, ibi : « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, » et sic tenet communis doctorum, et docet praxis universalis.

(80. Si plures sint patroni, potest unus præsentare alterum, dummodo sit habilis. arg. cap. *Cum in jure* 33, De election., ubi habetur, quod compromissarii unum ex seipsis eligere possint, et concordat cap. *Ne pro defectu* 41, cap. *Quia propter* 42, De election., cum similibus, ubi eligentibus permittitur unum ex seipsis eligere, ut servat praxis universalis, et sic tenet communis doctorum cum Glossa in c. *Consuluit* 15, De jurepatron., verb. *Concedant*.

(81. Patronus ecclesiasticus tenetur sub mortali præsentare digniorem ad beneficia curata seu parochialia, sive præsentatio fiat in concursu, sive extra concursum. Communis cum Reiffenstuel lib. I, Decretal., tit. 6, De election., § 10, a n. 241, et lib. III, tit. 38, De jurepatronatus, n. 77, vide verb. *Beneficia*, art. 5, a n. 17 ad 27, ubi late probata fuit hæc conclusio. (82. Non sic autem patronus laicus, sed sufficit quod præsentet dignum seu idoneum ; Fagnan. in cap. *Quoniam* 3, De jurepatron., n. 15. Garcias De beneficiis, part. 7, cap. 16, n. 19. Barbosa in c. 18, sess. 24 concil. Trident., n. 152, cum pluribus ab ipso citatis contra alios plures ibi ab ipso adductos, et contra Reiffenstuel lib. III Decretal., tit. 78, a n. 81, ubi ait et probat quod probabilior et merito tenenda est sententia contraria, dicens, etiam patronos laicos graviter obligari ad sic præsentandum digniorem. At vide cit. verb. *Beneficia*, art. 5, n. 34 et 35, ubi cum plurimis fuit conclusum contrarium. Fateor tamen opinionem Reiffenstuel, et aliorum adversariorum esse vere probabilem.

(83. Hinc quando patronus laicus præsen-

Digitized by Google

sentat clericum dignum ad beneficium etiam curatum, tenetur episcopus eum instituere, non obstante quod judicet aliquem alium fore digniorem; arg. *Cum nobis* § *Hic igitur* 10, et cap. *Cum dilectus* 32, De elect. Est communis doctorum. (84. Imo præferendus est præsentatus a majori parte patronorum, dummodo sit idoneus et dignus, licet alius præsentatus a minori parte sit dignior, quia non est facienda comparatio zeli ad zelum, aut meriti ad meritum, sed numeri ad numerum; Glossa in cap. *Quoniam* 8, De jurepatronatus, verb. *Majoribus*; Fagnan. ibid., n. 15. Hostiensis ibidem 5, in verb. *Eligitur*; Lambertin tract. De jurepatronatus, lib. II, part. 3, quæst. 4, artic. 2 et 3. Barbosa De offic. et potest episcop., par. 3, allegat. 72, n. 199, et alii ibi citati; Rota par. 9, tom. I, recent. dec. 235, n. 7, et part. 19, tom. I, decis. 298, n. 8 et 9.

(85. Patronus tum ecclesiasticus, tum laicus non tenetur præsentare digniorem, sed sufficit quod præsentet dignum ad beneficia simplicia et non curata; Vide d. verb. *Beneficia*, art. 5, n. 28 ad 30, ubi est satis probata conclusio.

(86. Patronus ecclesiasticus præsentans scienter indignum privatur ea vice jure præsentandi, et devolvitur potestas libere conferendi ad ordinarium; Fagnan. in cap. *Cum vos* 4, De officio ordinar. n. 27, et sequent. Barbosa De offic. et potest. episcop., cit. allegat. 72, n. 105, et communis, ac certa aliorum; arg. cap. *Sicut nobis in fine* 2, De supplenda negligentia prælator., et ibi Glossa fin. Et faciunt textus in cap. *Cum in cunctis* 7, § Cleric. sane, et cap. *Innotuit* 20, De elect., et cap. *Quanquam* 18, eod. in 6, ubi eligentes scienter indignum privantur ea vice jure eligendi. (87. Secus vero si ignoranter et inculpabiliter præsentent indignum, quia, tunc præsentatione per ordinarium rejecta, habent novum semestre ad alium præsentandum; argum., cap. *Si electio* 26, De election., in 6, ubi juris terminus ad eligendum de novo conceditur, quando eligentes ignoranter et inculpabiliter eligunt indignum, cujus electio ob vitium ab electoribus sic ignoratum cassatur. Sic communis Doctorum cum Lambertino par. 1, lib. II, q. 10, art. 4, n. 15. Fagnan. in cit. c. *Cum vos*, n. 32. Abbate ibidem n. 5. Joan. Andrea ibidem, n. 13.

(88. Patronus laicus præsentans scienter indignum, privatur probabilius etiam ipse ea vice jure præsentandi, et devolvitur potestas libere conferendi ad ordinarium; sic habetur expresse ex constitut. Novell. 123, De sanctissim. episcopis § Si quis oratorii domum 18, ubi sic statuitur: « Si vero, qui ab eis (scilicet patronis laicis) eliguntur, tanquam indignos prohibent sac. regulæ ordinari, tunc sanctissimus episcopus quoscunque putaverit meliores, ordinari procuret. » Et concordat Novell. 131, cap. 10. *Si quis ædificationem*. Item l. Cum quidam ita, ff. de legat., 2, et ibi Glossa, ubi probatur eum, qui electionem ex dispositione testatoris habet, privari potestate eligendi, si eligit indignum. Et sic tenet Abbas in cap. *Cum vos* 4, De offic. ordinarii n. 5, ubi dicit hanc sententiam esse verissimam, et allegat doctores de Rota idem tenentes dec. 205. Cardin. de Luca De jurepatronat., disc. 47, a n. 2, ubi adducit Rotæ decisionem, et dicit hanc sententiam esse magis communiter receptam, et eam solide probat solvendo contraria: Lambertin. De Jurepatronat., par. 1, lib. II, qu. 10, art. 4, citans plures alios; Joan. de Lignan. in Clement. 1, De jurepatronat., Geminian. in cap. 1, De præbend., in 6. Barbosa De offic. et potest. episcop., cit. allegat. 72, n. 105, cum plurimis aliis ibi citatis; Rota p. 2, rec., dec. 206, n. 7, par. 14, dec. 291, n. 8, et alias repetitis vicibus tenuit Rota, teste Fagnano in cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii, n. 39, ubi citat alios doctores pro ista sententia: quamvis ipse ibidem a n. 46, dicat contrariam esse æquiorem et benigniorem, et videri etiam de jure veriorem. Reiffenstuel lib III Decretal., cit. tit. 38, n. 87 ad 89, et alii plures.

(89. Et probatur a fortiori hæc nostra sententia, quia, si illi qui de jure communi habent potestatem eligendi, vel conferendi beneficium, ipso facto privantur tali jure seu potestate, quando eligunt seu instituunt indignum, ut in cap. *Cum in cunctis* 7, § final. De electione ergo, a fortiori et multo magis debent privari tali jure patroni qui illud habent ex sola gratia; cap. *Quoniam* 8, De jurepatronatus, cum jus commune difficilius tollatur quam privilegium, leg. Ejus militis § Militia, ff. De militar. testament.

(90. Vere probabilis tamen est sententia contraria, docens quod patronus laicus scienter præsentans indignum seu inhabilem, ea vice nec privatus nec privandus sit jure præstandi. Et hanc tenent Glossa in cap. *Cum vos* 4, De officio ordinar., verb. *Minus idoneæ*, et ibidem late Fagnan. a n. 35 usque in fin. Imola n. 6. Ancharanus n. 4. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, n. 104, et alii plures, arg. cit. cap. *Cum vos*, ubi certo præsupponitur indignum fuisse præsentatum a patrono laico, et tamen non devolvitur ad episcopum jus providendi de rectore ecclesiæ, sed solum potestas constituendi œconomum, quod satis demonstrat patronum laicum non fuisse privatum jure præsentandi, cum episcopus non providerit de rectore seu beneficiato ecclesiæ, aut de beneficio, sed solum de œconome seu administratore beneficii adhuc vacantis. Et ratio est quia, si licitum est patrono laico variare, et alium præsentare, quando præsentavit idoneum; arg. cap. *Cum autem* 23, De jurepatronatus; multo magis licitum est si præsentavit indignum, cum variatio præcipue concedatur a jure, quando actus est illicitus, ut notat Joan. Andreas in cit. cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii, arg. capit. *Nostri* 9, De election. et cap. *Diversis fallaciis* 5, De clericis conjugat. Tum quia in puncto juris patronatus mitius est agendum cum laicis quam cum clericis, ne ipsi laici a fundationibus retrahantur. Glossa magna in fine, et

Digitized by Google

Hostiensis n. 10, in cap. *Cum dilectus* 28, De jurepatronatus, et plene notatur in cap. *Dilectus* 6, De officio legati; tum quia nullibi reperitur in jure statuta hæc pœna, quod patronus laicus scienter præsentans indignum, sit pro ea vice ipso jure privatus potestate præsentandi; quamvis enim hæc pœna privationis sit expressa pro eligentibus scienter indignum in cit. c. *Cum in cunctis* 7, § final. De election., hinc tamen non sequitur, ut locum habere debeat in præsentantibus indignum; arg. cap. *Statutum* 22, De election., in 6, cum præsertim subsit etiam diversitas rationis, nam eligentes tribuunt jus in re, præsentantes autem solum jus ad rem; cap. *Cum Bertholdus* 18, De sententia et re judicata, ut dicit Fagnan. in cit. cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii, n. 54, ubi n. 55, subjungit hanc sententiam fuisse approbatam a sacra congregatione Concilii, quæ si in forma authentica adduceretur, ob auctoritatem tot undequaque eminentissimorum Patrum non esset ab ipsa recedendum.

(91. Certum autem est, et communiter tenent doctores utriusque sententiæ, quod si patronus laicus ignoranter præsentet indignum, non privetur jure suo, sed possit variare : quia, si non privatur jure suo patronus ecclesiasticus præsentans ignoranter indignum, ut probatum est supra n. 87, multo minus privabitur patronus laicus, utpote cui jura in hoc puncto magis favent quam illi, ut patet ex dictis n. antecedenti. Communissima arg. cap. *Cum vos* 4, De Officio ordinarii.

(92. Quando plures æque digni præsentantur ab eodem patrono laico, potest episcopus ex ipsis libere instituere quem velit, textu expresso in cap. *Cum autem* 24, De jurepatronatus, ibi : « Cum autem advocatus clericum idoneum episcopo præsentaverit, et postulaverit postmodum, eo non refutato, alium æque idoneum in eadem ecclesia admitti, quis eorum alteri præferatur, judicio episcopi credimus relinquendum, si laicus fuerit cui jus competit præsentandi. » Sic communis doctorum. (93. Si autem plures præsententur a patrono ecclesiastico, ille institui debet, qui prius fuit præsentatus, textu etiam expresso in cit. cap. *Cum autem*, ibi : « Verum si collegium vel ecclesiastica persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur. » Fagnan. ibidem n. 1. Abbas ibidem n. 1. Barbosa ibidem n. 1, et alii communiter. Et ratio est clara, quia cum patronus ecclesiasticus non possit variare præsentando alium etiam cumulative, per textum in cap. *Quod autem* 5, c. *Cum autem* 24, et c. *Pastoralis* 29, De jurepatronatus, ut fuit dictum supra n. 44, hoc ipso prima præsentatio valebit.

(94. Quando plures inæqualis dignitatis aut meriti simul vel successive ab unico patrono laico præsentantur, episcopus tenetur instituere digniorem; arg. cit. cap. *Cum autem*, ubi tunc præcise relinquitur libertas episcopo, quando æque idonei præsentantur, adeoque a sensu contrario si non æque idonei præsentantur, debet conformiter justitiæ distributivæ instituere digniorem; argum. c. *Licet ergo* 15, caus. 8, quæst. 1. Fagnan. in cap. *Cum autem*, n. 18. Abbas ibidem, n. 5. Barbosa De offic. et potest. episcop., alleg. 72, n. 201. Castropalao p. 2, tr. 13, disp. 2, punct. 9, n. 3. Azorius p. 2, lib. VI, cap. 22, q. 14. Reiffenstuel lib. II Decretal., cit. tit. 38, n. 107, et alii passim.

(95. Item quando plures inæqualis dignitatis aut meriti præsentantur a pluribus patronis cum æquali numero vocum, episcopus tenetur instituere digniorem; cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, ibi : « Præsenti decreto statuimus ut, si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præferatur ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis. » Et sic tenent Innocent. ibidem, in fine, Joann. Andreas in cap. *Cum autem* 24, De jurepatronatus, n. 3. Barbosa ibidem, n. 8, et cit. alleg. 72, n. 201, cum aliis ibi citatis. Castropalao loc. cit., disp. 2, punct. 9, n. 3. Roch. de Curte De jurepatronat., in verb. *Honorificum*, q. 16. Lambertin. et alii plures apud Ricc. in Praxi, part. I, resol. 217, n. 1 et sequent., ubi cum aliis non excusat a peccato mortali episcopum qui, prætermisso digniore, instituit dignum, licet non teneatur ad restitutionem, quem sequitur Ventriglia tom. II, De jurepatronatus, adnot. 1, § 3, n. 47, ubi dicit hoc esse indubitatum. (96. Et talis dignior prætermissus posset ab instituente appellare. Barbosa cit. allegat. 72, n. 202. Garcias De benefic. par. 9, cap. 3, n. 32, et multi alii, quos refert Riccius loc. cit., n. 4. (97. Contrarium tamen tenent Faguanus in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatron., n. 23. Abbas ibidem, n. 9. Silvester verb. *Juspatronatus*, quæst. 8. Reiffenst. lib. III Decretal., cit. tit. 38, n. 94, et alii plures volentes quod, quando plures, a pluribus patronis præsentati, in votis sunt pares, licet in dignitate et merito sint dispares seu inæquales, neuter eorum acquirat jus, nec teneatur episcopus aliquem ex præsentatis, etsi digniorem instituere, adeoque neque digniorem prætermissum posse ab instituente appellare.

(98. Quando plures æqualis dignitatis et meriti præsentantur a pluribus patronis cum æquali numero vocum, tunc episcopus potest ex ipsis sic præsentatis instituere quem maluerit, et sic est locus gratificationi. Joan. Andreas et Abbas in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatr. Barbosa ibidem, n. 8, et citata alleg. 72, n. 200. Lambertin. De jurepatronat., lib. II, p. 3, q. 5, princip. artic. 1, n. 2. Cæsar de Grassis De jurepatronat., decis. 1, n. 9. Marc. Antonius Variar. resol., lib. I, resol. 104, n. 1, verb. *Tum demum*, Castropalao loc. cit., disp. 2, punct. 9, et alii passim.

(99. Quando patroni litigant inter se super jurepatronatus, et litem non finiunt intra terminum quatuor vel respective sex mensium a jure concessum, et nullus ex ipsis est in notoria possessione præsentandi, tunc pro ea vice beneficium libere confert ordinarius, ad quem pertinet institutio. Communis textu claro in cap. *Quoniam* 3, cap.

Digitized by Google

Si vero 12, cap. *Eam te decet* 22, et cap. *Cum propter* 27, De jurepatronatus.

(100. Si vero unus ex litigantibus patronis sit cum bona fide in notoria possessione præsentandi ad tale beneficium vere patronatum, tunc ipse valide et licite præsentat, et præsentatus, non obstante lite, debet institui, et firmiter manebit talis præsentatus ab ipso, quamvis postea in judicio talis patronatus succumbat, textu expresso in cap. *Consultationibus* 19, De jurepatronat., et ibi doctores passim, et signanter Fagnanus n. 16 et 17, ubi citat plures Rotæ decisiones. Barbosa n. 5, cum pluribus ibi citatis; et Rota rec. par. 1, dec. 224, n. 1, part. 2, dec. 191, n, 1, par. 10, dec. 301, n. 13, par. 14, dec. 469, n. 5, et sæpe alibi. (101. Ad quem effectum attenditur etiam unica præsentatio effectuata. Rota par. 5, tom. I, dec. 8, n. 4. Vivian. in Praxi jurisdiction. patronat., lib. v, c. 4, n. 9. Gonzalez ad Regul. 8. Cancellar. Glossa 18, n. 76, et Glossa 45, § 2, n. 29. Barbosa loco cit., n. 6, cum pluribus ibi citatis.

(102. Quando lis est inter patronum et episcopum pugnantem pro ecclesiæ libertate, si lis non finiatur intra terminum quatuor seu respective sex mensium a jure statutum, nequit episcopus aliquem pro libitu instituere, sed debet interea ponere ecclesiæ œconomum, donec lis finiatur arg. cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii, Fagnanus in cit. cap. *Quoniam* 3, De jurepatron., n. 18. Abbas ibidem, n. 7. Hostiensis ibidem, n. 7. Barbosa De offic. et potest. episcop., cit. alleg. 72, n. 141, citans Rotam. dec. 411, n. 3, par. 1 Diversar. et in c. *Eam te decet* 22, n. 6, De jurepatronatus, et alii passim.

(103. Item quando lis est inter patronum et præsentatum, vel inter ipsos præsentatos, non potest episcopus pro libitu aliquem instituere, quamvis lis duret ultra quatuor vel sex respective menses; sed interea, lite durante, debet deputare œconomum; Fagnanus in cit. cap. *Quoniam*, n. 19, ubi citat Rotam, Abbas ibidem, n. 7. Barbosa cit. alleg. 72, n. 141, et communis aliorum; et ratio est, quia cum cit. cap. *Quoniam* 3, De jurepatron., et alia jura concedentia liberam collationem ordinario tempore litis, loquuntur solum de casu quo lis est inter ipsos patronos, adeoque tanquam odiosa et exorbitantia non sunt extendenda ad casus similes, etiamsi esset paritas rationis; argum. cap. *Quæ a jure* 28, de Regul. juris in 6, ibi: « Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda; » et cap. *Quod alicui* 74, de regul. juris, eodem in 6, ibi : « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. » Unde cap. *Is qui* 1. Filiis presbyterorum, § Ille vero, dicit expresse summus pontifex : « Prætextu dispensationis hujusmodi, quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi. »

(104. Ex versiculis allatis supra n. 59, quatuor præcipue jura competunt patrono; unde, visis iis quæ ad ipsum spectant ratione juris præsentandi, breviter adducuntur ea quæ spectant ad ejus jus *honoris*. (105. Jus igitur honoris competens patrono, et indicatum in allatis versiculis per verba *Honor* et *Præsit*, consistit specialiter in præcedentia processionis, ita ut in processionibus fieri solitis, locus dignior præ aliis laicis ei debeatur. Item quod in ecclesia sua patronata debeat honorari in præcedentia nobilioris sedis et dignioris loci, atque in præcedentia in suscipienda pace, thurificatione, aquæ aspersione, candela in die Purificationis B. M. V., palmæ ramo in Dominica Palmarum, et in suscipiendis cineribus prima die Quadragesimæ, et carbonibus benedictis in die sabbati Majoris Hebdomadæ, et in aliis similibus casibus, argum. cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, quæst. 7, et cap. *Nobis* 25, De jurepatronat. (106. Et sic communis doctorum. Limitatur tamen hoc jus honoris quoad thurificationem et pacem in mulieribus, quia illis non datur thus et pax inter missarum solemnia, ut decrevit sacra congregatio Rituum in Placentina 28 Januarii 1612, et in Lucerina 3 Junii 1517, ut refert Sellius Select. canonic., c. 51, num. 17, et Barb. in Summa Apostolic. decisionum, verb. *Mulieres*, n. 5. (107. Item limitatur jus honoris debiti patrono, quando adest præsens dominus territorialis loci, quia tunc præcedentia et honorificentia in supradictis debetur ipsi domino territoriali ante patronum, uti recte notant Fagnanus in c. *Nobis* 25, De jurepatronatus, n. 21, et sequent. Pirhing lib. III, Decret., tit. 38, n. 36. Reifenstuel ibidem, n. 111, et alii. Cum etenim talis dominus territorialis jurisdictionem contentiosam habeat in suo territorio etiam in ipsum patronum, absurdum esset si ipsi patrono exhiberetur major honor quam illius domino habenti in eum jurisdictionem.

(108. Si autem patronus esset rex vel supremus princeps, tunc, ratione prædictæ honorificentiæ, tenerentur presbyteri et clerici ejusdem ecclesiæ patronatæ occurrere ei usque ad ambitum ecclesiæ; dummodo hoc non semper et quotidie, sed raro fiat, ut docet Cassan. in Catalog. gloriæ mund., 4, part. considerat. 8, circa med., et alii multi, quos refert, et sequitur Lother. De re benefic., lib. II, qu. 4, n. 3, et sequ., et jam notaverat Abbas in cit. cap. *Cum nobis* 25, De jurepatronatus, n. 5, et Glossa magna in c. unico eodem in 6.

(109. Patrono, ratione juris defendendi, indicati in allatis versiculis per verbum *defendat*, competit præeminentia, ut possit defendere ecclesiam, et inquirere, ne bona illius dilapidentur; et denuntiare personas illa dilapidantes; imo et perscrutari, ne a beneficiato ipso dilapidentur aut male alienentur, et revocare alienationem male et indebite factam. Roch. de Curte De jurepatronatus, verb. *Onerosum*, n. 3, et verb. *Honorificum*, sub n. 10. Barbosa lib. III Juris ecclesiast. univers., cap. 12, n. 215. Lambertinus De jurepatronat., lib. III, qu. 2, principal. art. 5, et alii. Quamvis tamen supradicta competant patrono, et pro illis exsequendis possit in judicio comparere, et

Digitized by Google

instare, nihilominus ex ipsi competunt, nedum ex jure honorifico, et ex præeminentia, sed etiam, et potius ex jure oneroso, ut advertit Lambertinus l. c., per plures articulos; Ventriglia to. II, De jurepatronatus, annot. 1, § 4, n. 12, et alii.

(110. Alias patronus ecclesiasticus de jure habebat custodiam ecclesiæ vacantis; arg. cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii, cap. *Bonæ memoriæ* 51; De appellationibus, cap. *Relatum* 12; De Testamentis, § Nomine, cap. *Cum et plantare* 3; De privilegiis, § in Ecclesiis. (111. Patronus tamen laicus non habebat de jure talem custodiam, sed defensionem tantum, ut cap. *Filiis* 31, cap. *Decernimus* 32, caus. 16, quæst. 7, argum. cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii; et ibi Glossa penult. vers. Ex hac littera. Innocent. n. 1. Hostiens. n. 3. Joann. Andr. num. 15; Faganus n. 5. (112. Post concilium autem Tridentinum, tam patronus ecclesiasticus, quam laicus nullatenus potest se ingerere in fructibus beneficii patronati: conc. Trident. sess. 25, De reformat., cap. 9. vers. Patroni autem. (113. Imo patronus se ingerens in perceptione fructuum beneficii patronati, aut bona ipsius usurpans, privatus est statim jurepatronatus, et incurrit excommunicationem Papæ reservatam: concil. Trident. sess. 22, cap. 11, vers. Quod si ejusdem ecclesiæ patronus; Barbosa ibidem, n. 13 et 14, et in cap. *Præterea* 23, De jurepatronatus, n. 3. Galet., in Margarita casuum conscient., verb. *Juspatron.* penult.

(114. Patrono competit ultimo jus alimentationis indicatum in allatis versiculis per illa verba: *Alatur egenus, utilitasque;* textu expresso in cap. *Nobis* 25, De jurepatronatus, ibi: « Et si ad inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succurratur, sicut in sacris est canonibus institutum. » Et tales canones, in quibus est id institutum, sunt cap. *Contra* 29, caus. 16, quæst. 7, ibi: « Si vero fundatores ecclesiarum ad inopiam vergere cœperint, ab eisdem ecclesiis temporalis vitæ suffragia percipiant: » et c. *Quicunque* 30, eadem causa 16, et qu. 17, ibi: « Quicunque fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid ecclesiæ contulerint, si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. » Et sic communis doctorum.

(115. Imo jus alimentationis in tali casu competit patrono non solum pro se, sed etiam pro uxore, liberis et familia; arg. cit. cap. *Quicunque* 20, caus. 16, qu. 7, ibi: « Ipsi, aut filii eorum; » Lambertin. De jurepatronatus, lib. III, quæst. 3, princip. art. 6, n. 3, et sequent. Surdus De aliment. tit. 4, quæst. 28, num. 18, et tit. 7, quæst. 32, num. 30. Barbosa in cit. cap. *Nobis* 25, De jurepatron., et alii communiter. (116. Et talis alimentatio debet esse integra quoad cibum, potum, lectum, vestitum, et omnia, quæ ad honestam sustentationem sunt necessaria; arg. cit. cap. *Nobis* 25. De jurepatr., ibi: « Ab Ecclesia illi succurratur, » c. cap. *Contra* 29, caus. 16, quæst. 7, ibi: « Ab eisdem Ecclesiis temporalis vitæ suffragia percipiant: » et cap. *Quicunque* 30, eadem causa, et quæst. ibi: « Ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. » (117. Nomine enim alimentorum veniunt non solum cibus et potus, sed etiam vestis, habitatio, et alia necessaria ad prædictam honestam sustentationem, arg. l. Legatis, ff. De alimentis et cibar., et l. Verbo victus, 33, ff. De verbor. significat., ibi: « Verbo victus continentur quæ esui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt: vestem quoque victus habere vicem Labeo ait; » Communis cum citatis doctoribus.

(118. Talia alimenta debentur patronis secundum qualitatem personarum, id est ampliora, et pinguiora nobilibus quam ignobilibus et rusticis, et sic de aliis plus, vel minus indigentibus. Surdus De alimentis, tit. 4, quæst. 18, n. 15. Barbosa lib. III Juris Eccles. univers., cap. 12, num. 218. Riccius in Praxi, part., 1, resol. 164. Ventriglia cit. tom. II, adnot. 1, § 4, n. 24, et alii passim. (119. Et ea præstanda sunt patronis in eorum domo propria, et non ipsa ecclesia. Surdus De aliment., tit. 5, q. 14, n. 21. Rebuff, in tract. Congruæ portionis, n. 97. Barbosa loc. cit., n. 328. Ventriglia loc. cit., n. 26, et alii.

(120. Patronus est alimentandus a beneficiato per eum præsentato ad beneficium, etiamsi ex post renuntiaverit, vel donaverit juspatronatus, quia jus alimentorum nunquam censetur donatum, cum cohæreat inseparabiliter personæ patroni præsentantis. Lambertin. lib. III, quæst. 3, princip. art. 13, n. 2. Riccius in Praxi par. 1, resol. 264, vers. Ampliatur tertio. Ventriglia loc. cit., n. 20, et alii. (121. Imo ratione talis inseparabilitatis, nec si retineat juspatronatus, potest patronus tale jus percipiendi alimenta vendere, cedere, donare, vel alio titulo distrahere. Abbas in cap. *Præterea* 23, De jurepatron., in fine. Surd. De alim., tit. 7, qu. 32, n. 13. Tiraquell. De retract. consanguin. § 36, glossa 1, n. 32. Ventriglia loc. cit., n. 20, ubi testatur de communi, quia cum hoc sit privilegium personale, cedi non potest, sed debet sequi personam, cap. *Privilegium* 2, De regul. juris in 6, ibi: « Privilegium personam sequitur. »

(122. Patronus pauper est alimentandus ab ecclesia, etiamsi sit facta libera a patronatu per renuntiationem talis juris ipsi a patrono factam, et hoc a fortiori, quia ecclesia in tali casu, non solum recipit esse a prædicto patrono, sed esse liberum, et proinde duplici favori debet correspondere duplicata obligatio, cum benefacienti sit benefaciendum: c. *Cum in Officiis* 7, De testamentis, l. Sed, etsi § Consuluit. ff. De petit. hæred.; quæ ratio, cum valeat apud omnes, multo magis debet valere apud Ecclesiam, quæ dicitur mater, et refugium, seu confugium pauperum; arg. c. *Ad Romanam Ecclesiam* 6, caus. 2, quæst. 6. Lambertin. loc. cit. n. 3. Ventriglia loc. cit., n. 21. Pittonus tom. I, De jurepatron. 44, n. 48, et alii pas-

Digitized by Google

sim. (123. Imo etiamsi dos ecclesiæ data per fundatorem tractu temporis fuerit deperdita, seu consumpta sine culpa patroni, et aliunde ecclesia habeat redditus suos, adhuc de his redditibus propriis ecclesia tenetur ad alendum patronum, præsertim, si non fuerit ab alio dotante in ea juspatronatus acquisitum. Paulus de Cittad. par. VI, art. 4, n. 17. Surd. De aliment., tit. 1, quæst. 54, n. 9, et tit. 7, quæst. 34, n 1. per totam; Gratian. disceptat. 552, n. 13; Lagunez De fructibus, par. 1, cap. 33, § 3, n. 80; Ventriglia loc. cit. n. 24; Riccius in Praxi, par. I, resolut. 164, Ampliatur primo; Lambertin. De jurepatronat., tit. 2, q. 3, part. 3, artic. 4. Pitonus locis citatis, n. 48 et alii.

(124. Jus alimentorum concessum ex benignitate sacrorum canonum patrono, extenditur etiam ad ejus hæredes sive consanguineos, sive extraneos, in quos Juspatronatus transivit. Rota in Alatrina Jurispatronatus 7 Decembris 1705, § fin. cor. Mellino, in Salernitana Alimentorum 11 Jan. 1712, coram Scotto, et in alia Salernitana Alimentorum 20 Junii 1712, coram Scotto impress. apud Pitonium tom. I De controv. Patronorum, alleg. 46, n. 66, 78, 79, et seq. et sic tenent Gonzalez, Butrius, Ancharanus, Zabarella, Vitalinus, Lambertinus, Mancinus, Reginaldus, et alii adducti a Rota, et Pitonio locis citatis.

(125. Ut patronus possit alimenta petere ab ecclesia patronata, seu a beneficiato, non est necesse, quod sit in summa egestate, seu extrema necessitate; ut voluit Glossa in c. *Quicunque* 30, caus. 16, quæst. 7, verb. *Ad inopiam*, sed sufficit quod ad talem inopiam vergere cœperit, ut non possit vivere secundum suum gradum et conditionem. Lambertin. De jurepatronat., l. III, cap. 3, artic. 3, n. 6. Covarr. Variar. resolut., l. II, cap. 6, n. 8. Barbosa in cap. *Nobis* 25, De jurepatronat., n. 7, et lib. III, Juris Ecclesiast. univers., capit. 12, n, 116. Ventriglia loc. cit., n. 8. Rota in una Regien. Prioratus 1 Julii 1596, coram Penia, confirmata 19 Junii 1598, et in Neapolitana Alimentorum 11 Junii 1616, et 10 Aprilis 1617, coram Pirovano, et sæpe alibi arg. cap. *Contra* 29, caus. 16, qu. 7, ibi: « Si fundatores ecclesiarum ad inopiam vergere cœperint; » et cap. *Nobis* 25, de Jurepatronat., ibi: « Si ad inopiam vergat. »

(126. Alimenta patrono debentur ab ecclesia, seu beneficiato solum ex superfluis ad ecclesiæ, seu beneficiati necessitatem: primo enim loco, et ante omnia ecclesia, seu beneficiatus debet providere propriæ necessitati, et cultui divino, et deinde si ultra necessaria ad suam congruam et honestam sustentationem, et ecclesiæ seu beneficii reparationem et manutentionem, redditus adhuc supererint, de his subvenire debet patrono arg. cap. *Ita nos* 25, in fine caus. 25, qu. 2. In simili enim casu, et non aliter etiam libertus ex gratitudine obligatus tenetur alere patronum; l. Si quis, § Alimenta, ff. de agnoscend. et alend. liberis. Sic Lambertin. de jurepatron., lib. III, q. 2, art. 3, n. 1, 7, et 8. Riccius in Praxi, par. III, resol. 293. n. 2. Abbas in cap. *Nobis* 35, De jurepatron., n. 6. Butrius ibidem, n. 22. Surd. De alimentis, tit. 7, quæst. 32, n. 1. Pirhing. l. III Decretal., tit. 38, n. 37; Reiffenstuel. ibidem, n. 115. Barbosa lib. III, Juris eccles. univers., cap. 12. num. 117. Franc. Pitonius De controv. patronor., alleg. 44, n. 20, et communis aliorum. (127. Imo hæc qualitas, scilicet quod fructus ecclesiæ, seu beneficii supersint, deductis necessariis pro beneficiato, et cultu divino, reparationibus, instaurationibus, vasis, ac cæteris rebus ecclesiæ necessariis, est probanda per patronum petentem alimenta, ad hoc, ut possit obtinere in judicio alimenta prædicta; cap. *Ita nos* 25, in fine caus. 25, quæst. 2. Glossa in c. *Quicunque* 30, caus. 16, quæst. 7, verb. *Ad inopiam*. Abbas in cap. *Nobis* 25, De jurepatron. n. 6. Bartol. in l. Si quis a liberis § De alimentis, ff. De liberis agnoscend., et alii passim; et Rota, Neapolitana Alimentorum 31 Maii 1606, coram Mannanedo, et in eadem causa coram Pirovano 11 Januar. 1616.

(128. Insuper licet beneficiatus habeat ex patrimonialibus, vel alias per eum licite quæsitis, unde commode sustentari possit, adhuc ex fructibus beneficii juspatronatus potest detrahere victum, et alia necessaria, et deinde, si aliquid superest, succurrere patrono. Lambertin. De jurepatr., lib. III, q. 3, principal. art. 4, n. 2 et 3. Ventriglia tom. II, De jurepatr., adnot. 1, § 4, n. 35, et alii passim.

(129. Si patronus habeat avum, aut patrem, aut fratrem divitem, a quo possit alimenta consequi, vel sit religiosus professus, non debentur illi alimenta a beneficiato; nec si posset sine præjudicio suæ salutis, gradus et nobilitatis ex industria sibi victum quærere; Lambertin. loc. cit., 3, n. 4. Lotter. De re benefic., lib. II, quæst. 5, n. 35. Ventriglia loc. cit. n. 30 et 36, ubi citat Rotam, et sic alii plures. (130. Item non debentur alimenta patrono, cessante ejus inopia; cum enim inopia sit causa præstationis prædictorum alimentorum, stat clarum, quod ea cessante, non sint illa amplius præstanda; c. *Cum cessante* 60, De appellationib., ibi: « Cum cessante causa cesset effectus. » (131. Item patrono non debentur amplius alimenta propter ejus ingratitudinem; cum enim patronus quidquid juris habet in ecclesia, totum ex gratia possideat, et de speciali gratia toleretur: cap. *Quoniam* 3, De jurepatron., et ibi Fagnan, n. 7, et alii communiter; si evadat ingratus ecclesiæ, debet ab ipsa tali jure alimentorum privari, sicut in casu ingratitudinis privatur filius sibi debitis alimentis. Surd. De alimentis, tit. 7, q. 32, n. 6 et seq. Rebuff. in tract. congruæ portionis, n. 135. Paulus de Cittad. tract. De jurepatron., part. 6, art. 4, n. 163. Barbosa lib. III Juris eccles. univers., cap. 12, n. 218. Ventriglia loc. cit., n. 2, et alii. (132. Limitatur tamen hoc cum patrono ingrato pœnitente, cui benigna mater ecclesia benigne parcit. Surdus loc. cit. Ventriglia l. c., et alii.

Digitized by Google

(133. Juspatronatus cujuscunque altaris, vel cappellæ existentis in basilica Assisiensi S. Patris Francisci, inconsulto pontifice concedi non potest. Nec jus sepulcri, vel scamni apponendi. Benedict. XIV, constitut. incip. *Fidelis Dominus*, § 14.

(134. Si patronus, ordinario approbante, eam erecto a se beneficio in limine fundationis, vel etiam ex intervallo, ob reservatam sibi facultatem, adjecit conditionem ut, deficientibus in vocata familia clericis, possint etiam laici ejusdem familiæ fructibus beneficii sic erecti gaudere, cum onere per cappellanum satisfaciendi missarum oneribus, tunc poterunt etiam hi dictos fructus percipere, non jure, et titulo beneficii, sed jure sæcularis administrationis, donec aliquis veniat de dicta familia qui sit clericus, absque onere recitandi horas canonicas, ut ex rationibus allegatis, et receptis a sacra congregatione Concil. in Senogall. Cappellaniæ 9 Maii; et 6 Junii 1750, in qua ad sequentia dubia.

I. « An erectio jurispatronatus, de quo agitur, sit verum beneficium, vel potius juxta reservationes a fundatore appositas, sit merum legatum pium laicale, ita ut Lælius, qui clericari non vult, suos facere possit fructus ejusdem jurispatronatus, cum onere tantum per alium celebrandi missas a fundatore præscriptas? Et quatenus negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam. »

II. « An Lælius nolens clericari, perventus ad ætatem viginti annorum, possit percipere fructus pii legati de quo agitur, absque eo quod teneatur ad recitationem divini offic. in casu, etc. »

Et dicta Sac. Congregatio die 6 Junii 1750, respondit : « Ad I. affirmative ad primam partem, quo vero ad secundam partem, facta per Lælium renuntiatione beneficii, et clericatus, affirmative. Ad II. provisum in primo. » Sic in Thesauro Resolutionum sacræ cong. Conc. dicti anni 1750, in Senogallien. cappellaniæ, ubi ad id adducitur consimilis resolutio in Derthonen. 15 Augusti 1730, quæ jam fuerat allata in thesauro dicti anni 1730, in Segovien. capellaniæ, § Cæterum, præcisis his verbis : « Sacra congregatio commisit episcopo, ut ad erectionem præfati beneficii deveniat, omnesque supradictas conditiones approbet atque confirmet, modificata tamen ea conditione, in qua dicitur, quod primogenitus frui possit beneficio etiam in statu laicali, et conjugali in hunc modum, videlicet quod primogenitus frui possit fructibus beneficii vacantis, quousque superveniat alius capax de familia, satisfactis interim oneribus missarum per cappellanum ab eo eligendum ». Vide ibi, ubi multa ad rem.

(135. Alia ad rem, vide verb. *Patroni*, verb. *Præsentatio*, signanter vero quoad onera Patronorum; vide verb. *Ecclesia* art. 3, a n. 63 ad 73, et verb. *Utensilia* a n. 8 ad fin. * Consule in hac re Albertum de sacris Utensilibus rem egregie pertractantem *.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(136. Primarium jus, quod patroni sibi vindicant, est præsentatio. Distingui autem debet præsentatio a nominatione. Hæc enim est designatio et electio subjecti episcopo exhibendi pro institutione : illa vero est exhibitio episcopo hujus subjecti designati et electi pro institutione; Rota in Augustana Canonicatus 6 Maii 1718, cor. bon. mem. Cerr. Confer etiam eamdem Rotam in Cæsenaten. Vicariæ 9 Maii 1727, cor. bon. mem. Gamach. ubi clarius explicatur in quo consistat, et quando dicatur expleta præsentatio.

(137. A nominatione potest quilibet patronus resilire : nequaquam vero a præsentatione. Num id ipsum obtineat in nominatione compatroni, vide apud Rotam in Auximana Jurispatronatus 27 Junii 1718, cor. bon. mem. Gamaches. (138. Præsentatio vero præcedentis revocatoria nullitate laborat, non *absoluta*, quæ ab omnibus opponi potest, sed *relativa*, quæ, juxta indolem nullitatis *relativæ*, ab eo tantum opponi valet, qui fuerat primitus præsentatus, et sic præjudicium sensit.

(139. Nominatio quandoque fit a pluribus, ut si pluribus competat juspatronatus. At interest scire, utrum iis qua collegio, an qua singulis juspatronatus competat. (140. Priori casu vota majorum intuitu collegii designant præsentandum, posteriori vero casu majora simpliciter sufficiunt, hoc est non intuitu omnium compatronorum, sed aliorum, qui simul ab aliis designantur, ut si fuerint quinque patroni, et duo designent Caium, tres reliqui vero alium, alium, atque alium, Caius nominatus censetur; Bohemer. in Decretal. lib. III, tit. 38, § 70; Bruneman. Jur. eccles., lib. II, cap. 8, § 18

(141. Inter jura honorifica patronis debita primatum tenet honos precum in eo consistens, quod patroni nominatim in precibus publicis Deo sint commendandi; de Roye De Jure honorif, in Eccles. lib. I, c. 6. (142. Origo hujus juris peti debet ex antiquissimo illo more recitandi inter missarum solemnia nomina eorum, quorum insignia in ecclesia exstabant merita. Meminit hujus moris Innocentius I, Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum apud Justellum et Voellium tom. I Bibl. juris can. vet. (143. Etiam pro patroni uxore, et liberis nominatim orandum esse tenet Bohemer. in Decretal. lib. III, tit. 28, § 129.

(144. Hæ supplicationes, quæ in precibus publicis fiunt, sunt ordinariæ. At quæri solet, an patronus extra ordinem exigere possit solemnes supplicationes, et gratiarum actiones ad Deum per hymnum decantatum : *Te Deum laudamus*, si forsan a gravissimo malo, morbove liberatus sit? Affirmat Bohemer. in Decret. lib. III, tit 28, § 132. At male meo judicio. (145. Nihil enim amplius patrono concedendum, quam quod ei a jure concessum est. At a jure concessum patrono haud est, ut extra ordinem exigere valeat canticum *Te Deum laudamus*.

(146. Quinimo Card. Petra in Comment. ad constit. apostol., constit. 7 Gregorii IX, n. 57, tenet, nec in supplicationibus ordinariis exprimi posse nomina patronorum vi-

Digitized by Google

vorum, sed tantum defunctorum : sed standum hic est observantiæ, ut non male tradit Bohemer. in Decretal. lib. III, tit 28, § 129.

(147. Ad jura honorifica patronorum refertur luctus ecclesiasticus morti patroni, vel eorum, qui sunt de ejus familia, dicandus.

(148. Patrono etiam debetur honor sedis in ecclesia sua, tum debetur primus locus in processione. (149. Honor sedis ex loco honoratiori et nobiliori æstimatur, qualis est chorus, seu sacrarium solis clericis sacratis dicatum; De Roye De jur. honorif. in Eccles., lib. II, c. 3, ubi in primis provocat ad synodum Wigorniensem anni 1240, cap. 3, ubi hæc sancita : « Ne laici sint in cancellis dum celebrantur divina, salva tamen reverentia patronorum, et sublimium personarum. » (150. Sed patrono deberi sedem extra chorum, licet in digniori loco, tenet card. Petra in Commentar. ad constit. apostol., constit. 7 Gregor. IX, n. 55, et sequent.

(151. Hoc etiam præterea honori patronorum datum, ut possint sedilia fixa, et propria habere, quod olim cæteris denegatum, ut indicat synodus Oxoniensis anni 1487, cap. 2, apud Harduin. tom. II Concil.

(152. Huic accedit honor sepulturæ, ut non solum in ipsa ecclesia, sed et ut in loco ejusdem honoratiori sepulcrum sibi suæque genti constituere valeat patronus; De Roye De jur. honorif. in Eccles. lib. II, c. 3. (153. Quinimo sine consensu patroni nemini sepultura concedi in ecclesia potest; Van. Espen. Jur. eccles. univ., part. I, tit. 25, cap. 7, § 25.

(154, Hactenus de juribus honorificis patrono debitis, de quibus tamen, qui plenam cupit tractationem, adeat Du Perroy (*dans son Traité des droits honorifiques et utiles des patrons*). (155. De alimentis patrono debitis, vide quæ diximus in addit. ad verb. *Alimenta*. (156. Et an patrono jus aliquod in bona Ecclesiæ competere possit, consule card. Petr. in Commentar. ad constit. apostol., constit. 7 Gregor. IX, n. 18, et plur. sequent.

MONITUM EDITORUM CASINENSIUM.

Quamvis non pauca hic auctor congesserit, cum tamen multa adhuc desiderentur, quam ut in appendice concludi possint; ac insuper ne moles hujus tomi IV, cui jamjam finis imponendus est, excrescere videatur; idcirco hanc totam de jurepatronatus materiam ad formam tractatus, pluribus sectionibus distinctam, additis etiam S. C. Concilii declarationibus et decretis, ac S. Rotæ Romanæ decisionibus pro frequentioribus, qui in dies occurrunt, casibus ordinata serie dispositis, sub novo art. *Patronatus, Patronus*, ex integro evolvemus.

K

KALENDARIUM

SUMMARIUM.

1. Kalendarium unde dictum, et quid sit, ad num. 2. — 3. Dies unde dictus, quid sit, et quotuplex, ad num 5. — 6. Nox quid sit. — 7. Dies an ubique gentium eodem modo incipiat, et quanam ratione in jure sit accipiendus, ad num. 8. — 9. Hora unde dicta, et quomodo dividatur ad num. 10. — 11. Horarum quot et quæ appellationes et species, ad num 13. — 14. Quis primus, quo tempore, et quo instrumento dies, noctesque in horas diviserit. — 15. Quæ sint duo horologia antiquiora. — 16. Quæ fuerit olim diei partitio apud Romanos.—17. Hebdomada quomodo capta a Judæis, a Gentilibus, et a Christianis, ad num. 21. — 22. Mensis unde dictus, quid sit, et quotuplex, ad num. 28. — 29. Kalendæ, Nonæ, Idus unde dicantur, et quid sint, ad num. 32. — 33. Quæ fuerint mensium nomina, atque species pro nationum diversitate, ad num. 37. — 38. Annus unde dictus, quid sit, quomodo dividatur, et quæ fuerint varia ejusdem apud varias nationes initia, ad num. 46. — 47. Annus solaris Julianus unde dictus, quotuplex sit; quot et quæ ejusdem vitia, et a quo sublata, ad num. 53. — 54. Epacta quid sit, et quomodo reguletur, ad num. 55. — 56. Indictio quid sit, unde ejus origo, et nomenclatura; quænam sit regula pro invenienda cujuslibet anni indictione, et quid fuerint olympiades ad num. 60. — 61. Cyclus solaris, Littera Dominicalis, Cyclus lunæ, quid sint, quomodo inveniantur, et postremus cur *aureus numerus* appelletur, ad num. 66. — 67. Quid circa Kalendarium locorum ordinariis inhibitum sit. — 68. Kalendariarum Gregorianum servare pro distributione festorum, jejuniorum etc. quibus præcipiatur.

(1. Kalendarium a Kalendis dictum est : Kalendæ autem sunt primi dies mensium, sic appellati a verbo græco Καλέω, seu Καλῶ, quod idem significat ac latine *voco* : priscis enim temporibus, sacrificio a rege et pontifice celebrato, idem pontifex, *kalato*, id est *vocato populo* in Capitolium, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronuntiabat, et quintanas quidem, quinquies dicto verbo *kalo*, septimanas, repetito septies, prædicabat : et hunc diem, qui ex his diebus, qui kalarentur, primus esset, placuit *Kalendas* vocari : Calvinus, in magno Lexico juridico, litt. *K*, cum aliis ibi citatis. (2. Durandus autem l. VIII, c. 4, apud Gavant. et Merati tom. II, sect. 2, cap. 5, vult *Kalendas*, seu *Calendas* esse quasi *Colendas*, quia tunc erat semper Junoni festus dies primus, sicque *Calendarium* et *Colendarium* esse fere idem a cultu festorum. Nos vero hic sumimus Kalendarium ecclesiasticum prout est « quædam dierum ac mensium, ex quibus annus constat, omniumque, quæ diebus ac mensibus adjuncta sunt, coordinatio. » Unde in Kalendario observari oportet diem, hebdomadam, mensem, annum,

Digitized by Google

bissextum, cyclum solarem, et lunarem, et cætera alia quæ ad temporum cognitionem spectant.

(3. Dies dicitur a *dio*, quod *apertum* et *manifestum* significat : solaribus enim radiis cuncta sensibilia *manifesta* fieri omnes agnoscunt ; unde S. Augustinus, lib. IV, super Genesim, cap. 20, sic habet : « Tunc Deus diem condidit, cum condidit solem, cujus præsentia eumdem exhibet diem. »

(4. Dies generatim acceptus est spatium temporis a motu cœli ab ortu in occasum, qui propterea *diurnus* dicitur, definitum. (5. Dies, secundum astronomos, est duplex, *naturalis* et *artificialis*. Dies naturalis est integra solis revolutio ab ortu in occasum, qua ad idem cœli punctum, unde profectus erat, revertitur. Dies artificialis est intervallum illud temporis, quo sol super horizontem existit, nobisque se prodit, quodque nocti opponitur. Nox enim est illud spatium temporis, quo sol infra horizontem moratur. (6. Alii tamen diem *naturalem* appellant, quem nos *artificialem* vocamus : et vicissim quem nos dicimus *artificialem*, ipsi denominant *naturalem*, ut videre est apud Censorinum, De die natali, cap. 10. Magnum Lexicon Calvini loc. cit., litt. *D*, et alios ab ipsis allegatos.

Dies juxta diversas mundi nationes diversimode incipit. (7. Apud Babylonios, Chaldæos, et Persas aliosque Orientales, diei initium sumitur a solis ortu. Apud Athenienses, Italos, Austriacos, Bohemos, Silesios, Polonos, Sinenses, et alios a solis occasu. Apud Gallos, Hispanos, Anglos, Lusitanos, Belgas, plurimos Germanos, et fere omnes alios Europeos a media nocte, ita tamen, ut dies in duas partes æquales dividant, partiendo horarum numerationem in bis duodenas : nempe duodenas a media nocte ad meridiem, et alias duodenas a meridie ad mediam noctem, taliter, quod dies comprehendat viginti quatuor horas æquales ; quem morem adhuc in dies Romana servat Ecclesia pro divini recitatione officii, jejuniorum observatione, aliisque sacris ac profanis ritibus peragendis, textu expresso in l. More Romano 8, ff. De Feriis, ibi : « More Romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur : itaque quidquid in his viginti quatuor horis (id est duabus dimidiatis noctibus, et luce media) actum est, perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset. »

(8. Dies in jure intelligendus et accipiendus est secundum subjectam materiam : nam cum aliquid est agendum, quod aliam rationem in luce, et aliam in tenebris habet, antiqua et vulgaris diei appellatio retinenda est, qua nimirum dies in duodecim horas divisus sumitur ab ortu ad occasum solis, et e contra nox in alias duodecim horas divisa accipitur ab occasu ad solis ortum, uti revera habitantes directe sub æquatore toto anno diem et noctem retinent æqualem. Unde Deus (*Gen.* I), *divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.* Et Christus Dominus (*Joan.* IX), ait : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari ;* et (*Joan.* XI) inquit : *Nonne duodecim sunt horæ diei ? si quis ambulaverit in die non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Et pro sic numerando horas diei ab ortu solis ad occasum, et horas noctis ab occasu ad illius ortum favent l. Titius 25, § 1, ff. De liberis et posthumis ; l. Placuit 1, ff. De manumissionibus ; l. In annos 2, ff. De annuis legatis ; l. Via 5, ff. Servitutibus ; leg. Non minorem 20, cod. de transactionibus. Si autem sermo sit de continuo temporis successu, sequenda est Romana institutio in leg. More Romano 8, § De feriis, allata in fine numeri antecedentis. Sic in materia præscriptionum, ubi tempus ita noctu procedit, ac die ad complendam usucapionem, l. In usucapionib. 6, et l. Ideoque 7, ff. De usurpationib. et usucapionib. ibi : « Ideoque qui hora sexta diei Kalendarum Januariarum possidere cœperit, hora sexta noctis pridie Kalendas Januarias implet usucapionem, » et sic de similibus.

(9. Hora, ut vult Macrobius l. I Saturnalium, cap. 21, dicta est ab *Horo ;* ibi enim de Ægyptiis loquens, ait : « Apud eosdem Apollo, qui est sol, *Horus* vocatur, ex quo et horæ 24, quibus dies, noxque conficitur, nomen acceperunt. » (10. Quælibet hora æqualis, quæ est vigesima quarta pars diei naturalis æqualiter divisi, dividitur in 60 *minuta prima* æqualia ; quodvis primum minutum dividitur in 60 *minuta secunda* itidem æqualia, atque ita deinceps quodvis minutum secundum in 60 *minuta tertia*, etc.

(11. Horæ, aliæ diei sunt, aliæ noctis ; l. A qua ætate 5, ff. Qui testamenta facere possint, l. Ideoque 7, ff. De usurpationib. et usucapionib. Illæ diurnæ, hæc nocturnæ vocantur ; l. Si Diurnarum 2, ff. De aqua quotidiana, l. Capite quinto 25, ff. Ad legem Juliam, De adulteriis.

(12. Horæ tam diurnæ quam nocturnæ aliæ sunt æquales, et aliæ inæquales. Horæ æquales illæ dicuntur, quarum unaquæque est vigesima quarta pars diei naturalis æqualiter divisi, ita ut si integra æquatoris circa mundi polos revolutio quantitatem diei naturalis definiat, quælibet hora æqualis tantum temporis spatium comprehendat, ut quindecim gradus æquatoris supra horizontem ascendant. Horæ inæquales illæ appellantur, quarum unaquæque est pars duodecima tum diei artificialis æqualiter divisi, tum noctis ; dicuntur enim inæquales, eo quod neque toto anni tempore, neque ubique in sphæra obliqua æquale spatium temporis singulæ comprehendant ; horæ enim diurnæ apud Judæos et Turcas, aliosque, qui diem ac noctem seorsim in duodecim horas dividebant, longiores erant nocturnis æstivo tempore, dum sol a tropico hyemali ad æstivum ascendit, cum tunc dies artificialis continuo crescat, et nox decrescat, et ibi magis ubi major est sphæræ obliquitas ; et e contra horæ nocturnæ erant longiores diurnis tempore hyberno, dum sol a tropico æstivo ad hyemalem retrogrado cursu pro-

Digitized by Google

greditur; cum tunc dies artificialis continuo decrescat, et nox crescat.

(13. Jam vero fere ubique horis inæqualibus obsoletis, ubique horæ solum æquales adhibentur, quarum aliæ Babylonicæ, aliæ Italicæ, aliæ astronomicæ, et aliæ Europeæ appellantur. Horæ Babylonicæ illæ vocantur quarum prima ab ortu solis inchoatur; Italicæ quæ ab occasu ipsius solis; astronomicæ, quæ a meridie; Europeæ vero, quæ tum meridie, tum a media noete incipiunt, ita ut tam in meridie quam in media nocte semper hora duodecima completa habeatur, sicque duodecim horæ a meridie ad mediam noctem, et duodecim etiam a media nocte ad meridiem perpetuo numerentur.

(14. Quis primus diem, noctemque in horas diviserit, quo tempore hæc partitio in usu esse incœperit, et quo instrumento facta fuerit, incerta res est. Alii enim horariam divisionem tribuunt Abrahamo, qui primus Ægyptios in astrologia, et arithmetica instruxit; ut scribit Joseph Hebræus lib. I Antiquitatum Judaicarum, c. 8, ubi de Abrahamo loquens sic ait: « In arithmetica quoque eos (scilicet Ægyptios) instituit, et quæ de astrologia sunt eisdem tradidit: nam ante adventum Abraham in Ægyptum hæc Ægyptii penitus ignorabant. A Chaldæis enim plantata noscuntur in Ægypto, unde etiam pervenisse noscuntur ad Græcos. » Hinc Macrobius lib. I Saturnalium, cap. 21, id Ægyptiis refert acceptum per verba lata supra n. 9. Alii autem id Babyloniis concedunt, dicuntque postmodum ab ipsis ad Græcos derivasse; sic Herodotus lib. II, ubi præcise dicit: « Polum, gnomonem, et duodecim partes diei a Babyloniis didicerunt Græci. » Dictam vero divisionem, seu partitionem volunt aliqui factam fuisse per clepsydram, sicuti etiam hujus instrumenti ope peracta fuit divisio zodiaci in duodecim signa, ut refert Macrob. lib. I, in Somnium Scipionis, c. 21. Clepsydra autem est quoddam vas vitreum, exiguum in fundo foramen habens, per quod aqua guttatim stillans elapsi temporis quantitatem demonstrat. Unde Plinius lib. VII, c. 60, dicit: « Scipio Nasica collega Lenatis primus (scilicet Romæ) aqua divisit horas æque noctium ac dierum, idque horologium sub tecto dicavit anno Urbis DXCV. » Alii autem non clepsydræ ope, sed gnomonis umbra factam fuisse dictam divisionem, seu partitionem contendunt, sic Laertius citatus, et secutus a Plinio l. XIII, ubi sic habet: « Umbrarum rationem, et quam vocant gnomonicen (sive horologia sciatherica, in quibus diei partes umbra gnomonis a sole illustrati designantur) invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri, de quo diximus, discipulus, primusque horologium, quod appellant sciathericum, Lacedemone ostendit. » At vero certum esse longe ante Anaximenem horarum usum exstitisse, sicque dicendum esse non gnomonis umbra, sed clepsydræ ope primam horarum partitione factam fuisse, eaque duntaxat ad horas designandas ad Anaximenis usque tempora primo veteres usos fuisse, recte concludit eruditissimus Pater Fortunatus a Brixia in sua eximia Philosophia sensuum mechanica, tom. II, tract. 2, dissert. 4, sect. 2, verb. *Hora*, num. 2.

15. Dictorum duorum horologiorum antiquitus genera fuisse certo constat apud magnum Lexicon Calvini, tom. I, litt. H, ubi sic habet: « Horologiorum duo antiquitus genera fuisse constat; unum quod gnomone umbras in sole faciente horas indicabat; alterum quod horas æque noctium, ac dierum, aqua dividebat; istud vocatur clepsydrium, seu aquarium, et illud sciathericum, seu solarium appellatur a Plauto in *Boætia*, in qua esuriens parasitus ei imprecatur, qui primus horologium statuisset, his verbis:

Et illum dii perdant, primus qui horas reperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium. »

(16. Advertendum est insuper, aliam diei divisionem apud Romanos olim in usu fuisse, quam his verbis exponit Macrobius lib. I *Saturnalium*, cap. 3, ibi: « *Primum tempus dicebatur* media noctis inclinatio, deinde Gallicinium inde Conticinium, cum et Galli conticescunt, et homines etiam tunc quiescunt. Deinde diluculum, id est cum incipit dignosci dies. Inde mane, dum dies clarus est; est mane autem dictum, aut quod ab inferioribus lucis, id est a manibus exordium lucis emergat, aut quod verius mihi videtur, ab homine boni nominis; nam et Latini mane pro bono dicunt, sicut apud nos quoque contrarium est immane, ut immanis bellua, vel immane facinus et hoc genus cætera pro non bono. » Deinde a mane ad meridiem, hoc est ad mediam diem. Inde jam supra vocatur tempus occiduum, et nox suprema tempestas, hoc est diei novissimum tempus, sicut expressum est in duodecim tabulis: « Solis occasus suprema tempestas esto. » Deinde vespera, quod a Græcis actum est. Illi enim Esperam a stella Hespero dicunt: Unde et Hesperia Italia, quod occasui subjecta sit, nominatur. Ab hoc tempore prima fax dicitur: deinde concubia, et inde intempesta, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Hæc est diei civilis a Romanis observata divisio.

(17. Hebdomadas sive hebdomada græce, latine septimana, dupliciter capitur; uno modo pro hebdomada composita ex septem annis, de qua habentur plura exempla in Sacra Scriptura, et signanter *Genesis*, c. XXIX, 28; *Levitici*, c. XXV, 8; *Daniel*, c. IX, 24. Alio modo pro hebdomada composita ex septem diebus naturalibus, quæ Deum ipsum institutorem habere videtur, quatenus cum sex dierum spatio omnia creasset, *requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum*. *Genesis*, cap. II, 2, 3. Hinc Hebræi, a quibus hebdomadarum usus profluxisse videtur, die illo septimo seu Sabbato quiescebant, et penitus ab omni opere servili cessabant, juxta Dei præceptum sibi impositum. *Exodi*, c. XX, 9, 10, et sæpe alibi.

(18. Ille septimus hebdomadæ dies he-

Digitized by Google

braice dicebatur *Sabbatum*, quod latine *quietem* seu *requiem* significat. Nomine tamen Sabbati non intelligebatur a Judæis solus septimus hebdomadæ dies, sed interdum etiam tota hebdomada, ut habetur ex pluribus sacris Evangelicis textibus, ut *Lucæ* VIII, 12, de illo Pharisæi, *jejuno bis in Sabbato;* quod de jejunio his in hebdomada ab eo observato communiter intelligitur. Sic *Matth.* c. XX, 1, *Prima Sabbati; Marc.*, c. XVI, 2, *Una Sabbatorum; Luc.*, c. XXIV, 1, *Una autem Sabbati; Joan.*, cap. XX, 1, *Una autem Sabbati*, verba illa Evangelica non indicabant solum Sabbatum septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam hebdomadam, seu quemlibet hebdomadæ diem.

(19. Sabbatum sumptum pro ultimo hebdomadæ die, quod erat dies festus apud Hebræos, fuit abrogatum apud Christianos, et pro eo institutus dies *Dominicæ*, in qua Dominicæ die, et non in Sabbato, cessandum nunc est ab operibus servilibus. Vid. verb. *Sabbatum* a n. 2 ad 7, ubi adducuntur Sacræ Scripturæ textus, concilia et canones, et insuper dict., n. 7, assignantur pro hujusmodi institutione festi diei Dominicæ loco Sabbati, quindecim rationes, et mysteria.

(20. Singuli hebdomadæ dies apud gentiles, seu ethnicos appellationem seu denominationem habebant a planeta, quem primæ cujuscunque diei horæ præesse finxerunt. Unde prima dies vocabatur ab illis *dies Solis;* secunda, *Lunæ;* tertia, *Martis;* quarta, *Mercurii;* quinta, *Jovis;* sexta, *Veneris;* et septima, *Saturni;* quia ab ipsis hora prima diei primæ in hebdomada tribuebatur soli, prima hora diurna secundæ diei tribuebatur lunæ, prima tertiæ diei Marti, prima quartæ Mercurio, prima quintæ Jovi, prima sextæ Veneri, et prima septimæ Saturno.

(21. Ecclesia tamen Romana ex institutione S. Silvestri Papæ, retento nomine Sabbati et Dominicæ, cæteros hebdomadæ dies feriarum nomine appellari voluit, ut patet in Lectione sexta festi ejusdem S. Pontificis, ibi : « Sabbati, et Dominicæ diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit : quo significaretur, quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. » Feriarum autem dies jam ex tempore apostolorum institutos fuisse habetur ex concilio Coloniensi II, par. 9, cap. 9. Hinc ritu ecclesiastico dies Dominica intelligitur pro feria prima, cui succedit feria secunda etc., ut patet de singulis hebdomadæ feriis.

(22. Mensis a Græcis denominatur *men* a luna, eo quod ejus curriculo determinatum temporis spatium conficiatur. Ab Hebræis autem dicitur *Jerach*, id est luna, eo quod luna suo circuitu mensem describat. A Latinis vero deducitur a verbo *Metior*, eo quod sit tempus numero dierum mensum. Unde Cicero lib. II, De natura deorum, ait : « Qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. » (23. Hic mensis generatim sumptus describitur, quod sit « spatium temporis certo dierum numero ex motu solis et lunæ periodico definitum, ex quo annus constituitur. »

(24. Mensis alius est *astronomicus*, et alius *civilis*. Mensis astronomicus, seu naturalis, dividitur in solarem, et lunarem. (25. Mensis Solaris astronomicus est illud temporis spatium, quod sol in uno zodiaci signo perlustrando insumit : seu est naturalis solis transitus ab uno zodiaci signo ad aliud signum : quia vero sol non æquali tempore singula zodiaci signa percurrit, sed diutius moratur in Ariete, Geminis, et cæteris aliis signis septentrionalibus, seu borealibus, quam in Sagittario, Capricorno, et cæteris aliis signis australibus; ideo non omnes menses solares astronomici æquales sunt inter se, sed alii sunt aliis longiores, nempe æstivi sunt longiores hyemalibus; et inter omnes maximus est solstitialis æstivus, qui comprehendit dies 31, horas 11, minut. 36 : ac inter omnes minimus est solstitialis hybernus, qui continet solum dies 29, hor. 8, minut. 54. Unde quantitas media mensis solaris astronomici, quo nimirum sol motu medio unum zodiaci signum percurrit, tanquam æqualis duodecima pars anni continebit dies 30, hor. 10, min. 30. Mensis enim absolute cum fit mentio, triginta dies computari traditum est. l. Scimus 22, § 2, Cod. de jure deliberandi. Glossa mensem in addit. in c. *Quam sit* 6, De elect., in 6.

(26. Mensis lunaris astronomicus est spatium temporis ex motu lunari sub zodiaco definitum. Et dividitur in *periodicum*, *synodicum*, et *apparitionis*, seu *illuminationis*. Mensis lunaris periodicus est illud spatium temporis, quo luna percurrit ab eodem zodiaci puncto, donec ad eumdem redeat; unde dicitur ambulatio, et circulus lunæ, qui fit intervallo dierum 27, horar. 7, minutor. primariorum 43, et secundariorum 7. Mensis lunaris synodicus est illud temporis spatium, quod luna inter accessum a sole, et reditum ad ipsum insumit. Unde vocatur congressus lunæ, quia luna cum sole veluti congreditur et conjungitur, et hic mensis constat diebus 29, horis 12, minutis primariis 44, secundariis 3. Mensis lunaris apparitionis, seu illuminationis est intervallum temporis a primo conspectu novæ lunæ in eodem mense usque ad conspectum alterius, quod fit spatio dierum 28, ut notat Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Mensis*, Litt. *B.*, et alii plures, quamvis alii aliter sentiant.

(27. Mensis civilis, seu politicus est ille dierum numerus, quem unaquæque natio, aut civitas ad res suas civiles, seu politicas pertractandas, et regulandas, sibi præscriptum, ac accomodatum observat. Unde Romani a Kalendis ad Kalendas menses computabant. Græci vero a Neomeniis, seu Noviluniis ad Neomenias, seu Novilunia; non autem a Kalendis ad Kalendas, quarum usu ipsi carebant. Quamobrem Augustus apud Suetonium in ejus Vita cap. 87, « cum aliquos nunquam debita soluturos significare vult, ad Kalendas Græcas soluturos ait; » Romani enim debita solvere tenebantur Kalendarum initio, ut plurimis testimoniis ostendit.

Digitized by Google

Hospinianus lib. III, De origine festorum ethnicorum.

(28. Mensis civilis dividitur in Kalendas, Nonas et Idus, ut patet ex praxi veterum Romanorum, adhuc in dies observata in Curia Romana : Glossa quinto Idus, in data libri sexti Decretalium Glossa 1 et 2, in l. Cum bissextum 98, ff. De verb. significat. (29. Kalendæ dicuntur primi dies cujusque mensis, dictæ a verbo Græco καλέω seu καλῶ, quod latine idem significat ac *voco*, seu *appello;* seu sic dictæ a *colendo*, eo quod veteres Romani omnium mensium diem primum speciali cultu prosequerentur. (30. Vide supra n. 1 Nonæ, quæ vel in quintum, vel in septimum diem mensis cadunt, sunt sic dictæ vel a particula *non*, eo quod nullus deorum coleretur Nonis, vel a voce *novæ*, id est novæ lunæ, eo quod pontifex ipsis diebus novam lunam observasset; unde Nonæ quasi novæ lunæ initium sit Hospinianus cap. 5, De origine festorum ethnicorum; seu quia illis diebus leges dicerentur, suumque robur nova promulgatione reciperent : Vel ita dictæ a Nundinis. Glossa 1 et 2 in leg. Cum bissextum 98, ff. De verb. significat. et glossa quinto Idus, in data libri sexti Decretalium. Nundinæ enim teste Macrobio lib. I Saturnalium, cap. 16, per novem dies agebantur; vel demum sic dictæ, quia incidebant in nonum diem ante Idus; quamvis enim non omnis mensis æqualem dierum numerum habeat ante Nonas, singuli tamen octo dies post Nonas numerant ante Idus. (31. Idus autem est nonus dies mensis a Nonis numeratus, cum Idus contingant vel decimo tertio, vel decimo quinto mensis, nempe octo diebus post Nonas Idus, ut vult Macrobius lib. I Saturnalium, cap. 16, ab *Iduando* verbo derivantur. Iduare enim dividere est, unde Iduum dies in duas ferme partes æquales mensem dividit. Hinc Horatius lib. IV carm., ode 2.

Idus tibi sunt agendæ.
Qui dies mensem Veneris marinæ,
Findit Aprilem.

(32. Et ut facilius hæc omnia memoriæ mandentur, dantur sequentes versus.

Maius sex Nonas, October, Julius, et Mars.
Quatuor at reliqui dat Idus quilibet octo :
Inde dies alios omnes dic ante Kalendas.
Quas retro numerans sumes e mense sequenti.

(33. Ad uberiorem, et clariorem supradictorum notitiam notandum est, quod in Mensibus Martii, Maii, Julii et Octobris Nonæ cadunt in diem septimam, adeoque Idus in quintam decinam. In cæteris autem aliis mensibus Nonæ cadunt in diem quintam, et Idus in tertiam decimam; unde dies, qui intercedunt inter Kalendas et Nonas, appellantur a Nonis; qui inter Nonas et Idus, appellantur ab Idibus, et dies omnes qui supersunt post Idus appellantur a Kalendis proximi venturi mensis: Hinc quia menses Martii, Maii, Julii et Octobris sex habent dies ante Nonas, quod contingit in ipsis prima die; dicitur contingere Kalendis talis respective mensis, quod secunda die, sexto Nonas, id est sexto ante Nonas; Quod tertia die, quinto Nonas : quod quarta die, quarto Nonas; quod quinta die tertio Nonas; quod sexta die, pridie Nonas; et denique quod septima die, Nonis. Quia vero reliqui alii menses quatuor tantum dies habent ante Nonas, quod contingit prima die horum mensium, dicitur contingere Kalendis cujusque respective mensis; quod secunda die, quarto Nonas; quod tertia die, tertio Nonas; quod quarta die, pridie Nonas; quod quinta die, Nonis; in omnibus autem anni mensibus, cum omnes octo dies post Nonas numerent ante Idus, prima dies post Nonas dicitur Octavo Idus, secunda dies post Nonas, septimo Idus, et sic deinceps, uti dictum est de Nonis. Et deinde quia reliqui dies post Idus cujuslibet mensis a Kalendis mensis sequentis denominantur, prima dies post Idus cujuscunque mensis vocatur decimo nono, vel decimo octavo, vel decimo septimo Kalendas, id est ante Kalen. proximi sequentis mensis, cum hac advertentia, quod si mensis habet 31 dies, et 4 Nonas tantum, sicut Januarius, prima dies post Idus talis mensis dicitur decimo nono Kalendas, secunda post Idus decimo octavo Kalendas, et sic de reliquis secundum numerum dierum, quæ ab illa die ad diem Kalendarum mensis inclusive numerantur. Si vero mensis habet tantum 30 dies, et quatuor Nonas, sicut Aprilis, prima dies post Idus ejusdem mensis dicitur decimo octavo Kalendas, secunda decimo septimo Kalendas, et sic de singulis usque in finem, uti supra. Si autem mensis habet tantum 28 dies, et quatuor Nonas, sicuti Februarius, prima dies post Idus, ejusdem mensis dicitur decimo sexto Kalendas, et sic de reliquis usque ad finem. Quod si autem mensis habet 31 dies, et 6 Nonas sicuti Martius; prima dies post Idus ejusdem mensis dicitur decimo septimo Kalendas, et sic de singulis secundum numerum dierum, quæ ab illa die ad diem Kalendarum mensis inclusive numerantur, ut dictum est supra. Cum ergo dicimus quinto decimo Kalendas Martii, idem est ac dicere « quinta decima die ante Kalendas Martii, et quarta decima die exeunte Februarii, » ad sic de singulis; et cum aliquid contingere dicimus die sexta decima Martii contingere dicimus decimo septimo Kalendas, seu ante Kalendas Aprilis, nam intra hunc numerum comprehendi debent, et dies ipse Kalendarum, et dies, qua aliquid contingere significatur. Unde dies decima sexta Aprilis dicitur decima sexta Kalendas Maias, quia triginta tantum dies in Aprili continentur, sed sunt 31 in Martio ut sic in aliis. Ita glossa quinto Nonas, in data libri sexti Decretalium, et doctores passim.

(34. Ad faciliusautem memoriæ mandandum quot dies contineant singuli anni menses, dantur sequentes versus.

Aprilis ter denos, Junius, Septemberque, November.
Uno plus reliqui : viginti Februus octo :
Sed si bissextus fuerit, superadditur unus.

Id est Aprilis, Junius, September et No

Digitized by Google

vember continent triginta dies : Januarius vero, Martius, Maius, Julius, Augustus, October et December continent dies 31; Februarius autem in annis communibus continet solum dies 28; in annis vero bissextilibus continet 29.

(35. Mensium nomina pro nationum diversitate varia fuerunt : at hic placet ipsorum nomina breviter adnotare prout breviter traduntur a doctissimo Beyerlinck, in Theatro vitæ humanæ, tom. V, verb. *Mensis*.

Romanorum.	Hæbræorum.	Athenien-sium.	Macedonum, et Græcorum.	Cyprio rum.	Ægyptiorum.	Persarum.	Arabum et Saracenorum.
1. Januarius.	11. Sebat.	8. Gamelion.	Audinæus.	11. Estios.	5. Thebi.	5. Mardaimech.	Almuzaram.
2. Februarius.	12. Adar.	9. Elaphebolion.	Gerithios.	12. Romeus.	6. Mechir.	6. Sarembemech.	Saphar.
3. Martius.	1. Nisan.	10. Munychion.	Dystrus.	1. Aphrodisæus.	7. Phamenath.	7. Macheramech.	Rabe 7.
4. Aprilis.	2. Jiar.	11. Thargelion.	Xanthicus.	2. Apogonicus.	8. Phasmuthi.	8. Ebenmech.	Rabe 2.
5. Maius.	3. Sivan.	12. Scirrophorion.	Artemisius.	3. Ænicus.	9. Pachon.	9. Idramech.	Gemedi 1.
6. Junius.	4. Thammuz.	1. Hecatombeon.	Desius.	4. Junius.	10. Pauni.	10. Dimech.	Gemedi 2.
7. Quintilis Julius.	5. Ab.	2. Metagitnion.	Panemus.	5. Cæsarius.	11. Epiphi.	11. Behmanech.	Rage.
8. Sextilis. Augustus.	6. Elul.	3. Boedromion.	Lous, vel Dorus.	6. Sebastus.	12. Mesori.	12. Azsirdamech.	Suhaben.
9. September.	7. Tizri.	4. Mæmacterion.	Gorpiæus.	7. Autocraticus.	1. Toth.	1. Phordimech.	Ramadan
10. October.	8. Marschevan.	5. Pyanepsion.	Hyperboreus.	8. Dimarchezagius.	2. Phaophi.	2. Ardaimech.	Sarel.
11. November.	9. Casleu.	6. Anthesterion.	Dius.	9. Plythypatos.	3. Athir.	3. Cardaimech.	Dulchida.
12. December.	10. Thebet.	7. Posidedon.	Apelleus.	10. Archireus.	4. Chiac.	4. Zirmech.	Dulcheja.

(36. Afferuntur nomina mensium Hebræorum juxta ordinem servatum in anno sacro, sive Ecclesiastico, et in anno civili, prout traduntur ab eruditissimo Calmet in Dictionario Bibl. litt. *M.*, verb. *Mensis*.

Nomina mensium Hebræorum juxta ordinem anni sancti.

1. Nisan, respondens	Martio.
2. Jiar.	Aprili.
3. Sivan.	Maio.
4. Tammuz.	Junio.
5. Ab.	Julio.
6. Elul.	Augusto.
7. Tizri.	Septembri.
8. Maschevan	Octobri.
9. Casleu.	Novembri.
10. Thebet.	Decembri.
11. Sebat, vel Saba .	Januario.
12. Adar.	Februario.

Nomina mensium Hebræorum juxta ordinem anni civilis.

1. Tizri, respondens	Septembri.
2. Maschevan	Octobri.
3. Casleu.	Novembri.
4. Thebet.	Decembri.
5. Sebat.	Januario.
6. Adar.	Februario.
7. Nisan.	Martio.
8. Jiar.	Aprili.
9. Sivan.	Maio.
10. Tammuz.	Junio.
11. Ab.	Julio.
12. Elul.	Augusto.

Advertendum tamen hic est, quod menses Judæorum non ita respondent nostris Romanis, quasi ex integro conveniant; quia cum menses Hebræorum per lunationes computentur, et menses lunares solaribus plene congruere non possint, ideo menses Hebræorum pro varietate lunationis duos ex nostris interdum attingunt. Unde Æquinoctium vernum juxta ordinem anni solaris inter diem 20 et 21 Martii incidit : in anno vero Lunari, Neomenia, seu Novilunia Martio, plenilunia Aprili respondent, et sic de aliis. Hinc non mirum, quod juxta ordinem traditum a Beyerlinck, *Nisan* respondeat nostro *Aprili*, et juxta ordinem assignatum a Calmet respondeat *Martio*, et sic de aliis. Cum pro varietate lunationis *Nisan* aliquando magis concurrat cum *Aprili* quam cum *Martio*, et aliquando magis cum *Martio* quam cum *Aprili*, ut recte notant Tostatus *in Exod.* cap. XII, qu. 3, cum aliis ibi allegatis, Calmet in Diction., verb. *Annus;* et verb. *Mensis*, et alii passim.

(37. Assignantur breviter unde desumpta sit nomenclatura nostrorum Romanorum vulgarium mensium. Januarius igitur dictus est a Jano bicipite, cui rex Numa Pompilius, et Roma idololatra attribuebant falsam deitatem. Februarius secundum aliquos dictus est a Februo, nam volunt institutum fuisse in honorem Februi, id est Plutonis lustrationum dei; secundum vero alios a verbo *februare*, quod significat purgare, nam dictus Numa instituit hunc mensem ad honorem deorum inferni, et animarum purgandarum, putans, cum idololatris antiquis Romanis, suis superstitiosis sacrificiis posse purgare animas jam corpore exutas, illasque, ac infernorum

Digitized by Google

dæmones sic posse placari, ne sibi, ut timebat, apparerent, et nocumentum afferrent : et quia ista sacrificia vocabantur purgationes, quibus purgabantur habitacula humana, ne in illa ingrederentur dæmones, et animæ defunctorum, sicut nunc purgamus domus aspergentes eas aqua benedicta contra dæmonum insultus, ita tunc februa, seu purgationes per domos aspergebantur; et quia purgationes vocantur Februa, vocatus est mensis iste Februarius : unde Ovidius lib. II Fastorum canit :

Ipse ego Flaminicam poscentem Februa vidi.

Id est vidi aspergentem purgationes, ut notat eruditissimus Tostatus par. II Defensorii, cap. 81, columna 2, in fine. Martius dictus est a Marte, cui fuerat a Romulo consecratus, prætendente esse ejus filium, atque hinc Romulus ipsum mensem primum anni instituit : Unde Ovidius lib. I Fastorum cecinit :

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus.

Aprilis secundum aliquos dictus est a verbo *aperire*, ex quo in hoc mense terra germinans suum sinum aperiat; secundum vero alios dictus est a verbo græco Veneris, cui falsæ deitati creditæ matri Æneæ, seu Romuli, mensis erat sacratus, juxta illud Ovidii jam adducti, *Venerisque secundus*, cum primus esset Martius Marti sacer. Maius secundum Varronem et alios dictus est a Maia, cui ut creditæ matri Mercurii ab idololatris Romanis hoc mense sacrificia offerebantur; ab aliis vero censetur sic dictus a majoribus natu, in quorum gratiam erat consecratus; unde Ovidius loc. cit. cecinit : *Tertius a senibus*. Junius dictus est, ut volunt aliqui, a Junone, cui tali mense sacrificia offerebantur; alii vero dicunt, quod sit sic dictus a junioribus, in quorum juventutis gratiam erat dedicatus. Hinc Ovidius loc. cit. cecinit : *Juvenum de nomine quartus;* Et Beyerlinck loc. cit. § Quintus ex Plutarc., in quæst. Roman. 19 et 84, quærens cur mense Maio uxores non ducant Romani? concludit : « An, ut quidam dicunt, quia Maius a majoribus natu appellatus est, Junius a junioribus? Nuptiis vero accommodatior est junior, ut inquit Eurip., nam senectus Venerem valere jubet, ipsaque Venus senibus infensa est : Abstinent igitur Maio nuptiis, Junium exspectantes, qui Maium ordine excipit. » Julius, qui vocabatur Quintilis, eo quod quintus esset a Martio, sic dictus est a Julio Cæsare, eo quod, ut ait Macrobius lib. I Saturnal., cap. 12, ipse Julius Cæsar natus sit tali mense ad quartum Idus Quintilis. Augustus, qui appellabatur Sextilis, dictus est ab Augusto imperatore, eo quod tali mense primum iniisset consulatum, triumphos tres in Urbem intulisset, Ægyptum subjecisset Romanæ ditioni, ac tandem civilibus bellis finem imposuisset. Alii autem quatuor sequentes menses nominantur ab ordine numeri, quem habent a Martio, qui in anno a Romulo constituto, erat primus : Unde September dicitur, quia septimus erat a Martio : October, quia octavus : November, quia nonus, et December, quia decimus erat. Romulus enim annum constituerat ex solis decem mensibus, quibus rex Numa Pompilius supradictos duos menses, nempe Januarium, et Februarium adjecit, ac præposuit : Hinc Ovidius lib. I Fastorum sic cecinit :

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus.
Hæc generis princeps, ipsius ille pater.
Tertius a senibus : juvenum de nomine quartus :
Quæ sequitur numero turba notata suo est.
At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras,
Mensibus antiquis præposuitque duos.

(38. Annus (ab annulo dictus, eo quod in seipsum redeat, ut ex Varrone tradidimus sub. verb. *Annus*, n. 1, seu ex ana, quod est circum, et nonas, quasi circumiens, ut ex aliis ibid. notavimus) universaliter loquendo est totum illud temporis spatium, quo astra quæque integram suam sub Zodiaco revolutionem perficiunt. Macrobius enim lib. II, in Somnium Scipionis, cap. 11, sic expresse dicit : « Annus non est is solum, quem nunc communis omnium usus appellat; sed singulorum, seu luminum, seu stellarum, emenso omni cœli circuitu, e certo loco in eumdem locum reditus, annus suus est. » Unde sic quælibet cujusque planetæ periodica revolutio annus vocari potest juxta divisionem anni in annum planetarium, qui est tempus illud quo quilibet planeta suum cœlum decurrit.

(39. At relicta hac anni acceptione, et divisione, hic agimus de celebriori et communiori anni divisione in annum *solarem*, et annum *lunarem*. Annus solaris est illud tempus, quo sol zodiacum perlustrat, suoque ad alterutrum ex tropicis accessu et recessu, annuam tempestatem Veris, Æstatis, Autumni, et Hyemis varietatem efficit, constatque hic annus diebus 365, horis 5, minutis primariis 48, et secundariis 55. Annus lunaris est illud tempus, quo luna gyrat, seu circuit per totum suum cœlum, seu per zodiacum integrum; constatque hic annus, si sit communis, duodecim lunationibus, seu mensibus lunaribus : diesque subinde continet 354, horas 8, minuta primaria 48, et secundaria 37, adeo ut brevior sit diebus 11, et aliquot fragmentis anno solari. Si vero sit embolimæus, constat hic annus tredecim lunationibus, seu mensibus lunaribus, diesque subinde continet 383, horas 21, minuta 34, vel circiter : Embolimæus namque is dicitur propter lunationem, quam supra communem annum continet, quæ lunatio embolimæa, sive *intercalaris*, vel *inserta*, seu *interposita* vocatur. (40. Siquidem Macrobio tradente apud Calvinum in Magno Lexico tom. I, litt. *E. intercalare*, interserere, seu interponere est, ut colligitur ex leg. Denique 3, § *ff.* 3, de Minoribus.

(41. Annus alius naturalis est, et alius civilis, seu legalis. Annus naturalis ille dicitur, qui computatur de momento ad momentum; l. Anniculus 132, ff. De verb. significationibus; et hic in nuptiis exigitur; Novell. 74, et 100. In pupillis et minoribus l. Ultima, Cod. Quando tutores esse desinant, l. Denique 3, § 3, ff. De minoribus :

Digitized by Google

In præscriptionibus temporalium actionum, l. 6, ff. De obligationibus et actionibus : in Carboniana possessione, l. 1, Cod. de Carbon. edict. et in aliis similibus. Annus civilis, seu legalis ille dicitur, qui computatur non de momento ad momentum, sed solum de die ad diem, adeo ut qui ad extremum anni diem pervenerit, annum absolvisse videtur; l. 134, ff. De verbor. significat. Et hic annus exigitur in muneribus, et honoribus; si damnum injuria datum sit in testamenti factione, l. 5, De testament. in manumissione; l. Placuit 1, De manumissionib. in usucapione, l. 5 et 7, ff. De usurpat. et in similibus.

(42. Anni civiles diversimode fuerunt a diversis nationibus usurpati; alii enim utebantur annis solaribus, et alii lunaribus. Item alii annum æstate unum determinabant, et alterum hyeme; alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere; alii anno menstruo, sæpe bimestri, non raro trimestri utebantur, ut Ægyptii, apud quos aliquos millia annorum vixisse produntur, cum menses in numerum annorum collocarent. Vide Magnum Lexicon Calvini, tom. I, verb. *Annus*, ubi ex illis varias recenset annorum diversitates juxta varias alias nationes.

(43. Item annorum varia apud varias nationes fuerunt initia, quæ brevitatis gratia ad duo potissimum genera perstringo, Hebræorum nempe, et Romanorum. Apud Hebræos igitur annus sacer, seu ecclesiasticus incipiebat a mense Nisan, qui nostro fere Martio respondet. Unde de hoc anni initio dicitur Exod. cap. XII, n. 2: « Mensis iste » quo nimirum Hebræi egressi fuerunt de Ægypto, « sit vobis principium mensium : primus erit in mensibus anni. » Annus autem civilis incipiebat a Thizri, qui nostro fere Septembri respondet; ex eoque colligitur, quia festum Tubarum prima die Septembris celebrari solitum, dicebatur principium anni. *Levitic.*, cap. XXIII.

(44. Apud Romanos autem antiquitus secundum constitutionem Romuli annus incipiebat a Martio, eratque ab ipso divisus in decem menses duntaxat, ut jam fuit dictum, continebatque hic Romuleus annus dies 304, ita ut sex menses, id est Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December tricenorum essent dierum; quatuor vero Martius, Maius, Quintilis, October, tricenis, et singulis expedirentur. Sic Macrobius lib. v Saturnalium, cap. 12: Numa autem Pompilius duos addidit menses, Januarium scilicet et Februarium, constituitque ut hic duodecim mensium annus a Januario deinceps exordium haberet, eo quod hic mensis fuerit Jano bicipiti consecratus, sicque tanquam bicipitis dei mensis, alter Janus biceps videretur, respiciendo finem anni antecedentis, et exordium sequentis; voluitque quod duodecim menses solares totidem lunaribus adæquarentur, statuendo quod menses sex essent triginta dierum, et sex dierum viginti novem; unde annum integrum 354 dierum constituit.

(45. Cum autem hoc dierum numero integra solis revolutio non absolveretur, idcirco Julius Cæsar dies addidit undecim et sex horas, sicque annum 365 dierum et sex horarum conclusit, ipsum adhuc inchoando a mense Martio, mensibus autem imparibus, videlicet Martio, Maio, Quintili, seu Julio, Septembri, Novembri, et Januario dies dedit 31. Aliis vero sex paribus, nempe Aprili, Junio, Sextili, seu Augusto, Octobri, Decembri, et Februario, dies solum triginta concessit; cum hac advertentia quod ad complendum Januarium ultimum mensem imparem, diem unum subtraxit Februario ultimo mensi pari, cui proinde superfuere dies tantum viginti novem. Deinde imperator Augustus, ægre ferens mensem sibi cognominem, nempe Augustum uno die minorem esse Julio, unum adhuc diem subtraxit Februario, et Augusto adjecit; sicque Februarius, ut adhuc nunc in anno communi, remansit dierum duntaxat 28, quasi inferis, quibus erat sacratus, et diminutio, et par numerus conveniret, ut notat Macrobius lib. I Saturnalium, cap. 13. Ne vero tres una ponerentur menses triginta et unius dierum, unum idem Augustus surripuit Septembri, et addidit Octobri, ac unum detraxit Novembri, et dedit Decembri. Sic expresse eruditissimus Edmundus Purchotius Institut. philosophic., tom. III, part. II, sect. 2, cap 9. Talem autem sic constitutum dierum numerum retinent adhuc impræsentiarum omnes anni menses, ut patet ex versiculis datis supra n. 42.

(46. Anni initium quomodo calculetur in curiis, et tribunalibus, in bullis, brevibus et decretis apostolicis, in actibus publicis, et instrumentis, in actibus privatis, et epistolis, ac hujusmodi? Vide verb. *Annus a* n. 10, usque in finem: ubi a n. 3, ad novum traduntur etiam regulæ ad dignoscendum, quando annus accipiendus sit pro incœpto, vel pro completo.

(47. Supra recensitus annus solaris Julianus a Julio Cæsare communiter dictus, vel est communis, vel bissextilis. Annus communis ex ipsius Julii Cæsaris constitutione comprehendit dies 365, et 6 horas integras. Annus vero bissextilis dies continet 366. Cum enim sex illæ horæ, quas annus communis præter dies 365, continet, quaternis quibusque annis collectæ, diem completum efficiant, uno die annus communis augetur: qui dies cum ex ejusdem Julii præscripto inter 23 et 24 Februarii intercaletur, seu inferatur, et interponatur, bis eo anno secundum Romanam computandi rationem *Sexto Kalendas Martias* pronuntiari debet. Unde annus ille *bissextilis* nomine appellatur ; centenarii autem, et vicenarii anni juxta Julii constitutionem erant bissextiles; hinc duo notabilia vitia ex dicta Kalendarii Juliani constitutione evenisse progressu temporis compertum est.

(48. Primum itaque Juliani Kalendarii notabile vitium fuit anticipatio vernalis æquinoctii; cum enim sex illæ horæ, quibus Julius supra dies 365 annum constare

Digitized by Google

definierat, non essent integræ, sed undecim circiter minutis truncatæ, ideo statim primo anno a constituto Juliano Kalendario ver anticipavit, sed undecim illis minutis, sicque singulis successive annis anticipando, effectum fuerat, ut circa ann. 1582, (quo, ut infra dicetur, observari cœpit Gregoriana Kalendarii emendatio) æquinoctium vernum diebus decem antecederet sedem, quam tempore Julii Cæsaris obtinebat, et a 21 mensis Martii die ad undecimam fuisset redacta.

(49. Secundum autem Juliani Kalendarii notabile vitium fuit noviluniorum et pleniluniorum antecessio: ex quo enim cyclum decem novennalem, seu numerum aureum ita constantem esse statuat, ut decimo nono quoque anno redeunte *novilunia* et *plenilunia*, in eosdem dies, horas et minuta redeant, quæ tamen una hora et minutis circiter 30, tempus anticipant, sicque post annos 312 uno die citius contingant, tanta fuit tempore Gregorii XIII noviluniorum antecessio, ut ea citius quatuor diebus peragerentur quam aureus numerus illa in Kalendario demonstraret; ita ut dies illa esset reipsa XVIII lunæ, quam Kalendarium XIV designabat, et hujusmodi; ob idque sacrum Pascha non amplius a 15 die in 21 lunæ, sed a die ejusdem 19, in 25, celebraretur, contra præscriptum primi Nicæni concilii celebrati anno Christi 325, quod canone 20 statuerat Pascha in perpetuum esse celebrandum die Dominico proximo post lunam 14 primi mensis, id est, ejus mensis, cujus luna 14 incidit in æquinoctium vernum, aut proxime post æquinoctium a die 15 lunæ ad diem 21 ejusdem, ita ut neque differre, neque anticipare liceret.

(50. Ut autem dictis Juliani Kalendarii vitiis succurreretur, jamdiu usque in conciliis Constantiensi, et Basileensi res fuerat actitata, ac postea Romano Pontifici a concilio Tridentino demandata; demum Gregorius XIII, convocatis ex toto orbe peritissimis astronomis, remedium optimum præstitit, ac correctionem absolvit anno 1582, ejusque correcti Kalendarii observantiam indixit constitut. incip. *Inter gravissima*; Unde Gregoriana correctio est communiter dicta.

(51. Primum igitur Juliani Kalendarii vitium sic correxit. Decem integros dies ab ipso detraxit, statuitque ut post quartam diem Octobris S. Patri Francisco sacram, sequens dies anno 1582 non esset quinta, sed pro quinta decima eo anno haberetur; sicque vernale æquinoctium suæ pristinæ sedi die 21 Martii restituit. Dicti autem decem dies de mense Octobri subtracti sunt, quia in ipsis paucissimi dies Festi occurunt. In Gallia vero dies decimus Novembris appellatus fuit vigesimus. Ne vero vernale æquinoctium a die 21 Martii versus initium mensis rursus reverteretur, statuit ut ex quatuor centenariis annis unus tantum bissextilis esset, nempe 1600, minime vero 1700, 1800, 1900, qui bissextiles esse deberent secundum Julianum Kalendarium; sicque dies tres intercalares quadringentis quibusque annis omitterentur, ut omissione horarum trium intercalarium *præcessio*, seu *anticipatio* compensaretur; unde distichum:

Bissextilis adest annus quicumque quaternus:
Centenus tollet, quadragentesimus addet.

(52. Ex quibus clara habetur regula ad dignoscendum quando occurrat post Gregorianam Kalendarii correctionem annus *bissextilis*. Detractis igitur centesimis, dividatur quod superest per 4, si ex hac divisione nihil relinquitur, annus ille erit *bissextilis*; secus vero, si post illam divisionem aliquid remanserit; verbi gratia annus 1744 erit *bissextilis*, nam detractis centesimis remanent anni 44, quibus divisis per 4, nihil ex hac divisione relinquitur; unde annus 1744, debet esse *bissextilis*. Pro centesimis autem stat evidens ex quatuor centenariis, ab anno videlicet 1600, *exclusive* quartum duntaxat esse *bissextilem*, nempe 2000, 2400, 2800, etc.

(53. Secundum vero Juliani Kalendarii vitium in cyclo decennovennali, quamvis correctione difficillimum prima fronte videretur, tamen facillime et promptissime fuit correctum ex ingeniosissimo libro Aloysii Lilli celeberrimi Romani medici et astronomi de propagando Aureo numero in 30 E. pactas.

(54. Epacta nomen græcum est, quod dies superinductos significat, eos scilicet quibus annus solaris communis continens dies 365, annum lunarem communem continentem duntaxat dies 354 superat, seu excedit. Epacta igitur primi anni erit 11, cum hoc numero annus communis solaris lunarem annum communem excedat: atque adeo sequenti anno novilunia contingent 11 diebus prius, quam anno primo; sicque Epacta anni secundi erit 22, cum eo anno rursum annus solaris lunarem annum excedat diebus 11, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde finito hoc anno novilunia contingent 22 diebus prius quam primo anno; epacta autem tertii anni erit 3, quia cum rursus 11 dies debeant adjici, ex quo continuus sit anni solaris cursus undecim diebus superans continuum cursum anni lunaris, efficietur numerus 33, a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquetur 3, et sic semper deinceps per continuum cujusque anni augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt.

(55. Pro dignoscendis ex epacta lunæ diebus, debent ipsi addi tot dies, quotus fuerit mensium numerus non a Januario, sed a Martio inclusive numeratus. Per hanc enim additionem habetur epacta, seu ætas lunæ pro prima die illius mensis in quo lunæ ætas quæritur. Si deinde huic numero numerus etiam dierum mensis adjiciatur, totalis summa ætatem lunæ pro tali die indicabit, dummodo dicta summa tricenarium numerum non excedat; quia tunc luna non erit nisi tot dierum quot dies, abjectis 30, ex illa summa supersunt: verbi gratia, si scire velis ætatem lunæ pro prima die Aprilis prædicti anni 1744, sumenda erit epacta 15,

Digitized by Google

quæ huic anno competit, et numerus mensis, nempe 2, cum Aprilis sit secundus a Martio numeratus : Sicque prima dies Aprilis erit 17 lunæ. Si deinde scire velis ætatem lunæ pro die decima ejusdem mensis Aprilis, debet addi supradicto anni numero epactali 15, num. 2 secundi mensis a Martio, et simul dies 10 ejusdem Aprilis ; sicque dies decima Aprilis erit 27 lunæ. Si autem scire velis ætatem lunæ pro die 25 dicti Aprilis, debet addi dicto currenti numero epactali 15, num. 2 secundi mensis a Martio, et simul dies 25 dicti Aprilis ; sicque cum totalis summa ex diebus 15 epactæ, duobus secundi mensis, seu Kalendarum, et 25 mensis ascendat ad dies 42, detractis 30, supererunt 12, qui ætatem lunæ pro tali die 25 ostendent.

(56. Indictio est 15 annorum solarium revolutio ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem. (57. Indictionis nomen venit a pensitatione, seu solutione quorumdam tributorum, quorum canon, et modus in Romano imperio quotannis olim indicebatur. « Cum enim Romani, inquit S. Eligius hom. 3, (apud bibliothecam PP. tom, II) totius mundi potirentur dominio, a subjecto sibi orbe tripartito, per tria quinquennia solutionem census indixerunt fieri ; et hoc modo, ut aurum uno, argentum altero, æs vero tertio persolveretur quinquennio. » Unde ne horum tributorum solvendorum memoria laberetur, instituerunt Romani, ut nulla conventio scriptis exarata valeret, nisi haberet annum *Indictionis* notatum. Quonam autem tempore *Indictionis* usus incœperit, quamvis certo sciri non possit, probabilius tamen est incœpisse anno Christi 312, die 24 Septembris, qua die a Constantino Magno victus fuit Maxentius, et inde Christiana religio fuit in libertatem asserta, in cujus gloriosi facti, et tanti beneficii memoriam fertur Patres in concilio Nicæno statuisse, ut deinceps nulla amplius fieret computatio per *olympiades*, sed per *indictiones*, ab ipsa die dictæ tam solemnis et Christianis favorabilis victoriæ, incipiendas. Petavius lib. II, De doctrina temporum cap. 40 et 41. Ricciolus tom. I Chronologiæ, lib. IV, cap. 16, et alii ; Et de facto eas incœpisse mense Septembri indicat l. Si Provincia 13. Cod. de annonis, et tributis, et l. Omnem canonem 1. Cod. de militari veste, ac Novella 128. (58. Indictiones vero nunc, præsertim in bullis, ac aliis pontificiis rescriptis incipiunt a Kalendis Januarii. * De indictionum origine consule Marchionis Maffei viri cl. Veronam illustratam, part. I, et Norisium. *

(59. Olympias autem erat spatium 4 annorum completorum in orbem rediens, quo elapso in Olympia, olim Pisa Elidis, vel Eleæ, aut Pisatidis regionis in Peloponneso primaria urbe, agones et ludi in honorem Jovis Olympii, Olympici idcirco dicti, maxima totius Græciæ solemnitate et concursu celebrabantur. Ejusmodi ludos Pisus instituisse dicitur, de quo tamen præter nomen, ut notat Strauchius in Breviar. Chronolog., lib. IV, c. 16, hodie parum constat. Pelops Tantali filius in honorem Jovis Olympii eos celebrare jussit, quos intermissos restauravere Atreus, et Hercules Alcmenæ filius ; ac demum peculiaribus additis statutis, Iphitus Praxonidæ filius, Elidis rex illos iterum neglectos innovavit, a quo subinde *Iphitei* dicti sunt. Hi vero ludi quinto quoque anno ineunte, id est post quatuor annos completos sub initium æstatis, seu æstivi solstitii, testibus Livio lib. XXVII, Censorino in lib. De die Natali, cap. 8. Pindaro ode 3, stroph. 2, et aliis celebrabantur a luna 11, usque ad 16, inclusive, qua et judicium, et sententia de victoribus ferebatur ; prioribus autem undecim diebus athletæ variis se prælusionibus exercebant. Olympiadibus singulis, peracto judicio, pronuntiata sententia, victoribus declaratis, victorum nomina statim per publicos sacerdotes ei curæ præpositos tabulis publicis inscribebantur, quibus eisdem etiam alii notabiliores eventus ad singulos singularum olympiadum annos summatim adnotabantur. Prima olympias, a qua cæteræ ab historicis numerantur, seu olympiadum initium contigit sub prædicto Iphito rege anno periodi Julianæ 3938, mundi 3228, ante æram communem Christianorum 776, ut notat eruditissimus Purchotius part. II Physic., sect. 2, cap. 9, § Epactæ profanæ, et alii plures. Sed satis de his ; cum ex dicto concilio Nicæno nulla amplius fiat computatio per olympiades, sed per indictiones.

(60. Unde pro invenienda cujuslibet anni indictione, addendus est numerus ternarius anno, cujus quæritur ipsa indictio, et totalis summa dividenda est per 15, et tunc numerus ex divisione relictus ostendet indictionem quæsitam. Quod si ex divisione nihil supersit, indictio erit 14 ; v. g. anno 1736, addantur tres numeri, seu tres anni, summa totalis erit 1739, quæ cum divisa per 15 relinquat 14, annus 1736 erit 14 indictionis pontificiæ ; Item anno 1737 addantur tres, summa erit 1740, quæ cum divisa per 15 nihil relinquat, indictio anni 1737 erit 15. Unde distichum :

Si tribus adjunctis Domini diviseris annos.
Ter tibi per quinos indictio certa patebit.

(61. Cyclus solaris est revolutio 28 annorum, qua absoluta, ad eumdem deinceps litterarum Dominicalium ordinem regredimur. Non enim *solaris* dicitur quod motum solis aliquem specialem indicet, sed quod ejus beneficio litterarum Dominicalium seriem cognoscamus : Sicque solaris est dictus, eo quod dies Dominica, qua littera *Dominicalis* designat, olim dies *solis* nominabatur.

(62. Pro inveniendo numero cycli solaris debent addi 9 anni anno currenti, et totalis summa dividenda est per 28, et tunc numerus ex divisione relictus ostendet annum cycli solaris quæsitum. Quod si ex divisione nihil supersit, annus cycli solaris erit 28 ; v. g. si anno 1700, addantur 9, erunt 1709, quæ summa totalis divisa per 28 dabit in

Digitized by Google

quotiente 61, et supererit 1. Hinc annus 1700 est primus cycli solaris, eique e regione respondet littera Dominicalis in tabulis; unde distichum :

Junge annis Domini ter ternos, perque vigiuti
Octo seca summam; cyclus solaris habetur.

(63. Ut autem sine tabella littera Dominicalis possit inveniri dantur sequentes versiculi :

Astra dabit Dominus, gratisque beabit egenos,
Gratia Christicolæ feret aurea dona fideli.

Hæc verba respondent mensibus juxta suum ordinem, nempe *Astra* Januario, *Dabit* Februario, *Dominus* Martio, et sic de reliquis; sola autem prima littera in illis consideratur, et ipsa est Dominicalis affixa primæ diei respectivi mensis. Unde Astra ut incipiens per *A.* indicat primæ diei mensis Januarii competere litteram Dominicalem : *A.* Dabit ut incipiens per *D.* indicat primæ diei Februarii competere litteram Dominicalem *D*, et sic de reliquis. Cognita igitur prima die alicujus mensis, quota nimirum in hebdomada illa sit, clare patebit quænam littera Dominicalis illi anno respondeat. Hinc quia Martius anno 1744, a die Dominica, seu die Domini incipit; secunda illius dies erit lunæ, tertia Martis, et sic de reliquis. Unde cum primæ diei Martii competat *D.* secundæ diei *E.*, tertiæ *F.*, quartæ *G.*, quintæ *A.*, sextæ *B.*, septimæ *C.*, littera Dominicalis ejusdem anni 1744, a Martio incipientis erit *D*. Quia vero annus 1744 est bissextilis, ac proinde duæ litteræ Dominicales illi competunt, si littera *D* est Dominicalis in Martio, littera *E* erit Dominicalis in Januario usque ad diem 25 Februarii, ubi nimirum sit diei intercalatio; atque adeo littera, quæ ab initio Januarii usque ad festum S. Matthiæ in diem Dominicam incidebat, deinceps a festo S. Matthiæ in feriam secundam cadit, et dies Dominica designatur præcedenti littera; eo quod orbis iste litterarum Dominicalium non septem annis, sed quater septem, id est 28 annis expleatur.

(64. Cyclus lunæ, seu *aureus numerus* est cyclus 19 annorum in perpetuum revolubilis, a Metone quodam Atheniensi excogitatus, ut lunaris motus cum solari ad æqualitatem perduceretur. Cyclus enim est certus annorum numerus excogitatus per antiquos, ut certius de tempore rerum gestarum posteris constaret. (65. Ut autem prompte sciatur quotus sit cyclus lunæ, sive numerus aureus cujuslibet anni, debet addi annus unus anno currenti, et totalis summa dividi per 19 et si quid residuum fuerit, id numerum cycli lunaris, seu numeri aurei anno currenti debitum indicabit. Si vero nihil remanserit, cyclus lunæ, seu aureus numerus erit 19 : v. g. si annus currens sit 1700, et ipsi addatur 1, habebitur 1701, quæ summa totalis si per 19 dividatur, invenientur in *quotiente* seu *exponente* 89, et supererunt 10, qui demonstrant annum 1700 esse cycli lunaris, seu aurei numeri decimum; quod totum indicat sequens distichum :

Unum addes annis Domini, summamque novenis
Et denis tribues, numerus tibi ut aureus adsit.

(66. Appellatur autem communiter hic lunæ cyclus aureus numerus, quia tanti hujusmodi cyclum fecit antiquitas, ut aureis pingeretur, seu scriberetur characteribus, et signanter Athenienses aureis numeris illum in foro præfigerent, et, ut multi referunt, Alexandrini in tabula argentea aureis litteris descriptum Romanis olim miserint.

(67. Non possunt locorum ordinarii, tam sæculares, quam regulares addere suis Kalendariis sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ a Breviarii Romani rubricis, vel a sac. Rituum cong. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Neque propria auctoritate, et quovis prætextu possunt mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. Sac. Rit. Congreg. 3 Aprilis 1668.

(68. Kalendarium Gregorianum pro distributione festorum, jejuniorum, et hujusmodi ab Italo-Græcis servari præcipitur. Bened. XIV., t. I, Const. 57, incip. *Etsi Pastoralis*, § 9.

* Gregorianum Kalendarium passim a protestantibus proscissum, atque etiam a nonnullis catholicis nostrorum temporum mathematicis, quos inter Eustachius Manfredus, et Jacobo Bettazzio, in quibusdam reprehensum vindicarunt Joannes Busæus edita Moguntiæ 1585 disputatione apologetica pro Kalendario Gregoriano, P. Mahoudeau apud Trivultianos Patres in Ephemeridibus litterariis an. 1738, August. art. 78, et Septembr. art. 87. P. Joannes Baptista Ricciolius, in epistola ad Jo. Dominicum Cassinum, P. Horatius Borgondio in Constructione Kalendarii Gregoriani propugnata, Romæ 1729, et Melito a Perpiniano Capuccinus in apologia pro Kalendario, seu computo Paschali, et in epistola animadversoria ad R. Jacobum Bettazzi. *

KYRIE ELEISON.

Kyrie eleison est vox græca, et significat *Domine miserere*. Et fuit a Græcis translata ad Romanos eodem idiomate ob reverentiam antiquitatis, et Ecclesiæ unitatem inter Græcos, et Latinos, et sicuti eodem idiomate translatæ sunt ab Hebræis hæ voces Hebraicæ ; *Amen*, *Alleluiâ*, *Sabaoth*, *Osanna*, ut ostendatur unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, et Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata est; Quarti Commentar. in Rubric. Miss., part. I, t. VII, n. 2. Merati t. I, par. 1. t. VIII, rubrica 2, n. 7. Hanc translationem a Græcis ad Romanos fuisse factam a S. Silvestro asserunt Rodulphus propos. 23. Gavant apud Merati loc. cit. Quarti l. c. Hoc tamen incertum videtur: Amalarius enim, Strabo, Micrologus, et alii apud Merati l. c. id tribuunt S. Gregorio

Digitized by Google

Magno. At vero fuisse in usu in tota Italia ante S. Gregorium annis 150, testatur concilium Vasense II, cap. 4, sub Felice IV celebratum, ut ex Bellarmino, et aliis referunt Gavant., et Merati loc. cit.

Ter autem repetitur *Kyrie*, ter *Christe*, et iterum ter *Kyrie* ad confessionem SS. Trinitatis, id est ter ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum Sanctum; sed ad Patrem, et Spiritum Sanctum, sub eadem voce *Kyrie;* quia Pater et Spiritus sanctus sunt unius naturæ tantum, id est solius divinæ. Ad Filium vero sub alia voce nempe *Christe*, quia præter naturam divinam, habet etiam humanam: dicitur etiam ter *ad* quamlibet personam ad significandum quod omnes personæ sunt in se invicem; S. Thomas 3, part. quæst. 83, art. 4. Quarti. Gavant., et Merati loc. cit.

Novies in missa repetitur contra novem genera peccatorum, id est contra originale, mortale, veniale, cordis, oris, operis, infirmitatis, ignorantiæ et malitiæ. Innocent. III. lib. III, cap. 19. Gavant apud Merati t. I, par. II, tit. 16, n. 4.* Christianus Godofredus Grabenerus, e Protestantium secta, structuras historicas de formula *Kyrie Eleison* edidit Dresdæ 1744. *V.* infra v. *Litaniæ.**

L

LÆSIO.

Vide verb. EMPTIO *et* VENDITIO, *art.* 5, *ubi late de his.*

LAICUS.

SUMMARIUM.

1. Laicus est penitus incapax juris spiritualis, seu ecclesiastici. — 2. Laicus spiritualia, et ecclesiastica negotia tractare non debet. — 3. Laicus nullam habet potestatem in personas et res ecclesiasticas ad n. 9. — 10. Laici omnes, etiam principes et reges, in spiritualibus causis sunt subditi judicio ecclesiastico. — 11. Laici usurpantes res ecclesiæ conveniuntur coram episcopis, et ad satisfactionem compelluntur. — 12. Laici pro re Ecclesiæ conveniri possunt coram judice ecclesiastico. — 13. Laici pro juramentorum observantia conveniri debent coram judice ecclesiastico. — 14. Laici in mere temporalibus, et profanis non ligantur constitutionibus canonicis, nisi in terris ecclesiæ. — 15. Laicis personis de mysteriis fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ. — 16. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, sed etiam confirmativam. — 17. Talis prohibitio comprehendit omnes laicos, nedum indoctos sed etiam doctos. 18. Possunt tamen laici docti de fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 19. Possunt etiam laici docti disputare de fide disputatione materiali. — 20. Non autem disputatione formali, nisi in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. — 21. Laici non possunt prædicare: imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competenti pœna sunt plectendi. — 22. Laici præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non possunt. — 23. Laicus, qui post commissum delictum, sine ulla fraude factus est clericus, gaudet privilegio fori tam quoad personam, quam quoad bona. — 24. Si vero post commissum delictum, in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. — 25. At non gaudet privilegio fori quoad bona, si judex laicus post commissum delictum ante illius promotionem prævenit in causa. — 26. Judex tamen sæcularis præveniens non potest in bonis talis clerici procedere nisi postquam judex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. — 27. Laicus, qui dum detineretur in carcere curiæ sæcularis factus est clericus, vel professus, potest a judice laico distringi, et puniri etiam in persona. — 28. Laicus inquisitus, et carceratus in curia sæculari, et postea dimissus sub fidejussione de se repræsentando, si interim fuerit factus clericus, potest pro causa illa a judice laico ad carceres revocari, et puniri etiam pœna temporis. — 29. Laicus in exsilium pulsus a judice sæculari cum hoc, ut si exilium non servaret, incideret in pœnam triremium, si postea ordinatus exsilium non servaverit, et propterea ab eodem judice in carcerem conjectus fuerit, si revera ante transgressionem exsilii promotus fuerit, est remittendus ad judicem ecclesiasticum. — 30. Laici non possunt offerre oblationes in altaribus. — 31. Laici non possunt sacrificare, nec absolvere, aut ligare. — 32. Unde laicus, seu etiam clericus non sacerdos, audens celebrare, aut sacramentaliter absolvere, fit suspectus de hæresi, et est cogendus ab inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25 annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus. — 33. Et si laicus, vel clericus non sacerdos attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non obstante errore communi. — 34. Laici neque possunt exercere officium ordinum minorum. — 35. Laici non possunt regulariter inservire ministris in altari. — 36. Laici sub specie panis tantum possunt communicare. — 37. Laici non a se, sed a sacerdotibus debent Eucharistiam accipere, nisi essent in articulo mortis, et deficeret sacerdos, vel diaconus. — 38. Laici eligere non possunt ad dignitates, et prælaturas ecclesiasticas. — 39. Et electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine. — 40. Laici nec eligi possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas. — 41. Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, et postea quam primum tonsurari. — 42. Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti. — 43. Unde laici sunt incapaces beneficii ecclesiastici. — 44. Possunt tamen laici præsentari ad beneficia a patronis eorum ordinario, sub conditione, quod clericentur intra tempus statutum ad præsentandum. — 45. Laici non possunt habere pensiones ecclesiasticas. — 46. Laici, etiam patroni, non possunt conferre clericis beneficia, aliasque ecclesias, sed possunt ad ea præsentare si habent jus; et si concedant sine licentia episcopi, nulla est concessio. — 47. Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere juspatronatus sine licentia episcopi. — 48. Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. — 49. Laici, qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis, seu beneficiis etiam patronatis, subjacent

Digitized by Google

excommunicationi. — 50. Laici non possunt facere judicia in ecclesiis, seu domibus earum. — 51. Imo laici non possunt facere sua concilia in ecclesiis, seu domibus earum. — 52. Laici non possunt frequentare monasteria monialium, alias excommunicationi subduntur. — 53. Laici non possunt tangere sacras reliquias, neque vasa sacra, et neque illa abluere. — 54. Laici induentes se vestibus sacris sunt puniendi, et condemnatur mos in aulis principum induendi laicos habitu episcopali joci gratia. — 55. Laici non possunt indui superpelliceis. — 56. Laici non possunt habere cryptas, seu aditus subterraneos, per quos a suis domibus ad ecclesias, et loca immunia transeant, et ubi adsint, injungitur episcopo, ut eos claudere faciat. — 57. Laici, dum divina celebrantur, non debent inter canonicos et alios ecclesiæ præbendatos in choro stare, vel sedere. — 58. Laicorum loca in ecclesia distincta, et separata esse debent a locis canonicorum, et ministrorum in divinis inservientium. — 59. Laici non debent occupare stalla, seu loca dignitatum, canonicorum et præbendarum in choro, vel presbyterio, etiamsi sint illustres et de magistratu. — 60. Laici non possunt tenere sedilia in presbyterio, nec possunt retinere baldachinum in ecclesia, nec eis est deferendum evangelium ad osculandum. — 61. Hinc sac. Rit. cong. mandavit aptandum esse locum magistratui extra presbyterium juxta designationem porrectam a magistro cæremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. — 62. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, seu stratus — 63. Laici, exceptis personis regalibus, nequeunt sibi facere deferri strata ad ecclesias. — 64. Laici an et quomodo possunt ponere et retinere sedilia, seu scamna propria in ecclesia? — 65. Laici non sunt invitandi ad synodum, nec locum prætendere possunt. — 66. Laici non possunt esse vicarii episcopi. — 67. Laici non possunt esse socii visitatoris in ingressu clausuræ Monialium. — 68. Laici magistratus jus non habent indicendi publicas preces. — 69. Additiones ex aliena manu.

(1. Laicus est penitus incapax juris spiritualis, seu Ecclesiastici; cap. *Massana* 56, De elect.; cap. *Causam* ques. 7, De prescriptionibus, cum similibus. Rota part. IV, recent. decis. 483, n. 16, et communissima doctorum. (2. Unde Laicus spiritualia et ecclesiastica negotia tractare non debet, textu expresso in cap. *Decernimus* 2, de Judiciis, ibi : « Decernimus, ut Laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant, » et concordat cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, cap. *Quæ in Ecclesiarum* 7, et c. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitutionibus, et cit. cap. *Massana*, et cap. *Causam quæ*, cum similibus. (3. Sicque Laicus nullam habet potestatem in personas, et res ecclesiasticas, quia laicis, quamvis religiosis, disponendi de ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, cap. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitutionibus, ubi expresse dicitur : « Nos attendentes, quod laicis, etiam religiosis, super Ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; » et cap. *Cum laicis* 12, De rebus Ecclesiæ alienand. vel non, ibi : « Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. »

(4. Laici causas spirituales beneficiales, vel decimales ad se avocantes, vel eorum cursum impedientes, vel qui partes astringunt ad revocandum citationes, inhibitiones, aut alia acta in causis præfatis, etiamsi id facientes sint superiores, cancellarii, consiliarii, et ministri cujuscunque principis, incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ*, ibi § 14. (5. Item similem excommunicationem Bullæ cœnæ incurrunt laici, qui personas ecclesiasticas, collegia, seu capitula trahunt ad suum forum, sive directe, sive indirecte, vel quomodocumque juri ecclesiastico præjudicant, ibi § 15. (6. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici, qui impediunt episcopos, vel alios prælatos ecclesiasticos, ne suo jure utantur in ecclesiasticis, capiendo vel persequendo agentes eorum, consanguineos, affines, vel procuratores, ibi § 16. (7. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici usurpantes jura, fructus et alia hujusmodi sedis Apostolicæ vel aliarum ecclesiarum, vel qui ea sequestrant absque licentia superioris competentis, ibi § 17. (8. Item eamdem excommunicationem incurrunt Laici imponentes decimas, talleas, collectas, vel alia onera ecclesiasticis, vel eorum bonis absque licentia Papæ; vel qui sic imposita exigunt, aut recipiunt. Sic etiam, qui directe, vel indirecte ea exsequi faciunt, vel procurant, aut dant auxilium, favorem, vel consilium, cujuscunque gradus, aut dignitatis sint, ibi § 18. (9. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici causas criminales ecclesiasticorum judicantes, tractantes, etc., ut judices, notarii, scribæ, exsecutores processando, banniendo, capiendo, vel contra eos sententiando sine licentia Papæ.

(10. Laici omnes, etiam principes, et reges in spiritualibus causis sunt subditi judicio ecclesiastico; cap. *Quis dubitet* 9, et cap. *Si imperator* 11, dist. 96, cap. *Novit ille* 13, de Judiciis, cap. *Unam sanctam*, De majorit. et obedient. inter extravagantes communes. (11. Laici usurpantes res ecclesiæ, eorum episcopis conveniuntur, et ad satisfactionem compelluntur; cap. *Conquestus* 16, de foro competent, c. *Sicut* 2, De privilegiis. (12. Laici pro re Ecclesiæ conveniri possunt coram judice ecclesiastico, cap. *Si clericus* 5, De Foro competent. (13. Laici pro juramentorum observantia conveniri debent coram judice ecclesiastico; cap. final. De foro compet., in 6. (14. Laici in mere temporalibus et profanis non ligantur constitutionibus canonicis, nisi in terris Ecclesiæ; cap. *Quoniam* 8, dist. 10, cap. *Si duobus* 7, De appellationibus § denique.

(15. Laicis personis de ministeriis fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ. Vide verb. *Fides* n. 36. (16. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei du

Digitized by Google

bitativam, sed etiam disputationem fidei confirmativam. Vid. ibidem, n. 37. (17. Talis prohibitio comprehendit omnes laicos nedum indoctos, sed etiam doctos. Vid. ibid., n. 38. (18. Possunt tamen laici docti de Fide disputare in casu necessitatis aut evidentis utilitatis. Vid. ibid., n. 39. (19. Possunt etiam laici docti disputare de fide disputatione materiali, hoc est ficta. Vid. ibidem, n. 40, (20. non autem disputatione formali, hoc est vera, nisi in casu necessitatis aut evidentis utilitatis. Vid. ibid., n. 41.

(21. Laici non possunt prædicare. Concil. Carthagin. VI, cap. 68, cap. *Cum ex injuncto* 12, De hæreticis. Imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competenti pœna sunt plectendi, textu expresso in cap. *Excommunicatus* 13, De hæreticis, § Quia vero, ibi: « Quia vero nonnulli sub specie pietatis, virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi (cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?) omnes qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede vel catholico episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, et, nisi quamcitius resipuerint, alia competenti pœna plectantur. » (22. Laici præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non possunt. Concil. Carthagin. IV, cap. 66. cap. *Mulier* 29, dist. 23, ibi: « Laicus autem præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat. »

(23. Laicus, qui post commissum delictum sine ulla fraude factus est clericus, gaudet privilegio fori tam quoad personam quam quoad bona, quia privilegium superveniens universaliter eximit: cap. *Frater noster*, et ibi Glossa in verb. aliquid caus. 16, qu. 1, c. *Cum capella*, De privilegiis, et liberat ab obligatione, qua quis antea tenebatur; cap. *Ex antiquis*, cap. *Fraternitatem*, et cap. *Si servus*, dist. 54, l. penult. § Si post. et l. Spadonem, § Scire, ff. de excusat. tutor. l. Is cui, ff. De alim. et cibar. legat., et sic expresse decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. refert Fagnan. in cap. *Magnus* 1, De obligat. ad ratiocinia, n. 64. vid. verb. *Clericus*, art. 2, n. 23. (24. Si vero post commissum delictum in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. Vid. ibidem, n. 24. (25. At non gaudet privilegio fori quoad bona, si judex laicus post commissum delictum ante illius promotionem prævenit In causa. Vid. ibidem, n. 25. (26. Judex tamen sæcularis prævenions non potest in bonis talis clerici procedere, nisi postquam judex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. Vid. ibid. n. 26.

(27. Laicus, qui, dum detineretur in carcere curiæ sæcularis, factus est clericus vel professus, potest a judice laico distringi et puniri etiam in persona. In tali enim casu prævenia est causa et persona, tum quia ordo et professio non invenit istum liberum, tum etiam quia ex contrario nimium eluderetur justitia; Jo. Andr. in c. *Magnus* 1, De obligatis ad ratiocinia, n. 19; Butrius ibid., n. 9; Card. ibid., n. 9, qu. col. 4, vers. *Quæ dicta sunt de personali distinctione;* Ancharan., ibid., n. 2, in fine; Fagnan. ibid., n. 52, et 85, ubi ex aliis dicit esse communem, quia, sicut assumptio clericatus in fraudem non eximit bona clerici a jurisdictione judicis laici, quando causa est prævenia, ita nec eximit personam, quando est prævenia persona; utroque enim casu jus divinum sive ecclesiasticum declaratur ab Ecclesia ad eam speciem non pertinere, ut expresse dicit Fagnan. cit. n. 85, in fine. (28. Laicus inquisitus, et carceratus in curia sæculari, et postea dimissus sub fidejussione de se repræsentando, si interim fuerit factus clericus, potest pro causa illa a judice laico ad carceres revocari, et puniri etiam pœna corporis afflictiva. Talis enim a carceribus dimissus sub fidejussione de se repræsentando censetur adhuc carceratus et in vinculis detentus; et sic cum in tali casu prævenia sit a judice laico causa et persona, et ordo non invenerit ipsum liberum, remaneret adhuc ipse sub judicis laici jurisdictione seu potestate. Si ex variis aliis tenet Fagnan. loc. cit., a n. 64, ad 87, ubi refert sic in simili fuisse declaratum a sacra congregatione Concilii.

(29. Laicus in exsilium pulsus a judice sæculari cum hoc, ut si exsilium non servaret, indiceret in pœnam triremium, si postea ordinatus exsilium non servaverit, et propterea ab eodem judice in carcerem conjectus fuerit, si revera ante transgressionem exsilii promotus fuerit, est remittendus ad judicem ecclesiasticum. Fagnan. in cit. cap. *Magnus*, n. 91, ubi refertur sic declarasse sacr. congr. Concil. die 14 Novembr. 1609. Alia ad rem, vid. d. verb. *Clericus*, art. 2, a n. 27, et verb. *Habitus* a n. 56.

(30. Laici non possunt offerre oblationes in Altaribus, c. *Sanctorum* 14, caus. 10, q. 1. (31. Laici non possunt sacrificare, nec absolvere, aut ligare, lib. 3 Constitution. Apostolicarum, cap. 10; Leo X Constit. 40, incip. *Exsurge;* Concil. Trid. sess. 7. canon 10, et sess. 14, c. 5, et Canon. 10 ejusdem sess. 14. (32. Unde laicus, seu etiam clericus non sacerdos audens celebrare et sacramentaliter absolvere, tit suspectus de hæresi, et est cogendus ab inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25 annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus ex Clemente VIII, constit. incip. *Et si alias*, et Urbano VIII, constit. 79, incip. *Apostolatus officium*. (33. Et si laicus, vel clericus non sacerdos, attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non obstante errore communi. Vid. verb. *Confessarius*, art. 1, n. 37.

(34. Laici neque possunt exercere ministerium ordinum minorum. Concil. Colonien., I. par. III, cap. 31; Concil. Trident. sess. 23, *De reformat.*, cap. 17. (35. Laici non possunt regulariter inservire ministris in altari. Con-

Digitized by Google

cil. Coloniens. II, par. III, cap. 31. (36. Laici sub specie panis tantum possunt communicare. Concil. Constantiense, sess. 13, c. 1; Conc. Trid. sess. 21, c. 1. Canon. 1 et 2 ejusdem sess. 21. (37. Laici non a se, sed a sacerdotibus debent Eucharistiam accipere, arg. cap. *Tribus gradibus* 22, et cap. *Pervenit* 29, dist. 2, De consecr. Barbosa in concil. Trident. sess. 21, c. 1, n. 3. Communis, et praxis univers. nisi essent in articulo mortis, et deficeret sacerdos, vel diaconus, cum in casu talis extremæ necessitatis præceptum humanum cederet præcepto divino sumendi pro tunc viaticum. Sic plurimi cum La Croix lib. VI, part. I, n. 48, 482.

(38. Laici eligere non possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas; cap. *Nullas* 1, cap. *Non est* 6, c. *Non licet* 8, et c. *Nosse* 12, dec. 63, cap. *Contingit* 8, *De arbitris*, c. *Decernimus* 2, De judiciis, cap. *Sacrosancta* 51, et c. *Massana* 56, De election. cum similibus. (39. Et electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela, textu expresso in cit. capite *Massana* 56, De election. et ibi doctores communiter. (40. Laici non eligi possunt ad dictas dignitates et prælaturas ecclesiasticas; qui enim necdum sunt tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; arg. c. *Ex litteris* 6, De transactionibus, et notat Glossa final. et Abbas ibid., n. 3, et tenet Rota part. 18, recent. tom. I, dec. 40, n. 4. (41. Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, et postea quamprimum tonsurari, prout aliquoties contigisse cum magnorum principum filiis, præsertim in Germania refert Sanig. cap. 2, n. 2, De election. (42. Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti, prout S. Nicolaus, S. Severus, et S. Ambrosius ex laicis fuerunt electi in episcopos, ut habetur in cap. *Statuimus*, § 8, E contra, dist. 61. (43. Unde laici, ut vides, sunt incapaces beneficii ecclesiastici; arg. cit. cap. *Ex litteris* 6, De transactionibus; sunt enim laici incapaces omnis juris ecclesiastici; cap. *Cum adeo* 17, De rescriptis, cap. *Causam* 7, De præscriptionib., cap. *Contingit* 8, De arbitris, cap. *Decernimus* 2, De judiciis, cap. *In Ecclesia* 2, De institutionibus, cum similibus. (44. Possunt tamen laici præsentari ad beneficia a patronis coram ordinario, sub conditione quod clericentur intra tempus statutum ad præsentandum, ut dictum est verb. *Juspatronatus*, art. 4, n. 71. (45. Laici non possunt habere pensiones ecclesiasticas. S. Pius V, constit. 74, incipient. *Sacrosanctum*.

(46. Laici etiam patroni non possunt conferre clericis beneficia aliasque ecclesias, sed possunt ad ea præsentare si habent jus; et si concedunt sine licentia episcopi, nulla est concessio; cap. *Cum laici* 10, De jurepatronatus, Conc. Lateranen. III, in append. titul. De jurepatron. c. 3. (47. Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere juspatronatus sine licentia episcopi; cap. *Cura pastoralis* 11, De jurepatr.; Concil. Lateran. III, eod. tit. cap. 6. (48. Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. Concil. Constantiens. contra art. 16; Voicless. cap. *Relatum* 21, De jurepatr. § Ad hoc. (49. Laici, qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis etiam patronatis subjacent excommunicationi cap. *Præterea* 4, De jurepatronatus.

(50. Laici non possunt facere judicia in ecclesiis. Conc. Arelatens. IV. cap. 22, cap. *Ut in domibus* 1, De immun. eccles. (51. Imo laici nec possunt facere sua concilia in ecclesiis, et domibus earum : in cit. cap. *Ut in domibus Ecclesiarum* 1, De immunit. Eccles. (52. Laici non possunt frequentare monasteria monialium, alias excommunicationi subduntur, textu expresso in capit. *Monasteria* 8, De vita et honestate clericorum. (53. Laici non possunt tangere sacras reliquias, neque vasa sacra, et neque illa abluere. Concil. Coloniens. II, p. 3, cap. 31. (54. Laici induentes se vestibus sacris sunt puniendi, et condemnatur mos in aulis principum induendi laicos habitu episcopali joci gratia. Conc. Constantinopolitan. IV. cap. 16, ibi : « Colligere licet solemne fuisse in aulis principum, statis quibusdam diebus componere aliquem laicum insignibus episcopalibus, qui et tonsura, et cæteris ornamentis personatum episcopum ageret, et creasse etiam ridiculum patriarcham, quo se oblectarent. Quæ omnia, ut in dedecus ecclesiæ accersita prohibentur sub gravibus censuris. » (55. Laici non possunt indui superpelliceis. Concil. Coloniens. II, p. 3, cap. 31.

(56. Laici nequeunt habere cryptas, et aditus subterraneos, per quos e suis domibus ad ecclesias et loca immunia transeant; et ubi adsint, injungitur episcopo ut eos claudere faciat. Sac. congregat. Immunitatis in Aquilana 9 Martii 1633, lib. II Decret. Pauluc. pag. 115. Vide verb. *Ecclesia*, art. 6, n. 1. (57. Laici, dum divina celebrantur, non debent inter canonicos, et alios ecclesiæ præbendatos in choro stare vel sedere; cap. *Sacerdotum* 29, dist. 2, De consecrat. c. *Ut Laici* 1, De vita et honestat. Clericorum; et sic expresse decrevit sacra congregatio Rit. in Compostellana 4 Februar. 1600. (58. Laicorum loca in ecclesia distincta et separata esse debent a locis canonicorum et ministrorum in divinis inservientium. Sacra congregat. Rit. in Elboren. 8 Jan. 1605. (59. Laici non debent occupare stalla seu loca dignitatum, canonicorum et præbendarum in choro, vel presbyterio, etiamsi sint illustres, et de magistratu. Sacra congreg. Rit. in Compostellana 21 Februar. 1604, et Granatens. 24 Octob. 1609.

(60. Laici non possunt retinere sedilia in presbyterio. Nec possunt retinere baldachinum in ecclesia; nec eis est deferendum Evangelium ad osculandum. Vid. verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 29 et 30, ubi afferuntur ad hoc decreta generalia. (61. Hinc sacra Rit. congregat. mandavit aptandum esse locum magistratui extra presbyterium juxta desi-

Digitized by Google

gnationem porrectam a magistro cæremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. Vide ibidem, n. 31. (62. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus. Vide ibidem, a n. 32 ad 36, ubi afferuntur varia decreta ad rem. (63. Laici, exceptis personis regalibus, nequeunt sibi facere deferri strata ad ecclesias. Vide ibidem, n. 28, ubi affertur decretum id prohibens sub gravibus pœnis.

(64. Laici an et quomodo possint ponere et retinere sedilia, seu scamna propria in ecclesia. Vide ibid., a n. 7, ad 27. (65. Laici non sunt invitandi ad synodum, nec locum prætendere possunt. Sacra congr. Concil. in Lieiensi Synodi 10 Januar. et 10 Aprilis 1688, in responsione ad primum, (66. et sacra congregat. Rit. in Urbinaten. 23 Januarii 1700 in responsione ad septimum. (67. Laici non possunt esse vicarii episcopi. Concil. Hispalens. II, cap. 9. Laici non possunt esse socii visitatoris in ingressu clausuræ monialium. Sic expresse statuit Gregorius XIII, constit. incipient. *Dubiis*, ubi imponit gravissimas pœnas contra visitatores trangressores, et pluries declaravit sacra congreg. Episc. et Regul. et signanter in Tarvisina 20 Novembr. 1601, etiamsi essent

officiales, seu santesii ejusdem monasterii, ut in Genuensi 16 Januarii 1607, in Registro fol. 2 et 3, in Lucana 22 Januar 1610, in Registro fol. 15.

(68. Laici magistratus jus non habent indicendi publicas preces. Bened. XIV, tom. I, constit 82, incip. *Quemadmodum* § 3 et 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(69. Reticendum hic haud est quod in concilio Romano tit. 28, De immun., cap. 4, alias habetur : « Generalis Sanctæ Sedis decreto in ecclesiis etiam regularibus intra presbyteriorum et altarium septa, dum missæ ibi celebrantur, aliave divina officia persolvuntur, sæcularium personarum cujuscunque conditionis, et sexus assistentiam prohibitam fuisse non ignoratur. Verumtamen cum ad hoc laici quidam in vetita temeritate nitantur, et ibidem stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant, id iterum juxta sacrorum canonum ejusdemque Apostolicæ Sedis mentem, sub ecclesiarum regularium etiam, et quomodocumque exemptarum interdicti pœna ipso facto incurrenda, et romano Pontifici reservata inhibemus, mandantes ut, si quæ sint pro laicis sacra intra loca prædicta sedes, scamna et genuflexoria, illinc auferantur et removeantur omnino. »

LARGITIO MUNERUM.

Vide verb. REGULARES, *verb.* XENIA, *et verb.* POENA, *artic.* 4, *n.* 147.

LATRONES CRUCI CUM CHRISTO AFFIXI.

(1. Latrones crucifixi cum Christo, quinam fuerint? Hi latrones fortasse fuerunt ex iis qui tunc temporis Judæam infestabant, nec alium sibi regem esse quam Deum asserebant, et Romano imperio propterea se non esse subjectos jactitabant. Circa autem eorum nomina satis variant auctores. In collectaneis enim quæ Bedæ falso adscribuntur, Latro bonus *Matta*, et latro malus *Joca* nominatur. In historia Xaveriana par. 480, unus dicitur *Vicimus*, et alter *Justinus*. In Evangelio apocrypho infantiæ Christi, cap. 23, nuncupatur unus *Titus*, et alter *Dumachus*; et in evangelio Pseudo-Nicodemi cap. 9, latro probus appellatur *Dimas*, et improbus *Gestas*: quod etiam tradidit Goffridus Vindocinensis in fine sermonis decimi. Sic expresse Card. Lambertini postea Benedictus XIV, De canonizat., lib. IV, cap. 12, num. 10, ubi insuper tradit quod bonus latro cultum obtinet in utraque Ecclesia, Occidentali videlicet et Orientali. Ad diem 25 Martii mentio ejus fit in Martyrologio Romano : Hierosolymis commemoratio sancti Latronis, qui in cruce Christum confessus ab eo meruit audire : *Hodie mecum eris in paradiso*; subditque Card. Baronius in notis : « Dimam hunc plerique appellant, sed quoniam id ab apocryphis proditur, ea de causa hic nomen proprium prætermissum videtur. Reperiuntur autem sancti Dimæ latronis nomini nonnulla sacella dicata, et memoriæ erectæ eodem titulo. »

(2. Sub nomine tamen sancti latronis solummodo, reticito proprio nomine, in religione beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, ex concessione Sixti V recitatur officium proprium de confessore non pontifice cum oratione, et responsoriis propriis, et primis lectionibus desumptis ex Scriptura, secundis ex sermone sancti Joannis Chrysostomi, et tertiis ex sermone 49 sancti Ambrosii, in quo fit sermo de sancto latrone. Cum autem a congregatione patrum Piorum Operariorum fuerit supplicata extensio dicti officii, ex quo sanctum hunc bonum latronem in specialem patronum, et advocatum suum elegerit, propter expertas plurimas peccatorum conversiones ejus intercessione in suis sacris missionibus factas; et orta difficultate, an de confessore, aut de martyre ejus officium recitari deberet, omnibus perpensis Sacrorum Rituum Congregat. die 23 Septembris 1724, adhærendo opinioni asserentium, hoc officium recitandum de confessore, et non de martyre, indulsit dictæ congregationi Piorum Operarium, ut illud possent recitare de confessore non pontifice, sub nomine sancti Boni Latronis, prout cultum obtinet in religione B. Mariæ de Mercede. Sic apud laudatum Lambertin. Benedict. XIV. loc. proxime cit. ubi multa tradit ad rem.

(3. Quoad nomina latronum fere consimiliter, ut supra, tradit eruditissimus Calmet in Dictionario, verbo *Latro*, ubi de ipsis sic

Digitized by Google

insuper refert; Pseudo-Evangelium Infantiæ Salvatoris (vetustissimum quidem opus) refert, fugientem cum puero Jesu Virginem, et sanctum Josephum in Ægyptum, incidisse in turmam latronum resolutam in somnum, duobus tantummodo vigilantibus, e quibus alter in necem peregrinorum sese accingebat sed a socio prohibitus est. Tunc puer Jesus ore fatidico prænuntiavit ambos illos latrones agendos esse secum in crucem, alterum autem ex illis recipiendum in paradisum; depellendum alterum ad inferos. Hæc illo ad litteram.

(4. An autem ambo hi latrones, bonus et malus, blasphemaverint in cruce Christum; aut solus malus, videntur non convenire inter se evangelistæ, Matthæus enim cap. XXVII, et Marcus cap. XV, narrant Christum ab utroque latrone fuisse maledictum, *idipsum autem, et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei; et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Lucas autem cap. XXIII asserit solum malum latronem blasphemasse eum, et fuisse reprehensum a bono, qui postea Christum rogavit ut, cum ad suum pervenisset regnum, memor esset sui : *Unus autem ex his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit; et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum; et dixit illi Jesu : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ast S. Hieronymus in cap. XXVII Matth. ostendit quod nihil inter se discrepaverint evangelistæ, dicens, quod in principio uterque quidem latro convicia et maledicta in Christum conjecerit, sed postea bonus latro, ut vidit solem obscurari, tremefieri terram, et saxa disrumpi, resipuerit, ibi : « Non quod discrepent evangelistæ, sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc, sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit. » Sanctus autem Augustinus lib. III De consensu evangelistarum alio modo eos conciliat. Dicit enim quod Matthæus et Marcus adhibuerint modum loquendi in Sacra Scriptura satis frequentem, ubi sæpe pluralis pro singulari numero ponitur, ut patet in Epistola ad Hebræos : *Clauserunt ora leonum*, et tamen de solo Daniele ibi est sermo : *Secti sunt*, et tamen refertur ad solum Isaiam; et psal. II : *Astiterunt Reges terræ, et principes convenerunt in unum*, quæ de Herode, qui erat rex, et de Pilato, qui erat princeps, intelliguntur, ut patet ex Act. Apostolorum cap. IV, n. 6, et hæc S. Augustini opinio communius sequitur a sacris interpretibus, ut testatur scriptor Synopsis critic. sacr. in Matth. cap. XXVII, pag. 677, ibi : « Pluralem numerum usurpari, ubi unus e multis, sed indefinite indicatur, veteres novique interpretes monuerunt. » Sicque tenet peritissimus card. Lambertin. Benedictus XIV. De festis D. N. Jesu Christi, part. I, n. 286, expresse dicens : « Atque etiam multo verosimilius est de uno tantum latrone evangelistas loqui, nam qui bonus potuisset latro alterum quod blasphemaret, increpare, si ipse etiam paulo ante blasphemasset? » Ita etiam Corn. a Lapide in Lucam c. XXIII, vers. 42.

(5. Quo sensu intelligenda sint illa verba *Hodie mecum eris in Paradiso*, variant sacri interpretes. Sanctus enim Justinus Martyr quæst. 75, 76 et 85, ad orthodoxos dicit quod pro tali paradiso intelligendus sit ille terrestris e quo pulsus est Adam; sed hæc opinio cum petitione latronis non convenit, cum ille non terrestrem paradisum, sed cœlestem postulaverit. Verius tamen sanctus Augustinus epist. 187, alias 37, ad Dardanum tradit, verba illa *Hodie mecum eris in paradiso* non de paradiso interpretanda esse, quia illa eadem die non erat Christus venturus in paradisum, ibi : « Non ex his verbis in cœlo existimandus est esse paradisus, neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus, sed ita esse intelligenda, ut paradisus esset in inferno, quo anima Christi illa die futurum erat ut descenderet. Restat igitur ut, si secundum hominem dictum est : Hodie mecum eris in paradiso, in inferno intelligatur esse paradisus, ubi erat ea die futurus secundum humanam animam Christus. » Cui consonat S. Thomas 3 part. quæst. 52, art. 4, ad tertium dicens : « Illud verbum Domini est intelligendum non de paradiso terrestri corporeo, sed de paradiso spirituali, in quo esse dicuntur quicunque divina gloria perfruuntur. Unde latro loco quidem cum Christo ad infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei : *Mecum eris in paradiso*; sed præmio in paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut et alii sancti. » Tirinus in cap. XXIII Luc., n. 43, sic expresse habet : « *Hodie mecum eris in paradiso*, non terrestri Adami, non etiam cœlesti, vel in cœlo empireo, sed generaliter in loco voluptatis, puta in consortio tot myriadum sanctorum patrum, et in clara visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim atque exspiravit, concessa est omnibus in limbo. » Et Maldonatus in c. XXVII Matth., n. 44, relatis variis ad id interpretationibus, concludit paradisi nomine intelligendum esse Abrahæ sinum, ubi animæ sanctorum ante ascensionem Christi in cœlum morabantur. Illuc enim illa eadem die Christus descendit, et illuc latronis animam secum conduxit; quod et probat sapientissimus Lamy Harmon. Evangel., lib. V, c. 35, Christi verba sic explicans : « Non modo tui memor ero, cum regnum meum suam plenitudinem consequetur, sed hodie magna tibi afferam solatia, et ad illam te sedem mecum adducam, ubi tranquille degunt animæ Abraham, Isaac et Jacob. » Ita apud nunquam satis laudat card. Lambertin. Benedict. XIV, loc. cit. num. 289. Et egregie Cornel. a Lapide in Luc, cap. XXII, vers. 43,

Digitized by Google

ibi : « Certum enim est Christum cum latrone die illo quo obiit, non ascendisse in cœlum, sed descendisse ad limbum Patrum. » Unde S. Augustinus lib. XII De Genesi ad litt., cap. 34, et Maldonat. per paradisum hic accipiunt sinum Abrahæ; ibique eis visionem divinitatis suæ impertivisse; itaque eos beasse, quare tunc Christus rerum sortes mutavit, fecit enim ut limbus esset paradisus, ut inferi essent superi, et infernus esset cœlum; ubi enim est Christus, ibi est paradisus; ubi est visio Dei et beatitudo, ibi est cœlum. Et cum aliis concordat etiam Hugo Card. in Lucam cap. 25.

LAUDEMIUM.

Vide verb. EMPHYTEUSIS, *art.* 3, *an.* 16 *usque ad fin.*

LAXA PROPOSITIO

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *n.* 40.

LECTORATUS.

Vide verb. ORDO, *art.* 1, *n.* 31 *et seq.*

LEGATARIUS, LEGATUM.

SUMMARIUM.

1. Legatarius quis sit? — 2. Legatarius, et hæres quis esse non potest. — 3. Imo cessat legatum eo ipso quod legatarius efficitur hæres universalis. — 4. Hoc tamen est intelligendum durante titulo hæreditario, secus isto cessato per restitutionem. — 5. Et hoc quoque est intelligendum, quando unicus est hæres purus et irrevocabilis, qui a seipso legatum obtinere debeat. — 6. Legatarius carnaliter cognoscens uxorem testatoris post ejus mortem indignus est legato. — 7. Legatum dupliciter sumi potest, scilicet vel pro actu, aut dispositione qua res legatur, vel pro re ipsa quæ legatur. — 8. Legatum primo modo sumptum, quid sit? — 9. Legatum secundo modo sumptum, quid sit? — 10. Legatum aliud est profanum, quia est ad profanos usus relictum; et aliud pium, quia est relictum ad usus pios.—11. Legatum aliud est purum; aliud conditionatum; aliud in diem; aliud sub modo; aliud sub causa, et aliud sub demonstratione. — 12. Legatum purum quid sit?— 13. Legatum conditionatum quid sit? — 14. Legatum in diem quid sit? — 15. Legatum sub modo quid sit? — 16. Legatum sub modo per quid differat a legato conditionato? — 17. Modus solet regulariter exprimi per dictionem *Ut*. Conditio per dictionem *Si*; et causa per dictionem *Quia*. — 18. Et datur ad hoc versiculus. — 19. Legatum sub causa quid sit? — 20. Si talis causa non subsistat, subsistit adhuc legatum factum sub tali causa. — 21. Nisi tamen hæres probet testatorem legaturum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error circa substantiam personæ. — 22. Legatum sub demonstratione quid sit?—23. Tale legatum sub demonstratione, dummodo exstet res legata, et constet de illa, quam testator legavit, ac persona, cui ligavit, valet, quamvis testator in demonstratione aliqualiter erret. — 24. Si autem res, quæ demonstratur, seu exprimitur a testatore, omnino non existat, legatum est nullum. — 25. Si tamen in demonstrata capsa, ve crumena non omnes v. g. designati mille aurei sed quingenti solum reperiantur, valebit legatum quoad istos. — 26. Si vero in falsa demonstratione sit error circa substantiam personæ; vel hæres sufficienter probet legaturum non fuisse, si errorem cognovisset, tunc non valebit legatum.— 27. Quodlibet ex suprarecensitis legatis potest fieri nedum in testamento, sed etiam extra testamentum. — 28. Cum hac tamen differentia, quod si sit legatum profanum, et fiat in testamento, requiruntur ad tale legatum regulariter loquendo eædem solemnitates quæ requiruntur ad testamentum, nisi in testamento proposita sit clausula codicillaris; et si talé legatum profanum fiat extra testamentum, quinque requiruntur, et sufficiunt testes, sive oretenus, sive in scriptis sint. — 29. Ad legatum autem pium, sive fiat in testamento, sive extra testamentum, sive scriptis, sive solis verbis, sufficiunt duo testes quicunque rationis capaces, etiam fœminæ, vel sola certa notitia ipsius hæredis; vel si in scriptis, sola manus propria testatoris. — 30. Quodlibet ex supradictis legatis de jure civili valet, etiamsi sit factum de re aliena, nec ad testatorem, nec ad hæredem spectante. — 31. Intellige tamen si testator scivit eam rem esse alienam, secus vero si, hoc ignorans, putavit esse rem suam. — 32. Si vero persona cui legata est res aliena sit ita proxima et conjuncta testatori, ut merito præsumatur eam rem adhuc legaturum esse, quamvis scivisset esse alienam, valet legatum etiam de tali re aliena, non obstante quod testator putavit esse suam. — 33. Nedum de jure civili, sed etiam de jure canonico probabilius valet legatum rei alienæ. — 34. Quantum vero ad legatum rei alienæ ad pias causas, certum est utroque jure valere. — 35. Si legatum sit pure factum de re aliqua singulari et determinata, ejus dominium verum acquiritur a legatario statim post aditam ab eo hæreditatem. — 36. Ejus tamen dominium fictum acquiritur a legatario statim a die mortis testatoris. — 37. Hinc fructus rei legatæ debentur legatario a die mortis testatoris. — 38. Incrementum, quod res legata habuit a die testamenti conditi pertinet ad legatarium, sicuti etiam fructus, quando per modum incrementi unum quid faciunt cum re legata. — 39. Legatarius non potest propria auctoritate legatum sibi usurpare, aut accipere; aliter amittit totum id, quod propria auctoritate sibi usurpat, aut accipit. — 40. Talis autem amissio legati, cum sit pœna, non incurritur ante sententiam; nec etiam, quando sine culpa ulla legatarius rem acceperat. Et si occulte illam rem accepisset, licet male fecisset, non teneretur tamen in conscientia ad rem restituendam. — 41. Legata debent in foro conscientiæ hæredes, et executores exsequi quam primum poterunt.—42. Et hoc stat, quamvis ipsis hæredibus et executoribus concedatur semestre ad implenda legata pia, et annus ad implenda legata profana. — 43. Hinc si cessante legitimo impedimento hæredes, seu executores semel moniti a judice sive ecclesiastico, sive laico, voluntatem defuncti intra annum non adimplent, perdunt omne id quod eisdem alias ex testamento competit, sive hæreditas, sive legatum sit, excepta legitima in hærede necessario. — 44. Si autem hæredes, aut executores bis moniti ab episcopo, legata ad pias causas, legitimo cessante impedimento, exsequi neglexerint, etiam ante annum privantur commodis ex testamento eisdem aliàs competentibus. — 45. Et si hæredes, seu executores intra sex menses, cessante legitimo impedimento, legata pia, etiam sine admonitione exsequi negligant, debent postea in pœnam illa re-

Digitized by Google

stituere cum omnibus fructibus et emolumentis, quæ a tempore mortis testatoris interea percipi potuissent. — 46. Legata pro anima relicta tenentur hæredes sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus a testatore præscriptum. — 47. Legatum pium pauperibus in genere distribuendum, debetur præ cæteris pauperibus patriæ testatoris, in qua habebat domicilium. — 48. Inter pauperes patriæ testatoris magis, et prius succurrendum est plus indigentibus, quam minus egentibus. — 49. Si autem adsint pauperes consanguinei, seu conjuncti testatoris æqualiter ac alii indigentes, isti juxta ordinem charitatis præferri debent. — 50. Cæteris autem paribus præferendi sunt illi pauperes, qui sunt meliores, et præsertim illi qui bono communi sunt utiliores, ut pauperes Religiosi, dummodo nullos penitus redditus habeant, sicuti Capuccini et Minores de corpore Observantiæ. — 51. Insuper cæteris paribus, similibus legatis sunt succurrendæ pauperes fœminæ præ pauperibus masculis, et præcipue pauperes moniales. — 52. Legatum relictum distribuendum pauperibus in plurali, non potest totum dari uni, sed debet proportionaliter distribui in plures. — 53. Nec de tali legato potest plus dari uni soli quam necessarium habeat. — 54. Legatum relictum pro pauperibus concurrentibus ad portam testatoris, non potest distribui pauperibus infirmis in hospitali. — 55. Legatum distribuendum in usum pauperum applicari non potest presbytero pro missis celebrandis. — 56 Legatum distribuendum in causas pias in genere nulla specificata in particulari, potest applicari ab exsecutore religioso suo monasterio, et a clerico suæ ecclesiæ. — 57. Si autem legatum sit relictum distribuendum in pauperes, non potest a religioso exsecutore applicari suo monasterio, nisi tale, quod nullos penitus redditus habeat. — 58. Legatum si sit relictum distribuendum in pauperes generice, potest a quocunque exsecutore applicari primo, et principaliter in suos conjunctos, dummodo sine fraude sint vere pauperes. — 59. Imo legatum relictum distribuendum generice in pauperes, vel causas pias, potest ab exsecutore applicari partim sibi ipsis, si revera sit pauper, et ejus paupertatem testator ignoraverit. — 60. Adducitur, et solvitur instantia. — 61. Limitanda tamen est supraposita conclusio in casu quo testator, cognita paupertate illius exsecutoris, illi aliquid speciale legaverit.—62. Et idem est dicendum in casu quo testator alicui pauperi aliquid speciale legaverit. — 63. Legatum relictum dandum pauperibus, nullatenus est dandum malis e otiosis pauperibus nolentibus, cum possint laborare. — 64. Legatum relictum puellis honestis, e civilibus debetur filiæ mercatoris et artificis. — 65. Legatum relictum virgini ad effectum nubendi debetur, etiam si efficiatur monialis. — 66. Legatum autem relictum pro monachandis, non potest applicari pro maritandis. — 67. Legatum relictum simpliciter pro puellis monachandis, debetur etiam illis quæ monachantur extra patriam testatoris. — 68. Legatum relictum uxori quandiu viduitatem servaverit, debetur ei si ingrediatur religionem.— 69. Legatum relictum juvenibus dantibus operam studiis legalibus, debetur etiam clerico, seu laico danti operam sacris canonibus. — 70. Legatum præstandum juxta præceptum testatoris in domo tantum, si legatarius fiat religiosus, debetur monasterio. — 71. Legatum relictum pro dotandis puellis, potest dari etiam virgini illi quæ habet dotem, sed non sufficientem, ut commode maritari possit. — 72. Legatum relictum pro maritandis pauperibus, potest dari etiam pauperi nuptæ absque dote. — 73. Legatum relictum virginibus acceptari et retineri potest a puella occulte corrupta, ut in foro externo habeatur pro virgine. — 74. Legatum relictum orphanis, non debetur illis qui carent patre tantum, quando concurrunt orbati utroque parente. — 75. Tale legatum potest dari etiam pupillis habentibus patres inutiles, quando non concurrunt propriæ orphanæ parentibus orbatæ; secus vero si istæ concurrant. — 76. Item legatum relictum pauperibus viduis, potest distribui habentibus viros inutiles, quoties non concurrant veræ viduæ. — 77. Legatum relictum pro originariis alicujus oppidi, debetur solum illis quæ notæ sunt ibi non casu, sed quando pater domicilium ibi habuerit, aut sit locus ubi pater natus fuerit, aut de jure communi, ubi avus natus fuerit, et neptes in ejus potestate. — 78. Legatum alicui sub conditione *quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cælibatus*, debetur ipsi etiamsi nubat. — 79. Legatum relictum alicui sub conditione, *quod tali non nubat*, si a matrimonio cum tali non abstinuerit, non debetur ei. — 80. Legatum relictum alicui sub conditione, quod nubat tali, adhuc ei debetur, quamvis ipsi non nubat, si per ipsum non stet, quod ipsi non nubat, etc. — 81. Legatum relictum alicui sub conditione, *si nupserit, vel liberos procreaverit*, est ei dandum, quamvis religionem ingrediatur. — 82. Item tale legatum est dandum legatario, quamvis non ingrediatur religionem, sed manens in sæculo sacros ordines suscipiat. — 83. Dummodo tamen talis clericus usque ad mortem perseveret in clericatu, et tale legatum ad causas pias expendat, et relinquat. — 84. Limitanda tamen est conclusio posita, sub num. 31 et 32, in casu quo de testatoris contraria voluntate aperte constat. — 85. Adducitur et solvitur instantia. — 86. Legatum relictum alicui sub conditione, *si religionem ingrediatur, vel clericus fiat*, non est ei dandum si non ingrediatur religionem, aut non fiat clericus. — 87. Adducitur, et solvitur instantia. — 88. Legatum relictum regulari in particulari sub conditione quod, quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum independenter a licentia superioris, non debetur ipsi religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. — 89. Imo legatum factum regulari, nec momento temporis potest esse apud eum, sed illico acquiritur monasterio. — 90. Et hæc clarius et expressius habentur in Decret. Clement. VIII, pro reformat. regular. incipient. *Nullus omnino*, sub § 3. — 91. Nec regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum.— 92. Imo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum generalibus qui dicerent eam posse concedere, non excusaret fratres a culpa et pœna a Tridentino concilio imposita. — 93. Adducitur advertentia diligenter habenda. — 94. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda. — 95. Legatum relictum monasterio, seu conventui bonorum incapaci pro sacristia, valetudinario, vel ecclesiæ pro cera, et oleo, non dicitur irritum, sed debet per syndicum investiri pro adimplenda testatoris voluntate. — 96. Unde legatum relictum minoribus de Observantia Reformatis, et Capuccinis pro anniversariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesia, fabrica, luminaribus, sindonibus, lintcis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu pro victu, et vestitu, et aliis necessariis, est ipsis tradendum et solvendum ab hæredibus. — 97. Adducitur ad id decretum sacræ Congregationis Rev. Fabricæ, et juxta illius dispositionem ponitur in claris supradictos minores mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto præscriptum. — 98. Adducitur decretum Congregationis particularis ab Urbano VIII deputatæ. — 99. Adducitur decretum sacræ congregationis fabricæ Sancti Petri de Urbe. — 100.

Digitized by Google

Adducitur aliud decretum ejusdem sacræ congregationis Fabricæ S. Petri. — 101. Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi et retinendi annua et perpetua legata per modum simplicis eleemosynæ expresse comprobat breve Urbani VIII, incipiens *Exponi nobis.* — 102. Tale breve ad omnium commodum hic ad litteram datur. — 103. Et ulterius dictam Fratrum Minorum capacitatem ostendunt varia decreta, quæ dantur, usque ad n. 109. — 110. Insuper dictam fratrum minorum capacitatem expresse demonstrant variæ resolutiones sacræ congregationis Fabricæ, usque ad n. 113.— 114. Et indistincte pro legatis, pro victu et vestitu semper resolvit sacra congregatio boni Regiminis, usque ad n. 116. — 117. Item hanc Minorum capacitatem pluries comprobavit sacra congreg. Episcop. et Regular. — 118. Item eamdem capacitatem pluries approbavit sacra congreg. concilii. — 119. Ex supra recensitis stat clarum, quod legata relicta fratribus minoribus per modum puræ et simplicis eleemosynæ, sustinentur : et eorum syndicus apostolicus tanquam unus de populo potest comparere et implere officium ordinarii, ut demandet executionem testamenti, et adimpleatur ab hæredibus, seu exsecutoribus mens testatoris. — 120. Imo cum hæres teneatur in conscientia adimplere onera et pias dispositiones testatoris, potest etiam cogi per syndicum apostolicum non tanquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ. — 121. Plurima alia de capacitate Fratrum Minorum, recipiendi et retinendi perpetua annua legata per modum puræ et simplicis eleemosynæ, *remissive.* — 122. Domus professæ Societatis Jesu, licet sint vere mendicantes, sunt tamen capaces legatorum, etiam bonorum stabilium : ita tamen si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui domorum professarum, ea vendi debeant, et ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri.—123. Legatum relictum ecclesiæ, quam testator in specie non expressit, adeo ut ignoretur, quam voluerit intelligere, est validum. — 124. Si testator simpliciter nominavit ecclesiam V. G. S. Mariæ, et plures sint ecclesiæ ejusdem nominis, inter quas una sit parochialis, legatum debetur parochiali.—125. Si autem testator duas habuerit ecclesias parochiales ejusdem nominis, et facultatis, in quibus promiscue et æqualiter recipiebat sacramenta, et nec electione sepulturæ, nec aliunde discerni possit, de qua parochiali intellexerit, multi ex doctoribus volunt in tali casu legatum esse dividendum inter utramque parochiam.—126. Multi alii autem tenent in tali casu electionem competere exsecutoribus testamenti, et arbitrio episcopi.—127. Et hæc sententia est præsertim tenenda, quando legatum est individuum, nec admittit separationem, seu divisionem.—128. Si vero multæ sint ecclesiæ sub eodem expresso nomine S. Mariæ, et nullo modo appareat, quam testator elegerit, tunc legatum dandum est ecclesiæ pauperiori sub dicto nomine. —129. Si ecclesia nominata non reperiatur in civitate testatoris, bene vero in ejus diœcesi, seu territorio, tunc isti debetur legatum.—130. Si autem ecclesia nominata non reperiatur, nec in civitate, nec in ejus territorio, tunc legatum debetur ecclesiæ parochiali testatoris.—131. Legatum relictum v. g. Titio, si duo sint Titii æquali charitate et amicitia cum testatore conjuncti, nec discerni possit quinam ex ipsis fuerit a testatore electus, quamvis de jure civili corruat, in foro tamen conscientiæ tenetur hæres, seu executor illud inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant. —132. Legatum relictum determinate pauperi, si hic moriatur ante solutionem, hæres tenetur dare illud alteri pauperi : aliter tamen esset dicendum, si legatum esset relictum in solum commodum talis determinatæ personæ.—133. Repudiatio legati ecclesiæ facti est illicita et peccaminosa, si fiat absque justa causa et sine debitis solemnitatibus, seu sine beneplacito apostolico; et in tali casu tenetur prælatus ad satisfaciendum ecclesiæ, si habeat de proprio unde satisfaciat.— 134. Imo quando prælatus absque justa causa repudiavit legatum ecclesiæ relictum, potest ecclesia exinde graviter læsa petere beneficium restitutionis in integrum.—135. Legata ad causas pias valent, etiamsi testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corruat, dummodo tamen constet de voluntate testatoris. —136. Imo valent etiam legata profana contenta in testamento absque solemnitate civili condito. —137. Falcidia et Trebellianica non detrahitur a legatis ad pias causas.—138. Pars autem Falcidiæ, quæ non potest detrahi a legatis piis, non est onerandæ legatis profanis.—139. Falcidia non detrahitur ex legatis relictis ecclesiæ.—140. Neque detrahi potest Falcidia ex iis quæ relinquuntur confraternitatibus, sive cum episcopi auctoritate, sive absque ea institutis.—141. Falcidia nullimode detrahitur a legatis cum onere missarum, vel pro exoneratione conscientiæ relictis.—142. An autem Falcidia sit detrahenda ex legatis piis, quando pia causa, seu ecclesia est instituta hæres? *remissive.* —143. Papa potest valide et licite ex rationabili et justa causa commutare legata pia.—144. An autem papa etiam sine rationabili et justa causa possit commutare legata pia, multi ex doctoribus tenent partem affirmativam.—145. Plurimi autem alii sustinent negativam.—146. Et revera si ex tali commutatione lædatur jus tertii, nequit pontifex sine causa id facere.—147. Quando legatum non potest de jure, vel de facto, impleri in propria specie, potest episcopus de consensu hæredis, seu executoris deputati, commutare illud in alium pium usum.—148. Imo episcopus de consensu hæredis, aut exsecutoris ex justa causa, aut ex necessitate potest commutare legatum, etiam quando potest de jure et de facto impleri.—149. Non potest tamen episcopus tale legatum commutare nequidem in melius, etiam de consensu hæredis, aut exsecutoris sine justa et necessaria causa.—150. Patriarchæ, primates et archiepiscopi ex justa et necessaria causa possunt similiter commutare legata suorum subditorum : non tamen si fuerint suffraganeorum, nisi in casu appellationis.—151. Cardinales in eorum titulis possunt commutare legata et ultimas voluntates in illis casibus, in quibus possunt episcopi respectu suorum subditorum.—152. Vicarius capitularis, sede vacante, potest commutare legata in iis casibus in quibus potest episcopus.—153. Vicarius generalis episcopi, quando ipse episcopus commode haberi valet, non potest commutare legata et ultimas voluntates. — 154. Potest tamen, quando episcopus commode haberi non potest.—155. Visitatores etiam absque speciali mandato nequeunt commutare legata et ultimas pias voluntates.— 156. Abbates, aliique similes prælati habentes proprium territorium, et jurisdictionem quasi episcopalem, possunt ex justa et necessaria causa commutare legata et ultimas voluntates suorum subditorum. — 157. Justæ causæ talium commutationum sunt quatuor in genere, scilicet : causa necessitatis, pietatis, et incommoditatis, aut majoris commoditatis.—158. Justæ causæ autem in specie plures referuntur : usque ad num. 164. —165. Legatum magnæ quantitatis missarum una vice celebrandarum commutari, seu converti non potest in erectionem capellaniæ perpetuæ. — 166. Legata pro celebratione missarum nunquam patiuntur diminutionem. — 167. Legatum relictum capitulo pro anniversario quotannis celebrando debet applicari mensæ capitulari, et non potest dividi inter capitulares. — 168. Item legatum re-

Digitized by Google

lictum capitulo, etiam sine expresso onere, censendum est esse relictum mensæ capitulari, et non canonicis uti singulis, nisi aliud ex conjecturis de mente testatoris colligatur. — 169. Item legatum relictum canonicis indefinite censendum est esse relictum capitulo, et non canonicis uti singulis, nisi ex conjecturis aliud de mente testatoris colligi possit. — 170. Quid, si fuerit relictum canonicis legatum magnæ et notabilis quantitatis pecuniæ pro missis celebrandis? — 171. Legatum relictum ecclesiæ, debetur totum illi : nec episcopus, nec rector, aut capitulum potest aliquid prætendere. — 172. Si legatum relictum sit episcopo, seu rectori alicujus ecclesiæ, cui debeatur? Cætera ad rem ad n. 183. Subnectuntur additiones Casinenses.

(1. Legatarius est, et dicitur illo cui ab hærede est præstandum legatum, seu res ei a defuncto legata seu relicta. Sic in re communis doctorum. (2. Legatarius, et hæres quis esse non potest; Rota part. v, recent. tom. II, dec. 421, n. 30. p. 13. dec. 209, n. 2; card. de Luca De fideicommiss., disc. 211, n. 2, et de legatis discuss. 58, n. 12, disc. 63, n. 6. disc. 64, n. 3. et alii passim. (3. Imo cessat legatum eo ipso quod legatarius efficitur hæres universalis. Card. de Luca De fideicommiss. disc. 211, num. 2, et De legatis disc. 64, per totum. (4. Hoc tamen est intelligendum durante titulo hæreditario; secus isto cessato per restitutionem. Card. de Luca De Fideicomm. disc. 131. sub n. 12, et De legatis, disc. 564, sub n. 3. (5. Et hoc quoque est intelligendum quando unicus est hæres purus et irrevocabilis, qui a se ipso legatum obtinere debeat, cum tunc intret ratio incompatibilitatis ob concursum passionis in eodem subjecto, incompatibile est enim, quod idem sit hæres et legatarius, ac debitor, et creditor : secus autem quando habet cohæredes unum, vel plures, a quibus potest assequi legatum citra dictam incompatibilitatem, ut aliis relatis firmatur apud Burat. dec. 643 n. 2, et seq. et dec. 421, num. 31, part. v, t. II, et dec. 229, n. 26 et 27, p. 10 rec. sic expresse card. de Luca De legat. disc. 64, n. 3. (6. Legatarius carnaliter cognoscens uxorem testatoris post ejus mortem, indignus est legato, et sic applicatur fisco, quia si vivo defuncto hoc fecisset, ipsum ad iracundiam provocasset, nec ei tanquam indigno legatum reliquisset, adeoque et c. Glossa in L. Sororem in fin. Cod. De his quibus ut indign.; Fagnan. in cap. *Ut nobis* 28, De sentent. excommunic. n. 18, et alii.

(7. Legatum dupliciter sumi potest, scilicet vel pro actu, aut dispositione, qua res aliqua legatur, vel pro re ipsa, quæ legatur. Communis. (8. Legatum primo modo sumptum est donatio quædam a defuncto relicta, et ab hærede præstanda; § 1 Instit. de Legat. (9. Legatum secundo modo sumptum est res aliqua particularis verbis ad legatarium directis a defuncto relicta, et ab hærede præstanda. Est in re commun.

(10. Legatum aliud est profanum, quia est ad profanos usus relictum; et aliud pium, quia est relictum ad pios usus, et animæ suffragium, ut ad legendas missas, ad celebranda officia, ad subveniendos pauperes, et hujusmodi.

(11. Legatum aliud est purum, aliud conditionatum, aliud in diem, aliud sub modo, aliud sub causa, aliud sub demonstratione. Communis. (12. Legatum *purum* est illud quod fit simpliciter absque ullo adjecto tempore, conditione, vel modo, § Omnis 2 Instit. De verbor. oblig. (13. Legatum conditionatum est illud quod fit et relinquitur præstandum solum sub certa conditione de præterito, præsenti, vel futuro; unde sub conditione de præterito fit, quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos, si navis auro et argento pro me onusta jam ex India tuto advenit : » l. Conditio in præteritum 110, De verbor. obligat. sub conditione de præsenti fit, quando testator dicit : « Lego Petro mille, si adhuc vivit : » l. Cum ad præsens 37, ff. De rebus creditis, si certum petatur. Sub conditione de futuro fit, quando testator dicit : « Lego Petro mille, si navis ad me directa auro et argento onusta tuto pervenerit, » et hujusmodi : arg. § Sub conditione, Instit. de verbor. obligat. et l. Itaque, ff. de condit. et demonstr. (14. Legatum *in diem* est illud quod fit, et relinquitur præstandum certo post mortem testatoris determinato tempore, v. gr. quando testator dicit : « Lego Petro mille aureos eidem tradendos mense post meam mortem elapso : » argum. tot. tit. ff. Quando dies legat, cedat, et § Omnis 2 Institut. de verbor. obligat.

(15. Legatum *sub modo* est illud quod fit, et relinquitur cum certo aliquo modo, onere, gravamine vel moderamine, v. g. quando testator dicit : « Lego Petro mille aureos, ita tamen ut de ipsis eroget quinque singulis annis pauperibus, vel faciat celebrare centum missas, » et hujusmodi : arg. tot. tit. Cod. de Donat. quæ sub modo. (16. Et legatum sub modo differt a legato conditionato, quia legatum conditionatum suspenditur usque ad purificationem conditionis, et inde evanescit, si ante conditionis adimpletionem legatarius moriatur, ut ex variis juribus notat Glossa communiter recepta in cap. *Verum* 4, De conditionibus appositis. Econtra legatum sub modo, statim valet, et transmittitur cum onere ad hæredes, si per istos æque ac per legatarium modus impleri possit, ut recte advertit Glossa loc. cit. argum. l. 1, 3. Cod. de donat. quæ sub modo, et communis doctorum. (17. Modus autem solet regulariter exprimi per dictionem *Ut*, conditio per dictionem *Si*, et causa per dictionem *Quia*; ut notat Gossa in. cit. cap. *Verum*; verb. *Conditione*, in fine, ubi adducit sequentem versiculum :

(18. Scito quod *Ut* modus est, *Si* conditio, *Quia* causa.

(19. Legatum *sub causa*, seu ex certa causa, est illud quod fit, et relinquitur cum expressione causæ, ob quam præsentem, vel præteritam, tale quid alicui legatur, v. gr. quando testator dicit : « Lego Petro mille aureos, quia mihi fideliter inservivit, quia

Digitized by Google

me a tali mortis periculo liberavit, » et hujusmodi : arg. l. demonstratio falsa 17, et l. cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat. (20. Et si talis causa non subsistat, subsistit adhuc legatum factum *sub tali causa;* quamvis enim Petrus non inservierit fideliter testatori, vel non a tali mortis periculo ipsum liberaverit, legatum adhuc valet, § Longe 31. Instit. de legat. ibi : « Legato falsa causa adjecta non nocet. » et concordat l. Demonstratio 17, § Quod autem, et l. Cum tale 72. § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat. ibi : « Falsa causa legato non obesse verius est, » addita ratione, quia ratio legandi legato non cohæret.

(21. Nisi tamen hæres probet testatorem legaturum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error circa substantiam personæ, quia tunc non subsisteret legatum, arg. l. Cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat. l. Si Pater 4, et l. Quoties 9, princ. ff. De hæred. instit., cum similibus.

(22. Legatum *sub demonstratione* est illud quod fit, et reliquitur cum expressione seu demonstratione alicujus circumstantiæ, signi, vel accidentis circa rem legatam, vel personam, cui legatur, v. g. quando testator dicit : « Lego Petro mille aureos, qui sunt in tali mea capsa, in tali mea crumena, vel quos Paulus mihi debet, » et hujusmodi : arg. l. Demonstratio falsa 17, De condit, et demonstrat. (23. Tale legatum *sub demonstratione*, dummodo exstet res legata, et constet de illa, quam testator legavit, ac persona, cui legaverit, valet, quamvis testator in demonstratione aliqualiter erret; ut si testator dicat : « Lego Petro notario, Petro causidico, agrum *A.*, fundum *B.*, mihi donatum a Paulo, » quamvis Petrus non sit notarius, nec causidicus, nec testator dono acceperit a Paulo illum agrum *A.*, et fundum *B.* dummodo adsit talis Petrus, et talis fundus, et constet aliunde testatorem de tali Petro, et agro, seu fundo sensisse, valet legatum; non obstante tali testatoris errore; textu aperto in cit. l. Demonstratio falsa 17, princ. ff. De condit. et demonstrat. et § 1, ff. eodem, ubi expresse dicitur quod demonstratio falsa, sive sit circa rem, sive circa personam, non obsit legato; et concordat l. Quibus diebus 40, ff. eod. et l. Proxima 30. Instit. de legat.

(24. Si autem res quæ demonstratur, seu exprimitur a testatore, omnino non existat, v. g. quando testator dicit : « Lego Petro mille aureos, qui in tali capsa, vel tali crumena sunt, et ibi nullæ pecuniæ reperiantur, » legatum est nullum, textu expresso in l. 1, § Sed et si dotem 7, ff. De dote præleg., ibi : « Nam si quis ita legaverit centum, quæ in arca habeo, vel quæ ille apud me deposuit, si nulla sunt, nihil deberi constat, quia nulla corpora sunt. » Item si testator dicat : « Lego Petro centum aureos, quos mihi debet Paulus, » non valet legatum, si Paulus nihil debeat testatori, textu express. in l. Si sic 75. ff. De legatis ibi : « Si mihi quod Titius debet, fuerit legatum, neque Titius debeat, sciendum est nullum esse legatum. » (25. Si tamen in demonstrata capsa vel crumena non omnes designati mille aurei, sed quingenti solum v. g. reperiantur, valebit legatum quoad istos : sicuti si Paulus non debeat testatori centum aureos, sed solum quinquaginta, valebit legatum quoad hos quinquaginta; textu expresso in l. Si servus 108. § Qui quinque 10, ff. De legatis, ibi : « Qui quinque in arca habebat, ita legavit decem, quæ in arca habet, legatum valebit, ita tamen ut sola quinque ex testamento debeantur. »

(26. Si vero in falsa demonstratione sit error circa substantiam personæ, vel hæres sufficienter probet testatorem legaturum non fuisse, si errorem cognovisset, tunc non valebit legatum; arg. l. Cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demontrat,, leg. Si pater 5, et l. Si quoties 6, princip. ff. De hæred. instit. cum similibus.

(27. Quodlibet ex supra recensitis legatis potest fieri, nedum in testamento, sed etiam extra testamentum. Communis ac certa, arg. l. 1, ff. De jure codicill. et l. Ex testamento 20. Codic. de Fideicommis., cum similibus : cum hac tamen differentia, quod si sit legatum profanum, et fiat in testamento, requiruntur ad tale legatum, regulariter loquendo, eædem solemnitates, quæ requiruntur ad testamentum, nisi in testamento apposita sit clausa codicillaris. Textu expresso in l. 1, ff. De jure codicilli, et l. Ex testament., 29. C. de Fideicom. Et sic communis doctorum. (28. Et si tale legatum profanum fiat extra testamentum, seu sine testamento, quinque requiruntur et sufficiunt testes, sive oretenus, sive in scriptis sint, textu expresso in L. final. § final. C. de Codicill. ibi : « In omni autem ultima voluntate, excepto testamento quinque testes debent adhiberi. » (29. Ad legatum autem pium, sive fiat in testamento, sive extra testamentum, sive scriptis, sive solis verbis, sufficiunt duo testes quicunque rationis capaces, etiam feminæ, vel sola certa notitia ipsius hæredis, vel si in scriptis, sola manus propria testatoris, quia ad dispositionem pro causa pia penitus nulla requiritur juris dispositio, sed tantum ut constet de voluntate testatoris. Communis ac certa; arg. cap. Relatum 11, De testamentis, cum similibus.

(30. Quodlibet ex supradictis legatis de jure civili valet, etiamsi sit factum de re aliena, nec ad testatorem, nec ad hæredem spectante. Communis textu expresso in § Non solum 4, Instit. de Legat. ibi : « Non solum autem testatoris vel hæredis res, sed etiam aliena legari potest, ita ut hæres cogatur redimere, vel si eam non potest redimere, æstimationem ejus dare. » (31. Intellige tamen si testator scivit eam rem esse alienam, secus vero, si hoc ignorans, putavit esse rem suam, textu expresso in cit. § Non solum, ibi : « Quod autem diximus alienam rem posse legari, ita intelligendum est, si defunctus sciebat rem esse alienam, non si ignorabat, addita ibi ra-

Digitized by Google

tione; forsitan enim si scivisset alienam rem esse, non legasset. » (32. Si vero persona, cui legata est res aliena, sit ita proxima et conjuncta testatori, ut merito præsumatur eam rem adhuc ei legaturam esse quamvis scivisset esse alienam, valet legatum etiam de tali re aliena, non obstante quod testator putaverit esse suam, textu expresso in l. Cum rem alienam 10, Cod. de legatis; ibi : « Quod si suam esse putavit, non aliter valet relictum, nisi proximæ personæ, vel uxori, vel alii tali personæ datum sit, cui legaturus esset, si scivisset rem alienam esse. » Unde si testator in supradictis modis rem alienam cuidam legavit, tenetur hæres illam a domino justo pretio emere; vel si dominus eam vendere nolit, aut de ea pretium excessivum prætendat, tantum legatario dare quantum res illa æstimatur, textu expresso in cit. § Non solum, ibi : « Ita ut hæres cogatur redimere : vel si eam non potest redimere : æstimationem ejus dare, » et l. Non dubium 14, ff. De legat. 3, ibi : « Si redimere non possit, quod dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam æstimationem inferat. »

(33. Nedum de jure civili, sed etiam de jure canonico probabilius valet legatum rei alienæ, ut colligitur clare ex cap. *Si Episcopus* 5, caus. 12, quæst. 5, desumpto ex concilio Agathensi, ubi legatum rei alienæ, etiam ad jus, seu proprietatem ecclesiæ spectantis, valere aperte statuitur, si æstimatio ejus domino solvatur, vel alia res ejusdem valoris ei detur ibi : « Si episcopus, condito testamento, aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, non valebit, nisi tantumdem de proprii juris facultate suppleverit. » Et sic tenent Covarruv. in cap. *Filius* 5, De testamentis, num 6; Fachin. lib. v Controv., c. 38; Piringh, lib. III Decret., tit. 26, n. 84; Reiffenst., ibidem, n. 673, ubi dicit esse communem contra Panormitanum, et alios. Et ratio est quia differentia inter jus civile et canonicum non est inducenda sine necessitate, sicuti sine necessitate a jure canonico non est corrigendum jus civile; arg. cap. *Cum expediat* 29, de election., in 6, ibi : « Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari. » Jus autem civile generaliter disponens quod testator possit legare rem alienam, ita ut sciens rem quam legat, esse alienam, velit ut hæres rem illam a domino emat, vel si is vendere nolit, æstimationem illius legatario solvat, injustum censeri non potest ut corrigi debeat a jure canonico, quia domino rei nulla injuria sit; cum is invitus rem suam vendere non cogatur, ut patet ex cit. § Non solum 4 Instit. de Legat., et l. Non dubium 14, ff. De legat. 3, per verba adducta supra n. 32, in fine. Sic Covarr. loc. cit., Pirhing loc. cit., et alii passim. Tum quia si tale jus civile tanquam injustum fuisset correctum a jure canonico in capit. *Filius* 5, De testamentis, ut prætendunt adversarii, ipsum non amplius attenderet, nec sequeretur sacra Rota Romana, quæ tamen sæpe sæpius ipsum secuta est in suis sententiis, et signanter par. I, recent. dec. 453, n. 1, et sequent. in Romana de Marescottis, et par. IX, tom. II, decis. 405, n. 52, in eadem Romana de Marescottis, ubi semper sententiam protulit, quod legatum rei alienæ cogit hæredem ad præstandam legatario æstimationem rei legatæ, quam sententiam utique non protulisset, si jus civile, cui innixa est, foret injustum, et esset correctum a jure canonico, quod præ jure civili servandum est in terris Papæ subjectis, etiam pro testamentis et legatis profanis, cap. *Quoniam* 8, dist. 10, cap. *Cum ad rerum* 6, dist. 96, et concordat cap. *Solitæ* 6. De majorit. et obedient., cap. *Novit.* 13, § 1, De Judiciis, et cap. *Per venerabilem* 13, § Rationibus, Qui filii sint legitimi; et fuit dictum verb. *Jus*, n. 27.

(34. Quantum vero ad legatum rei alienæ ad pias causas, certum est utroque jure valere : Menochius lib. IV De præsumpt. 116; Barbosa in Collectan. in citato c. *Filius* 5, De testamentis n. 2; Pirhing l. c. n. 86, in fine; Tiraquell. De privilegiis piæ causæ, privileg. 66, et alii passim.

(35. Si legatum sit pure factum de re aliqua singulari et determinata, ut de hoc palatio, de hoc prædio, et hujusmodi, ejus dominium verum acquiritur a legatario statim post aditam ab hærede hæreditatem, l. Si tibi homo 86, § 2, ff. De legat. 1, l. Si Nemo 181, ff. De reg. Jur. et communis doctorum. (36. Ejus tamen dominium fictum acquiritur a legatario statim a die mortis testatoris, l. Si post diem 5, § 1 ff. Quando dies Legat. ced. et doctores passim. Ratio autem differentiæ de acquisitione dominii veri et dominii ficti est, quia cum solus hæres præstare debeat legatum, non potest ipsum præstare nisi post aditam hæreditatem, adeoque dominium verum ipsius nequit ante acquiri a legatario, cum pro tunc nemo sit a quo legatum petatur; secus autem est de dominio ficto, quia quando post aditam ab hærede hæreditatem, legatarius acceptat legatum, fictione juris retrotrahitur dominium ad diem mortis, eo quod dies legati statim a die testatoris cedat, cit. leg. Si post diem 5, § ff. Quando dies Legat. ced. ibi : « Itaque si pure legatum est ex die mortis, dies ejus cedit, id est debetur, » l. Cedere 213, ff. De verbor. significat., ibi : « Cedere diem significat incipere debere pecuniam, venire diem significat, eam diem venisse, quo peti potest pecunia. »

(37. Hinc fructus rei legatæ debentur legatario a die mortis testatoris, arg. l. Titia, ff. de Furtis, et ibi Glossa final., et l. Cum servus 86, § 2, ff. De legat. 1. Et ratio est quia fructus sequuntur dominium rei, cujus sunt fructus per vulgaria juris; legatarius autem ex dictis statim ac hæres adiit hæreditatem, acquirit dominium verum legati, et tale dominium post acceptionem fictione juris retrotrahitur ad diem mortis testatoris, adeoque a tali die debentur ipsi legatario fructus rei legatæ. Sic Gomez Variar. resolut., tom. I,

Digitized by Google

cap. 12, n. 5 et 22; Molina disp. 194, n. 1; Vasq. cap. 8, De Testamentis, § 1, n. 5, et § 4, n. 74; Bartol. et alii, quos sequitur Molina loc. cit. et Lugo De justit. et jure, t. II, disput. 24, n. 238, et alii contra Sanchez, Gothofred, et plurimos alios.

(38. Incrementum totum, quod res legata habuit a die testamenti conditi pertinet ad legatarium, sicuti et etiam fructus ipsi, quando per modum incrementi unum quid faciunt cum re legata, ut si, legato grege, auctus is sit fœtibus natis, qui gregem etiam componunt textu expresso in l. 20, ff. De legat. 1, ibi : « Grege legato, et quæ postea accedunt ad legatarium pertinent; et § 10, Institut. de legat. ibi : Grege autem legato, etiam eas oves quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedere Julianus ait. » Idem pariter dicendum est de fructibus fundi, seu agri legati pendentibus, aut hærentibus ante mortem testatoris. Communis, arg. citatis juribus.

39. Legatarius, quamvis ex dictis acquirat dominium fictum rei legatæ singularis, et determinatæ statim a die mortis testatoris, et dominium verum statim post aditam ab hærede hæreditatem, non potest tamen propria auctoritate illud sibi usurpare, et accipere, nisi accedat talis dispositio testatoris, aut licentia hæredis; aliter amittit totum id quod propria auctoritate accipit, seu usurpat. textu claro in l. Non est dubium 5, Cod. de Legat. ibi : « Non est dubium denegari actionem legatorum ei proportione competenti in his quas subtraxisse eum de hæreditate apparuerit. » Et sic communis doctorum. (40. Talis autem amissio legati cum sit pœna, non incurritur ante sententiam, nec etiam quando sine culpa ulla legatarius rem acceperat; et si occulte illam rem accepisset, licet male fecisset, non teneretur tamen in conscientia ad eam restituendam : ut recte ex aliis advertit card. de Lugo l. c., n. 240.

(41. Legata debent in foro conscientiæ hæredes, et exsecutores exsequi, quam primum poterunt. Communis, arg. cap. *Si hæredes* 6, De Testamentis, et l. Cum res 17, ff. De legat. 1, ubi expresse præcipitur ut legata sine mora præstentur; unde Layman, Silvester, et alii docent mortaliter peccare exsecutores, si ex negligentia diu differant exsequi ultimam voluntatem testatorum. (42. Quamvis enim hæredibus et exsecutoribus concedatur semestre ad implenda legata pia, Novell. 131, cap. 11, vers. *Si autem Legatum*, et annus ad implenda Legata profana, cap. *Nos quidem* 3, De testament. et l. Null. Cod. de episcop. et cleric., tamen conveniunt omnes, teste cardinali de Lugo loc. cit., num. 296, illum terminum non ita assignari, ut auferatur obligatio conscientiæ implendi legata quam primum poterunt, sed solum in ordine ad incurrendas pœnas, si, illo elapso, hæredes et exsecutores exsequi negligunt defuncti voluntatem, ut recte advertit Reiffenstuel. lib. III Decret., tit. 26, p. 786.

(43. Hinc si, cessante legitimo impedimento, hæredes seu exsecutores semel moniti a judice, sive ecclesiastico, sive laico, voluntatem defuncti intra annum non adimpleant, perdunt omne id quod eisdem alias ex testamento competit, sive hæreditas, sive legatum sit, excepta legitima in hærede necessario; textu expresso in authentic. *Nos amplius*, Cod. de Fideicommiss. et Novell. 1, cap. 1, § 1, juncto cap. *Nos quidem* 3, et cap. *Si hæredes* 6, De testament., ubi etiam additur ratio, nempe ut hac ratione vota defuncti adimpleantur. Et ratio alia datur in leg. Si patroni 55, § Sed nec illud, ff. ad S. C. Trebell. ibi : « Cur enim non videatur indignus, ut qui destruit supremas defuncti preces, consequatur quid ex voluntate? » (44. Si autem hæredes aut exsecutores bis moniti ab episcopo legata ad pias causas legitimo cessante impedimento exsequi neglexerint, etiam ante annum privantur commodis ex testamento eisdem alias competentibus, textu expresso in Novell. 131, c. 11, vers. *Si autem qui hoc jussi*. (45. Et si hæredes seu exsecutores intra sex menses, cessante legitimo impedimento, legata pia etiam sine admonitione exsequi negligant, debent postea in pœnam illa restituere cum omnibus fructibus et emolumentis, quæ a tempore mortis testatoris interea percipi potuissent, textu expresso in cit. Nov. 131, c. 51, vers. *Si autem legatum*. Et sic communis doctorum.

(46. Legata pro anima relicta tenentur hæredes sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus a testatore præscriptum; Nobis enim prorsus occultum est, et solum divino judicio reservatum tempus, quo animæ in Purgatorio detinentur, unde non possumus absque gravi temeritate illud præfigere. Hinc Alex. VIII, die 18 Martii 1665, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 43 in ordine, ibi : « Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam decem annos : »

(47. Legatum pium pauperibus in genere distribuendum debetur præ cæteris pauperibus patriæ testatoris, in qua habebat domicilium l. Quæ conditio, § Cum ita, ff. De condit. et demonstrat. l. Si quis ad declarandum, § Ubi autem, Cod. de episc. et cler.; Glossa in cap. *Si pater* 1. De testament. in 6, verb. *Pauperes*; Menochius lib. IV, præsumpt. 125, num. 6; Tiraquell. De privileg. piæ causæ, privileg. 56; Reiffenst. lib. III Decret., tit. 26, num. 812; Ancharan. consil. 214, num. 12; Monacell. tom. I, tit. 10, serm. 19, num. 13, et alii passim. Et ratio est quia, nisi aliunde contrarium constet, merito præsumendum est testatorem voluisse quod succurratur magis his, quam exteris, arg. l. Præses, Cod. de servit. et aqua.

(48. Inter pauperes patriæ testatoris magis, et prius succurrendum est plus indigentibus, quam minus egentibus. S. Thomas 2-2, q. 32, art. 3, ad primum; Menochius l. c., n. 10, et alii passim; talis enim merito est præsumenda rationabilis testatoris voluntas. (49. Si autem adsint pauperes con-

Digitized by Google

sanguinei seu conjuncti testatoris æqualiter, ac alii indigentes, isti juxta ordinem charitatis præferri debent, capit. *Non satis* 14, dist. 86; Rota dec. 89, num. 4, et decis. 171, cor. Durano, et dec. 14, num. 21, coram Arguell.; S. Thomas 2-2, q. 32, art. 9; Castropal. Oper. moral. tractat. 6, De charitat., disp. 1, punct. 10, num. 1, et seq.; Mantica De conjectur. ult. volunt., lib. VIII, tit. 13, num. 16 et 17, et alii communiter. Et ratio est quia merito præsumitur, quod testator voluerit legata sua distribui secundum charitatem ordinatam; charitas autem ordinata consanguineos et propinquos præ exteris respicit, arg. l. Præses, Cod. de servit. et aqua et I, ad Timot. 5. Cum hoc tamen ordine, quod inter ipsos propinquos seu conjunctos potius succurratur magis, quam minus propinquo seu conjuncto, et prius magis, quam minus egeno, ut optime suo more advertit S. Th. 2-2, q. 32, art. 9.

(50. Cæteris autem paribus præferendi sunt illi pauperes, qui sunt meliores, et præsertim illi qui bono communi sunt utiliores; quinimo S. Thomas 2-2, q. 32, art. 9, in corpore, vult istos præferendos esse etiam ipsis propinquis et conjunctis testatoris. Unde Menochius loc. cit., num. 12; Reiffenstuel loc. cit. num. 815, et alii inferunt pauperes religiosos præferendos esse aliis pauperibus, dummodo tamen nullos penitus redditus habeant, et vivant ex mera et incerta Fidelium eleemosyna, ut Fratres Capucini, et Minores de corpore observantiæ. (51. Insuper cæteris paribus similibus legatis sunt succurrendæ pauperes feminæ præ pauperibus masculis, et præcipue pauperes moniales, quia paupertas est periculosior feminis quam masculis. Menochius l. c., n. 7 et seq.; Baldus in l. Multis in fin., ff. de Statu hominum, et alii passim.

(52. Legatum relictum destribuendum pauperibus in plurali non potest totum dari uni soli, sed debet proportionaliter distribui in plures; talis enim merito præsumitur voluntas testatoris in plurali loquentis. Baldus in l. I, num. 29. Cod. de SS. Eccles.; Jason in l. Gallus, § Quod si 15, n. 12, ff. De liber. et posthum.; Felinus in cap. *Omnes leges* 1, dist. 1; Barbosa De offic. et potest. episcop., par. III, alleg. 83, num 19, cum plurimis ibi citatis. (53. Nec de tali legato potest plus dari uni soli, quam necessarium habeat. S. Th. 2-2, q. 32, art. 10; Menoch. loc. cit., num. 26, et communis aliorum.

(54. Legatum relictum pro pauperibus concurrentibus ad portas testatoris non potest distribui pauperibus infirmis in hospitali. Hoc enim esset contra expressam mentem testatoris. Genuens. in Pract. Eccles. quæst. 214, per totum; Barbosa loc. cit., n. 10, et alii passim. (55. Legatum distribuendum in usum pauperum applicari non potest presbytero pro missis celebrandis. Sic tenet Fagn. in cap. *Recolentes*. 5, De statu monachor., num. 46, ubi refert ita decisum fuisse in Capella Tolosana, ut in dec. 26, per cap. *Nos quidem*, De Testam. per Clement. *Quia contingit*, De religiosis domib. per § Si quis ædificationem in authent. de Eccles. tit., collat. 9, per l. Si quis ad declinandam § penult. Cod. de episc. et clericis.

(56. Legatum distribuendum in causas pias in genere, nulla specificata in particulari, potest applicari ab exsecutore religioso suo monasterio, et a clerico suæ ecclesiæ, Sanc. lib. II Moral., cap. 11, n. 59; Silvest. verb. *Testamentum* 2, q. 2, vers. *Quintum*; F. Emmanuel qq. Regul. tom. III, q. 70, artic. 4; Layman lib. V, tr. 6, cap. 11, n. 6; Ancharan. cons. 84, num. 9 et 10; Barbosa loc. cit., num. 25; Pirhing lib. III Decretal., tit. 26, num. 109; Reiffenst. ibid., n. 800; Francisc. Carp. De exsecutor. testament., lib. I, cap. 5, num. 41; Mantica De conjecturis, lib. VIII, tit. 5, n. 7, in addit., et alii; In tali enim casu jam adimpletur voluntas defuncti, cum tam ecclesia, quam monasterium revera veniant nomine causæ piæ. (57. Si autem legatum sit relictum distribuendum in pauperes, non potest a religioso exsecutore applicari suo monasterio, nisi sit tale quod nullos penitus redditus habeat, et vivat ex mera et incerta fidelium eleemosyna; ex dictis supra n. 50; aliter non adimpleretur voluntas, et dispositio testatoris, quæ tamen est in omnibus integre adimplenda, et pro lege habenda, l. *Verbis* 129, ff. De verbor. signific. et Novell. 2, cap. 2, ibi: « Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, et sit lex ejus voluntas; » et cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, q. 3, ibi: « Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet. »

(58. Legatum relictum distribuendum in pauperes generice potest a quocunque exsecutore applicari primo et principaliter in suos junctos, dummodo sine fraude sint vere pauperes; tunc enim vere adimpletur voluntas et dispositio testatoris, et aliunde pauperes consanguinei semper sunt præferendi in legato generaliter pauperibus relicto. Barbosa loc. cit., n. 21; Menoch. De præsumpt., lib. III, q. 54, n. 3; Surd. De aliment., tit. 1, quæst. 93, n. 5; Gironda De privilegiorum et exemptionum explicat., n. 150; Vezion. tom. I, commun. opinion., lib. VI, tit. 21, n. 31, et alii citati sub n. 59.

(59. Imo legatum relictum distribuendum generice in pauperes, vel causas pias, potest ab exsecutore applicari partim sibi ipsi, si revera sit pauper, et ejus paupertatem testator ignoraverit; tunc enim etiam adimpletur vere et realiter voluntas et dispositio testatoris, cum exsecutor, ut supponitur, sit vere pauper sine ulla fictione et fraude, et aliunde ipse exsecutor non debeat esse deterioris conditionis quam alii pauperes; Tum quiat cum ipse exsecutor debeat legatum distribuere pauperibus, potest incipere a seipso vere paupere, cum charitas ordinata incipiat a seipso, arg. l. Præses, Cod. de servit. et aqua, et cap. *Non æstimemus* 19, caus. 13, q. 2, ibi: « Nemo unquam carnem suam odio habuit. » Et sic tenent S. Thomas 2-2. quæst. 32, art. 9, ad 3; Menochius lib. IV Præsumpt. 126, n. 17; Gonsalez

Digitized by Google

ad regu.. 8; Cancellar. gloss. 2, n. 55; Surd. De aliment. tit. 1, quæst. 49, n. 4; Card. Pereira De potest. eligendi, c. 13, num. 9; Layman loc. cit.; Pirhing loc. cit., n. 109; Reiffenst. loc. cit., n. 802; Barbosa dicta allegat. 83, n. 22, cum plurimis aliis ibi citatis, arg. l. 1, § ult. in fine, ff. De collat. bonor. et authent. de Sanctissimis Episc. § Presbyteris autem collat. 9. (60. Nec facit quod adducunt quidam adversarii, nempe quod non possit exsecutor sibi partem talis legati applicare, quia inter dantem et accipientem debet esse distinctio; arg. cap. *Per nostras* 25, De jurepatronat., ubi propterea non conceditur quod patronus possit præsentare seipsum. Non facit, inquam, quia in hoc casu videtur adhuc adesse sufficiens distinctio inter dantem et accipientem, cum non exsecutor, sed testator, revera dicatur dare eleemosynam, et ipse exsecutor sit tantum minister; sicuti si in vivis quis per servum elargiatur eleemosynam, non servus, sed dominus revera dicitur dare eleemosynam; et in tantum in cit. cap. *Per nostras* prohibetur, quod patronus præsentet seipsum, quia hoc saperet vitium ambitionis, ut patet ex textu, quod tamen non procedit in casu nostro, maxime cum talis exsecutor supponatur vere pauper, omni fraude, seu fictione cessante.

(61. Limitanda tamen est supradicta conclusio in casu, quo si testator, cognita paupertate illius exsecutoris, illi aliquid speciale legaverit, quia tunc non posset aliquam aliam partem ex distribuendis accipere, cum, dando illi aliquid seorsim, videatur testator illum exclusisse a distributione ab ipso facienda, ut ex communi docet card. de Lugo tom. II, De justicia et Jure disput. 24, n. 282. (62. Et idem est dicendum in casu, quo testator alicui pauperi legaverit v. gr. 100, et alia 1000, mandaverit distribui pauperibus: tunc enim ille primus pauper exclusus videtur ab hac distributione. Sic communis Doctorum cum Sanchez lib. IV Concil., cap. 1, dub. 57.

(63. Legatum relictum dandum pauperibus nullatenus est dandum malis et otiosis pauperibus, nolentibus, cum possint, laborare, quia id esset eorum spiritualem ruinam et vitia alere, cum ex quotidiano otio ad maxima vitia, non sine magno proprio, et alieno, etiam Reipublicæ detrimento prolabantur: Ut enim dicitur Ecclesiastici XXXIII: *Multam malitiam docuit otiositas*, et ut scripsit Seneca epist. 89: « Otium est sentina omnium malorum, noverca virtutum, et cujusvis hominis sepultura. » Unde merito S. Augustinus, epist. 84, scripsit ad Vincentium Donatistam: « Melius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligit, quam esurienti panis frangitur, si injustitia seductus acquiescat. » Et similibus pauperibus otiosis, qui ex acceptis eleemosynis nutriunt vitia, videtur eleemosynam fieri expresse prohibere divinum Verbum, Ecclesiastici XII, n. 5, ibi: *Da bono, et non receperis peccatorem, benefac humili, et non dederis impio; prohibe panes illi dare.* Et sic tenet communis doctorum.

(64. Legatum relictum puellis honestis, et civilibus debetur filiæ mercatoris et artificis; sic expresse decrevit sacra congreg. Conc. in Romana subsidii dotalis 26 Martii 1692. (65. Legatum relictum virgini ad effectum nubendi debetur etiamsi efficiatur monialis, quia matrimonium spirituale cum carnali pari, imo digniori passu ambulat. S. congr. Episcop. et Regul. in Pisaurensi 26 Augusti 1616. Si tamen sit factum cum conditione, ut solvatur in manibus mariti pro dote; nec aliis, nec pro alia causa: vel quod decedente sine filiis, legatum redeat ad hæredes legantis, tunc non poterit dari pro virgine monachanda, ut respondit Sac. congreg. Conc. in una Baren. 15 Sept. 1668.

(66. Legatum autem relictum pro monachandis non potest applicari pro maritandis, quia favorabilior et dignior est status cælibatus, et religionis, quam conjugii carnalis. Et sic decrevit sacra congregat. Visitationis particulariter deputata quinque cardinalium ab Innocentio XII, super reformatione distributionum subsidiorum dotalium sanctissimæ Annuntiationis de Urbe, visitatore eminentiss. card. Petruccio, 16 Jan. 1669, et Sac. Cong. Conc. in Romana Subsidiorum Dotalium 30 Maii 1699.

(67. Legatum relictum simpliciter pro puellis monachandis debetur etiam illis quæ monachantur extra patriam testatoris. Sic casu occurrente in una Amerina, et partibus informantibus respondit sacra congr. Episcop. et Regular. die 15 Maii 1699, apud Monacell. part. I, tit. 10, formul. 19, n. 11 et 12. (68. Legatum relictum uxori, quandiu viduitatem servaverit, debetur ei si ingrediatur religionem. Vidal. De legat. inquisit. 2. n. 35; Felix Potest., tom. I, n. 2564; Monacell. part. II, tit. 14, form. 1, n. 13, et alii passim.

(69. Legatum relictum juvenibus dantibus operam studiis legalibus debetur etiam clerico seu laico danti operam sacris canonibus, quia studium sacrorum canonum dicitur studium legale, cum sit medulla legum, et praxis juris civilis. Menochius De abitr. Jud., cap. 425, n. 28 et sequent., et sic declaravit sac. congregat. Conc. in Romana, seu Nicoteren. Legati 14 Februarii, et 30 Maii 1699. (70. Legatum alimentorum præstandum juxta præceptum testatoris in domo tantum, si legatarius fiat religiosus, debetur legatum monasterio. Vivian. De jure patronat., lib. VI. cap. 1, n. 68; Monacell. l. c., n. 20, et alii.

(71. Legatum relictum pro dotandis puellis potest dari etiam virgini illi quæ habet dotem, sed non sufficientem, ut commodo maritari possit. Vidal. loc. cit., n. 29; Felix Potestas, loc. cit., n. 2557; Monacell. loc. cit., n. 10, qui insuper dicit posse dari et distribui pro augenda dote, etiam jam maritatis.

(72. Legatum relictum pro dotandis pauperibus potest dari etiam pauperi nuptæ absque dote; reperitur enim ibi idem motivum testatoris: Memso verb. *Legatum*, n. 20; Felix Potestas, loc. cit., n. 2561, et alii.

Digitized by Google

(73. Legatum relictum virginibus acceptari et retineri potest a puella occulte corrupta, si in foro externo habeatur pro virgine; nomine enim virginis venit publice, et in foro externo puella reputata virgo. Vidal. loc. cit., n. 28; Felix Potestas, l. cit., n. 2562; Diana in compendio, verb. *Legatum*, n. 21; La Croix lib. III, par. II, n. 604, et lib. IV, n. 40, cum aliis ibi citatis.

(74. Legatum relictum orphanis non debetur illis qui carent patre tantum, quando concurrunt orbati utroque parente, isti enim sunt præferendi; debetur tamen illis, quando isti non concurrant. Gratian. discept. 666, n. 3; Velasco De privileg. pauper., tom. I, quæst. 4, n. 9; Diana par. II, tract. 2, resolut. 52, vers. *Quarto Legatum*, et part. IV, resol. 163; Monacell. p. II, tit. 13, form. 7. n. 3; Amostaz. De causis piis, tom. I, lib. IV, cap. 6, n. 43, cum variis aliis ibi citatis.

(75. Tale legatum potest dari etiam puellis habentibus patres inutiles, quando non concurrunt proprie orphanæ parentibus orbatæ; secus vero si istæ concurrant; L. Orphanotrophos. Cod. de Episcop. et Cleric. ubi doctores; Menoch. De arbitr., casu 66, in addition., n. 7; Castillo, lib. I Controv., cap. 25, n. 17; Amostaz. loc. cit., n. 46, cum aliis ibi citatis. (76. Item legatum relictum pauperibus viduis potest distribui habentibus viros inutiles, quoties non concurrent veræ viduæ; sic supracitati doctores, et alii passim; arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., ubi ecclesia viduata censetur, si habeat prælatum inutilem, et l. I. Quod si nemo, ff. quod cujusque universit. ubi universitas censetur non habere syndicum, si illum habeat inutilem.

(77. Legatum relictum pro originariis alicujus oppidi debetur solum illis quæ natæ sunt ibi non casu, sed quando pater domicilium ibi habuerit, aut si locus, ubi pater natus fuerit, aut de jure communi, ubi avus natus fuerit, et neptæ natæ in ejus potestate; non enim sufficit esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri, ex l. Filios 3, cod. De municip., et originariis, lib. X, qui textus ad originem supponit domicilium esse necessarium; quapropter si casu alibi filius nascatur, ibidem non contrahit, sed sequitur domicilium patris, ubi ipsum habet. Quamvis enim aliqua jura dicant originem contrahi, ubi quis natus est, non expresse loquuntur ex sola nativitate; idcirco intelligenda sunt, quando quis natus fuerit in domicilio patris, non vero alibi casu, aut quando peregrinus fuerit. Carleval. De Judiciis, lib. I, titul. 1., disput. 2, quæst. 2, n. 93; Cevallos commun. qu. 458, n. 17; Sanch. de Matrimon. lib. III, disput. 23, n. 3; Trullench. lib. VII Decalog., cap. 18, dub. 7, n. 3; Marchin. De ordin., part. I, lib. V, c. 6, n. 8; Amostaz. l. c., n. 7 et 11; Barbosa De offic. et potest. Episcop., p. 2, allegat. 4, n 7, ubi citat Rotam Romanam dec. 327, n. 3, par. II, divers., et doctores in cap. *Rodulphus* 35, De rescriptis.

(78. Legatum alicui sub conditione, « quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cœlibatus, » debetur ipsi etiamsi nubat; quia talis conditio habetur pro non adjecta, cum sit contra favorem matrimonii et reipublicæ bonum ex procreatione prolis proveniens. Sic communissima Doctorum, textu expresso in l. Quoties, leg. Cum tale § Mœvia, ff. De condit. et demonstr. cum similibus.

(79. Legatum relictum alicui sub conditione, « quod tali non nubat, » si a matrimonio cum tali non abstinuerit, non debetur ei, quia per talem conditionem non prohibetur absolute matrimonium, cum possit cuilibet alii satis commode nubere. Communis, et certa, textu expresso in l. Cum ita 63, ff. De condition. et demonstrat. (80. Legatum relictum alicui sub conditione quod nubat tali, adhuc ei debetur, quamvis ipsi non nubat, si per ipsum non stet, quod ipsi non nubat, vel ex quo talis persona designata nolit ipsi nubere, aut sit inhonesta, aut ipsius nuptiis indigna, aut cum ea contrahi non possit; in tali enim casu similis conditio habebitur pro non adjecta, textu expresso in leg. Cum ita legatum 63, § 1, ff. De conditione et demonstratione.

(81. Legatum relictum alicui sub conditione: « Si nupserit, vel liberos procreaverit, » est ei dandum, quamvis religionem ingrediatur: Communis, arg. authent. *Nisi rogati*, Cod. ad S. C. Trebellian., et Novell. 123, cap. *Si quis sub conditione* 37, ubi sic expresse statuitur: « Sancimus si personæ talibus conditionibus subjectæ, sive masculis, sive feminæ monasteria ingrediantur, aut clerici fiant, tales conditiones invalidas, et pro non scriptis esse. » Si enim testatori in mentem venisset de religione cogitare, merito præsumitur nihilominus legaturum ipsi fuisse, adeoque censendus est noluisse excipere a conditione casum quo legatarius religionem ingrediatur.

(82. Item tale legatum est dandum legatario, quamvis non ingrediatur religionem, sed manens in sæculo sacros ordines suscipiat, Communis; arg. cit. Novell. 123, cap. 37, ubi in allegato textu loquitur divisive: « Si monasteria ingrediantur, aut clerici fiant, » adeoque aperte insinuat alterutrum sufficere, cum dictio divisiva *Vel* in quovis ex divisis membris verificetur; arg. l. Deo nobis 56. Cod. de episcop. et cleric. (83. Dummodo tamen talis clericus usque ad mortem perseveret in clericatu, et tale legatum ad causas pias expendat, et relinquat, ut tenent communiter doctores per textum expressum in cit. Novell. 123, cap. 37, ibi: « Hoc autem solatio clerici ecclesiarum fruantur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas, aut relictas ad pia opera expendant, et relinquant; » et jure merito id statuit de clericis in sæculo remanentibus, cum consimiliter ibidem statuerit de ingredientibus religionem, ibi: « In personis enim quæ in monasterium ingrediuntur, monasterio res sub tali condi-

Digitized by Google

tione donatas, aut relictas cum alia eorum substantia competere volumus. »

(84. Limitanda tamen est conclusio posita sub n. 81 et 82, in casu, quo de testatoris contraria voluntate aperte constat, ut si dicat, quod valide et licite potest : « Lego Titio decem mille aureos, si nupserit, vel liberos procreaverit; at si religionem ingrediatur, aut clericus fiat, lego solum mille aureos, et alii volo, quod tali casu dentur, Sempronio. » Tunc enim Titius ingrediendo religionem, aut assumendo clericatum amittit tale legatum novem mille aureorum; quia præsumptio cessat, ubi versamur in claris, ut habet Barbosa in Axiomat. Jur., verb. *Præsumptio*, n. final. Et sic tenent Covarr. lib. I Variar resol., c. 29, a n. 7, usque ad n. 11, cum pluribus aliis ibi citatis; Molina disp. 207, n. 14, et 15; Layman lib. III, tr. 3, c. 10, n. 12; Sanchez lib. VII Moral., cap. 16, n. 12. Pirhing lib. III Decret., tit. 26, n. 76; Reiffenst. ibid., n. 652, et alii passim.

(85. Nec valet objicere quod talis conditio sit turpis et illicita, cum retrahat a statu perfectiori, qualis est status religionis, et clericatus respectu status laicalis. Non valet, inquam, quia, quamvis talis conditio esset turpis et illicita, si apponeretur ex odio religionis, aut clericatus, vel absque honesta et justa causa, ex solo fine, ut legatarius a religione, aut clericatu retraheretur; non est tamen turpis, et illicita, si apponatur, ut supponitur, et de facili fieri potest, ob honestum et justum finem, v. gr. ad nobiliorem et splendidiorem conservationem familiæ, seu stemmatis, vel quia nubenti, et liberos procreanti pro liberorum educatione et familiæ sustentatione majora bona temporalia esse necessaria, quam religioso, aut clerico, ipse testator censuit, atque cognovit, et hujusmodi, ut recte advertunt Covarr. l. c., n. 14; Laym. l. c., n. 12; Reiffenst. l. c., n. 953, aliique passim.

(86. Legatum relictum alicui sub conditione « Si religionem ingrediatur vel clericus fiat, » non est ei dandum, si non ingrediatur religionem, aut non fiat clericus. Communis; arg. cap. *Cum sit proprium* 2, de conditionib. apposit., et l. Titi, § 1, ff. De condit. et demonstrat. Licitum est enim sub spe lucri temporalis aliquem ad religionem, vel clericatum attrahere; arg. cit. cap. *Cum sit proprium*. (87. Nec valet objicere quod sicuti ex dictis n. 81 et 82, conditio, quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cœlibatus habetur pro non adjecta, et legatum debetur etiamsi legatarius nubat, et non maneat in statu cœlibatus; ita debet haberi pro non adjecta conditio : « Si religionem ingrediatur, vel clericus fiat, » et legatum debetur etiamsi legatarius non ingrediatur religionem, nec clericus fiat : cum conditio, « Si religionem ingrediatur, vel clericus fiat, » tacite involvat dictam conditionem, « quod nunquam nubat, et semper maneat in statu cœlibatus. » Non valet, inquam, ultra quam quod non currit paritas de utraque conditione, cum cœlebs laicus non propaget rempublicam sæcularem, nec religiosam, nec clericalem; et cœlebs religiosus, aut clericus saltem propaget rempublicam religiosam, vel clericalem, in majus Dei obsequium, non est ullimode præsumendum, quod jura per annullationem conditionis non nubendi, annullare etiam voluerint conditionem ingrediendi religionem, vel assumendi clericatum; cum tali statui religioso, seu clericali, ita in omnibus faveant, ut quantum ad præsens attinet, legatum relictum alicui sub conditione, « Si nupserit, vel liberos procreaverit, » statuant esse nihilominus ei dandum, quamvis religionem ingrediatur, vel clericus fiat, ex dictis n. 81 et 82, arg. authentic. *Nisi rogati*, Cod. ad S. C. Trebellian. et Novell. 123, c. *Si quis sub conditione* 37.

(88. Legatum relictum regulari in particulari sub conditione, quod quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum independenter a licentia superioris, non debetur ipsi religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. Baldus in cap. *Clerici* in fine de judiciis; Jason, in authent. *Ingressi*, n. 37 et 38, Cod. de SS. Ecclesiis; Sanchez, lib. VII Moral., cap. 17, n. 4; Fagnan. in cap. *Joannes Clericus* 19, De testam., n. 20 et seq. et in c. *Monachi* 2, De statu monachor., a n. 47, et alii passim arg. cap. *Non dicatis* 12, q. 1, cap. *Abbates* 18, q. 3, cap. *Quia ingredientibus*. 19, quæst. ult. cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachorum, concil. Trident., sess. 25, cap. 2, De regularibus, et decr. Clem. VIII, pro reformatione regular. incip. *Nullus omnino*. Et ratio est quia talis conditio est turpis, utpote repugnans paupertati promissæ : turpis autem conditio habetur pro non adjecta, textu expresso in § Impossibilis, instit. De Hæredum instit. et l. Conditiones 14, ff. de condit. instit. (89. Imo legatum factum regulari, nec momento temporis potest esse apud eum, sed illico acquiritur monasterio; arg. c. *Statutum* 1, caus. 18, q. 1, c. *Abbates* 16, caus. 18, q. 2, cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, cap. *In præsentia* 8, De probat., cum similibus; cap. *Cum ad Monasterium* 6, De statu monachor., ibi : « Totum incontinenti resignet. » Concil. Trid. cit. sess. 25, *De regularibus*, cap. 2, ibi : « Statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. » Et sic tenet Abbas in cap. *Monachi* 2, De statu monachor., n. 8; Navarr. in c. *Non dicatis*, 12, q. 1, n. 44, et sequent.; Fagnan. cit. cap. *Joannes* 19, De testamentis, n. 20, et alii.

(90. Et hæc clarius et expressius habentur in cit. decret. Clement. VIII, pro reformat. regular. incip. *Nullus omnino*, ubi § 3, sic præcise præcipitur : « Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro missis, tam in propria ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocunque nomine ac-

Digitized by Google

quisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit.»

(91. Nec regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum. Cit. decr. Clem. VIII. § 4, ibi : « Neque superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto licet eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere. »

(92. Imo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret fratres a culpa et pœna a Trid. concil. imposita, textu expresso in cit. Decret. Clem. VIII, § 7, ibi : « Nulla quorumcunque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia, fratres excusare possit, quominus culpæ et pœnæ ab eisdem concilii decretis impositæ, et ipso facto incurrendæ, obnoxii sint, etiamsi superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse; quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus. » Et sic sæpe sæpius respondit sac. congr. Conc.

(93. Hinc diligenter advertendum est ad id, quod ex declaratione ejusdem sac. congreg. refert Fagnan. in cap. *Monachi* 2, De statu monachor., n. 62, ibi : « Præterea in causa Neapolitana propositum fuit sac. congregationi dubium ut infra conceptum. In aliquibus monasteriis nonnullæ moniales census, et annuos quosdam redditus, et proventus seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus : nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus a personis laicis, aliquæ ab aliis monialibus, aliquæ ab ipsis monasteriis : aliæ vero dederunt pecuniam monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monasterii ad rationem septem vel octo pro centenario, et abbatissæ dabant ipsis monialibus illos redditus quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. Aliquæ monasteriis, seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro indigentiis monasterii dederunt, pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut monasterium, seu abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat. Quæritur an moniales prædictæ in hujusmodi casibus incurrant in pœnas per concil. Tridentinum sess. 25, cap. 2, *De regular.*, in proprietarios inflictas, etiamsi de licentia abbatissæ, et ad abbatissæ nutum, vel conventus, seu monasterii nomine percipiant; sacra congregatio censuit in nullo supradictorum casuum licere moniales dictos fructus, seu redditus percipere; et si perceperint, incidere in pœnas dict. cap. 2, sess. 25, *De regul.* Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam abbatissæ, quæ eam d. concilii decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet ex suo munere ex monasterii redditibus, vel eleemosynis monialium necessitatibus in dies subvenire. Ex quibus declarationibus apparet non esse amplius locum opinioni Joann. Andr. in Regul. Non est obligatorium, Calder. concil. 2, De regul. et abbat. cons. 88, p. 1, existimantium licere professo de licentia superioris prælati accipere aliquam annualem provisionem a conventu, vel a provincia, puta scutorum decem, ut exemplificat Joann. Andr. vel quinquaginta, ut inquiunt Calder. et Abb. persolvendam pro vestibus, et aliis personalibus necessitatibus. » Sic in terminis Fagnanus.

(94. Insuper attente notandum est quod ipsemet Fagnanus pleno jure undequaque instructus loc. cit., sub n. 75 et 76, concludit, ibi : « Concludendum est igitur nemini prorsus regularium, tam virorum quam mulierum, cujuscunque qualitatis et conditionis existat, nisi sit officialis, fas esse, etiam nomine conventus, habere annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, aut peculium, etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios, honestos et pios usus, a superiore ex quacunque causa concessum, et dependenter ab ejus voluntate, et nutu, nec quemquam excusari a lethali culpa, et pœna proprietariis inflicta ex quavis consuetudine monasterii, vel religionis, aut ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu, vel causa. Et religiosis tam prælatis, quam subditis cavendum esse ab hujusmodi palliamentis, quia Deus non irridetur, ad Galat. cap. VI, » cap. *Erubescant.* dist. 32, cap. *Humanæ* 22, q. 5, cap. *Tua nos*, De simon., et cap. *In civitate*, De usur. Et eo magis, quia sac. congregatio consulta an liceat regularibus interpretari decretum, c. 2, sess. 25, *De regul.* respondit : *Non licere.* Ad dubium, ut supra conceptum num. 1, sacra congregatio respondit : *Negative*, videlicet in nullo ex suprascriptis casibus licere regularibus utriusque sexus habere prædictos annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, seu peculium non superfluum nomine conventus, ac de suorum superiorum licentia, et dependenter ab eorum voluntate, ac nutu, alioquin non esse immunes a culpa, et pœna, de qua in dict. cap. 2. sess. 25, *De regul*

(95. Legatum relictum monasterio, seu conventui bonorum incapaci, pro sacristia, valetudinario, vel ecclesiæ, pro cera, et olco, non dicitur irritum, sed debet per syndicum investiri pro adimplenda testatoris voluntate, ut decrevit sacra congregatio Episcoporum et Regul. in Forosempronien. 21 Augusti 1693. Imo si gravetur hæres, illud subministrare tenetur. Sacra congreg. Concilii in Faventina 2 Martii 1697, apud Monacell. part. II, tit. 4, formul. 1, n. 17.

(96. Unde legatum relictum minoribus de Observantia, Reformatis, et Capuccinis pro

Digitized by Google

anniversariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesia, fabrica, luminaribus, sindonibus, linteis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu pro victu, et vestitu, et aliis necessariis, est ipsis tradendum, seu solvendum ab hæredibus, ut adductis plurimis decretis et decisionibus ad longum probat et demonstrat Petrus Marcellinus de Luccia J. U. D. et in S. theologia professus, ac in Romana curia causarum patronus, in sua dissertatione unica, in qua agitur de obligatione indispensabili hæredum satisfaciendi legata quomodocunque relicta supradictis Fratribus Minoribus ad formam decreti Rev. Fabricæ 14 februarii 1635, auctoritate Apostolica confirmati, quod ut ab omnibus in promptu semper habeatur, hic ad litteram datur cum aliis decretis et declarationibus circa id ex emanatis.

97. Adducitur igitur decretum Rev. Fabricæ, et juxta illius dispositionem ponitur in claris, supradictos Minores Mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto præscriptum.

Decretum sac. congreg. Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe super legatis Minoribus de Observantia S. Francisci :

Cum sæpius fuerit habitus recursus ad sac. congregationem Ven. Fabricæ S. Petri super annuis legatis factis, seu faciendis ad favorem Fratrum sancti Francisci Minorum de Observantia, cum onere missarum seu officiorum, sive gratis, sive alio modo.

Prætendente Ven. Fabrica S. Petri ad illam spectantiam propter dd. Fratrum incapacitatem hujusmodi legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus posse annua legata hujusmodi recipere tuta conscientia, quatenus hæres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in eleemosynam, et committere Fratribus dd. missas et officia, juxta sententiam S. Bonaventuræ et decreta sacr. congregat. a S. D. N. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ consultationibus præpositæ sub die 4 Junii 1628, publicata.

Eadem sacra congregatio pro opportuna præmissorum provisione, facta prius relatione S. D. N. Urbano Papæ VIII, ac de illius expresso ordine et mandato decrevit in futurum super hujusmodi legatis observari, ut infra.

Quod hujusmodi legata per debitores, vel hæredes non exstinguantur, vel reducantur per compositionem cum ministris fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper, et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti bene visos possint applicari : ita tamen, ut, quandiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Et quod quævis exstinctio, reductio seu diminutio capitalis seu proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus aut aliis quibuscunque suffragetur.

Quodque commissarii, aliique ministri Ven. Fabricæ super hujusmodi capitali seu proprietate supradicta se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes seu debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti, seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in exsecutionem applicationis auctoritate Apostolica fact. vel facien.

Et quod nolentibus dd. hæredibus vel debitoribus dare supradictis Fratribus dd. eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata, ut supra, solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc et eo casu, lapsis duobus annis a die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis eadem Fabrica, et illius commissarii, et ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit ut supra elapsum biennium vel ultra, possit et valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium juxta suas facultates et privilegia : salvo semper capitali seu proprietate, ut supra ad effectum, quod hæredes vel debitores (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint quandocunque futuris temporibus, et sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut supra, nec Fabrica eosdem hæredes vel debitores molestare possit, et valeat toties, et quoties casus contigerit, nisi pro præterito et tunc in illis terminis tantum, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium vel ultra, ut supra, salva semper erectione beneficiorum, et applicatione legatorum, seu quorumcunque bonorum, et reddituum ac jurium eisdem beneficiis, seu aliis usibus piis auctoritate Apostolica facta, vel in posterum quandocunque facienda, et exsecutione litterarum Apostolicarum desuper expeditarum seu expediendarum; ita ut præfata decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ et illæsæ remaneant, ac suos plenarios et integros effectus sortiri debeant, ita quod neque Fabrica, neque hæredes vel debitores præfati ullo modo illas impedire, retractare, vel controvertere valeant, et salvis semper Sedis apostolicæ auctoritate ac facultatibus competentibus dictæ sacræ congregat. Ven. Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem sac. congreg. Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne audeant seu præsumant, nec quilibet eorum audeat seu præsumat per se, nec per alios, syndicos, ministros, seu procuratores, tam sæculares quam regulares dictas annuas præstationes seu legata, nec judicialiter, tam coram quocunque iudice ecclesiastico quam

Digitized by Google

sæculari ordinario, vel delegato, nec alias, nisi juxta formam dicti decreti congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctissimo D. N. deputatæ ab hæredibus, seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere, minusve dd. hæredibus seu debitoribus facere aliquas receptas pro dd. annuis præstationibus, nisi pro rata, et pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere et realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua vere fuerit iisdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio, et insuper, ne provisor Apostolicus pro tempore de beneficiis, quibus legata supradicta fuerint applicata, vel eorum procuratores, et ministros super exactione dd. legatorum directe vel indirecte impedire, vel molestare quovis quæsito colore, vel prætextu audeant vel præsumant. In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Collegio ejusdem Sac. Congregat. die 14 Febr. 1633.

DOMIN. CARD.

(98. Verba congregationis particularis ab Urban. VIII Fratrum Minorum de Observantia Cismontanæ Familiæ consultationibus præpositæ in decisionibus præcedentibus allegatæ :

« Sacra Congregatio, etc. Sed quia in his casibus solet aliquando evenire quod annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem Patronum, cui fieri debeat talis, ut supra, protestatio, decernimus quod in tali casu servetur statutum Ordinis Minorum sub Paulo II (Julio II) super cap. 6 Regulæ § Inhibemus, quod nimirum hujusmodi redditus assignentur rectoribus spiritualibus et temporalibus collegiorum, aut communitatum, terrarum, aut civitatum, qui tales eleemosynas sive fructus, vel redditus annuos nomine Ecclesiæ Romanæ, vel donantium sine Fratribus exigant, et recipiant, et a Fratribus, sive aliis sacerdotibus, quando Fratres noluerint, tales missas, vel suffragia juxta piam intentionem benefactorum in toto vel in parte secundum quantitatem talium observationum, dici faciant. »

(99. Decretum sac. congreg. Fabricæ S. Petri circa legata relicta Minoribus de Observantia in locis, in quibus Ven. Fabrica locum habet, promulgatum sub die 14 Febr. 1633:

« Cum sæpius, etc., eadem sacra congregatio censuit pro opportuna prædictorum provisione, facta prius relatione Sanctissimo Domino Nostro Papæ Urbano VIII, ac de illius expresso ordine et mandato decrevit in futurum super hujusmodi legatis observari, ut infra. Quod hujusmodi legata per debitores vel hæredes non exstinguantur, vel reducantur per compositionem cum ministris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benovisos possint applicari. Ita tamen, ut, quandiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. »

« Quodque commissarii, aliique ministri Ven. Fabricæ super hujusmodi capitale seu proprietate supradicta, se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes seu debitores aliquo modo molestent, » etc.

« Et quod nolentibus dd. hæredibus, vel debitoribus dare supradictis Fratribus dictas eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata ut supra solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc, et eo casu lapsis duobus annis a die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis, eadem Fabrica, et illius commissarii et ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen in qua fuerit, ut supra elapsum biennium vel ultra, possit et valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium juxta suas facultates, et privilegia, salva semper proprietate, seu capitali, ut supra, ad effectum quod hæredes vel debitores, etc., possint, si velint, etiam quandocunque futuris temporibus, et sic deinceps in perpetuum dare dd. Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, » etc. Et inferius præservatur Decretum Congregat. particularis sub Urbano VIII superius relatum sequentibus verbis : « Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant seu præsumant, nec quilibet eorum audeat seu præsumat per se, vel per alios syndicos, ministros, seu procuratores, tam sæculares quam regulares dictas annuas præstationes, legata, nec judicialiter tam coram quocunque judice ecclesiastico, quam sæculari ordinario, vel delegato, nec alias nisi juxta formam dicti decreti congregat. Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctiss. D. N. deputatæ ab hæredibus seu debitoribus petere, minusve dd. hæredibus seu debitoribus facere aliquas receptas pro rata et pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere et realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea qua vere fuerit iisdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis satisfatio. »

(100. Decretum ejusdem sac. congregationis Fabricæ ad providendum indemnitati Fratrum in annuis legatis, et occurrendum hæredum vel exsecutorum malitiæ, editum die 15 Decembris 1646.

« Sacra congregatio generalis Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe ad consulendum non minus indemnitati Fratrum Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci, quam providendum malitiæ hæredum, et aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultra biennium illis solvere annua legata

Digitized by Google

pia cum oneribus missarum seu officiorum, vel etiam gratis dictis Fratribus, seu eorum ecclesiis relicta, ac in futurum relinquenda sub spe postea super illis pro minori summa se componendi cum commissariis, et aliis Rev. Fabricæ ministris, et officialibus, prohibuit, et expresse mandavit commissariis, œconomis, et secretariis, et aliis quibuscunque officialibus, et ministris Reverendæ Fabricæ præsentibus et futuris, et tam Urbis, et status Ecclesiastici, quam regni Neapolis, et aliorum quorumcunque locorum sub pœnis arbitrio ejusdem sacræ congationis, ne de cætero cum hæredibus, vel aliis quomodolibet obligatis ad solutionem dictorum legatorum ad aliquam compositionem, remissionem, vel transactionem deveniant, sed ab illis omnes annatas supra biennium decursas, et non solutas integraliter exigant, et exigere faciant in beneficium dictæ Reverendæ Fabricæ sine relaxatione alicujus minimæ portionis seu quantitatis, servato in reliquis tenore decreti in hac materia ab eadem sac. congreg. editi sub die 14 Febr. 1733, et compositiones, etc., eo ipso nullas et irritas esse decrevit, mandans, » etc.

(101. Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi annua et perpetua Legata per modum simplicis eleemosynæ expresse comprobat Breve Urbani VIII, incipiens *Exponi Nobis*, emanat. 27 Julii 1637, favore Minorum de Observantia, ubi expresse approbatur, et auctoritate Apostolica confirmatur declaratio facta a patre Didaco de Cea in Romana Curia pro Ultramontana Familia commissario Generali in hæc verba in tali brevi inserta § *Insuper*, ibi : « Insuper ad serenandas Fratrum conscientias, etc. Declaramus, etc. dictos conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta et salva conscientia, tenere posse annua et perpetua legata, vel certos alios redditus, aut proventus annuos, et perpetuos præfatæ puritati nostræ Regulæ consentaneos per modum eleemosynæ, » etc., in quo Brevi multa alia ad rem continentur, unde ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur, prout registratur a Pitonio discept. 2, n. 62, et a dicto de Luccia l. c., pag. 146, n. 387.

Breve S. M. Urbani VIII, editum post decreta prædicta, quæ ad tenorem ejusdem Brevis posterius editi intelligenda veniunt.

URBANUS OCTAVUS

AD FUTURAM DEI MEMORIAM.

(102. Exponi Nobis fecit dilectus filius Elias Petiot doctor theolog. Parisiensis Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ Turoniæ minister provincialis cum omnibus Superioribus et subditis ejusdem provinciæ, quod ipsi a dilecto etiam filio Didaco de Cea ordinis eorumdem Minorum lectore jubilato almæ Angelorum provinciæ, et ordinis Patre, ac in Romana Curia pro Ultramontana Familia commissario generali, et de mandato et auctoritate dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique ordinis apud nos, et sedem Apostolicam protectoris; in præfatæ provinciæ specialem commissarium, pro alienandis bonis immobilibus, si quæ fuerint extra conventum dictæ provinciæ septa, ac alias sub certis modo, ac forma ibi expressis, constitutus et deputatus fuit, prout in dicti Didaci commissarii generalis hujusmodi desuper confectis patentibus litteris tenoris subsequentis, videlicet :

Frater Didacus de Cea ord. Minorum Regularis Observantiæ lector jubilatus almæ Angelorum provinciæ, et ordinis Pater, ac in Romana Curia pro universa Familia Ultramontana commissarius generalis et servus, dilecto Nobis in Christo R. P. F. Eliæ Petiot ejusdem ordinis et instituti, provinciæ vero Turoniæ provinciali ministro, ac doctori theologo Parisiensi salutem, et pacem in Domino sempiternam. Cum Eminentiss. D. card. Francisco Barberino S. R. E. Vicecancellario, necnon totius nostræ Seraphicæ Religionis vigilantissimo Protectori, Collectori, et Gubernatori, exponi fecerit una cum omnibus et singulis ejusdem Provinciæ Superioribus et subditis, quod dicta Provincia, quondam Conventualium zelo suæ professionis ducta, et devotis accensa desideriis, olim quidem Regulæ suæ observantiam amplexa fuerit, et formam vivendi, et disciplinæ Patrum Observantiæ acceptaverit, nuper vero a S. D. N. Urbano VIII, in Litteris suis Apostolicis tuo datis hic Romæ 13 Junii præsentis anni declarata fuerit, et de novo incorporata Regulari observantiæ cum omnibus privilegiis, juribus, exemptionibus et immunitatibus, quibus d. Provincia, cum Provinciis Franciæ S. Bonaventuræ, et Conventus Parisiensis ab antiquo gaudere consueverunt.

Propterea ad felicius dictæ Provinciæ et Fratrum conscientias serenandas, et Sanctæ Regulæ nostræ Seraphicæ nitorem, et observantiam restituendam supplicaveris, quatenus concedamus tibi licentiam, ut cum consilio Syndicorum Conventuum respective possessiones, prata et alia immobilia (si quæ fuerunt extra Conventum septa) sic vel alienes, vel disponas, prout melius regimen dictæ Provinciæ et Conventuum utilitas postulaverit; quia autem dicta alienatio et dispositio non potest exsecutioni mandari absque singulari ejusdem Eminentissimi Protectoris mandato, et modo ab illo assignando, quo debite et congrue omnia, si quæ intervenerint impedimenta, tollantur, et quatenus dicta hujusmodi alienatio vel dispositio suum tandem integrum et plenarium sortiatur effectum; hinc est quod auctoritate ejusdem Eminentiss. Protectoris Nobis in hac parte specialiter commissa, præsentium tenore et vigore, te, qui de Religionis zelo, morum integritate, et prudentiæ claritate plurimum in Domino commendaris, ejusdem dictæ tuæ Provinciæ specialem Commissarium nominamus, et insti

Digitized by Google

tuimus omni meliori modo quo possumus, et opus fuerit, etiam cum plenitudine potestatis, agendi, sollicitandi et procurandi pro te, vel per alium, seu alios dictæ Provinciæ benemeritos Patres, a te deputandum, vel deputandos, ad cujus vel quorum nominationem, et ad facultatem eligendi, specialem licentiam et auctoritatem] concedimus, quatenus dictæ possessiones, prata et alia immobilia, si quæ fuerint extra Conventum septa, intra unum annum, vel ad summum duos a debita præsentium notitia computandum, sic vel alienentur, vel disponantur, ut dictæ Provinciæ felicius regimen et Religionis decor postulaverint.

Et propterea eadem auctoritate Eminentis. Protectoris et earumdem serie nostrarum prædictos Syndicos Conventuum respective tanquam generales per Sanctiones Pontificias Procuratores, et OEconomos Apostolicos, hortamur in Domino, et quantum in Nobis est, injungimus et mandamus, quatenus dictam alienationem, seu dispositionem, consilio et auxilio suo promoveant, ut scilicet fiat secundum requisitas juris solemnitates, et debitum Seraphicæ nostræ institutionis modum, scilicet dictorum bonorum dominium, possessionem, et in proprietatem in perpetuum abdicando, et ad quos de consilio Fratrum cujusque Conventus melius secundum Deum, et fructuosius secundum licitam utilitatem Conventuum videbitur expedire, transmittendo et alienando.

Insuper ad serenandas Fratrum conscientias, eadem auctoritate Eminentiss. facultatem tibi concedimus, quatenus Fratribus et Conventibus dictæ Provinciæ vice nostra declares : imo Nos nomine, et auctoritate dicti Eminentissimi Protectoris declaramus dictos Conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta et salva conscientia, tenere posse annua et perpetua legata, vel certos aliquos redditus, aut proventus annuos, et perpetuos præfatæ puritati nostræ Regulæ consentaneos per modum eleemosynæ, aut (juxta primam et præcipuam S. Patris Francisci vivendi rationem, ejus consilio et exemplo firmatam et roboratam) pretii, seu mercedis vice pro spirituali dictorum Fratrum nostrorum labore recipiendos, nempe pro Missarum solemnium privatarumque sacrificiis, aliisque divinorum officiorum oneribus secundum pias benefactorum, seu vivorum, aut defunctorum intentiones institutis, sive pro fabricis, et reparationibus ecclesiarum nostrarum, sive pro studiis sacræ theologiæ et bonarum disciplinarum, nec non aliis Conventuum utilitatibus, sive pro prædictis omnibus causis, aut aliqua illarum divisim, vel conjunctim, jam diu prædictos redditus, aut proventus fundatos et constitutos, vel fundandos et constituendos super hujusmodi bonis cujuscunque sint naturæ (nunc, et in perpetuum abdicandis, transmittendis et alienandis) juxta prædictos modos licitos, et puritati Regulæ nostræ congruos reservando et retinendo, facta prius ex animo, et optimo corde dictorum reddituum aut proventuum, simili vel efficaciori protestatione, et renuntiatione a doctore nostro Seraphico P. Bonaventura præscripta atque observata; et quod dicti redditus aut proventus in unoquoque Conventu non sint in tanta copia et excessiva quantitate, ut mendicitatem excludant, aliisque servatis clausulis et circumstantiis, nec non gratiis et juribus contentis et expressis in allegatione pro sustinenda validitate fundationis, et perpetuorum Legatorum conventus Victoriæ. Sancti Patris Nostri Francisci Recollectorum in Hispania alias per Nos præsentata Eminentiss. dominis cardinalibus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, et ab eis approbata et confirmata per Decreta edita sub datis hic Romæ vigesima Junii, et tertia decima Julii anno Domini 1635.

Ut autem facilius, opportunius et exactius injunctum tibi munus absolvere possis, ejusdem Eminentiss. Protectoris auctoritate, præcipimus omnibus et singulis dictæ Provinciæ Fratribus Superioribus, et subditis in virtute Sanctæ obedientiæ, et sub pœna privationis propriorum Officiorum, nec non excommunicationis latæ sententiæ, et etiam prædictis Conventuum Syndicis Apostolicis, ut te, vel alium, seu alios intra prædictum et præfixum tempus velut legitimum, seu legitimos, dictæ Provinciæ Commissarium, seu Commissarios ad prædicta (ut fertur) specialiter et expresse deputatum, vel deputandum, aut deputandos cum omnibus gratiis, ac juribus aliis Commissariis concedi solitis recipere, recognoscere et revereri velint et debeant, tibi, aut illi, vel illis in his, quæ nec cultui divino, aut animæ suæ, nec evidenti, et spirituali Conventuum utilitati contraria sunt, prompte et hilariter obtemperaturi; monentes ut, in hujusmodi muneris exsecutione, nihil aliud penitus nisi prædictorum cultus divini augmentum, domorum Domini decorem, studiorum necessitatem, et demum cujuscunque Conventus utilitatem spiritualem nostro Minorum statui, et Regularibus Institutis, dictæque Provinciæ privilegiis nuper confirmatis (ut præfertur) congruentem præ oculis habeas. Vale, Deumque pro Nobis exora. Datum Romæ in Conventu Aracælitano die 10 Julii anno 1637, in quorum fidem manuali nostro Syngrapho et majori officii nostri sigillo præsentes munivimus.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes præmissa pro illorum firmiori subsistentia et validitate Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent; Nos dictum Eliam, aliosque præfatos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis

Digitized by Google

super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem de persona dicti Eliæ in specialem Commissarium Generalem (ut præfertur) factam, ac desuper confectas præinsertas litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, expressisque Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris quam facti, quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, ut dictum Eliam, aliosque præfatos præinsertarum præsentiumque litterarum nostrarum commodo et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec illos desuper a quoquam quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari permittant, ac decernentes easdem præinsertas patentesque litteras, validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari, dictisque exponentibus plenissime in omnibus, et per omnia suffragari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinis et Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum omnium tenore præsentium proplene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus : cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima septima Julii 1637, Pontificatus nostri anno decimo quarto.

M. A. MARALDUS.

(103. Et ulterius pro legato relicto propitantia fuit semper sensus, S. Congregat. Boni Regiminis Urbis, quæ ultra superius deducta sub die 22 Junii 1625, ita dedit litteras. « Viterbo. Governatore. Mentre per il passato i Frati Minori Osservanti di S. Francisco di Canino siano stati sowenuti di scudi dieci l'anno per la pietanza, e di altri scudi quindeci per il vino da quella Comunità, la Sac. Congregatione si contenta che possa continuarseli la medesima limosina, onde piacerà a V. S. *concedernele* la facoltà opportuna. »

Ac pro vestiario habetur resolutio ejusdem S. Congregationis sub die 12 Novembr. 1661. « Perugia. Governatore. Quæsti Emin. Signori dopo aver veduta l'informazione di V. S. sono stati di parere, che ella proveda, che li Frati di S. Francesco Minori Osservanti di Nocera, siano soddisfatti nell'annua corrisposta di scudi sette, e baj. 50, che gli sono stati assegnati da quel pubblico sotto titolo di Vestiario; tanto eseguisca, e Dio la prosperi. »

(104. Imo pro Carne assignata Mendicantibus a Communitate, illamque posse a lanione illius licite exigi, habemus casum decisum per doctissimum et vigilantissimum Opit. Cerrum A. C. locumtenentem in causa Sabinen. præstationis carnis inter RR. PP. de Observantia B. M. Virginis de Lilio, et Josephum Gentilem sustinentem jura Communitatis Malleani cum mandato de exsequendo judicatum de Fratribus favore RR. PP. relaxato, et cum sententia emanata sub die 24 Martii 1708, per acta Babucci Notarii A. C.

(105. Ac S. Congregationis concilii, quæ ita invariate pro observatione præfati decreti Rev. Fabricæ circa legata pro pitantia relicta mandavit, et in specie in Æsina legati 4 Maii 1697, cujus resolutio magistralis hæc est :

Balthassar de Calvanis anno 1639, instituta hærede usufructuaria Pieria uxore, gravavit tam ipsam quam hæredes proprietarios ad tradendum in perpetuum PP. Capuccinis eleemosynam Juliorum septem singulis hebdomadis pro duobus ferculis, seu pitantiis, injuncto onere eidem Pieriæ faciendi intra certum tempus investimentum æquivalens annuæ satisfactioni prædicti legati per hæc verba : « Lascia la medesima Signora Pieria mentre sarà viva, e gli infrascritti eredi, e successori in infinito siano obbligati, si come esso testatore espressamente comanda, di fare due volte la settimana l'elemosina alli Cappuccini di Jesi di Giulii tre, e mezzo per ciascheduna volta di carne o Pesce, e che per detto effetto pagati li scudi 100 di legato fatto di sopra per l'Altare di S. Giuseppe dalla Signora Pieria sua consorte tra lo spazio di quattro, o cinque anni, o quanto prima si possa, si ponga a frutto quella quantità di denaro, che sarà bastante per lo stabilimento perpetuo delle dette elemosine delle due pietanze la settimana per li detti PP. e che sino a detto cumulo, o stabilimento la signora Pieria si compiaccia siecome esso testatore la grava di tener communicati li frutti della sua dote, e contradote, pregando il medesimo sig. testatore li detti PP. Cappuccini per la detta carità di pregare nelle loro orazioni per l'anima d'esso, e de'suoi antenati morti, » etc.

Neglexerunt tam Pieria quam primi hæredes nedum primum investimentum, verum etiam traditionem supradictæ eleemosynæ per plures annos. Quare Nicolaus et Theodorus de Calvanis hæredes mediati condemnati fuerunt a Rev. Fabrica per viam compositionis ad solutionem scutorum 300, pro eleemosynis decursis et non solutis.

Modo autem volentes iidem hæredes executioni demandare præfati testatoris voluntatem quod investimentum capitalis prædicti oneris eo sub fundamento, quod ubi ad

Digitized by Google

formam testamenti factum fuisset, illius ascendentes tunc ad annua scut. 36, vix hodie ascenderunt ad medietatem attenta notoria diminutione fructuum, censuum aliorumque stabilium.

(106. Verum audito desuper episcopo comprobante narratorum veritatem excitata fuit difficultas : An onus investimenti tanquam adjectum exsecutioni legati dicatur stare demonstrative, vel taxative, ita ut investimentum modo faciendum sit ab hæredibus perpetuo manutenendum pro integra satisfactione summæ legatæ? Cumque placuerit EE. VV. demandare, ut instantia prædicta describeretur in folio; hinc in præsenti congregatione informantibus prædictis hæredibus exquiritur :

« 1. An, et in qua quantitate præfatum investimentum sit faciendum? »

« 2. An post factum investimentum, ac superveniente aliqua diminutione tam in capitali quam in fructibus, hæredes teneantur cum bonis hæreditariis perpetuo supplere summam deficientem? »

« Die 4 Maii 1697, S. C. EE. S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum censuit, ad primum faciendum esse investimentum in quantitate æquivalenti ad integrum onus. »

« Ad secundum respondit, *Affirmative.* »

(107. « Faventina Legatorum, in assignatione bonorum facta per Constantiam Sevarolam de anno 1657, ad effectum fundandi in terra Mutilianæ, vel Beneficium ecclesiasticum, vel monasterium monialium, tria onera fundatrix imposuit. Primum annuæ præstationis libr. 100 olei pro manutentione lampadis ante sacras reliquias in ecclesia PP. Capuccinorum dictæ terræ; secundum lib. 25 ceræ albæ pro usu ejusdem ecclesiæ; et tertium denique unius ferculi valoris solidorum 20, ipsis PP. Capuccinis per singulas hebdomadas subministrandi. »

« Secuta de anno 1686 monasterii fundatione, recusarunt moniales subministrare dictas præstationes sub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capuccinorum; quare ad instantiam Alexandri Bonconi, tanquam unius de populo, citatis et informantibus quoque monialibus, declarari humiliter supplicatur. »

« 1. An monasterium teneatur subministrare singulis annis dictas libras 100 olei, et 25 albæ ceræ pro usu ecclesiæ Capuccinorum. »

« 2. An similiter teneantur præstare singulis hebdomadis supradictum ferculum fol. 20, pro ipsis Capuccinis. »

(108. « Die 12 Mart. 1697, S. C. EE. S. R. E. cardinalium conc. Trident. interpretum ad primum respondit *Affirmative.*

« Ad 2 censuit servanda esse decreta congregationis Fabricæ. Die 4. Feb. 1633. »

(109. « Quæ procedunt etiamsi assignatio bonorum fieret in contractu inter vivos, uti habemus casum decisum per S. C. Fabricæ in Imolens. Legati seu Donationis sub die 16 Martii 1727, ubi fuit dictum favore RR. PP. Observantium Imolæ ad exclusionem tribunalis Rev. Fabricæ *non intrare illius privilegia*, super qua controversia, quia elaboratissimæ fuerunt distributæ allegationes doctissimorum causæ patronorum et advocatorum, merito pariter illas subnectere existimavi ad ostendendum quod in hujusmodi controversiis omnia necessaria motiva hinc inde fuerunt perpensa, audito commissario, et fiscali ejusdem sac. tribunalis, et decisum *non intrare privilegia Fabricæ*, attenta capacitate religiosorum in recipiendis hujusmodi legatis ex capite eleemosynæ; adversus quam resolutionem, cum denuo fuerit provocatum ad idem tribunal, hoc, perpensis denuo partium rationibus, sub die 20 Julii ejusdem anni eamdem resolutionem confirmavit cum rescripto in decisis. Sic de Luccia in Dissertatione de Legatis, n. 402. »

« (110. Insuper dictam Fratrum minorum capacitatem expresse demonstrant variæ resolutiones sacræ congregationis Fabricæ, quarum prima fuit illa emanata die 28 Maii 1639 cum epistolis directis episcopo S. Angeli in Vado hujus lecturæ : « Ha avuto ricorso a questa S. C. della Fabrica il procuratore generale de' Minori Osservanti esponendo che di un legato pio appartenente a'detti Frati di S. Angelo in Vado V. S. intenda erigere un canonicato sotto pretesto della loro incapacità; Questa medesima congregazione anche con partecipazione di N. S. fece decreto (*quod est illud anni* 1633), che questi PP. potessero ricevere per modum eleemosynæ gli annui legati pii, e che non si estinguessero, e riservandosene la disposizione a N. S. conforme all'ingionto decreto. »

« Roma 28 Maggio 1638. »

(111. Et quamvis episcopus in sua informatione quam plurima deduxisset ad ostendendam incapacitatem Fratrum, denuo S. C. rescripsit : « Sendo stata letta in questa sacra congregazione la risposta data da V. S. in materia dell'applicazione da lei fatta ad un Canonicato delli scudi 809, lasciati da Carlo Gualterucci alli Frati della Osservanza con peso di messe, non son parse a questi eminentissimi signori sufficienti le ragioni addotte per sostenere detta applicazione, quale come che è fondata tutta nella incapacità de Frati, così non sossistendo tale incapacità, almeno ad effetto di poter ricevere per via di limosina, conforme al decreto fatto da questa S. congreg., dovrà V. S. sospendere, nè in essa procedere più oltre in pregiudizio dei Frati.

« Roma 30 Agosto 1639. »

Secunda sub die 31 Decembris 1639, directa episcopo Anconitano, ita : « Questa S. C. altre volte dichiarò detti Frati capaci per modum eleemosynæ, però provederete che il legato si eseguisca, nè sotto il detto pretesto della loro incapacità gli eredi ritardino il pagamento. »

(112. Tertia sub die 17 Martii 1640, lata ad favorem PP. Minorum de Magliano; in qua agebatur de legato scut. 1500, cum obligatione injuncta hæredi de reinvestiendo dictam summam, et solvendo fructus annuos

Digitized by Google

PP. erogandos ab istis in perpetuum pro celebratione duarum missarum, et pro emenda sacra supellectili altaris, et applicatio R. Fabricæ per commissarium illius, et demandans talis applicationis revocationem ita: « E perchè detti PP. Osservanti credono che detta sentenza non possa sussistere, e per avere questa sagra congregazione dichiarato nel 1633, che essi sono capaci di simili legati per modum eleemosynæ, etc., e parendogli la domanda ragionevole, ne danno la facoltà di poter rivedere, conoscere e terminare detta causa per giustizia con facoltà di reintegrare dd. Osservanti. » Prout de facto commissarius eosdem PP. ad legatum reintegravit.

Demum adsunt consimiles declarationes emanatæ sub diebus 28 Julii 1640, 20 Decembris ejusdem anni, 5 Octobris, et 2 Novembris 1641 et aliæ, quas brevitatis causa omittendas censui, quæ omnes declarant capacitatem cum tali modificatione per viam eleemosynæ, et registratæ inveniuntur in eadem discept. Piton. n. 138, 139, 140, 141 et 142.

(113. Hujusmodi capacitas censetur admissa per Summos Pontifices: cum enim de anno 1641, commissarius Fabricæ applicaverit quemdam censum mille florenorum in sorte, et scut. 80 in fructu erogandorum in emptione tunicarum et habituum pro dictis PP. juxta donationem istis factam a Gaspare de Bartholomæo, comparuerunt coram Sa. Mem. Urbano VIII iidem PP. Minores, et ita eorum intentum exposuerunt: « Supplicant, etc., quatenus dignaretur declarare Fratres esse capaces dictæ donationis, et a ministris Fabricæ non posse molestari, quin per modum eleemosyna possint dari et recipi fructus census, » etc., et emanavit præfata signatio. Die 12 Novembris 1641, S. S. D. N. « audita relatione S. Suæ facta de ordine eminentissimi cardinalis Barberini protectoris benigne annui petitioni supradictæ »: et in illius exsecutione S. C. Fabricæ ita segnatæ petitionis demandavit effectum; « Questi eminentissimi miei signori della sagra congregazione della Fabrica vi ordinano, che lasciate liberamente pagare, e ricevere detti frutti alli medesimi Frati donati per modo di limosina conforme la grazia fattagliene da N. S., revocando li sequestri, ed ogni altro impedimento di questo tribunale e suoi ministri. »

« Roma 21 Decembre 1611. » Piton. l. c., n. 144.

(114. Et indistincte pro legatis pro victu et vestitu semper resolvit sacra congregatio Boni Regiminis, et signanter sub die 12 Augusti 1651, ibi: « Ficulle. Podestà. Comanda la S. C. mentre sia vero, che nell' ingresso de' PP. Cappuccini in cotesto luogo dal pubblico consiglio fossero per loro sostentamento assignati per limosina scudi 50 l'anno, gli si continui conforme al solito tale sussidio caritativo, onde Voi le concederete la facoltà opportuna, oprando, che in tal conformità segua l' effetto. »

(115. Ac sub die 29 Aprilis 1678. « Campagna. Governatore. La sacra congreg. senza attendere la risoluzione presa dal pubblico consiglio della comunità di Anagni avendo ordinato, che si continui a somministrare il solito sussidio di 40 scudi annui a questi Fratri Cappuccini, che con tal'assegnamento furono ricevuti dalla comunità suddetta, così si contenterà di ordinare che segua, e Dio la prosperi. »

(116. Sicuti etiam sub die 10 Maii 1692. Viterbo. Governatore. « E stata sentita anche dalla Sacra Congregazione come necessaria l'instanza fatta dalla comunità di Valentano di potere ammettere li Frati Minori Osservanti di San Francesco nel Convento già soppresso della Madonna della Salute, perchè restino provisti quegli abitanti di chi loro assista opportunamente con gli ajuti spirituali, per il di cui effetto s'è contentata la medesima sagra congregazione, che possa la predetta comunità, in conformità della risoluzione del consiglio, somministrare scudi 500 per una sol volta, da pagarsi in cinque anni colli sopravanzi della tabella in ogni anno la rata, ed altri 50 scudi annui in sussidio caritativo per pietanza e vestiario de' religiosi, che vi dimoreranno da pagarsi venticinque scudi in ogni semestre, onde V. S. ne potrà concedere la necessaria licenza. »

(117. Item hanc Minorum capacitatem obtinendi, et recipiendi legata perpetua per viam puræ ac simplicis eleemosynæ, pluries comprobavit sacra congregatio Episcoporum et Regul. et signanter in Lucens. sub die 21 Martii 1677 pro Minoribus de Observantia hanc dedit declarationem: « Sacra congregatio Episcop. et Regul sæpius declaravit Fratres Minores de Observantia S. Francisci, quamvis, attenta dispositione, *Exivi de Paradiso*, et constitut. Nicolai III et Clement. V, sint incapaces obtinendi census perpetuos, et bona stabilia, posse tamen per viam puræ ac simplicis eleemosynæ recipere quidquid ab executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione missarum, pro ornamento ecclesiæ, aliisque necessariis procurandis juxta doctrinam D. Bonav. relatam in Const. Sa. Mem. Urbani VIII incip. *Sacrosanct. Apostolatus ministerium.* »

(118. Item eamdem capacitatem pluries approbavit sac. congregatio Concilii, et signanter sub die 12 Junii 1704, in Salernitana Legati Fabritii Pinto in famosa causa vertente inter PP. Theresianos hæredes, et Minores de Observantia, Reformatos, et Capuccinos Legatarios, ubi rescripsit: « Observentur decreta Rev. Fabricæ emanata die 14 Februarii 1633, » hoc est recipiant per modum eleemosynæ. Quod et expresse in eadem causa decrevit sac. congregat. Rev. Fabricæ sub die 20 Julii 1707, et 9 Februar. 1708, in quorum decretorum observantiam fuit datum mandatum executivum sub die 28 Junii 1709. Et sub die 12 April. ejusd. anni 1709, fuit lata sententia a R. P. Sinibaldo judice Rev. Fabricæ declarans et statuens dd. PP. Theresianos in exsecutionem præfatorum decretorum teneri, et obligatos

Digitized by Google

esse solvere annuum legatum per viam eleemosynæ relictum per dictum Fabritium Pinto dictis Minoribus de Observantia, Reformatis et Capuccinis; et tam dicta sententia quam mandatum, datum a collegio eminentissimorum, et reverendissimorum DD cardinalium S. C. Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe deputatorum, refertur ad litteram a D Petro Marcellino de Luccia, in sua disserta tione unica De Legatis pro victu religiosis Mendicantibus relicto, pag. 207, ad pag. 210, num. 522 et 523.

(119. Ex supra recensitis stat clarum quod legata relicta Fratribus Minoribus per modum simplicis eleemosynæ sustinentur, et quod tales Fratres, licet sint incapaces legatorum transferentium dominium, et possessionem apud ipsos, sunt tamen capaces ipsorum legatorum per modum puræ et simplicis eleemosynæ. Et quamvis dicti Fratres non sint capaces petendi legata perpetua per modum actionis judicialiter, sunt tamen capaces ipsas recipiendi per modum eleemosynæ ab hærede defuncti, licet iste hæres fuerit coactus ex officio per judicem, vel ad instantiam alicujus de populo, vel syndici apostolici, etiam tanquam unius de populo, qui ut talis potest comparere, et implorare officium ordinarii, ut demandet exsecutionem testamenti, et adimpleatur mens testatoris ut in articulo discusso pronuntiavit Rota in Turritana Eleemosynarum, seu Legatorum 10 Januarii 1595, coram Emerix decano pro syndico Apostolico conventus Sancti Petri de Syrchis Ordinis Minorum de Observantia cum archidiacono Ecclesiæ Turritanæ registrata apud Pitonium part. I, Disceptationum ecclesiasticarum, disceptat. 2, n. 36, et apud Petrum Marcellinum de Luccia loc. cit., pag. 117, n. 350.

(120. Imo cum, juxta communem doctorum sententiam, hæres teneatur in conscientia adimplere onera, et pias dispositiones testatoris, potest etiam cogi per Syndicum Apostolicum, non tanquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ, vigore constitutionum Gregorii XIII, Martini IV et Pauli IV, ut tradunt in puncto Emmanuel Rodriquez qq. Regular., tom. II, quæst. 127, artic. 4, § Ad primum enim; Portell. In dub. Regular. verb. *Legatum*, n. 8, et melius in addit. n. 2, vers. *De modo autem;* Hieronymus Rodriq. resol. 88; Pelliz. in manual., tract. 4, sect. 2, n. 111 et seq. tom. II; Ricciul. De Jure personar. extra gremium Eccles., lib. VIII, cap. 9, n. 27; Amostaz. De causis piis, lib. IV, cap. 3, n. 78; Pasqualig. De Sacrificio miss., quæst. 1091, n. 5; Villalob, difficultat. 34, n. 7, et alii; quæ constitutiones Martini et Pauli fuerunt novissime renovatæ per Sa. Mem. Innocentium XI constit. incip. Sollicitudo pastoralis, sub dat. 20 Novembr. 1679, impress. in Histor. Seraphic., tom. IV, fol. 224.

(121 Plurima alia de capacitate Fratrum Minorum recipiendi et retinendi perpetua annua legata per modum puræ et simplicis eleemosynæ videnda relinquuntur apud Pitonium cit. part. I, discept. 2, per tot., et apud D. de Luccia in cit. dissertatione unic. de Legatis per tot., ubi ultra adductas multæ afferuntur Apostolicæ sanctiones, et sacrarum congregationum responsiones, et declarationes; unde non amplius attendendi veniunt doctores in contrarium scribentes.

(122. Domus professæ Societatis Jesu, licet sint vere Mendicantes, sunt tamen capaces legatorum, etiam bonorum stabilium, ita tamen ut si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui domorum professarum, ea vendi debeant, et ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri; Sic Rota in Rom. Legati 10 Martii 1517, cor., Buratto, et communis doctorum; Nihil tamen obstat tempore non longo ea retinere, donec se occasio vendendi offerat, vel opportunitas aptandæ habitationis ad usum domorum professarum. Sanchez lib. VII, Moral., cap. 26, n. 22. Layman lib. III De justitia tractat. 5, cap. 10, n. 6, et alii. Vide quoad hæc Legata p. 6. Constitut. d. Societatis cap. 2. § 5.

(123. Legatum relictum Ecclesiæ, quam testator in specie non expressit, adeo ut ignoretur quam voluerit intelligere, est validum. Communis. (124. Si enim simpliciter nominavit ecclesiam v. gr. S. Mariæ, et plures sint ecclesiæ ejusdem nominis, inter quas una sit parochialis, legatum debetur Parochiali. Authent. De Eccles. tit 5, § Si quis in nomine, et ibi Glossa verb. *Domicilium*, collat. 9; Barbosa de offic. et potest episcop., part. III, alleg. 83, n. 41, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., cap. 27, n. 90 et seq., et plurimi alii ibi citati, et alii passim.

(125. Si autem testator duas habuerit ecclesias parochiales ejusdem nominis et facultatis, in quibus promiscue et æqualiter recipiebat ecclesiastica sacramenta, et nec ex electione sepulturæ, nec aliunde discerni possit, de qua parochiali intellexerit, variant doctores; multi enim volunt in tali casu legatum esse dividendum inter utramque parochiam, arg. cap. 2, vers. *Cum ab eo*, De sepult. in 6, ubi habetur quod, si aliquis habuerit duo domicilia, in quibus æqualiter commoretur, et alibi sepulturam elegerit, portionem canonicam esse dividendam inter parochias utriusque domicilii. Sic Covarruv. in c. *Judicante*, De Testament. n. 2; Silvest. verb. *Legatum* 2 n. 8; Molina De justit., tr. 2, disp. 196, n. 3; Garcias in summ. tract. 3, different. 11, dub. 3, n. 3; Leon de offic. capellan., quæst. 5, sect. 2, n. 36; Amostaz. lib. I De causis piis in genere, cap. 11, n. 19, ubi citat alios, et dicit aptissimum esse textum in l. Si quis Titio 17, § final., ff. de Legat. 2, ubi si decem uni ex libertis legarentur, nec constet cui certo legata fuerint, inter omnes distribuuntur. Quod idem dicitur, quando posthumo legaretur, et plures nascantur, ut subdit ipse loc. cit. Gomez tit. 1, var. cap. 19, n. 19, et Cancerius 3, p. cap. 20, n. 285. Et similiter observatur, si centum pro premio assignentur primo ingredienti arcem

Digitized by Google

obsessam, nam si plures simul ingrediantur, centum inter eos distribuuntur. Alciat. lib. IX Pareng., cap. 10; Amostaz. loc. cit., et alii. (126. Multi alii autem tenent in tali casu electionem competere exsecutoribus testamenti, seu arbitrio episcopi, argum. cap. *Quoniam* 13, vers. *Alioquin*, De decimis, ubi habetur quod, si res fuerit utrinque dubia, ita ut nulla conjectura comprehendi valeat, ad quam parochiam novalia pertineant, tunc in arbitrio episcopi erit, decimas, cui ecclesiæ maluerit, deputare; et sic a pari in proposito locus erit gratificationi arg. cap. 1, vers. *Quod si forte*, De paroch. Sic Gemma dec. 185; Lara De annivers., lib. VI, cap. 10, n. 97, et plurimis citatis Barbosa lib. III Juris ecclesiast. univers., cit. cap. 27, n. 93, ubi ex ipsis dicit hanc esse communem et veriorem. (127. Quæ sententia est præsertim tenenda, quando legatum est individuum, nec admittit separationem, ut si testator jusserit construi capellam in ecclesia parochiali. Tunc enim ex quo testator legaverit rem individuam, nec possit impleri ejus voluntas, quin uni parochiali concedatur, in dubio erit electio exsecutorum, seu episcopi : Rubeus Pract., c. 79, n. 428; Amostaz., loc. cit., n. 20; Sanchez in consil. moral., p. 2, lib. IX, cap. II, dub. 8, n. 6; Vasquez in opusc. de Testam., c. 8, § 1, dub. 1, n. 98, et alii.

(128. Si vero multæ sint ecclesiæ sub eodem expresso nomine Sanctæ Mariæ, et nullo modo appareat quam testator elegerit, tunc legatum dandum est ecclesiæ pauperiori sub dicto nomine, textu expresso in Authent. *De eccles. Titul.*, c. *Si quis autem* ibi : « Si quis autem unum sanctor. hæredem scripserit, aut legatum ei reliquerit, et non specialiter nominaverit locum, in quo est venerabilis domus; inveniantur autem in eodem loco, aut Civitate plura oratoria ejusdem sancti, illi magis domui, quæ pauperior est, præbetur; » et sic tenent Tiraquell. priv. 56, ad medium; Gomez Variar., tom. II, cap. 11, n. 8; Molina loc. cit., disput. 177; Layman lib. III, tract. 3, cap. 11, n. 8, v. *Deinde statuitur*, et pluribus citatis Barbosa lib. III Juris eccles., c. 27, n. 92. Tunc enim censetur testator voluisse legare illi ecclesiæ, respectu cujus sic legando majus opus charitatis exercet, et plus suæ animæ consulit; arg. cap. *Animæ Defunctorum*, cap. *Prohibentibus*, cum multis ibidem 13, qu. 2, cap. Ultim de Sepulturis, cap. *In litteris*, De raptorib. Legando autem ecclesiæ pauperiori majus opus charitatis exercet, et plus consulit animæ suæ, ut de se patet, adeoque, etc.

(129. Si ecclesia nominata non reperiatur in civitate testatoris, bene vero in ejus diœcesi seu territorio, tunc isti debetur legatum. Communis, textu expresso in cit. Authent. *De Eccles.* tit. cap. *Si quis autem*, ibi : « Si autem non est in civitate Basilica nominati sancti, inveniatur autem in territorio ejus, illi detur. » (130. Si autem ecclesia nominata non reperiatur, nec in civitate, neque in ejus territorio seu diœcesi, tunc legatum debetur ecclesiæ parochiali testatoris. Communis, textu expresso cit. Authent. *De Ecclesiast. tit.*, cap. *Si quis* 9, ibi : « Si autem neque in territorio ejus reperitur ejusmodi domus, tunc ecclesiæ civitatis (sive parochiæ) in qua testator domicilium habuerit, præbeatur. »

(131. Legatum relictum, v. gr. Titio, si duo sint Titii æquali charitate et amicitia cum testatore conjuncti, nec discerni possit quinam ex ipsis fuerit a testatore electus, quamvis de jure civili corruat, et sit pro invalido habendum, l. Si fuerit, l. Si quis pluribus, ff. De rebus dubiis, l. Si duo sint Titii, ff. De testam, tutela : In foro tamen conscientiæ tenetur hæres seu exsecutor illud inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant; sic enim exigit æquitas naturalis. Molina tom. I, disp. 197, n. 1 et 2; Diana part. III, tract. 5, res. 58; Trullench., tom. III, lib. VII, cap. 18, d. 1, n. 23; Busemb. lib. III, par. II, cap. 4, dub. 4, et La Croix ibid., sub n. 1129, et alii.

(132. Legatum relictum determinato pauperi, si hic moriatur ante solutionem, hæres tenetur dare illud alteri; quia adhuc durat causa legati, scilicet pietas et suffragium animæ testatoris, cum tale legatum pium præsumatur factum causa pietatis, et sic designatio pauperis facta fuerit demonstrative et non taxative. Aliter tamen esset dicendum, si legatum fuisset relictum in solum commodum, et bonum talis determinatæ personæ, quia tunc causa legati esset effectus, qui cessat, cessante persona, propter cujus specialem affectionem fuit relictum legatum. La Croix cum Busemb. lib. III, par. II, cap. 4, dub. 4, sub n. 1129; Felix Potest. tom. I, part. II, n. 2567, et alii passim.

(133. Repudiatio legati ecclesiæ facti est illicita et peccaminosa, si fiat absque justa causa, et sine debitis solemnitatibus, seu sine beneplacito Apostolico, et in tali casu tenetur prælatus ad satisfaciendum ecclesiæ, si habeat proprium, unde satisfaciat. Communis, teste Reiffenstuel, l. III Decretal., tit. 10, n. 53. Et ratio est quia prælatus vi officii sui, adeoque ex obligatione virtutis justitiæ, tenetur procurare commodum et utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere in quantum potest; cap. *Quicunque* 2, caus. 12, quæst. 4, juncta Glossa vers. *Aut neglectum*. Prælatus autem repudiando legatum factum ecclesiæ non procurat ipsius ecclesiæ utilitatem, nam non acquirere est insidiari; l. I. § Confertur, ff. De collat. bonor., ubi præcise habetur : « Cæterum si id egerit, ne acquireret, hic et sibi insidiatus est. » Unde consequens est quod prælatus ille, qui sine justa causa, et debitis solemnitatibus repudiavit legatum ecclesiæ relictum, non solum illicite egerit, atque peccaverit, sed etiam compelli possit ut de suo, si proprium habeat, satisfaciat ecclesiæ, cum ipsam injuste damnificaverit. Glossa in cap. *Illud statuendum* 8, § Si ergo caus. 16, quæst. 6, verb. *Meliorem*; Abbas in cap. *Tua nos nuper*, n. 9, De his quæ

Digitized by Google

fiunt a prælatis, istud probans exemplo tutoris qui, si potuit acquirere pupillo et non acquisivit, tenetur de suo refundere; leg. Quidquid, Cod. Arbitrum tutelæ. Et sic doctores passim. Vid. verb. *Alienatio*, art. 4, n. 6, ad 10. (134. Imo quando prælatus absque justa causa repudiavit legatum ecclesiæ relictum, potest ecclesia exinde graviter læsa petere beneficium restitutionis in integrum. Communis, arg. cap. *Requisivit* 1, etc. *Cum venissent* 2, De in integrum restitutione.

(135. Legata ad causas pias valent etiamsi testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corruat; dummodo tamen constet de voluntate testatoris, v. gr. si scripserit, si hæres agnoscat ejus manum, aut ab eo immediate audierit, et hujusmodi. Communis. In relictis enim ad causam piam jus civile non attenditur. arg. cap. *Relatum* 11, De testamentis; adeoque etsi defectu solemnitatis civilis testamentum non valeat quoad profana, valet tamen quoad legata pia in eo contenta. (136. Imo valent etiam legata profana contenta in testamento absque solemnitate civili condito; argum. cap. *Accessorium* 42, De reg. juris, in 6, ubi expresse dicitur, quod « Accessorium naturam sequi congruit principalis: » adeoque si testamentum tanquam principale valet, ex cap. *Relatum* 11, De testam. etiam legata quamvis profana utpote quid accessorium valebunt. Hinc Authent. *Quod sine*, Cod. de Testam. in testamento patris inter liberos sine solemnitate ordinaria facto, valent etiam legata relicta extraneis, sic Covarruv. De testament., cap. 11, n. 2; Pirhing l. III; Decretal., tit. 29, n. 22; Reiffenstuel ibid., n. 161; Engel ib., n. 19; Tiraquel. privileg. 80; Molina disput. 134; Layman, l. III, tract. 3, cap. 2, n. 10. Julius Clarus § Testamentum, quæst. 6, n. 9, citans communem.

(137. Falcidia, et Trebellianica non detrahitur a legatis ad pias causas. Authentic. *Similiter* Cod. ad leg. Falcid.; Barbosa l. III Juris ecclesiast., c. 27, n. 84, cum communi aliorum.

(138. Pars autem falcidiæ, quæ non potest detrahi a legatis piis non est oneranda legatis profanis, ita ut hæres integram Falcidiam percipiat, sed solum a legatis profanis est detrahenda pars illa Falcidiæ, quæ ipsis pro rata competit, cum ad eam tantum sint obligata; Falcidia enim pro rata quolibet legato detrahitur; l. Hæreditatem 68, § final. l. In quantitate 73, § final ff. ad l. Falcid. Unde in tali casu integra Falcidia non deducitur, sed tantum rata de aliis legatis profanis. Mantica lib. IX, Conject., tom. III, n. 24, et 25; Amostaz. lib. I De causis piis cap. 11, n. 34. (139. Falcidia non detrahitur ex legatis relictis Ecclesiæ. Communis cum Card. Petra tom. II, comment. ad Constit. X Innocent. III, n. 75. (140. Neque detrahi potest Falcidia ex iis, quæ relinquuntur confraternitatibus, sive cum episcopi auctoritate, sive absque ea institutis. Bassi tract. de sodalitiis, seu confraternitatibus, quæst. 16, n. 1, cum multis citatis; Barbosa l. II Juris ecclesiastic. univers., cap. 22, n. 92, ubi testatur de communi. (141. Falcidia nullimode detrahitur a legatis cum onere missarum, vel pro exoneratione conscientiæ relictis, quia certo supponitur testatorem prævoluisse, et prædilexisse tale onus in suffragium suæ animæ. Card. Petra loc. cit., n. 84 et 85. Vide verb. *Falcid.*, n. 24. (142. An autem Falcidia sit detrahenda ex legatis piis, quando pia causa seu Ecclesia est instituta hæres? Vid. d. verb. *Falcidia* a n. 20 ad 23.

(143. Papa potest valide et licite ex rationabili et justa causa commutare legata pia. Communissima apud omnes; arg. Clement. *Quia contingit* 2, de religiosis domib., ibi: « Salva quidem sedis Apostolicæ auctoritate, » et constat ex Tridentino De reformat., sess. 22, cap. 6, et sess. 25, cap. 4. (144. An autem Papa etiam sine rationabili et justa causa possit commutare legata pia, variant doctores: Multi enim tenent et defendunt partem affirmativam, quia dicunt testatores quoties aliquod pium legatum relinquunt, id faciunt sub tacita conditione, si Papa aliter non disposuerit; arg. cit. Clement. *Quia contingit*; ibi: « Salva quidem sedis Apostolicæ auctoritate; » adeoque Papa, etiam absque causa pro sua voluntate et libertate poterit commutare ultimas pias voluntates, seu legata pia. Tum quia hac tacita conditione existente, quando fit legati commutatio, non agit Papa contra voluntatem testatoris, sed secundum ipsam, adeoque non erit necessaria ulla causa ad talem commutationem. Covarruv. l. III Variar., cap. 6, n. 7; Marta De jurisd., part. IV, caus. 74, n. 5; Sarmiento select. l. I, cap. 8, n. 21; Felix Potest. tom. I, p. 2, n. 2580; Silvester, Armilla et alii apud Sanchez Consil. l. IV, cap. 1, dub. 1, n. 1.

(145. Plurimi autem alii sustinent negativam partem, quia dicunt ipsi: De Jure naturæ est observare et ad unguem adimplere ultimas voluntates, et quamvis Papa sit administrator causarum piarum, nequit tamen absque causa eas commutare, cum alias rectus administrator non esset; Sanch. loco cit. dub. 1, n. 4; Wadingus De contractib. disp. 4, dub. 13, § 6, n. 3; Diana part. VIII, tract. 1, resolut. 64, in princip.; Carpio De exsecut. testament., l. III, cap. 2, n. 5; Molina de justitia tract. 2, disp. 249, n. 4; Lugo eod. tract., disp. 23, n. 512; Moneta De commut. ultim. volunt., cap. 6, n. 29; Jul. Cappon. tom. II, disceptat. 102, n. 17; Barbosa De offic. et potest. Episcop., part. III, allegat. 83, n. 1, cum plurimis ibi citatis: ubi dicit quod in concilio Tridentino sess. De reformat., cap. 22, statuitur hujusmodi commutationes neque ab Apostolica sede fieri debere, nisi ex justa et necessaria causa, et ex Molina, loc. cit., n. 9, subdit, ab ipso Concilio Tridentino, loc. citat. « sancitum esse, ut quando commutationes aliquæ a sede Apostolica fuerint obtentæ, episcopi tanquam legati sedis Apostolicæ summarie et extrajudicialiter cogno-

Digitized by Google

scant, nihil precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ exsecutioni demandentur; » sunt verba concilii. (146. Et revera si ex tali commutatione lædatur jus tertii, nequit Pontifex sine causa id facere; leg. Si quando 35. Cod. de inoffic. testamen., nec id solet a principe fieri; leg. Rescripta 7, Cod. de precib. imperat. offic., l. final., cod. Si contra jus, vel utilit. public. Alterum enim non lædere est præceptum juris naturæ; § Juris præcepta, Instit. de justit. l. Justitia 10, ff. eod. tit. 1, lib. II, tit. 1, part. III, adeoque quoties fuerit damnum tertii, erit pro tali commutatione semper necessaria rationabilis causa, ne jus naturale a Papa lædi et impugnari videatur, quin potius commutatio illa per mutationem materiæ reducatur ad jus naturale. Moneta De commutat. ult. volunt., cap. 11, n. 29, et quæst. 7, n. 7; Peregrin. De fideicomm., art. 12, n. 125; Haibanus De interesse lib. I quæst. 2, n. 12 et 42; Amostaz. lib. I, De causis piis, cap. 14, n. 8; Spino De testament, par. I, rub. n. 20, ubi dicit quod causa non quælibet sed publica requiritur; alias commutatio minime sustinebitur.

(147. Quando legatum non potest de jure aut de facto impleri in propria specie, seu usu designato a testatore, potest episcopus de consensu hæredis aut exsecutoris deputati commutare illud in alium pium usum. Communis; arg. cap. *Nos quidem* 3, De testam. et l. Legatum, 16, ff. de usu et usufruct. (148. Imo episcopus de consensu hæredis aut exsecutoris, ex justa causa aut ex necessitate potest commutare legatum, etiam quando potest de jure et de facto impleri. Barbosa De offic. et potest. episcop. part. III, allegat. 83, n. 5, et lib. III Juris univers., cap. 27, n. 5, Vasquez in opuscul. de testam. cap. 8, § 5, dub. 3; Diana part. VIII, tract. 4. resolut. 6; Moneta loco cit., cap. 5, n. 322; Sanch. loco cit. dub. 2, n. 3; Tondutus tom. I, cap. 112, n. 6; Felix Potest. tom. I, part. I, n. 2584; Amostaz. loco cit., n. 16 et 19; Rota lib. II, divers. decis. 1123, part. III, et alii plures.

(149. Non potest tamen episcopus tale legatum commutare nequidem in melius, etiam de consensu hæredis aut exsecutoris sine justa et necessaria causa: argum. concil. Trident. citat. sess. 22, de reformat., cap. 6, ibi: « In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonnisi ex justa et necessaria causa fieri debent, » et Clementin. *Quia contingit* 2, de religiosis domib., ubi expresse statuitur « quod ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis apostolicæ auctoritate) converti, » et concordat cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quæst. 2, et c. *Nos quidem* 3, De testamentis cum similibus. Sic Barbosa cit. alleg. 83, n. 2, cum pluribus aliis ibi citatis; Amostaz. loco cit., n. 19; La Croix lib. IV, n. 845, contra varios apud Barbosa loc. cit., n. 2, volentes posse episcopum legatum commutare in æquale, aut in melius, etiam sine justa et necessaria causa.

(150. Patriarchæ, primates et archiepiscopi, ex justa et necessaria causa, possunt similiter commutare legata suorum subditorum, non tamen si fuerint suffraganeorum, cum in subditis suffraganeorum non habeant jurisdictionem, cap. 1, De officio legati, cap. *Duo simul* 9, De offic. ordinarii; nisi causa per appellationem ad eos perveniat. Moneta De commutat. ultim. volunt., cap. 5, n. 286; Amostaz. loc. cit., n. 20. (151. Cardinales in eorum Titulis possunt commutare legata et ultimas voluntates in illis casibus, quibus possunt episcopi respectu suorum subditorum, quia de jure habent in suis titulis jurisdictionem episcopalem: Moneta loc. cit. cap. 5, quæst. 13, conclus. 1, n. 452; Diana part. V, tract. 2, De potest. et privileg. S. R. E. Cardin. resolut. 57; Barbosa citat. allegat. 83, n. 5. in fine et alii passim.

(152. Vicarius capitularis, sede vacante, potest commutare legata in iis casibus, in quibus potest episcopus, quia jurisdictio ordinaria competens episcopo, sede vacante, transfertur in capitulum seu vicarium capitularem ipsum capitulum repræsentantem; c. *Cum olim* 14, de major. et obedient., cap. 1, in eod. titul. in 6. Sic Moneta loc. cit., c. 4, n. 427; Barbosa cit. alleg. 83, n. 16, vers. *Capitulum;* Diana p. IX, tract. 4, resol. 34; Amostaz. loc. cit., n. 25, et alii passim.

(153. Vicarius generalis episcopi, quando ipse episcopus commode haberi valet, non potest commutare legata et ultimas voluntates, quia similes commutationes sunt de gravioribus, et quæ habent gravissimam difficultatem; adeoque nec censentur concessæ, nisi specialiter demandentur. Tum etiam quia commutatio involvit juris dispensationem, et legis derogationem, quæ non committitur, nisi specialiter et expresse. Sic Abbas in cap. Cum dilecti, de election. num. 10; Cappon. tom. II, disceptat. 103, n. 11, adeoque vicarius nequit facere similes commutationes, nisi id ei specialiter et expresse committatur. Barbosa citat. alleg. 83, n. 60, in fine; Cappon. loc. cit. n. 11; Moneta loc. cit., cap. 5, n. 484; Amostaz. loc. citato, n. 21, et alii. (154. Dicitur autem notanter, « quando ipse episcopus commode haberi valet; » nam, si extra diœcesim, et in remotis esset, ubi commode adiri non posset, tunc vicarius generalis ex justa et necessaria causa posset commutare legata, et pias ultimas voluntates, cum in tali casu possit etiam difficiliora expedire, ut concedere Dimissorias ad ordines; cap. *Cum nullus*, de tempore ordin. in 6. Et vicarius archiepiscopi in tali casu suffraganeos censuris compescit; cap. 1, De offic. ordinar. in 6. Sic Moneta loc. cit., c. 5, n. 484; Amostaz. loc. cit., n. 22, et alii.

(155. Visitatores etiam absque speciali mandato nequeunt mutare legata et ultimas pias voluntates propter rationem adductam de vicario generali. Moneta loc. cit., c. 5, n. 486; Amostaz. loc. cit., n. 31, et alii.

(156. Abbates, aliique similes prælati

Digitized by Google

habentes proprium territorium et jurisdictionem quasi episcopalem, possunt ex justa et necessaria causa commutare legata et ultimas voluntates suorum subditorum; habent enim quoad hoc jurisdictionem ordinariam in suo territorio, adeoque, etc. Moneta loc. cit., n. 454; Barbosa cit. alleg. 83, n. 16, et alii.

(157. Justæ causæ talium commutationum quatuor in genere referuntur a Moneta loc. cit. cap. 6, n. 83; Cappon. loc. cit. discept. 103, n. 18, et Amostaz. loc. cit., n. 34, scilicet causa necessitatis, utilitatis, pietatis, incommoditatis aut majoris commoditatis. In specie autem plures referuntur a Barbosa cit. alleg. 83, a n. 7, et in concil. Tridentin. sess. 22 De reformat., cap. 6, a n. 3, et ab aliis. (158. Prima igitur est, si pecunia legata ad usum designatum non sufficiat, tunc enim in alium pium usum ab episcopo converti potest. Barbosa in concil. Trident., loc. cit. n. 3, et dict. allegat. 83, n. 7, cum pluribus ibi citatis. (159. Secunda, si res legata non possit pro usu destinato adimpleri impedimento juris vel facti, quia tunc potest episcopus commutare quæcunque legata pia in alios pios usus. Barbosa in citat. sess. 22, cap. 6, n. 4, et cit. allegat. 83, n. 81, cum pluribus aliis ibi citatis. (160. Tertia, si ecclesia seu monasterium non possit construi ubi designavit testator, quia tunc potest episcopus concedere ut alibi construatur. Barbosa in citata sess. 22, cap. 6, n. 5, et cit. allegat. 83, n. 10, et plures alii ibi citati. (161. Quarta, si legatum sit factum ad unum usum, non ita necessarium, ut si esset factum ad pingendam ecclesiam, quæ minatur ruinam; tunc enim posset episcopus pecuniam ad talem picturam destinatam in alium pium usum magis eidem Ecclesiæ necessarium commutare. Barbosa in citat. sess. 22, cap. 6, n. 6, et cit. allegat. 83. n. 12, cum pluribus aliis ibi citatis. (162. Quinta, si urgeat aliunde necessitas commutandi ultimas defunctorum voluntates, neque adiri possit Summus Pontifex; tunc enim potest episcopus illas commutare. Barbosa in cit. sess. 22, cap. 6, n. 9, et cit. allegat 83. sub n. 16. (163. Moneta loc. cit., cap. 5, n. 348. Sexta, si adsit necessitas gravis sublevandi rempublicam; tunc enim potest episcopus commutare legata in ejus sublevamen. La Croix lib. III, par. II, n. 1150, et communis aliorum. Quinimo volunt multi quod in tali casu ad sublevandam gravem necessitatem reipublicæ possint legata commutare iidemmet executores sine facultate episcopi; quamvis tamen non expediat, sed debeat exspectari declaratio episcopi, an necessitas reipublicæ vere sit gravis, aliter possent intervenire multi errores, abusus et scandala. (164. Septima, si ecclesia indigeat sacris vestibus, aut earum reparatione, tunc poterit episcopus de consensu hæredis pro una vice tantum commutare, seu convertere legatum relictum alicui capellæ, seu ecclesiæ pro missis celebrandis, in paramentorum seu sacrarum vestium emptione vel reparatione. Barbosa cit. allegat. 83, n. 14, cum aliis ibi citatis, Felix Potestas tom. I, p. II, n. 2586; Amostaz. l. c., n. 37, ubi ex Riccio refert ita decisum fuisse.

(165. Legatum tamen magnæ quantitatis missarum una vice celebrandarum commutari seu converti non potest in erectionem capellaniæ perpetuæ. Sacr. Congreg. Concil. in Bononien. Legati Missarum 7 Decembris 1667; 9 Augusti 1698, et 4 Septembris 1702, apud Ursayam in Miscellaneo sacro et profano, p. 1. litt., num. 45. (166. Legata pro celebratione Missarum nunquam patiuntur diminutionem; Sac. Rota Romana, Reddition., rationis, 20 Januar. 1708. § Etenim cor. Cafarell.

(167. Legatum relictum capitulo pro anniversario quotannis celebrando debet applicari mensæ capitulari pro satisfaciendo in perpetuum tali anniversario et nullimode potest dividi inter capitulares. Navarrus lib. III De testamentis, consil. 4, num. 2, cum sequentibus, et alii communiter. Et ratio est quia mens et voluntas disponentis est in primis servanda; l. In conditionib. 19, ff. de conditionibus, et demonstrationib. c. *Cum olim* 38, de præbend., c. *Ultima voluntas*, q. 4, caus. 13, quæst. 2, cum similibus. Mens autem et voluntas dicti legantis est ut capitulum obligetur ad faciendum perpetuo singulis annis in suffragium suæ animæ unum anniversarium, quod non posset fieri, si legatum ad id relictum divideretur inter præsentes capitulares, cum successores capitulares, in quibus conservabitur capitulum, non essent habituri commodum, propter quod tenentur ad onus illius perpetui anniversarii; « Qui enim sentit onus, sentire debet commodum, et econtra; » textu expresso in cap. *Qui sentit* 55. De Regul. jur., in 6, et l. Secundum naturam 10, ff. eod.; adeoque tale legatum non potest dividi inter præsentes capitulares, sed converti debet in bonis fructiferis, quæ reddant commodum futuris successoribus capitularibus sensuris onus dicti perpetui anniversarii.

(168. Item legatum relictum capitulo, etiam sine expresso onere, censendum est relictum mensæ capitulari, et non canonicis uti singulis, nisi aliud ex conjecturis de mente testatoris colligatur. Et ratio est quia mens testatoris, quæ ex adductis juribus numero antecedenti semper est servanda, videtur in tali casu dirigi in capitulum prout est communitas quæ semper remanet eadem communitas capitularis, sive contempletur ut constituta ex capitularibus præsentibus, sive ex successoribus et futuris; adeoque tenendum est tale legatum esse relictum capitulo canonicorum, ut collegio, et non canonicis uti singulis, sicque non posse dividi inter præsentes capitulares, sed totum debere applicari mensæ capitulari ad commodum etiam futurorum capitularium. Sic colligitur ex l. Pater filium 38, § 6, ff de Legatis 3, et tenent, ac a fortiori tenere debent Covarr. in c. *Requisisti* 25, n. ult. de testamentis; Genuens. in prax. Neapolit., c. 72. n. 7; Gratian. discept. t. III, c. 533, n. 16;

Digitized by Google

Thoro in summa privileg. 176, ad med.; Cevallos Commun. q. 278. ad m.; Amostaz. lib. IV De causis piis in specie, c. 1, n. 70 et 71, et omnes alii citandi in numero sequenti.

(169. Item legatum relictum canonicis indefinite censendum est esse relictum capitulo seu collegio canonicorum, et non canonicis uti singulis, adeo ut debeat applicari mensæ capitulari ad commodum etiam futurorum canonicorum, et non possit dividi inter præsentes canonicos, nisi ex conjecturis aliud de mente testatoris colligi possit. Sic ex l. Pater Filium 38, § 6, ff. De legatis 3, et l. Civibus 2, ff. De rebus dubiis, tenent ultra cit. doctores n. antecedenti, etiam Card. in cap. *Requisisti* 15, De testam. ibique Imola n. 30; Didac. sub n. 10; Mantica De conject. ultim. volunt, lib. VIII, tit. 6, n. 22 et 24, in fin.; Riga in cap. *Cum M. Ferrariensis*, num. 11, De Constit.; Menoch. De præsumpt. l. IV, præsumpt. 21, n. 6; Cassan. cons. 44, n. 29; Valenzuola cons. 190, n. 39; Vasquez in opuscul. de Testament. cap. 8, § 5, dub. 2, n. 100; Panimol. par. II, dec. 98, n. 8 et 9; Ventriglia tom. II, De legatis piis, annotat. 28, § 1, n. 43; Barbosa De canonicis, cap. 42, n. 26, vers. *Cum sit mentio*, et alii plures. Et ratio est quia verbum *canonicis* indefinite prolatum capitulum et collegium eorum designat; cap. *Cum omnes* 6, et cap. *Cum accessissent* 8, De constit. Atque ita cum tale legatum sit relictum canonicis, censendum est potius a testatore sub nomine collectivo contemplatum collegium seu capitulum, quam canonici uti singuli; nisi, ut dictum fuit, aliud ex conjecturis de mente testatoris colligatur ut, si adessent conjecturæ demonstrantes quod canonici a testatore fuerint contemplati uti singuli, puta si canonici fuerint benemeriti illius, quia ipsum testatorem a gravi malo seu periculo liberaverint, aut aliter speciales ejus benefactores, seu amici, aut ejus consanguinei exstiterint; l. Nec adjecit 9, ff. pro socio; vel quod legatum non possit convenire ipsi collegio, sed singulis; quo quidem casu uti singulis relictum fuisse legatum esset censendum, ut recte docent cardin. Mantica De conject. ultim. volunt., lib. VIII, tit. 6, n. 24; Genuens. in praxiquæst. 39, n. 32, in fin.; Gratian. cit. cap. 533, n. 19; Amostaz. loc. cit., n. 71; Ventriglia loc. cit. n. 43; Barbosa loc. cit., n. 26, et alii supracitati dicentes doctores volentes dictum legatum censendum esse relictum canonicis uti singulis intelligendos esse in solo casu, quo interveniant dictæ aut similes conjecturæ demonstrantes talem fuisse mentem testatoris: secus autem si nulla adsit talis conjectura, quia tunc censetur relictum collegio seu capitulo, et non canonicis uti singulis, cum rationabiliter credendum sit in favorem suæ animæ potius voluisse suam perpetuare memoriam apud omnes futuros canonicos seu capitulares qui, fruentes in perpetuum redditus sui legati, perpetuo memores beneficii, perpetuo pro benefactore preces effunderent, quam in ictu oculi ipsam suam memoriam exstinguere in solis tempore sui testamenti, et decessus existentibus canonicis, sine ulla spe futuri suffragii. Unde cum in ambiguis inspicienda sit causa legati; l. Uxori suæ 33, in princip. De legat. 3, merito propter dictam causam censendum est fuisse relictum tale legatum collegio capitulari et mensæ capituli, non autem singulis de capitulo, ut teste Ventriglia l. c. n. 43, omnes advertunt supra allegati doctores.

(170. Qui ibidem n. 45 subjungit advertendum esse quod, si fuerit relictum canonicis legatum magnæ et notabilis quantitat's pecuniæ pro missis celebrandis, non possunt canonici post mortem testatoris dividere inter se pecuniam, et celebrare missas juxta eleemosynas solitas secundum morem provinciæ dari pro celebratione missarum, sed tenentur magnam illam pecuniæ quantitatem convertere in annuos redditus, et in perpetuum celebrare missas juxta annuos redditus; quia talem præsumitur fuisse mentem testatoris, qui sic voluerit consulere suæ perpetuæ memoriæ et perpetuis suffragiis pro se et suis. Et sic revera esse censendum, nisi aliud ex conjecturis colligatur, vel nisi pecunia legata fuerit modica, tenent etiam Genuens. in Praxi, cap. 71, num. ultim. in annot. et Pract. eccles., quæst. 51, n. 3; Maranta par. I Controv., resp. 29, per tot. et alii.

(171. Legatum relictum ecclesiæ debetur totum illi; nec episcopus, nec rector illius potest aliquid prætendere; nec si sit relictum ecclesiæ cathedrali, vel collegiatæ, possunt canonici aliquid de illo accipere; cap. *Requisisti* 15, De Testam. Authent. seu Novel. 129, De ecclesiast. titulis, tit. 14, cap. 13. Et ratio clara est quia in tali casu legatum esse consetur solum contemplatione ecclesiæ, et non contemplatione episcopi, rectoris, seu canonicorum, adeoque non istis, sed soli ecclesiæ debetur, ut multis decisionibus probat Rub. pract., q. 70, a n. 1, et sequitur Amostaz. l. c., n. 58, et alii passim.

(172. Si legatum relictum sit episcopo, seu rectori alicujus ecclesiæ, ad cognoscendum cui debeatur, attendendæ sunt conjecturæ. Vel enim legatum relictum est ab extraneo, nulla præcedente amicitia, seu benemerentia episcopi, aut rectoris; et tunc legatum non debetur episcopo, nec rectori, sed ecclesiæ, cum intuitu ipsius censeatur relictum a testatore in favorem suæ animæ, utpote sic magis favorabile; et licet sit relictum episcopo, seu rectori ecclesiæ cum expressione proprii nominis episcopi, seu rectoris, intelligitur tanquam administratoribus illius, non vero ut talibus personis; vel legatum relictum est a consanguineo, propinquo, amico, familiari beneficiato, et hujusmodi, et tunc legatum debetur non ecclesiæ, sed episcopo, seu rectori; cum censeatur relictum solum intuitu personæ, non obstante quod expressum sit nomen dignitatis. Id tamen totum intelligendum est in utroque casu, « Nisi ex qualitate rei legatæ aliud colligatur. » Nam licet legatum relictum episcopo,

Digitized by Google

seu rectori a consanguineo censeatur relictum intuitu personæ, et consequenter debeatur episcopo, seu rectori, et non ecclesiæ; tamen si qualitas rei legatæ aliud demonstret, puta si legatæ sint vestes ecclesiasticæ, calix, patena, lampas, et hujusmodi, tunc legatum debetur ecclesiæ; quia, cum qualitas rei legatæ potius conveniat ecclesiæ quam personæ, sic legatum censetur potius relictum ecclesiæ quam personæ. Similiter e contra quamvis legatum relictum ab extraneo censeatur relictum intuitu ecclesiæ, et consequenter ipsi ecclesiæ debeatur, et non episcopo, nec rectori; tamen hoc non habet locum, quando ex qualitate rei legatæ aliud colligi potest; ut quando testator legavit episcopo, seu rectori, falconem, canem, et hujusmodi c. *Requisistis* 15. De testamen.; et ibi doctores passim, Mantica, De conject. ult. volunt., lib. VI, tit. 12, n. 4; Surd. De alimentis, lib. I, cap. 1, et tit. 5, q. 6, n. 9; Menoch. lib. IV, præsumpt 122; Socin. sen. in l. Civilibus 2, De rebus dub.; Ruin., consil. 202, n. 13. tom. II; Amostaz. loc. cit., n. 61; Panimoll. part. II. dec. 98, n. 21 et 22; Ventriglia loc. cit., n. 42, et alii fere communiter.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(173. Frequenter in foro de eo disputari solet utrum legatum demonstrative, an taxative relictum sit, idque ob diversos juris effectus; nam legato demonstrative relicto, deteriorata, vel perempta re legata supplere tenetur hæres, non item eodem legato relicto taxative.

(174. Regula qua doctores in hac quæstione uti solent hæc est, ut scilicet legatum intelligatur demonstrative, quoties dispositio incipit ab onere operis per testatorem demandati, subindeque progreditur ad expressionem rei, sive pecuniæ in eam causam erogandæ. (175. Maxime si opus demandatum et expressio bonorum non stent sub unico verborum contextu, sed in diversa separataque oratione legantur. (176. Quinimo creditur satis esse rem quoquo modo esse dubiam: ut legatum maxime pium non taxative, sed demonstrative relictum censeatur. Vide auctores relatos a clar. mem. cardinal. Lanfred. in Respond. Eccl., 42, n. 2, et plur. seq.

(177. Rectius vero mox laudatus Auctor, Præmissæ regulæ (ait) tum de inchoatione dispositionis ab onere, tum de diversitate orationis non sunt, nisi quæ jam argumenta ex communiter accedentibus deprompta in linea conjecturali, scilicet quia, dum testator primo loco, ac per orationem absolutam expressit præceptum operis perficiendi, de omnimodo illius adimplemento principaliter sollicitus fuisse videtur, et opportunioribus mediis illius finis consecutionem exoptasse, nec propterea illud subordinare voluisse reputatur incerto eventui peremptionis, vel insufficientiæ particularium illorum bonorum expresse designatorum. (178. Quamobrem non est præclusus aditus tutiori investigationi diversæ voluntatis defuncti, quæ, si ex aliis argumentis et conjecturis appareat, ut non aliunde quam ex talibus bonis specialiter designatis legatum adimpleatur, utique hæc defuncti voluntas sequenda est, spreto rigore litteræ, neglectoque ordine scripturæ fortasse extensæ ab inconsulto jurisque imperito notario, etc. (179. Parvi enim refert quis voluntatem disponentis sermo excepcrit, aut quæ prius quæve posterius verba calamus scribentis effuderit, ubi ex non dubiis argumentis conjicitur vera animi sententia, quam sequi necesse est, etiam recedendo a proprietate verborum, et supplendo scripturæ defectum.

(180. Neque admittit ipsum legatum pium in dubio censeri relictum demonstrative.

(181. Plura autem idem doctor cumulat argumenta, ex quibus non obstante inchoatione dispositionis ab onere, tum diversitate orationis, legatum non demonstrative, sed taxative relictum censetur. (182. Præcipuum autem est si non quantitas pecuniæ in genere, sed certa species sit legata.

(183. Vide, et de hac quæstione, et quidem in utramque partem Rotam in Romana Fundationis Monasterii 21 Junii 1717, coram bon. mem. Cerro, in Romana supplementi, et applicationis 11 Junii 1731, cor. cl. mem. Aldovrando, et in Novarien. Capellaniæ 2 Jul. 1736, et 6 Maii 1737, coram bon. mem. De Vais, sed potissimum vide doctissimum Averanium Interpretation. jur. lib. II, cap. 27, per tot., ubi materiam pro dignitate tractat, conciliatque textus omnes, qui inter se contrarii videntur.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Legatum ex § 1. Inst. de legat. est donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda. « Verba hæc postrema *ab hærede præstanda* Theophilus non habet, et tanquam insitilia Cujacius, aliique traducunt. Enimvero ad legati definitionem non sunt necessaria, quippe in qua quæritur, quid sit legatum, non a quo sit præstandum, id quod sane non nisi ad exsecutionem spectat. Verum cum ejusmodi verba exstent in vulgatis codicibus, expungenda non videntur, præsertim cum nihil jurisprudentiæ novæ ex Justiniano adversum contineant, ex cujus regulis, legatorum possessio ab hærede præstanda venit. »

(2. Jam vero legare eos omnes posse, quibus testamenti condendi facultas est, ex manifestissimis juris principiis sat compertum habemus.

(3. Præstat nunc de capacitate recipiendi legata aliqua persequi. Ac primum iis rite legata relinqui, qui et hæredes scribi possunt, ex iisdem juris principiis exploratum habe; si et illud excipias, nempe quoties de legato ex causa alimentorum agitur, illud namque etiam personæ incapaci fieri posse, nimirum morte civili affecto, eadem Romanæ leges permiserunt in hæc verba: « Si in metallum damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est, nec ad Fiscum pertinet. » L. III, ff. De his quæ pro non script.

(4. Quoad vero incertas personas attinet, ex veteris jurisprudentiæ regulis, nec le-

Digitized by Google

gata, nec fidei commissa eis relinqui fas erat. Personæ nimirum incertæ erant, quas incerta opinione testator animo suo subjiciebat, veluti si dixisset: « Quicunque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei hæres meus illum fundum dato : » ex § 25, Inst. h. tit. Quippe cum beneficia certo consilio tribuantur, in ignotos recte conferri non videbantur. Et quod nasciturі homines incerti censerentur, posthumis alienis, qui nati inter suos hæredes testatori futuri non erant, etiam inutiliter legabatur; § 27, Inst. eod. Ex certis vero personis recte legabatur personæ incertæ, veluti, « ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei hæres meus illam rem dato; » cit. § 25.

(5. Sed Justinianus, edita constitutione, quæ desideratur (119), id statuisse videtur, ut alieno posthumo, et personis incertis utiliter legata relinquerentur, si qua ratione vel ex præsenti vel futuro eventu certæ fierent : § 27, Inst. eod.

(6. Hoc pacto « si pauperes quidem (testator) scripserit hæredes, et non inveniatur certum ptochotrophium vel certæ ecclesiæ pauperes, de quibus testator cogitaverit, sed sub incerto vocabulo *pauperes* fuerint hæredes instituti, simili modo, et hujusmodi institutionem valere decernimus. » Textus est in l. XLIX, § 1. Cod. de Episc. et cleric., etc.

(7. Civitatibus quoque, collegiis, vicis et communitati quæcunque ecclesiasticæ, vel laicali, cum tanquam totidem personæ moraliter considerentur, legata relinqui posse ex eodem jure Justinianeo satis compertum est : l. XX. ff. De reb. dub.

(8. Ipsi porro hæredi si solus institutus sit, inutiliter legatur, tum quia ex hæreditatis aditione jam dominus rerum omnium hæreditariarum effectus est, et quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest; tum quia regula est juris « neminem a seipso capere posse, » neminem sibi ipsi debitorem et creditorem, neminem contra se ipsum actorem et reum posse intelligi. « Hinc, cum hæredi ex asse, et Titio legatum esset, ad Titium totum legatum ex jure accrescendi pertinere, quia hæredi inutiliter relictum erat, » responsum est *in* l. 118. Apud Voet, ad tit. unic. de legat., n. 4.

(9. Quod si duo vel plures hæredes instituti fuerint, recte uni ex illis prælegatur; in prælegato enim quid præcipuam præ aliis hæredibus uni hæredi legatur, atque ideo hæres a seipso capere non videtur.

(10. Quantum vero ad ea quæ legari possunt, exploratum est ex juris principiis res omnes tam corporales quam incorporales modo utilitatem aliquam legatario afferant, et in commercio sint, legatorum materiam constituere secundum illud Digestorum; « Corpora legari omnia, et jura, et servitutes possunt » : l. 41 ff. De legat.

(11. « Sed si talis sit res cujus commercium non est, vel adipisci non potest, nec æstimatio ejus debetur : veluti si campum Martium, vel basilicas, vel templa, vel quæ publico usui destinata sunt legaverit : nam nullius momenti tale legatum est. » Verba sunt Textus in Inst. § 4, De legat.

(12. De jure Romano non tantum res testatoris, verum etiam aliena legari poterat, id quod ex jure hodierno apud nos nullatenus obtinet.

(13. Res vero legatarii propria, si ei pure legetur, inutile est legatum, quia quod proprium alicujus est, amplius ejus fieri non potest : § 10, Inst. h. tit.

(14. Quod si quis rem suam legaverit tanquam legatarii propriam, valet legatum non obstante errore, quia voluntas defuncti exitum potest habere, § 11. Inst. eod. Huic quippe legato recte convenit ratio « plus valet quod in veritate est quam quod in opinione. »

(15. Item, ad Romani juris normam, si res testatoris, sed alteri pignori obligata alicui legetur, valet legatum, et si testator rem esse alteri obligatam ignoraret. Hæredis autem est rem legatam luere, id est a vinculo pignoris liberare, et legatario tradere, si eam obligatam testator sciret : contra luet legatarius, si testator eam obligatam esse ignoraret, itemque si testator expresserit, ut legatarius lueret : § 5, Inst. h. tit. l. LVII, ff. De legat., 1. Id quod jure hodierno apud nos variationem suscepit.

(16. Quod si testator, qui rem suam legaverat, postea eam alienasset, nihilominus legatum ex jure Justinianeo debetur, nisi alienatio animo adimendi legati facta fuisset, quod divi Severus et Antoninus rescripserunt; § 12, Inst. h. tit. Videtur testator adimendi legatum animum habuisse, si ex mera voluntate alienavit, l. XVIII, ff. De adimendi legatis; secus, si necessitate urgente, puta ut se ære alieno liberaret, l. XI, § 12, ff. De legat, 3. Quod ex jure hodierno non æque apud nos obtinet. Contra si testator rem legatam pignori dederit, non videtur ademisse legatum, cit. § 12, Inst. Et si testator partem rei legatæ alienaverit, pars non alienata omnino debetur : quæ vero alienata esset, ex Romanæ jurisprudentiæ regulis, ita debebatur, si animo non adimendi legati fuisset alienata, cit. § 12, l. LXXVI, ff. de rei vindicatione.

(17. Res quoque, quæ in rerum natura non existit, sed futura speratur, utiliter legatur, veluti fructus ex hoc vel illo fundo nascituri, et partus qui ex illa ancilla nascetur, § 7, Inst. h. tit. Hujusmodi vero legatum tacitam conditionem habet, si fructus aut partus nascatur, l. I. § ult. ff. De condit. et demonstr. Proinde si nihil in fundo nascatur, aut minus quam legatum est, nihil debetur non ultra id quod natum est, l. VIII, § 2, ff. De legat. 2, l. V, ff. De tritico, vino,

(119) Hæc Justiniani constitutio codici secundæ prælectionis inserta est; ejus enim Photius, Balsamon ac Theophili scholiastes, qui nostro codice usi sunt, meminere. Quare interciderit sufficiens ratio nos latet.

Digitized by Google

vel oleo legato, ibi : « Cum certus numerus amphorarum vini legatus esset ex eo, quod in fundo Sempronianо natum esset : non amplius deberi placuit : et quasi taxationis vicem obtinere hæc verba, *Quod natum erit.* » Quod si res legetur, quæ nec existit, nec unquam potest existere, inutile erit legatum.

(18. Quia vero non minus res corporales quam incorporales, quæ sunt in commercio, legatorum materiam constituunt, § 21, Inst. h. tit. recte testator legat quod sibi debetur. Id, si ipsi debitori relinquatur, *legatum liberationis* proprie dicitur, ff. De liberatione legata : si tertio, *legatum nominis*, l. XLIV, § 6, ff. De legat. 1. Porro in legato liberationis jus testatoris, et actio debitori remittitur. Quoad vero legatum nominis, si testator debitam sibi pecuniam exegerit, aut debitorem alio modo liberaverit, hujusmodi legatum exstinguitur, l. LXXV, § 2, ff. eod.

(19. Vice versa debitor creditori suo recte legat, quod ipse debet, modo plus sit in legato, quam in debito, alioquin erit inutile, § 14, Inst. h. tit. Ut enim legatum consistat, necesse est in eo aliquid utilitatis contineri, l. XXIX, ff. De legat. 1, l, 1, § 10, ff. ad l. Falcid. Plus est in legato quam in debito, si legatum debito ipso pinguius et utilius sit; veluti si pure legatur, quod in diem aut sub conditione debetur, pinguius est legatum propter *repræsentationem*, id est præmatu am et præsentem solutionem : aut si quocunque alio modo fiat, ut creditoris intersit, potius ex testamento agere quam ex pristina obligatione.

(20. Sic porro maritus utiliter uxori dotem legat, quod proprie *prælegatum* dicitur, quasi ita legatum, ut accipiatur ante diem, l. LXXXVIII, § 7, ff. De legat. 2. Nimirum plenius est legatum, quam de dote actio § 15, Inst. h. tit. Sane in dotis legato, dos statim ab adita hæreditate debetur tota; actione vero de dote intra annum redditur.

(21. Quinimo etsi maritus dotem nullam accepisset, si tamen certam quantitatem designasset veluti, « centum nummos quos ab uxore accepi ei do lego, » ejusmodi quantitas eidem debetur, etsi nulla dos reapse extitisset, ex eo quod falsa demonstratio non vitiat legatum, § 30 Instit, h. tit.

(22. Si vero, nulla accepta dote, maritus sic prælegasset, nempe « dotem quam ab uxore accepi, ei do lego, » ejusmodi prælegatum absque quantitatis designatione inutile est; quippe cum uxor nullam dotem dederit, nihil proinde ei debetur.

(23. Legari vero potest non solum species, sed etiam genus § 22, Inst. h. tit. Species jurisconsultis est res singularis, hoc est individua, veluti fundus Tusculanus, Stichus, etc. Genus vero plures sub se species continet, veluti homo, equus, prædium. Valet legatum generis, modo genus ab ipsa natura terminos habeat, veluti si legetur bos, servus : idque etiamsi neque boves, neque servi in hæreditate relicti sint, § 22, inst. eod. Contra inutile et derisorium est, si genus ab hominum arbitrio pendeat, veluti si testator fundum aut domum legaverit, et in hæreditate nullus fundus, nulla domus reperiatur, l. LXXI, ff. De legat. 1. Nimirum bove, aut homine legato, intelligitur quid testator reliquerit, proindeque valet legatum, etiamsi testator in hæreditate boves, et servos non reliquerit : contra fundo, domo legatis, non intelligitur quid testator reliquerit : quippe fundi nomine, vel minima pars fundi, significatur : et quævis pars domus pro domini destinatione domus recte appellatur l. LX, ff. De verb. significat. l. XXIV, § 3, eod de legat. 1. Atque ita re non definiti generis legata, inutile erit legatum, intellige, si nihil tale in hæreditate reperiatur; secus, si extiterit. Sed ubi valet legatum generis, electio legatarii est, nisi testator aliud expresserit, cit. § 22. Quisquis vero eligit modum servare debet, ita scilicet, ut nec optimum, nec pessimum capiat : l. XXXVII, ff. De legat. 1.

24. Legari quoque potest optio, id est electio ex pluribus rebus, veluti si testator ex servis suis, vel aliis rebus optare, id est eligere legatarium jubeat ; §. 23, inst. h. tit. Optionis legatum jure veteri erat conditionale, ineratque ipsi legato conditio, « si legatarius optaret, » eoque non optante, ad hæredes optio non devolvebatur. Contra, ex jure Justinianeo, etsi vivus legatarius non optaverit, hujusmodi jus atque facultas ad hæredes transit. Porro optione legata ipse legatarius etiam optimum seliget l. IX, ff. De dol. mal., arbitrio namque legatarii testator permisit, ut quam vellet ex pluribus rebus unam eligeret. Sed si plures fuerint legatarii, quibus optio relicta sit, aut unius legatarii plures hæredes, qui in corpore eligendo dissentiant, ab Justiniano § 23, inst. h. t. et l. ult. Cod. Communia de legat. introductum est, sorte eligendum, qui optare debeat.

(25. Porro si eadem res pluribus legata fuerit, et omnes legatum agnoverint, legatum inter eos dividitur, § 8, inst. eod. et ut ait Celsus, « partes concursu fiunt: » l. LXXX, ff. de legat. 3. At si unus collegatariorum deficiat, locus est juri accrescendi : quod etiam ex jure Romano uno ex hæredibus deficiente obtinet. Jus accrescendi est, quo pars hæreditatis, aut rei pluribus legatæ, cohærede, vel collegatario deficiente, conjuncto acquiritur.

(26. Hæreditates quoad spectat, valet hæc ratio accrescendi secundum Romanas leges ex juris necessitate; quippe ex illarum norma nemini partim testato, partim intestato decedere fas erat : insuperque nemo pro parte acceptare, pro parte repudiare hæreditatem poterat, quod præcipue in hæreditatibus ab intestato obtinebat; adeoque uno ex hæredibus deficiente, portio alteri de necessitate accrescebat : id quod jure hodierno apud nos in hæreditatibus ab intestato locum habet.

(27. In legatis vero, juxta earum legum placitum, ex voluntate testatoris jus accrescendi obtinebat. Atque hinc inter collegatarios ejusdem rei a testatore prohiberi ac-

Digitized by Google

cretio potest, ita ut, collegatario deficiente, ejus pars penes hæredem maneat.

(28. Quo vero inter collegatarios jus accrescendi locum habeat, oportet ut ad eamdem rem sint vocati, hoc est sint conjuncti, juxta proprium in jure vocabulum, l. I, ff. De usufructu accrescendo, et amplius ut unus ex iis deficiat. Deficere, quantum ad præsens, censetur collegatarius, si vel spreverit legatum, vel vivo testatore decesserit, vel incapax, aut indignus factus sit, vel si conditio sub qua legatum relictum sit, defecerit.

(29. Conjuncti autem generaliter dicuntur, qui ad eamdem rem legatam vocantur, sive uno sermone, sive diversis: suntque triplicis generis, videlicet, aut conjuncti *re*, aut *re et verbis*, aut *verbis tantum*; l. CXLII, ff. De verbor. significat., ibi: « Triplici modo conjunctio intelligitur. Aut enim *re* per se conjunctio contingit: aut *re et verbis*, aut *verbis* tantum. » Re conjuncti dicuntur, qui ad eamdem rem diversis orationibus vocantur, veluti, « Titio fundum lego, Sejo eumdem fundum lego. » Re et verbis conjuncti sunt, quibus una oratione eadem res legatur, veluti « Titio, et Sejo ædes meas lego. » Verbis tantum conjuncti sunt, quibus una oratione eadem res legatur, sed æquis partibus pro indiviso, veluti, « Titio, et Sejo fundum Tusculanum æquis partibus lego. »

(30. « Jus accrescendi, uno ex collegatariis deficiente, inter conjunctis obtinet, qua demum cumque ratione conjuncti sint: in quavis porro conjunctione res integra singulis legari videtur. Sed non pari ratione in omnibus conjunctis id procedit: etenim *re* tantum conjuncti, etiam inviti, et sine onere, deficientis partem acquirunt; conjuncti vero re et verbis, aut verbis tantum adquirunt volentes, et cum onere. Eninvero re conjunctus, ex sua ipsius persona solidum videtur habere; et ita, si alter deficiat, suum magis non deminutum retinet, quam alienum consequitur: ac proinde integrum ipso jure retinet sine onere, quod deficienti collegatario imminebat. Contra conjuncti re, et verbis, aut verbis tantum, magis ex persona deficientis videtur portio deferri: atque ita tales conjuncti possunt eam non admittere, quia et deficiens potuit repudiare, et si velint portionem deficientis accipere, etiam onus adjunctum subire debent. »

« (31. Quod si plures sint conjuncti eadem specie conjunctionis, pars deficiens omnibus ex æquo accrescit: contra vero si plures partim conjunctim, partim disjunctim vocati fuerint, conjuncti in parte conjuncti deficientis cæteris præferuntur, quasi inter se conjunctiores: omnes vero concurrunt, si disjuncti pars deficiat, sic tamen, ut conjuncti re et verbis, aut verbis tantum unius personæ vice fungantur: verbi gratia, Testator scripsit: « primo fundum Tusculanorum do, lego: Secundo eumdem fundum do, lego: Tertio et quarto eumdem fundum do, lego: Quinto et Sexto eumdem æquis partibus do, lego. » Deficit primus, portio ejus accrescit omnibus, etiam invitis, ita tamen ut trientem secundus, alterum trientem tertius, et quartus, tertium quintus, et sextus, et quidem omnes sine onere accipiant. Contra deficit tertius, portio ejus quarto volenti, et cum onere accrescit; et si deficiat quintus, portio illius itidem sexto volenti, et cum onere accrescit (120). »

(32. Id porro notandum, quod simul ac collegatarii inter se conjuncti jus ad rem legatam nacti sunt, uno eorum postmodum decedente, ejus pars nullatenus ad collegatarios, sed ad hæredes defuncti transmittitur. (33. Illud amplius obtinebat ex jure Romano inter collegatarios in usufructu: quippe, uno moriente, pars superstitibus accrescebat; et non nisi ultimo deficiente, hujusmodi usufructus ad hæredem proprietarium devolvebatur; id quod jure novo apud nos minime est confirmatum: adeoque, ut singuli collegatarii usufructus decedunt; pars singula non ad viventes collegatarios, sed ad proprietarium devolvitur.

(34. Jam vero potest in legato *error* intervenire; potest *demonstratio, causa, conditio, aut modus addi*, ut per auctorem traditum est.

Errorem quoad spectat, si erratum sit in prænomine (121), nomine, cognomine, adgnomine legatarii, cum de persona constet, valet legatum; quod idem in hæredis institutione jus est; § 29, inst. h. t. ibi: « Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, (agnomine) legatarii testator erraverit, cum de persona constet, nihilominus valet legatum. Idemque in hæredibus servatur: et recte. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt; qui, si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. » Simili modo in l. XVII, § 1. ff. De condit. et demonstrat. habetur, nempe: « Si in persona legatarii designanda aliquid erratum fuerit, constat autem cui (testator) legare voluerit: perinde valet legatum, ac si nullus error intervenerit. »

(35. Sic quoque valet legatum, etsi in nomine proprio rerum legatarum testator erraverit, dum fundum Cornelianum pro Semproniano appellavit, si modo de fundo constet, ut ex Textu expresso in l. IV, De legat. 1, nempe: « Si quis in fundi vocabulo erraverit, et Cornelianum pro Semproniano nominavit, debebitur Sempronianus. » Sed

(120) Hodierno jure apud nos jus accrescendi quoad legata, non nisi in conjunctis *re et verbis*, aut *re* tantum, si de re indivisibili agatur, obtinet.

(121) Romani ferme tribus nom. in personis designandis utebantur, veluti, *P. Cornel. Scipio*. Ex his primum dicebatur prænomen, et denotabat singulas ejusque familiæ personas, hoc est nomen proprium personæ, uti nos dicimus, *Petrus*, *Antonius*, etc. Prænomen idem erat ac cognomen famil., ut *Columna*, *Caracciolo*, etc. Cognomen familiam ab altera ejusdem gentis distinguebat. — Agnomen tandem ab eventu ducebatur, ut P. Cornelius Scipio *Africanus*, qui a devicta Africa *Africani* agnomen promeruit.

Digitized by Google

si testator in nominibus rerum appellativis erraverit, veluti si cum vellet *vestem* legare, *supellectilem* scripserit, putans, vestem appellatione supellectilis contineri, placuit neutrum peti posse; vestem enim testator non dixit, et supellectilem non intellexit : l. IV, ff. De legat. 1.

(36. Ulterius relinqui potest legatum, vel pure, vel sub conditione. Conditio est adjectio, quæ actum ab incerto ac futuro eventu suspendit : eaque alia possibilis, alia impossibilis dicitur. Possibilis triplex est *potestativa, causalis* et *mista*. Conditio potestativa est illa, quæ a voluntate ejus pendet, cui imposita est ; veluti, « si Capitolium ascenderis : » Casualis, quæ a casu, et fortuna pendet ; nempe « si navis ex Asia venerit : » mista demum conditio quæ partim a voluntate ejus cui imponitur, partim a casu pendet. Conditio impossibilis eventum continet nulla ratione extiturum, eaque, vel natura talis est, veluti « si flumen Titius ebiberit, si cœlum digito tetigerit : » vel lege, quæ fieri vetat, quod in conditione continetur, e. g. « si Mævium occideris : » vel bonis moribus, quibus conditio repugnat, veluti, « si nudus in foro saltaveris. »

(37. Conditiones impossibiles pro non scriptis habentur, adeoque nihil obstat pro hæreditatum, vel legatorum assecutione, ac si pure, et absque conditione relicta sint.

(38. Quod si conditiones possibiles adjectæ fuerint, legata in pendenti sunt, atque tunc vires capiunt, cum illæ implementum habuerint. Et si conditio defecerit, legata quoque sub tali conditione facta corruunt. (39. Quod vero conditionem potestativam observandum, (hanc) « deficere posse, vel *facto ipsius testatoris*, vel *facto ipsius legatarii*, vel *facto tertii* cujus intererat eam non impleri, vel *facto tertii* in cujus persona implenda erat, vel *facto tertii*, cujus nihil interest impleatur, nec ne, vel denique *casu*. (40. Si facto ipsius testatoris implementum non sequatur, defecisse conditio intelligitur, nec relicta peti possunt ; veluti si testator leget Titio sub conditione, « si is solvat Mævio, quod testator legans Mævio debet, » et testator postea vivus ipse debitum exsolvat l. LXXII, § pen. ff. de condit. et demonstrat. (41. Sed et si ipsius legatarii facto non impleatur conditio, dum implere valens, implere non vult, etiam tunc pro defecta habetur conditio, nec debetur quod relictum est l. III, Cod. de condit. insertis, l. XXXI, ff. de condit. et demonstrat. (42. At si implementum conditionis impediverit tertius, cujus intererat eam haud impleri, cum legatarius implere vellet, perinde habetur ac si impleta esset, et relicta præstanda sunt ; l. LXXXI, ff. De condit. et demonstrat. (43. Idemque est, si impeditum sit implementum facto tertii, in cujus persona conditio implenda erat, veluti « si decem Caiæ det, si Caiam in uxorem ducat, » et illa decem acceptare nolit, vel in nuptias consentire ; l. XI, ff. eod. vel turpe, et luxuriosum, ac impudicum vivendi genus eligendo sese nuptiis honesti viri indignam effecerit ; arg. l. LXIII, ff. cit. tit. De condit. et demonstrat. (44. Quod si facto tertii cujus non intererat, utrum conditio existat, nec ne, impeditum fecerit implementum ejus, veluti cum Titio legatur, « si is Stichum servum suum manumiserit : » et Stichus a tertio occidatur, conditio pro defecta habetur, nec quidquam juris ad legatarium in re legata devolvitur, si mortuo demum testatore cædes facta sit, l. XXIII, § 2, ff. ad legem Aquiliam. Sed si vivo testatore servus manumittendus occisus sit, conditio magis pro impleta habetur, si modo testator adhuc superstes sciverit, facto tertii rem ad eum casum deductam esse, ut existere amplius non possit, quia testator sciens eam conditionem a legatario per talem casum supervenientem impleri non posse, facile suam potuisset mutare voluntatem, si noluisset relicta præstari, ac id non agens, credendus est in eadem liberalitatis voluntate perstitisse. »

(45. « Si casu fortuito superveniente non sequatur id quod conditione potestativa comprehensum est, veluti mortalitate personæ, circa quam implementum conditionis faciendum erat, dum quis legato honoratus est, « si Stichum servum suum manumiserit, » eodem modo, uti in casu superiori, videndum, utrum vivo, an mortuo testatore casus talis extiterit. Nam si vivo, et sciente testatore mortuus sit Stichus manumittendus, conditio pro impleta habetur, aut certe pro non defecta, et ob id relicta debentur, quasi per honoratum non steterit quominus impleatur ; l. VIII, ff. De condit. et demonstrat. Quod si testator ignoraverit, magis est, ut relicta non debeantur, dum incertum est, an testator si scivisset, conditionem per casum supervenientem impleri non posse, voluntatem suam non fuisset mutaturus.

Si vero post mortem demum testatoris casus fortuitus mortalitatis extiterit, quo impeditum fuerit potestativæ conditionis implementum, ipsa quoque conditio defecta censetur, nec relicta peti possunt. »

(46. « Quod si fundus Titio legatus esset, « si centum Symphoro, et Januario » præstiterit ; et Symphoro ante centum dationem, mortuo, quæreretur, an periiset legatum ob conditionis defectum, benigna interpretatione responsum a Pomponio fuit, legatarium partem dimidiam Januario dantem, partem fundi consecuturum esse, « si non post moram Titii Symphorus decesserit, » l. pen. § 1, ff. De condit. et demonstrat. »

(47. Ad hæc conditiones potestativæ, aliæ in *faciendo*, aliæ in *non faciendo* consistunt. Si in non faciendo versentur, multum interest, utrum in contractibus, an ultimis voluntatibus appositæ fuerint. Siquidem si decem quis stipulatus fuerit, « si in Capitolium non ascenderit, » etc. eventus conditionis expectandus est, ut promissa jure petantur, adeoque perinde est, ac si stipu-

Digitized by Google

latus esset, cum moreretur sibi dari (122). Ex adverso voluntatum ultimarum favore placuit, institutum, vel legato proprietatis, aut solius usufructus honoratum, sub tali conditione in non faciendo consistente, confestim posse relicta percipere, præstita cautione Mutiana, datis fidejussoribus, aut jurejurando cum hypotheca bonorum interposito, de restituendis ex supremo judicio perceptis, una cum fructibus, et usuris, damnis insuper resarcitis, quæ proprio facto, et culpæ legatarii in rebus legatis secuta fuissent, l. LXXIX, § 1, De condit. et demonstr., Novell. 22, cap. 44, § 2, 3 et 4.

(48. Hanc honorato cavendi necessitatem remittere poterat testator. Notandum vero, quod cautio Mutiana locum habebat, quoties non nisi mortuo legatario conditio verificari potuisset : si enim eo vivente, conditio exitum habere possibile fuisset; uti cum legatum esset « Titiæ, si Caio non nupsisset, » quia evenire poterat, ut Caius ante Titiam decederet, conditio verificanda erat pro legati consecutione, scilicet Titii decessus, l. 106, ff. De condit. et demonstrat. (vel ejus incapacitas ad contrahendum matrimonium uti apud catholicos ex voto solemni, vel ex sacro ordine suscepto), absque eo quod beneficium Mutianæ cautionis interim invocare Titia posset, si non paruerit conditioni de non faciendo conceptæ.

(49. Illud vero quoad conditiones spectat, discriminis intercedit inter contractus, donationesque inter vivos, et testamenta, sive actus ultimæ voluntatis; siquidem in his postremis, si hæres, vel legatarius sub conditione honoratus ante eam impletam moriatur, nullum ad suos hæredes jus quoad hæreditatem, vel rem legatam transmittit. Contra vero si donatio inter vivos sub conditione facta sit, et ea pendente donatarius decedat, spem omnem donationis ad suos successores transfert, non secus ac in aliis inter vivos actibus, ac contractibus obtinere exploratum est.

(50. Insuper addendum, quod ubi in legatorum præstatione dies incertus præfigitur, hujusmodi legata fiunt conditionata, juxta, illud Digest. « Dies incertus conditionem in testamento facit, » l. 75, De condit. et demonst. Hinc ex eodem jure Romano : « Si incerta dies *quasi cum pubes erit, cum in familiam nupserit, cum magistratum inierit*, cum aliquid demum, quod scribendo comprehendere sit commodum (fecerit), nisi tempus conditione obligit, neque res pertinere, neque dies legati cedere potest : » l. 21, ff. quando dies legat. cedat. Et in l. XXII, eod. « Si Titio, cum is annorum quatuordecim esset factus, legatum fuerit, et is ante quartum decimum annum decesserit, verum est ad hæredem ejus legatum non transire; quoniam non solum diem, sed etiam conditionem hoc legatum in se continet, si effectus esset annorum quatuordecim. »

(51. Hoc pacto si ita scriptum : « *Hæres meus cum ipse morietur, centum Titio dato*, legatum sub conditione relictum est; quamvis enim hæredem moriturum certum sit, tamen incertum est an legatario vivo dies legati non cedat : et non est certum legatum ad eum perventurum : » l. 79, § 1, ff. De condit. et demonstr.

(52. Quod si legatum factum sit ad diem certum præstandum, scilicet, post biennium a morte testatoris, etc., legatum ejusmodi nullatenus sub conditione est, sed ad terminum dicitur; adeoque et si legatarius ante tempus præfinitum moriatur jus ad hæredes suos transmittit. Et idem est, si designatum esset tempus implendi legati, dum legatarius morietur; ex l. IV, ff. Quando dies legat. cedat, nempe : « Si vero *cum ipse legatarius morietur*, legetur ei, certum est legatum ad hæredem transmitti. »

(53. Porro in legatis conditionalibus, vel ad terminum, ne spes vel jura legatorum, rebus successoriis per hæredem dissipatis, aut dictractis, frustrarentur, optimo jure constitutum fuit, pendente conditione, vel termino, hæredem satisdare debere legatariis hujusmodi, pro legatorum assecuratione : « Nec sine ratione hoc prætori visum est, sicut hæres incumbit possessioni bonorum, ita legatarios quoque carere non debere bonis defuncti; sed aut satis dabitur eis, aut si satis non detur, in possessionem bonorum venire Prætor voluit : » l. I, § 2, ff. Ut legat. seu fideicom. servand. causa caveatur

(54. jam vero dominium rei legatæ statim morte testatoris transit in legatarium, ut ex juris axiomate exploratissimum est. Quod si res legata post mortem testatoris sed ante traditionem pereat, perit legatario, quia a morte testatoris dominus est, nisi facto hæredis perierit; § 16, inst. h. t. Et si res legata casu fortuito, aut facto alieno perierit, nulla mora ab hærede facta, legatario perit : contra perit hæredi, si ipsius dolo, mora, culpa, aut facto aliquo interciderit, l. XXV, § 2, Ad senatum Trebellianum.

(55. Verum si res legata æque apud legatarium periisset, æquius est, hæredem, qui in mora tradenda fuit, nihil præstare debere l. XV, § 3, ff. De rei vindicatione.

(56. Amplius si quid vivo testatore, de re legata decedat, quod reliquum est, debetur, nisi sit accessio ejus, quod periit : jure enim Romano accessio semper sequitur rem principalem : ac proinde re principali extincta, semper perimitur accessio, l. II, ff. De peculio legato. Si vero rei legatæ aliquid,

(122) Siquidem cum conditiones de non faciendo, v. g. *si Romam non iveris*, non nisi, cum qui mortuus sit, verificari possint, sequeretur, legatarium sub tali conditione honoratum, nusquam suæ vitæ tempore legatum petere posse; et si de legato usufructus ageretur, cum usufructus morte usufructuarii expiret, nihil hinc legatarius nec sibi, nec suis hæredibus acquireret. Hinc Romanæ leges sapientissime *cautionem Mutianam, Q. Mutio Scevola* auctore, invexerunt, vi cujus legatarii res legatas absque temporis interjectione consequi poterant.

Digitized by Google

mortuo testatore, decedat, quod superest, legato cedit, quamvis id accessio sit, l. XII, ff. De peculio legato; si quidem a morte testatoris rei legatæ dominium ad legatarium transit.

(57. Quod si universitas quædam rerum legata sit, augmentum, et decrementum vivo testatore contingens legatarii lucro, aut damno est. Proinde grege relicto, cedunt legato oves, quæ post conditum testamentum adjunctæ sunt : ex adverso, si grex, vivo testatore, ad unam ovem pervenerit, quæ superest, ovis debetur, § 18, ins. h. t. quamvis grex esse desierit; quod enim ex grege superest, pars gregis est, non accessio; et pars semper debetur. Et si ædes fuerint legatæ, iis collapsis, area legati nomine peti potest, utpote pars ædificii, non accessio; l. XXII, ff. De legat. 1.

(58. Hæc vero ita se habent in proprietate legata : nam usufructu gregis, aut domus relicto, nec usufructus debetur, unius ovis, quæ sola supersit, nec in area usufructus manet; l. ult. ff. quibus modis usufructus amittatur, § 3, inst. De usufruct. una quippe ovis, et area non sunt grex, aut domus in quibus usufructus relictus est.

(59. De jure Romano Justinianeo tres actiones ad petenda legata proditæ sunt; nimirum *Actio in personam, actio in rem, et hypothecaria.* Actio in personam ex quasi contractu est, adversus scilicet hæredem, simul ac hæreditatem adiit, pro rebus legatis persolvendis; actio in rem est ex dominio, quod a morte testatoris ipso jure transit in legatarium, daturque adversus quemcunque rei legatæ possessorem, si res legata corporalis sit, et testatoris propria : et hypothecaria demum est ab hypotheca, cui omnes res hæreditarias in gratiam legatariorum Justinianus subjectas esse voluit. Utcunque vero hæc actio detur, si quantitas in genere legata sit, vindicatio, seu actio adversus tertium non datur, ubi res hæreditariæ, venditione, etc., non amplius penes hæredem sint : quod idem jure hodierno apud scriptores receptum.

(60. Quia vero hominis voluntas ad supremum usque vitæ exitum ambulatoria est, l. IV, ff. De adiment. legat. pro jure suo testator relicta legata adimit, vel transfert. Adimuntur legata, quoties testator legatariis quos destinaverat, amplius ea conferri non vult, id quod duobus modis fit, nempe vel verbis, per actus nempe contrarios ultimæ voluntatis; vel factis, si vel rem legatam alienet (de hoc vide superius dicta) vel corrumpat, aut ad aliam formam redigat, ita ut ad priorem speciem reduci nequeat : l. LXV, § 2, ff. De legat. 1, l. LXXVIII, § 2, De legat. 3.

(61. Sic porro adimuntur legata per translationem, nimirum a persona in personam; vel mutato ipso legato; aut conditione adjecta, qui duo postremi modi modificationes potius dicendi veniunt.

(62. Corruunt vero legata pluribus modis, ut nihil inde debeatur, veluti legatario mortuo ante testatorem; interitu rei sine facto hæredis, ut supra dictum est, defecta conditione in legatis conditionalibus, juxta ea quæ tradidimus, repudiatione legatarii, tandem si hæreditas non adeatur, quippe tunc ex jure Romano, vi testamenti resoluta, legata intercidebant; nisi ex eodem jure adjecta esset in testamento clausula sic dicta codicillaris, (de qua suo loco dicemus sub v. *Testamentum*), vi cujus hæres ab intestato legata præstare debere compertum est.

(63. Hic porro notandum, quod ex iisdem Romanis legibus cautum est, nempe si hæres institutus ipsemet esset, cui hæreditas ab intestato devolvenda esset, isque hæreditatem testatam repudiaret, ex causa intestati successurus, non per hoc liberabat se a legatorum præstatione; en textus legis : « Prætor voluntates defunctorum tuetur, et eorum calliditati occurrit, qui, omissa causa testati, ab intestato hæreditatem, partemve ejus possident; ad hoc ut eos circumveniant, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur hæreditas; et in eos actionem pollicetur : » l. I, ff. Si quis omiss. caus. test. Sic quoque si hæres institutus repudiaret hæreditatem, ea mente ut ad legitimum hæredem transiret, hic ad legata persolvenda tenebitur : « Si quis per fraudem omiserit hæreditatem, ut ad legitimum (hæredem) perveniat, (hic) legatorum petitione tenebitur : » l. I, § ult. ff. Si quis omiss. caus. testam.

(64. Quod attinet ad legata pia, notandum « illam dici piam dispositionem, seu pium legatum, quod relinquitur pro honore Dei, vel sanctis, vel pro salute animæ, vel in aliud quodcunque pium opus. Alii vero, et brevius dicunt, illud dici legatum pium, quod pro anima relinquitur. » Ventriglia t. II, annot. 28, § 1, De legatis piis, n. 2.

« Igitur legatum ad pias causas dicitur quidquid ecclesiæ relinquitur; nam relicta ecclesiæ, capellæ, aut monasteriis, pio loco, sunt consequenter relicta ad pias causas... quia relicta ecclesiæ dicuntur relicta Deo pro salute animæ... Eleganter Bened. Ægid. Lusit..... ait, legatum pium tripliciter considerari posse : aut enim pium dici ait propter recipientis personam, vel solum propter causam, in quam legatur, vel denique propter intentionem agentis, licet id ultimo loco relatum habeat locum in solo tribunali divino. » Barbosa Jur. eccl. univ., lib. III, cap. 27, De legat. piis, n. 2 et seqq.

(65. Hoc pacto « dicitur quoque legatum factum ad piam causam, si fiat pro salute animæ, et pro remissione peccatorum, et amore Dei... Relictum autem pro anima intelligitur, non solum quod quis legat pauperi.... verum etiam quod relinquitur ecclesiæ pro celebratione missarum, et alimentis clericorum, seu religiosorum, seu pro constructione, et ornamentis ipsius ecclesiæ; (idem dic) de relictis pro luminaribus, cereis, anniversariis, et cæteris ad perpetuum cultum divinum, sive etiam tem-

Digitized by Google

poralem pertinentibus. » Barbosa, ibid., n. 11 et 12.

(66. « Ex dictis collige dici legatum pium quidquid relinquitur pauperibus, et egenis, pupillis, viduis, peregrinis, auxilio proprio destitutis, vel ratione morbi, vel ætatis, expositis, et similibus quibuscunque miserabilibus personis, in honorem Dei Omnipotentis..... Abb. et alii communiter. » Ventriglia, ibid., n. 3. « Item quod relinquitur hospitalibus, vel aliis locis, in quibus pauperes, et miserabiles personæ foventur, aut alia charitatis opera exercentur. » Barbosa cit. cap. 27, Jur. eccles. univ., n. 12.

(67. Pari modo « relicta collegiis sacris, et religiosis, confraternitatibus etiam sæcularibus, et profanis, institutis ad exercenda opera pietatis, et charitatis... Eremitis, qui eligunt solitariam vitam, et conversis, (dicuntur) relicta ad pias causas. » Barbosa l. cit., n. 12.

(68. (Hinc) « collige dici pium legatum, imo inter pia præcipuum, quod factum est ecclesiæ, monasteriis, et aliis piis locis, in quibus senes, debiles, et infantes, et aliæ personæ miserabiles, et languidæ aluntur, et alia caritatis opera exercentur. » Ventriglia, adnotat. 28, § 1, De legat. piis, n. 31.

(69. Illud amplius dicitur pium legatum, quod relinquitur pro fabrica ecclesiæ, vel monasterii, vel pro alio loco pio construendo. Ventriglia ibid., n. 52.

(70. Ad pia quoque opera intelligitur relictum : quod pro redimendis captivis relinquitur; (vel) pro excarcerandis carceratis (nempe ex causa æris alieni : (vel) pro monachanda paupercula : (insuper) pro maritandis pauperibus puellis, et ita pro earum dote : pari modo quod relinquitur causa studii; item pro constructione monumenti, vel pro ecclesiis reficiendis : idem dic de illo, quod relinquitur pro sepultura, et pro sepeliendis mortuis, seu funeris impensa. Sic quoque relicta facta pro incertis, et male oblatis sine dubio dicuntur relicta ad pias causas, ex quo sunt pro exoneratione conscientiæ, et salute animæ testatoris. Ita enumerantur legata hujusmodi apud Barbosam, ibid., n. 13 et seqq.

(71. « Connumerari (quoque) inter piam causam dispositionem, legatum, vel donationem factam pro refectione, et constructione pontium, viarum, murorum, et fossatorum civitatis, et castrorum, et similium, ea ratione, quia prædicta deserviunt etiam pauperibus, et miserabilibus personis, quæ inibi inhabitant, sicut eadem ratione dicitur pia dispositio, quæ facta est pro custodia civitatis et locorum. » Ventriglia ibid., n. 72.

(72. « Late sumpto vocabulo, sic Barbosa, relictum pro anima intelligitur, quod pro bono publico legatur, veluti pro restauratione pontium, vel viarum... aut pro civitatis custodia, et publicorum locorum, modo necessitatem loca hujusmodi paterentur; quia tunc præsumuntur legata illa pro bono publico, et personarum utilitate, ac consequenter pro animæ salute relicta : sed si non adesset ejus rei necessitas, nullam habet speciem legati ad pias causas..... ubi vero pro hujusmodi necessitate relinquitur, pro legato ad pias causas omnino accipietur, præter quam quod ejus executio ad ecclesiasticos non spectabit, ubi jus ecclesiæ aliqua in re non attingeret » cit. cap. 27, De legat. piis, n. 21.

(73. Quantum ad piorum legatorum executionem spectat « pietatis causa episcopos fecit olim executores piarum omnium dispositionum, iisque facultatem attribuit compellendi laicos ad implementum, non absolutam, sed cumulatam cum laicis magistratibus : « vel principali, vel Pontificali au« ctoritate compelli hæredes ad obsequium « supremæ voluntatis. » Ulpianus respondit, l. hæreditas, 53, De pet. hæred. dum sacris templorum custodibus consueverant idcirco prisci etiam idololatræ supremas tabulas commendare. Quinto Ecclesiæ sæculo impp. Leo, et Anthemius exactionem pii legati in redemptionem captivorum episcopo diœcesano demandarunt : l. Nulli 28. Cod. de episc. et cler. Dein Justinianus, Novell. 131, cap. 11, generatim edixit, pias quaslibet defunctorum voluntates, nedum pro captivis redimendis, verum pro alendis etiam pauperibus, ut implerent executores testamentarii; tum si hos testator non designaverit, vel designati negligentes, aut contumaces fuerint, ad episcopum loci, ecclesiæque œconomum devolvi munus implendi : « in omnibus enim, addit impera« tor, talibus piis voluntatibus sanctissimos « locorum episcopos volumus providere, ut « secundum defuncti voluntatem universa « procedant; licet præcipue a testatoribus, « aut donatoribus interdictum sit eis ha« bere ad hoc aliquod participium. » Imperatoriis hisce legibus utitur Gregorius IX ad episcopalem jurisdictionem tuendam canonico jure Decretalium in piis dispositionibus. »

Hoc pacto in cap. *Nos quidem* 3, ex de Testam. ad episcopum Calaritanum rescribit : « Secundum piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates episcopali decens est studio adimpleri. » Deinde Noviodumensi episcopo in cap. *Tua Nobis* 17. eod. tit. responsum dedit, nempe : « Cum in omnibus piis voluntatibus sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici. »

(74. Conformiter juri Decretalium Tridentina synodus decrevit in hæc verba : « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores..... ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, juxta sacrarum canonum statuta, cognoscant, et exequantur. » Sess. 22, De reform., cap. 8.

Digitized by Google

(75. « Ad utriusque fori ecclesiastici, et sæcularis notiorem hinc patet, cur piæ dispositiones olim communi jure cum civili, tunc canonico deferrentur hoc etiam in regno, secundum juris regulam (123). »

(76. « Posthac controversiæ inter ecclesiasticos, et laicos judices (excitatæ), et instauratæ sunt super competenti piarum dispositionum judicio : cum istud episcopi esse mixti fori putantes, jure prærentionis idcirco vindicarent sibi etiam in laicos, ex recitatis legibus Justinianeis, et Decretalibus, et Tridentino decreto. Econtra id totum negabat sæcularis potestas ex præteritis regiorum tribunalium gestis, moribusque. Nam Regens Villanus... obviam ivit inter cætera, jam dicto Tridentino decreto, quo episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure permissis omnium piarum dispositionum declarantur exsecutores... Tandem prævaluit laicorum sententia novis Concordatis obfirmata, quibus tribunali misto mandatur sola vigilandi cura, ut laici ad pia legata exsolvenda *ab laicis judicibus* competentibus, ecclesiastici *ab Ecclesiasticis* compellantur; nuda scilicet facultas excitandi ordinariam cujusque fori competentis jurisdictionem, expers cum notione judiciaria, tum imperio cogente (124). » Ex Carolo Gagliardo Inst. jur. can., lib. III, tit. 8, De caus. olim eccl., § 18, 19, 21.

(77. Circa vero commutationem legatorum piorum, primum illud constabiliendum est, pias defunctorum voluntates sartas tectas esse servandas ; « ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet : » Ita statuitur, can. 4, caus. 13, quæst. 2, et in Clement. cap. 2, Quia contingit de religios. dom. ibi : « Quod ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti. »

(78. Hinc « regulariter loquendo, nullus præter summum pontificem exsecutor, nec episcopus quidem, relicta ad certas pias causas, in alios usus, vel causas, etsi evidenter meliores essent, commutare potest, si voluntas determinata defuncti commode, ac juste adimpleri potest : Molina disp. 249, n. 1. Layman lib. III, tract. 5, cap. 11, n. 11, cum communi, ac certa aliorum. » Reiffenst. ad Tit. 26, ex de Testam. et ult. volunt. § 23, n. 804.

Hoc pacto Glossa in cit. Clem. sic habet : « Nota per hanc litteram solum Papam alterare posse usum illorum, quæ per fideles donata sunt, vel relicta. » Sed vide infra dicenda.

(79. Ubi vero commutationi voluntatis hujusmodi locus fit, justam, ac necessariam causam concurrere debere, ex Tridentino habemus exploratum in hæc verba : « In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ *non nisi ex justa, et necessaria causa* fieri debent, episcopi, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summarie, et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam exsecutiones prædictæ exsecutioni demandentur. » Sess. 22, *de Reformat.*, cap. 6.

(80. Quantum porro ad hujusmodi commutationem attinet, « id in piis operibus, ac dispositionibus solius pontificiæ potestatis est : quamvis enim, rejecta dubitantium opinione, in foro externo ubique receptissimum sit, ut supremus princeps, qui potestatem habet condendi leges, in eisque dispensandi, atque tollendi jus tertii, possit in ejus ditione cum propriis subditis derogare fideicommissis, aliisque ultimis voluntatibus, seu alias eas commutare, eo quia testandi facultas, suaque voluntas conferendi in tempus inhabile, in quo per mortem annihilatus est, ac desiit esse dominus, non proveniat a lege divina, vel naturali, cui lex positiva dispensare non valeat; sed proveniat a lege positiva, cui eadem derogare potest, et consequenter princeps, qui lex animata dicitur : attamen in iis dispositionibus, quæ Deum et animam concernunt, id solius Pontificiæ potestatis est, ex quo sæcularis potestas in his non se ingerit ; » est doctrina Cardinalis de Luca, Adnotat. ad §§ Conc. Trid., disc. 21, n. 5, eamque rite applica ex numeris seqq.

(81. « Quæritur hic 1° An Summus Pontifex possit sine justa causa valide commutare ultimas voluntates Testatorum? Nulli dubium quod Papa potest cum causa ultimas voluntates commutare, ut patet ex Clement. *Quia contingit*. De religios. dom. ubi dicitur : « Ea quæ ad certum usum largitione sunt « destinata fidelium, ad illum debeant, non « ad alia (salva Sedis Apostolicæ auctoritate) « converti. » Sed dubitatur, an id possit Papa sine causa? Tres sunt sententiæ apud Sanchez..... Prima sententia affirmat, quam tenent Armil... Ang... Sylv..... Tabien, etc., apud Sanchez. Ratio, quia omnia legata intelliguntur implicite relicta ad arbitrium

(123) Regius consiliarius Thomas Carnevalius l. 1 De judiciis, tit. 1, disp. 2, q. 5, n. 332, hæc scribit : « Illud verum est, et negari non debet, semel publicato testamento apud sæcularem judicem, si agatur de executione ipsius, causam esse misti fori, et posse adiri pro ea tam ecclesiasticum quam sæcularem, esseque locum prærentioni. » Ad id laudat auctoritates juris civilis, et canonici, et Covarruviam. Consonant Regens de Marinis, lib. I, Resolut., cap. 204, n. 9, et seq. Abbas in cap. 3, De testam., ex synodicis plurium regnorum constitutionibus, Felicianus Oliva De for. Eccl., part. III, q. 34, n. 3, addit consentaneos Hispaniæ mores ex lege Regia lib. 1, tit 62, § 2, et episcopalibus totius regni synodis. Gagliard. uti supra.

(124) En dispositio concordati, scilicet benedictini, an. 1741, in hæc sane verba : « Questo Tribunale non dovrà avere altra incumbenza, se non che... 6 d' invigilare all' adempimento de' legati pii, col procurare ne' casi particolari nella maniera, che stimerà più propria, che i renitenti a soddisfare, se saranno laici, dai loro competenti giudici laici sieno costretti all' adempimento de' legati pii, e se saranno ecclesiastici dai loro rispettivi superiori, et giudici ecclesiastici. » Cap. 9, n. 10. Quidquid insuper apud nos ad hanc rem spectat, in Actibus post novissimum concordatum an. 1818, part. V, pag. 141, part. VI, pag. 40, part. X, pag. 214, videre est.

Digitized by Google

Papæ, vel principis. Secunda sententia, quam tenent Angles. Rosell., Covarr... et cui adhæret La Croix, id admittit de potestate absoluta, non autem ordinaria. Tertia sententia verior, et communis... omnino negat posse Pontificem, aut principem sine justa causa commutare testatorum voluntates. Probatur ex Trid. sess. 22, cap. 6, ubi (ut sentit Layman... cum Molin...) supponitur tales commutationes posse fieri a Sede Apostolica « non nisi ex justa, et necessaria causa... » Si igitur legatum est profanum, poterit princeps ob necessitatem publicam, vel aliam justam causam in aliud legatum profanum, vel pium commutare; si vero legatum est pium, poterit Papa tantum, justa causa interveniente, in aliud pium convertere. » D. Alphonsus de Ligorio lib. III, tract. 5. De sept. præcept. Decalogi, cap. 4, dub. 2, n. 931.

« Hoc pacto Barbosa ait, ex concil. Trid., sess. 22, c. 6, *De reform.*, statuitur hujusmodi commutationes, neque ab Apostolica Sede fieri debere, nisi ex justa, et necessaria causa... Hinc Molina... subdit a concil. Trid. sancitum esse, ut quando commutatio alicujus ultimæ voluntatis a Sede Apostolica fuerit obtenta, non prius exsecutioni mandetur, quam episcopus loci, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus, summarie, et extrajudicialiter cognoscat, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum. » De offic. et potest. episc., allegat. 83, n. 1.

(82. « Quæritur II. An episcopi cum justa causa possint commutare pias dispositiones? Prima sententia affirmat... Ratio 1. quia communis sententia (ut asserit La Croix...) tenet, apud episcopos esse hujusmodi facultatem ordinariam commutandi, quia talis commutatio est quædam dispensatio in lege præscribente exactam impletionem ultimarum voluntatum; unde quando dicitur fieri posse dispensationes, et non exprimitur *a quo* in Tridentino, satis intelligitur fieri posse ab episcopis; uti cum pluribus docet Suarez De leg. 1, 6, cap. 14, n. 8, et Sanchez De matrim., l. VIII, disput. 5. Hinc inferunt idem Sanchez... et Lugo... quod si testator reliquit alicui ecclesiæ legatum pro festo anniversario, potest episcopus illud ad tempus commutare in reparationem ecclesiæ, quæ aliter non posset reparari. Ratio 2, quia licet episcopus nequiret hoc facere ex potestate ordinaria, potest tamen ut Sedis Apostolicæ delegatus, modo adsit justa causa judicio episcopi. Idque probant ex Trident. sess. 22, cap. 6, ubi dicitur : « In commutationibus « ultimarum voluntatem, quæ non nisi ex ju- « sta, et necessaria causa fieri debent, episcopi, « tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summa- « rie, et extrajudicialiter cognoscant, nihil in « precibus tacita veritate, vel suggesta falsi- « tate, fuisse narratum, priusquam commuta- « tiones prædictæ exsecutioni demandentur. » Ita Barbosa De offic. et potest. episc., alleg. 83, n. 5... citatque etiam Rotam Romanam, *Decis.* 1132, et ita etiam Salmat. de leg., c. 5, n. 67.

« Secunda vero sententia probabilior, quam tenent Mal... Layman... et Sanchez... cum aliis, negat posse episcopos, etiam cum justa causa commutare ultimas voluntates. Ratio, quia ex cap. *Tua* De Testam. et ex Trid. sess. 22, c. 8. imponitur episcopis exsequi exacte ultimas voluntates; et hoc etiam si commutatio fieret in melius, ut dicunt Barbosa l. c., n. 3. Layman... cui adhæret Lugo... contra Dianam... ac Sylv. Baia, Graff. Comit. Vasquez, etc., apud La Croix..., qui admittunt commutationem in melius. Nec probari dicunt primam sententiam ex Trid. in cit. cap. 6. Nam ibi tantum committitur, episcopis, ut quando commutationes ultimæ voluntatis a Sede Apostolica eis committuntur, ipsi antequam illæ exsecutioni demandentur, examinent, an sint veræ causæ expositæ. Concilium enim in cap. 5, immediate præcedenti locutum erat de exsecutionibus dispensationum a sola Sede Apostolica obtentarum, et hoc aiunt esse conforme Clement. *Quia contingit*. Valde tamen probabiliter censet Layman... et consentiunt Salmat... cum Bonac. et Trull. quod si aliqua causa superveniat, vel si fuerit testatori ignota, quam si ille cognovisset, aliter disposuisset, tunc episcopus cum hærede potest ex epikeia interpretari voluntatem testatoris et legatum in alium usum convertere; puta si legatum sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus ecclesia non egeat, sed potius casulis. Quando autem legata pia nullo modo possunt applicari ad usum a testatore intentum, illa non sunt caduca, sed applicanda sunt in alium pium usum, arbitrio episcopi, et exsecutoris, ut docet idem Layman... cum Abb. et Lugo... ex cap. *Nos quidem*, De testam. » D. de Ligorio loc. et n. cit.

Cæterum quidquid sit, videtur canonistas in eam magis ivisse sententiam, episcopum, *ut Sedis Apostolicæ delegatum*, ultimas defunctorum voluntates *ex causa* commutare posse. « Concurrente justa, sic Barbosa, et rationabili causa, episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ultimas defunctorum voluntates commutare potest, ut disponit Conc. Trident. sess. 22, c. 6, et sess. 25, *De reformat.*, c. 4... Item etiam potest ob causam, quæ suo judicio videatur justa, legatum quodcunque pium ad certum usum relictum in alium pium commutare, quamvis tale legatum de jure, et de facto valeat adimpleri. » Barbosa De offic. et potest. episc., alleg. 83, n. 5.

Consentit Engel in hæc verba : « De jure communi tantum S. Pontifici, et non nisi ex rationabili causa, concessum esse pias defunctorum voluntates commutare : attamen hodie ex Concil. Trident. sess. 22, c. 6, etiam episcopus, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus, tales commutationes ex justa et rationabili causa facere potest. » Ad Tit. 26, ex De Testam. et ult. volunt., n. 23.

Simili modo Ventriglia hæc habet : « Solet in his terminis quæri, an valeat episcopus commutare legata, et alias pias fidelium voluntates : et communiter respondent DD.

Digitized by Google

posse episcopum commutare ultimas voluntates ex justa, et necessaria causa, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, præmissa extrajudiciali, et summaria cognitione, nihil precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum; ita ad litteram disponit Trident. sess. 22, cap. 6. » Adnotatio 28, § 2, De legat. piis, tom. II, n. 42.

(89. Porro, ut docet idem Barbosa « dubitari tamen potest, an episcopus possit hanc commutationem solus facere? In qua quæstione tenent doctores, requiri hæredis consensum ex cap. *Nos quidem* 3, de testam... Si tamen hæres nollet consentire, posset solus episcopus... Item requiritur consensus ecclesiæ, cui legatur, ex l. legatum, ff. De usufr. leg. et l. Legatum, ff. De administrat. rerum ad Civit. pertin. Et si nec ecclesia, nec hæres vellent consentire, episcopus solus id exsequetur... Si hæres contradicat, et ecclesia consentiat episcopo commutare volenti, prævalebit consensus ecclesiæ ad tuendam voluntatem defuncti. » L. cit. n. 6.

Pari modo Ventriglia, ibid., sub n. 49. « Notatum est (ait) posse episcopum ex causa justa, et rationabili commutare pia legata. Verum id intelligendum est: primo, hærede requisito, quando ex commutatione gravatur: et ratio est, quia hæres sustinet partes defuncti; et probatur per textum *Nos quidem*, De testam... Secundo, intelligendum est requisito loco pio, cui fuerat factum legatum quia juri consonum non est, ut quis inscius, et invitus damnum patiatur; probatur L. legatum, ff. De usufr. leg., et l. legatum, De administr. red. ad civit. pertin. Verum, si hæres, aut pius locus dissentiant, tunc episcopus solus potest commutat. piorum legatorum facere, ex præsumpta voluntate testatoris.

« Ulterius, si episcopus intendit commutare in alium pium usum legatum, sive hæreditatem relictam hospitali ad certum peregrinorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum; si in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, tunc in hoc casu particulari, ultra requisitionem hæredis, et loci pii, ut supra, episcopus tenetur adhibere consilium duorum canonicorum, qui rerum usu peritiores sint; per conc. Trid. sess. 25, De reform. cap. 8. Genuensis in Prax. cur. archiep. Neap. cap. 24, n. 4. » Sic idem Ventriglia, ibid., cit. n. 49.

Atque ut rite rem expediamus, lubet addere quæ amplius a Barbosa tradita sunt quoad hujusmodi legatorum commutationem, hoc sane pacto: « In commutationibus faciendis tria sunt præcipue observanda. Primum est, quod licet commutatio voluntatis in casibus (designatis) permittatur, non est tamen, nisi in alium usum pium fscienda; nec enim in usum profanum est convertendum, quod pia testantium voluntate semel est Deo dicatum, neque contra defunctorum voluntatem est quidquam, quoad fieri potest, commutandum. Quare et etiam secundo loco observandum, ut in eum quoque pium usum, qui voluntati defuncti sit proximior, et saluti animæ suæ utilior, conversio fiat, sicuti de conversione fructuum locorum piorum, subsistente causa, statuit conc. Trid. sess. 25, De reformat., c. 8. Tertio observandum erit, in facienda commutatione, ut consensus hæredis gravati, nec non legatarii quoque requiratur, cum utrinsque intersit defuncti voluntatem non præcise servari, ad notata per DD. in Clem. *Quia Contingit.* » Jur. eccl. univ., lib. III, De legat. ad pias caus., cap. 27, n. 59.

« Pro complemento materiæ advertendum duxi, sic idem Barbosa, non posse episcopum commutare ultimas voluntates pertinentes ad ecclesiam suam cathedralem, mensamve suam, aut capituli ejusdem cathedralis; quia non potest authorizare (super) rebus pertinentibus ad mensam suam, vel sui capituli, cap. *Possessionis*, de rebus eccl. non alien. Ita Moneta, De Commut. ult. vol., cap. 3, q. 13, concl. 1, n. 378, ubi n. seq. resolvit, hodie cum capituli consensu, qui probatur ratione interesse, posse ultimas voluntates ad ejusdem mensam spectantes commutare. » De offic. et potest episc., allegat. 83. n. 16.

Tandem « episcopus non potest regulariter commutare ultimas voluntates subditorum prælatis inferioribus, seu quæ pertinent ad jurisdictionem prælatorum inferiorum, sed solum data eorum negligentia... » Rota decis. 159, n. 1, part. II, divers. Idem Barbosa loc. et n. cit. Sed hæc hactenus.

LEGATUS.

SUMMARIUM.

1. Legati unde sic dicantur? — 2. Legati aliter vocantur, et accipiuntur in jure civili, et aliter in jure canonico, et qui sint legati in jure civili? — 3. Legati in jure canonico sunt in triplici differentia, nempe legati *a latere*, legati *missi*, seu nuntii apostolici, et legati *nati*. — 4. Legati a latere alii sunt ordinarii, et alii extraordinarii. Et qui sint legati a *latere* ordinarii? — 5. Quare dicantur legati *a latere*? — 6. Legati *a latere* extraordinarii, qui sint? — 7. Quamvis plures a summis pontificibus fuerint missi legati *a latere* extraordinarii episcopi, et alii non card. nunc autem constans praxis obtinuit non mitti, nisi card. legati *a latere*. — 8. Et dato, quod contingat, ut contingit, mitti alios non card., non datur eis titulus legati *a latere*, sed missus nominatur, et titulatur *Nuntius cum potestate legati a latere*. — 9. Hinc solis cardinalibus proprie competit nomen legati *a latere*. — 10. Legati missi, seu nuntii apostolici, qui dicantur et sint? — 11. Legati nati, qui dicantur, et sint? — 12. Omnes supradicti legati habent jurisdictionem ordinariam in provinciis sibi concreditis, et talis jurisdictio non exspirat per mortem Papæ legantis, quamvis ipsa jurisdictione nondum uti cœperint, imo provinciam nondum ingressi fuerint. — 13. Omnes supradicti legati possunt causas ad se pertinentes aliis delegare, cum hac tamen advertentia, quod jurisdictio delegatorum ab ipsis legatis expirat una cum legatorum officio, seu finita horum legatione, quando res est adhuc integra; secus vero, quando non est amplius integra. — 14. Ut res non sit amplius integra, sufficit citatio partis facta per delegatum ante cessationem legationis legati. — 15. Imo sufficit, quod ante cessationem legationis, lega:i

Digitized by Google

præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit. — 16. Omnes supradicti legati possunt causas suorum provincialium per appellationes ad ipsos devolutas cognoscere, et debito fine terminare. — 17. Imo de jure antiquo poterant olim legati cognoscere, et definire non solum causas per appellationem, sed etiam in prima instantia ad ipsos delatas; at jure novo concilii Tridentini est nunc limitata talis facultas. — 18. Quinimo omnes supradicti legati neque se intromittere possunt in causis illis, qui per Papam specialiter cuipiam alteri delegantur. — 19. Legati in quo differant a delegatis? — 20. Legati *a latere* excellentiorem, et ampliorem jurisdictionem præ aliis legatis habent. — 21. Legati *a latere* de jure possunt absolvere quoscunque excommunicatos, ob percussionem etiam enormem; imo et etiam ob cædem clerici, et hoc non solum intra suam provinciam, et suos subditos, sed etiam extra suam provinciam, et quoscunque extraneos undecunque ad se accedentes a die egressus sui ab Urbe usque ad diem reditus in eamdem. — 22. Legati autem non de latere, seu missi, vel nuntii, sine speciali facultate nequeunt de jure extra provinciam sibi commissam absolvere a tali excommunicatione; et intra suam provinciam possunt absolvere solummodo subditos suos, non autem extraneos aliunde accedentes. — 23. Legati autem nati nequeunt sine speciali facultate, neque intra provinciam suam, absolvere suos subditos. — 24. Legati *a latere* possunt de jure concedere licentiam abbati exempto, ut eligi possit in episcopum, et transire possit ad ecclesiam sibi concessam. — 25. Id tamen non possunt alii legati sine speciali sibi concessa facultate. — 26. Legati *a latere* possunt confirmare electiones episcoporum, archiepiscoporum, et exemptorum. — 27. Id autem non possunt alii legati sine speciali sibi concessa facultate. — 28. Legati *a latere* possunt conferre beneficia, quæ vacant tempore suæ legationis in provincia sibi concredita. — 29. Imo, spectato jure communi, legati *a latere* concurrunt cum quolibet ordinario suæ provinciæ in collatione beneficiorum, ita ut inter ipsos simul, et papam locus sit præventioni. — 30. Id tamen sine speciali pontificia concessione nequeunt alii legati. — 31. Excipiuntur tamen legati missi, seu nuntii apostolici, qui, ex facultatibus sibi concessis, possunt conferre quæcunque beneficia, etiam reservata, dummodo non excedant valorem ducatorum 24. — 32. Legati autem nati in sua provincia extra suam diœcesim sine speciali pontificia concessione nequeunt ulla beneficia utcunque minima conferre. — 33. Alia de iis quæ possunt, vel non possunt, legati *a latere*, et nuntii apostolici circa collationem beneficiorum, *remissive*. — 34. An legati *a latere*, et nuntii apostolici possint in sibi commissis provinciis conferre ordines, et approbare confessarios, *remissive*. — 35. Adducuntur ad hæc variæ resolutiones sacræ congregationis concilii. — 36. Aeducitur resolutio et conclusio D. Ursayæ. — 37. Nuntius apostolicus si absque facultate Sanctæ Sedis promoveat ad sacros ordines clericos suæ provinciæ, ipse, et ordinati incurrunt in pœnas impositas a sacro concilio Trident. — 38. Nuntius apostolicus non debet exercere divina in ecclesia archiepiscopi absque ejus licentia. — 39. Legati et nuntii apostolici non possunt pro se, vel pro suis consanguineis procurare a principibus, ad quos destinantur, favores, vel eis uti ad consequendas dignitates apud Sedem Apost. — 40. Legati, et nuntii apostolici non possunt procedere contra clericos, nisi episcopo prius requisito, et negligente; alias acta, et processus nullius sunt valoris, et tenentur ad restitutionem, et damna. — 41. Legato præsente in civitate, episcopus non potest populo benedicere, nec uti mozetta, vel rochetto discooperto; intra vero propriam ecclesiam potest, si ibi non sit præsens legatus, vel eo annuente. — 42. Legato *a latere* præsente, cæteri legati deponunt sua insignia, et suspenditur, pendente præsentia ipsius, exercitium potestatis eorum. — 43. Legatus *a latere* potest cognoscere de causis contra exemptos. — 44. Alii autem legati non possunt de jure sine speciali facultate pontificia in exemptos jurisdictionem exercere; nuntii autem apostolici solent talem facultatem a Sede Apostolica obtinere; unde, ex Rota, nuntius est judex exemptorum, et potest alios judices exemptis subdelegare. — 45. Legatus in sua provincia valide assistit matrimoniis. — 46. Legati, et nuntii apostolici possunt subditis suæ legationis, et nuntiaturæ pro quocunque opere pio concedere centum, et plurium dierum indulgentiam; attamen semper minus quam annum; pro templo autem, seu capella possunt concedere indulgentiam septem annorum, septem quadragenarum pro illis, qui confessi communicaverint, et in eo loco de more oraverint ad intentionem Ecclesiæ. — 47. Et tales indulgentiæ concessæ a legatis, et nuntiis sunt perpetuæ. — 48. Legatus, et nuntius absque speciali facultate apostolica non habet auctoritatem extrahendi a loco immuni, nec consignandi reum curiæ sæculari; unde si extrahat, debet reponere, etc. — 49. Legatus, et nuntius apostolicus absque speciali facultate apostolica nequit absolvere ab excommunicatione ob violatam immunitatem ecclesiasticam. — 50. Legatus duarum, vel plurium provinciarum, potest in una jurisdictionem exercere de negotiis, et causis alterius. — 51. Legati Papæ statuta durant etiam finita legatione. — 52. Legati jurisdictio, seu officium cessat quatuor modis, qui assignantur. — 53. Legatus a Papa revocatus usque dum talem revocatum ignorat, continuat, et perseverat in Jurisdictione, et valida sunt quæ interim gerit. — 54 ad 57. Additiones ex aliena manu. — Vid. Addit. Cass.

(1. Legati sic dicuntur, quia ut publice mittantur, leguntur, indeque legantur seu ablegantur. Reiffenstuel. lib. 1 Decretal., tit. 30. n. 1, et alii. (2. Legati aliter vocantur et accipiuntur in jure civili, et aliter in jure canonico. Communis. Legati in jure civili sunt illi, qui mittuntur, et quibus mandat proconsul jurisdictionem, leg. Legatus, ff. De offic. proconsulis. Solent enim proconsules ob rerum gerendarum multitudinem in provincia legatos statuere, qui non propria, sed mandata jurisdictione utuntur, et hoc modo intelligitur, et accipitur Legatus, ff. et Cod. in titul. De offic. proconsul. et legat. et do his fit mentio in capit. *Legatos* 2, De offic. legati in 6. Alii vero legantur, seu mittuntur a principibus laicis summo Pontifici, vel ab eisdem principibus inter se, ad referenda videlicet mandata suorum principalium, sicque ad exercendum nudum ministerium absque alia jurisdictione, et vocantur *oratores*, seu vulgo *ambasciatores*. (3. Legati in jure canonico sunt in triplici differentia, nempe legati *a latere*, legati missi, seu nuntii apostolici, et legati *nati*. Communis et colligitur ex cap. *Cum non ignoretis* 1, et cap. *Excommunicatis* 9, De officio Legati, et cap. *Officii nostri* 1, eodem in 6, et Glossa ibidem, verb. *Legati*. In ipso enim cit. cap. *Cum ignoretis* fit mentio de le-

Digitized by Google

gato nato, in cit. cap. *Excommunicatis* fit mentio de legato *a latere*, ac misso, et in cit. cap. *Officii nostri* fit mentio de omnibus tribus, scilicet tam de legatis a Papa missis, sive sint *de latere*, sive non, quam de legatis natis. * Summum Pontificem pollere potestate mittendi legatos certum est quam quod certissimum, cum id ex vi, et natura primatus profluere compertum sit. Cum enim ad jura primatus pertineat cura suprema, et sollicitudo omnium ecclesiarum, nemo erit, qui inficiari possit, id juris per universam Ecclesiam pro unitate fidei, ac bono disciplinæ ecclesiasticæ illi competere, luculenter id adstruitur in extravag. *Super gentes*, et Regna, un. de consuet. inter communes, quidquid demum sit, an hujus constitutionis auctor habendus sit Joannes XXII, cui communiter tribuitur, an potius Bonifacius VIII, cui hodierni critici potiori suffragio adjudicant. *

(4. Legati *a latere* alii sunt ordinarii et alii extraordinarii. Legati *a latere* ordinarii sunt cardinales illi, qui a Summo Pontifice mittuntur ad obeundum in alia provincia legationis officium cum jurisdictione, seu potestate ordinaria ad instar præsidium provinciarum, ut sunt legati Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ, etc. (5. Et dicuntur *a latere*, quia cardinales ad latus Summi Pontificis assistunt, et sic dum mittuntur, quasi *a latere* extrahi videntur. Papa enim, et cardinales unum corpus mysticum faciunt, cujus caput est Papa, et membra ejus sunt cardinales; arg. cap. *Si quis cum militibus* 22, caus. 6, qu. 1, ibi : « Nam et ipsi pars corporis nostri sunt, » ac propterea legati *a latere* nuncupantur cap. *Decreto* 11, caus. 2. qu. 6, ibi : « Ante legatos nostros ex latere missos : » et cap. *Si quis episcopus* 30, ead. caus. et quæstione, ibi : « Ut de latere suo presbyteros mittat. » Sic Cohell. in Notitia cardinal. cap. 16, privileg. 16, in princip. Tondut. Qu. Beneficial. par. 3, cap. 20. Barbosa lib. 1 Jur. Eccles. universal., cap. 1, n. 1. Card. Petra t. II. Comment. ad Constit. 3 Alexand. III, sect. 1, n. 1, et alii passim. (6. Legati *a latere* extraordinarii sunt illi, qui mittuntur occasione alicujus emergentis necessitatis Ecclesiæ universalis, ut ad concilia convocanda, vel etiam apud reges pro pace promovenda, sive pro Summi Pontificis paterno amore alicui regi in ejus adventu testificando, vel alia simili gravi causa. Communis. (7. Et quamvis pluries a Summis Pontificibus pro similibus causis fuerint missi episcopi, et alii non cardinales; nunc autem constans praxis obtinuit non mitti nisi cardinales legatos *a latere*, ut observat eminentissimus Petra loc. cit., n. 9. (8. Et dato quod contingat, ut contingit, mitti alios non cardinales, non datur eis titulus legati *a latere*, sed missus nominatur. nuntius *cum potestate legati a latere*, quæ clausula de stylo curiæ Romanæ consuevit adjici mandatis legatorum, qui fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo mandatum vivæ vocis oraculo receperunt, ut ex aliis notat Barbosa loc. cit., n. 5. * Vide etiam Gambarum De officio legati *a latere*, in proœmio n. 27 seqq. et Villadiego in tractatu De legato, qu. 9, n. 2 seq. * (9. Hinc solis cardinalibus proprie competit nomen legati a latere, a quibus magis Pontificia auctoritas, et majestas repræsentatur; non autem archiepiscopis, episcopis, aliisque prælatis in curia Papæ existentibus, et ab ipso missis; ut tradunt Glossa in cit. cap. *Cum non ignoretis* 1, De offic. legati, verb. *Legationis*, et in cit. cap. *Excommunicatis* 9, eod. tit., verb. *Commissam;* Speculator tit. De legat. § sequitur n. 1 et 2. Boerius De potestat. Legati *a latere*, n. 12, et plurimi alii cum Barbosa loc. cit., n. 4.

(10. Legati missi, seu nuntii apostolici dicuntur, et sunt illi prælati, non cardinales, qui a Papa mittuntur ad alios principes pro obeundo apud ipsos munere legationis, cap. *Volentes* 8, De officio legati : Et tales sunt nuntii Germaniæ, Franciæ, Hispaniæ, etc., et olim apocrisarii dicebantur Græco vocabulo; quasi secretarii, ut in cap. *Septuaginta* 12. dist. 26. et in cap. *Significasti* 4, De election., et Glossa ibidem, verb. *Apocrisarii*, ubi expresse dicit : « Apocrisarii dicuntur nuntii domini Papæ quasi secretarii ; » et in regnis seu provinciis sibi commissis in negotiis agendis personam gerunt, et auctoritatem Romani Pontificis : cap. *Valde necessarium* 1, dist. 94. * Nuntiorum apostolicorum duas classes distinguit Leopoldus Pilati origin. Jur. Pontif., l. 1, tit. 21, De legatis apostolicis; alios primi ordinis, qui scilicet sunt apud imperatorem, regesque Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ; alios secundi ordinis, cujusmodi sunt nuntii Poloniæ, Neapolis, apud Venetos, Florentiæ, Bruxellis, Coloniæ, Lucernæ. Adde his internuntios ut qui nunc Augustæ Taurinorum residet. Universe de nuntiis *missis* præter interpretes Decretalium ad lib. 1, tit. 30, De officio legati copiosius agunt Barbosa Jur. eccles., l. 1, cap. 5 seqq. Petrus Levrenius in Foro ecclesiastico, et Matthias a Corana in Tract. posthumo de potestate, et dignitate legatorum apostolicorum, etc. Leodii 1572. Cavebis autem, si sapis, a commentatione historico-canonica De legatis, et nuntiis Pontificum, eorumque fatis et potestate, quæ ab Anonimo prodiit in Germania 1785 ; scatet enim mendaciis, erroribusque juri Pontificii primatus omnino repugnantibus, ut cum ait, ne ipsum quidem Pontificem esse posse ordinarium, et immediatum judicem in diœcesibus episcoporum, aut causas per appellationem ad se devolutas Romæ cognoscere, ac definire posse. *

(11. Legati nati dicuntur, et sunt illi, quorum dignitati, quam in Ecclesia obtinent, munus legationis est annexum, et dicuntur legati nati, non quod a Sede Apostolica non hauriant auctoritatem, sed quod hanc illa dederit fixæ cuidam Ecclesiæ, et quicunque illi fuerit præfectus, una simul etiam fiat, ac veluti nascatur legatus apostolicus, utpote cujus munus suæ dignitati de jure annexum habet. Sic legatus natus a jure dicitur archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, ut ex-

Digitized by Google

presse nabetur in cap. *Cum non ignoretis* 1, De officio legati, archiepiscopus Eboracensis item in Anglia, ut habetur in cap. *Dilecti filii* 1, De appellationibus. Archiepiscopus Rhemensis in Gallia, ut habetur in cap. *Per venerabilem* 13, § Verum qui filii sint legitimi, et sic de aliis.* In Germania plures archiepiscopi legatorum natorum nomine insigniuntur, ut archiepiscopus Salisburgensis, elector Coloniensis, archiepiscopus Pragensis, de quibus consule Holl, in Statistica Eccl. Germ., part. I, cap. 6, § 33. *

(12. Omnes supradicti legati tum de latere, tum missi, tum nati, habent jurisdictionem ordinariam in provinciis sibi concreditis; et talis jurisdictio ipsorum legatorum non expirat per mortem Papæ legantis, quamvis ipsa jurisdictione nondum uti cœperint, immo provinciam suam necdum ingressi fuerint. Sic desumitur ex cap. *Legatos* 2, De offic. legati in 6. Glossa ibid., verb. *Declaramus*. Legati enim Papæ sunt, et esse dicuntur legati Sedis apostolicæ, ut cap. *Dilectus* 6, et cap. *Nemini dubium* 10, De offic. legati, et sæpe alibi. Ipsa autem Sedes Apostolica nunquam moritur; cap. *Si gratiose* 5, De rescript., in 6, adeoque, etc. Sic Glossa in cit. cap. *Legatos*, verb. *Declaramus* Fagnan. in cap. *Cum olim* 14, De majoritat. et obed., num. 67, cum variis aliis; Barbosa l. c., num. 90, et alii ibi citati, Reiffenstuel loc. cit., num. 11. Layman, et alii passim.

(13. Omnes supradicti legati possunt causas ad se pertinentes aliis delegare, cum hac tamen advertentia, quod jurisdictio delegatorum ab ipsis legatis expirat una cum legatorum officio, seu finita horum legatione, quando res est adhuc integra, secus vero quando res non est amplius integra, sed causa delegata jam incœpta est; cap. *Licet undique* 30, De officio delegati, et concordat cap. *Relatum* 19, cap. *Gratum* 20, De officio delegati, et cap. *Quamvis* 6, eod. in 6, cap. *Nemini dubium* 10, De officio legati, et l. Et quia, ff. De jurisdict. omn. Judic. (14. Ut res non sit amplius integra sufficit citatio partis facta per delegatum ante cessationem legationis legati. Vide verb. *Delegatus*, n. 45.

(15. Imo sufficit quod ante cessationem legationis legati præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit; vid. cit. verb. *Delegatus* a n. 46.

(16. Omnes supradicti legati possunt causas suorum provincialium per appellationem ad ipsos devolutas cognoscere, et debito fine terminare. Communis, textu expresso in cit. cap. *Cum non ignoretis* 1, De offic. legati. (17. Imo, de jure antiquo ex cit. cap. *Cum non ignoretis*, poterant olim legati cognoscere, et definire non solum causas per appellationem, sed etiam per simplicem querelam, etiam in prima instantia ad ipsos delatas. At jure novo concilii Tridentini sess. 24, *De reform.*, cap. 20, § Legati quoque etiam de latere, etc., est limitata eorum facultas, et est expresse statutum, quod causæ omnes fori ecclesiastici in prima instantia coram ordinariis locorum sint cognoscendæ, ac terminandæ, nec legati etiam de latere, et nuntii, quarumcunque facultatum vigore, possint in prædictis causis episcopos impedire, aut alio modo jurisdictionem iis præripere; alias eorum actus, et processus nullius momenti sint, et ad damni satisfactionem partibus illati teneantur; unde nisi speciali facultate post concilium sint muniti, in prædictis causis nullatenus se ingerere possunt. Sic sacra congr. Conc. in nullius 24 Augusti 1640, et in Pisaurien. 14 Mart. 1648. (18. Imo omnes supradicti legati neque se intromittere possunt in causis illis, quæ per Papam specialiter cuipiam alteri delegantur, cum mandatum speciale deroget generali. Communis, textu expresso in c. *Studuisti* 2, De officio legati.

(19. Legati Papæ in hoc differunt ab ejus delegatis, quod delegati Papæ dicantur illi, quibus una tantum, vel certæ causæ delegantur terminandæ, extra quam, vel quas non extenditur ejus jurisdictio, cum sit limitata, et solum delegata, et non ordinaria vi proprii officii, arg. l. 1, § *Qui mandatum*, ff. *De officio ejus, cui mandata est jurisdictio*. Econtra vero legati Papæ habent jurisdictionem, et facultatem cognoscendi de omnibus causis concreditæ sibi provinciæ; nec eorum jurisdictio est limitata, et delegata, sed vere ordinaria vi proprii juris, officii, et dignitatis, arg. l. *More majorum*, et l. *Quia*, ff. *De jurisd. omnium Jud.* Et sic communis doctorum.

(20. Legati a latere excellentiorem, et ampliorem jurisdictionem præ aliis legatis habent. Communis. (21. Unde legati a latere de jure possunt absolvere quoscunque excommunicatos ob percussionem clerici etiam enormem, imo et ob cædem ejusdem; et hoc non solum intra provinciam suæ legationis quo ad suos subditos, sed etiam extra suam provinciam quo ad omnes extraneos, undecumque ad se accedentes a die egressus ex Urbe usque ad diem reditus in eamdem: c. *Quod translationem* 4, et cap. *Excommunicatis* 9, De offic. legati, arg. a sensu contrario desumpto, et expresse cap. *Ad Eminentiam* 22, De sentent. excommunicat. Glossa in cit. cap. *Excommunicatis* 9, De offic. Legati, verb. *Mittuntur*. Barbosa lib. I. Juris ecclesiast. univers., cap. 5, n. 27, cum pluribus ibi citatis, Azorius part. II, lib. V, cap. 32, qu. 6. Reiffenst. l. c., n. 28, et 45, in fine, et alii passim.

(22. Legati autem non de latere, seu missi, vel nuntii sine speciali facultate nequeunt de jure extra provinciam sibi commissam absolvere a tali excommunicatione ob percussionem clerici, vel monachi, et intra suam provinciam possunt absolvere solummodo subditos suos, non autem extraneos aliunde accedentes. Communis, textu expresso in cit. cap. *Excommunicatis* 9, De offic. legati. (23. Legati autem nati nequeunt sine speciali facultate neque intra suam provinciam absolvere suos subditos a tali excommunicatione ob percussionem clerici, vel monachi, communis, textu expresso in cit. cap. *Excommunicatis*.

(24. Legati a latere possunt concedere

Digitized by Google

licentiam abbati exempto, ut eligi possit in episcopum, et transire possit ad ecclesiam sibi concessam. Communis, textu expresso in cap. *Si abbatem* 35, De election. in 6. (25. Id tamen non possunt alii legati sine speciali sibi concessa facultate. Communis, textu claro in cit. cap. *Si Abbatem*. (26. Legati *a latere* possunt confirmare electiones episcoporum. Communis, textu expresso in cit. cap. *Si abbatem*, § Hujusmodi 36, De elect. in 6. (27. Id autem non possunt alii legati sine speciali sibi concessa facultate. Communis textu expresso in cit. cap. *Si abbatem* § Hujusmodi in fine, ibi : « Alii autem legati hoc nequeunt, nisi id eis a Sede ipsa (Apostolica) specialiter sit commissum. »

(28. Legati *a latere* possunt conferre beneficia quæ vacant tempore suæ legationis in provincia sibi concredita. Communis, textu expresso in cap. *Dilectus*, 6, De offic. legati, et cap. *Officii nostri* 1, cod. in VI, cum similibus. (29. Imo, spectato jure communi, legati *a latere* concurrunt cum quolibet ordinario suæ provinciæ in collatione beneficiorum, ita ut inter ipsos simul, et Papam locus sit præventioni, c. *Si a Sede* 31, De præbend., in 6. Rota in una Assiensi Beneficii 9, Mart. 1587, cor. Orano, Glossa communiter recepta in cap. *Offic. nostri* 1, De offic. legati, in 6, verb. Ampliori. (30. Id tamen sine speciali pontificia concessione nequeunt alii Legati. Communis, textu expresso in cit. cap. *Officii nostri* 1, De offic. legati, in 6. (31. Excipiuntur tamen legati missi, seu nuntii apostolici, qui ex facultatibus sibi concessis possunt conferre quæcunque beneficia, etiam reservata, dummodo non excedant valorem ducatorum 24. Rota part. XV, recent. dec. 24, num. 3. (32. Legati autem nati in sua provincia extra suam diœcesim sine speciali pontificia concessione nequeunt ulla beneficia, utcunque minima, conferre. Communis, arg. cit. cap. *Officii nostri* 1, De offic. legati, in 6.

(33. Alia de iis, quæ possunt legati *a latere*, et nuntii apostolici circa collationem beneficiorum, vide verb. *Beneficia*, art. 5, a n. 10 usque ad 29. Et de iis, quæ non possunt, vide d. verb. *Beneficia*, cit. art. 5, a n. 51 usque ad 60.

(34. An autem legati *a latere*, et nuntii apostolici possint in sibi commissis provinciis conferre ordines, et approbare confessarios ? Vide verb. *Approbatio*, art. 1, a n. 26 usque ad n. 33.

(35. Quibus adde sequentia tredecim dubia proposita, et resoluta in sacra congregat. Concilii 29 Februar. 1707, videlicet.

1. « An nuntius apostolicus apud Helvetios possit concedere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, vel etiam regularium, imo et monialium in diœcesi Comen. sine licentia, et approbatione ordinarii loci ? »

2. « An idem nuntius, sacerdotibus non approbatis ad audiendas confessiones, concedere possit facultatem absolvendi in foro interno ab hæresi, censuris, » etc.

3. « An possit concedere facultatem generalem absolvendi a casibus ordinario reservatis, et quatenus affirmative. »

4. « An expediat adhiberi aliquod moderamen in hujusmodi facultatum communicatione, tam circa numerum, quam circa qualitates personales eorum quibus conferuntur ? »

5. « An possit concedere suis commissariis, subditis diœcesis Comen. facultatem eligendi sibi confessarium, etiam non approbatum ab ordinario ? »

6. « An possit concedere licentiam retinendi, et legendi libros hæreticorum, seu alios quomodolibet prohibitos ? »

7. « An commissarii nuntiaturæ accedere possint ad monasteria monialium, easque alloqui, etiam citra necessitatem officii, absque licentia ordinarii ? »

8. « An iidem commissarii concedere possint aliis ad eos recurrentibus licentiam alloquendi moniales sine licentia ordinarii ? »

9. « An dicti commissarii obligati ad residentiam ratione canonicatus, vel alterius beneficii, possint ab illa abesse pro negotiis commissariatus, et nihilominus lucrari distributiones, aliaque omnia emolumenta tanquam si essent præsentes ? »

10. « An idem reverendissimus nuntius concedere possit dictis commissariis licentiam retinendi famulas, quamvis non annosas, cum derogatione quaruncunque ordinationum per ordinarios locorum quomodolibet factarum ? »

11. « An concedere possit facultatem exorcizandi independenter ab ordinario ? »

12. « An iidem commissarii concedere possint licentiam laborandi in diebus festis ? »

13. « An commissarii nuntiaturæ punire possint etiam in prima instantia festorum violatores, blasphematores, aliosque contra Dei, et Sanctæ Sedis præcepta temere agentes ? »

Die 26 Februarii 1707, propositis in sacra congregatione Concilii dictis tredecim dubiis ; eadem sacra congregat. Concilii respondit ut infra.

Ad 1, 2, 3, 5, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, *Negative*. Ad 4, provisum in 1, 2 et 3. Ad 6, ad congregationem Sancti Offic.

(36. Sic refert Ursaya tom. II, part. I, discept. 31, ubi in fine adducit alia 16 dubia, quæ dicit non fuisse in eadem sacra congregatione Concilii proposita, et ea ipse, variis adductis, negative resolvit a n. 19 usque ad n. 92, unde videri possunt apud ipsum, qui post plurima solida fundamenta pro tali negativa resolutione adducta sub n. 93, sic præcise concludit : « Adversus quæ in universum non relevat asserere, quod S. R. E. cardinales legati *a latere*, et apostolicæ Sedis nuntii, uti ordinarii ordinariorum, possint in suis provinciis omnia ea, quæ episcopi possunt in eorum diœcesibus, et proinde cum illis possunt concurrere, eosque prævenire ex ratione, quia gerunt vices Apostolicæ Sedis, et Summi Pontificis personam re-

Digitized by Google

præsentant. Quia (sunt verba Pignatell. consultat. 187, n. 14, tom. IX) « hæc et similia non procedunt in iis, quæ a sacris canon. et sacr. conc. Trid. et Const. Apost. expresse proprio ordinario reservata sunt. »

(37. Nuntius apostolicus, si absque facultate sanctæ Sedis promoveat ad sacros ordines clericos suæ provinciæ, ipse, et ordinati incurrunt in pœnas impositas a sacro concil. Trident. cap. 8, sess. 22, *De reformat.* Sic sacra congregat. in Taurinens. 16 Apr. 1633, teste Bonfadino in Thesauro Ecclesiast. lec., resol. 31, n. 4, et Barbosa Summa Apostolicar. decis., verb. *Nuntius apostolicus* n. 4. (38. Nuntius apostolicus non debet exercere divina in ecclesia archiepiscopi absque ejus licentia. Sacr. Congreg. Rit. in Taurinens. 9 Mart. 1593, quam refert Sellius in Select. Canon., cap. 22, n. 3, et Barbosa loc. c., n. 2.

(39. Legati et nuntii apostolici non possunt pro se, vel pro suis consanguineis procurare a principibus, ad quos destinantur, favores, vel eis uti ad consequendas dignitates apud Sedem Apostolicam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservatæ: Pius IV, constitu. 96, incipient. *Et si Romanum.* (40. Legati et nuntii apostolici non possunt procedere contra clericos nisi episcopo prius requisito et negligente; alias acta et processus nullius sunt valoris, et tenentur ad restitutionem, et damna. Conc. Trid. sess. 24, De reform., c. 20.

(41. Legato præsente in civitate, episcopus non potest populo benedicere, nec uti mozzetta, vel rocheto discooperto ; intra vero propriam ecclesiam potest, si ibi non sit præsens legatus, vel eo annuente. Sacra Congregat. Conc. in Perusina 2 Octob. 1601, quam refert Sellius loc. cit., cap. 2, n. 83, et Barbosa loc. c., verb. *Legatus*, n. 2. (42. Legato *a latere* præsente, cæteri legati deponunt sua insignia, et suspenditur, pendente præsentia ipsius, exercitium potestatis eorum. Communis, textu expresso in c. *Volentes* 8, De officio legati:

(43. Legatus *a latere* potest cognoscere de causis contra exemptos ; cap. *Si Abbatem* 36, De elect. in 6, ibi : « Ei tamen ab alio, quam a nobis, vel ab Apostolicæ Sedis legato, si sit in provincia de latere nostro missus ; » Barbosa lib. 1, Jur. ecclesiast. univers, c. 5, n. 77, cum plurimis aliis ibi citatis. Diana par. 1, tract. 2, res, 16. Donatus Prax. rerum regular., tom. I, tract. 13, qu. 9, n. 1, et alii passim.

(44. Alii autem legati non possunt de jure, sine speciali facultate pontificia in exemptos jurisdictionem exercere ; cit. cap. *Si abbatem ;* Barbosa loc. cit., n. 8. Diana loc. cit. Donat. loc. cit., cum aliis ibi ab ipsis adductis. Dicitur autem notanter « De jure sine speciali facultate Pontificia ; » quia legati missi, seu nuntii apostolici jam solent talem facultatem a Sede Apostolica obtinere ; unde ex Rota part. 11, recent. decis. 345, n. 14. Nuntius est judex exemptorum, et potest alios judices exemptis subdelegare.

(45. Legatos in sua provincia valide assistit matrimoniis : validum enim est matrimonium contractum coram ipso. Sic pluries declaravit sac. congr. Conc. et signanter in Nullius 4. Jul. 1602, ut in lib. x Decret., fol. 36, et in alia Nullius 3 Jun. 1628, ut in l. XIII. Decret., fol, 467, et in dub. Jurisdict. 22 Mart. 1681, ut in lib. XXXI, Decret. fol. 363, apud Ursayam tom. I, part. II, discept. 2, n. 156, ubi plures cit. doctores, et tenent alii passim.

(46. Legati et nuntii apostolici possunt subditis suæ legationis, et nuntiaturæ pro quocumque opere pio concedere centum, et plurium dierum indulgentiam, attamen semper minus, quam annum. Pro templo autem, seu capella, possunt concedere indulgentiam 7 annorum, et 7 quadragenarum pro illis, qui confessi communicaverint, et in eo loco de more oraverint ad intentionem ecclesiæ. Vide verb. *Indulgentia*, art. 2, n. 22. (47. Et tales indulgentiæ concesse a legatis et nuntiis sunt perpetuæ, et durant etiam legatione et nuntiatura finita, et post mortem concedentis ; Barbosa lib. 1, Juris ecclesiast. univers. cap. 5, n. 86, cum plurimis ibi citatis.

(48. Legatus et nuntius absque speciali facultate apostolica non habet auctoritatem extrahendi a loco immuni, nec consignandi reum curiæ sæculari. Sacr. congreg. Immunitatis in Bononien. 17 Aug. 1630, lib. II, Decret. Pauluc., pag. 53. Quare eminentissimus legatus extrahere faciens homicidas ab ecclesia, mandat reponi. sac. congr. Immun. in Ferrariens. 29 Decemb. 1635, lib. Scripturar. veterum, p. 77. Eminentissimo legato petenti facultatem a Sanctissimo procedendi contra sacerdotem indicatum, ut mandantem occisionem, Sac. Congreg. respondit non expedire. Ead. Sac. Cong. in Bononien. 15 Jun. 1688, lib. 1, Decret. Mart., pag. 303.

(49. Legatus et nuntius apostolicus absque speciali facultate apostolica nequit absolvere ab excommunicatione ob violatam immunitatem ecclesiasticam ; unde absolutio concessa ab eminentissimo legato sine facultate apostolica non suffragatur ; et injungitur episcopo, ut denuo absolvat auctoritate sacræ congregationis. Ead. sacra congregat. Immunit. in Papiens. 11 Jul. 1676, lib. 1, Decret. Altov., pag. 1302.

(50. Legatus duarum, vel plurium provinciarum, potest in una jurisdictionem exercere de negotiis, et causis alterius. Communis, textu expresso in cap. *Novit ille* 7, De officio legati. (51. Legati Papæ statuta durant etiam finita legatione. Communis, textu expresso in cap. *Nemini* 10, De officio legati.

(52. Legati jurisdictio, seu officium cessat quatuor modis, ut observat Glossa communiter recepta in cap. *Præsenti* 3, De officio legati in 6, verb. *finitur*. Primo per mortem ipsius legati, si legatio fuit personalis. Secundo per expletum sibi præfixum tempus, si legatus fuit destinatus ad terminatum tantum tempus ; arg. cap. De causis 4, De offic. delegati. Tertio per egressum ipsius a

Digitized by Google

provincia, seu provinciis sibi commissis animo non redeundi arg. cap. *Nemini* 10, De offic. legati (53. Quarto per ejusdem legati revocationem a Papa factam. Dummodo tamen talis revocatio fuerit jam ipsi legato intimata, alias dum legatus ipsam revocationem ignorat, perseverat ejus jurisdictio et valida sunt quæ interim gerit, arg. cap. *Audita* 4, vers. *Quia tamen.* De restit. spol.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(54. De legato quæri solet, an ei asserenti munitum se specialiter a S. Sede esse quibusdam facultatibus, credendum sit?

(55. Affirmavit Rota in Polocen. Bonorum 21 Jun. 1726, § Porro, coram bon. mem. Cornel. et 7 Febr. 1729, § 9, et plur. sequent. coram clar. mem. Aldovrand. et 14 Maii 1751, § 6 et seq., coram bon. mem. Vicecom.

(56. Negasse autem videtur idem supremum tribunal in Nullius. seu Piscien. Beneficii 5 Mart. 1719, § 7, coram, bon. mem. Gamaches, in Salamantina Beneficii 19 Jun. 1744, § eodem, et 24 Jan. 1746, § Pariter, coram clar. mem. Millin. et in Hildesimen. Manutensionis 17 Mart. 1749, § 19, et 4 Jul. ejusdem anni 1749, § 3, coram Eminentiss. Elephantus.

(57. Non male autem cardinalis Petra in Comment. ad Const. Apostol., const. 3 Alexandri III, sect. 2, n. 12 et sequent. — « Ego vero (inquit) in hoc distinguendum puto, aut agitur de re, quæ non sit directa in præjudicium tertii, etsi generaliter influat, et agatur de actu, qui generaliter concedi solet legatis, et tunc debet eisdem credi, quia eo ipso quod legatus est a latere, habet ea omnia, quæ de jure, vel consuetudine illi debentur, etsi consequenter jus alterius lædatur, quia est præjudicium consequens actui necessario. Si vero actus, quem præstat, non sit a jure permissus legatis, et insuper agatur de re alteri præjudiciali, tunc debet ostendere facultates, quia vere non agit uti legatus, sed potius uti specialem facultatem exercens, quæ non præsumitur. » Confer etiam Fagnan. in capit. *Cum in jure*, n. 49 et 50, De offic. et potest. jud. delegat.

ADDITIONES CASINENSES.

Idem sonat legatus, quod *apostolus* et *missus*, dictique sunt legati pontificii, qui mandatas Sedis Apostolicæ vices obire consueverunt, a Romanis Pontificibus vel missi ut conciliis præsiderent; vel ut defensores Patrimonii divi Petri, Ecclesiæve Romanæ essent; vel uti apud reges, magnosque principes Ecclesiæ universalis negotia procurarent; vel ut consecrationes episcoporum, aliaque Sedi Romanæ reservata negotia peragerent in longinquis præsertim occidentalibus regionibus insigniores episcopi, Pontificio vicariatu adaucti, modo personaliter, quoad vel ipsi viverent, vel pontificibus legantibus libuisset; modo realiter ob perpetuam eorumdem sedibus adnexam legationis prærogativam, ut ex cap. *Officii nostri* 1, De offic leg., in 6. Legatorum hinc alii *nati*, aliique *facti*, seu missi nuncupati fuerunt, ut late apud Lucium nostrum in hoc articulo. Cæterum de hoc argumento iterum sub v. *Nuntius* agemus.

LEGISLATOR.

Vide verb. Lex, *art.* 2, *per tot., et art.* 3, *a n.* 13 *ad.* 25.

LEGITIMA.

SUMMARIUM.

1. Legitima quid sit? — 2. Legitima quomodo, et quanta debeatur liberis, seu descendentibus? — 3. In descendentium numero computandi sunt etiam qui hæreditati renuntiarunt, seu religionem capacem bonorum professi sunt. — 4. Non computandi tamen sunt in tali numero, qui legitime sunt exhæredati, nec qui religionem incapacem bonorum professi sunt. — 5. Liberi immediati de legitima participant in capita; nepotes autem, si plures sint filii unius ex liberis, tanquam unius patris personam repræsentantes, etiam unius tantum portionem participant in stirpem. Et si unicus sit nepos filius alterius liberi, tantum participat ex se solo, ac omnes illi plures simul. — 6. Si autem, nullis exstantibus liberis testatoris, exstent plures nepotes omnis filii unius solius liberi præmortui, tunc omnes isti nepotes succedunt in capita, et faciunt tantum numerum ad computandam legitimam, ac si essent immediati filii testatoris. — 7. Si vero nullis exstantibus liberis testatoris, plures exstent nepotes filii non unius tantum, sed diversorum liberorum dicti testatoris, tunc omnes isti nepotes non succedunt in capita, sed in stirpem, et quantitas eorum legitimæ metienda est a quantitate suorum genitorum. — 8. In solo defectu descendentium debetur legitima ipsa ascendentibus, et talis legitima debita ascendentibus universaliter est *triens*. — 9. Fratribus et sororibus nunquam debetur legitima, nisi in casu, quo instituitur turpis persona. — 10. Fratrum et sororum legitima in tali casu esset quarta pars illius, quod ab intestato accepis ent. — 11. Legitima debetur ex solis bonis propriis testatoris, deducto prius ære alieno et expensa funeris. — 12. Legitima debetur ex omnibus et singulis bonis ita ut non sit in libertate hæredis universalis eam tradere in rebus sibi benevisis, ut in numerata pecunia, nisi, etc. — 13. Pro deducenda legitima computari debent, non solum bona post mortem testatoris, deducto ære alieno, et expensa funerum, exstantia, sed etiam illa, quæ hæredes necessarii in vivis jam receperunt, sive per modum dotis, sive per donationem et hujusmodi, nisi testator contrarium expresse statuerit. — 14. Excipiuntur tamen expensæ factæ a parentibus in educandis liberis, seu studiorum, vel opificii, aut artis addiscendæ causa. — 15. Legitima debetur filiis non solum ex bonis patris, sed etiam ex bonis matris. — 16. Tam ex bonis dotalibus, quam ex extradotalibus libera ab omni onere. — 17. Legitima de omnibus bonis parentum est debita filiis de jure naturæ. — 18. Legitima debetur etiam filio legitimato. — 19. Legitima de omnibus bonis non solum debetur filio, sed etiam nepoti, et nepti ex bonis avi, vel aviæ, non existente tamen eorum patre et matre. — 20. Legitima liberis, et parentibus relinqui debet titulo

Digitized by Google

institutionis, seu hæredis, adeo ut si alicui relinqueretur alio titulo, posset is testamentum, quoad hæredis institutionem, dicere nullum. — 21. Si alicui descendenti, aut ascendenti relinquatur pro legitima minor portio, quam supra assignata, competit ei actio ad petendum complementum legitimæ, quæ actio durat ei usque ad trigenta annos. — 22. Si autem sine justa exhæredandi causa non solum minor portio, quam assignata, sed nulla relinquatur pro legitima, testamentum ipso jure est nullum, quoad extranei hæredis institutionem, non item quoad legata, commissa, et hujusmodi. — 23. Si vero legitima causa exhæredationis sit testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi necessario querela inofficiosi testamenti, per quam poterit evacuare testamentum, quoad hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium. — 24. Legitimæ supplementum peti potest, etiamsi pater aliquid reliquerit filio, vel filiæ pro legitima cum expressa prohibitione, ut nihil aliud possit petere. — 25. Legitima debita hæredibus necessariis debet relinqui sine ullo onere, aut gravamine, alioquin apposita onera et gravamina, habentur pro non appositis. — 26. Legitima debetur filiis statim post obitum patris. — 27. Legitima debetur statim a die obitus patris seu testatoris, una cum fructibus. — 28. Legitima sicut debetur descendentibus una cum fructibus a die mortis, ita etiam debetur ascendentibus. — 29. Fructus ex legitima debentur, quando hæreditas consistit in stabilibus, aliisque bonis fructiferis, licet legitima relinquatur in quantitate. — 30. Hujusmodi fructus ubi debentur, taxantur ad rationem quinque pro centenario, et anno. — 31. Legitima debetur statim non solum a die mortis naturalis, sed etiam a die mortis civilis, unde debetur filio, vel patri statim emissa monachi professione, non exspectata morte naturali, etiamsi agatur de monasterio in communi bonorum. — 32. Legitima debetur etiam matri a die emissæ professionis filii et filiæ. — 33. Si vero mater, et pater tempore professionis ad secundas nuptias convolaverint, legitimam acquirere non possunt, nisi quoad simplicem usumfructum, non autem quoad proprietatem. — 34. Intellige tamen in casu, quo adhuc existant filii primi matrimonii; secus autem si sint præmortui, et amplius non existant, nec descendentes ex ipsis. — 35. Si vero præmortuis filiis, existant adhuc nepotes, et alii descendentes, proprietas talis legitimæ erit servanda pro ipsis. — 36. Quando monasterium tenetur solvere legitimam filiis patris professi debet eam tradere, etiamsi filii præcedant patri, cum jus exigendi legitimam transmittatur ad ejus hæredes, etiamsi non fuerit petita. — 37. Imo transit ad hæredes etiam extraneos, quamvis filius in vita legitimum, vel supplementum non petierit. — 38. Quinimo ho jus petendi legitimam etiam filius monachus transmittit ad monasterium, quamvis ignoraverit. — 39. Legitima non debetur, nec peti potest a filio, viventibus adhuc parentibus. — 40. Et hoc procedit etiam respectu nepotis in bonis avi. — 41. Quamvis autem filio non debeatur legitima ante obitum patris, potest tamen a patre vivente persolvi; dummodo interveniat consensus filii. — 42. Quo casu si legitimam filius acceptavit in vita patris, amplius reclamare non potest, etiamsi augeantur postea facultates paternæ. — 43. Legitima sicuti non debetur filiis ex bonis parentum adhuc viventium; ita non debetur parentibus ex bonis filiorum pariter viventium. — 44. In casu autem, quo pater in vita dissiparet bona sua, posset cogi ad assignandam legitimam filio: et in simili casu posset cogi filius ad assignandam legitimam patri. — 45 ad 52. Additiones ex aliena manu.

(1. Legitima est portio illa hæreditaria, quæ necessariis hæredibus, scilicet, liberis, nepotibus, et aliis descendentibus (iisque deficientibus) ascendentibus in testamento necessario relinqui debet. Communissima. (2. Legitima hoc modo debetur liberis, quod si non sint plures quam quatuor, legitima inter eos dividenda erit *triens*, seu tertia pars totius hereditatis relictæ, deductis prius expensis funerum, et ære alieno, computanda; si autem sint quinque aut plures, legitima inter eos dividenda erit *semis*, seu media pars totius hæreditatis, ut supra inter eos æqualiter dividenda. Nov. 18, cap. 1, et Authent. *Novissima*, quod De inoffic. testam. ibi: « Novissima lege cautum est, ut si quatuor sunt filii, vel pauciores ex substantia deficientis triens; si plures sint, semis debeatur, etc., ex æquo scilicet inter eos dividenda. » De aliis autem partibus extra legitimam parens potest disponere ad suum arbitrium, unde dantur sequentes versus.

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem :
Semissem vero dant natis quinque vel ultra :
Arbitrium sequitur substantia cætera patris.

(3. In supradicto descendentium numero computandi sunt etiam, qui hæreditati renuntiarunt, seu religionem capacem bonorum professi sunt. Tunc enim monachus jus petendi legitimam transmisit ad monasterium : Menoch. consil. 77, n. 8. Castrens. consil. 34. *Ego Paulus*, ad fin. n. 4, lib. 1. Boer. dec. 250, n. 4. Gratian. Discept. forens. cap. 26, n. 15, tom. II. Pannimoll. part. tertia posthum. dec. 151, adnot. 7, n. 43, et alii. (4. Non computandi tamen sunt in tali numero, qui legitime sunt exhæredati ex aliqua ex quatuordecim causis legitimis exhæredandi assignatis, sub verb. *Exhæredatio*, a n. 10, nec qui religionem bonorum incapacem professi sunt : cum tales sint omnimode incapaces, et ratione personæ, et ratione monasterii, ut de se patet.

(5. Liberi immediati de illa portione legitima participant in capita; nepotes autem, si plures sint filii unius ex liberis, tanquam unius partis personam repræsentantes, etiam unius tantum portionem participant in stirpem, et si unus sit nepos filius alterius liberi, tantum participat, ac omnes illi plures, id est si ex tribus, verbi gratia, liberis testatoris unus solus superstes existat, et alii duo præmortui sint, remanente unico solo filio ex uno duorum præmortuorum, et quinque remanentibus ex alio, tunc una tertia pars *trientis*, seu tertiæ partis totius hereditatis testatoris, quæ erat legitima pro tribus suis filiis, debetur suo filio superstiti. Et altera tertia pars debetur illi unico filio relicto ab uno duorum præmortuorum, et alia tertia pars debetur quinque illis relictis ex altero. Unde, ut vides, cum isti quinque repræsentent solum unius partis personam, solum tantum de legitima acquirunt inter omnes, ac ille unicus, qui de se solo unam etiam repræsentat personam æque bene, ac omnes

Digitized by Google

illi quinque simul. Communis, argum. Authent. *De triente et semisse*, et institut. de hæredibus ab intestato, § Cum filius.

(6. Si autem, nullis exstantibus liberis testatoris, exstent plures nepotes, filii unius solius liberi præmortui, tunc omnes isti nepotes succedunt in capita, et faciunt tantum numerum ad computandam legitimam, ac si essent immediati filii testatoris. Unde si non sint plures, quam quatuor, legitima inter eos æqualiter dividenda est *triens*, seu tertia pars totius hæreditatis; et si sint quinque, aut plures legitima inter eos æqualiter dividenda est *semis*, seu media pars totius dictæ hæreditatis. Communis, argum. cit. Authentic. *De triente et semisse*, et instit. De hæredibus ab intest., § Cum filius.

(7. Si vero, nullis exstantibus liberis testatoris, plures exstent nepotes, filii non unius tantum, sed diversorum liberorum dicti testatoris; tunc omnes isti nepotes non succedunt in capita, sed in stirpem, et quantitas eorum legitimæ metienda est a quantitate suorum genitorum, ita ut si eorum genitores non fuerint plus quam quatuor, eorum legitima sit *triens*, et si fuerit quinque; vel plures, eorum legitima sit *semis*. Cum hac tamen advertentia, quod si unius liberi testatoris sit unicus filius, et alterius liberi testatoris sint duo filii, vel tres, vel quinque, vel decem; tantum participat de legitima ille unicus ex se solo, quantum illi duo, vel tres, vel quinque, vel decem omnes simul, cum ex dictis non succedant in capita, sed in stirpem; et ille unicus æque bene repræsentet unam stirpem ex se solo, ac unam tantum stirpem repræsentent omnes dicti alii simul, Communis; arg. cit. Authent. *De triente et semisse*, et cit. institut. de hæredibus ab intestato, § Cum filius. (8. In solo defectu descendentium debetur ipsa legitima ascendentibus, scilicet immediate parenti utrique, vel uno superstiti; et neutro superstite, in locum patris succedunt avus, vel avia paterna, et in locum matris avus, vel avia materna. Novell. 110, c. 1, et communis Doctorum teste Reiffenst. lib. III Decret., tit. 16, n. 114. Et talis portio legitima debita ascendentibus universaliter est *triens* seu tertia pars illius hæreditatis, quam, nullo existente testamento, ab intestato accepissent; argum. Authentic. De hæredibus ab intestato, Authentic. *De triente et semisse*, et Novell. 115, cap. 4.

(9. Fratribus et sororibus nunquam debetur legitima, nisi in casu, quo instituitur turpis persona. Communis. Et ratio est, quia legitima debetur solummodo hæredibus necessariis; fratres autem, et sorores nunquam sunt hæredes necessarii, nisi in dicto casu, ut habetur expresse in § 1 Instit. de inofficios. testam., et l. *Fratres* 27. Cod. eod., ubi statuitur, quod fratres, et sorores consanguinei (id est ab eodem patre nati) non sic tamen fratres, et sorores uterini, id est ab eadem matre, sed diversis patribus progeniti, possint in dicto casu tale testamentum per querelam inofficiosi testamenti impugnare, et rumpere, ibi : « Fratres et sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris et sororis penitus arceantur, consanguinei autem durante agnatione, vel non, contra testamentum fratris sui, vel sororis de inofficioso quæstionem movere possunt, si scripti hæredes infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ macula aspergantur. » (10. Et sic communis doctorum. Fratrum autem, et sororum legitima in tali casu esset quarta pars illius, quod ab intestato accepissent. Communis, arg. leg. Papinianus, § quarta, ff. De inofficios. testament., ubi generaliter legitima erat statuta quarta pars; et licet talis lex fuerit correcta quoad legitimam descendentium, et ascendentium in Authent. Novissima. c. *De inoffic. testam.*, et in Authent. *De triente et semisse*, et alibi; nullibi tamen invenitur correcta quoad fratres et sorores.

(11. Legitima debetur ex solis bonis propriis testatoris, deducto prius ære alieno, et expensa funeris. Communis, textu expresso in cit. l. Papinianus. § Quarta autem, ff. De inoff. testam., ibi : « Quarta autem (hodie est tertia, vel media pars, seu *triens*, vel *semis* ex citatis juribus sub n. 2) accipietur deducto ære alieno, et funeris impensis. » (12. Legitima debetur ex omnibus, et singulis bonis testatoris, ita ut non sit in libertate hæredis universalis eam tradere in rebus sibi benevisis, aut in numerata pecunia, nisi testator expresse aliter disponat, vel ille, cui legitima competit, cum hærede conveniat. Communis cum Rota par. III, recent. dec. 116, n. 4, dec. 514, num 4, dec. 776, n. 5, et sæpe alibi, arg. Novella 18, c. 1, et l. Scimus, cod. De inoff. testament. Et ratio est, quia legitima est tertia, seu media pars totius substantiæ relictæ a testatore; cit. Novell. cap. 1. Authent. *Novissima*, Cod. De inoffic. testam., et authent. *De triente et semisse*. Adeoque non certæ partis talis substantiæ; cum plurimum intersit, unam rem præ alia habere, præsertim cum ille, cui legitima competit, ad rem aliquam affectus est, eo quod majorum fuerit; l. Si in emptione 36, ff. de minor.

(13. Pro deducenda legitima computari debent non solum bona post mortem testatoris, deducto ære alieno, et expensa funerum, exstantia, sed etiam illa, quæ hæredes necessarii in vivis jam receperunt, sive per modum dotis, sive per donationem, et hujusmodi, nisi testator contrarium expresse statuerit. Decius ad l. XVII, cod. De collation. Molina disp. 237. Sichard. ad rubr., eod, De collation. n. 11, et alii communiter; arg. tot. tit., cod. De collation. bonor. et præsertim Novella 18, cap. 6. (14. Excipiuntur tamen expensæ factæ a parentibus in educandis liberis, seu studiorum, vel opificii, aut artis addiscendæ causa, et hujusmodi, ut tenet communis doctorum. (15. Legitima debetur filiis non solum ex bonis patris, ut est certa, et communis cum Rota p. 14, recent. dec. 181, n. 6, et dec. 247, n. 13, et sæpissime alibi, sed etiam ex bonis matris, ut etiam est certa, et communis cum eadem Rota p. III, recent. dec. 103, n. 1, p. 6, dec.

Digitized by Google

49, n. 5, part. 7, dec. 220, n. 4, p. 10, dec. 192, n. 6, et sæpe alibi. (16. Tam ex bonis dotalibus, quam ex extradotalibus, libera ab omni onere. Rota part. 12, decis. 225, n. 1, et sæpe alibi, et communis doctorum. (17. Legitima enim de omnibus bonis parentum est debita filiis de jure naturæ. Authentic. *Ut cum*, De appellat. § Aliud quoque, collat. 8, cap. *Rainutius* 16, De testamentis, ubi expresse dicitur, quod « legitima portio est debita jure naturæ, » et sic Rota p. 5, tom. I, dec. 47, num. 3, dec. 42, num. 14, 15 et seq. (18. Legitima debetur etiam filio legitimato. Rota p. 3, dec. 401, sub-num. 1, par. 4, tom. I, dec. 38, num. 6, part. 5, tom. I, decis. 360, num. 15, et doctores passim.

(19. Legitima de omnibus bonis non solum debetur filio, sed etiam nepoti, et nepti ex bonis avi, vel aviæ, non existente tamen eorum patre, vel matre, respective referendo. Rota p. 1, dec. 479. n. 7, p. 4, tom. I, dec. 543, n. 1, p. 5, tom. I, dec. 329, n. 7, p. 6, dec. 355, n. 2, p. 10, dec. 193, n. 9, par. 12, dec. 311, n. 4 et 7, p. 18, tom. I, dec. 190, n. 8, et sæpe alibi, et communis doctorum.

(20. Legitima liberis et parentibus relinqui debet titulo institutionis, seu hæredis, adeo ut si alicui relinqueretur alio titulo, verbi gratia, legati, fideicommissi, donationis, et hujusmodi, posset is testamentum, quoad hæredis institutionem, dicere nullum. Communis, textu claro princip. instit. de exhæredand., lib. et § 5. Instit. et Novella 115, c. 3, ubi expresse habetur non sufficere, « si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel aliam quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem. »

(21. Si alicui descendenti, aut ascendenti relinquatur pro legitima minor portio, quam supra assignata, competit ei actio ad petendum complementum legitimæ, quæ actio durat ei usque ad triginta annos. l. Omnimodo, cod. De inofficios. testament., et Auth. *Ut cum, de appellat. cognoscitur*, § Hæc autem disposuimus, et sic ex communi sententia Gomez. 1, resol., c. 11, n. 23. Molina disp. 177. Layman lib. III, *De justitia*, tract. 5, n. 11. (22. Si autem sine justa exhæredandi causa non solum minor portio, quam assignata, sed nulla relinquatur pro legitima, testamentum ipso jure est nullum, quoad extranei hæredis institutionem (non item quoad legata, commissa, et alia). Authentic. *Ex causa*, cod. De liberis præteritis. (23. Si vero legitima causa exhæredationis sit testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi necessario querela inofficiosi testamenti, per quam poterit evacuare testamentum, quoad hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium; l. Si quis filium 34, l. Scimus 35. cod. De inofficios. testam. et ex communi docet Jul. Clarus q. 40, n. 5.

(24. Legitimæ supplementum peti potest, etiamsi pater aliquid reliquerit filio, vel filiæ pro legitima, cum expressa prohibitione, ut nihil aliud possit petere; in quantitate enim legitimæ lex non confidit de singulari affectione patris, et sic quod deficit, ipso jure suppletur etiam contra dispositionem et voluntatem patris; l. Scimus post princip. vers. *Repletionem*, cod. De inofficios. testam., et § Hæc autem disposuimus, vers. *Cæterum*, in Auth. *Ut cum de appell. cognoscitur*, et tenent Salicet. in leg. Quoties, n. 13. cod. De hæred. inst. Aret. in l. Ex facto, n. 15, vers. *Est tamen hodie casus*, De vulgar. subst. Socin. Senior. consil. 1, n. 3 et 4, lib. IV. Matica De tacit. et ambig. convent., lib. XII, tit. 23, n. 1. Alexander consil. 69, n. 4, et consil. 128, in princip lib. I, Panimoll. p. 3, posthum. dec. 151, adnot. 7, n. 44, et alii passim. Rota p. 10, recent. dec. 103 n. 35, p. 16, dec. 187, n. 2, et dec. 188, n. 2, et sæpe alibi.

(25. Legitima debita hæredibus necessariis, sive descendentibus, sive ascendentibus, debet relinqui sine ullo onere aut gravamine; alioquin apposita onera et gravamina habentur pro non appositis. Communis, textu expresso in leg. Quoniam. et leg. Scimus, cod. De inofficios. testament., cum similibus et cap. *Rainutius* 16, De testamentis. Rota part. 1, dec. 201, n. 1, par. 8, dec. 269, n. 8, part. 11, dec. 311, n. 8, p. 12, decis. 426, n. 8, et sæpissime alibi.

(26. Legitima debetur filiis statim post obitum patris; Rota p. 4, t. I, dec. 302, n. 3, p. 5, t. I, dec. 272, n. 6, p. 5, t. II, dec. 579, n. 15, et sæpissime alibi. (27. Legitima debetur statim a die obitus patris, seu testatoris una cum fructibus. Rota p. 2, recent. decis. 528, n. 3. p. 9, t. II, dec. 459, n. 10, p. 13, dec. 536, n. 1 et 13, p. 17, dec. 592, n. 5, et sæpe alibi. (28. Legitima sicuti debetur descendentibus una cum fructibus a die mortis, ita etiam debetur ascendentibus. Rota part. recent. decis. 759, n. 3, p. 5, tom. I, decis. 61, n. 65, part. 11, decis. 140, n. 2. (29. Fructus ex legitima debentur, quando hæreditas consistit in stabilibus, aliisque bonis fructiferis; licet legitima relinquatur in quantitate. Rota p. 10, recent. dec. 39, n. 11, par. 12, dec. 20, n. 24, p. 16, dec. 188, n. 7, p. 19, tom. I, dec. 190, n. 2. (30. Hujusmodi fructus ubi debentur, taxantur ad relationem quinque pro centenario, et anno. Rota par. 12, dec. 20, n. 26, p. 13, decis. 46, n. 3, p. 16, dec. 188, n. 3, par. 17, decis. 192, n. 6 et 7, par. 18, tom. II, decis. 774, n. 16.

(31. Legitima debetur statim non solum a die mortis naturalis, sed etiam a die mortis civilis; unde debetur filio, vel patri statim emissa monachi professione, non expectata morte naturali, etiamsi agatur de monasterio in communi capaci bonorum. Rota p. 5, t. I, dec. 267, n. 1, et seq. p. 5, t. II, dec. 503, n. 1, et seq. p. 17, dec. 100, n. 14. p. 18, t. II, dec. 144, n. 7, p. 18, t. II, dec. 691, n. 18. Fagnan. in cap. *Cum simus* 14, De regularibus, n. 7, ubi dicit quod sic tenent canonistæ communiter, quamvis legistæ videantur sentire contrarium. Panimoll. loc. cit., n. 22, ubi plurimos alios citat contra multos alios ab ipso citatos ibidem,

Digitized by Google

sub n. 10, tenentes deberi legitimam non a die mortis civilis professi in aliqua religione, sed solum a die mortis naturalis ejusdem; at vero nostra sententia est æquior, et æquitati canonicæ convenit, adeoque servanda in utroque foro, et crebrius recepta: ut expresse concludit Rota recent. part. 1, tom. I, decis. 267, n. 4.

(32. Legitima debetur etiam matri a die emissæ professionis filii. Sic Rota p. 5, dec. 116, n. 16, et seq. ubi dicit quod hæc opinio est verior et æquior; et quamvis plurimi doctores contrarium sentiant per dispositionem juris antiqui. Authent. *Si qua mulier.*, cod. De sacrosanct. Eccles. tamen dicta Authentica fuit correcta per c. *Cum simus* 14, De Regularibus; imo Glossa in dicta Authentica est illi contraria, ut observat et tenet Rota part. 5, tom. I, decis. 267, n. 9, et ab hac sententia recedendum non esse firmavit eadem Rota, in Tridentina Legitimæ 3 Januarii 1608, coram Ottembergo relata in decis. 116, n. 16, dec. 277, n. 2, et seq. p. 5, tom. I; dec. 110, n. 14, par. 17, in recent. juxta firmata in decis. 138, n. 1 et seq., par. 1, recent. Et hanc sententiam tanquam æquiorem, et æquitati canonicæ consonam in utroque foro servari debere dicit Covarruv. in cap. 2, De testam., n. 7. Tondut. Resol. civil., 194, n. 1, p. 2. Ferentil. in addit. ad Burat. dec. 461, n. 16. Sperell. dec. 32, n. 21, Panimoll. p. 3. posthum., decis. 162, n. 18, ubi pro hac sententia plurimos alios citat.

(33. Si vero mater et pater tempore professionis ad secundas nuptias convolaverint, legitimam acquirere non possunt, nisi quoad simplicem usumfructum, non autem quoad proprietatem propter pœnam secundo nubentibus inflictam, in l. Feminæ, cod. De secundis nuptiis, eamque servare tenentur filiis primi matrimonii juxta dispositionem dictæ leg. Feminæ, cod. De secundis nuptiis. Rota dec. 41, n. 2, et decis. 675, n. 2, 3 et 4, coram Amat. Dunozet. dec. 534, n. 3, usque ad finem coram Martino decis. 96, a n. 1, et pluribus seq. post Pacific. de Salvian. Interdict. decis. 144, n. 9 et 10, par. 18, tom. I, et decis. 691, a n. 9. usque ad 13, ead. par. 13, tom. II, in recent. et doctores passim, quos sequitur car. Petra tom. III. Comment. ad constit. 4. Innoc. IV, sect. 1, a n. 86 ad 92. Vid. ibi.

(34. Intellige tamen in casu quo adhuc existant filii primi matrimonii; secus autem si sint præmortui, et amplius non existant, nec descendentes ex ipsis; quia tunc mater et pater transeuntes ad secundas nuptias, non censentur privati filiorum hæreditate, et legitima, etiam quoad proprietatem, quæ eo casu consolidatur cum usufructu. Rota part. 1, recent. decis. 479, n. 9, vers. *Sed cessat omnis difficultas*, Bald. consil. 317, lib. v. Aretin. consil. 40, n. 4. Decius in cap. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ*, col. 16, n. 122, vers. *Secunda conclusio*, De constit. Amat, Dunozet, decis. 641, n. 3, tom. I, et alii passim.

(35. Si vero præmortuis filiis, existant adhuc nepotes, et alii descendentes, proprietas talis legitimæ erit servanda pro ipsis, textu expresso in l. Feminæ § Illud., cod. De secund. nupt., ibi: « Nullum ex priori matrimonio habuerit successorem, » et leg. In quibus 7. cod. eodem tit., ibi: « Filio, vel filiæ nepote, et nepte, vel pluribus relictis, » et in l. Si quis prioris 8, cod. eod. tit. ibi: « Filiis a se vel nepotibus, vel pronepotibus relictis. » Et ratio est, quia pœnæ secundo nubentium inductæ fuerunt, nedum favore filiorum, sed totius posteritatis. Bertrand. consil. 166, n. 1, lib. I. Ruin. in consil. 58, n. 8, lib. v. Panimoll. part. 3, Posthum., decis. 151, n. 34, et seq. cum pluribus aliis ibi citatis.

(36. Quando monasterium tenetur solvere legitimam filiis patris professi, debet eam tradere, etiamsi filii præcedant patri, cum jus exigendi legitimam transmittatur ad ejus hæredes, etiamsi non fuerit petita. Merlin. De legitima, l. v, t. III, quæst. 3, n. 15. Honded. consil. 60, l. II. Panimoll. loc. cit., n. 41, et alii. (37. Imo transit ad hæredes etiam extraneos, quamvis filius in vita legitimam, vel supplementum non petierit. Craver., consil. 312, n. 4. Alexander consil. 55, et consil. 230, lib. II. Decius consil 81, et consil. 303. Anton. De tempore legati, lib. II, cap. 98, n. 18. Salicet. in l. Scimus, cod. De inofficios. testament. Panimoll. loc. cit., n. 42, et alii adducti a Gratian. Discept. forens., cap. 271, n. 14, tom. II. (38. Quinimo hoc jus petendi legitimam etiam filiis monachus transmittit ad monasterium, quamvis ignoraverit. Menoch. consil. 78, n. 8. Castr. consil. 34. Ego Paulus ad fin., n. 4, l. I. Boer. d. 250, n. 4, quos refert Gratian. dict. discept. 271, n. 15, tom. II, Panimoll. loc. c., n. 43, et alii.

(39. Legitima non debetur, nec peti potest a filio, viventibus adhuc parentibus. Rota recent. par. 4, tom. I, dec. 235, n. 14, par. 4, tom. II, dec. 203, n. 10, et dec. 459, n. 7, par. 5, tom. I, dec. 141, n. 5, part. 11, dec. 180, n. 8, part. 14, dec. 417, n. 25. Panimoll. l. c., n. 17, et alii communiter. (40. Et hoc procedit etiam respectu nepotis in bonis Avi. Rota par. 3, recent. dec. 446, n. 3.

(41. Quamvis autem filio non debeatur legitima ante obitum patris, potest tamen a patre vivente persolvi. Rota par. 4, tom. I, dec. 623, sub n. 2, et Annotat. ad dec. 29, n. 27, par. 8. Dummodo interveniat consensus filii. Rota par. 19, tom. I, dec. 243, n. 1 et 2. (42. Quo casu si legitimam filius acceptavit in vita patris, amplius reclamare non potest, etiamsi augeantur postea facultates paternæ. Rota part. 18, tom I, dec. 385, n. 5. Et in eo casu pater ad nihil ulterius tenetur, si legitimam ab eo vivente assignatam filius dilapidet. Rota p. 19, tom. I, dec. 344, n. 9.

(43. Legitima sicuti non debetur filiis ex bonis parentum adhuc viventium; ita non debetur parentibus ex bonis filiorum pariter viventium, par. 10, dec. 326, n. 41. (44. In casu autem quo pater in vita dissiparet bona sua, posset cogi ad assignandam legitimam filio, et in simili casu posset cogi filius ad assignandam legitimam patri. R[illegible]

Digitized by Google

p. 8, dec. 488, n. 5, et Ann. ad dec. 29, n. 29, et late seq. p. 1.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. De legitima tria hic omittenda haud sunt; primum est, quod si legitima ex nuda juris dispositione debeatur, pro ea nonnisi conditio ex lege competit, non item actio hypothecaria. (46. Quod si debeatur prætorea legitima ex judicio defuncti, competit pro ipsa hypothecaria actio; (47. dummodo tamen legitimarius, obsequendo judicio defuncti, legitimam detrahere velit juxta formam ab ipso præscriptam; secus e contra; Rota in Romana, seu Senen. Legitimæ 20 Febr. 1747, et 2 Junii ejusdem anni 1747, coram eminentis. Bussio.

(48. Alterum est, quod dispositio textus in leg. Jubemus, quod soli filii non teneantur imputare fructus in Trebellianicam, ulteriores vero descendentes teneantur, trahi haud potest ad legitimam, (49. nam nec filii, nec ulteriores descendentes, quibus legitima debetur, imputare tenentur fructus in legitimam: Rota in Bonon. Pecuniaria 3 Martii 1747, et 1 Jun. ejusdem anni 1747, coram bon. mem. Vicecom.

(50. Tertium est, quod nonnisi cautela socini prohiberi a patre filiis potest legitima. Quando vero adhibita dici possit necne cautela socini, tradit Rota in Romana immissionis 16 Februarii 1742, et 4 Maii ejusdem anni 1742, coram illustrissimo Molino in civitatis plebis; manutentionis 29 Jan. 1745, et 30 Apr. ejusdem anni coram bon. mem. de Vais, in Bononien. Pecuniaria 3 Martii 1747, et 16 Junii ejusdem anni 1747, coram bon. mem. Vicecom. et 4 Maii 1748, coram Illustris. Clement.

(51. Cæterum si filius nec expresse, nec tacite acceptet prohibitionem legitimæ, tametsi factam cum cautela socini, non excluditur a jure ipsam petendi; Rota in Romana Hæreditatis 5 Martii 1742, cor. b. m. Nunez. (52. Quando vero Filius acceptasse dici possit, necne, prohibitionem legitimæ cum cautela socini, vide Rot. apud paulo ante citatas decisiones.

LEGITIMATIO

SUMMARIUM.

1.* Quando legitimatio prolis per subsequens matrimonium fieri possit: ad n. 5 — 6. Agitur de irregularitate ex *defectu natalium* ubi nonnulla ad rem. — 7. Affertur integra epistola Benedicti XIV *Redditæ Nobis*, ubi de legitimatione prolis per subsequens matrimonium late disseritur.

*Per subsequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero, num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Benedict. XIV. Bull. tom. I, n. 112, epist. incip. *Redditæ Nobis*.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Sub v. *Filius*, Lucius noster agit de legitimatione prolis per subsequens matrimonium, ut pro variis casibus videre est ibi, n. 32 et seqq.

(2. Liceat amplius sequentia ex Barbosa notare: « Advertendum duxi, sic ille, in hac materia (legitimationis) non omnes filios ex iisdem parentibus ante tale matrimonium natos, per subsequens matrimonium legitimari, sed solum naturales; ille autem *naturalis* reputandus est, qui, *licet conceptus ex iis parentibus sit, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens matrimonium*, quod tempore nativitatis jam cessaverat, veluti si *soluta* concepit ex *conjugato*; at vero *tempore nativitatis filii* mortua erat uxor illius conjugati; vel si soluta concepit *ex consanguineo, et affine*, et tempore *nativitatis filii* obtenta erat dispensatio, ut contrahere possent; tunc tali casu filius natus est *naturalis*, et non *spurius*, eo quod status filii ex tempore conceptionis, aut nativitatis, prout magis tali filio erit expediens, est judicandum... Unde colligitur parentes habiles ad contrahendum, ut eorum filii per subsequens matrimonium legitimentur, esse debere *tempore conceptionis, vel partus*, prout sit utilius, et tempore, quo conjugium celebratur nulla cura habenda de tempore intermedio et intermediis parentum nuptiis... Ratio est, quia favor filiorum postulat, ut tempus illud attendatur, quod ipsis favorabilius est. » Collect. DD. in lib. IV decret., tit. 17. Qui filii sint legitimi, cap. *Tanta*, 6, n. 30 et 31.

Pari modo Reiffenstuel sic habet: « Infertur... quod, si vir, vivente uxore sua, aliam imprægnet, et uxor dein moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimatur per subsequens parentum matrimonium. Nec obstat huic celebrationi cap. *Tanta* 6, tit. Qui filii sint legitimi, ubi tale partum non legitimari, decidi videtur. Nam contra est, quod ibi sit sermo de casu, quo adulterinus partus editus est ante mortem uxoris, uti patet ex illis verbis: *Si vir, vivente uxore, ex alia prolem susceperit*, quia proles *suscepta* non dicitur ante nativitatem. » Ad tit. 17, ex. Qui filii sint legitimi, § 2, n. 40.

(3. Neque obstat Justinianum l. XI, cod. De natur. liberis, Novell. 12, cap. 4, Novell. 89, cap. 8, videri requirere ad legitimationem prolis per subsequens matrimonium, ut tempore, non solum nativitatis, sed et conceptionis (ipsius prolis), inter parentes connubium potuerit haberi. Nam etsi ita se haberent hujusmodi imperatoris leges, possint tradunt doctores, per humaniores mores illas fuisse subactas. Inspicere igitur haud oportet invisam parentum venerem, ubi legitimis nuptiis vitium sit emendatum.

Digitized by Google

(4. « Quod si aliquis ex adulterio conceptus, et vivente legitimo marito natus sit, non fiet legitimus, quamvis marito mortuo, mater ejus ab adultero in uxorem ducatur; similiter nec jura legitimorum consequitur, qui ex incestu cum consanguinea genitus est, licet post ejus nativitatem mater per dispensationem in uxorem ducatur, nisi *ante nativitatem* in utroque casu impedimentum (in priori per mortem mariti, in altero per dispensationem) fuisset sublatum » Engel ad Tit. 17, ex. *Qui filii sint legitimi*, n. 11. Reiffenst. loc. cit., n. 41.

(5. « Sed hic quæritur, sic idem Engel, an ignorantia impedimenti patrocinetur filio? An qui v. g. natus quidem ex consanguinea, parentibus tamen consanguinitatem ignorantibus, legitimus censeatur, si postea per dispensationem matrimonium contrahatur? Negative respondet Barbosa... Contrariam tamen sententiam aliquando in Rota Romana prævaluisse ex Cassiodoro refert (idem) Barbosa... eaque etiam apud nos in praxi recepta est. Ratio mihi videtur esse valde efficax, quod talis filius non sit natus ex formali incestu, nec parentes in tali casu tanquam incestuosi propter ignorantiam impedimenti pœna incestus ordinaria punirentur, ergo in materia favorabili non venit nomine incestuosi. » Loc. cit., n. 12.

(6. Heic porro addendum, quod licet omnes illegitimi in genere sint irregulares; « Valde autem probabiliter dicunt Sanchez De matrim., l. VIII, d. 7, n. 19. Pontius eod. tit., cap. 3, n. 2. Anacl. pag. 506, n. 33. Bonac... et Salmat... cum Sayr. Pelliz. Diana, et Corn. contra Suarez. D. 50 sect. 1, n. 3. Tourn. tom. II, pag. 26, sufficere ad legitimandam prolem, et eam reddendam immunem a defectu natalium, quod matrimonium fieri poterat tempore nativitatis, ut colligitur ex c. d. *Tanta*. Qui filii sint leg. ubi dicitur, quod proles est illegitima, *si vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit*. Susceptio enim prolis fit verius non per conceptionem, sed per nativitatem; saltem ibi pontifex certe loquitur de filio jam nato, dum ait illum *ab hæreditate repellendum;* ergo cum oppositum saltem sit dubium dubietate juris, non censetur in eo casu imposita irregularitas, quæ non incurritur, nisi in jure sit expressa. Et novissime Benedictus XIV hanc sententiam amplissima dissertatione in forma epistolæ in Bull. suo, tom. I, in ordine 113, responsivæ ad archiep. S. Dominici in insula Hispaniola illustravit, et sic de hoc casu § 3. suum sensum aperuit: « In qua controversia satis ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversentur, si a Nobis judicium interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum. » In § 4, procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit: « Sed cum certum est, matrimonium inter illius parentes contractum, incertum vero tempus, quo « filius conceptus, et in lucem editus fuerit, « filium hunc legitimum censeremus, cum « judex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse. » Sic D. Alph. de Ligorio, De irregul., n. 422.

(7. Denique operæ pretium est in hac de legitimatione prolis per subsequens matrimonium materia, integram afferre cit. a de Ligorio epistolam Bened. XIV, incip. *Redditæ Nobis*, quippe in qua tam sapienter ac erudite rem totam præstantissimus hicce Pontifex explanavit, ut nihil supra. En tenor epistolæ.

VENERABILI FRATRI ARCHIEPISCOPO SANCTI DOMINICI IN INSULA HISPANIOLA.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Redditæ Nobis altero ab hinc mense fuerunt litteræ tuæ XXVII Maii proxime elapsi ad Nos scriptæ, ac typis impressæ, quibus occurrentem istic cujusdam facti speciem enarras, et Nostram super eo sententiam requiris. Non te latere arbitramur, nullum Nos diem vacuum habere, cum gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quam pene jam obruamur; in hisce præsertim asperitatibus rerum, quibus undique conflictamur, et quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse non dubitamus. Sed tamen ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, venerabilis Frater, et quanto dignitatem Episcopalis characteris, quo præfulges, in honore habemus, aliqua temporis spatia reperire, et colligere studuimus, eaque in evolvendis privatæ Bibliothecæ Nostræ libris insumpsimus, quo possemus propositæ abs te quæstioni respondere. Quod quidem præsentibus Nostris litteris facimus, non tamen ex Auctoritate Apostolicæ sedis, quam meritis licet imparibus obtinemus, sed meram sustinentes personam doctoris privati, cujus vitæ ætas fere omnis in sacrorum canonum studiis, quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa Nobis est ea quæstio Pontificiæ Decisionis oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternitas Tua probe poterit intelligere.

§ 1. Itaque casus est: Vir nobilis uxoratus rem habuit, stante matrimonio cum libera muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta vero uxore matrimonium contraxit cum prædicta muliere, quæ duos, ut præfertur, filios ei pepererat. Horum alter jam mortem obierat; atque ille procul dubio natus erat priori uxore in vivis agente. Alter superstes est, sed nondum satis est exploratum an, eadem prima uxore vivente, conceptus aut natus fuerit. Dubitatur de utroque, an legitimi, sive spurii sint habendi; seu potius, an per subsequens matrimonium cum ipsorum matre contractum, ambo censendi sint legitimati.

§ 2. Porro, admissa canonici juris regula, quam Nos verissimam judicamus,

Digitized by Google

quamque, ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse arbitramur : quod nempe, licet proles ante matrimonium nata, legitima fiat per subsequens matrimonium inter parentes rite contractum ; attamen id duntaxat locum habeat, cum copula intercesserit inter liberum et liberam, non autem ubi alter ex parentibus matrimonio ligatus foret ; tunc enim proles ante secundas nuptias nata nequaquam fit legitima, quamvis adulter, post mortem prioris uxoris, verum legitimum cum ejus matre contrahat matrimonium, hac, inquam, regula semel admissa, evidens est filium illum præmortuum, qui natus est, prima uxore superstite, legitimum non evasisse per matrimonium cum ipsius matre contractum, postquam prima uxor e vivis excesserat.

§ 3. Quod vero ad alterum filium adhuc viventem attinet : si constaret, saltem hunc natum esse post mortem primæ uxoris, quam illius pater habuerat, quamvis ea superstite conceptus fuisset, in arduam illam controversiam deduceremur, quæ inter doctores, ut nosti, agitatur, an scilicet pro statuenda prolis legitimatione ejusdem nativitatis tempus attendi debeat, an præterea habenda sit ratio temporis ejusdem conceptus, in qua controversia, satis, ut prædiximus, ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cumque doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adversentur, si a Nobis judicium nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum.

§ 4. Cum vero hactenus, ut scribis, incertum sit quo tempore filius ille vivens conceptus, quoque in lucem editus fuerit, solumque constet de morte prioris uxoris, et de secundo cum altera muliere matrimonio, supervacaneum, extraneumque remanet examen præfatæ controversiæ, an ad effectum legitimationis prolis, tempus nativitatis duntaxat, an etiam tempus conceptus attendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, cum certum sit matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius idem conceptus et in lucem editus fuit, si nostrum de eo judicium exquireretur, filium hunc legitimum censeremus, cum judex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse.

§ 5. Equidem intelligimus, hanc Nostram responsionem neque desiderio tuo, neque præconceptæ opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam ; propterea quod utrosque præfatos filios, per subsecutum inter parentes matrimonium, legitimatos fuisse declarari velles. Neque porro opinioni, quam foves ; eo quod existimes, filios etiam ex adulterio procreatos legitimari, superveniente matrimonio inter adulteram, et patrem, conjuge jam defuncta. Verum æquo animo feras volumus, Nos ad hæc asseverando reponere, quod filii ante matrimonium nati legitimantur utique per subsequens matrimonium, si tamen ex soluto et soluta fuerint procreati, ut, inhærendo canonicis sanctionibus, definitum fuit a prædecessore nostro Alexandro Papa III, in cap. *Conquestus*, Qui filii sint legitimi ; secus autem si iidem filii orti sint ex patre, qui de eo tempore cum alia muliere matrimonio conjunctus erat ; licet ea postea e vivis sublata, aliam illam duxerit ex qua prolem susceperat, ut idem Alexander III. respondit in cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi : cujus verba sunt, quæ sequuntur : « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab hæreditate repellendus ; præsertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus. »

§ 6. Neque vero postremis hisce verbis commoveri debes, ac si ex illis colligi posset minime ab Alexandro definitum fuisse quod proles ex adulterio suscepta, per subsequens matrimonium legitimari nequeat ; sed illud duntaxat, quod nempe proles legitima non fiat, si contra vitam prioris uxoris alteruter ex parentibus adulteris machinatus fuerit. Etenim animadvertere te oportet, verbum illud a Pontifice usurpatum, præsertim ; quod idem sonat, ac multo magis ; ita ut vera Decretalis illius sententia sit, quod cum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, et ab hæreditate repellenda, etiamsi legitimum postea incatur inter parentes matrimonium, multo magis id procedat, ubi alteruter in prioris uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo minime sequitur quod proles ex adulterio nata, si machinatio absit, legitimetur per subsequens matrimonium ; sed palam fit, ejusmodi prolem ex adulterio susceptam, ideoque per subsequens matrimonium neutiquam legitimandam, multo majori ratione legitimam nunquam fieri, si alter ex parentibus adulteris contra vitam prioris uxoris sit machinatus. Qua de re optime opportuneque disserit Gonzalez in cap. 6, n. 6. Qui filii sint legitimi, per hæc verba : « Arguit Alexander III de minori ad majus ; nam si filii spurii non legitimantur per subsequens parentum matrimonium ; multo minus per matrimonium nullum, quale est quod contrahitur quum alter ex conjugibus in necem conjugis machinatus est. »

§ 7. Sane a te dissimulata non fuit dispositio relatæ Decretalis Alexandri III, in cit. cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi ; quinimo ultro fateris, communem doctorum opinionem eam esse, quæ nuper a Nobis exposita fuit ; nimirum prolem ex adulterio progenitam per subsequens matrimonium nequaquam legitimari. Verumtamen aperte declaras, nullam sententiam, quantumvis communi canonistarum calculo comprobatam, apud te valere, nisi eadem in textu canonico fundata sit, illique innitatur ; hanc autem sententiam, de qua agitur, minime dici posse canonico textui innixam esse ; quo-

Digitized by Google

niam inspecta Decretali Alexandri III, non quidem mutila, atque contracta, prout jacet in nostra Decretalium collectione, a Gregorio Papa IX confecta, sed in sua integritate manifeste, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem illegitimam declarasse prolem illam ex adulterio procreatam, quamvis ejus pater, defuncta priori uxore, adulteram sibi matrimonio junxisset, quia nimirum Alexandri ætate vigebat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat adultero, etiam post mortem prioris uxoris, matrimonium cum adultera valide contrahere; et quia tota Decretali perfecta, perspicuum est, in eo casu, præter adulterium, adfuisse etiam machinationem adulteræ contra vitam prioris uxoris. Quibus positis, deinde concludis quod cum, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, adulterium præcedens non habeatur pro impedimento dirimente matrimonium inter mœchum, et mœcham, nisi conjunctum sit, vel cum machinatione, vel cum fide data futuri matrimonii; cumque in proposita facti specie nullum indicium adsit machinationis in prioris uxoris necem intentatæ; nullum propterea adduci valeat obstaculum adversus prolis legitimationem, secuto jam inter ipsius parentes legitimo matrimonio; atque adeo tum illud systema, firmiter, ut putas, stabilitur, nimirum subsequente matrimonio legitimari prolem, etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio non accedat aut machinatio adversus prioris conjugis vitam, aut promissio matrimonii post prioris conjugis mortem inter adulteros contrahendi.

§ 8. Profecto ut ingenue loquamur, Venerabilis Frater, displicet Nobis tua hæc ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius, et audacius, quam par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opiniones doctorum communes non ita facile parvipendendas esse; idque didicimus ex celeberrimo vestrate Melchiore Cano, qui in suo tractatu De locis theologicis, lib. VIII, cap. 7, ita de communibus canonistarum sententiis, in his, quæ pertinent ad doctrinam canonum, loquitur: « In hujusmodi canonum interpretatione Ecclesiæ judices, et administri concordem omnium jurisconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis, suo sensu, et non communi jurisperitorum omnium doceretur, sine dubio suo illum judicio Ecclesia coerceret. »

§ 9. Præterea minus recte Nobis videris de compilatione Decretalium Gregorii IX judicare. Non hic agitur de Gratiani decreto, quod utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque Decretalium compilationibus, quæ Gregorii IX opus præcesserant, et quarum nonnullæ a privatis auctoribus concinnatæ fuerunt. Res est de sexta illa Compilatione, quam Gregorius Pontifex a Sancto Raymundo de Pennafort adornari jussit, quamque approbatione Pontificia munivit, mandans, ut ea sola deinceps in Tribunalibus et Scholis deberet usurpari. En illius verba in præfatione Decretalium: «Volentes igitur, ut hac tantum Compilatione universi utantur in Judiciis et in Scholis, districtius prohibemus, ut quis præsumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicæ. »

§ 10. Non latuit Gregorium, multa in Decretalibus resecata fuisse ab earum compilatore, cum idem Pontifex in dicta præfatione hoc ipsum innuat, iis verbis: *resecatis superfluis*; voluit tamen singulis constitutionibus, præfixum manere nomen earum auctoris. Idem quoque deinceps præstitit Bonifacius VIII, in sua compilatione libri VI, similium Decretalium a Romanis Pontificibus conditarum, quibus licet multimodo, ubi opus fuit, a se immutatis, atque truncatis, nihilominus præfixum reliquit auctorum nomen: Siquidem ipse Bonifacius sic loquitur in procemio: « Pluribus plane resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus et additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipsis. » Constat etiam Clementem Papam V, pari modo se gessisse, dum suo Clementinarum libro inseruit concilii Viennensis constitutiones, tamquam a seipso factas in eodem concilio, quamvis synodo peracta eas resecasset atque mutasset, uti testatur Joann. Andreas in Glossa ad præfationem earumdem Clementinarum: « Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas, et paucas in totum reservaverunt; aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata; in aliquibus menti et verbis detraxerunt et addiderunt, et has, licet non sub his verbis in concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine concilii reservari. » Quod pariter testatur Bernardus Guidonus, auctor illius ætatis, in suo codice manuscripto, qui in Bibliotheca nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus Historiis de vita ejusdem Pontificis a Balutio publicatis.

§ 11. Qua in re prædicti Pontifices Gregorius, Bonifacius, et Clemens exemplum secuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum Jurisconsultorum, qui veteres leges, responsa Prudentum, et præcedentium imperatorum codices in corpus juris civilis nostri redigentes, non dubitarunt, quæcunque opus erant, emendare, corrigere et immutare; et nihilominus auctorum nomina singulis responsis et legibus præfixa reliquerunt; accedente nimirum expressa Justiniani imperatoris approbatione; cujus hæc verba sunt, in promulgatione Pandectarum, et Codicis, senatui, populoque Constantinopolitano perscripta: « Tanta autem a Nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina Prudentum taciturnitati tradere nullo modo patiamur: sed unusquisque eorum, qui auctor legis fuit, nostris digestis inscriptus est, ut si quid legibus eorum supervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum visum esset, vel adjectionem, vel

Digitized by Google

diminutionem necessariam accipiat. » Et infra: « Nam nomina quidem veteribus servavimus, legum autem veritatem nostram facimus. Et alibi: Nominibus enim veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum, et necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus. »

§ 12. Sic igitur prædecessor noster Greg. IX suam confici jussit Decretalium compilationem qua hodie in scholis et in foro utimur, eamque, abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate, et Pontificia confirmatione munivit. Huic collectioni insertam voluit Decretalem Alexandri III, demptis ex ea verbis illis quibus, ut contendis, indicabatur matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum, et nullum fuisse, nimirum, et quia cum adultera contractum fuerat, et quia machinatio in necem prioris uxoris præcesserat. Retulit vero alia verba, ex quibus, ut jacent, consideratis, eruitur sententia superius a Nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata neutiquam legitimatur per subsequens matrimonium, post mortem prioris uxoris cum adultera contractum. Non tamen ex ea Decretali nomen Alexandri III delevit: omnia hæc pro concessis interim habeto. Verum his positis, quidnam inde pro sententia tua erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, imo non aliter debuit facere quam fecit. In animo illi erat locum dare in nova compilatione Decretali Innocentii III, quæ incipit *Significasti*, quæque legitur sub titulo, De eo, qui duxit in matrimonium, etc. In hac decretali Innoc. III, quæ posterior est alia ab Alexandro III condita, manifeste definitur (quod et ipse agnoscis) matrimonium inter adulterum et adulteram consistere posse, nisi machinatio sæpe dicta, aut promissio futuri matrimonii præcesserit: « Discretioni vestræ, Innocentius ait, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum judices. » Cum autem Gregorius collocare vellet in sua collectione tum Decretalem hanc Innocentii III, tum alteram Alexandri III, plane vides, necesse illi fuisse abjicere ab hac Alexandrina Decretali verba illa, quæ, tuo judicio, nullitatem matrimonii inter adulterum et adulteram statuebant.

§ 13. Nunc igitur, bona fide disserendo, iterum quærimus: quid tandem illud est quod contendis? Filiosne illos, de quibus agitur, legitimos esse propterea quod juxta decretalem integram Alexandri III, pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III et Gregorio IX declarantur, et quia, malo ipsorum fato, nonnullis jam sæculis post horum Pontificum mortem in lucem sunt editi. An manifestum fieri cupis, te scientiam sacrorum canonum funditus callere, neque contentum esse his quæ in Gregoriana compilatione leguntur, sed altius ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil tibi controversiæ nobiscum de hoc erit, venerabilis frater: diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus; nemo tibi succensere poterit, quod integram decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quæ in Gregoriana compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen memineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui decretalem integram consulit, ut eam quæ integra non est, perfectius intelligat; quemadmodum optime advertit clarissimus Antonius Augustinus in sua præfatione Gregorio XIII Pontifici Maximo inscripta, quam præmisit volumini quatuor priorum compilationum Litterarum decretalium, quas ipse edidit; quibusque deinceps quintam adjecit Innocentius Cironius: sed neque probandum scito, neque ferendum, quod quis ad integram decretalem confugiat, ubi perspicua et dilucida est illa quæ aliquo modo mutilata fuit; et si quid huic deesse dignoscitur, id eo jubente ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate; eaque de causa detractum, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve turbari illam, et nutare contigeret, si tota decretalis novæ compilationi inserta fuisset.

§ 14. Hucusque disseruimus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro certo ponis, aliquod interesse discrimen inter decretalem integram Alexandri III, aliamque contractam; et quidem in integra decretali nullum declarari matrimonium ibi relatum, ex duplici capite; tum scilicet, quia inter adulteros, defuncta uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat in vitam prioris uxoris; et ex utroque præfato capite simul considerato, prolem illegitimam censeri: mutilam vero decretalem validum admittere matrimonium cum adultera contractum post mortem prioris uxoris; et tunc solum hujusmodi matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenerit; sed prolem nihilominus illegitimam declarari, tam in uno, quam in altero casu, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis adulterii, ex quo eadem proles progenita fecerit, quam ex causa præcedentis parentum machinationis in necem legitimæ uxoris. Hæc, inquam, tibi hactenus concessa voluimus. Nunc vero aggredimur demonstrare, decretalem, tam integram quam minus integram, sibimetipsi perfecte constare, eamdemque prorsus esse utriusque sententiam.

§ 15. Integra decretalis, quæ refertur tom. VI, pag. 2, Conciliorum Collectionis Harduini, pag. 1819, ita se habet: « Meminimus Nos fraternitati tuæ, super causa, quæ inter P. et R. de quadam hæreditate vertitur, quod idem P. nomine Sybillæ uxoris suæ petebat, tali modo scripsisse; ut si constaret, prout Litteræ tuæ continebant, inter R. patrem, et matrem, post ejus nativitatem, matrimonium fuisse contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum esse denuntiet, et ab hæreditate paterna propter causam prædictam nullatenus debere removeri. Tanta

Digitized by Google

est enim vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi. »

Hic statuit integra decretalis, quod filii nati extra matrimonium, ex soluto et soluta, accedente postea matrimonio inter ipsorum parentes, legitimi fiant. Nec aliud porro statuitur in decretali minus integra, quæ sic incipit : « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. »

§ 16. Progreditur integra decretalis, et casum ponit, quo aliquis uxoratus adulterium admittit, et filium ex eo habet, adultera vero machinatur in vitam legitimæ conjugis; et hac demum defuncta, matrimonium inter adulteras contrahitur : « Verum quoniam P. ultra quam in litteris tuis continetur, Nobis significavit, quod pater suus, vivente uxore, matrem R. tenebat, et eum in adulterio procreasset, et quod in mortem ipsius uxoris mater fuerit machinata.

Hic vero Pontifex declarat, quod in hujusmodi facti circumstantiis, dummodo probationes legitimæ suppetant, filius censendus erit spurius, præsertim si machinatio matris in vitam prioris uxoris præcesserit. « Fraternitati tuæ, etc., quatenus rei veritatem inquiras, et si tibi constiterit quod, vivente uxore, pater prædicti R. matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, et ab hæreditate repellendum, præsertim si mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt. »

Hunc ipsum casum expendit decretalis minus integra, et eamdem omnino definitionem pronunciat, spuriam scilicet esse prolem ex adulterio progenitam, quamvis matrimonium, uxore defuncta, inter adulterum et adulteram contrahatur, præsertim si aut hæc, aut ille machinatus fuerit adversus vitam prioris uxoris; « Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab hæreditate repellendus, præsertim si in mortem prioris uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus. »

§ 17. Integra decretalis, dum de adulterio loquitur, nihil aliud addit quam vocem *publice*, quæ ad criminis probationem refertur, nec ullatenus sensum immutat circa id de quo nunc inquiritur. Quod ad machinationem attinet, integra decretalis hanc ponit ab adultera fuisse intentatam; at minus integra eamdem machinationem considerat, sive ab adultera, sive ab adultero præcesserit. Sed neque istud ad præsentem quæstionem facit. At vero tam integra quam minus integra decretalis in eo conveniunt, quod utraque declaret prolem ex adulterio procreatam, spuriam esse, nec legitimari, quamvis accedente matrimonio inter adulteros, post mortem legitimæ uxoris. In utraque autem, cum de machinatione agitur, verbum illud adest *præsertim*, de quo supra dicebamus. Dumque in his adamussim inter se conveniunt, frustra exageratur prætensa inter integram, et minus integram decretalem discordia.

§ 18. Verum jam fraternitati tuæ in mentem venisse suspicamur, inconsulto a Nobis silentio prætermitta fuisse verba illa quæ ad eam, quam agitamus, controversiam plus habent ponderis; et quæ in integra decretali sunt, sed in altera minus integra desiderantur. Sic enim concluditur integra decretalis (quemadmodum superius fideliter exposuimus) : « Quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt. » Quæ quidem verba in Gregoriana compilatione non sunt revelata. Hæc autem pro argumento tibi facile erunt, ut asseras Alexandrum III declarasse matrimonium inter adulterum et adulteram nullum, et irritum esse, ob idque illegitimam esse prolem ex adulterio susceptam. Atque in hoc manifestissima, te judice, est discrepantia inter decretalem integram, et mutilatam, dum hæc validum admittit matrimonium inter adulteros contractum, at nihilominus eorum prolem spuriam declarat, neque per subsequens matrimonium ullo modo legitimandam.

§ 19. Plane si ita tecum reputares, venerabilis frater, non æquum de Nobis judicium ferres. Nos enim præmissa decretalis verba exacte referre, eaque justa lance pensare nequaquam omisimus. Verum id, quod ex iisdem inferendum esse autumas, Nos inde colligi posse non arbitramur.

Etenim verba illa : « Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt, » connexa immediate sunt cum aliis : « præsertim si mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata. » Ac proinde (ex regula juris peritorum, juxta quam *relata fit ad proxima*) declaratio nullitatis matrimonii non quidem in præcedenti adulterio fundatur, sed in machinatione adversus vitam legitimæ uxoris; circa quam nulla inter Nos neque etiam inter alios est controversia.

§ 20. Præterea verba illa : « Quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt, » non tantum ad machinationem paulo ante enunciatam referri, sed ad totum id, quod in integra decretali expositum fuit. Porro in integro decretalis contextu agitur de matrimonio post prioris uxoris mortem, non solum inter adulteros, sed etiam prævia machinatione in prioris uxoris mortem contracto : « Nobis significavit quod pater suus, vivente uxore, matrem R. tenebat, et eum in adulterio procreasset, et quod in mortem ipsius uxoris mater fuerit machinata. » En duas relati matrimonii circumstantias simul unitas; ex quo sequitur quod quamvis ea verba : « Quoniam matrimonium inter se contrahere non potuerunt, » referri debeant ad totam facti speciem cum suis circumstantiis in decretali expressis; nunquam inde inferre poteris quod integra decretalis pro nullo habeat quodlibet matrimonium inter mœchos contractum post obitum legitimæ uxoris, sed illud duntaxat, quod ibi expenditur, nullum judicatum fuisse, quia ei præcesserat machinatio in prioris conjugis necem. Nobis autem integrum erit asserere quod, licet validum ineatur matri-

Digitized by Google

monium inter adulteros, deficiente machinatione, aliisque circumstantiis de jure canonico illud irritantibus, attamen proles tempore adulterii habita, illegitima semper erit, ad normam etiam decretalis non mutilatæ, quæ ita statuit : « Et si tibi constiterit, quod, vivente uxore, pater prædicti R., matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, et ab hæreditate repellendum, præsertim si mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas. »

§ 21. Sed quanquam destitutum te videas validissimo subsidio, quod, ad sententiam tuam sustinendam, in integra Alexandrina decretali constitueras, attamen, pro ea, qua polles, eruditionis Ecclesiasticæ copia, in aliud te recipies propugnaculum, asseverans, matrimonium inter adulterum et adulteram, post mortem prioris uxoris contractum, juxta veterem disciplinam, pro nullo habitum esse ; tum adhuc ætate Alexandri III hujusmodi disciplinam viguisse ; ac demum immutatam esse temporibus Innocentii III, cujus decreto, ad irritandum matrimonium inter adulteros, præter adulterii crimen, requiri cœpit, aut machinatio in mortem legitimi conjugis, aut promissio nuptiarum, post prioris matrimonii solutionem, inter adulteros contrahendarum.

§ 22. Non adeo tempore abundamus, et otio, ut canonicam dissertationem super hac quæstione contexere valeamus. Nihilominus pauca quædam observare studebimus, quibus satis, superque tua refellatur assertio. Sane ei obstat sancti Augustini testimonium, relatum canone *Denique* 31, quæst. 1, in quo sic legitur : « Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fecit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium. » Profecto non ignoramus Jacobum Cujacium asserere in cap. 1 De eo qui duxit in matrimonium, etc., quod ibi legendum sit : « Marito mortuo, cum quo verum connubium fecit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fecit. » Sed exploratum quoque habemus, in pluribus vaticanis codicibus particulam illam *non* in Augustino deesse, sicuti deest in prædicto canone *Denique* ; quod etiam animadverterunt, qui Gratiani Opus, se jussu Gregorii XIII recensuerunt, et emendarunt, ut videre est in Gratiani Decreto ipsorum opera edito. Genuinam hujusce loci controversi lectionem procul dubio fraternitas tua, pro sua eruditione, petendam existimabit ex editione operum sancti Augustini, quæ studio monachorum sancti Mauri in Gallia, prodiit. Sancti doctoris locus in canone relatus habetur lib. I, De nuptiis et concupisc., c. 10, isque in edit. Maurina legitur tom. I, p. 286, hisce verbis : « Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fecit. » Ab hac igitur accurata lectione abest particula *non*, quæ quidem in nulla alia appareret, si seriem contextus editores præ oculis habuissent. Augustinus enim, nox ante verba, de quibus disputatur, pronuntiandum sibi proposuerat (uti revera probat), non novi matrimonium, quod indissolubile est inter viventes, si uxor maritum deserat, et ad alterius contubernium migret ; idque confirmando, subdit, quod contubernium illud pro adulterio haberi non posset, si primum legitimum matrimonium dissolutum fuisset : « Cum alias quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. »

Hoc posito, quisnam bona fide legendum putabit : « Fieri verum connubium non potest ? » ubi orationis scopus is esse conspicitur, ut, demonstrato fine durationis matrimonii : « Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, » finis etiam adulterii, et initium novi legitimi matrimonii statuatur : « Fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit. »

§ 23. Ne vero a Nobis exspectes plenam hoc loco proferri historiam disciplinæ, quæ super hac re sequentibus sæculis in Ecclesia obtinuit. Hujusmodi inquisitio nimis profecto excederet epistolæ modum. Verum quia tibi persuasum esse videmus, quod ipsa ætate Alexandri III nulla censerentur matrimonia, quæ inter adulteros quomodocunque fierent, satis erit intra illius ætatis terminos inquisitionem hanc nostram coarctare.

§ 24. Non longe quidem ab Alex. III ætate, ut optime nosti, distat Gratianus decreti compilator, qui ante Alex. Pontificatum paucis omnino annis suum illud opus vulgavit. Is hanc eamdem controversiam tractat in causa 31, quæst. 1, et pro utraque sententia, ut solet, textus discordantes adducit. Cum vero canonem attulisset cujusdam conc. quo statuitur, ne quis, moriente marito mulieris quam adulterio polluit, cum ea matrimonio conjungatur ; hunc textum cum aliis ibi relatis, atque contrarium statuentibus, ita conciliat : « Hic subaudiendum, nisi prius peracta pœnitentia, et si nihil in mortem viri machinatus fuerit ; vel si vivente viro, fidem adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem, si viro ejus superviveret. » Verum Gratianus, inquies, non habet auctoritatem, qualem textus canonici habere noscuntur. Neque id negamus. At gravis est auctor, et canonum valde peritus ; neque ipse ea scripsisset quemodo retulimus, si ætate illa (quam diximus in tempora Alexandri fere incidisse) locum obtinuisset disciplina, seu lex, vigore cujus, ob solum præcedens adulterium, irritum haberetur matrimonium, post mortem legitimi conjugis, inter adulteros contractum.

§ 25. Similiter inter Alexandrum III et Innocentium III Pontifices, vix quadraginta annorum spatium intercedit ; cum Alexander ad Pontificatum evectus sit anno Domini MCLIX. Innocentius vero anno MCXCVIII. Hic autem, ut supra innuimus, in cit. cap. *Significastis*, De eo qui duxit in matr., etc., pronuntiat, validum, et legitimum existere matrimonium inter adulterum et adulteram, post prioris uxoris mortem. « Nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo ; » quod etiam

Digitized by Google

ipse concedis, dum affirmas Innocentium III novam hanc disciplinam in Ecclesiam invexisse. Sed cum Innocentius nequaquam dicat, se novam per hoc disciplinam inducere ; quinimo, ad quæstionem sibi propositam ab episcopo, sive a capitulo Spoletano, profiteatur, se responsurum juxta canonum præscripta : « Nos igitur inquisitioni vestræ, secundum formam canonicam respondentes etc. : » évidens est, jam pridem, et ante tempora etiam Alexandri III validum habitum fuisse matrimonium, quod inter mœchum et mœcham, legitimis nuptiis solutis, et prædictis irritantibus circumstantiis non concurrentibus, contrahebatur. Equidem in compilatione decretalium Gregorii IX minime reperies relata verba : « Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam canonicam respondentes ; » sed earum loco hæc alia leges : « Nos igitur inquisitioni vestræ taliter respondentes, » etc. Verum, quoniam res Nobis erat cum eo canonum doctore, qui vulgata decretalium compilatione neutiquam contentus, integram decretalem consulere mavult ; eadem ratione Nobis agendum esse judicavimus. Itaque etsi prædicta verba : « Secundum formam canonicam, » in decretali minus integra desiderentur ; leguntur tamen in integra decretali ; qua Nos quidem minime abutimur, dum eam ad decretalis minus integræ sensum non corrumpendum, sed illustrandum, advocamus.

§ 26. Esto, inquies, quod ad Innocentium III attinet, sed nonne immediatus ipsius prædecessor Cœlestinus III in cap. *Cum haberet*, De eo qui duxit, etc., nulla declaravit matrimonia inter adulteros, post prioris conjugis mortem contracta, etiam non interveniente machinatione, aut sponsione futuri matrimonii ?

§ 27. At vide ne forte, in hac decretali pro te alleganda, hallucineris. Quidam Joannes uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul adulterii consuetudo cum famula intercedebat. Quum vero semel superioris ecclesiastici præcepto adactus adulteram dimisisset, postea tamen in idem relabens scelus, ausus est, vivente adhuc prima uxore, reverti ad famulæ contubernium, in eoque *quasi matrimonialiter* per decennium perseverare, unde et decem filios ex ea procreavit. Defuncta demum uxore, quum consuleretur Pontifex, (quem aliqui non Cœlestinum, sed Clementem III hujus decessorem fuisse autumant) quidnam statuendum esset de hujusmodi adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant ; tale dedit responsum, « ut separentur omnino, et eis competenti pœnitentia injuncta, perpetua continentia indicatur, » habita potissimum ratione ipsorum pervicaciæ, gravisque scandali quo Ecclesiam perturbaverant.

§ 28. Ex ipsa simplici hac rei narratione facile agnosces, non ibi quæstionem fuisse de validitate, aut nullitate matrimonii, post mortem prioris uxoris inter adulteros contrahendi ; sed de pœnitentia canonica adversus gravissimum crimen irroganda ; quæ quidem hujusmodi fuit, ut non modo ipsis adulteris prohibitum fuerit matrimonio invicem copulari ; sed etiam cum alia qualibet persona matrimonium contrahere ; « præsertim cum in dies suos ambo præcesserint, et jamdiu publice in adulterio et perjurio, ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint, » ut eadem decretalis prosequitur.

§ 29. De validitate quidem matrimonii inter adulterum et adulteram, ex instituto agit Alexander III in epistola sua decretali, quæ tamen nostris compilationibus inserta non est ; sed reperitur in Actis conciliorum Collectionis Harduini præfatæ, tom. VI, part. II, pag. 1838. Ea vero sic habet : « Ex præsentium latoris confessione percepimus, quod cum ipse quamdam alterius uxorem in adulterio polluisset, pœnitentiam inde suscepit. Sed postea in eumdem incidit, diabolo instigante reatum ; ac eamdem mulierem, viro defuncto, sibi in matrimonium copulavit, eamque asserit in præsenti pro conjuge retinere. »

§ 30. Super his autem cum Alexandri judicium requireretur, respondit, non (quod tu quidem velles), matrimonium, ratione adulterii, invalidum fuisse ; sed nullitati obnoxium fore, si machinatio, aut promissio nuptiarum intervenisset. « Verum quoniam Nos de salute animarum ipsorum solliciti compellimur in Domino cogitare, fraternitati tuæ, etc., quatenus rem ipsam diligenter inquiras, et si tibi constiterit, quod ille, vel illa in mortem prioris viri fuerit machinata, vel si, eo vivente, fidem ipsi mulieri dederit, se eam in conjugem recepturum, eos non differas penitus separari. »

§ 31. Neque hic sistit Alexander, quin etiam dicere non omittit, quid juris esset, si solum adulterium præcessisset : Tunc enim nequaquam matrimonium irritum fore declarat (quod utique non taceret, si hujusmodi disciplina eo tempore viguisset ; quemadmodum supra de eo matrimonio pronuntiaverat, in quo ad crimen adulterii accessisset machinatio, aut promissio futuri conjugii) ; sed jubet procedi in causa secundum canonicas regulas : « Quod si neuter istorum constiterit, in causa ipsa juxta ecclesiasticam consuetudinem, et canonica statuta procedas. » Si autem quæsieris quidam hac de re consuetudo ecclesiastica, et canonica statuta decernerent, respondemus, satis probabile videri respexisse Alexandrum ad concilii Toletani VI, anno sexcentesimo trigesimo octavo celebrati, constitutum, quod exstat can. De his, 33, quæst. 2, et in quo præscribitur methodus cum iis servanda, qui post pœnitentiam publicam peractam, in idem recidèrent crimen, pro quo subjecti fuerant pœnitentiæ. Canonem hunc, quum tibi vacaverit, legere poteris, atque perpendere ; sed frustra in illo quæras nullitatem matrimonii inter adulteros ipso jure statutam ; deficientibus aliis irritantibus circumstantiis, a Nobis pluries memoratis.

§ 32. Attamen, quod ibi statutum non re-

Digitized by Google

per tur, alibi te sine ullo labore invenisse affirmabis, in nostra nempe collectione Gregoriana, sub titulo superius allato, De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, cap. *Propositum*, quod est ipsius Alexandri III, ubi sic legitur : « Licet autem in canonibus habeatur, ut nullus copulet in matrimonio, quam prius polluerat adulterio, et illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris ; » et quidem validum tibi argumentum dices suppetere in ea voce *maxime*, qua indicari videtur nullitas matrimonii inter adulterum et adulteram (de quo Pontifex in superioribus locutus erat), etiam non concurrente machinatione, nec data fide futuri matrimonii.

§ 33. Forte putabis, Nos, adversus hæc responsionem nostram comparantes, grammaticalem controversiam tecum agitare velle de significatione illius verbi maxime ; eaque de re a Nobis consultum iri libros vet. canonistarum, præsertim Abbatis, qui in cit. cap. *Propositum*, audacter sustinet, vocem illam *maxime*, in rel. textu, æquipollere adverbio *solum*. Verum si ita de Nobis opinatus fueris, haud ægre feras nos tibi respondere non satis tibi notum esse morem, animumque nostrum ; Nos enim in veritatis inquisitione, nequaquam hujusmodi nugis, levibusque fundamentis innitimur, et quæstiones inutiles prorsus aversamur.

§ 34. Itaque respondemus, veram Alexandri Pontificis mentem, circa ea, de quibus nunc agimus, minime eruendam esse ex aliquibus verbis, quæ ipsi excidere potuerunt, dum aliam omnino quæstionem definiret ; sed videndum esse potissimum, quid ipse scripserit, quum, data opera, eam pertractaret quæstionem, quam præ manibus habemus. Porro Alexander in cit. cap. *Propositum* respondet Abbati Sancti Albani, qui ab ipso quæsierat quidnam statuendum esset de quodam homine, qui, vivente uxore sua, alteram sibi matrimonio copulaverat, legitima uxore adhuc superstite, Pontifex ergo cum eam circumstantiam magni æstimaret, quod scilicet « præfata mulier erat inscia, quod ille aliam uxorem haberet viventem, » nec æquum censeret prædictum virum, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportare, statuit, ut, si quidem ipsa mulier id postularet, divortium inter eos fieret ; non vero, si, volente muliere in hujusmodi connubio perseverare, vir peteret ab ea separari.

§ 35. Quæstionem hanc definiendam sumpsit Alexander in cit. cap. *Propositum* ; atque ita definivit, ut præcipuam æquitatis, prudentiæque rationem ab illo habitam esse dignoscatur ; eaque definitio, unice est attendenda. Si autem, dum legislator de principali argumento verba facit, quidpiam ab ipso extraneum minus recte dictum esse comperiatur, minime debet enuntiatio haud satis accurata aut legislatori vitio verti, aut id veritatis præjudicium trahi ; neque potest pro regula juris id accipi, quod sic ab eodem legislatore, veluti prætereundo, dictum fuisset apparet ; præsertim cum ipse, opportuniore occasione oblata, judicium suum super eadem re aperte declaraverit.

§ 36. Nos autem in hoc præcise casu versamur. Idem nimirum Alexander, cui in cit. cap. *Propositum*, ea verba exciderunt, quibus, ut tibi visum est, negavit, validum matrimonium esse posse inter adulteros, defuncto legitimo conjuge, etiam absque aliis irritantibus circumstantiis ; idem, inquam, in alia sua decretali, quam ex collectione Conciliorum Arduini supra retulimus, cum directe ab eo quæreretur, an nullum censendum foret hujusmodi matrimonium : nullum illud esse respondit, si machinatio, aut nuptiarum promissio supervenerint. Isque Pontifex hoc ipsum firmat in cap. *Super eo*, De eo qui duxit in matrimonium, etc., ubi sic habet : « Super eo vero quod de latore præsentium tuis litteris quæsivisti ; an liceat cum ea sibi matrimonium contrahere, quam, alia sua uxore vivente, sibi de facto matrimonio copulavit ; tuæ sollicitudini duximus respondendum ; quod si adultera in mortem alterius aliquid machinata, sive iste fidem dederit, quod eadem defuncta, hanc esset ducturus, secundum canones ab ejus consortio perpetuo prohibetur ; et hæc prohibitio perpetuo est observanda. » Quibus verbis, *perpetuo prohibetur*, et, *prohibitio perpetuo est observanda*, pro ea, qua polles, canonum scientia, plane intelligis, impedimentum designari, quod a doctoribus dirimens appellatur, illudque, per hujus decretalis contextum, ad casum præcedentis machinationis aut pacti connubii coarctari.

§ 37. Superest nunc, ut licet prolixius jam hæc epistola evaserit, quam Nobis initio propositum fuerat, aliqua tamen addamus, quæ adhuc legere non graveris, quemadmodum præmissis hucusque animum patienter adhibuisti. Nec enim levioribus prætermissis, quidquam a nobis præteriri decet ex his quæ in litteris Fraternitatis Tuæ gravioris sunt ponderis et momenti.

§ 38. Legitimationem prolis ex soluto, et soluta procreatæ, quæ fit per subsequens matrimonium, ex Sacramenti virtute derivandam esse putas, eodem Alexandro III auctore, qui ait : « Tanta est enim vis sacramenti, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi. » Unde arguis, quod si isti ex vi sacramenti legitimantur, nihil obstat, quominus filii pariter ex adulterio suscepti, tanti sacramenti virtute, legitime evadant.

§ 39. Verum ubi a te legitur : *Tanta est vis Sacramenti*, Nos legimus, *Tanta est vis matrimonii*, quemadmodum scriptum est in decretali Alexandri III, cap. *Tanta*, qui filii sint legitimi. Quod si ad integram decretalem, quæ apud Harduinum est, de more provocas, rogamus, ne te pigeat in marginem quoque oculos conjicere ; ibi enim loco verbi *Sacramenti*, adnotatum reperies aliud *Matrimonii*. Nec aliter profecto res se habere poterat. Vis enim ac dignitas matrimonii, qua sacramentum est, in eo est po-

Digitized by Google

sita, quod gratiam sanctificantem confert, quod unionem hypostaticam Verbi divini cum humana natura repræsentat, itidemque illam, qua Christus cum Ecclesia per gratiam conjungitur; non autem in eo sita est, quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Jesus Christus tribuit matrimonio, quum illud ad dignitatem sacramenti novæ Legis evexit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa statuere, ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

§ 40. Denique addis, magis abominatam canonicis legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina; ideoque, cum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari, aut majori ratione, legitimari posse. Porro legitimatur proles incestuosa ope dispensationis, quæ dicitur *in radice matrimonii*. Ut autem obtineatur hujusmodi dispensatio, quæ non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur, quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali; quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a jure divino, aut naturali, sed a jure duntaxat Ecclesiastico proveniat. Sicque, et non aliter legitimatur proles incestuosa, vigore dispensationis, quæ dicitur in *radice matrimonii*. Tuum modo est hujusmodi circumstantias aptare ad legitimationem prolis ex adulterio genitæ; quod sane opus ingenii nostri tenuitatem excedere fatemur.

§ 41. Hactenus Fraternitati Tuæ satisfacere studuimus, quoad nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti, meram gerentes in hac epistola, ut initio dicebamus, privati doctoris personam; nunc demum epistolæ nostræ finem facientes, supremi Pastoris partes resumimus, ut apostolicam tibi benedictionem impertiamur; utque præterea te admoneamus, quod, quum ea quæ ad Nos scripsisti, a Justo Henningio Boehmero (quantumvis nullam de eo mentionem feceris) sis mutuatus, eaque descripseris ex ejus opere De jure ecclesiastico protestantium, tom. I, pag. 237 et sequentibus, juxta tertiam editionem anno 1730 typis impressam; sicuti laudabilis foret industria tua, si eo auctore usus essès ad venerabiles Ecclesiæ catholicæ doctrinas illustrandas, aut si ipsum, in iis, in quibus Nobis adversatur, confutare aggressus esses; ita reprehensioni te obnoxium fecisti, dum illius opus perlegere, atque etiam tacitus transcribere ausus es, ut ad impugnandas canonicæ jurisprudentiæ sententias inter orthodoxos communiter receptas, instructior accederes. At ne forte Paterni hujus moniti libertatem in malam partem accipias, tibi persuasum volumus, non minus sincero charitatis affectu Nos te complecti, ac Fraternitati Tuæ fausta omnia ex animo adprecari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 5 Decembris 1744, Pontificatus nostri anno quinto.

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

NEC NON

S. PŒNITENTIÆ RESPONSA,

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE RESPONSUM.

H

HÆRETICUS.

S. R. ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS RESPONSUM.

Instructio de communicatione in divinis catholicorum cum hæreticis, et schismaticis, edita pro missionariis Orientis, anno MDCCXXIX.

(1. Cum sæpe, ac diu varii, sub variis utilitatis, necessitatis, periculorum, vexationum, atque etiam persecutionis a fidelibus subeundæ circumstantiis, casus huic sacræ congregationi propositi fuerint a missionariis, ac prælatis orientis quoad communicationem in divinis catholicorum cum hæreticis, et schismaticis; eumque ab hac S. congregatione constanter, uniformiterque rescriptum fuerit *non licere*, concepta spes erat missionarios Orientis satis ac facile intellecturos posse quidem *speculative* casus aliquos excogitari, in quibus communicationem aliquam in divinis tolerare liceret, sed *practice*, circumspectis omnibus facti circumstantiis, difficillime casus inveniri, in quibus ea commutatio liceat, ac moraliter etiam impossibile esse ut alia præscribatur regula generalis cuique hominum generi, cuique regioni, cuique tempori accommodata, quam quæ iteratis a missionariis Orientis quæsitis data est ab hac sancta congregatione in instructione edita anno 1719, eo nimirum doctrinæ principio nixa, quod

Digitized by Google

communicatio in divinis cum hæreticis et schismaticis ut illicita regulariter habenda esset in praxi, vel ob periculum perversionis in fide catholica, vel ob periculum participationis in ritu hæretico et schismatico; vel denique ob periculum, et occasionem scandali: quæ quidem circumstantiæ quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum hæreticis et schismaticis connectuntur in praxi, ita universim vetitæ sunt jure naturali, ac divino, in quo nec ulla potestas est, quæ dispenset, nec ulla conniventia, quæ excuset; adeo ut nullus relictus locus fuerit nova dubia fingendi, ac proponendi: proinde in ea instructione diserte præscriptum est: « Missionarii instruendi erunt, quod omnino abstinere debent ab actibus protestativis falsæ sectæ, a communicatione in ritu schismatico et hæretico, a periculo perversionis, et ab occasione scandali. »

(2. Addita quidem in prædicta instructione hæc verba sunt: « Hisce semper firmis, et salvis, et præ oculis habitis; si ulterius aliquod grave dubium occurret, doctores, theologos, et missionarios diu versatos in illis regionibus consulant. » Quæ quidem aliqui contra mentem S. hujus congregationis interpretati jus sibi arrogarunt casus omnes definiendi, ac scriptis etiam regulas generales tradendi in hac materia adeo implexa periculosas: ex quibus et missionariorum discissa studia, districta consilia et opiniones minime cohærentes, quæstionem, licet toties definitam, magis ac magis implicarunt, non sine detrimento conscientiarum, et scandalo, offensioneque bonorum: quare hæc S. congregatio opportunum duxit prædictam instructionem iterum inculcare, ac singulis missionariis omnino præscribere ut regulis in ea traditis sese omnino conforment et obtemperent.

(3. Cordi sit ergo singulis prælatis, missionariis, sive directoribus animarum fideles edocere, atque excitare ad hæc evitanda pericula, quæ regulariter aut omnia, aut aliqua subeunt in communicatione *in divinis*, cum hæreticis et schismaticis Orientis, qui licet adhuc substantiam ac valorem sacramentorum plerumque conservent, non sinunt tamen, ut ea, quæ debent, catholici improbationis, et segregationis signa exterius edant; ex quo fit, ut exterior illa conformatio in eodem cultu, et reverentia in pseudo ministros liturgiæ catholicum quemque, quamvis in fide firmissimum, ritus et hæreticos, vel schismaticos, quibus eorum cultus inficitur, exhorrentem, periculo tamen scandali liberare non possit.

(4. Id ex eo etiam confirmatur magis, quod vix ullus sit ritus apud heterodoxos, qui aliquo errore in materia fidei non maculetur; nam in eorum ecclesiis, vel dedicatio est in memoriam schismatici alicujus, quem ut sanctum venerantur, vel exstant imagines, vel coluntur reliquiæ, vel festa celebrantur eorum, qui in schismate mortui, veluti sancti vulgo habentur: vel denique commemoratio fit viventium patriarcharum, et episcoporum schismaticorum et hæreticorum, qui ut *fidei catholicæ prædicatores* commendantur. Qua de re qui in eo ritus, et orationis, et cultus celebratione conveniunt in his facti circumstantiis catholici quique, reatu perversæ communicationis aut saltem perniciosi scandali purgari non possunt. Nec eos excusat assistentiæ mere materialis prætextus; facto enim ipso excluditur, quo qui functionibus hisce hæreticorum aut schismaticorum intersunt, satis cum ipsis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in unitate venerationis et obsequii erga perversos ministros hæreseos schismatisque præseferunt.

(5. Patescit id etiam ex eo, quod Orientales ipsi quotidie oculis vident, auribus audiunt, ore confitentur, nullum nempe sectarium obfirmatum in schismate accedere, interesse, convenire in ecclesiis catholicorum, sive ut missam audiat, sive ut sacramenta suscipiat: ea nimirum de causa, quod fidelium conventus veluti perversæ communionis blasphemantes, perniciosum et illicitum putent commercium hoc, ritumque damnabilem. Cum vero videant ad eorum ecclesias accedere, eorum ritibus interesse, de eorum sacramentis participare catholicos, an non credendum, aut saltem timendum erit, ne ex hoc ipso magis in suis erroribus confirmentur, ac se in recto salutis tramite ambulare sibi etiam hoc exemplo persuadeant? Ex quo sequitur, difficillime vitari posse periculum scandali perniciosi schismaticis et hæreticis ipsis: ac proinde catholicum tutum in conscientia non esse, si cum iis in divinis in hac facti specie communicet.

(6. Hæc sane fidelibus documenta tradenda sunt, atque ideo hæc S. congregatio prælatis, missionariis, et singulis animarum directoribus in Oriente serio injungit, ut unanimes hoc ipsum dicant omnes, et in eodem sensu ac sententia maneant, nec contrarium doceant, aut per modum consilii, aut per modum dispensationis: sed magis hortentur fideles pro re tanta, ut a communicatione *in divinis* cum schismaticis et hæreticis prorsus abstineant; et si quando ab ea regula deviarint, eos hortentur, ac doceant, ut peccatum hoc aperiant in sacramento pœnitentiæ, quo veniam a Deo obtineant, et in posterum cautiores evadant.

(7. In excipiendis vero confessionibus missionarii, sive directores circumstantias casus, quæ magis, vel minus gravem pœnitentium culpam efficiunt, diligenter examinent, eorumque oculis subjiciant: in id semper intenti, ne quid laxam hac in re eorum conscientiam efficiat; sed opportunis documentis et monitis timidiorem potius, et cautiorem, ne communicando *in divinis* cum schismaticis, hæreticis, animam in salutis discrimen adducant.

(8. Consuetum quidem est causam persecutionis afferre, quam a schismaticis, et hæreticis subeunt catholici, qui ab eorum ecclesiis, ac functionibus abstinent. At

Digitized by Google

curent missionarii ac directores, ut quique cognoscant vanum plerumque metum esse, imo vero etiam necessarium omnino esse persecutioni non cedere: eo vel quia persecutio ipsa æquivalet interrogationi fidei; atque id etiam ostendant tum exemplis tot fortissimorum ac firmissimorum in fide catholicorum, qui hujusmodi vexationibus minimo succumbunt, tum an'edicto doctrinæ principio ab ipsa etiam Ecclesia Orientali suscepto, tum denique catholici nominis dignitate, quæ minime patitur ut ipsi inimicis animarum, et fidei, et unionis quam profitentur cum Romana Ecclesia, sese subjiciant, ac demittant: quinimo attendant, non alio spectare artem hanc vexandi fideles, quam ut ab iis agnoscantur heterodoxi veluti verorum rituum, veræ fidei, veræ ecclesiæ ministri, atque ita facile catholicos, aut à fide prævaricatores, aut saltem errorum approbatores facto ipso efficiant; licet dictitent, semper se eorum communionem exigere tantum pro conservatione ritus, et eleemosynarum. Quæ quidem omnia si serio ac graviter, et iteratis monitis impressa fidelium mentibus fuerint, sperandum sane est ex seipsis promptiores, et alacriores in dies ferendis injuriis factos, firmiores quoque, ac constantiores futuros in unione, et communione veræ unius Ecclesiæ, quam profitentur.

Facile sibi persuadet hæc S. congregatio, omnes, et singulos prælatos, et directores animarum in Oriente, maxime vero missionarios instructionem hanc, veluti normam in praxi servandam habituros, disputationibus hac de re prorsus omissis; nec aliud, sive in agendo, sive in docendo, semotis dissidiis, secuturos. Quod si præter spem aliter accederit, noverint omnes, qui catholico nomine ne gloriantur S. hanc congregationem contra transgressores validiora remedia paraturam, eosque ut minime idoneos directioni animarum, et missionibus Orientis habituram.

V. CARD. PETRA PRÆF.

S. R. Universalis Inquisitionis Decretum de eadem materia.

Feria v, die 10 Maii MDCCLIII. In congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis Sancti Officii, super dubiis propositis a quodam Missionario civitatis Tenos in Peloponneso, et a S. Cong. de propaganda fide ad S. Officium transmissis per ejus R. P. D. Secretarium die 24 Martii ejusdem anni: Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, decrevit.

Ad primum, nempe: An liceat catholicis latinis concedere, vel permittere, ut in eorum ecclesiis missam celebrent presbyteri græci ritus, schismatici et hæretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum? Quoad primam partem dicti dubii respondendum: *Non licere*: maxime cum patriarchæ Constantinopolitani commemorationem faciant, et festum celebrent infamis Palamæ: id enim perinde est ac consentire eorum hæreticis ritibus, et communicare cum eis in eorum sacris schismatico et hæretico furfure pollutis, aut saltem occasionem præbere catholicis ad latinas intervenientibus ecclesias communicandi cum hæreticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem ejusdem dubii, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum *meram præsentiam materialem* exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non sé immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera offerre, et defunctos ad sepulcrum deducere, *tolerari posse*; quatenus vero in illa functione *proprios ritus adhibeant*, vel nostris se immisceant, *non licere, nec esse permittendum.*

Ad secundum, nempe: An liceat catholicis græci ritus non habentibus catholicam ecclesiam ejusdem ritus, communicare in divinis cum græcis schismaticis, et hæreticis: *Non licere*, quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam Latinorum, et ex defectu sacerdotis catholici ritus græci, a sacerdotibus latinis sacramenta suscipere.

Ad tertium, nempe: An liceat confessariis, vel sacerdotibus latinis administrare sacramentum pœnitentiæ græcis catholicis communicantibus in divinis cum Græcis schismaticis: *Non licere extra casum extremæ necessitatis.*

J

JEJUNIUM.

SACRÆ POENITENTIARIÆ RESPONSA.

Ad varia de Jejunio dubia.

1. Ad quæsitum: Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam 10 et 11 matutinam; prandium vero differendo ad 4 vel 5 horam vespertinam.

S. Pœnitentiaria 10 Jan. 1834, respondendum censuit: « Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua exstet causa, pœnitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos. »

2. Ad quæsitum: « Se i padri di famiglia, allorchè vi è nella famiglia medesima qualche persona dispensata ad usar cibi di grasso, possano estender la dispensa indistintamente a tutti gl' individui della stessa famiglia. »

S. Pœnitentiaria, anno, et mense suprad. respondendum censuit: « Infirmitat. et aliud quodcunq. rationabile impedimentum, de utriusq. Medici consilio, non vero gulæ, avaritiæ, sive generatim expensarum compendium eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus. »

3. Ad quæsitum: « Se nella Quaresima, essendo il capo di famiglia dispensato a mangiar carne, ed il medesimo non potendo, o non volendo far due pranzi, uno di grasso, e l'altro di magro, i figli di famiglia, e le persone addette al suo servizio possano mangiar carne. »

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, respon-

Digitized by Google

dum censuit : « Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis : adjecta conditione, de non permiscendis licitis, atque interdictis epulis, et de unica comestione in die iis qui jejunare tenentur. »

4. Ad quæsitum : « Se coloro i quali sono dispensati dall' osservanza del digiuno per causa di esercitare arti faticose, possano nella Quaresima, allorchè è concesso l'indulto di cibarsi di carne, e di latticinii (*pro unica comestione*), far uso delle carni, e dei latticinii tutte le volte, che nel corso della giornata hanno bisogno di mangiare, siccome nei giorni di Domenica della stessa Quaresima, nei quali non obbliga il digiuno. »

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, de mandato felicis recordationis Pii Papæ VII respondit : « Fideles, qui ratione ætatis, vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt. »

5. Ad quæsitum : Utrum ii, qui ratione ætatis, vel laboris jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis, et piscium, cum per indultum carnes permittuntur;

S. Pœnitentiaria 13 Februarii 1834, respondit : *Consulat* (quisque) *probatos auctores* (125).

6. Ad quæsitum : « Un confessore domanda alla Santità Vostra, se ai dispensati (*ad esum carnium*) nei giorni di venerdì, e sabato fra l'anno, nei quali non vi è l'obbligo del digiuno, sia permessa la promiscuità dei cibi, non ostante la risposta da *Benedetto XIV* all' arcivescovo di Saragozza per organo della Segreteria dei Memoriali, li 5 Gennaio 1755; »

S. Pœnitentiaria 15 Febr. 1834, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI de ipsius Sanctitatis suæ mandato, respondit : *Permitti.*

7. Ad quæsitum : Utrum in diebus jejunii tempore Adventus a Pio VI præscripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis, et piscium;

S. Pœnitentiari 8 Jan. 1834, respondit : *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem*

8. Ad quæsitum : Utrum lege vetitæ permistionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (vulgo *salumi*, id est *alici, mosciame, caviale, aringa, tarantella*, aliaque his similia), an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi;

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834 respondit : « Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscium mistio vetita sit. »

9. Ad quæsitum : Utrum tempore jejunii, cui licitus est usus carnium, liceat miscere testacea marina, quæ improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces censentur (id est *ostriche, telline, patelle, canolicchi, cappe, granchi*, etc.);

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, respondit : « Testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscium mistio vetita sit. »

10. Ad quæsitum : « Quelli, che sono dispensati dalla qualità dei cibi, possono nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo per provvedere alla loro salute, e nel resto far uso di cibi esuriali per conservar, quanto si può, l'osservanza della Legge dei cibi ; »

S. Pœnitentiaria 8 Febr. 1828, attente consideratis expositis, respondit : *Affirmative.*

11. Ad quæsitum : utrum tempore jejunii liceat mistio carnis cum leguminibus;

S. Pœnitentiaria, anno et mense suprad. respondit : « Carnes cum quibuscunque leguminum speciebus misceri posse, extra omne dubium est. »

12. Ad quæsitum : « Se i dispensati a cibarsi di grasso nei giorni, nei quali fanno uso di soli latticinii, possano per condimento adoperare lo strutto. »

S. Pœnitentiaria 8 Feb. 1828, attente consideratis expositis, respondit : *Affirmative.*

13. Ad quæsitum : Utrum, quum sive per Bullam Cruciatæ, sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo *strutto*) solo titulo condimenti, ii, qui ad jejunium tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione;

S. Pœnitentiaria 16 Jan. 1834, de expresso sanctæ memoriæ Papæ Leonis XII oraculo, respondit : « Quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis; quia illa, vi indulti, olei locum tenent : dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione. »

14. Ad dubium : Utrum avis aquatilis, cui nomen fulica (vulgo *folaga*) inter pisces computanda sit, illaque vesci liceat iis diebus, quibus vetitæ sunt carnes : religiosi ordinis Minimorum S. Francisci a Paula, quibus carnes omnino interdictæ sunt, ad tollendam perplexitatem, qua eorum conscientiæ hac super re angebantur, supplicationem porrexerunt Pio VII, ut sibi concederetur *posse libere uti* eo cibo.

(125) Alii docent illos quoque subjici; nam lex *qualitatem* ciborum respiciens omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut, si indultum non esset, etiam ab illis a carnibus esset abstinendum : unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quæ *una vice* comedere possunt jejunantes, ea *toties quoties* voluerint valeant comedere a jejunio liberati. Alii vero, quibus se subscribit Righetti, contrarium tenent; nam Encyclicæ Bened. XIV, quibus ea mistio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur; ergo non ultra sunt extendendæ; alioquin si nimis essent urgendæ, a jejunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendæ carnes; cum id semel tantum ibi indulgeatur. Scavini, *Theol. mor.* t. I.

Digitized by Google

Quibus per S. congregationem regularis disciplinæ 22 Febr. 1804, *Sanctissimus, veris exhibentibus narratis, benigne annuit* PRO GRATIA *juxta petita, constitutionibus ordinis, aliisque non obstantibus*, etc.

I

INDULGENTIA.

SACRÆ CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM DECRETA.

Laudes divini nominis.

(1. Dio sia benedetto — Benedetto sia il suo santo nome — Benedetto sia Gesù Christo vero Dio, e vero uomo — Benedetto sia Gesù nel SS. Sacramento dell' altare — Benedetto sia Maria Madre di Dio — Benedetto sia il nome di Maria Vergine e Madre — Benedetto sia Dio negli Angeli, e Santi Suoi

DECRETUM URBIS, ET ORBIS.

Ex audientia Sanctissimi die 8 Augusti 1847.

Ut Sanctissimum illud Domini nomen, quod, testante Psalmista, a solis ortu usque ad occasum est laudibile, ab universis Christifidelibus præcipua devotione invocetur, Indulgentiam unius anni pro qualibet vice laudes, quarum initium *Dio sia benedetto*, etc., corde saltem contrito, ac devote recitantibus, die 23 Julii 1801, a Pio PP. VII, sa. me. concessam, Animabus quoque in Purgatorio detentis, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX, in audientia die 22 Martii currentis anni, applicabilem esse declaravit. Humillimis demum porrectis precibus a R. Fr. Aloisio Giorgetti Ordinis Minorum Provinciali, ut pro præfata recitatione plenaria quoque indulgentia concederetur, eadem Sanctitas Sua, ipsis oratoris precibus peramanter exceptis, indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles semel saltem in die dictas laudes per integrum mensem recitantes, indulgentiam plenariam, una tantum cujuslibet mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere pœnitentes confessi, ac sacra communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis Suæ, pias ad Deum preces effuderint, lucrari possint, et valeant; facta insuper potestate ipsam etiam plenariam indulgentiam Fidelibus pariter defunctis applicandi. Præsenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione.

(2. *Dubia pro indulgentia Viæ crucis.*

Beatissime Pater,

Dominicus Maria Savy Aturensis episcopus in Gallia, S. V. humiliter deprecatur, ut ad sequentia dubia, et quæsita per sacram Indulgentiarum congregationem respondere dignetur.

1. Multoties ad dealbandas parietes, ab iis disjunguntur simul, vel successive quatuordecim cruces, vel imagines *Viæ Crucis*, aliquando ex una ecclesia in aliam transferuntur, vel in oratorium: quæritur, an amittantur benedictio et indulgentia?

2. Ad lucrandas indulgentias Viæ Crucis in ecclesia; vel oratorio erectæ annexas, requiriturne recitatio Sex *Pater*, et *Ave* post quatuordecim stationes?

3. Quando propter gravem causam accidentalem Ordinarius præcipit vel approbat orationem Quadraginta Horarum dictam, possuntne fideles indulgentiam plenariam lucrari, positis de jure ponendis?

4. Facultas data die 12 Junii anni 1822, confitendi sua peccata infra octo dies, quæ præcedunt festum, cui annexa est indulgentia plenaria, extenditurne ad dies orationis 40 horarum consecratas; et communio potestne fieri die præcedenti, modo visitetur sanctissimum sacramentum fidelium adorationi expositum?

5. Possuntne applicari indulgentiæ coronis, seu annulis argenteis, vel aureis, in quibus sculpti sunt globuli decem, ad recitandum rosarium, vel tertiam ejus partem?

6. Possuntne indulgentiis sanctæ Birgittæ dictis donari coronæ precatoriæ quinque, et non sex decadum? Post quamlibet decadem requiriturne recitatio symboli apostolorum ad lucrandas indulgentias?

7. Licetne, aut saltem convenitne iterum applicare indulgentiam in articulo mortis. 1° quando ægrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis? — 2° quando post applicationem diuturna laborat ægritudine: uno verbo, quando rituale permittit, aut præcipit iterationem extremæ unctionis, aut confessarius judicat iterandam esse absolutionem? — Et Deus, etc.

Ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum. — Die 20 Junii 1836.

PROPOSITIS DUBIIS RESPONSIO.

Ad 1. Non amittuntur benedictio et indulgentiæ, *si una, vel altera tantum* crux removeatur a pariete ecclesiæ ad illam dealbandam, sed si *simul omnes cruces* removeantur (ut postea iterum ponantur in d. Ecclesia), Fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, *si in aliam ecclesiam, vel oratorium translatæ sint cruces* sine Apostolica facultate.

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. In Decreto cit. legitur: « In locis in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur decretum dat. die 19 Decembris 1763, de Confess. hebdomadalibus, etc. et facto verbo cum SS. extendatur ad omnes Christifideles, unde confessio peracta infra hebdomadam, ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commissæ conscii sint; nihil innovando circa indulgentias ad formam jubilæi tan-

Digitized by Google

cessas, ut in prædicto Decreto 19 Decembris 1763.

R. Vigore cit. decreti 12 Junii 1822, obtenta facultate, ut supra, a postulantibus, quoad confessionem, *Affirmative;* id est extenditur etiam ad indulgentiam lucrandam in oratione 40 horarum concessam. Quoad communionem peragendam die præcedenti, *Negative;* quia indulgentia pro solemnitate orationis 40 horarum concessa, non incipit a primis vesperis, sed de mane exposito SS. sacramento, et communio fieri potest in pervigilio earum festivitatum tantum, in quibus Indulgentia incipit a primis vesperis, ut ex præcit. Decreto 12 Junii 1822.

Ad 5. *Negative* pro indulgentiis rosarii recitationi concessis.

Ad 6. *Negative* quoad primam partem, nisi habeantur peculiares facultates. *Affirmative* ad 2. partem, si dicatur corona sex decadum s. Birgittæ nuncupata.

Ad 7. ad 1 et 2. *Negative.* Sicut non iteratur extrema unctio, et si ægrotus sacramentum hoc accepit in statu lethalis peccati, vel postea in peccatum relapsus est; sic non est in utroque casu iteranda benedictio pro lucranda plenaria indulgentia; quæ cum concessa sit a Summis Pontificibus pro mortis articulo, suum sortitur effectum in vero articulo mortis. (P. Theodor. a Spiritu S., par. 4. De Indulg., cap. 11, art. 5, § 5.)

Ad 3. prout jacet, *Negative pariter in omnibus.* Neque valent exempla iterationis extremæ unctionis, ac absolutionis. Iteratur sæpe absolutio, sed pro remissione peccatorum quoad culpam etc. Iteratur extrema unctio in ipsa infirmitate; si diuturna sit, ut, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat (Ritual. Rom. *De extrema unctione*), quia per istud sacramentum peccata venialia remittuntur, ægroti mens a timore mortis liberatur, animusque pio et sancto gaudio repletur etc., ac sanitas quoque corporis eidem, si ita expediat, redditur (Trid. Synod. sess. XIV *De extrema unctione*). Aliunde vero Indulgentia Plenaria per Apostolicam benedictionem lucranda remittit pœnam temporalem peccati, et in vero mortis articulo efficaciam habet (ait P. Theod. cit.) ut fideles vere contriti de peccatis ad æternam beatitudinem statim perducantur.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Sec. S. congreg. Indulgent.

(3. *Orationes vernaculo idiomate.*

Beatissime Pater.

Nonnulli sacerdotes Sabaudiæ ad pedes S. V. provoluti, cum humilitate et reverentia exponunt dubium a B. V. solvendum, videlicet:

1. Utrum in idioma gallicum vertere liceat preces quasdam cum indulgentiis latine et italice scriptas, et in libro, cui titulus — *Raccolta di Orazioni, e pie Opere coll' Indulgenze* — relatas. Quæ versio gallice videretur necessaria, ut preces prædictæ cum uberiori fructu a plebe utramque linguam nesciente legi ac intelligi possint?

2. Utrum fideles, recitando preces jam dictas, sic gallice versas, indulgentias, ut prius ante versionem lucrentur?

Ex secretaria sacræ congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ.

In decreto approbationis opusculi, cui titulus — *Raccolta di Orazioni, e pie Opere, per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze* — a Sacra Indulgentiarum congregatione pluries evulgato, ac præsertim pro nona editione sub datum Romæ die 30 septembris 1837, minime prohibitum est eam alio quocumque idiomate vertere et exarare; sed monetur potius, « quod si in quacunque ejusdem operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis, tam in Urbe quam extra exarata, vel quæ exarari contingat, dubium aliquod subindo emersorit, sive quoad Indulgentiarum concessiones, sive quoad præscriptas concessiones adimplendas, ad postremam hanc editionem typis Michaelis Perego — Salvini gnaviter excusam, et in ipsius S. congregationis secretaria asservatam, recursus habeatur. »

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex eadem S. congregationis Indulgentiarum secretaria die 14 Maii 1838.

Loco ✠ Sigilli.

A Canonicus Prinzivalli Substitutus.

(4. *Dubia pro indulg. Viæ Crucis.*

Quidam vicarius generalis in Gallia sequentia dubia proponit:

1. Detecta nullitate alicujus erectionis stationum Viæ Crucis ob defectum exsecutionis conditionum in Apostolico Rescripto, vel de jure præscriptarum, est ne necesse, hujusmodi nullitate sanata, iterum benedicere cruces et pictas tabellas jam antea benedictas?

2. Petitiones pro hujusmodi erectionibus fierine debent cui de jure in scriptis sub pœna nullitatis concessionis, vel sufficit quod factæ sint ore tenus?

3. Si hujusmodi erectio nulla detegatur ob omissionem documenti in scriptis talis concessionis, et secutæ exsecutionis, poteritne hujusmodi defectus in posterum, atque etiam post longum tempus suppleri?

4. Estne tempus determinatum, et quale, pro confectione documenti secutæ erectionis stationum Viæ Crucis vigore Apostolici Indulti?

Ex sacra congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita sic respondetur:

Ad 1. Dummodo nullitas non cadat super cruces antea benedictas, minime necessarium est, alias nullitate sanata, iterum cruces benedicere.

Ad 2. Quamquam in scriptis, ac de consensu Ordinarii, et loci patroni optanda sit petitio, tamen si ore tenus, sub pœna nullitatis, *Negative.*

Ad 3. Suppleatur Documenti defectui per novas litteras institutionis, seu confirmationis ab Ordinario conficiendas, dummodo constet aliunde de sequuta erectione.

Digitized by Google

Ad 4. *Negative*, sed expedit ut quamprimum concilietur Documentum juxta Apostolicam concessionem, ne dubia in posterum oriantur

Datum Romæ ex sec. ejusdem S. congregationis Indulgentiarum die 27. Januarii 1838.

Loco ✠ Sigilli.

M. Ginnasi Secretarius.

(5. *Alia dubia pro indulgentia Viæ Crucis.*

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Bituricensis ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit, quod delegatus a S. V. ad erectionem S. Viarum Crucis cum facultate subdelegandi parochos suæ diœcesis, aliquoties viva voce delegavit: aliquoties scripto ad parochos misso, non autem inserto in codicibus, sive parochiæ, sive archiepiscopatus: aliquoties tandem scripto inserto quidem in codicibus sive archiepiscopatus, sive parochiæ; postulatione vero dictæ erectionis a parocho facta, viva voce, non autem supplicem libellum scriptura exaratum.

Cum autem quidam pii sacerdotes in vulgus emittant responsiones sacræ Pœnitentiariæ, quæ ut validas tantum habent, si veræ sint, erectiones, quæ scripto postulatæ fuerunt, et concessæ, et quarum concessio inserta fuit in codicibus sive archiepiscopatus, sive parochiæ, ubi facta fuit erectio.

Dictus archiepiscopus, animarum paci consulere volens, enixe rogat S. V. ut respondere velit:

1. Utrum ad validitatem erectionis sacrarum Viarum Crucis necessarium sit, ut postulatio erectionis scripto fiat, scripto etiam concedatur erectio, et utrum dictæ insuper concessionis remanere debeat instrumentum in codicibus, sive archiepiscopatus, sive parochiæ; et tandem utrum sit necessarium erectionis ipsius testimonium in ejus parochiæ codicibus insertum.

2. Posito quod hæc omnia sint indulgentiarum conditio sine qua non; rogat idem archiepiscopus, ut sanare velit omnes erectiones in sua diœcesi factas ab octo et triginta annis, ita ut, non obstantibus præfatis defectibus, omnes utriusque sexus fideles lucrari valeant indulgentias sanctarum Viarum Crucis consuetas, percurrendo stationes quæ sic erectæ fuerint, quod etc.

Ex sacra congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita die 28 Septembris 1838.

Cum, sicut humillime exponebat archiepiscopus Bituricensis ab Apostolica Sede delegatus pro Viæ Crucis stationibus erigendis, cum facultate ad eumdem effectum ejusdem suæ diœcesis parochos quoque subdelegandi, per plures annos erectiones S. Viæ Crucis pluribus in locis præfatæ diœcesis absque postulatione in scriptis fuisse peractas, nonnullas vero sine instrumento concessionis, alias demum, quin in codicibus parœciæ testimonium erectionis insertum fuisset; hinc sacra Indulgentiarum congregatio re mature perpensa, auditisque consultorum votis, spiritualem fidelium utilitatem prospiciens, sanavit quemcumque defectum, stationesque ab octo et triginta annis sic erectas convalidavit, et insuper voluit ut in posterum, facultatibus archiepiscopi ab Apostolica Sede impetratis perdurantibus, sive absolutis, iterum impetrandis, omnia ac singula quæ talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus archiepiscopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus parœciæ inseratur.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum.

(6. *Dubia super translat. Viæ Crucis.*

Ad sacram Indulgentiarum congregationem circa dubia sequentia.

Quæritur 1. An, quando cruces quædam, seu imagines stationum Viæ Crucis repræsentantes, ob reparationem, seu ornamentum templi, vel ob quoddam aliud motivum legitimum sunt provisorie tantum translatæ ad paucum vel ad longum tempus, istud sacrum exercitium Viæ Crucis amittat Indulgentias sibi annexas?

Quæritur 2. An in casu amissionis Indulgentiarum ob translationem provisoriam quarumdam imaginum, necessaria sit nova istarum, seu omnium imaginum benedictio?

Quæritur 3. An supposita illa nova imaginum benedictione, requirantur denuo omnes cæremoniæ præscriptæ, sicut pro prima institutione Viæ Crucis?

Quæritur 4. An sex *Pater Ave*, et *Gloria* requirantur ad lucrandas Indulgentias Viæ Crucis, sive stationes visitentur privatim, sive solemniter et cum concursu?

Quæritur 5. An quædam stationes ex. gr. prima, decimaquarta, et quædam aliæ, si solæ visitentur, habeat unaquæque indulgentiam plenariam?

Quæritur 6. An omnes Christifideles, et adversa valetudine, vel ex justa aliqua causa præpediti quin valeant visitare Viam Crucis in ecclesiis, possint Viæ Crucis indulgentias lucrari meditando de passione Christi coram tabulis lineari pictura expressis in libro ad hoc composito, prout fuit concessum a SS. PP. Pio VII fel. mem. in Brevi ad venerabilem archiepiscopum Burdigalensem transmisso sub die 20 mensis Augusti anno 1822?

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad præfata dubia respondit ut infra.

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. et 3. Jam responsum in primo.

Ad 4. Ex monitis sacræ hujus congregationis jussu Clementis XII, sub die 3 Aprilis 1731 edictis, eruitur esse tantum pium usum, laudabilemque consuetudinem a fidelibus inchoatam.

Ad 5. *Negative.*

Ad 6. *Affirmative*, dummodo libellus, quem in lucem prodidit Clar. Vir Petrus Bombelli, ex speciali privilegio Pii VII. sub die 10 Januarii 1804, ac Pii VIII sub die 23 Novembris 1830, habeat in calce decretum hu-

Digitized by Google

jusmodi concessionis suscriptum a Rev. Patre ministro generali, seu commissario generali ordinis Min. Observ. S. Francisci.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex sec. ejusd. S. cong. Indul., die 3 Augusti 1842.

(7. *Indulgentia portiunculæ.*

ANCONITANA DECRETUM.

Cum ad hanc sacram Indulgentiarum congregationem delatum fuerit quæsitum : An ecclesia olim Fratrum Minorum gaudeat indulgentiis ordini præfato concessis, cum idem ordo non amplius exstiterit. Et hinc propositis dubiis. 1. Utrum ecclesia ordinis Minorum, nunc devoluta Ordinario, propter circumstantias in qua sacra faciunt sacerdotes sæculares, fruatur iisdem Indulgentiis ut primum, præcipue illa de portiuncula. 2. Utrum ecclesia ordinis Minorum utique vendita, sed sacerdoti ordinis Minorum sine habitu religionis tradita, ut in ipsa sacra faciat, gaudeat pariter indulgentiis supradictis. 3. Utrum Ecclesia ordinis Minorum pariter vendita, ab acquirente curatur, ut sacra in ipsa aliquando fiant a presbytero sæculari; quæritur an supradictis fruatur indulgentiis.

Eadem S. congregatio particulariter habita die 15 mensis Januarii anno 1818, auditis consultorum votis, re mature perpensa, fuit in voto.

Negative ad primum, quoad indulgentias concessas generaliter, vel specialiter omnibus Christi fidelibus visitantibus ecclesias ordinis Min. et ideo etiam quoad illam de portiuncula : et similiter *negative*, quoad secundum, et tertium.

De quibus facto verbo cum SS. in Aud. habita die 10 Februarii 1818. Eadem Sanctitas Sua votum S. congregationis benigne confirmavit.

Datum Romæ ex secretaria sacræ congregationis Indulgentiarum die 10 Februarii 1818. J. Ph. card. Scotti.

Loco ✠ Sigilli.

Angelus Constaguti, Secr.

(8. *Indulgentiæ perpetuitas.*

Beatissime Pater,

All' occasione che passò da Torino nel 1815, il Sommo Pontefice P. Pio VII. di S. memoria, la congregazione dell' Oratorio di S. Filippo andò a baciargli i sacri piedi.

Il Superiore gli domandò le indulgenze, e privilegj etc., che godeva detta congregazione prima della soppressione.

Il S. Padre rispose, che tali privilegj, e tali indulgenze non erano cessate, poichè (son sue parole) : *Siete stati oppressi, non soppressi;* la soppressione non è stata legale.

Ora detta congregazione, per sua maggior quiete, e per norma ventura, supplica umilmente V. B. a voler su di ciò manifestare la suprema sua volontà. Che ec.

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad preces ven. congregationis Sancti Philippi Neri, Taurinen. diœcesis, respondendum esse censuit.

Nulla indulgentiarum, seu privilegiorum nova concessione, ob allatam in ipsis precibus rationem, indigere.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Secr. ejusd. S. congregationis Indulgentiarum, die 26 Augusti 1840.

(9. *De suspens, indulg. et de cruciata.*

DECRETUM.

S. congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem Indulgentiarum administrationem, nec non dubiorum interpr tationem ; cum non obstante Brevi emanato a SS. Domino Nostro Leone PP. XII, quod incipit. *Cum Nos super*,

Sub datum 21 Junii 1824, nonnulla oborta sint dubia :

1. An suspensa censeatur indulgentia plenaria, occasione benedictionis solemnis ab episcopis impertiri solitæ in aliquibus diebus solemnioribus. 2. An inter indulgentiarum suspensionem locum teneant indulgentiæ *della Crociata* nuncupatæ : Hinc ut ista dubia penitus amoveantur, S. eadem congregatio, de mandato SS. Domini Nostri Leonis PP. XII. habita in palatio Vaticano die 19 Decembris 1824. re prævio diligenti examine discussa, fuit in voto :

Ad primum. *Affirmative.*

Ad secundum. *Ad mentem SS.*

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum ejusdem S. congregationis secretarium relatione SS. Domino Nostro, in audientia habita die 22 Decembris 1824. Sanctitas Sua ipsius S. congregationis votum quoad primum approbavit, et quoad secundum commisit mihi infrascripto, ut Eminentissimo domino de la Somalia secretario status patefacerem suam mentem, videlicet, ut nuntiis prædictis Hispaniarum, Gurtug allien Algarbiorum, et utriusque Siciliæ regni notum faceret, quod, attentis peculiaribus temporum circumstantiis, ex speciali gratia, et in exemplum minime allatura, Sanctitas Sua pro hac vice clementissime annuerit ut indulgentiæ cruciatæ hoc anno jubilæi haud suspensæ remaneant.

In quorum fidem : Datum, etc.

10. *Dubia de Via Crucis, quæ proponuntur solvenda a S. Congregatione Indulgentiarum.*

1. An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare, et stationes percurrere, ut valida sit erectio?

2. An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote legitime delegato, alter quicumque tabulas collocare possit privatim, sine cæremoniis, et etiam in alio tempore?

3. An quando in priorum tabularum locum aliæ substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et Viam Crucis erigendi?

4. An mutatio tabularum et crucium de loco in locum in eadem ecclesia secum importet annihilationem indulgentiarum Viæ Crucis annexarum?

Digitized by Google

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, præmittens, quod in erectione Viæ Crucis benedicendæ tantum sint cruces, minime vero tabulæ seu picturæ, ad præfata dubia sic respondendum esse censuit.

Ad primum. *Negative.*

Ad secundum. *Affirmative.*

Ad tertium. *Negative*, dummodo substitutio non sit majoris partis crucium.

Ad quartum. *Negative*, quando fit in eadem ecclesia.

In quorum fidem, etc

Datum Romæ ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum, die 22 Augusti 1842.

(11. *Dubium de una tantum commun. pro lucranda indulg.*

Durante la visita vescovile, ed i ritiri spirituali, che si fanno spesso nelle parrocchie, si può lucrare l'indulgenza plenaria, e si ammettono alla comunione più persone, le quali non hanno preso Pasqua : si domanda se in questo caso possono contare su questa indulgenza della visita, o del ritiro per mezzo di una sola comunione, o se con questa sodisfino al precetto pasquale, e se è richiesta la condizione di comunicarsi ordinariamente per lucrare l'indulgenza plenaria.

Si può fare la stessa domanda al soggetto del giubileo. Permettere due comunioni di seguito a delle persone, che qualche volta se ne sono private per lunghissimo tempo per una negligenza colpevole, ed una condotta poco Cristiana, potrebbe piuttosto scandalezzare, di quello che edificare?

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad præfat. Dubium sic respondendum esse censuit.

Affirmative quoad 1. partem quemadmodum responsum fuit ep. Monasterien. relate ad acquisitionem indulgentiæ plenariæ Papali benedictioni adnexæ, quæ in Paschate resurrectionis impertitur, una, eademque communione tantum in Paschalis præcepti adimplementum peracta. Quoad secundam partem, similiter *affirmative*, nisi aliter constet ex Bulla Indictionis jubilæi.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex S. ejusd. S. C. I. die 15 Decembris 1841.

(12. *Indulgentia absq. licent. Ordinarii.*

Proposito dubio huic sacræ Indulgentiarum congregationi a quodam sacerdote diœcesis Tarraconensis, utrum frui posset nonnullis indulgentiis, seu gratiis absque habilitatione, licentia seu *Exsequatur* Ordinarii sui?

Eadem sacra congregatio sub die 28 Julii 1840. respondit *Affirmative*, videlicet quoad usum et fruitionem Indulgentiarum posse oratorem licite et valide, sed private tantum iisdem uti gratiis, dummodo in nullius gravamen cedant, aut in præjudicium tertii, aut scandali occasionem præbeant ; et dummodo orator hasce Apostolicas gratias et facultates sine licentia.... typis mandare non præsumat.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum die 12 Decembris 1840.

(13. *Communio pro lucr. Indulg. in festo Pasch.*

Pro parte episcopi Monasteriensis petitur resolutio decisiva ad quæstionem sequentem :

Num is qui in die festo Paschatis, quo benedictio Papalis datur ab episcopo, et ea de causa indulgentiæ plenariæ concessæ sunt, pro lucrandis his indulgentiis SS. sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ suscipit, per hanc SS. sacramentorum susceptionem, etiam præcepto Ecclesiæ de communione Paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad hæc SS. sacramenta tempore Paschali accedere teneatur?

DECRETUM URBIS, ET ORBIS.

Delatis precibus ad hanc sacram congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositam ex parte episcopi Monasteriensis, in quibus dubium proponebatur : Num is, scilicet qui in die festo Paschatis, quo benedictio Papalis datur ab episcopo, et ea de causa indulgentiæ plenariæ concessæ sunt, pro acquirendis his indulgentiis SS. sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ suscipit, per hanc sanctissimorum sacramentorum susceptionem, etiam præcepto Ecclesiæ de communione Paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad hæc SS. sacramenta tempore Paschali accedere teneatur? Sacra eadem congregatio, auditis consultorum votis, respondendum esse duxit ; Consulendum SS. Factaque de omnibus eidem SS. Domino Nostro Gregorio PP. XVI. per me infrascriptum cardinalem præfectum relatione in audientia habita die 19 Marti 1841. Sanctitas Sua benigne declaravit « Per confessionem, et communionem die Paschatis resurrectionis peractam, et indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam lucrari, et satis præcepto Paschali fieri. »

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum, die et anno quibus supra.

C. CARD. CASTRACANE PRÆFECTUS.

Loco ✠ Sigilli.

A. Canonicus Prinzivalli substitutus.

(14. *Indulg. pro prec.* Angelus Domini, *et transl. indulg.*

Eminentissimi patres,

Titius presbyter congregationis S. Sulpitii in Gallia, et ejusdem seminarii superior, S. congregationi Indulgentiarum sequentia dubia suppliciter exponit :

1. Utrum necessarium sit flectere genua, quando ad pulsum campanæ recitatur oratio *Angelus*, etc. ad consequendas indulgentias Apostolicas?

2. Utrum Sabbato, hora meridiana, prædicta oratio recitari queat sine genuum flexione, ad easdem indulgentias lucrandum?

Digitized by Google

3. Utrum festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, dedicationis omnium ecclesiarum, et patroni cujusvis parochiæ quorum solemnitas exterior ex Concordato anni 1802, ex indulto Eminent. card. Caprara, transfertur in Dominicam sequentem, secum trahant indulgentias singulariter unicuique annexas? Sitne liberum unicuique fideli illas lucrari, vel ipso die festo, vel Dominica in qua remissa sunt festa?

4. Utrum dignaretur Sanctissimus Pontifex Gregorius XVI de Apostolico Thesauro indulgentias impertiri recitantibus orationes.

O Jesu vivens in Maria, etc.
O Domina mea S. Maria, etc.
Memorare, o Piissima Virgo, etc.
Ave Joseph, Fili David, etc.

Quæ sunt in usu frequenti in seminariis, verbi gratia indulgentiam 40 dierum alterutrum ex ipsis recitantibus, et plenariam in mense applicabilem defunctis in purgatorio detentis, consequendam ab iis qui per triginta continuas dies aliquam ex ipsis recitaverint:

Quam Deus, etc.

Ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum.

12 Februarii 1833. Super propositis dubiis respondetur:

Ad 1. *Affirmative* juxta litteras Apostolicas in forma brevis S. M. Benedicti XIII. sub datum Romæ 14 Septembris 1724.

Ad 2. *Negative*, quia prædicta oratio sine genuum flexione recitari debet « in Dominicis, ac Vesperis antecedentibus, id est in Sabbato de sero, nec non tempore Paschali, » etc., juxta sancita a S. M. Benedicti XIV, 20 Aprilis 1742.

Ad 3. Standum indulto cl. mem. card. Caprara quo prædicta festa Epiphaniæ, etc. transtulit in sequentem Dominicam. Sed advertendum num in eodem indulto mentio fiat de translatione quoque indulgentiarum; indulgentiæ enim lucrari debent in ipsis solemnitatibus de quibus celebrantur Officium et Missa, uti constat ex supplici libello, ubi dicitur, quorum (festorum) solemnitas exterior. Hoc in casu cuique fideli non est liberum Indulgentias lucrari, vel ipsis diebus festis, vel in Dominicis in quibus remissa sunt.

Ad 4. Quoad preces, *O Jesu vivens*, etc., *Domina mea*, etc., *Memorare*, etc., respondetur, *non expedire;* infinitus est enim numerus orationum indulgentiis ditatarum; et juxta constitutiones ac regulas S. congregationis, de Thesauro Ecclesiæ non conceduntur nisi gravi ex causa, sin minus proportionata.

(15. *Duratio indulgentiarum.*

DECRETUM.

Cum ad sacram Indulgentiarum congregationem proposita fuerint infrascripta dubia, videlicet:

1. An indulgentiæ in perpetuum concessæ, in perpetuum durent·

2. Et, quatenus negative, an ad viginti annos protrahantur, ut cum Pontas alii auctores arbitrantur.

3. An suspendantur anno universalis Jubilæi.

4. An translato festo, simul transferatur indulgentia eidem adnexa.

Eadem S. congregatio, auditis consultorum votis, et re maturo examine perpensa, sic ad præfata dubia respondendum censuit, etc.

Quoad primum *affirmative.*

Ad 2. Provisum in primo.

Ad 3 *Affirmative*, nisi Pontifex aliquas expresse excipiat.

Ad 4. *Negative*

Hinc facta per me infrascriptum secretarium, relatione SS. Domino nostro Pio PP. VII. in audientia sub die 22 Junii anno 1819. Sanctitas Sua S. congregationis votum benigne approbavit. In quorum fidem.

Dat. Romæ ex secretaria S. congregationis Indul. die 23 Junii 1819.

B. CARD. NARO PRÆF.

Loco ✠ sigilli.

Angelus Costaguti secretarius.

(16. *De Via Crucis dubia.*

Beatissime Pater,

Actualis episcopus Brugensis in Belgio S. V. humiliter exponit, quædam dubia in diœcesi sua existere circa valorem indulgentiarum sacrosanctæ Viæ Crucis orta ex responsis, uti asseritur, unius ex consultoribus S. congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, ex quibus eruebatur pro valore indulgentiarum S. Viæ Crucis, præter ordinarias conditiones requiri: 1. Ut sint quatuordecim cruces. 2. Ut ea in ecclesiis ita collocentur, ut incipiant a cornu Evangelii, et desinant in cornu Epistolæ. Cum vero in hac diœcesi Brugensi uti et in toto Belgio, a tempore immemorabili contrarius exstiterit usus, nempe ut loco quatuordecim crucium, quatuordecim icones mysterii cujuslibet stationis adhibeantur, et ita dispositæ sint, ut incipiant a cornu Epistolæ, et desinant in cornu Evangelii, juxta usum instituendæ processionis in Belgio, cumque ex utriusque hujus usus immutatione in quibusdam ecclesiis hujus diœceseos facta (in vim prædictorum responsorum) incommoda, nec non obloquia oriantur; hinc ad S. V. humiliter recurrit præfatus episcopus Brugensis, quatenus dignetur declarare.

1. An loco quatuordecim crucium possint adhiberi et retineri 14 icones vel tabulæ depictæ repræsentantes mysteria cujuslibet stationis.

2. An indifferens sit ut incipiant a cornu Epistolæ, et desinant in cornu evangelii, an vice versa. Et Deus, etc.

Ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum die 13 Martii 1837. Dubiis propositis super exercitio Viæ Crucis respondetur.

Ad 1. *Negative* : Possunt, *ubi commode fieri potest* (ait Summus Pontifex Benedictus XIII in sua constitutione *Inter plurima*, quinto Nonas Martii 1726, super exercitio

Digitized by Google

Viæ Crucis) retineri quatuordecim icones vel tabulæ depictæ stationes repræsentantes Viæ Crucis; sed quatuordecim cruces prius benedictæ supra quamlibet iconem, vel tabulam depictam sunt collocandæ, et retinendæ. Non enim benedicuntur icones, sed cruces ad acquirendas indulgentias eidem exercitio adnexas.

Ad 2. Non est de necessitate præcepti, ut ad acquirendas indulgentias incipiendum sit pium exercitium Viæ Crucis a cornu Evangelii; hæc tamen est consuetudo, ac praxis generalis, quæ piis est innixa congruentiæ rationibus.

In quorum fidem, etc.

(17. *Dubia de stationibus Viæ Crucis.*

Beatissime Pater,

Fr. Sigismundus sacerdos, et concionator Capuccinus, Helveticæ provinciæ Alumnus, pedibus S. V. humillime provolutus, solutionem sequentis dubii enixe expostulat; nempe Summus Pontifex Benedictus XIV, in suis monitis ad recte peragendas Viæ Crucis stationes, editis die 10 Maii 1742, et præcipue sub numero VII, sic ait : — VII. « Che essendo eretta la Via Crucis nella Chiesa, per quel tempo degli uffizi divini, e della S. Messa, e quando in chiesa vi sia tal concorso di popolo, che possa cagionar tumulto, e disturbo, si astengano di praticarla, tanto maggiormente, che non essendovi impedimento, si devono visitare ad una ad una le stazioni. » — Ex hujus moniti conclusione dubium oritur; unde quæritur : Utrum Christifideles, in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta, et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum indulgentias Viæ Crucis lucrari?

Ex sacra congregatione Indulgentiis sacrisque reliquiis præposita ad præfatum dubium respondetur.

Negative. Singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viæ Crucis indulgentiis necessario requiri aliquem corporis motum, ut clarius declaratum est ab hac sacra Indulgentiar. congregatione die 30 Septembris 1837. — « Che si passi da una stazione all' altra per quanto permette o la moltitudine delle persone che la visitano, o la ristrettezza del luogo, dove sono erette..... »

In quorum fidem.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum die 26 Februarii 1841.

(18. *Dubia de erectione Viæ Crucis.*

Eminentissime ac reverendissime domine,

Vicarius generalis diœcesis Apamien. (Pamiers in Galliarum regno) pro tranquillitate suæ conscientiæ, reverenter expostulat ab E. V. R. an pro validitate erectionis Viæ Crucis, et ad lucrandas indulgentias ipsi adnexas, sit absolute necessarius processus verbalis ab episcopo, vel ab ejus vicario conficiendus, an sufficiat facultas a S. Sede per rescriptum obtenta, etc.

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, in una Bituricen. die 28 Septembris 1838, simili dubio respondendum censuit.

Circa erectionem stationum Viæ Crucis, impetratis antea ab Apostolica sede necessariis et opportunis facultatibus, « omnia ac singula, quæ talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus archiepiscopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus parœciæ seu loci ubi fuerit erectum hoc pium exercitium, inferatur. »

In quorum fidem.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgent., die 25 Septembris 1841.

(19. *Dubia de aliq. crucibus remotis Viæ Crucis.*

Beatissime Pater,

Sacerdos N. Delautre vicarius generalis diœcesis Cameracen. devote quærit, utrum indulgentiæ, quæ lucrantur in contemplatione stationum Viæ Crucis, cessent, si quædam tabulæ vel cruces, non omnes, neque major pars, tollantur vetustatis causa, et in earum locum absque facultate Pontificia novæ tabulæ, vel cruces substituuntur; et in casu quod non cessent, quærit, utrum novæ præfatæ tabulæ vel cruces gaudeant indulgentiis quibus gaudebant veteres. Quod, etc.

Ex sacra congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita.

Cum ad lucrifaciendas indulgentias, quæ pro stationum Viæ Crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio, sed crucium, proindeque si ob vetustatis causam ipsæ tabulæ removentur, pro ipsarum stationum contemplatione, ac in earum locum etiam absque Pontificia facultate novæ tabulæ substituantur, indulgentiarum concessio perseverat, imo etsi Cruces ipsæ, quæ necessario requiruntur, ob eamdem rationem, vetustate scilicet labentes, renovari debeant, dummodo de ipsis non sit major pars, nec nova erectione indigetur, nec indulgentiarum beneficium amittitur.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. C. I. die 13 novembris 1837.

Loco ✠ sigilli.

N. Cinnasi secretarius.

(20. *Dubii propositi alla S. Congregazione delle Indulgenze, e S. Reliquie, da Monsignore vescovo Cardicense, e coadjutore di M. vicario Apostolico del Xansi nella Cina.*

1. Utrum Hierosolymorum coronæ indulgentias amittant, si alicui donentur.

Resp. *Affirmative*; quoties non dentur immediate, vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi.

2. Utrum post mortem domini, alter acquirat dominium earum, nempe indulgentiarum.

Resp. *Negative* : quia indulgentiæ non

Digitized by Google

transeunt personam prioris domini, ex præmissis.

3. Si rumpatur illarum filum, sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id accederit.

Resp. *Negative*. Ratio est, quia coronæ eædem adhuc perseverant quoad formam moralem.

4. Si globuli quatuor, vel quinque depердantur.

Resp. *Negative* ob rationem allatam in præcedenti dubio.

(5. Si amico præstentur, seu commodentur, sive ad earum Coronam simpliciter recitandam, sive ad Indulgentias lucrandas?

Resp. *Negative* in primo casu, *affirmative* in secundo. Ut enim pereant indulgentiæ coronis, aliisque rebus mobilibus affixæ, requiritur finis dandi, vel præstandi pro communicatione Indulgentiarum, sicuti expresse legitur in elencho Indulgentiarum typis impresso, et a sacra congregatione approbato.

Datum Romæ ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum die 17 Januarii 1839.

(21. *Sacræ Congregationis Indulgentiarum, ac SS. Reliquiarum præpositæ, nonnulla proponuntur dubia de more solvenda. Instante presbytero Thavenet congregationis presbyterorum S. Sulpitii.*

Dubium primum. Ad acquirendas indulgentias pro recitatione precationis *Angelus Domini* quid faciendum sit tum cum aliquis infirmitate detentus, lecto tenetur, vel sedens, sive tum cum ad signum tintinnabuli pro recitatione *Angelus Domini* sese inveniet una cum aliis in via ad hanc recitationem minime dispositis.

Dubium secundum. Domibus religiosis, in quibus moniales, vel religiosæ quæcunque meridie prandunt, et in commune recitatur precatio *Angelus Domini*, oportet nec ne, ut illico, et immediate ante, vel post prandium recitetur eadem precatio?

Dubium tertium. *Angelus Domini*, etc. Dominicis recitatur stando, Dominica incipit Sabbato post vesperas; Vesperæ dicuntur ante meridiem in Quadragesima; Sabbatis Quadragesimæ incipitur nec ne meridie ad recitandum stando dictam precationem?

Ex Secretaria sacræ congregationis Indulgentiarum die 18 Februarii 1835. Ad primum. Juxta litteras Apostolicas Summi Pontificis Benedicti XIII, sub datum Romæ 14 Septembris 1724, quæ incipiunt *Injuncta Nobis*, præscribitur, precationem *Angelus Domini*, flexis genibus recitandam esse, exceptis Dominicis, incipiendo Vespere Sabbati, quibus recitari debet stando, nec non tempore Paschali, quo intervallo, loco dictæ precationis, substituenda est Antiphona *Regina Cœli*: imperiti vero pro ipsa Antiphona precationem *Angelus Domini* recitare poterunt ad formam Declarationis S. M. Benedicti XIV, die 20 Aprilis 1742. Summa hæc est Apostolicarum concessionum, proindeque.

Animadvertere hic præstat, ad sacras indulgentias acquirendas, adimpleantur oportet opera injuncta, tam quoad tempus et modum, quam quoad finem etc. juxta tenorem in omnibus, et per omnia cujuscunque concessionis, ex. gr., « flexis genibus, vel stando ad sonitum tintinnabuli statutis diebus et horis, etc. »

Quod si aliquod ex operibus injunctis, vel omnino, vel in parte notabili, sive per inscitiam, negligentiam, impotentiam, vel quacunque alia causa non servetur, aut prætermittatur, indulgentiæ minime acquiruntur.

Ad secundum. Religiosi utriusque sexus in communi vita degentes, tum cum pulsaverit signum tintinnabuli, ad recitationem prædictam impediti, acquirere poterunt indulgentias concessas, dummodo post quodcunque exercitium a regulis, vel praxi communitatis de more statutum, illico et immediate, precationem *Angelus Domini*, vel antiphona *Regina Cœli* recitaverint, ad formam declarationis S. congregationis Indulgentiarum, die 5 decembris 1727. annuente Summo Pontifice Benedicto XIII. Proindeque, etc.

Ad tertium. Nihil ponit inesse ritus Ecclesiæ, quoad vesperas persolvendas ante meridiem in feriis Quadragesimæ; idcirco responsum, ut in primo dubio. Proindeque, etc.

(22. *Dubia de Benedictione Apostolica post Missarum solemnia.*

Beatissime Pater.

Lemovicensis episcopus a prædecessore vestro S. memoriæ Leone PP. XII, obtinuit facultatem impertiendi Benedictionem Apostolicam una cum plenaria indulgentia post missarum solemnia, atque hac facultate bis quotannis pergrate utitur.

Sed in ritu, et formula Benedictionis Apostolicæ præscribitur inter cætera ut legantur Litteræ Apostolicæ ad hoc concessæ ante benedictionem impertiendam, atque etiam ut post benedictionem impertitam publicetur latino, et vernaculo idiomate, concessio plenariæ indulgentiæ.

Mos autem in Ecclesia Lemovici a multis annis est, ut lectio Litterarum Apostolicarum supprimatur, ne diutius populus in ecclesia retineatur, loco vero *Litterarum* legitur latine et vernacule formula: *Attentis facultatibus*, etc., ut de delegatione constet...

Postulat humillimus orator, an hic ritus, et forma impertiendi Benedictionem Apostolicam sufficiat ad lucrandam indulgentiam plenariam, etc.

Sacra congregatio Indulgentiarum ad propositum dubium sic respondendum esse censuit:

Ritum, et formam, de quibus in precibus, attenta rationabili causa supra exposita, revera sufficere ad lucrifaciendam indulgentiam Apostolicæ Benedictionis, dummodo per formulam, *Attentis facultatibus*, etc. Fidelibus constet ex Pontificia delegatione tantum impertitam fuisse. In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S.

Digitized by Google

congregationis Indulgentiarum die 30 Junii 1840.

(23. *Dubia de indulgent. concessis Regular. O. M. S. Francisci.*

Eminenze reverendissime,

Il sacerdote Minor riformato Fr. Paolo di Piacenza, affine di poter con sicurezza rispondere alle frequenti dimande dei signori parrochi, e preti delle varie diocesi traspadane, implora dalla sacra congregazione delle Indulgenze, e Reliquie la soluzione del seguente quesito :

Se nelle Chiese Francescane, che sono state tolte all' ordine dalla soppressione Gallica, e che si tengono ora dai preti, senza che però i frati vi abbiano rinunziato in alcun modo ai loro diritti, si possano acquistare dai fedeli le indulgenze del perdono di Assisi, e le altre tutte concesse alle medesime in vigore de' privilegi dell' ordine?

Si noti, che in quelle regioni si tiene comunemente la sentenza affermativa, e si dice di più, che il Sommo Pontefice Pio VII abbia dato una qualche dichiarazione in proposito, ma non si sa dire qual sia?

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad prefatum dubium respondendum putavit :

Non constare de Summi Pontificis Pii VII, San. Mem. declaratione, ac proinde :

Negative. Pro iis vero locis, ubi affirmativa sententia tenetur, ne scandalum in Fideles oriatur, recurrendum erit ad Sanctam et Apostolicam Sedem pro ipsius indulgentiæ vulgo Portiunculæ concessione, exposita tamen causa in allato Dubio citata.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum die 29 Maii 1841.

(24. *Dubia de Indulgent. concessis ordini Trinit.*

Eminentissimo principe,

Antonio Michele, vicario generale capitolare, e superiore delle Dame Trinitarie di Valenza in Francia, umilmente supplica l' E. V. R. a degnarsi rispondere alle domande seguenti :

1. Se le Dame Trinitarie sparse in diverse diocesi di Francia possono pubblicare nelle loro chiese tutte le indulgenze, che sono state concesse al loro ordine per S. Giovanni di Mata sin al dì d'oggi, attesa la revoca, che molto tempo fa fece il PP. Paolo V. della maggior parte delle indulgenze concesse a' diversi ordini religiosi?

E se queste indulgenze esistono ancora, ove possono indrizzarsi per ottenere la facoltà di pubblicarle?

C' è da osservare, che queste indulgenze furono concesse non solo alle religiose sopranominate, ma ancora a tutte quelle che sono ricevute come terziarie, portando l' abitino, ed a altri semplici fedeli.

2. Se le persone che ottengono diverse facoltà da Roma, vale a dire, altare privilegiato, erigere un certo numero di *Via Crucis*, benedire croci, corone, crocifissi, medaglie, possono servirsi di queste facoltà, senza prima farli vedere al vescovo diocesano, allorquando il rescritto non ne fa menzione?

3. Non essendosi mai conformato in Francia, come pure nella diocesi di Valenza, al modo d' erezione prescritto dalla bolla d'Alessandro VIII, riferita nel Ferraris, per erigere qualunque siasi confraternita, si domanda, se queste confraternite sono validamente erette, avendo domandato a quest'effetto a Roma un indulto dietro al quale ci siamo diretti : Il processo verbale d' ogni erezione è statto fatto in ogni parrochia, e sottoscritto da noi.

4. Siccome la confraternita del S. Scapolare si propaga d' un modo assai maraviglioso nella nostra diocesi, diverse volte è accaduto, che certi curati dovendo ascrivere in un momento centinaja di persone, hanno creduto far bene, nell' atto di dar il S. Scapolare, di recitare al plurale la piccola formola *Accipe vir devote.* Questo è egli lecito?

5. C' è stato riferito, che certi curati della nostra diocesi, nell' atto di dare l' indulgenza plenaria *in articulo mortis*, non facevano recitare il *Confiteor*, perchè si era già recitato nel dar il sagramento; si domanda se così basta?

6. Quando si danno il S. Viatico, e l' Olio Santo, insieme con l' indulgenza in *articulo mortis*, è forse necessario il ripetere 3 volte il *Confiteor?*

7. Si domanda se un ammalato può ricevere le indulgenze *in articulo mortis* da diversi sacerdoti, che avrebbero quella facoltà?

8. Se un sacerdote, nell' applicar l' indulgenza plenaria, trascurasse di servirsi della formola prescritta dal Papa (per non aver il libro) sarebbe ella valida?

9. Diversi sacerdoti della diocesi, avendo avuto cognizione, che il Sommo Pontefice felicemente regnante non concedeva mai la facoltà di benedire, e indulgenziare croci, medaglie, corone ec... per tutta la vita, sono molto angustiati pertali poteri ottenuti sotto il pontificato di PP. Leone XII. sapendo d' altronde, che per inavvertenza, o per qualche malinteso avrebbero potuto essere malamente istruiti.

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad præfata dubia sic respondendum esse censuit :

Ad. 1. *Negative.* Possunt tamen promulgare indulgentias tantum eorum ordini concessas, juxta Summarium recens constructum ab hac S. congregatione, ab eaque approbatum, non obstante revocatione S. M. Pauli V. dummodo vero canonice fuerint receptæ.

Ad 2. *Negative* quoad Viæ Crucis erectionem : *affirmative* relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus.

Ad 3. *Affirmative* quoad validitatem, extante jam S. Sedis Indulto derogatorio bullæ Clement. VIII.

Ad 4. *Affirmative* juxta præpositam ru-

Digitized by Google

bricam in precibus benedictionis S. Scapularis

Ad 5. *Negative* juxta praxim et rubricas : nisi necessitas urgeat.

Ad 6. *Affirmative* secundum praxim et rubricas.

Ad 7. *Negative* in eodem mortis articulo.

Ad 8. *Negative;* quia formula non est tantum directiva, sed præceptiva.

Ad 9. Cum gratiæ, et privilegia non ex spirent morte concedentis, nisi ab habente eamdem potestatem revocata individualiter fuerint; hinc dicti sacerdotes gaudeant impetratis, usque dum non sint revocata.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusd. S. congregationis Indulgentiarum die 5 Februarii 1841.

Loco ✠ sigilli.

N. Ginnasi secretarius.

(25. *Dubia de Scapulari.*

Beatissime Pater,

Martinus Calmet, Eminentiss. cardinalis Principis de Croy archiepiscopi Rothomagen. in Gallia, vicarius generalis, ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quod diversi auctores Galli de parvo B. V. M. habitino, seu scapulari Carmelitano scripserint verba non consentientia; dicunt alii quod ad consequendum privilegium illud *Sabbatinum* Confratres Carmelitani debeant recitare quaque die septies *Pater* et *Ave;* contendunt alii necessariam non esse illam Orationis Dominicæ, et Salutationis Angelicæ recitationem, sed esse recitandum parvum B. V. Mariæ officium, vel saltem, dispensatione integre recitationis a Confessario facta, recitari debere quamdam hujus officii partem, v. g. canticum *Magnificat*, hymnum *Ave Maris Stella*, et antiphonam *Salve Regina*. Inde et fideles, et ipsi sacerdotes hærent incerti non sine magno tam præclaræ devotionis detrimento.

Sequentia igitur humillimus orator ad S. V. pedes hæc deponit dubia solvenda.

1. Utrum ad consequenda privilegia Carmelitana, præsertim illud quod vulgo dicitur *Sabbatinum*, teneantur Confratres Carmelitani illi, qui non recitant Officium divinum, septies quaque die recitare *Pater*, et *Ave?*

2. Utrum ad eadem consequenda privilegia teneantur prædicti Confratres parvum B. V. Mariæ officium recitare?

3. Utrum confessarius Carmelitanus, vel ubi Carmelitanus non est, qui admittendi fideles ad confraternitatem Carmelitarum potestate donatur, possit dispensare ab integra prædicti Officii recitatione cum iis quos prudenter judicat esse impeditos, ita ut istis sufficiat, servatis aliunde servandis, recitare *Magnificat*, *Salve Regina*, et *Ave maris Stella* ad obtinenda prælaudata illa privilegia.

4. Utrum jus illud dispensandi, de quo agitur in præcedenti dubio, cuicumque competat, ubi non sunt Carmelitani, confessario confraternitatis quidem Carmelitanæ socio, sed non habenti potestatem prædictum habitum fidelibus imponendi, nec non etiam confessario qui confrater *Carmelitanus* non esset, utpote cui habitus ille numquam fuisset impositus. Et Deus, etc.

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad similia dubia alias respondit sub diebus 12 Februarii, et 12 Augusti 1840, nempe :

Posse fideles confraternitati S. Scapularis adscriptos frui omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus concessis utriusque sexus Christifidelibus qui dictam confraternitatem ingredientur et habitum legitime receperint, licet nec servent abstinentiam a carnibus feria quarta, nec septies in die recitent Orationem Dominicalem, et Angelicam salutationem; dummodo dicant orationes præscriptas, et peragant opera pia a Summis Pontificibus in concessione earumdem injuncta, inter quæ illud locum habet, ut parvum Scapulare deferant continuo pendens a collo, unaque sui parte pectus, et altera scapulas contegens.

Et rursus : Accedente gravi impedimento, non teneri confratres, neque ad jejunia, neque ad recitationem Horarum Canonicarum, aut Officii parvi B. M. V. neque ad abstinentiam diebus Mercurii et Sabbati. Consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant judicio docti et prudentis confessarii pro aliqua commutatione impetranda.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum, die 7 Septembris 1840.

(26. *Indulg. concess. a Ben. PP. XIV. pro ultim. tribus dieb. Hebdom. Sanctæ.*

Essendosi degnata la Santità di Nostro sig. Papa Benedetto XIV approvare e confermare il Decreto della sacra congregazione delle Indulgenze e sagre Reliquie emanato ad istanza dei devoti delle anime del purgatorio, sotto li 6 di Aprile dell' anno 1745, in vigore del quale si concede l' indulgenza di sette anni, ed altrettante Quarantene con la facoltà di poterla applicare per modo di suffragio alle sudette anime del purgatorio, a tutti li fedeli dell' uno e dell' altro sesso, i quali o nell' Italia, o nell' isole adjacenti nelli tre ultimi giorni della Settimana Santa, cioè Giovedì, Venerdì, e Sabato Santo divotamente si occuparanno per lo spazio d'un' ora continua in orazione o mentale, o pure vocale o prò de' fedeli defonti ; Con potersi conseguire l' accennata indulgenza in ciascheduno de' detti giorni dalla stessa persona. Pertanto si rende consapevole ogn' un de' fedeli di sì inestimabile tesoro nuovamente dispensato da Nostro Signore, e si raccomanda alla loro pietà l' applicarsi di proposito a sì devoto esercizio non meno meritevole per essi, che profittevole alle anime purganti, alle quali ne' tre sudetti giorni manca il consueto suffragio del sagrosanto Sagrifizio dell' altare. Data questo dì 14 Marzo 1749. Fr. G. A. card. vicario.

Gasparo Arciprete Ori segretario.

Digitized by Google

(27. *Dubia circa congreg. Tertiariorum S. Francisci. Faventin. Decretum.*

Cum congregatio quædam tertiariorum S. Francisci in ecclesia S. Antonii Patavini, civitatis et diœcesis Faventinæ canonice reperiatur erecta sub cura et directione Minorum Reformatorum, et inde PP. Minorum Conventualium, ac iterum tandem Minorum Observantium, qui aliquibus de causis sacra in dicta ecclesia non amplius facientes, minime vero regimen et auctoritatem amittentes, sæculares sacerdotes in administratione ecclesiæ in spiritualibus substituerunt.

Non obstante autem regimine, auctoritate et directione fratrum Minorum Observantium hujus præfatæ congregationis tertiariorum, dubitatum tamen fuit, indulgentias non modo pro tertiariis, verum etiam pro omnibus Christifidelibus in ecclesia exstitisse, præsertim vero dubium invaluit circa indulgentias portiunculæ nuncupatæ.

Hinc proposito huic S. congregationi Indulgentiarum triplici dubio, videlicet:

1. An apponere ad januam ecclesiæ tabellam annuntiantem indulgentias in festis ordinis, ut fideles omnes, et tertiarii eas consequi possint, amplius liceat.

2. An ecclesiæ præfatæ S. Antonii, Kalendario S. Francisci, ac Missali Seraphico uti permissum sit.

3. An fideles, etiam non tertiarii, prælaudatam ecclesiam visitando die 2 Augusti, indulgentia portiunculæ appellata, frui possint, et valeant.

Eadem S. congregatio Indulgentiarum, auditis consultorum votis, ac re mature perpensa, sic ad tria supra enuntiata quæsita respondendum censuit; et quoad primum:

Non licere apponere ad januam templi S. Antonii Faventiæ tabellam describentem Indulgentias in festis ordinis Minorum S. Francisci.

Ad secundum. *Affirmative* pro tertiaris dumtaxat, negative vero pro iis qui tertio Ordini non sunt adscripti.

Ad tertium. *Affirmative* pro tertiariis; *negative* quoad omnes Christifideles.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem S. Congregationis secretarium relatione SS. Domino Nostro in audientia diei 24 Maii 1819, Sanctitas Sua ipsius S. congregationis votum benigne approbavit.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum, die 25 Maii 1819.

B. CARD. NARO PRÆFECTUS.

Loco ✠ sigilli.

Angelus Castaguti secretarius.

(28. *Dubia de confess. sacramentali pro lucranda indulgentia.*

Dubium primum. Per decretum S. congregationis Indulgentiarum datum die 12 Junii 1822; conceditur, confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad indulgentiam lucrandam.

1. Quæritur an verba *infra hebdomadam* significent octo dies tantum quæ festivitatem immediate præcedunt; an vero hebdomadam illam totam, et integram, quæ ante festum decurrit, ita ut ex. gr. confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam Indulgentiam die Sabbati hebdomadæ sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc 13 dies inter confessionem, et festivitatem intercessissent.

2. Quæritur an confessio octavo die ante festivitatem peracta, vi hujus indulti, suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem aliæ etiam lucrifieri possint indulgentiæ, quæ infra prædictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis confessio cæteroquin requireretur.

Dubium secundum. Quæritur an, cum in Bulla, vel Brevi, quo conceditur indulgentia, confessio tanquam conditio *sine qua non* præscribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio pœnitentibus detur ad indulgentiam lucrandam:

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita respondendum censuit:

Ad dubium primum:

Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam.

Ad 2. *Negative* quoad primam; *affirmative* quoad secundam.

Ad dubium secundum: Respondetur: *Negative.*

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem sacræ congregationis Indulgentiarum die 15 Decembris 1841.

C. CARD. CASTRACANE PRÆFECTUS.

(29. *Dubia de parvo scapulari, seu habitino.*

Beatissime Pater,

Ludovicus de Sambucy, canonicus Parisiensis, et vicarius generalis San-Briocensis, Sanctitatis Vestræ orator humillimus, suppliciter expostulat responsum ad dubia gravis momenti. In Gallia nullus adest conventus hominum ordinis Carmeli, et apparent rari hujus religionis patres; tres tantum noti adsunt in parte meridionali vastissimi regni. Inde molestissima exorta est controversia, quæ magnam animis perturbationem affert paucis abhinc mensibus.

Usque adhuc omnes persuasum habuerant sacerdotem, cui Sanctitas Tua dederat benedicendi et fidelibus parva scapularia imponendi facultatem, eo ipso inclusam obtinuisse facultatem commutandi unicuique aliquas hujus confraternitatis obligationes commutabiles, vice confessarii Carmelitani omnino deficientis; quidam nunc negant, et huic opinioni palam obsistunt et adversantur; quapropter a Paternitate Vestra quæritur:

1. An sacerdos, qui obtinet, ut supra, facultatem benedicendi ac imponendi scapularia, habeat eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, quando opus est, scilicet cum recursus ad

Digitized by Google

alterum sit impossibilis, ut hoc commodo fideles non priventur.

2. Si vero sacerdotes Galliæ falsæ innixi suppositioni, commutaverint, absque facultatibus opportunis, obligationes confratrum, supplices nunc adeunt S. V., ut dignetur sanare, ut dicitur, *in radice*, omnes commutationes, et unicuique impertiri facultatem specialem commutandi, si opus sit, obligationes confratrum scapularis. Et Deus, etc.

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, ad præfata dubia respondit:

1. Ad primum. *Negative;* vigore enim obtentæ facultatis benedicendi, ac imponendi scapularia non sequitur quod sacerdos ea quoque gaudeat potestate commutandi obligationes injunctas, nisi expresse enuntietur in rescripto concessionis pro benedictione et impositione scapularium; at vero in una Bisuntina sub die 12 Augusti 1840, ab hac S. congregatione responsum fuit: « Accedente gravi impedimento, non teneri confratres neque ad jejunia, neque ad recitationem Horarum Canonicarum, aut officii B. M. V. neque ad abstinentiam diebus Mercurii, et Sabbati. Consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant judicio docti et prudentis confessarii pro aliqua commutatione impetranda. »

2. Ad secundum, jam provisum fuit in primo: et quatenus opus sit, Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI sanavit quemcumque defectum huc usque incursum circa obligationum commutationum, dummodo tamen sacerdotes bona se gesserint fide.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum die 22 Junii 1842.

C. CARD. CASTRACANE, PRÆFECTUS.
A. Con. Principalli, substitutus.

(30. *Indulg. pro recitatione precum vulgo* sette allegrezze, etc.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Ex Audientia Sanctissimi.

Enixis porrectis precibus Sanctissimo Domino Nostro Papæ Pio IX a pluribus Romani cleri sacerdotibus, ut obsequia quibus sanctus Joseph, Genitricis Dei sponsus, ad ejus implorandum patrocinium, a fidelibus colitur vulgo *Le sette allegrezze ed i sette dolori*, etc., majori indulgentiarum lucro ad spiritualem Christifidelium utilitatem decorarentur; præsertim pro iis, qui septem continentibus diebus Dominicis quocumque anni tempore præfatas preces recitarent, cum huc usque a san. mem. Gregorio XVI indulgentia tercentum dierum tantum in unaquaque ex prædictis Dominicis, plenaria vero in ultima dumtaxat fuisset elargita, prout ex decreto sacræ hujus congregationis diei 22 Januarii 1836 patet; Sanctitas Sua, referente me infrascripto ejusdem S. congregationis secretario, in Audientia diei Februarii indulsit ut, firmis remanentibus concessionibus enuntiatis, omnes utriusque sexus Christifideles indulgentiam plenariam in singulis præmemoratis continentibus Dominicis quocunque anni tempore ad libitum eligendis lucrari possint et valeant; ea tamen apposita conditione, ut in unaquaque Dominica, præmissa prædictarum precum recitatione, vere pœnitentes, confessi, ac S. Eucharistia refecti, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitent, et ibi per aliquod temporis, juxta mentem Sanctitatis suæ, pias ad Deum preces effundant; facta insuper potestate easdem plenarias indulgentias animabus in purgatorio detentis applicandi. Iis vero Christifidelibus prædicta obsequia recitare nescientibus, ac iis in locis ubi publice non peraguntur, Eadem Sanctitas Sua iisdem supplicantibus oratoribus, in audientia diei 22 Martii, supraenuntiatas indulgentias pari benignitate concessit, dummodo, sola precum recitatione omissa, cæteris tamen injunctis operibus adimpletis, septem tantum *Pater*, *Ave*, et *Gloria* in unaquaque ex prædictis septem Dominicis devote recitent. Præsenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romæ ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum die 22 Martii 1847

Loco ✠ sigilli.

C. CARD. ACTON PRÆFECTUS.
Jacobus Gallo secretarius.

INFERNUS.

(*Vide* APPEND. *in fine post Decret. Sacrarum Congreg.*)

INSIGNIS.

COLLEGIATA NON INSIGNIS.

Monitum editorum Casinensium.

Cum nondum ab Urbe habuerimus S. C. Concil. Responsum, super dubio de quo in addit. nostris sub hac v. sermo est (*vide ibi*), omnes quorum interest monemus, cum primum Responsum illud acceperimus, statim transmissuros ad eosdem in dimidio folio separatim, quo proprio loco in hoc quarto tomo inseratur, et ita tamen ut fasciculi qui tunc temporis publicandus erit partem faciat.

INTERDICTUM.

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM.

Interdictum ob eccles. refectionem neglectam.

Episcopus Firmanus ecclesiam S. Mariæ de Puteo oppidi S. Martini interdixit, decernitque muneris parochialium translationem ad ecclesiam S. Joannis, donec reficeretur. Populus reclamavit, ac præsertim Antonius Piroli, qui actionem popularem sibi competere putabat, ut episcopo contradiceret. Aie-

Digitized by Google

bat Piroli instaurationc non indigere ecclesiam, ita ut opus esset onerum parochialium translatione. S. Congreg. autem ratum habuit episcopi decretum, tum quoad Interdictum, tum quoad translationem: Firman. *Interdicti*, 19 Maii 1787.

IRREGULARITAS.

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. *Denegat. dispensat. ab irregularit. ob defectum claudicationis.*

Irregulari clerico tanquam claudicanti dispensationem negavit S. congregatio, ut ad sacros ordines promoveri posset in Albinganen. Irregularitatis 20 Januarii 1798.

(2. *Dispensat. ab irregul. ob intervent. in latronum occis.*

Irregularitatis dispensationem a sacerdote Francisco Xaviero Durante contractæ, quia aderat præsens, dum socii proscriptos latrones occiderunt, distulit primum sacra congregatio per rescriptum *exspectet;* mox concessit in Bisinianen. Irregularitatis 13 Septembris 1800, et 16 Maii 1801.

(3. *Irregularitas non contrahitur in censurarum violat. nulliter latarum.*

Irregularitatem incurrisse negavit S. congregatio canonicum Massi, licet celebrasset postquam vicarius capitularis nulliter eumdem a divinis suspenderat: in Montis alti suspensionis et irregularitatis, 13 Septembris 1800.

(4. *Dispensat. ad cautelam.*

Ab irregularitate ad cautelam dispensatur carmelita frater Emmanuel a SS. Trinitate, qui morbo affectus crus sinistrum flectere non poterat: in Barchionem. Irregularitatis 11 Julii 1801.

(5. *Denegat. dispensat. ab irregular. ob læsionem sinistræ manus ex venationis causa.*

Denegat S. C. dispensationem ab irregularitate Philippo Maggiorani parocho S. Martini in valle Astæ, qui dum venationi non clamorosæ operam dabat, in ballistæ igneæ extra modum impletæ explosione suam lævam ita læsit ut deinde mortis vitandæ causa brachii partem amputare necesse fuit: Burgi S. Sepulchri 18 Junii 1785. Denuo sacerdos preces exhibuit, et etiam episcopus, parochiæ incolæ vocarunt, et S. C. rescripsit ad secretarium eum SSmo. juxta mentem: 7 Julii 1787.

(6. *Dispensat. ab irregul. ob amisionem invenatione digitorum sinistræ manus.*

Dum sacerdos Cajetanus Falbo collegiatæ ecclesiæ Cacurri canonicus licitæ et ab ipso episcopo permissæ venationi vacabat, digitos sinistræ manus ex igneæ ballistæ dirumptione amisit universos. Supplex modo sistit in S. C. pro dispensatione obtinenda; præsertim cum plenissimum de bonis ejus moribus gravique paupertate testimonium afferetur, atque experimento constaret eumdem idoneum repertum fuisse, tam in cæremoniis quam in omnibus aliis sacrificii fonctionibus; et S. C. annuit, dummodo celebret hora a populo minus frequentata: Gerantinen. dispensat. ab irregular. 24 Maii 1788.

(7. *Denegat. ab irregularit. ob brach. attract.*

Clericus Joannes Baptista Bertoluzzi læsus in brachio dextero ex perniciosis pustulis, nuncupatis *Vajolo* in ætate puerili, ut ad sacerdotium ascendat, postulat dispensationem. Episcopus omne abesse periculum et populi offensionem, sacerdotibus ecclesiam Burgetti indigere, familiam ejus plurimis missarum oneribus esse gravatam, et præangustia rei familiaris ea implere non posse affirmat; sed S. C. dispensationem ab irregularitate denegavit. Nam attractum brachium dexterum inutile ad faciendum sacrum fere habebat: Abbinganen. irregularit. 11 Februarii 1797.

(8. *Denegat. ab irregul. ob inhabilit. lævi brachii.*

Sacerdos Franciscus Pujol et Carner apoplexia correptus a sexennio omnem amisit lævi brachii manusque usum; ideo exoravit pro facultate sacrum faciendi cum auxilio alterius sacerdotis seu dispensatione ab irregularitate; sed licet episcopus ei faveret, quia omnia ad sacrificium necessaria sufficienter explere valet, et sine adstantium admiratione in oratorio privato. S. C. dispensationem petitam denegavit. Vicen. irregularit. 19 Augusti 1797.

(9. *Denegat. dispens. ab irregul. ob claudicat.*

Ita clericus Franciscus Ambrosius Lamberti a sinistris claudicat, ut testimonio ejus parochi sine baculo deambulare nequeat; ob id dispensationem ab irregularitate postulat ut ad majores ascenderet ordines. Episcopus testatur quod in experimento periculum, populique offensionem parit deformitas; nec adest Ecclesiæ necessitas neque utilitas. S. C. petitioni dissensit: Albinganen. irregularit. 20 Januar. 1798.

(10. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homic. secut. ex verberat.*

Quædam femina evangelista, quæ pro linteolo recuperando domum sacerdotis Josephi Muscat petierat, verberibus crudeliter ab eo fuit percussa, et cum postea in inferius domi atrium cecidisset, non multum post temporis periit. Postulata proinde ab eodem sacerdote dispensatione ab irregularitate, S. C. ivit inficias: Melevitana Dispensat. 10 Jan. 1778.

(11. *Dispens. ab irreg. ob censur. ignoranter violat.*

Occasione cujusdam litis, sacerdos Nicolaus Giaunuzzius adversus sacerdotem Vincentium Cacciatorem quasdam exhibuit partitas ex antiquis codicibus baptismatis et matrimoniorum extractas, quæ falsæ deprehensæ fuerunt; ideo criminalis querela contra Nicolaum a curia episcopali emanavit, vi cujus suspensionis pœna in eum inflicta fuit. Interim sacrificium missæ, censuram ignorans, peregit, proindeque petiit absolvi et dispensari. A suspensione, abso-

Digitized by Google

lutione ostenta, inde ab irregularitate a S. C. fuit dispensatus : Ugentina Dispensat. ab irregularit. 14 Martii 1778.

(12. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. secut. ex verberat.*

Excitata contentione inter Nicolaum Bevilacqua operarium, et notarium Constantinum Quici levirum sacerdotis Joannis de Alexandro primicerii ecclesiæ cathedralis, idem notarius prædictum Nicolaum lignea virga graviter verberavit, et super accedens primicerius, aliis arreptæ palæ ictibus ipsum Nicolaum percussit, evenitque ut in actu percussionis Nicolao corpus suum curvanti luculento vulnere concisum fuerit, et ad breve morte non sua functus est. Inde contra primicerium processu confecto ille irregularis fuit declaratus; confugit ergo ad S. C. pro dispensatione obtinenda, et reseriptum tulit *dilata*, et scribatur card. archiepiscopo Beneventano juxta mentem : Termularum dispensat. ab irregularit. 18 Septemb. 1779. Deinde Dispensationem reportavit. 29 Aprilis 1780.

(13. *Denegat. ab irregul ob homicid. in rixa.*

Clericus Silvester Lupus in rixæ actu, et ad sui defensionem, Villicum Nicolaum Cipullam interfecit, concordatisque parte et fisco, petiit a S. C. dispensationem ab irregularitate, si in eam forte incidisset, ut ad presbyteratus ordinem ascendre possit ob beneficia quibus de jurepatronatus suæ familiæ gaudet. Sed spes eum frustrata est, quia S. C. petitionem rejecit : Messanen. Irregularit. 16 Jan. 1780.

(14. *Dispensat. ad cautel. ob irregular. ob homic. casuale.*

Rector seminarii episcopalis Nicolaus Marzianus ad vineam accessit, et secum duxit Franciscum Zingarellum adolescentem annorum sexdecim, qui in eodem seminario degebat ut nomen militiæ ecclesiasticæ daret, præcepitque illi ut sibi igneam ballistam traderet. Juvenis simul ac primum in manus sumpsit, improviso illa explosit, læsitque in humero dextero rectorem, qui post octo dies ex vulnere obiit. Curia laicalis adversus illum processit, etiamsi rector expresserat se nunquam dubitasse *che detto figliolo avesse commesso verun dolo, o colpa anche leviesima*. Hinc Franciscus dispensationem imploratam a S. C. ad cautelam, ut ad ordines promoveretur, obtinuit : Andrien. Dispensat. ab irregularit. 20 Jan. 1781.

15. *Dispensat. ab irreg. ob baptism. iterat.*

Ex querelis delatis ad curiam Firmanam confecto processu, et examinato Francisco Monti parocho ecclesiæ S. Mariæ ad Mare in Castro Turris Palmarum, deprehensum est quod dictus parochus, licet de collato per medicum baptismo infanti ob imminens periculum bis ab obstetrice apertis verbis monitus fuisset, voluit nihilhominus sacramentum iterum sub conditione conferre; hac de causa, eo postulante, S. C. locum esse dispensationi existimavit : Firman. Dispensat. ab irregularit. 28 Aprilis 1781.

(16. *Dispens. ab irreg. ob homicid. ex vulnere.*

Cum sacerdos Antonius de Grandis a furioso fratre comprehensus timuisset ne ab eo interficeretur, uti refert episcopus, illius humerum ictu gladioli sauciavit, ex quo vulnere, vel ex chirurgi imperitia, post aliquot temporis spatium idem frater occubuit. Efflagitans autem dictus sacerdos dispensationem a S. C. negativum accepit responsum : Senogallien. Dispensat. ab irregularit. 16 Junii 1781. Inde eam impertita est. 18 Junii 1785.

(17. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homicid.*

In domo sacerdotis Alexandri De Angelis quando summa inter consanguineos ejus impendebat contentio, prædictus sacerdos e cubiculo, in quo se commiserat, ardens infesto arrepto gladio egrediens, in obscurum litigantium agmen se conjecit, et Antonium Diotallevi, quem ex animo et intimo sensu diligebat, ita vulneravit, ut binas post horas ipse interierit Sacerdos hinc aufugit, constructoque interim processu, soluta ab eo pœna fuit absolutus. Sed S. C. quam adiit supplex, dispensationem ab irregularitate noluit indulgere. Nepesina Dispensat. ab irregularit. 3 Augusti 1782. Deinde rediit causa, et prodiit rescriptum : « Exspectet. » 29 Novem. 1783. Demum, rursus exquisito S. C. judicio, in decisis rescribitur 24 Julii 1784.

(18. *Dispens. ab irregul. ob viol. censur. etiam extrajudicial. latar.*

Capellanus Dominicus Bolmer, cui vetitum fuit sub pœna suspensionis, licet extrajudicialiter indicta et renovata, ne e civitate Savonæ discederet, nisi prius onera missarum expleret, et de implemento rationem redderet, abivit, missam celebravit, exceepitque confessiones sacramentales. Indesupplex obtinuit a S. C. dispensationem ab irregularitate arbitrio episcopi, dummodo compleret prius onera missarum quæ omiserat. Savonen. 14 Sept. 1782 dub. 2.

(19. *Dispensat. dilat. ab irregularit. ex ictu ferreæ fistulæ oculi orbatione secuta.*

Petenti clerico Cyriano Mattei dispensationem ab irregularitate, eo quia, contendens cum Francisco Sartorelli, in eum ferream fistulam contorsit, ex eoque ictu oculum Franciscus amisit : rescribitur a S. C. « exspectet et ad mentem : » nullius S. Laurentii in Campo Dispensat. ob irregularit. 19 Julii 1783. Inde, etiamsi abbas commendatarius dictum clericum, fisco et parti præstita satisfactione, et clericalem postea semper præsetulisse modestiam affirmet, S. C. nihilominus respondit iterum eidem dispensationem exposcenti : « Exspectet. » 8 Maii 1784.

(20. *Dispensat. ab irregul. ob defect. Sacri Patrim.*

Delatum cum fuisset Ecclesiasticæ Curiæ sacerdotem Franciscum Apa, emen-

Digitized by Google

titis dimissorialibus sui Ordinarii litteris, absque legitima constitutione patrimonii, sacros ordines a Cajacensi episcopo ante tempus a Sacro concilio statutum suscepisse, mancipatus is carceribus fuit: inde liberatus ad Urbem confugit, et supplex dispensationem implorat: sed S. C. preces rejecit, et addidit ad mentem. S. Severinæ irrregularit. 24 Jan. 1784 dub. 2. Postmodum, quando constet de sufficienti patrimonio juxta taxam Urbis coram Card. Urbis Vicario, concedere ex gratia speciali petitam dispensationem S. C. placitum fuit. 8 Maii ejusdem anni.

(21. *Dilat. dispensat. ab irregul. ex homicidio.*

Clericus Jacobus Antonius Jacciolius, sæculari habitu indutus, e domo cujusdam Ladorini egrediens, nulla præcedente rixa, fuit prima nocte aggressus, et in capite, et in humeris ita percussus, ut humi procumbere coactus sit; sed inde, sumpto gladiolo, agressorem mortifere in ventre feriit, qua de causa post triduum ille e vivis excessit. Episcopus facti seriem confirmans, referebat, occisi patruum loci parochum de præfati clerici optima vita, bonisque moribus testari. Hinc clericus obtenta a defuncti parentibus venia, dispensationem ab irregularite ellegitavit S. C. huic respondit: *Exspectet.* Mutinen. Dispensat. 7 Febr. 1784.

(22. *Dispensat. ab irregul. ob censur. violat.*

Excommunicatio latæ sententiæ indicta jam ante fuerat omnibus parochis, aliisque sacerdotibus, qui absque prævia solemni publicatione matrimoniis benedicere præsumpserint, quando sacerdos Franciscus Antonius Pala vice-parochus in villa Marubii nocte vocatus, ut ad quamdam domum accederet, ubi pervenit, et ignorans quod in cubiculo clausi erant vir cum muliere, qui matrimonium contrahere exoptabant, clare significavit se non posse absque testibus præsentiam præbere; quibus intervenientibus, sponsi mutuum consensum panderunt; et vice-parochus inde celebravit: sed monitus ut se abstineret, supplex postulavit dispensationem, et S. C. eam donavit; Arboren. Dispensat. 13 Martii 1784.

(23. *Dispensat. ad cautelam ab irregul. ob homicid. incerto auct.*

Cum Antonius Tranquillinius in nono ætatis anno constitutus, una cum aliis pueris ad quemdam montem pervenisset, omnesque ludentes sese invicem lapidibus puerorum more percutere cœpissent, accidit ut ex lapidis ictu puer sexennis post paucos dies e vita migraret, et plerique ex sociis culpam in prædictum Antonium deonerarunt. Hic, nulla obtenta Apostolica dispensatione, clericali tonsura, et primis duobus minoribus ordinibus fuit insignitus. Sed postea, dubitans de irregularitate, adiit S. C. quæ ad cautelam dispensationem impertivit. Tridentina Irregularit. 27 Martii 1784, dub. 2.

(24. *Denegat. dispens. irregul. ob homicid. ex impetu.*

Dispensationem denegat S. C. sacerdoti Alexandro Peola, qui objurgando de negligentia famulum, dissidiis causam præbuit: et timens ne ab hoc fervidæ indolis ac ballista ignea armato occideretur, ipse prius catapultam, qua ad venationem utebatur, in famulum explosit, eoque vulnere famulus nocte subsequenti occubuit; quamvis dictus sacerdos satisfactionem fisco hæredibusque defuncti præstiterit, ut ipse confirmat archiepiscopus, atque exemplaris vitæ specimen præbuerit. Papien. Dispensat. 24 Julii 1784.

(25. *Dispensat. ab irregul. ob ordinat. per saltum.*

Clericus Julius Emmanuel de Valle-Labo de Torre, postquam sæculari se adscripserat militiæ, atque in bello cum idololatris dimicaverat, iterum, clericali habitu indutus, mentitis sui Ordinarii litteris dimissorialibus, absque titulo patrimonii, omissaque subdiaconatus et diaconatus ordinatione, presbyteratum suscepit, et pluries missam celebravit. Inde inquisitus ab ecclesiastica Curia crimina confessus est, et post pœnam relegationis, mulctamque solutam, supplex petiit dispensationem ab irregularitate, et negativum tulit responsum. Visen. Dispensat. ab Irregularit. 27 Novem. 1774. Rediit orator nunquam sacrum celebrasse affirmans, et S. C. rescripsit; *Exspectet.* 18 Aug. 1787. Denique eadem sacra congregatio recessit a decisis, et dispensationem una cum absolutione impertivit. addendo ad mentem. 9 Aug. 1788.

(26. *Dispensat ab irreg. ob homic. in rixa.*

Dissentione ac dissidio facto inter sacerdotem Joannem Myry Lebres, et Aloysiam Villaseras, ita res excessit, ut sacerdos in mulierem furentem, et evaginato cultro in se irruentem armatam, in lumbos ictus vibraverit, calcibus in terram projecerit. Exclamavit infelix mulier quod mortem sibi imminere timebat, et revera paulo post, ipse sacerdote adstante, et sacramentalem præbente absolutionem, oculos in mortem clausit. Sacerdos inde peregre ad urbem profectus est, seque omnibus spoliatum bonis victum emendicare, et post occisionem resipiscentiæ signa dedisse probare conatur, ac episcopus testatur, sed absolvi non valuit ab irregularitate. Majoricen. Dispensat. ab irregul. 27 Novem. 1784. Inde S. C. indulsit dispensationem, dummodo celebret extra locum commissi delicti. 19 Aug. 1786.

(27. *Dispens. ab irreg. ob ordin. suscept. ante legit. ætat.*

Mentita baptismatis fide Joseph Gamero ante ætatem a jure statutam ordines sacros suscepit, et missæ sacrificium peregit. At mancipatus fuit is carceribus, et, probato crimine ex processu, præter pœnam, denunciatus est irregularis. Facti pœnitens diluit,

Digitized by Google

et dispensationem enixe desiderat; S. C. *Exspectet* respondit. Malacitana irregular. 15 Jan. 1785. Inde gratiam impertita est : 21 Januar. 1786.

(28. *Dispensat dilata ab irreg. ob homicid. secut. incerto auct.*

Sacerdos Sebastianus Coterli, ut fratrem colluctantem cum Petro Coterli patruele a discrimine liberaret, baculum arripuit, ictusque aliquos in brachium patruelis direxit, et in æstu pugnæ, properante jam nocte, ictu uno tam graviter Petrum in capite percussit, ut ille humi procumbere coactus fuerit. Frater vero sacerdotis Petrum humi jacentem pedibus in ventre conculcavit. Petrus inde discessit; sed nocte ipsa acerrimis doloribus correptus obiit. De duobus repertis contusionibus periti concordes non fuerunt in detegendo causam veram qua occubuit. Sacerdos ob id petiit dispensationem ab irregularitate, et audivit a S. C. *Exspectet*. Utinen. Irregular. 15 Januarii 1785.

(29. *Dispensat. ad cautelam ab irregul. ob homic. casual.*

Dispensationi locum esse ad cautelam censuit S. C. ad rogatum Joannis Mariæ Pau ecclesiasticæ militiæ nomen daturi, eo quod cum a venatione una cum germano fratre rediret, ictus a ballista ignea fortuito erupit, et fratrem ita vulneravit, ut post paucos dies extinctus sit. Galtellinen. Dispensat. ab irregularit. 12 Martii 1785.

(30. *Dispensat. a cens. et irreg.*

Joannes Franciscus Gonzalez de Ulloa ad capellaniam quamdam fuit a legitimo patrono nominatus. Sed contradictor cum supervenisset, ille suis parentibus assensus est, ut ad removendam litem concordiæ consulerent. Hanc pater oratoris iniit, pecuniam et quædam bona stabilia adversario donavit. Inde orator ordines suscepit minores, et subdiaconatum, illosque exercuit. Et re vulgata, petiit absolutionem a censuris, ad omnem eximendam de simonia dubitationem, et obtinuit; modo implorat dispensationem ab irregularitate, et pariter sui voti compos factus est, restitutis fructibus, si quos perceperit. Aurien. 9 Aprilis 1785.

(31. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. in rixa.*

Postquam pluries suppliciter rogaverat S. C. clericus Romanus de Azqueta pro dispensatione ab irregularitate contracta ob quamdam rixam anni 1776, de qua ait Ordinarius Pampilonensis ex processu resultare « dictum Romanum de Azqueta rixæ, et homicidio interfuisse quidem, sed ipsius auctorem, et præcipuum reum non fuisse, et regio fisco satisfecisse videtur. » S. C. indulsit dispensationem per Breve. Pampilonen. 9 Aprilis 1785.

(32. *Denegat. dispens. ab irreg. ob defectum lenitatis.*

Absque spe gratiæ dispensationem denegat S. C. sacerdoti Honuphrio Piasechio munus parochi obeunti, licet impositam fuisse pœnam fateatur, qui, cum uxoricidium intra parœciæ septa perpetratum audivisset, assensus est ut cum uxoris cadavere reus quoque sepeliretur, et iniquo operi adstitit. Camenecen. Dispensat. ab irregularit. 30 Julii 1785.

(33. *Dispensat. ab irregul. ob homic. ex causa patrat.*

Prodeunti sacerdoti Augustino Frezza ab ecclesia, in qua sacrum expleverat, et cernenti fratrem diffugientem, nuntiatum fuit Julianum, cultro districto illum insequi, commotus ille periculo in aggressorem irruit, et eodem cultro ad necem eum percussit. De crimine autem inquisitus, et in carceribus a se ultro constitutus, delictum fassus est, lubensque accepit sententiam qua a patria exsulavit. Elapso quadrienno postulavit dispensationem ab irregularitate, et prodiit rescriptum: *Exspectet*. Consentina Irregularit. 30 Julii 1785. Deinde, inspectis peculiaribus archiepiscopi precibus, gratiam indulsit peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua domo religiosa, arbitrio archiepiscopi, et dummodo non celebret in loco commissi delicti. 20 Maii 1786. Denique causa rediit quoad vetitam celebrationem in loco commissi delicti, et rescriptum emanavit : « Prævio recessu a decisis, pro gratia, arbitrio, et conscientia archiepiscopi, dummodo celebret in Oratorio privato, aut etiam in publica ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata » 17 Aprilis 1790.

(34. *Dispensat. ab irregul. ob homic. ex impetu.*

Cum sacerdos Antonius Giva catapulta munitus jocosa quædam adversus Dominicum Mossam verba protulisset, et hic similiter subridens longe absens passibus centum quinquaginta in eminenti loco per ludibrium nates illi ostendisset, provocans : « En scopum, si vis explodere; » dictus sacerdos catapultam explosit, atque plumbea pilea mortale ei vulnus inflixit, ex quo sequenti die ab humanis excessit. S. C. eo postulante, et episcopo referente de compositione partis et fisci, constantique emendatione, dispensationem ab irregularitate concessit per Breve. Civitaten. 11 Martii 1786.

(35. *Dispensat. ab irreg. ob homic. in rixa non ex animo secutum.*

Ludentibus nonnullis pueris, facta est rixa inter clericum Marcum Bulerium annorum quatuordecim, et Josephum Guglielmi annorum tredecim, consertisque manibus, prædictus Joseph scalpello librario clericum, a quo jam prostratus fuerat, contra se venientem in coxa percussit, et ex eo vulnere arteria intercisa, ille post paucas horas occubuit. Præfatus Joseph parti præstita satisfactione, ad clericalem militiam ascendere exoptat: hinc S. C. auxilium imploravit, ut una cum absolutione sibi impertiatur dispensatio ab irregularitate, et eam obtinuit, quando constet de satisfactione fisci. Brugnaten. Irregular. 6 Maii 1786.

Digitized by Google

(36. *Dispensat. ab irregul. ob homic. non ex animo patratum.*

Leniter objurgatus ab archipresbytero Francisco Severino Fridericus Petrocchi ob nonnulla prolata verba, ipsum archipresbyterum semel et iterum cultro sauciavit. Qua de causa archipresbyter illum ictu parvi sclopi ad mortem percussit; inde archipresbyteratu renuntiato aufugit, et post emensos quinque annos ab episcopo, consentiente parte, veniam obtinuit, pœnamque luit in religiosa domo. Modo dispensationem ab irregularitate cupit, sed a S. C. rejicitur, et *exspectet* rescribitur. Sabinen. Irregularit. 17 Junii 1786; confirmat. 28 Julii 1787. Postmodum luculentissimo de probitate vitæ ejusdem oratoris, populique, cura episcopi testimonio relato, S. C. gratiam postulatam concessit. 27 Junii 1789.

(37. *Dispensat. ab Irregul. ob suscept. ord. per saltum.*

Acolytus Gabriel Lopez Oroscus, omisso subdiaconatu, et diaconatu, ordinem præsbyteralem ab Hispalensi archiepiscopo cum subripuisset, fictis dimissorialibus sui ordinarii litteris, ac simulata fide exercitationum spiritualium, nec non ficto sacro patrimonio, ordinem per saltum susceptum exercuit; hinc impositas pœnas a Curia Granatensi Gabriel subire debuit. Rogavit inde pro obtinenda dispensatione ab irregularitate, quam S. C. indulsit, imposita arbitrio episcopi salutari pœnitentia, et adjecta lege commorandi, et celebrandi in ecclesia Villæ Malæ, quandiu dictæ ecclesiæ necessitas postulaverit, susceptis prius ordinibus omissis. Granaten. Irregularis. 8 Julii 1786.

38. *Dispensat ad cautel. ab irregul. si quam incurrisset ob ordin. suscept. cum fictis dimissor. Ordinarii.*

Cum a Cephaludensi episcopo, cui suberat ratione originis et domicilii, nequiret sacris ordinibus insigniri acolytus Rosarius Castiglia, quia claudus paululum erat, testimoniales litteras sui Ordinarii ipse effinxit, et iis mediis dimissorias extorsit a Messanensi antistite, in cujus diœcesi beneficium obtinuerat, atque ad omnes sacros ordines ascendit. Pœnitentiariam consuluit. Illa, ut res suas cum proprio episcopo componeret, indixit. Satis episcopi votis facto, et in ordinibus sic susceptis nunquam ministrasse asserens, petiit dispensari ab irregularitate. Dispensationem S. C. ei ad cautelam concessit. Cephaluden. Suspens. et Irregularit. 21 Aprilis 1787.

(39. *Dispensat. ab irregul. ob homicid ex percuss. in rixa.*

Adeo venementer sacerdos Philippus Borg rixantem Philippum Hasciai ligno percussit, ut paulo post morte non sua defunctus est. Eum propterea episcopus e diœcesi relegavit ad sexennium, et damna ac interesse refundere coegit. At orator solutione sent. 818 cum necati parentibus se composuit, et post annum elapsum a delicto patrato, a S. C. dispensationem ab irregularitate rogavit. Et S. C. respondit ut, absoluta pœna, preces instauret; pœnam ille explevit, et gratiam tunc obtinuit, dummodo non celebret in loco patrati criminis. Melevitana irregular. 19 Januar. 1788, Conditionem illam inde delere avet Orator, et S. C. assensa est juxta petita arbitrio Episcopi, dummodo celebret hora a populo minus frequentata. 19 Junii 1790.

(40. *Dispensat. ab irregul. ob homic. involunt.*

Clericus Franciscus de Soulier, ad repellendam vim qua in eum commilito irruebat, illum commilitonem transfodit. Abjecta deinde militia, theologiæ studio operam navavit, et in episcopali seminario receptus fuit; rogante eo postmodum dispensationem ab irregularitate, S. C. eum reppellit. Lemovicen. Dispensat ab irregularit. 9 Augusti 1788, rursum dispensationem flagitans, suffragante episcopo, et comprobante homicidium, etiam in causa, involuntarium fuisse, eamdem obtinuit. 8 Aug. 1789.

(41. *Dispensat. ab irregul. ob homic. ex causa.*

In Sacerdotem Marcum de Mathia, nuncupatum Pajor, levi de causa, verbis et minis irrupit clericus Angelus Biscontinius; sed hujus iram lenitate comprimere ipse studens obtinuit ut inceptum iter prosequeretur. Dum vero prima noctis hora rursum placide redibat, clericus ei occurrit, ut in supposition lacum dejiceret, et, quamvis integris viribus resistere præfatus sacerdos niteretur, majori tamen impar vi parvum cultrum, quo in aucupiis utebatur, trepidans eduxit, atque aggressori opposuit, qui paululum cedens, ut robustius in illum irrueret, lethale postea vulnus fortuito accepit, ex quo post paucas horas occubuit. Sacerdos, qui mortem rescivit, arrepta fuga, per annum et ultra a patria exsulavit; sed tandem ultro se in carceribus constituit, et, fratribus occisi annuentibus, absolutus fuit. Dein ab excommunicatione absolutione obtenta, imploravit dispensationem ab irregularitate, sed incassum. Concordien. Dispensat. ab irregularitate 9 Aug. 1788, confirmat. 27 Junii 1789. Demum S. C. recedendo a decisis, dispensationem indulsit, dummodo non celebret in loco patrati criminis. 15 Januar. 1791.

(42. *Dispensat. ab irregul. ob homic. culpab.*

Suis ruri vacans rebus igneam explosit ballistam sacerdos Januarius de Rosa in alienum custodem boum, qui prædium depascebat, non ut eum occideret, sed ut tantum in eum terrorem jaceret, sed plumbeis ille globulis vulneratus, post unum de vigintl diem mortalitatem explevit. In homicidem animadvertit episcopus Marsicanus, et ad biennium in exteras regiones amandavit. Hac pœna soluta, postulat ab irregularitate dispensationem, et instantiam S. C. rejecit. Iterum nil ei valuit supplicatio tertium exhibita, etsi de ejus bona vita, moribusque

Digitized by Google

probis testimonia protulerit. Marsicana dispensat. ab irregularit. 30 Augusti 1788. Denique, peculiaribus inspectis circumstantiis, recessit a decisis, et gratiam indulsit. 15 Maii 1790.

(43. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. secuti in prohib. venatione.*

Clericus Joannes Franciscus Valriviere, armorum imperitus, vacans prohibitæ venationi *Perdicum*, dum stabulum ingressus aliquantulum se inflexerat, ut fabro salutem diceret, repentino ballistæ igneæ ictu, quam manibus gerebat, faber mortuus cecidit, parti, fiscoque satisfactionem præstitit, optimum de ipso testimonium perhibuit episcopus, sperans perutilem imo necessarium Ecclesiæ ministrum futurum. Petiit itaque dispensationem, et impetravit a S. C. Cadurcen. Dispensat. ab irregularit. 16 Maii 1789.

(44. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. cum circumstant attenuantibus.*

Per inquisitionem curiæ laicalis Lucensis damnatus cum aliis fuit ad exsilium, processusque expensas Joseph Gonzalez, uti reus homicidii; quam tamen sententiam quoad exsilium superior judex revocavit, solutisque expensis, plene inquisitus satisfactionem præstitit fisco. Cum vero ecclesiasticum statum suscipere vellet, præsidio S. C. nititur, ut ab irregularitate dispensetur, accendete etiam episcopi testimonio eum commendante. S. C. votis ejusdem annuit; Lucen. Dispensat. ab irregularit. 19 Decem. 1789.

(45. *Dispensat. irreg. ob homicid. in rixa secutum.*

Sacerdos Terentius Gervasi cum Antonio Garzonetti altercari cœpit, et eo mutua processerunt convicia, ut Antonius lapide sacerdotis tempora cum sanguinis effusione percusserit. Iram hac de re acerbiorem sacerdos concipiens certabat, sed ab interposito detentus Archangelo Sarteschi cum eo colluctatus est, acceptoque in femore pugionis ictu, eum ipsomet Sarteschi ferro, eum in renibus ita vulneravit, ut quinto die ex plaga Sarteschi occubuerit. Curia episcopalis processum in eum confecit, ediditque hoc decretum, « in casu pro homicidio sacerdotem Gervasi non esse molestandum. » Nuper dispensationem implorat, quam S. C. denegavit. Lunen. Sarzanen. Dispensat. ab irregular. 27 Febr. 1790; confirmat. 7 Maii 1791. Precibus repetitis *Exspectet* habuit rescriptum 12 Maii 1792; demum dispensationem assecutus est dummodo in loco commissi criminis non celebret. 16 Maii 1793.

(46. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in venat.*

Igniario elato Ficullis nemus venandi causa Thomas Brocchetti anno 1772 ingressus est; et ex inopinato igneæ ballistæ ictu Angelum Francisci morte dimisit. Damnatus in contumaciam fuit per quinquennium ad triremes, quo elapso, in libertatem vindicatus est. Inde integram vitam per decennium inter regulares duxit; post 18 tandem annos, dispensationem ab irregularitate efflagitat, ut ad ordines promoveri possit, et S. C. eam indulsit. Urbevetana irregularit. 20 Martii 1790

(47. *Dispensat. ab irregul. ob homic. casuale.*

Ad sedandum virum, qui nocturnas inter tenebras 9 Decem. 1787, cum sacerdote Nicolao de Stephano ejus fratre de re familiari rixabatur, pugnæ se immiscuit fratria Theresia, et sive ab uno, sive ab altero inconsiderate impulsa, graviterque in occipite ad mensulæ cuspidem contusa, post triduum perit. Curia Aquilæ homicidium casuale, ac involuntarium declaravit, libereque sacerdotem dimisit, qui dispensationem ab irregularitate rogans, eam a S. C. retulit. Aquilana irregular. 15 Maii 1790.

(48. *Dispensat. ab irregular. ob homic. involunt*

Lapidibus post cœnam a nonnullis monticolis appetitus, gladium sacerdos Michael Faraglio e proxima sua domo sumpsit, ut contumeliam vindicaret, sive ut redeuntem suum fratrem tueretur. Sed inter densas noctis tenebras Joannem Bonardium ejus amicum, qui secum cœnaverat, incaute transfodit, Missamque deinde ad celandam occisionem celebravit. Re autem cognita, damnatus fuit in contumaciam, per annos 5, ad carcerem. Requisita dispensatione, rescriptum est ut supplicet post expletam pœnam carceris. Hodie absolvit ille pœnam, et preces iterum exhibuit, sed frustra. Nullius S. Benigni Irregular. 5 Junii 1790. Denique impertita est S. C. dispensationem, dummodo non celebret in loco commissi delicti. 3 Martii 1792.

(49. *Dispensat. ad cautelam ob homic. involunt. et casuale.*

Dum mense octobris 1789 a venatione quiescebat Bernardinus Angelinius, igneam ejus ballistam, quam elato deposuerat igniario, impulit sociorum alter Isidorus Santarelli, graviterque ex inopinato illius decidentis ictu vulneratus, sequenti die vitam sibi invite exhausit. Ut clericali igitur initiari tonsura valeat, dispensationem ab irregularitate, quatenus in eam inciderit, Angelinius postulat, eique favet episcopus, et S. C. esse locum dispensationi ad cautelam censuit. Asculana irregularit. 10 Julii 1790.

(50. *Dispensat. ab irregul. ob homic. culpab.*

Anno 1780, die 2 Aprilis, dum virum, inter et Antonium Rusconium sedabat discordias Maria Tamponia in foro parochialis ecclesiæ Vervii in Plebe Matii Vallistellinæ, eam parochus Joannes Antonius Saligarius, cui fuerat in famulatu, in parochiales avocavit ædes; viroque illam flagitante, per diversam januam dimisit. Hujusce dimissionis ignarus a viro fuit Rusconius provocatus, vimque foribus parochialis domus inferre cœpit. Igneam ad eum terrendum e ferreis repagulis ostentavit ballistam parochus,

Digitized by Google

quam semel ab illius manibus ereptam, et jactanter redditam, in anteriori parte Rusconius apprehendit, et dum rursus avellere conaretur, repentino ejus ictu Rusconius periit. Curia Comensis parochum reum declaravit de culpabili homicidio, episcopus testatur de pœnitentia, ac bonis moribus ejusdem. Non S. C. suas preces pro dispensatione ab irregularitate rejecit, ita tamen esse ei concedendam, dummodo non celebret in loco patrati criminis decrevit. Comen. irregularit. 27 Augusti 1790.

(51. *Dispensat. ab irregul. ob complicitatem in homicid.*

Temulentus sacerdos Adamus Bramberger, Stejerdoffi parochus, nedum Sebastianum Stegmajer ejus parochiæ incolam, ad ægrotam sacramentis munitam uxorem verberandam incitavit, sed ei quoque virgarum præbuit fasciculum, manibusque infelicem tenuit mulierem, ut commodius ille nefarium facinus patraret. Tertio igitur verberata, post triduum decessit infirma, damnatusque fuit parochus die 4 Julii 1787, ad biennii carceris pœnam. Hac expleta, exorat dispensationem. S. C. eam denegat, licet ei faveat episcopus, qui facinus eum patrasse asserit, quia vini potus ita facilius sese præcipitem facinori præbebat, ut biennio ei fuerit interdictum. Canadien. Dispensat. ab Irregularit. 27 Novem. 1790. Deinde inspecta supplicatione episcopi, prævio recessu a decisis, consulendum SS. pro gratia, dummodo non celebret nec animarum curam exerceat in loco patrati criminis, sancitum est 21 Aprilis 1792.

(52. *Dispensat. ab irregul. ob homic. non ex animo*

Joseph Allegri sacerdotem Andream Bon, cum quo rixam habuit, et in gratiam fuit restitutus, die 8 Maii 1783 adortus est; qua de causa duplici sacerdos saucius plaga, omnique evadendi via præclusus, ferro aggressorem confodit, qui paulo post mortuus est. Paucis elapsis mensibus, composita parte, et fisco, absolutoriam sententiam obtinuit, et per integrum annum in conventu S. Blasii moratus est. Tandem dispensationem ab irregularitate efflagitat, et favente episcopo, eam consecutus, dummodo in loco patrati delicti sacrum non faciat. Vicentina irregularit. 15 Januar. 1791.

(53. *Denegat. dispensat. ab homicid. ex circumst. extrinsecus.*

Juvenis quidam a patre irato jactatus die 7 Maii elapsi, ingressus est domum sacerdotis Petri Josephi Vancoolwich, a quo nedum auxilium habuit, sed quoque patrem illius ita sacerdos insectatus est, ut, deserto filio, ille irruerit in sacerdotem ipsum, qui unico baculi ictu eum in pugna interfecit, data morienti sacramentali absolutione. Post hanc occisionem nil passus est, quod uni et alteri tantum factum notorium erat, et modo dispensationem ab irregularitate postulat; S. C. ei inficiata est. Leodien. irregularit. 17 Decem. 1791.

(54. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. non culpab.*

Cum capellanus ecclesiæ S. Michelangeli Castri Majoli Marcus Benedetti, natura meticulosus, absque mortis periculo fugam arripere, et se alias defendere non valeret, facinorosum Sebastianum Tomei, scopulo ab humeris dejecto, occidit. A curia episcopali, uti repertus non culpabilis, fuit absolutus, partem et fiscum composuit, sed miseriis pressus ab irregularitate petit dispensationem: et *Exspectet*, primum rescripsit S.C. in Feretrana Irregularit. 28 Maii 1791, deinde gratiam impertivit. 15 Decem. 1792.

(55. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. exsulis proscripti.*

Dum ad facinorosos arcendos exsules excubabat anno 1788 urbanus miles, et clericus Lazarus Gori in villa S. Joannis a Galilæa, jubente duce ejus patruo, igneam illi nocturno tempore in eum sine effectu exploserunt ballistam; sed clericus cum effectu, et non malo animo, nec ab iracundia ductus lethale intulit vulnus aggressori sancto Garelli, in quem erat talionis pœna, ac eo defuncto præmium clericus recusavit. Modo autem, ut ad sacerdotium ascendat dispensationem ab irregularitate proposcit, et a S.C. dimavit; Brictinorien. irregularit. 24 Nov. 1792.

(56. *Denegat. dispens. ab irregul. ob homicid. culpab. in causa.*

Cum die 22 Junii 1789, ebrius sacerdos Zeno a Moga venatu delectatus esset, cum altero ex tribus sociis rixari cœpit; eoque in tutum posito, igneam furens ballistam confregit, et in alios irruens duos innocentes, qui prope sedebant, graviter eos pulsavit, et unus ex his paulo post ex percussionibus interiit. Damnatus hac de re in contumaciam fuit pœna ordinaria; et adhuc profugus supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed frustra. Convenarum irregular. 12 Maii 1792.

(57. *Dispensat. ab irregul. ob subdiac, sine intent. vi, et metu susceptum.*

Sacerdos Andreas Borg subdiaconatum vi metuque compulsus suscepit, et in actu ordinationis aversum ab illo statu suum animum declaravit. Inde S. C. consuluit de ordinis validitate, quæ non solum eam iterandam ordinationem sub conditione putavit, sed necessariam etiam esse ab irregularitate dispensationem; quam impertivit. Melevitana subdiaconatus 16 Junii 1792, dub. 2.

(58. *Dispensat. ab irreg. ab homic. fortuit.*

Cum ad paternum iturus agrum e domo descenderet Aloysius Azzeni ætatis annorum 16, anno 1785, fortuita igneæ ballistæ, quam humeris gestabat, explosione, lethale inflixit vulnus domesticæ ancillæ, ex quo paulo post infelix mulier lucis usuram amisit. Curia laicalis eum a pœna atque culpa absolvit. Ecclesiasticum modo statum inhians, S. C. exorat, quæ dispen-

Digitized by Google

sationem ab irregularitate elargita est; Calaritana Irregularit. 19 Jan. 1793.

(59. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. ex causa.*

Sacerdos Joannes Baptista Piccinelli, ad contumelias ac verbera sorori illata persequenda, anno 1789, exulem Joannem Micheli aggressorem ictu igneæ ballistæ luce orbavit. Facile sententiam absolutoriam a Curia laicali anno sequenti obtinuit: inde Romam petiit pro dispensatione ab irregularitate assequenda. Ei suffragantur compositio partis, et fisci, atque boni mores, sed non S. C., quæ dispensationem denegavit. Bergomen. irregularit. 23 Febr. 1793, confirmat. 21 Junii 1794. Post primam ac secundam repulsam episcopo enixe exorante recessit S. C. a decisis, et absolutionem ac dispensationem concessit. 28 Nov. 1796.

(60. *Denegat. dispens. ab irregul. ob homicid. volunt. et inhum.*

Sacra congregatio negavit se daturam fuisse dispensationem ab irregularitate Joanni Jacobo Lippi, qui homicidium voluntarium, atque quodammodo inhumanum a septennio commisit. Nam orta contentione inter eumdem et villicum Peregrinum Jonelli de tenui pecuniæ summa : « Sacerdos (ait archiepiscopus) propriam aggressus domum, procul ab omni periculo, inanes conquerentis clamores non audiens, aperta fenestra, igneam explosit ballistam. » Lucana Irregularit. 20 Junii 1793.

(61. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. non ex animo secutum.*

Joseph Pepe petens dispensationem ab irregularitate, rescriptum *Exspectet* retulit. Hic cum Dominico Antonio *di Biase*, præcedentium dierum redintegrata rixa, pugionem mense Augusto 1776 strinxit ad terrorem duntaxat incutiendum, per eumdem tamen pugionem e suis manibus a fratre avulsum, Dominici postea cædes facta est; Nullius Caven. Irregular. 24 Nov. 1792. Inde favente Ordinario, et testante de ejusdem probitate, ac pœnitentia peracta, dispensationem indulsit. 7 Sept. 1793.

(62. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Quando mense Martio 1785, facinorosus et homicida satellitum dux, Joannes Cortrazzo, emissurus erat in rixa igneæ ballistæ ictum in Vincentium Feolà ejusque fratrem, sacerdotem, repentinam his tulit opem tertius frater Conus sacerdos, qui suis ac suorum fratrum diffidens viribus, mucronem ab illius perditi viri latere avulsit; ejusque proprio ferro vitam violavit. Ob id dispensationem ab irregularitate desiderat, sed non obtinuit. Caputaquen. Irregular. 7 Sept. 1793. Iterum renovat preces, et pro-vicarii generalis exhibet testimonium suæ utilis laudabilis vitæ, et S. C. gratiam petitam indulsit. 14 Martii 1795.

(63. *Dispensat. ab irregul. ab homic. involunt.*

Ignorabat clericus Andreas Marenco, an ballista ignea pulvere tantum, aut plumbeis glandulis præparata esset, et famulus, qui suam imperitiam in explosione experiebatur, illum monuit ut ab experimento cessaret, et ballistam ab ejus manibus eripere tentavit. Vix autem illam tetigit clericus, repente explosus est ictus in famulum, qui post quatriduum exspiravit. Fiscus clericum ab omni culpa immunem agnovit. Curia archiepiscopalis eum dimisit cum præcepto de se repræsentando; hinc dispensationem ab irregularitate efflagitat. S. C. primum, ut abolito præcepto de se repræsentando recurrat. Januen. irregularit. 11 Maii 1793. Et inde edocta S. C. de abolitione præcepti dispensationem impertita est. 14 Decem. ejusdem anni.

(64. *Dispensat. ab irregul. ob homic. volunt. a longo tempore patrat.*

Irregularitatis dispensatio differtur sacerdoti Philippo Magliocchini, qui 24 ab hinc annis, voluntarium commisit homicidium in Dominicum Allegretti, donec spiritualia exercitia per Ordinarium decreta apud missionarios SS. Redemptoris Capitis Sileris expleverit, per mensem, in loco commodiori ab eodem Ordinario designato. Anglonen. seu Tursien. Irregularit. 17 Augusti 1793. Deinde testante episcopo de ejusdem exemplari vita, pietateque, S. C. dispensationem indulsit. 25 Januar. 1794.

(65. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. occult.*

Per insidias occisus fuit anno 1782, in civitate S. Marini clericus Virgilius Lolli, quin criminis auctor innotuisset. Homicidium tamen ex pluribus indiciis patricio illius reipublicæ nonnulli imputabant, alii clericum Josephum Belzoppi familiarem ejus amicum, aut complicem, aut saltem socium suspicabantur. Sed ex defectu probationum fiscus dimisit cum obligatione de se repræsentando, et postea tanquam non repertum culpabilem. Petit hic dispensationem ab irregularitate, et S. C. precibus annuit. Feretrana irregularit. 5 April. 1794.

(66. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homic. in rixâ*

Rixante clerico Matthæo Topi cum Joanne Baptista Nani, partem in dissidio assumpserunt respectivi illorum fratres : clericus nempe Barlaamus et Stephanus Topi ex una, Antonius Nani ex altera; tradiditque Matthæus igneam ballistulam ejus fratri Barlaamo, qui Antonium Nani cum ea percmit. Triennio tantum elapso, obtenta remissione partis, composito fisco, et nono explolo carceris mense, dispensationem ab irregularitate efflagitat, et non obtinet. Faventina irregularit. 22 Novem. 1794 et favente episcopo. Quo magis bis petivit, tanto majorem ei frustratio dolorem attulit. 19 Decem. 1795 et 11 Decem. 1796.

(67. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. mere casual.*

Dum diaconus Petrus Sperandio, spiritualibus peractis exercitiis, promovendus

Digitized by Google

erat ad presbyteratum, surdam anum, alta inutilique voce monitam confregit, interemitque eisio, cujus concitatos equos continere non potuit. Inde obtenta dispensatione a quodam presbytero, qui facultatem habere jactabat, suscepit ordinem sacerdotalem, et anxio est animo de irregularitate, precatur pro dispensatione, et rehabilitatione, cum de causali homicidio ageretur; et S. C. petitioni concedit. Nolana irregular. 24 Januar. 1795.

(68. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Irregularitas contracta a sacerdote Petro Borelli per occisionem patratam in rixa post primum rescriptum *lectum*, vigesimo tandem anno a crimine commisso elapso, ob constantem illius emendationem, et propter sacerdotum defectum illius parœciæ, remittitur. Mutinen. irregular. 28 Febr. 1795.

(69. *Dispensat. ad cautel. ob irregul. ex causa suspens.*

Dispensatio ab irregularitate conceditur ad cautelam canonicis *extra Capitularibus* vocatis ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli Caprarolæ, qui cum essent punctaturis immunes, juxta capituli antiquas constitutiones, et veterem consuetudinem, impugnabant dimissionem tertiæ fructuum partis pro distributionum massa constituenda, pro qua re episcopus eos suspendit. Civitatis Castellanæ 16 Maii 1796, dub. 4.

(70. *Dispensat. ab irregul. ab homicid. inculpab.*

Acolythus Petrus Gisolfi, occasione licitæ venationis, gestans in humeris igneam ballistam elato iguiario ex inopinato ictu, quem illa explosit, interemit suum amicum clericum Dominicum de Amato. Ex processu inculpabilis repertus ille fuit, et supplicat pro gratia dispensationis, et obtinuit. Salernitana Irregular. 22 Augusti 1795.

(71. *Dispensat. ab irregul. ob violat. censur.*

Cum parochus Franciscus Vasoli, licet avarus non fuisset in eleemosynis distribuendis, tamen ex superexstantibus parœciæ reditibus, aliisque proventibus, etiam patrimonialibus, illicitam negotiationem exercuit. Modo exorat dispensationem ab irregularitate in quam incurrit ob administrationem proprii ordinis sub censuris ecclesiasticis; et S. C. .. quæ etiam ei restitutionem lucri illiciti imposuit, dispensationem postulatam impertivit. Capuana 20 Februar. 1796, dub. 3.

(72. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homic. volunt.*

Sacerdos Innocentius Olcisius dum revertebatur patriam Pannesium ex finitimo loco Uscio, ubi sua soror nuptias contraxerat, aliqua jam contentione absolute, cœpit impellere sororem, igneamque tandem in eam reluctantem a tergo explosit ballistam, cujus ictu post paucos dies puella decessit. Pœnam luit postmodum carceris, et pecuniariam damnationem. Jam quindecim elapsi sunt anni, rectam vitæ methodum agit. S. C. vero dispensationem denegavit cum clausula absque spe. Januen. irregularit. 23 Aprilis 1796.

73. *Dispensat. ab irregul. ex caus. censur.*

Postquam subdiaconus Chella calumniatus est sacerdotem Antonium Paita ob tentatam in ipsum igneæ ballistulæ explosionem, pendente inquisitione ascendit ad diaconatum. Sacerdos absolutus fuit ex capite innocentiæ, et calumniator damnatus ad expensas et damna, et actio calumniæ incepta est; sed res fuit composita, et diaconus petita absolutione a censuris, petiit etiam dispensationem ab irregularitate, et rehabilitationem ad ordines, et favente ei episcopo omnia reportavit a S. C. Lunen. Sarzanen. 9 Julii 1796.

(74. *Denegat. dispensat. ob irregul. ob homic. in rixa patratum.*

Sacerdos Franciscus Antonius Mazzadi parochus olim Strepeti damnatus præ cæteris fuit a Placentina curia, tanquam reus fixosi homicidii in caupona patrati, ad quinquenne exsilium a loco commissi criminis, seu vicariatu Complani. Hac pœna nondum expleta, supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed non obtinet, licet episcopus faveret, fisco, partique satisfactionem præstiterit. Placentina irregularit. 30 Julii 1796; confirmat. 9 Sept. 1797.

(75. *Dispensat. ab irreg. pro defectu partis pollicis.*

Ab irregularitate super defectu partis pollicis lævæ manus dispensationem per Breve concedendam esse, facto verbo cum Sanctissimo, statuit S. congregatio clerico Joanni Baptistæ Joseph Bouchez, sed cum digitali aureo, vel argenteo inaurato ita inhærente ut omne periculum arceretur, quod in sacro peragendo cadere posset, et præmisso experimento coram cæremoniarum magistro, et dummodo eo digitali in nulla alia actione uteretur, ac reverenter in capsula custodiretur. In Cameracen. irregularitatis 17 Februarii 1821.

(76. *Denegat. dispensat. ab irreg. ob defectum visionis.*

Irregularitatem acolyti Dominici de Paulis, contractam ex eo quod luminibus orbatus erat, licet nullum scandalum populo dare posset, attamen dispensandam esse negavit S. Congregatio, quia agebatur de promovendo : In Neapolitana Irregularitatis 17 Septembris 1814.

(77. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. in bello.*

Ab irregularitate dispensationem concessit S. congregatio clerico Donato Romani, qui miles conscriptus vi coactus fuit arma sumere, in bellum ire, licet nesciret an in æstu conflictus aliquem sauciaverit, vel interfecerit : In Aretina 18 Martii 1815.

(78. *Dispensat. ab irregul. ob impulsum et operam præstitam ad necem latronum.*

Sacerdotem Michaelem Angelum Fran-

Digitized by Google

chini commendatum ab episcopo, ab irregularitate dispensavit S. congregatio, ex eo contracta, quod ipse incitaverit armatos ad pugnam adversus latrones vulgo *briganti*, et ipse exploderit ballistam igneam adversus eosdem, quin tamen aliquem occiderit, vel mutilaverit, et probaverit propinationem veneni duci latronum factam a fratre suo pharmacopola : In Marsicen. Irregularitatis 18 Martii 1815.

JURISDICTIO.

Sardiniæ jurisdictionis, in qua ad seq. dub.

I. An, quando Ordinarii ad vitanda scandala procedunt, non citata parte, nec adhibita causæ cognitione in causis visitationis, aut correctionis morum, possit judex delegatus apostolicus appellationem simpliciter admittere.

II. An ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, quod tamen potest reparari per sententiam definitivam, valeat appellationem admittere?

III. An, quando appellatur a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari nequit, ut carcerationis, torturæ, aut excommunicationis, possit appellationem admittere, aut inhibitionem, vel aliam provisionem concedere, non visis actis ex quibus evidenter appareat de gravamine?

IV. An censuras Ecclesiasticas in appellantem prolatas valeat relaxare aut nullas declarare, non auditis partibus nec cognita causa?

V. An valeat absolutiones ad cautelam concedere non citata parte, nec visis actis, nec præstita cautione ab appellante de standō juri, et parendo mandatis Ecclesiæ?

VI. An ab exsecutione decretorum sacri concilii Tridentini valeat appellationem admittere?

VII. An valeat causas in curiis ordinariorum, vel aliorum judicum inferiorum pendentes ad se avocare, vel illarum cursum impedire sub quolibet prætextu, præterquam per viam legitimæ appellationis fuerint ad ipsius tribunal delatæ?

VIII. An valeat appellationem recipere, nisi per publica documenta (quæ realiter exhibeantur) prius constiterit appellationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis, per legitimam personam, et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosecutam.

IX. An valeat inhibitionem concedere post receptam appellationem absque insertione tenoris sententiæ, aut decreti definitivi, aut definitivi vim habentis, etiamsi appellans asserat, culpa judicis a quo, vel actuarii, exemplum habere non posse, non justificato impedimento, et an in casu possint inhibitiones impune sperni?

X. An valeat appellationes in secunda instantia recipere a decretis seu sententiis suffraganeorum, omisso medio curiæ metropolitanæ?

XI. An in causis de sui natura appellantibus, in quibus dictus judex processit, valeat appellationem, quoad effectum, suspensionem denegare?

XII. An, et quæ taxa servanda sit a dicto judice delegato tam in causis civilibus, quam criminalibus pro sportulis, seu propinis?

Sac. cong. Concil., die 3 Aprilis 1700, distulit propositionem; die vero 24, ejusdem mensis jussit proponi causam in prima etiam unica, et per delegatum exhibendas esse litteras suæ delegationis; et demum die 15 Maii dicti anni respondit « Ad 1, *negative* quoad effectum suspensivum. Ad 2, *negative*. Ad 3, *negative*, quoad cognitionem causæ in gradu appellationis tantum, et *affirmative*, quoad brevem supersessoriam. Ad 4, *negative*. Ad 5, itidem *negative*, præterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione de standō juri, et parendō mandatis Ecclesiæ. Ad 6, 7, 8, 9, 10 et 11, *negative*. Ad 12, exhibendas esse taxas tam Ordinariorum, quam delegati » ut in lib. r. Decret., pag. 145, 185 et 1224.

Aquilana jurisdictionis, in qua ad sequentia dubia.

I. An episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Cœlestinis subjectarum, debeantur in ingressu ecclesiæ solitæ honorificentiæ et præeminentiæ, omnesque actus reverentiales, ac associari, tam in ingressu, quam in egressu ecclesiæ a prædictis PP. Cœlestinis?

II. An moniales prædictæ teneantur tradere episcopo visitanti librum regularum, et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi, et visitare clausuram prædict. monialium absque interventu P. abbatis Cœlestinorum.

IV. An episcopus possit visitare nedum crates, et mœnia exteriora prædictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clausuræ custodia?

V. An possit episcopus occasione S. visitationis habere sermonem spiritualem præd. monialibus tam infra, quam extra septa monasterii?

VI. An possit episcopus nedum visitare altaria et capellas ecclesiarum prædictorum monasteriorum, in quibus beneficia, aliaque onera missarum insint, verum etiam et tabernaculum cum altari majori?

Sac. cong. Conc., die 31 Julii 1723, respondit : « Ad 1, *affirmative* quoad ministros officiales monasterii, et quoad confessarium ejusdem tantum. Ad 2, *negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundam. Ad 3, 4, 5, *affirmative*. Ad 6, *negative*. »

Melevitana jurisdictionis, in qua ad sequent. dub.

Digitized by Google

I. An decanus cathedralis ecclesiæ, ad quem spectat convocare capitulum, teneatur, sede episcopali vacante, petere licentiam a vicario capitulari pro convocandis capitularibus, in casu, etc.

II. An ipso decano absente, renuente, aut alias quomodolibet impedito, facultas convocandi capitulum devolvatur ad successivas dignitates, et canonicos gradatim, exclusis eorum coadjutoribus, in casu, etc., et quatenus affirmative.

III. An vicarius capitularis possit procedere ad censuras contra decanum, et dignitates, et canonicos convocantes capitulum sine licentia, in casu, etc.

IV. An decanus, dignitates, et canonici convocantes capitulum, uti valeant quacunque persona pro intimandis capitularibus, nec non quocunque notario casu, quo cursores et cancellarius eorum officium præstare recusent, in casu, etc.

V. An dignitas seu canonicus capitulo præsidens teneatur certiorem reddere vicarium capitularem absentem de resolutionibus capitularibus? et, quatenus affirmative, quibus remediis procedi possit contra recusantem, in casu, etc.

VI. An actus registratus in cancellaria episcopali die 30 Augusti 1721, de ordine vicarii capitularis, in quo supponitur decanum petiisse ab eo licentiam convocandi capitulum, subsistat, vel potius sit annullandus et delendus, in casu, etc.

VII. An sustineatur inhibitio transmissa decano et canonicis die 13 Aprilis 1722, de mandato vicarii capitularis sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, in casu, etc.

VIII. An actus registratus in cancellaria episcopali die 17 Octobris 1722, de ordine reverendissimi episcopi, in quo supponitur decanum petiisse a vicario capitulari licentiam sub conditione, subsistat, vel potius sit annullandus, in casu, etc.

Sacr. cong. Concil., die 18 Septembris 1723, respondit : « Ad 1, *negative*. Ad 2, *affirmative* quoad primam partem, et quoad secundam habebitur ratio in casibus particularibus, visis litteris Coadjutoriarum. Ad 3, *negative*. Ad 4, *affirmative*. Ad 5, *negative*. Ad 6 et 8, ad mentem, » et mens est quod deleantur. Ad 7, *negative*.

CONSTANTIEN. jurisdictionis, ad seqq. dubia.

1. An Episcopus Constantiensis, ejusque vicarius generalis possint inhibere abbati et monachis abbatiæ Salemitanæ, et quibuscunque aliis regularibus ordinis Cisterciensis, ne sine prævia et speciali ejus approbatione excipiant confessiones monialium in diœcesi Constantiensi existentium, illarumque etiam, quæ ejusdem sunt ordinis? in casu, etc.

2. An quilibet confessarius, tam ordinarius quam extraordinarius, semel vel pluries a superiore regulari pro tempore deputatus vel deputandus ad audiendas confessiones monialium cujusdem monasterii ordinis Cisterciensis, teneatur novam approbationem ab eodem Ordinario petere, et impetrare quoties eumdem vel ad aliud vel ad idem interpolato tempore contigerit deputari? in casu, etc.

3. An possit Ordinarius Constantiensis admonere tam mediatos quam immediatos monialium superiores, ut amoveant confessarios, atque administratores bonorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium pro tempore deputatos, seu deputandos? in casu, etc.

4. An superiore regulari, vel alio quocunque ad quem pro tempore spectat, negligente deputare bis aut ter anno quolibet confessarios extraordinarios monialium, eos deputare valeat episcopus Constantiensis? in casu, etc.

5. An eidem Ordinario Constantiensi, salvo jure advocatiæ favore illorum quibus competit, liceat petere rationes administrationis bonorum monasteriorum monialium ordinis Cisterciensis? in casu, etc.

6. An eidem Ordinario Constantiensi competat jus interessendi, et præsidendi electioni abbatissarum ejusdem ordinis? in casu, etc.

7. An eidem Ordinario Constantiensi competat jus explorandi voluntatem puellarum, tam ad habitum, quam ad professionem in monasterio sæpedicti ordinis? in casu, etc.

8. An capellæ ab ecclesia monasteriali separatæ et dissitæ, atque sive per se stantes, sive domibus et arcibus jure proprietatis ad monachos Salemitanos pertinentibus, apud quos tamen vel nulli resident regulares, vel nonnisi unus, aut duo, illique solummodo ad curandas res dynastiales aut œconomicas, et publicum habentes accessum, sint cum ipsis domibus aut arcibus a parochorum, intra quorum districtus situantur, et episcopi jurisdictione exemptæ? in casu, etc.

9. An officiales laici, domestici, famuli et coloni, qui extra septa monasterii vel clausuræ degunt, exempti sint a jurisdictione episcopali, et parochiali, ita ut teneantur a parocho recipere sacramenta omnia, et præsertim matrimonium? in casu, etc.

10. An iidem officiales, domestici, et famuli teneantur servare festa tam ab episcopo præscripta, quam consuetudine recepta, iisque diebus ab operibus servilibus æque ac ab omni strepitu judiciali abstinere? in casu, etc.

11. An iidem officiales, domestici, et famuli teneantur interesse supplicationibus ex causis ab episcopo præscriptis? in casu, etc.

12. An cum eisdem officialibus abbas Salemitanus in jejunio dispensare, vel si episcopus dispensaverit, eosdem ad jejunium obligare possit? in casu, etc.

13. An præfatus abbas iisdem officialibus, etc., pro lucrando jubilæo aliud tempus, quam episcopus præscripserit, determinare valeat? in casu, etc.

14. An sæpefatus abbas monialibus sui ordinis pro lucrando jubilæo speciale tempus determinare valeat, seu potius tempori

Digitized by Google

ab episcopo determinato in tota diœcesi se conformare debeat? in casu, etc.

15. An abbas Salemitanus causas matrimoniales sæpe dictorum suorum officialium, domesticorum, famulorum et colonorum decidere valeat? in casu, etc.

16. An eidem abbati Salemitano respectu eorumdem suorum officialium, etc. competat titulus Ordinarii? in casu, etc.

17. An, si episcopus quemdam ex hisce officialibus, famulis et domesticis in quacunque causa ecclesiastica ad suum tribunal citaverit, is comparere debeat, alias cogi possit quibuscunque necessariis juris remediis? in casu, etc.

18. An, si episcopus vel ejus curia indigeat testimonio jurato alicujus subditi sæcularis monasterii Salemitani, et monialium ejusdem ordinis, possit hunc propria auctoritate ad suum tribunal citare, et reluctantem quoque per censuras compellere? in casu, etc.

19. An domus, capellæ, arces proprietatis jure ad monasterium Salemitanum pertinentes, in quibus tamen aut nullus, aut unus duntaxat alterve religiosus, et quidem in ordine tantum ad administranda negotia temporalia et dynastialia residet, gaudeant exemptione ipsi monasterio Salemitano concessa? in casu, etc.

20. An religiosi in his domibus, arcibus, sic, ut præmittitur, residentes, subsint jurisdict. parochi, etc., ita ut si forte decumbant, sacrum viaticum, et extremam unctionem de manu parochi, intra cujus districtum sitæ sunt hæ domus, suscipere, atque ab eodem, si ex hac vita discedant, sepeliri debeant; idque etiam obtineat quoad officiales, famulos, et colonos ibi habitantes? in casu, etc.

21. An, si fortasse abbas contenderet jus habere deputandi aliquo in loco parochum, debeat hic episcopo præsentari, ab eodem examinari, atque approbari? in casu, etc.

22. An episcopo competat jus visitandi quascunque capellas prædicti ordinis, simulque religiosos curam animarum in ea administrantes, juxta constitutionem quæ incipit *Firmandis?* in casu, etc.

23. An abbas Salemitanus in ecclesiis sæcularibus, suæ tamen quoad temporalia jurisdictioni subjectis, sine licentia episcopi possit uti pontificalibus, vel an etiam in his teneatur servare decretum ab Alexandro VII editum? in casu, etc.

24. An abbas Salemitanus a clericis sui patronatus possit exigere juramentum fidelitatis? in casu, etc.

25. An idem abbas impedire possit ne possessoribus beneficiorum monasterio Salemitano adnexorum clericis sæcularibus gravi et juxta ex causa imponatur pensio ad successorem non transitura, et ex congrua ipsius beneficiati solvenda, si non obstante hac pensione, eidem adhuc sufficiens ad honestam sustentationem congrua supersit? in casu, etc.

26. An episcopus abbatem, monachos, et officiales quoscunque monasterii Salemitani ad observantiam eorum, quæ in expositis dubiis resolventur per mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, aliasque pœnas, nec non etiam per ecclesiasticas censuras compellere possit? in casu, etc.

Sacr. cong. Conc., die 31 Martii 1770, distulit propositionem. 15 Septembris respondit: « Dilata, et ad D. secretarium ad mentem. »

Comen jurisdictionis, in qua ad seq. sub.

I. An revendissimus nuntius apostolicus apud Helvetios possit concedere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, vel etiam regularium, imo et monialium, in diœcesi Comen. sine licentia, et approbatione Ordinarii loci?

II. An idem reverendissimus nuntius sacerdotibus non approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones concedere possit facultatem absolvendi in foro interno ab hæresi, censuris, etc.

III. An possit concedere facultatem generalem absolvendi a casibus Ordinario reservatis? et quatenus affirmative?

IV. An expediat adhiberi aliquod moderamen in hujusmodi facultatum communicatione, tam circa numerum quam circa qualitates personales eorum quibus conferuntur?

V. An possit concedere suis commissariis subditis diœcesis Comen. facultatem eligendi sibi confessarium etiam non approbatum ab Ordinario?

VI. An possit concedere licentiam retinendi, legendi libros hæreticorum, seu alios quomodolibet prohibitos?

VII. An commissarii nuntiaturæ accedere possint ad monasteria monialium, easque alloqui etiam citra necessitatem officii absque licentia Ordinarii?

VIII. An iidem commissarii concedere possint aliis ad eos recurrentibus licentiam alloquendi moniales sine licentia Ordinarii?

IX. An dicti commissarii, obligati ad residentiam ratione canonicatus vel alterius beneficii, possint ab illo abesse pro negotiis commissariatus, et nihilominus lucrari distributiones, aliaque omnia emolumenta, tanquam si essent præsentes?

X. An idem reverendissimus nuntius concedere possit dictis commissariis licentiam retinendi famulas, quamvis non annosas, cum derogatione quarumcunque ordinationum per Ordinarios locorum quomodolibet factarum?

XI. An concedere possit facultatem exorcizandi independenter ab Ordinario?

XII. An iidem commissarii concedere possint licentiam laborandi diebus festis?

XIII. An iidem commissarii punire possint etiam in prima instantia festorum violatores, blasphematores, aliosque contra Dei et S. Matris Ecclesiæ præcepta temere agentes?

Sac. congr. Concil. die 26 Februarii respondit: « Ad 1, *negative*. Ad 2, *negative*. Ad 3, *negative*. Ad 4, satis provisum in superiori. Ad 5, *negative*. Ad 6, ad Sac. Congregationem Sancti Officii. Ad 7, 8, 9, 10,

Digitized by Google

11, 12 et 13, *negative*, ut in l. 57. » Decr. pag. 69 et 70.

PRAGEN jurisdictionis, in qua ad seqq. dub.

I. An pro exemptione a jurisdictione ordinaria archiepiscopi sufficiat sola nominatio seu deputatio presbyteris sæcularibus facta a superiore D. Joannis Hierosolymitani in ecclesiis dicti ordinis pro cura animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab archiepiscopo, sive potius requiratur admissio, approbatio, et licentia archiepiscopi, sive ejus consistorii ad curam animarum, et administrationem sacramentorum?

II. An præfati nominati seu deputati ad dicta beneficia curata teneantur examen subire, et professionem fidei emittere coram archiepiscopo vel ejus consistorio, antequam curam animarum exerceant?

III. An teneantur præstare juramentum ad curam animarum debite obeundam coram archiepiscopo, sive ejus consistorio, et quomodo?

IV. An dictus archiepiscopus, sive ejus consistorium, prædictis exigentibus, procedere possit jure ordinario, sive potius delegato?

V. An dicti nominati, seu deputati in dictis ecclesiis, postquam reportaverint ab archiepiscopo licentiam pro exercenda cura animarum, teneantur se conformare constitutionibus synodalibus, et ordinationibus consistorialibus quoad omnia in ordine ad sacramentorum administrationem, et curam animarum?

VI. An dictis presbyteris sæcularibus, ut supra nominatis, seu deputatis in præfatis ecclesiis, et ab archiepiscopo examinatis teneatur idem archiepiscopus concedere licentiam exercendi curam animarum? et quatenus affirmative.

VII. An in hujusmodi licentiis archiepiscopus valeat reservare facultatem eas revocandi ad sui beneplacitum, seu potius debeat eas concedere pure et simpliciter?

VIII. An archiepiscopus debeat exprimere, se procedere auctoritate delegata, dum procedit contra dictos presbyteros exercentes curam animarum, ita ut hoc non expresso, non teneantur illi ei obedire, etiam in concernentibus curam animarum?

IX. An archiepiscopus prædictos presbyteros exercentes curam animarum in casu non paritionis ejus præceptis, possit plectere pœna revocationis licentiæ exercendi curam animarum?

X. An præfati presbyteri pro servitio dictarum ecclesiarum valeant assumere capellanos pro celebratione missarum in eisdem ecclesiis sine licentia episcopi?

Sac. cong. Concil., diebus 3 et 17 Decembris 1707, distulit propositionem, die vero 14 Januarii 1708, rescripsit. « Ad 1, *negative* quoad primam, *affirmative* quoad secundam partem dubii. Ad 2, *affirmative* quoad examen, et quoad professionem fidei ad formam Concilii. Ad 3, *affirmative*. Ad 4, Dilata. Ad 5, *affirmative*. Ad 6, *negative*. Ad 7, *negative* quoad primam, et *affirmative* quoad secundam partem dubii. Ad 8, *affirmative*. Ad 9, recurrat in casibus particularibus. Ad 10, *affirmative*. »

FERRARIEN. jurisdictionis, in qua ad seq. dub.

1. An superioribus regularibus competat ordinaria jurisdictio in spiritualibus, et temporalibus super monasteriis SS. Catharinæ martyris, et Senensis; nec non SS. Monicæ, et Rochi, et signanter in procuranda recta administratione bonorum, et redituum dictorum monasteriorum sibi subjectorum, seu potius servanda sit in casibus particularibus prætensa consuetudo, in casu, etc.

2. An vicarii monasteriorum præfatorum instituti per provincialem Lombardiæ, et respective per vicarium generalem congregationis S. Sabinæ, vel illis impeditis, seu absentibus, confessarii eorumdem monasteriorum possint intervenire quibuscunque contractibus ineundis nomine eorumdem monasteriorum?

3. An iidem vicarii, vel illis absentibus aut impeditis, confessarii possint ac debeant assistere redditioni rationum, seu revisioni computorum, ut prætenditur facien. de trimestri in trimestre?

4. An provincialis utriusque Lombardiæ, et P. vicarius generalis S. Sabinæ possint et debeant visitare dicta monasteria circa administrationem bonorum, et redituum, et sic revidere libros introitus et exitus, ac exigere rationum redditionem a ministris, aliisque officialibus eorumdem monasteriorum?

5. An eminentissimus archiepiscopus possit, irrequisito superiore regulari, exigere et recipere rationum redditionem a dictis monasteriis et officialibus?

6. An electio cujuscunque novi ministri et syndici, in casu obitus, dimissionis officii, vel amotionis, spectet ad priorissam et moniales, vel potius ad archiepiscopum?

7. An dimissio officiorum facienda sit in manibus priorissæ, vel potius in manibus eminentissimi archiepiscopi?

8. An facultas removendi dictos officiales et ministros spectet ad priorissam et moniales, seu potius ad eminentiss. archiepiscoporum? Et quatenus affirmative ad secundam partem 5, 6 et 7, dubii.

9. An novus minister vel syndicus possit, vigore litterarum patentium archiepiscopi, contractus inire, aliosque administrationis actus gerere sine mandato procuræ priorissæ et monialium? Et quatenus negative.

10. An priorissa et moniales possint novo syndico tribuere in mandato procuræ facultates sibi benevisas, ac etiam alios procuratores constituere ad certa negotia?

11. An quæcunque instrumenta stipulari debeant coram priorissa et monialibus capitulariter congregatis cum interventu superioris regularis?

12. An quibuslibet instrumentis et scripturis, quibus interveniant superior regularis et syndicus, debeat prænominari, et prius subscribere ipse superior regularis, seu potius syndicus?

13. An archivium cujusque ex dictis

Digitized by Google

monasteriis retineri debeat intra claustra, seu potius extra, id est in collocutorio monialium?

14. An omnes libri nuncupati magistrales retineri debeant in archivio, et de trimestri in trimestrem tradi ministris pro reportandis partitis introitus et exitus, in casu, etc.

Sacr. cong. Concil. die 28 Septembr. 1754, respondit : « Ad 1, *affirmative* quoad primam partem, *negative* ad secundam. Ad 2, 3 et 4, *affirmative*. Ad 5, *negative*. Ad 6, electionem spectare ad priorissam, et moniales, cum interventu superioris regularis; ad archiepiscopum vero spectare expeditionem litterarum patentium juxta solitum. Ad 7, *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. Ad 8, *affirmative* quoad primam partem, quoad secundam servetur Bulla *Inscrutabilis*. Ad 9, *negative*. Ad 10, *affirmative*. Ad 11 et 14, *affirmative*. Ad 12 et 13, *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. »

OMOLUCEN. jurisdictionis, in qua ad seq dub.

1. An parochi regulares, cujuscunque ordinis illi sint, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses et Benedictini, exercentes curam animarum personarum sæcularium et non commensalium in parochiis in diœcesi Omolucensi, licet illæ monasteriis exemptis sint unitæ et annexæ, sive sint de jurepatronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in abbatibus, visitationem episcopi subire teneantur in iis quæ pertinent ad curam animarum, sive episcopus visitet per se, sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum? et quatenus affirmative.

2. An dicti procurationem solvere teneantur? Vocati ad synodum accedere sint cogendi? Festa diœcesis populo annuntiare, et celebrare? Pariter chrisma, et olea Ss. ab episcopo diœcesano accipere teneantur?

3. An parochi regulares, etiamsi sint abbates, possint a superioribus regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere sine approbatione episcopi?

4. An regulares dari in coadjutores dictorum parochorum possint a superioribus regularibus sine expressa licentia episcopi, sive potius sit in potestate episcopi in approbatione confessariorum regularium limitare eorumdem facultates, non solum quoad tempus sed etiam quoad personas et loca in quibus debent confessiones audire?

5. An liceat sive abbatibus, sive parochis regularibus, præsertim Cisterciensibus, pro libitu et sine licentia episcopi pro parochiis modo unam, modo alteram ecclesiam, sive capellam, in qua sacramenta a parochis administrentur fidelibus diœcesis Omolucensis, constituere?

6. An prælati regulares, ubi habent purum juspatronatus parochiarum, acquisitum vel cessum a laicis quibus in hoc succedunt, teneantur episcopo præsentare sacerdotes sæculares ut antea laici tenebantur : An vero possint substituere monachos, eosque pro libitu, non salutato episcopo, removere?

7. An ad episcopum spectet cura clausuræ monasteriorum monialium regularibus, et præsertim Cisterciensibus, et Benedictinis subjectarum, eandem clausuram demandare servandam ad præscriptum sac. concil. Tridentini? Et quatenus affirmative?

8. An competat episcopo, prælatis regularibus, præsertim Cisterciensibus et Benedictinis, prohibere ne pluries in anno, occasione visitationis, ingrediantur septa monasterii monialium sibi subjecti sine præsentia ejusdem episcopi, sive alterius personæ ab eo deputandæ?

9. An possit episcopus inhibere regularibus, præsertim Cisterciensibus et Benedictinis, ut sine examine Ordinarii puellas ad habitum et professionem admittant, et præcise ne ad electionem abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata Ordinario die electionis, cui episcopus sive per se, sive per alium interesse et præsidere possit?

10. An competat episcopo rationes exigere ab administratoribus bonorum temporalium dictorum monasteriorum exemptarum monialium, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere ne dotes alienentur sine indulto pontificio, et episcopi licentia?

11. An confessarii ab episcopo approbati ad audiendas confessiones fidelium utriusque sexus possint sine speciali approbatione episcopi in confessarios monialium exemptarum a superioribus regularibus destinari? et quatenus negative.

12. An saltem dicti confessarii regulares pro audiendis confessionibus unius monasterii monialium exemptarum, vel pro una vice approbati, censeri debeant approbati semper, et pro omnibus monasteriis monialium?

13. An regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi confessiones, sive sæcularium, sive monialium, se personaliter coram episcopo præsentare, sive potius sufficiat a superioribus de sufficientia et idoneitate testimonium transmitti?

14. An prælati et abbates regulares possint sine speciali indulto calices, campanas, aliaque vasa sacra, in quibus intervenit sacra unctio, benedicere pro usu alienarum ecclesiarum?

15. An dicti abbates et prælati teneantur servare decretum ab Alexandro VII editum circa usum strictum pontificalium prælatis inferioribus concessum?

16. An liceat regularibus Eucharistiam in propriis ecclesiis exponere sine licentia Ordinarii, liceatque pariter regularibus, et præsertim Benedictinis et Cisterciensibus, in propriis ecclesiis insolitam imaginem, aut sacram reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere, et tandem in eisdem ecclesiis prædicare, non petita ab Ordinario licentia?

Sacr. congreg. Concil., die 7 Junii 1755, respondit : « Ad 1 et 2, *affirmative*. Ad 3, *negative*. Ad 4, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 5, *negative*. Ad 6, *affirmative* ad primam partem, *nega-*

Digitized by Google

tive ad secundam. Ad 7, 8, 9, 10, *affirmative*. Ad 11, *negative*. Ad 12, 14, 16, *negative*. Ad 13, *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. Ad 15, *affirmative*. »

Et eadem causa reproposita sub dubio : An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu, etc.? Ead. sac. cong. die 2 Augusti dicti anni 1755, respondit : « In decisis. »

WORMATIEN. juridictionis, in qua ad seqq. dub.

1. An eminentissimus Ordinarius Wormatiensis seu ejusdem vicarius possit inhibere regularibus abbatiæ Ebarbacensis ordinis Cisterciensis, ne sine prævia ejus approbatione excipiant confessiones monialium monasterii Marien-Munster ejusdem ordinis?

2. An eminentissimo Ordinario competat jus interessendi at præsidendi electionibus abbatissarum dicti monasterii?

3. An liceat eidem eminentissimo Ordinario petere rationem administrationis bonorum ipsiusmet monasterii ?

4. An eidem eminentissimo Ordinario competat jus explorandi voluntatem puellarum admittendarum tam ad habitum quam ad professionem in dicto monasterio? et quatenus affirmative.

5. An occasione dictæ interessentiæ, redditionis rationis, et explorationis, teneatur monasterium ad aliquam expensam pro ministris curiæ episcopalis Wormatien, sive ex quocunque alio titulo?

6. An præfati regulares, et moniales cogi possint per mulctas pecuniarias in casibus prædictis?

7. An licita fuerit exactio centum imperialium facta a reverendissimo vicario Wormatiensi, seu potius teneatur dictam summam monasterio Marien-Munster restituere, et omnia damna reficere, in casu, etc.

Sacr. Congr. Concil., die 9 Julii 1746, respondit : « Ad 1, 2, 3 et 4, *affirmative*. Ad 5, *negat*. Ad 6, *affirmat*. Ad 7, *affirmat*. ad primam partem, et *negative* ad secundam. »

WORMATIEN. jurisdictionis; in qua reproposita causa ad supradicta, et seq. nova dub.

1. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 Julii anni currentis 1746, et quatenus affirmative ad primam partem.

2. An, posita facultate per constitutionem Gregorianam episcopis concessa interessendi et præsidendi electionibus abbatissarum per se vel per alium, liceat eminentissimo Ordinario Wormatiensi interesse et præsidere per plures commissarios ab ipso deputatos?

3. An ad actum electionis conscribendum admitti etiam debeat notarius vel cancellarius curiæ episcopalis Wormatien, vel potius P. secretarius abbatis regularis tantum?

4. An, completa canonica electione, liceat eidem eminentissimo Ordinario vel ejus vices gerenti neoelectam installare, eique possessionem dignitatis et officii abbatissalis tradere?

5. An ipsi eminentissimo Ordinario competat jus abbatissas electas confirmandi?

6. An eidem eminentissimo Ordinario jus competat denuntiandi et determinandi diem electionis faciendæ, seu potius reverendissimo abbati Ebarbacensi? « et quatenus negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam partem. »

7. An, elapsa die præfinita, et nomine ex parte eminentissimo Ordinarii comparente, liceat reverendissimo abbati Ebarbacensi ad electionem procedere, in casu, etc.

8. An post mortem abbatissæ liceat reverendissimo Ordinario claudere proprioque sigillo obsignare cubicula abbatialia, atque de substantia monasterii inventarium conficere, in casu, etc.

Sacr. Congreg. Conc., die 17 Septembris 1746, respondit : « Ad 1, 2, 3, 4 et 5. *In decisis*, et amplius. Ad 6 et 7, ad mentem. Ad 2, *negative*. Ad. 3, *negative* quoad primam partem, et *affirmative* quoad secundam. Ad 4 et 5, *negative*. Ad 6, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 7, *affirmative*. Ad 8, *negative*. »

CONVERSANA, jurisdictionis, in qua ad sequent. dub.

1. An in monasterio monialium Carmelitarum Putignani electio abbatissæ fieri valeat sine præsentia episcopi conversani, sive ejus delegati? et quatenus affirmative.

2. An illa aliter facta sine hujusmodi præsidentia, dum episcopus declaravit juxta bullam *Inscrutabili* præsidere velle, sit nulla, ita ut ad novam electionem procedi valeat ?

3. An munus priorissæ in moniales juxta antianitatis ordinem, et sine ullo meritorum defectu ibi conferri debeat; sive potius monialium suffragia in alias etiam non antianas, juxta qualitates et merita libere dari valeant?

4. An superior seu commissarius dicti monasterii, per P. generalem ordinis ad triennium eligi solitus, possit per idem tempus in confessarium ordinarium monialium nominari, vel saltem P. generalis valeat alium nominare in confessarium ordinarium?

5. An episcopus sub censuris prohibere valeat superiori regulari dicti monasterii, et confessariis ordinario et extraordinario, ne extra propria respective munera cum monialibus alloquantur?

6. An possit episcopus pro clausuræ custodia presbyterum sæcularem deputare, qui claves monasterii retineat; sive potius illæ per confessarium regularem sint retinendæ?

7. An superiori, seu commissario monasterii sine censurarum incursu licitum sit, etiam cum justa et legitima causa, clausuram ingredi absque licentia episcopi vel ejus delegati?

8. An licentiæ concessæ pro medicis et aliis, qui ex necessitate in clausuram ingrediuntur, privative dari debeant a commissario monasterii, sive cumulative, etiam ab episcopo?

9. An hujusmodi licentiæ pro medicorum, aliorumque ingressu absolute, vel ad limitatum tempus sint concedendæ?

10. An ad alloquendum cum monialibus concessio licentiæ sæcularibus, ac aliis quibuscunque privative quoad episcopum pertineat ad superiorem monasterii : sive potius

Digitized by Google

cumulative ad dictum superiorem et episcopum vel ejus delegatum?

11. An episcopus sub censurarum pœna prohibere possit tam priori conventus Carmelitarum existent. in terra Putignani quam aliis quibuscunque religiosis ejusdem ordinis, ne sine ejus vicarii licentia in scriptis cum monialibus alloquantur?

12. An episcopus prohibere valeat dictis superiori et religiosis conventus, ne sine ejus licentia missam in ecclesia monialium celebrent, et in casu contraventionis procedere possit contra ipsos ad aliquam pœnam?

13. An ad crates ecclesiæ, seu collocutorii, aut alibi liceat commissario monasterii, sermonem aut conciones habere ad moniales sine episcopi licentia?

14. An ordines prohibentes accessum ad collocutoria et crates monialium a solo episcopo indici et publicari debeant?

15. An sub censuris per episcopum proniberi valeat ne portam clausuræ priorissa aperiat, tam in accessu consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu ad alloquendum cum monialibus, quam ubi et quomodo res in monasterium per rotam introduci possunt?

16. An absolutio moniallum a censuris pro violata clausura, aut pro canon. *Si quis suadente* pertineat ad P. commissarium monasterii, sive potius ad episcopum?

17. An provincialis Carmelitarum clausuram visitans ad tramites Alexandrinæ constitutionis, teneatur præventive episcopum certiorem reddere de die et hora explendæ visitationis, et quomodo hujusmodi certioratio fieri debeat?

18. An episcopo licitum sit in visitanda clausura stolam deferre, eique moniales teneantur stratum parare, omnesque in ingressu obviam ire?

19. An episcopus toties quoties expedire putaverit, possit, etiam inconsultis superioribus regularibus, tam clausuram quam cellas monialium in concernentibus eamdem clausuram visitare adhuc præcisive, tam a suspicione quod illa violata fuerit, quam a quacunque superiorum regularium negligentia?

20. An dies et hora explendæ visitationis præfatæ clausuræ ab episcopo monialibus ante accessum et dici et notificari debeat?

21. An ejusdem clausuræ visitatio ab episcopo sine superiorum regularium, seu alicujus religiosi interventu fieri valeat.

22. An ultra visitationem localem liceat sit episcopo visitationem personalem cujusvis monialis explere, atque illam interrogare in attinentibus ad clausuram tam materialem quam formalem?

23. An revisio computorum administrationis dicti monasterii facienda sit ab episcopo una cum superiori regulari, dum bona et reditus per religiosum Carmelitam administrantur?

24. An acta necessaria pro receptione puellarum, tam pro educatione quam pro earum ingressu et professione, facienda sint in cancellaria episcopi: a quo danda sit licentia pro earum ingressu et professionis emissione: et ad quem spectet exploratio voluntatis earumdem puellarum?

25. An Pater commissarius velum dare possit monialibus professis adhuc si vigesimum quintum annum non expleverint?

26. An, et a quo sit præstandus assensus alienationi bonorum monasterii, quæ fit vigore can. *Terrulas*, in casu, etc.

Sac. Congr. Conc., die 8 maii 1751, respondit: « Ad 1, *negative*. Ad 2, *affirmative*. Ad 3, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 4, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 5, dentur decreta. Ad 6, *negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam. Ad 7, *negative* excepto casu visitationis faciendæ semel in anno. Ad 8, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 9, concedendas esse ad tempus limitatum. Ad 10, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 11, *affirmative*. Ad 12, *negative*. Ad 13, *affirmative* pro solis monialibus, et clausis januis. Ad 14, *affirmative* quoad ordines publicandos per edictum. Ad 15, *negative*. Ad 16, quoad primam partem spectare ad episcopum in casibus non reservatis S. Sedi, quo vero ad secundam spectare ad episcopum in percussionibus gravibus tantum. Ad 17, *affirmative* juxta decretum in Lycien Ad 18, *affirmative*. Ad 19, *affirmative* onerata conscientia episcopi. Ad 20, *negative*. Ad 21, 22 et 23, *affirmative*. Ad 24, omnia spectare ad episcopum. Ad 25, *negative*. Ad 26, spectare ad episcopum. »

L

LEGATUM PIUM.

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII DECRET.

(1. *De implendo legato pio.*

Legatum missarum relictum ab Anna Conventati Censi implendum esse definivit S. Congregatio ex fructibus Locorum Montium et scutorum ter millium, tam quoad præteritum, quam quoad futurum, excepto eo tempore quo reditus defecerunt, et pro rata, qua defecerunt in Maceraten. Legati Missarum 29 Novembris 1806.

(2. *Non esse locum peremptioni legati pii.*

Non esse locum peremptioni legati missæ quotidianæ relicti a Clemente Boncompagni definivit S. Congregatio, sed pro nunc implendum esse pro scutis 28, et injunxit eminentissimo Urbis vicario, ut curaret curatiorem expunctionem rationum super annuo redditu et expensis domus legatæ sodalitio SS. XII Apostolorum, cui legati administratio relicta erat in Romana legati. 19 Augusti 1815, ad 1, dubium, pag. 79.

Digitized by Google

Concessit tamen sacra congregatio absolutionem quoad præteritum, celebratis missis quinquaginta; ibid., *ad* 2, dub.

(3. *De quodam legato implendo non est obligat. justitiæ.*

Legata Pompilii ad pias causas verbis deprecativis relicta, et cum testatoris declaratione *non li obbligo in coscienza*, non esse adimplenda ab hæredibus ex obligatione justitiæ, censuit sacra congregatio, attento præcipue discretivo loquendi modo, seu præceptiva dictione qua usus est testator in legato missarum; in Nullius Sublacen. 16 Maii 1801.

(4. *De translat. legat.*

Legatum pro celebratione missæ quotidianæ a Petruccio relicta in ecclesia Cisterciensium Castri Focii applicandum esse negavit S. congregatio novæ exstruendæ rurali ecclesiæ S Mariæ in Alvo : in Amerina Applicationis legati missarum 19 Decembris 1801.

(5. *Legatum relictum sub conditione sacerdotii.*

Legatum pium relictum a sacerdote Dominico Favolini jamjam parocho S. Jacobi Faventiæ, et a Josepho Beraldini possessum, ex voluntate testatoris sacerdotalem ordinem requirere in possessore decrevit S. congregatio, cum præscripserit eidem Josepho præfigi terminum arbitrio episcopi sive ad suscipiendos ordines, sive ad dimittendum legatum. Quod si Joseph in termino ab episcopo præfigendo ad sacerdotium non ascenderit, tunc legatum pium Ludovico Baraldini illius fratri deberi dixit eadem S. congregatio, quæ fructuum restitutionem penitus denegavit, in Faventina Legati 17 Decem. 1825, ad 1, 2, 3 et 4 dub.

(6. *Legati caducit. ob condit. non servatam.*

Constare de caducitate legati Pii Amadori, seu relicti prælatitii, incursa a Vincentio Landucci ob initum conjugium, qui dispensationem tantum obtinuerat a SS. a suscipiendo sacerdotio, non autem uxorem ducendi, definivit sacra congregatio, in Romana 13 Februari ad 1, dub.

(7. *De implendo legato non obstante temporis intermissione.*

Legatum pium sacerdotis Lucæ Dominici pro missa festiva in commoditatem ruricolarum qui habitant in Villa *di Cinarelli*, S. congregatio decrevit reintegrandum esse ad designatam et reparatam ecclesiam S. Christophori, et hæredes Dominici teneri ad restitutionem sortium censuum juxta leges *reductionis*, et ad reddendam rationem, et docendum de celebratione missarum quoad præteritum, et quoad futurum celebrandas esse tot missas, quot redditus ad manualem. In Ferentina 20 Februarii 1808.

(8. *An, et quæ legata sint adimplenda, quoties diminuenda in casu*, etc.

Eleemosynam missarum deberi ad rationem manualis, et adimplenda esse omnia legata pia, et quatenus, redditus hæreditarii non sufficiant, diminuendum esse legatum relictum capellano. Lunen. Sarzanen. die Sabbati 5 Julii 1728.

Ex Thesauro Resolution. S. congreg. Concilii, tom. IV, pag. 191.

APPENDIX AD V. INFERNUS.

MONITUM EDITORUM CASINENSIUM.

Non ingratam rem lectoribus facturos confidimus, si hanc novissimam de Inferno Appendicem, quæ ad calcem postremi tomi edit. Barbell. exstat, in fine hujus tomi inseramus, ordini et methodo fortasse satius consulturi.

Non pauca minus considerate, ne quid gravius dicam, in superiori appendice, sive novo articulo de inferno, ab ejus auctore, quisquis tandem fuerit, proposita ac tradita sunt, quæ pro instituti mei ratione indicabo, quo facilius caveri a lectoribus possint. Quoniam vero res ipsas persequi non vacat, lectores rejiciam ad clariss. PP. ex ordine Prædicatorum Joannis Vincentii Patuzzi dissertationem *De sede Inferni in terris quærenda*, ac Thomæ Mariæ Mamachii tunc Casanatensis theologi, nunc S. P. Apostolici Magis. libros duos *De animabus justorum in sinu Abrahæ ante Christi mortem expertibus beatæ visionis Dei*, quos in his animadversionibus duces sum secutus.

Vox *inferni* cum Genesis cap XXXVII, vers. 35, tum Numerorum cap. XVI, vers. 30 et 33, *sepulcrum* proprie non significat, ut ex tota orationis serie constat. Cum enim Jacob filium suum Joseph a fera voratum fuisse arbitraretur, existimare non poterat, fore ut in eodem, quo ille, sepulcro conderetur. Core quoque, Dathan et Abiron profunda voragine absorpti fuerunt, non vivi in sepulcrum illati. Vide Patuzzium dissert. cit. par. II, cap. 3, pag. 92, seq. Hinc etsi Calmetus in Dictionario Biblico verb. *Infernus* scribat : « Hoc nomine Scriptura sæpe sepulcrum nominat, in quo defunctorum corpora requiescunt. Mortis filii sui Joseph dolore confectum se *in infernum* abiturum Jacob ingemuit. Core, Dathan et Abiron subito terræ hiatu viventes absorpti sunt in infernum, id est viventes sepulti; » et in comment. in Genesis cap. XXXVII, vers. 35,

Digitized by Google

verba illa, *descendam ad filium meum lugens in infernum*, sic interpretetur, « id est ad ima terræ, sive in sepulcrum, » et in Numerorum cap. XVI, ad vers. 30, dicat : « Catholici quidem, et e Protestantibus plures infernum hic de sepulcro interpretantur; » tamen in Comment. in Gen. loc. cit., ubi monuit *inferni* nomen usurpari interdum pro sepulcro, vel morte, interdum pro loco ubi animæ post obitum colligebantur, nec raro de loco ubi dæmones et impii in flammis cruciantur, subdit : « Tandem *infernus* est locus ubi justorum animæ Servatoris adventum operiebantur, unde digressæ post ejus resurrectionem ad æternam felicitatem perrexere. Eo se deducendum sperat Jacob post obitum, una cum Josepho filio suo. Limbum appellant nostrates theologi, infernum, et sinum Abrahami veteres patres. » Et in Comment. ad Num. c. XVI, vers. 30, ad verba, *Descenderintque viventes in infernum*, ait : « Non ita sane reputandum est quasi viventes corpore et anima absorpti sint in infernum : sed viva corpora intra terræ sinum condita sunt, animæ vero ad æternos in infernis cruciatus projectæ. »

Jam vero peculiaria nomina quibus infernus sive impiorum carcer in sacris litteris designatur, ut abyssus, lacus, etc., non modo illum determinatum locum esse, verum etiam subterraneum declarant, ut Patuzzius ead. part., cap. 5, et seq. ostendit. Quamvis autem nullum hactenus editum ab Ecclesia decretum fuerit, quo quæstionem de inferni sede definierit, tamen sententia de subterranea inferorum sede haud inter adiaphoras Christianæ fidei opiniones referenda est, et S. Thomas liberum quidem cuilibet esse censet infernum statuere vel circa terræ centrum, vel in aliis terræ recessibus; at nedum consentit intra terram ipsam locandum esse, sed et id ad doctrinam Fidei pertinere satis aperte significat. Patuzzius dissert. ead., part. I, cap. 5, pag. 20, seq. Quid porro velit S. Joannes Chrysostomus, cum gehennam *extra mundum hunc totum* esse affirmat, demonstrat Allatius dissert. 2, *De lib. Eccl. Græcæ*. Scilicet hoc unum vult, gehennæ locum « esse extra hunc locum universi qui habitatur ab hominibus..... nempe in recessu intimo et interno, et inferioribus abyssi, in quibus nulla hominum habitatio est. » Etenim ipse inferos in partibus terræ inferioribus alibi collocat. Patuzzius ibid., part II, cap. 10, pag. 132, seq. Quamobrem audiendi non sunt qui eumdem a communi Patrum sententia Ecclesiæque traditione discessisse jactant. Immerito quoque S. Gregorius Nyssenus, et auctor operis imperfecti in Matthæum, inter illos recensentur qui caliginosam hanc aeris regionem infernum esse opinati sunt, ut ex attenta textuum, qui afferuntur, lectione patet : Patuzzius part. ead., cap. 1, pag. 77. Nec vero sententiæ hujus patronis esse præsidio possunt verba S. Pauli in Epistola ad Ephesios, cap. VI. vers. 2, ex quorum expositione sententia illa profecta censetur. Nam ex verbis Apostoli educitur, aliquos ex malis spiritibus in caliginoso aere versari; aerem caliginosum esse damnatorum sedem, quam infernum dicimus, non educitur. Adeatur Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis Commentariorum in septimam partem Matthæi, quæst. DXV, seq., edit. Venet., anno MDCXV, pag. 291, seq., et paradoxo quinto, cap. 80, edit. Opusculorum ejusdem, edit. cit., fol. 83, vers. et seqq., ubi de loco inferni locisque animarum corpore solutarum agit, atque indicatas de sede inferni opiniones refellit. Confer Patuzzium disser. cit., part. II, cap. 1, pag. 75, seqq., quo in capite demonstrat locum aliquem certum ac definitum admittere oportere, ubi impii in futura vita puniantur, Brentii figmentum explodit, pluresque de hujusmodi definito loco tum veterum tum recentiorum opiniones recitat.

Scriptor Anglus, qui infernum in sole collocandum duxit, Swindenius fuit, in Opere Londini anno 1714. Anglico sermone *De natura et loco inferni* in vulgus edito, quod Bionius Anglicanæ Ecclesiæ minister in Gallicam linguam deinde transtulit, et præfatione, ad imperitos lectores magnarum rerum spe decipiendos, præmissa publicavit. Ejus commentum funditus labefactavit Cl. Joannes Vincentius Patuzzius Ord. Præd. in egregio opere, quod indicavimus, Venetiis an. MDCCLXIII. impresso, hoc titulo : « *De sede inferni in terris quærenda*, Dissertatio ad complementum operis de futuro impiorum statu, tributa in partes tres, in quarum prima nova refellitur opinio Swindenii doctoris Angli sedem inferni in sole collocantis; in altera communis sententia de sede inferni subterranea defenditur et illustratur; in tertia sensus ac doctrina Ecclesiæ catholicæ de articulo Symboli Apostolici *descendit ad inferos* propugnatur, tum contra Swindenium, tum contra Vossium, Bochartum, aliosque heterodoxos. » Ante Patuzzium alii cum Swindenio pugnam commiserant, de quibus Patuzzius in præfatione dissertationi eidem præfixa, quam lector, si e re sua duxerit hæc nosse, consulat.

Sequitur ut de inferorum in quatuor diversi generis receptacula distinctione paucis agam. Hæc non multorum modo, quemadmodum auctor Appendicis num. 6, scribit, sed omnium fere theologorum, maxime veterum, suffragio comprobata est, atque in copiosiori Christianæ doctrinæ expositione Ven. Roberti Bellarmini, qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, proposita. Quanta autem sit et esse debeat expositionis hujus auctoritas apud omnes Catholicos, liquet ex Clementis VIII et Benedicti XIV Constitutionibus, quas Lucius noster in responsione ad Theologum Roman. cit. Confer. Cl. Mamachium *De Sanctis V. T. ante Christum expertibus visionis Dei*, lib. I, cap. 3, § 1, num. 6, pag. 251, seqq. Catechismus quoque Concilii Tridentini jussu compositus, de quo pluries Mamachius § eod. num. 4, pag. 230, et seqq., tria in inferis diversi generis receptacula esse tradit. Cum enim part. 1, in expositione articuli quinti Symboli num. 2,

Digitized by Google

docuisset *inferorum* nomine in eo articulo « abdita illa receptacula significari, in quibus animæ detinentur, quæ cœlestem beatitudinem non sunt consecutæ. » n. 3, subdit : « Neque tamen ea receptacula unius et ejusdem generis sunt omnia. Est enim terrimus et obscurissimus carcer, ubi perpetuo et inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam gehenna, abyssus, et propria significatione infernus vocatur. Præterea est purgatorius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in æternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur. Ac de hujus quidem doctrinæ veritate, quam et Scripturarum testimoniis, et Apostolica traditione confirmatam esse sancta concilia declarant, eo diligentius et sæpius parocho disserendum erit, quod in ea tempora incidimus, quibus homines sanam doctrinam non sustinent. Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animæ sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quæ in sinu Abrahæ Salvatorem exspectabant, Christus Dominus ad inferos descendens liberavit. »

Ut autem planius theologorum, qui quatuor in inferis receptacula distincta posuerunt, sententia percipiatur, et Calvini, Bezæ, Buceri, atque aliorum hæreticorum in illos convicia facilius refellantur, placet hic referre quæ S. Thomas in supplemento 3, part. quæst. 69, art. 5, et duobus proximis tradit. Igitur S. doctor art. 5, quo in articulo quærit, « utrum limbus idem sit, quod infernus damnatorum », inquit : « Receptacula animarum post mortem dupliciter distingui possunt, aut secundum situm, aut secundum locorum qualitatem; prout scilicet in aliquibus locis pœnas, vel præmia recipiunt animæ : Si ergo considerentur limbus patrum et infernus secundum locorum qualitatem prædictam, sic non est dubium quod distinguuntur; tum quia in inferno est pœna sensibilis, quæ non erat in limbo Patrum; tum etiam quia in inferno est pœna æterna, sed in limbo Patrum detinebantur sancti temporaliter tantum; sed si considerentur quantum ad situm loci, sic probabile est quod idem locus, vel quasi continuus sit *infernus et limbus* : Ita tamen quod quædam superior pars inferni *limbus Patrum* dicatur : Existentes enim in inferno secundum diversitatem culpæ, diversam sortiuntur pœnam : Et ideo secundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, secundum hoc obscuriorem locum et profundiorem obtinent in inferno; unde et sancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpæ, supremum et minus tenebrosum locum habuerunt omnibus puniendis. » Tum articulo 6 expendens utrum limbus puerorum sit idem quod limbus Patrum, hæc habet : « Limbus Patrum, et limbus puerorum absque dubio differunt, secundum qualitatem præmii vel pœnæ : pueris enim non adest spes beatæ vitæ, quæ Patribus in limbo aderat; in quibus etiam lumen fidei et gratiæ refulgebat; sed quantum ad situm, probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse; nisi quod et requies beatorum Patrum adhuc erat in superiori loco quam limbus puerorum; sicut de limbo et inferno dictum est. » Præmiserat autem in argumento sed contra hæc : « Sicut actuali peccato debetur pœna temporalis in purgatorio, et æterna in inferno : ita et peccato originali debebatur pœna temporalis in limbo Patrum, et æterna in limbo puerorum : Si ergo infernus et purgatorium non sint idem, videtur quod nec limbus puerorum, nec limbus Patrum sint idem ». Ita quidem respiciens ad illud, quod in commentario in lib. IV, sent. dist. 21, quæst. 1, art. 1, in resp. ad secundam quæstionem constituit. Nam de loco purgatorii agens : « Dicendum, ait, quod de loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci : tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis sanctorum dictis, et revelationi factæ multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem; et sic locus purgatorii est locus inferno conjunctus, ita quod idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat; quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sunt. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem, et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum pœna innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigaretur. Quidam tamen dicunt quod, secundum legem communem, locus purgatorii est ubi homo peccat; quod non videtur probabile, quia simul potest homo puniri pro peccatis quæ in diversis locis commisit. Quidam vero dicunt quod puniuntur supra nos secundum legem communem, quia sunt medii inter nos et Deum quantum ad statum. Sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod est infimum in eis, scilicet peccatum. » Postremo articulo, « Receptacula, inquit, animarum distinguuntur secundum diversos status earum : anima autem conjuncta mortali corpori habet statum merendi; sed exuta a corpore, est in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum : Sic ergo post mortem, vel est in statu recipiendi finale præmium, vel est in statu quo impeditur ab illo : Si autem est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter : vel quantum ab bonum, et sic est *paradisus;* vel quantum ad malum, et sic, ratione actualis culpæ, est *infernus;* ratione autem originalis est *limbus puerorum;* si vero est in statu quo impeditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personæ; et sic est *purgatorium*, in quo detinentur animæ, ne statim præmium consequantur, propter peccata quæ commiserunt; vel propter defectum naturæ, et sic

Digitized by Google

est *limbus Patrum*, in quo detinebantur Patres a consecutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, qui nondum poterat expiari. » Hæc S. Thomas, quæ theologo de controversia ista acturo præ oculis habenda sunt, ut quid tanquam certum, quid tanquam probabile scholasticorum principes in hac quæstione proposuerint, meminerit; nec tot receptaculorum distinctionem, ut commenticiam, rejiciat, nisi antea auctoritatis ac rationis momenta, quibus ad ea admittenda Scholastici adducti sunt, accurate expenderit, atque infirma prorsus esse deprehenderit. Id si fecisset auctor appendicis, generatim non pronuntiasset hanc distinctionem a scholasticis excogitatam, « quin in Scripturis et apud antiquos Patres vel leve fondamentum habuerint tot astruendi veluti omnino distinctas inferorum sedes. »

Etenim limbum sanctorum Patrum Veteris Testamenti in visceribus terræ situm, et a carcere, ubi inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur, longo intervallo divisum, ex pluribus sacrarum Scripturarum ac veterum Ecclesiæ Patrum testimoniis plane constat. Vide Patuzzium dissert. cit., part. III, cap. 7 et 8. Accedit perpetua Ecclesiæ universæ consensio, de qua Patuzzius, ead. part. cap. 1 et seqq., et Mamachius lib. I, De sanctis Vet. Test. ante Christum expertibus visionis Dei, cap. 3, pag. 206 seqq. Itaque Mamachius idem pag. 772, not. 2. Auctorem appendicis jure ac merito reprehendit scribens : « Ex his quæ libro superiore atque etiam secundo disputavimus, intelligit lector quam digna reprehensione sit is qui adnotationes seu appendices ad *Bibliothecam Lucii Ferraris* scripsit, ediditque Romæ. Is enim tom. IV, ad v. *Infernus*, n. 7, Append., p. 174, edit. Rom., an. 1759, etsi Patrum sanctorum Veteris Testamenti animabus, ante Christi descensum ad inferos, visionem Dei non attribuerit; iisdem tamen Augustini locis abusus, quibus post Protestantes abutuntur *Cadoniciani*, contra communem Catholicorum consensionem, *incertum* scribit *esse, num Abrahæ sinus in terræ visceribus fuerit. Pearsonium*, credo, aut auctorem historiæ Symboli, qui e numero fuerunt Protestantium, consuluerat, ac sequi non dubitaverat. » Mox enim tacitis horum nominibus, ne quid ab aliis accepisse videretur, eorumque animadversionibus in epitomen redactis, ab Ethnicis ad Judæos, paulo ante Christi tempora sententiam de locis inferis, in quibus justorum animæ agerent, propagatam, hypothesisque loco adhibitam statuit; indeque ad Christianos doctores, præsertim « Justinum, Irenæum, Tertullianum, aliosque antiquos Patres, qui sanctorum beatitudinem ad finem usque mundi differendam opinabantur, » hypothesim eamdem fuisse traductam; usurpatam deinceps « a S. Hieronymo, aliisque Patribus, qui Christi animam ad inferos descendisse crediderant, ut, disrupto antiquo carcere, animas sanctorum Patriarcharum in cœlestem patriam perduceret; » probatamque demum « fuisse scholasticis limbum SS. Patrum in inferis astruentibus. » Ita ille; quam Patres omnes, eo confitente, quamque theologi deinceps scholastici universi secuti sunt, sententiam, ex ethnicorum somniis manasse commentus est, atque incertam rejicit; eoque se nomine effugere speravit reprehensionem, quod *hypotheseos* eam appellarit vocabulo. Quasi vero verbis versanda theologia sit, non iis, quæ verbis sint subjectæ, sententiis! Sed maneat Patrum theologorumque doctrina necesse est : ea vero manente, evanescant oportet somnia tot appendicum auctoris, qui se a Patribus theologisque dissidere confiteatur. « Sed Ecclesiæ judicio, inquit, nil certi definitum habemus, atque intacta fide, Abrahæ sinus alibi quoque stabiliri potest extra cœlum empyreum. Ego vero ut ferri hæc possint, non video. Tunc, mi homo, in rebus *incertis* impune numeres quod Ecclesiæ omnes orthodoxæ ubique terrarum, pusillos etiam neophytosque docent suos? quod Ecclesia Romana catechismo Romano complexa est? quodque professionibus quoque fidei ad patriarchas atque antistites, qui ejus communionem expetebant, missis comprehendit? Vide quæ scripsi lib. I, hujus operis, cap. 2 et 3. » De testimoniis S. Augustini accuratissime, ut solet, disputat idem Mamachius lib. II, operis ejusdem cap. 1 et 2. Sententiam autem de inferni receptaculis, ad quæ omnes sive justorum sive impiorum animæ a corporibus solutæ abirent, Hebræos, non a Græcis paulo ante Salvatoris nostri tempora accepisse, sed longe antiquiori traditione, ostendit Patuzzius dissert. cit., part. II, ubi cap. 2, communem hac de re totius antiquitatis consensum expendit; et quam firmum inde ad catholicæ Ecclesiæ doctrinam confirmandam argumentum ducatur, demonstrat. Parte vero prima cap. 3, evincit quam falso Swindenius aliique scriptores affingant primitivæ Ecclesiæ fidelibus, ac Patribus absurdam Cosmæ Ægyptii de cœli ac terræ figura opinionem; productisque textibus Clementis Romani, Justini, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Eusebii, Athanasii, aliorumque, tellurem ab ipsis sphæricæ figuræ, ac planetarum instar in aere suspensam fuisse habitam confirmat.

De limbo puerorum hoc brevi dico, theologos, qui ipsum a damnatorum carcere distinguendum putarunt, ideo putasse, quod pueros, cum solo peccato originali ex hac vita decedentes, pœna sensus non esse torquendos existimaverunt, quemadmodum ex testimoniis S. Thomæ num. 5, descriptis patet; ut autem eos sensus pœnæ obnoxios non futuros arbitrarentur, non modo pluribus rationibus, sed etiam nonnullis S. Scripturæ ac veterum Patrum locis sunt adducti. Consulantur S. Thomas in comment. in lib. II *Sentent.*, dist. XXXIII, qu. 2, art. 1, et in quæstionibus disputatis de malo q. 5, art. 2. Ven. Cardinalis Bellarminus de amissione gratiæ, et statu peccati lib. VI, cap. 4. Controvers., tom. IV, pag. 186, seq. atque,

Digitized by Google

ut alios omittam, Cl. Joannes Franciscus Bernardus Maria de Rubeis Ord. Præd. in tractatu De peccato originali c. 75, pag. 413, seqq. Neque vero ad hanc opinionem labefactandam satis est afferre illa SS. Scripturarum, conciliorum, Patrumque testimonia, quæ auctor appendicis n. 8, producit, aut citat, nisi illud una ostendatur, eadem communiter exponi, ut a S. Thoma, atque aliis exposita sunt, non posse, quod nemo hactenus ostendit.

Quod spectat ad purgatorium, etsi demus eodem igne, quo impii torquentur, piorum animas, quibus aliquid luendum superest, expiari, inde tamen non efficitur purgatorii locum ab impiorum carcere distinctum non esse. Utrumque enim consistere potest, auctore S. Thoma, cujus verba n. 6, attuli.

Ex. J. Du,

FINIS TOMI QUARTI.

Imprimerie MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google